ALTARE DAMASCENUM

CEU

POLITIA ECCLESIÆ ANGLICAnæ obtrusa Ecclesiæ Scoticanæ, a formalista quodam delineata, illustrata & examinata studio & opera

Edwardi Didoclavij.

CUI

Locis suis interserta

CONFUTATIO PARÆNESEOS Tileni ad Scotos Genevensis, ut ait, disciplinæ zelotas

Et adjecta

EPISTOLA HIERONYMI PHILAdelphi de Regimine Ecclesiæ Scoticanæ.

Ejusque

VINDICIÆ CONTRA CALUMnias Iohannis Spotsuodi Fani Andreæ Pseudoarchiepiscopi per anonymum.

2. REG. 16. V. 10. 11.

10 *Profectus autem Rex Achaz obviam Tiglath-Pelesero Regi Assyriæ Damascum, quum vidisset altare, quod erat Damasci, misit Rex ad Uriiam sacerdotem similitudinem illius altaris, & structuram ejus secundum totum artificium ejus:*

11 *Et exstruxit Uriia sacerdos altare: omnino prout miserat Rex Achaz Damasco, ita fecit Uriia sacerdos, dum rediret Rex Achaz Damasco.*

Anno MDCXXIII



S.r William Baird of Newbyth Bar.t



LECTORIBVS BENEVOLIS.

VAria hostium genera fuere ab initio infesta Ecclesiæ Christianæ, infideles, hæretici, & aperti Apostatæ; occultos tamen atheos aut Apostatas hostes non noverant nascentis aut adolescentis Ecclesiæ tempora. Hæc hora tentationis gravissima, quæ novissimis hisce temporibus premit Ecclesias reformatas, detexit desertores ceu potius prævaricatores & perfidos proditores. Hæc quoque dura sors Ecclesiæ, quòd non solum tigres, leopardi, & leones, magni animis prinsipes, sed etiam cervi & lepores, pusilli animis, qui nihil præclarum aut laude dignum unquam gesserunt, quos nec castra iuvant, nec lituo tubæ permistus sonitus, audeant tamen fideles omni iniuria lacessere, vbi nec à sicario nec à milite metuunt. Miraris, sat scio, lector benevole, quòd in tantis angustiis non ferat opem, quantam potest, Ecclesiis reformatis Defensor fidei Iacobus Rex magnæ Britanniæ. Titulus iste cothurnus est, & cuilibet pedi, cuilibet fidei aptari potest, non minus Papæ qui dedit, quàm vestræ. At defensorem vultis eius religionis cuius in Scotia professor, quam sacramento & chirographo bis cōsignavit an. 1580 et 1590. Mirarer potius, si accurreret in auxilium Ecclesiis exteris, cum in Ecclesiam Scoticanā, in qua, natus, educatus, qua adnitente ad regnum in cunis evectus est, tanto furore impetum facit. Dices tantùm expurgare Catharos ceu Puritanos. Refert Tertullianus in hominibus innocuis non crimen sed nomen ipsum innocuum Christiani odio fuisse. Bonus quidem vir Caius Seius, sed malus tantùm, quia Christianus. Catharorum & Puritanorum odiosa sunt non innocua nomina. Si cum Catharis nec veniam lapsis nec secundas nuptias negamus, cur Cathari vocamur; si nos impuros profitemur &

omnium peccatorum primos nostrarum infirmitatum nobisipsis conscii agnoscimus, cur Puritani indigitamur. Audite hostem nobis infestissimum Regem Britanniæ. In prooemio opusculi quod
" *inscripsit Basilicon Doron, hæc habet verba. Ad nomen ipsum*
" *Puritanorum quod attinet, non diffiteor, tituli iure, infami*
" *Anabaptistarum sectæ deberi, quæ Familia amoris vocatur. Hi*
" *enim se puros arbitrantur, & quodãmodo vacuos peccato; se esse*
" *veram Ecclesiã, solosq; dignos sacramentis; cæteros verò mortales*
" *execrabiles esse, & Deo invisos. Cũ tamen nulli essent in ecclesia Scoticana Anabaptistæ aut Familistæ, explicat, quos velit Puri-*
" *tanorum nomine insigniri. Veruntamen, inquit, eos quoque hoc*
" *titulo insignimus, qui quum illius sectæ nomen respuant, eorum*
" *tamen moribus & erroribus affines sunt: quales sunt male-*
" *sani & vertiginosi concionatores eorum discipuli; qui magistra-*
" *tus contemptu & somniorum suorum & revelationum creduli-*
" *tate communem Anabaptistarum regulam sequuntur: propriam*
" *verò Familiæ disciplinam in multis aliis æmulantur. Nam pro-*
" *phanos æstimant quotquot in eorum verba non sunt iurati: & de*
" *minimis Politiæ Ecclesiasticæ quæstiunculis tantum excitant*
" *turbarum, ac si de sacrosancta Trinitate ageretur, conscientiæ*
" *suæ scripturam accomodant, non scripturæ conscientiam; quisquis*
" *minimum alicuius nugamenti apicem negaverit, statim au-*
" *dit Ethnicus & Publicanus, ipso spiritu nedum sacramento-*
" *rum communione indignus: satius esse regem, legem, gregem*
" *pedibus conculcari, quàm horum quicquam attingi, & bellum*
" *sacrum ex eiusmodi causis excitatum impiæ paci esse præferen-*
" *dum: quin Christianis Principibus non modo resistendum, sed*
" *pro illis ne orandum quidem esse. Orationem enim ex fide*
" *esse, ac eorum conscientiis iam esse revelatum eiusmodi pre-*
ces Deo curæ non esse. Pro principibus Christianis non orandum nullus inter nostros unquam asseruit. Pro principe Apostata non orandum docet Apostolus. Ordines in ordinem cogere tyrannum

posse,

posse, ei resistere, & è furiosi manibus gladium extorquere verisimile est aliquos censuisse. Nam id sentiunt viri docti, qui Anabaptistarum moribus aut erroribus nihil habent affine. Alia Ordinum alia privatorum ratio. Scripturam actionum nostrarum regulam & normam, non somnia non revelationes sequimur, & ad illam normam principum etiam edicta examinamus; conscientiam scripturæ accommodandam profitemur non conscientiæ scripturam. Ob nugamenta & minimas de politia quæstiunculas turbas non excitamus, nec bellum sacrum ex his causis excitatum paci præferendum iudicamus, sed ea nos nugamenta non esse existimamus, quæ hostes & adversarii nugamenta esse clamitant. Non est tutum ab hoste dici & doceri. Prophanos non æstimamus quotquot in verba nostra non sunt iurati, sed qui iuramentis ludunt sicut pueri astragalis, quibus disciplinam & politiam Ecclesiæ optimè stabilitam, & in quam iurati sunt, oppugnare religio non est. Quinam sint isti concionatores vertiginosi divinare nequeo, si non illi, qui Comitum Papanorum cum Hispano in perniciem & reipubl. & Ecclesiæ coniuratorum restitutioni & reconciliationi obstiterunt, qui ius suffragii in Comitiis regni oblatum ministris eodem tempore magna cum importunitate, improbarunt, partim quia ab officio ministri alienum esse iudicabant, partim quia mysterium iniquitatis Episcopalis tyrannidis, et subversionis disciplinæ in eo latere perspiciebant. Qui obtestantibus nullum invehi Episcopatum sive Romanensem sive Anglicanum fidem non adhibuerunt. Iactictat Spotsvodus in libello suo famoso Regem Episcoporum gubernationem introduxisse, non confestim et momento, sed pedetentim & per intervalla, ne res agi videretur. Impudenter profitetur dolo introductam episcoporum dominationem. Verum, cum res ista ageretur per intervalla, obtestati sæpius disciplinam & politeiam ecclesiæ non mutandam, ne res agi vide-

videretur. Tamen sagaciores præviderunt, et quantū poterant, ipsis malorum initijs obluctati sunt. Cumque imprudentiores in regiorum sententiam cessissent, & suffragiorum numero vicessent, animos tamen non despondent, conditionibus & legibus tanquam cancellis, arctant & concludunt ministrum, qui cum jure suffragij sederet in Comitijs, ne iura & libertates ecclesiæ invaderet. Hæc sunt nugamenta, hæ quæstiunculæ de politia ecclesiæ, ob quas excitatæ turbæ. An ministri debeant sedere inter Ordines in Comitijs cum iure suffragii, an cum iure perpetuo, vel an ad arbitrium conventus generalis singulis annis eligendi. Nam scripta sunt ista, cum agitarentur hæ quæstiones in Ecclesia nostra. His sternebant viam ad Episcopatum. Et eorum conatus retardarunt nostri, qui sagaciores. Hi sunt illi vertiginosi, qui male sani, quia non laborabant ea capitis vertigine, qua alii. Video, inquit Iohannes Davidsonus, catus & constans Cato sui temporis, nebulonem caput mitratum exerentem. In ipso opere horum mores sic describit, cum hortatur filium, vt ex Ecclesia & republica eos egerat.

" Puritanos, inquam, eos, quos nec beneficiis devincias, ne iureiu-
" rando fidos facias, nec promissis cōstringas, sine modo ambitiosos,
" sine causa maledicos, nec quicquā spirantes, nisi seditiones & ca-
" lumnias, quibus una conscientiæ regula est, non divini verbi au-
" thoritas sed, commentorum suorum vanitas. Testor illum mag-
" num deum (nec testamentum condenti fas est mentiri) nunquam
" inter montanos aut limitaneos nostros latrones maiorem ingra-
" titudinē aut perfidiam reperiri posse, quam inter hos fanaticos
" nebulones, nec patere, si pacate vivere decreveris, ut hi ea-
" dem tecum patria fruantur.

Hæc opprobria in fidos Dei servos coniecta, et typis evulgata, cum ferveret animorum contentio & optimorum oppositio sufflaminantium, quem studebat invehere, Pseudoepiscopatū. Læsa tot annos patientia iustā apologiā silētio æterno premere nos non sinit. Ambitiosi scilicet qui episcopatus & honores, non ambiebant, nec, ut oblatos, amplecterētur flecti potuerūt. An sine causa maledici, qui de coiuratis ecclesiæ & reip. hostibus

post

postliminio restituendis expostularunt, qui clamante nobilium sanguine ad cælum & vindictam poscente deplorabant tempora & mores: nullo iureiurando fidos faciam, qui iurati in confeßionem fidei & disciplinā receptā ab ea dimoveri non potuerunt, quibus in summis angustiis Rex ipse maxime fidit. Si ulli perfidi & fanatici nebulones inter concionatores, in eos inprimis sæviendum fuit, non in viros optimè de ecclesia meritos, nec evertenda politia ecclesiæ. Sed in eos sævitum qui à disciplina steterant, nec alios novimus vertiginosos & fanaticos. Robertus Brucius vir genere & virtute nobilis, maiestate vultus venerabilis, qui plura animarum millia Christo lucrifecit, cuius anima, si ullius mortaliū, absit verbo invidia, sedet in cœlestibus, ex ecclesia Edinburgena 23 ab hinc anno extrusus & in hunc usq; diem terris iactatus & undis. Anima mea cū anima tua, Bruci, si ex aliena fide esset pendendū. Andreas Melvinus, qui fere octogenarius diem supremum clausit in exilio vir undiquaque doctus, pius, candidus, & strenuus Christi miles. Iacobus Andreæ ex fratre nepos, quo in rebus gerundis, & ecclesiæ negotiis publicis administrandis non prudentior alius in ecclesia nostra, & vultu & ingenio mansuetus exul Beruici mortuus. Iacobum Balfurium, Iohannem Welshium, Carolum Fermium & alios etiā adhuc superstites qui se animosè opposuerant principiis malorum, cum ista Rex scriberet, et duriora post passi sunt, credamne ego perfidos aut fanaticos, quos novi viros optimos. Si iis moribus affines fuissent, nunquam viris bonis tam grati fuissent, ut salem insipidum conculcassent. Episcopos quos evexit, ambitiosos perfidos et in matrem ecclesiam ingratos, non modo dicimus sed etiā probamus, et luculēter probat Vindex epistolæ Philadelphi, qui tamē æquo parcius scribit, et ea solum quæ sufficere videbantur, plura proculdubio dicturus, si ad duplicatas vindicias provocatus. Sed fuerint quidam vertiginosi et fanatici concionatores, qui puritanorum titulo insigniri iure possint, non diffitetur in proœmio virorum bonorum frequentiam fuisse in ecclesia nostra, quos omnes ecclesiæ Anglicanæ ritibus adversari in confesso esse concedit. Et ibidem

dicit,

,, *dicit, Quod ad cæteros concionatores attinet, aliosue etiam, quibus*
,, *simplex illa ecclesiæ nostræ politia Anglicanæ ceremoniis præfertur,*
,, *quibus episcopalis dignitas papalem fastum redolet, & pileus qua-*
,, *dratus, & superpelliceum, & id genus alia Papatus insignia viden-*
,, *tur, hos, testor honorem meum, nunquam intellexi. Imo vero tan-*
,, *tùm abest, vt de talibus rebus, quas semper adiaphoras æstimarim,*
,, *rixandum putem, ut utriusque partis eruditos & graves assertores*
,, *pari honore & amore prosequar.* *At iam omnes vertigino-*
si, & fanatici, omnes Puritanorum odioso nomine insigniun-
tur, qui adversantur ritibus Anglicanis, qui fastidiunt fastum Pa-
palem dignitatis episcopalis. Sit cætera probus, hoc solo nomine Pu-
ritanus indigitatur, exagitatur, & durissima quæque patitur. Anno
secundo post adventum Regis in Angliā 300 ministri vel libertate
concionandi mulctati, vel beneficio privati, vel excōmunicationis
fulmine icti, vel in carcerem coniecti, vel solum vertere coacti; &
restauratæ papatus reliquiæ, quarum usus plerisq; locis ante obitum
Felicissimæ Elizabethæ obsoleverat. Superiorem temporum annales
replicanti reperire non est graviorem sub ullo principe fidem ortho-
thodoxam profitente persecutionem. Cæpit anno sequenti eadem
in Scotia grassari, & in hunc usque diem durat. Episcopi vi & vir-
tute iurisdictionis à rege delegatæ ceu Celsæ Commissionis, ordina-
riam occuparunt, eamq; suffulciunt, optimos quosq; ejiciunt, disci-
plinam & politiam ecclesiæ optimè stabilitam, in quam Rex ipse &
ipsi iurati sunt, mutant & evertunt, & afflicto piis & orthodoxis
Puritanorum nomine per eorum latera puritas religionis & cultus
divini impetitur. Hoc Dolmanni Iesuitæ olim consilium, subigēdos
Puritanos, dum catholici viribus & numero non modo ad æquili-
brium crevissent, sed etiam in lance adversa præponderârint.

Habes hîc, lector, maiusculis literis delineatam à Formalista, nescio quo, politiam Ecclesiæ Anglicanæ. Deerant multa quæ suppleo. Leviter omnia perstrinxissem, ut capite primo, quia errorem detexisse idem videbatur mihi ac refutasse. Mutato consilio fusiore dissertatione, sed raptim, urgentibus Operis, quæ sequuntur, tractavi, præsertim ubi confutanda occurrebat Parœnesis Tileni, Sectarii mendaciis & calumniis ad finem operis reiectis. Habes hîc etiam Hieronymi Philadelphi epistolam de Regimine Ecclesiæ Scoticanæ, eiusque Vindicias contra calumnias Spotswodi, per anonymum quendam, unde discis, quis sit rerum nostrarum status. Vale.



CAPVT. I.

De primatu Regio & Regiorum Commissariorum jurisdictione in causis Ecclesiasticis.

IN πολιτεία Ecclesiastica Angliæ generaliter consideranda veniunt 1. Personæ, & earum adjacentia. 2. Possessiones. 3. Constitutiones circa utrasque. Personæ, vel habentes administrationem, vel nullam habentes administrationem. Personæ administrationem habentes, vel Supremam, magisque absolutam, quæ dicitur Primatus Regius, vel minus amplam.

Primatus Regius considerandus, vel Generaliter, vel Particulariter. Generaliter, qua authoritate tanquam supremus secundum Deum Gubernator potest in causis Ecclesiasticis suorum Dominiorum Princeps statuere, quicquid Divino verbo non repugnaverit.

Causarum ratione habet Majestas Regia in personas etiam Ecclesiasticas authoritatem supremam. Sed quia authoritas in personas & causas Ecclesiasticas varia est, & multiplex, prius præmittenda est hujus authoritatis partitio in varia genera, prout distribuit eam Mucketus. *Authoritas circa personas Ecclesiasticas versatur, aut in illis eligendis, & nominandis, ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica: aut manuum impositione sacrandis: aut in pœnis statuendis & infligendis. Deinde, hæc puniendi potestas, vel castigat eos pœnis civilibus, ut carcere, mulctis pecuniariis, morte; vel pœnis Ecclesiasticis, quales sunt excommunicatio, Anathematismus. Denique authoritas pœnis civilibus coercens, aut congregat personas Ecclesiasticas ad Nationalia & Provincialia Concilia, aut eas in pacem Regni & Regiam dignitatem delinquentes, coram iudice Civili sistit & condemnat. Et similiter, authoritas in causis Ecclesiasticis secundum illarum varietatem varia est. Amplissima est dictionis Causa significatio, ut eam ius Cæsareum pro Re posuerit. Res autem Ecclesiasticæ sunt, vel contentiosæ & extraiudiciales. Res contentiosæ & iudiciales sunt, quæ per litis contestationem inter Actorem & Reum, veniunt in disceptationem; & testium, instrumen-*

De politeia Ecclesiæ Angl. cap. 3.

torum, indiciorum adminiculis à legitimo iudice definiuntur: cuiusmodi sunt Lites de Decimis, obl tionibus, dissolvendo matrimonio propter præcontractum, de intentatis criminibus Simoniæ, blasphemiæ, hæresis, idololatriæ, adulterij, incestus, &c. Res Ecclesiasticæ non contentiosæ, & extraiudiciales, etsi deliberativum, tamen proprie iuridicum examen nunquam subeunt. Et hæ non sunt unius ordinis: sunt enim primæ, vel primarum appendices. Res Ecclesiasticæ primæ sunt, quas Deus in verbo suo tanquam necessarias ad interiorem animi nostri sanctificationem docet & præcipit, ut fidei dogmata quorum efficaci notitia, & sacramenta quorum fideli usu salutem adipiscimur. Horum appendices sunt externi ritus, ac ceremoniæ ordinis & decori causa, qualia sunt stata ad verbum audiendum loca, statæ horæ, genuflexio in precibus apud Deum effundendis & Eucharistia percipiendi, &c. Genuflexionem in percipienda Eucharistia ritibus ordinis & decori non annumerandam esse postea docebimus. Authoritatem multiplicem in causas ceu Res Ecclesiasticas ad hæc capita redigit. *Circa res Ecclesiasticas non contentiosas & extraiudiciales, est authoritas aut eas, si fidei dogmata sunt, publice pro concione docendi, & hominum conscientijs per exhortationes & redargutiones applicandi, si sacramenta, administrandi; aut potestas de ijs, si fidei sunt dogmata, vel ritus & ceremoniæ, deliberandi, earumque veritatem & æquitatem scrutandi iuxta verbi Divini normam; aut denique authoritas est per publicas leges & edicta illas promulgandi & stabiliendi, ut has populus fidelis religiose observet & amplectatur. Sic & circa Ecclesiasticas res contentiosas & judiciales, est authoritas vel illas, quando per plures subordinatas appellationes ad supremum iudicium delatæ fuerint, definiendi vel absque omni appellationum medio determinandi & reos aliosque immorigeros, qui huic tribunali se sistere tenentur, carcere & mulcta pecuniaria castigandi.* Amplitudo potestatis Regiæ in personas, & causas Ecclesirsticas *supremi Gubernatoris* titulo comprehenditur. Gubernatoris vero vocabulo, non intelligitur princeps esse tantummodo custos & vindex utriusque tabulæ, sed etiam judex, & jurisdictionem alijs demandans. Quamvis enim Metaphoricum *Capitis* titulum, quem primus sibi assumpsit Henricus 8. expunxerunt ne offendiculum pareret & *supremi Gubernatoris* substituerunt, idem tamen manet sensus. Henricus Salcolbrigiensis sic reddit verba statuti 1. Elizab. nisi quod quæ includuntur parenthesi, prudens an imprudens nescio, pretermiserit. *Ea Ecclesiastica jurisdictio, quæ potestate aliqua spirituali vel Ecclesiastica antea exercebatur, vel legitime exerceri poterat ad visitandum statum & ordinem Ecclesiasticum, item ad reformandum, in ordinem redigendum & corrigendum homines ecclesiasticos, omnimodos errores, hæreses, schismata, abusus, offensas & enormitates infra hoc Regnum imperiali huius regni diademati in perpetuum unita & annexa est: qua Rex Angliæ possit assignare, & authoritate munire (quando, quotiescunque*

Becanobaculus pag. 140. 141.

&

& quandiu libitum fuerit) è nativis subditis, eos quos idoneos existimarit ad exequendum & exercendum sub sua celsitudine omnimodam iurisdictionem, privilegia, præeminentias, ullo modo spectantes ad iurisdictionem spiritualem, vel Ecclesiasticam infra hoc regnum, ad visitandum, reformandum, componendum, corrigendum, & emendandum omnes eiusmodi errores, hæreses, schismata, abusus, offensas, contemptus, & enormitates quascunque, quæ ulla spirituali potestate, vel Ecclesiastica potestate, authoritate, aut iurisdictione legitime reformari, componi, corrigi, coerceri, vel emendari possunt, ad omnipotentis Dei beniplacitum, virtutis incrementum & pacis unitatisque huius regni conservationem. Hisce verbis statuti immediate subjicitur formula juramenti, quæ in Apologia pro juramento fidelitatis sic redditur. *Ego A. B. palam testor, & ex conscientia mea declaro, quod Majestas Regia unicus est supremus gubernator huius Regni, omniumque aliorum suæ maiestatis Dominiorum, ac territoriorum, tam in omnibus Spiritualibus, sive Ecclesiasticis rebus aut causis, quam in temporalibus, & quod nullus extraneus princeps, persona, prælatus, Status, aut potentatus, habet aut habere debet ullam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel authoritatem Ecclesiasticam, sive spiritualem infra hoc regnum: & proinde renuntio penitus, & rejicio omnes extraneas iurisdictiones, potestates, superioritates & authoritates: & promitto me deinceps fidem, & veram obedientiam Regiæ Maiestati eiusque Hæredibus, ac legitimis successoribus præstiturum: & pro virili mea adiuturum, ac propugnaturum omnes iurisdictiones, privilegia, præeminentias, & auctoritates Regiæ Maiestati, Hæredibus suis, ac successoribus concessas vel debitas, sive Imperiali huius Regni Coronæ unitas, & annexas. Ita me Deus adiuvet & per huius libri contenta.* Hæc verba in fine addita, quia tactis Evangelijs præstatur juramentum quod vocant corporale. Istud juramentum primatus, aliud est a juramento fidelitatis, quo premuntur pontificij. Sunt igitur verba præcedentia in statnto authentica explanatio verborum juramenti. In interdictis ceu iniunctionibus Elizabetha Regina profitetur administrationem Divinorum in Ecclesia à se alienam esse, neque ultra quicquam sibi vendicare, quàm quod Henricus 8. & Edward. 6. vindicarunt, & exercuerunt. Administrationem sacrorum ne quidem ipse Henricus 8. usurpavit. Immo puto Reges & puderet, & pigeret sacra peragere in Ecclesia. Sed præter sacrorum administrationem varia est & multiplex potestas in rebus Ecclesiasticis, ut supra vidimus. Verba statuti de jurisdictione, non de simplici functionum sacrarum administratione intelligenda esse quis dubitat? Præterea Henricus 8. anno 1534. consensu ordinum in Comitijs adeptus est titulum Supremi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ, honores, dignitates, præeminentias, jurisdictiones, authoritates, immunitates omnes, item emolumenta & privilegia ad eundem titulum ullo modo

Pag. 65.

ſpectantia, idque ut imperiali Diademati unita & annexa, item poteſtatem corrigendi & reformandi abuſus, enormitates, offenſas, aliaque quæ juriſdictione ulla Eccleſiaſtica coerceri vel reformari antea ſolebant, ut narrat Foxus in Martyrum monumentis. Quid ad hæc Calvinus in Amozi ſeptimum? *Qui tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ certe fuerunt homines inconſiderati. Dederunt enim illi ſummam rerum omnium poteſtatem; & hoc me graviter ſemper vulneravit. Erant enim blaſphemi, cum vocarent eum ſummum caput Eccleſiæ ſub Chriſto.* Sanderus affert Edward. 6. reſcriptum tale. *Edwardus Dei Gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex ſupremum in terris Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ tam in cauſis ſpiritualibus, quam temporalibus caput Reverendo Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo ſalutem. Quandoquidem omnis juris dicendi authoritas, atque etiam iuriſdictio omnimoda, tam illa quæ Eccleſiaſtica dicitur, quam ſecularis à Regia poteſtate velut à ſupremo capite manat, &c. Ad ordinandum igitur quoſcunque intra Diœceſin tuam Cantuarienſem, & ad omnes etiam ſacros & Preſbyteratus ordines promovendum, per preſentes ad beneplacitum noſtrum duraturas tibi damus poteſtatem.* Anno 1. eiuſdem Edwardi ſtatutum eſt, ut Epiſcopi in exercenda juriſdictione non ſuo nomine ſed Regio, literarum citatoriarum aliarumque authoritatem munirent, & ſolo diplomate Regio abſque conſenſu Decani & Capituli crearentur Epiſcopi. Statutum iſtud abrogatum anno primo Mariæ, Iacobi primo redintegratum eſt. Doctor Bancroftus qui tandem evectus eſt ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem in Concione habita ad Crucem Pauli anno 1589. & poſtea excuſa adſcribit Regiæ Majeſtati, non modo partem poteſtatis Papæ, ſed omnes honores, dignitates, præeminentias juriſdictiones, privilegia & emolumenta, quæ antea Papæ debita cenſebantur: & Reginam Minorem Papiſſam eſſe aſſerit. Noſter Bancroftus Iohannes Spottiſvodius pſeudo-Archiep. Andreapolitanus laturus ſententiam depoſitionis in quendam miniſtrum quod celebraſſet cœnam dominicam abſque geniculatione in percipienda Euchariſtia idem aſſeruit. Dico tibi N. Regem nunc Papam eſſe atque etiam fore. Poteſtas Regia in Eccleſia Anglicana vulgo dicitur poteſtas Eccleſiaſtica. Poteſt autem poteſtas Eccleſiaſtica dici vel ratione objecti, quia in perſonas, & res ſacras exercetur, vel ratione modi ſecundum quem verſatur circa res ſacras, & perſonas, quia nempe modo Eccleſiaſtico, non civili operatur circa res & perſonas ſacras. Vtrum vero poteſtas Regia ſit Eccleſiaſtica objective tantum, an etiam formaliter, ex ſuperioribus facile dignoſcere poſſumus, ſed facilius ex ſequentibus. Videamus igitur prius quæ ſint jura particularia primatus Regij.

Pag. 1029. edit. anno 1575.

De ſchiſmate Anglicano l. 2. pag. 227

Pag. 70.

Pag. 68.

Particulariter, conſtatque in iis, quæ vel Statuto

primum conceduntur, vel statuto restituuntur tanquam Coronæ Regiæ de jure debita. Statuto primum conceduntur, 1. Primitias sive Annatas post quamlibet vacationem 2 decimas omnium Ecclesiasticorum beneficiorum quotannis recipere.

Annatarum exactio à pontifice imperata primùm extraordinem, postea in ordinarium vectigal conversa, tandem in Concilio Basileensi damnata fuit. Posthabito tamen Concilij decreto passim obtinuit etiam in ipsa Gallia non obstante pragmatica Sanctione, saltem quoad beneficia maiora. Primitiæ ceu Annatæ sunt fructus unius anni à novo beneficiario exigendi. Decimæ papales primum institutæ ob bellum sacrum & expeditiones contra Saladinum, postéa in anniversarias servitutes Beneficiarijs impositas ob extirpationem hæreticorum aliaque graviora Ecclesiæ negotia conversæ sunt. Annatarum eadem origo & causa, quæ Decimarum papalium, nempe ut ijs ceu nervis belli Christiana acies orthodoxam fidem toto Oriente propugnaret. Papam ad exemplum Aaronis tanquam supremum Antistitem, & caput totius corporis Ecclesiastici, decimas nummarias pro rata beneficiorum æstimatione, vel, ut loquutur, taxatione, a beneficiarijs exigere posse, sicut illi ab alijs agrarias, asserit Rebuffus, Teste Bleyniano. Hæ Decimæ papales unitæ sunt, & in perpetuum annexæ imperiali diademati sub Henrico 8. *in augmentationem, & sustentationem imperialis coronæ, & dignitatis supremi capitis Ecclesiæ Anglicanæ* ut diserte dicitur in statuto Anno 34. Henr. 8. cap. 17. Sicut igitur prius Pontifici Romano pendebantur ut supremo capiti Ecclesiæ universæ, ita eodem nomine cæperunt pendi Regi Angliæ, nempe ut supremo capiti Ecclesiæ Anglicanæ. Sub Henrico 8. primùm constituta est Curia Annatarum & decimarum antea papalium, nunc Regalium.

Introduct. in praxim & Theoriam beneficiorum p. 70.

Rastallus titul. Primitiæ & Decimæ num. 6.

Statuto restituuntur, tanquam Coronæ Regiæ de jure debita. Eaque, vel a principe usitata in suis Dominijs, vel non usitata, nisi tum demum postquam Papalis usurpata authoritas ab Anglici imperij finibus prorsus exterminata fuerat. Semper a principe usitata in suis Dominijs, ut,

1. Iuspatronatus supremum vocatum *Patronage Paramont* ita ut ex lapsu temporis beneficiorum collatio ad, & non ultra Principem unquam devolvatur.

Præsentationes & collationes ordinarias, earumque devolutiones probare non possumus, revolutiones potius, id est, Ecclesiæ jus suum reddi postulamus. Totam enim præsentationum, pleni juris patronatus, collationum, resignationum & aliorum hujusmodi scelerum nundinationem à Satana profectam esse venerabilis Beza affirmare non non dubitat. Idem libro singulari de notis Ecclesiæ atrius ad-huc insurgit in hæc scelera. *Collationis inquit sive ordinariæ, sive devolutæ, quas vocant, & resignationis iura, ubi tandem, nisi in Satanæ coquina sunt excogitata, intrita, percolata, & tandem omnibus summis & infimis dementandis propinata.* Patroni præsentatio tollit Ecclesiæ libertatem in eligendis suis pastoribus. Quod idem jus ex lapsu quatuor aut sex mensium ad superiores jure caduci gradatim progrediendo devolveretur, & Ecclesiæ quasi postliminio non restitueretur, servitutem auget. Idem de collatione dicendum. Qui enim libera præeunte Ecclesiæ electione sacratur in ministerium, ipso facto haberet jus percipiendi fructus beneficij. Siquidem beneficium, id est jus percipiendi emolumenta temporalia, datur propter officium, id est, jus ministrandi spiritualia; & temporalia spiritualibus annexa sunt. Verùm sicut Plinius conquestus est suo sæculo ex gemmis confici vasa, in quibus aurum accessio esset, cum gemmæ vasis aureis accedere soleant, sic conqueritur Duarenus, *Quòd, id quod merito habebatur quondam primarium, nunc accessionis cujusdam locum vix obtinet.* Temporalia emolumenta spiritualibus rebus sunt annexa non antecedenter, sed consequenter, id est, ut effectus causam consequens, & non è converso: ideo maxime proprie illis connectuntur, & ad illa comparantur, sicut accessorium ad principale, eorumque naturam eò magis imitantur, idcirco totum illud, qnod ex utroque jure, spiritualia ministrandi, & temporalia percipiendi resultat, & est quasi moraliter unum, secundum usum hodiernum dicitur Ecclesiasticum beneficium. Beneficium igitur conferre est utrunque jus conferre, & ministrandi spiritualia, & percipiendi temporalia, inque beneficij collatione datur executio ordinis, & clavium in foro interiori. Diplomate Regio Beneficij erogatorio confertur presbytero potestas Parochi quam ante erogationem non habebat. Henricus Salcolbrigiensis ex legibus Anglicanis colligit, *non modò collationes Beneficiorum ad Angliæ Reges spectare, sed ad eosdem illos spectare, uti Ecclesiæ Anglicanæ Primates vel Supremos Ordinarios.* Inveterata consuetudine Reges Galliæ conferunt etiam Beneficia Episcopatu vacante, quæ ipse Episcopus vivus & superstes conferre debuisset. Hanc inveteratam consuetudinem legem Regaliorum sive jus Regaliæ barbarè vocant. Non quærimus quid de facto inolevit, sive vacante Episcopatu, ut in Gallia, sive per devolutionem ex lapsu temporis ut in Anglia, ex ponti-

In confess. fidei cap. 35. p. 136.

De sacris Ecclesiæ Ministerij & beneficijs lib. 2. cap. 3.

Becanc-baculus p. 150 151.

Pontificum Romanorum vel Episcoporum negligentia, conniventia, adulatione aut fœdis cum Regibus pactis, sed quid de jure fieri debeat.

2 Redditus vacantium Episcopatuum percipere ad usum proprium.

Hoc caput alterum est juris illius quod in Gallia jus Regaliæ vocant. Istud jus ortum est ex veteri clientelarum & feudorum jure, eaque affinitate quam prœdia & possessiones prælatorum cum militaribus & profanis feudis habent. Nam sicut militaria beneficia caduca fiunt ultimi clientis obitu, sic sede vacante sive per obitum, sive translationem Episcopi, sive alijs modis, constituunt Reges Oeconomos, quorum ministerio proventus caducarios vacantis Episcopatus percipiunt.

3 Facultatem Episcopi eligendi concedere. 4. Nominare Capitulo idoneum ad Episcopatum quem eligant. 5. Electo Regium assensum adhibere.

Facultas eligendi pastores tradita est Ecclesiæ; si facultas, etiam facultatis exercitium, quod absolute non pendet à principum arbitrio. Alioquin frustra data esset facultas, quam absque alia insuper facultate in actum nunquam producere posset. Sic enim à principum arbitrio penderet, prædicandum sit, necne Evangelium. Primis 300. annis, cum summi Cæsares erant Christianæ fidei hostes infensissimi, Ecclesiæ elegerunt suos pastores. Dicent forte palpones aulici quod alia sit ratio Ethnici, alia Christiani Magistratus. Sed quid si Magistratus nomine Christianus, facultatem concedere renuerit? *Idem iuris est de eo quod non est, & quod non apparet*. Rectè eruditus & Magnus Iunius in Ecclesiaste suo. *Tertium mutationis genus memoria nostra inolevit, dum ij qui eversa Papæ, ut vocant, tyrannide procurant Ecclesiarum instaurationem, ius illud Ecclesiasticum institutionis, & ordinationis restitui non curarunt Ecclesijs, sed omnia committunt fidei Magistratus, & ab eo in rebus Ecclesiæ utramque paginam faciendam putant, idque hoc nomine, quod Christianus Magistratus*. Præterea facultas ista non manat à principe quatenus est Christianus. Nam dicitur ista potestas Coronæ Regiæ de jure debita. Sive igitur sit Ethnicus sive Christianus, sive mas sive fœmina, sive vir sive puer, eadem est potestas, dum modo sit Coronæ possessor. *Lib. 3. cap. 2.*

Facultate eligendi concessa per diploma Regium, una cum diplomate mittitur Epistola ad Decanum & Capitulum inscripto nomine eligendi, quem secundum statuta ante diem vicesimum eligere tenentur, alioquin ad Metropolitanum electio devolvitur

devolvitur. De imaginaria ista electione, & Regia nominatione sic Piacesius. *Reges & Principes iure patronatus prætenso nominant pro libitu eligendum, & capitulum super huiusmodi persona nominata, fingit electionis suæ processum, libera electione vix alicubi reliqua.* Electio pastorum non ligata, sed libera esse debet, non positiva, sed comparativa: *Is eligendus in sacerdotium*, ait Origenes, *qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior.* Gregorius in Bulla 1591. Mai. 1. *Si in quibusuis Ecclesiæ gradibus, & ministris curandum est tales eligi, qui religione, & sanctitate fideles ædificent, multo certe magis elaborandum est, ne in eius electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tanquam servo fideli & prudenti, totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei observantiam, aliorum forma esse debet, cum certum sit gregis salutem magnopere pendere ex boni pastoris præstanti vita, & doctrina.* In Ecclesia prima primitiva, id est Apostolica, electio tum pastorum tum aliorum ministrorum Ecclesię, erat penes Ecclesiam Act. 1.23. Act. 6.5. Act. 14.23. Et collectis viritim suffragijs electi erant legati ad eleemosynas perferendas ad exteras Ecclesias, nedum illi qui ad graviora & sacratiora munera destinabantur, 2. Cor. 8.19. In Ecclesia ætatem Apostolorum subsequuta electio erat penes clerum & populum. Cyprianus. *Ipsa plebs maxime potestatem habet, vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi.* Leo pontifex Romanus. *Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus ab omnibus eligatur.* Carolus magnus & Ludovicus filius in suis capitularibus hanc fuisse primitivam electionum formam testantur. *Sacrorum Canonum non ignari ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum Ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri, & populi, secundum statuta Canonum, de propria Diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbis sibi subiectis usquequaque prodesse valeant.* Verba habentur in Gratiani Decreto. De suffragijs electione, reiectione, decreto, & consensu plebis, qui Canonum & exemplorum congeriem desiderat, adeat Spalatensem. Agnoscit Billsonus, sed simul asserit merito mutatam esse istam electionis formam, opponitque populo imperito unius principis peritiam. Quem quæso dabunt nobis principem, qui peritior sit omnibus civibus civitatis in discernendis donis pastorum? Aut quis ille, qui omnibus honoratis & primarijs Diœceseos civibus ex nobilium, vel equestri ordine, judicibus, magistratibus, jurisperitis, alijsque viris eruditis eruditior, aut in discernendo spiritus sagacior sit. Nam unius civitatis cives hoc negotium curare soli non debent, sed Diœcesani omnes per se, aut per legatos suos. Quod omnes tangit ab omnibus curari debet.

Deinde,

Praxis in episcopal. in procemio.

In Levit. hom. 6.

Vide Piacesium in prax: episcopali. p. 3.

Lib. 1. epist. 4. epist. 89.

Dist. 63. c. 34. sacrorum canonum.

De rep. ecclesiast. l. 3. c. 3.

De gubern. eccles. cap. 15

Deinde, quæro, num princeps peritior sit etiam clero civitatis. nam & clero erant suæ partes, & quidem præcipuæ in electionibus. Quid dico, clero civitatis, dicerem totius Diœceseos. *Non enim definivit jus divinum ut hi potius quam illi ex clericis eligerent*, inquit Bellarminus. Tertiò quæro, an princeps sit peritior, omnibus Episcopis comprovincialibus, nam illi etiam intererant electionibus Episcoporum. Denique potestas ista unita est Coronæ Regiæ, & principi etiam Ethnico hac ratione debita. Objicit deinde Bilsonus tumultus, populares, & schismata à populo sæpius concitata fuisse in electionib⁹, & propterea jus populi ad principem meritò translatum fuisse. Sic argumentanti nulla erit libera Magistratuum electio in civitatibus, quia in ijs eligendis cædes, & turbæ populares sæpius ortæ sunt. Pij principis est coercere tumultus, non tollere libertates, curare, ut omnia fiant ordine & decenter, non obtrudere pastores invito gregi. *Nullus ordo tam prudens & commodus inter homines instituitur, quin adnascantur brevi incommoda. Secundo de incommodis prudenter curandis, non de re sancta mutanda temere, sapientes videre oportuit*, inquit Iunius. Possunt Pastores plebem dirigere, ad pacem placidis monitis revocare : & Magistratus potest in ordinem cogere. Potest illa vice plebs libertate sua mulctari, devolvendo electionem ad majorem conventum Ecclesiasticum. Possunt & alia media in hujus mali remedium excogitari. Sed quòd libertas, quam Christus sponsus Ecclesiæ sponsæ suæ tradidit, omnino tolleretur, sacrilegium est, rapina est. Præterea, non populus, sed Episcopi ipsi factiones, & schismata ista concitarunt. Nazianzenus indicat perpetuam proedriam & philarchiam Episcoporum, schismatum, & turbarum occasionem fuisse. *Propter hanc*, inquit, *res omnes nostræ iactantur & concutiuntur, propter hanc fines orbis terræ versantur in suspitione, & bello, eoque surdo, & ne nomen quidem habente : propter hanc periculum est, ne magnum illud & novum nomen amittamus. Vtinam neque esset præsidentia, neque loci prælatio, neque violenta præeminentia, ut ex sola virtute agnoscerentur. Nunc autem dextrum hoc latus & sinistrum, & sublimior et inferior sedes, & illa præeundi, vel eodem gradu incedendi invecta consuetudo, multas nobis clades, nequicquam intulerunt.* Ammianus Marcellinus idipsum observavit. *Damasus & Vrsatius supra modum ad rapiendum Episcopalem sedem ardentes scissis studijs acerrime conflictabantur adusque mortis vulnerumque discrimina adiumentis utriusque progressis.— Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere, cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas, &c. Qua fide igitur obsecro*, inquit

De clericis cap. 3.

De clericis ca. 7. not. 23.

I Orat. post reditum in vrbem.

Lib. 27.

De cleric. ca. 7. n. 28. De rep. eccle-siast. l. 3. c. 3. n. 53.

Iunius, *in miseram plebem homines incendiarij crimen incendij, perfidiæque suæ intorqueant. Verum quidem est*, (inquit Spalatensis) *plebem esse bestiam multorum capitum, & ad seditiones paratissimam: sed hoc vitium circa electiones hasce plebi fideli innatum non est: quæ non minus nunc quam olim moderatione gravis esset in electionibus, ac publicæ utilitatis studiosissima, si Episcopi essent, qui olim in pura Ecclesia fuerunt, & Episcopatus omnis esset non honor, neque occasio superbiendi: ac superciliosus fastus esset ab Episcopis nostris, ut olim remotissimus. Sic enim sæpe fortasse vi etiam adhibita à plebe essent idonei ad Episcopatum, vel inviti, ut olim trahendi & cogendi. Postquam vero res inversa est, & Episcopatus cœpit plerisque in locis, ac præsertim in nostris Ecclesijs esse mundanus fastus, certatimque potentes ambitione stimulante, ad illum animum adiecerunt, malis artib. plebem corruperunt, & ad seditiones incenderunt. Reducatur Episcopatus ad suum verum statum, & moderatissimam, ut prius, in suis electionibus, plebem experiemur.* Si Patriarchæ & Metropolitani magnitudine urbium despecta ad imitationem quorundam Antistitum provincialium vixissent, ut loquitur Marcellinus, pastoribus populum docentibus & ducentibus, rarò ac ne vix quidem ulla orta essent schismata. Laudat Bilsonus Ecclesiæ Dei eximiam prudentiam in eo, quod populi consensum in Episcoporum suorum electionibus non admiserit solùm, sed etiam rogaverit. *Tot & tanta eius commoda* (inquit) *in historijs Ecclesiasticis testata invenio. Inde enim evenit, ut populus voti sui compos, pastores suos placatè exciperet, libenter sustentaret, diligenter audiret, & ex animo diligeret imò vitam fortunasque omnes periculo potius exponeret, quàm illi in discrimen venirent.* An non ista, quæ enumerantur, commoda, sunt æquitatis perpetuæ? Cur igitur Ecclesijs obtruduntur qui principatum potius gerant, quam ministerium obeant. Postquam desijt libera electio, desierunt sacerdotes aurei, & pseudo-Episcopi, vel Papismum, vel Epicureismum invexerunt. Vnde tot fungi, asini, stipites, tot aleones, tot porci, imo apri sylvestres emissi in vineam Domini, nisi ex aulis Regum, & Pontificum Romanorum. Quid dixi à Regum arbitrio pendere Episcoporum electionem, veriùs dixissem ab aulicorum. Qui primarium aliquem aulicum muneribus corruperint, blanditijs, obsequijs & officiorum omnium assentationibus alios superaverint, his in isto ambitus certamine palma, braviumque decerni solet; Hi belli duces, & castrorum præfecti designandi sunt. Sed quid immoror in ista nominatione Regia, & imaginaria Capituli electione, cum absque ulla vel umbratili electione potest Princeps per se Episcopum nominare, & eligere, ut supra diximus in statuto Edward. 6. redintegrato Iacobi primo, & efficiet, quando libitum fuerit. *Vbi ille Canon*, inquit Athanasius, *ut à palatio mittatur is qui futurus est Episcopus?*

De gubern. eccles. cap. 15 p. 417.

Epistol ad solitariam vitam agentes.

Quod

Quòd ad ratihabitionem electionis, si necessaria, eòdem recidit, quò antecedens electionem facultas eligendi. Quid si opportunè, & importunè rogatus, sit tamen inexorabilis, an irrita semper erit electio. Videtur certè mihi multò deterior Ecclesiarum in eligendis pastoribus, quam civitatum in eligendis Magistratib. conditio: & cur in pari causa impar esset ius, non video. Imperatores quandoque Patriarcharum electionibus se immiscuerunt, & contra Canones electionis legitimam formam, reluctantibus multis quandoque immutarunt, non tamen Episcoporum inferiorum electiones, aut ad Episcopatus præsentationes sibi obnoxias reddiderunt, donec omnia in deterius vergerent, Magistratus quidem minores, ut civitatum, in electionibus unà cum populo interfuisse & concedimus & laudamus. Quid Carolus & Ludovicus ejus filius statuerint, supra vidimus. Cum Episcopi Regum feudatarij & vasalli evaserunt, libertatem electionis vendiderunt. *Sicut feudo vacanti Ligius dominus, à quo pendet, Vasallum pro animi sui arbitrio ac electione sufficit, non secus quam Domini famulos sibi deligere solent,* inquit Gentiletus. Exam. Concil. Trident. p. 125.

6. Iusiurandum homagij ab Episcopo recipere.

Istud jusjurandum ex feudorum jure etiam ortum est, quorum ratione Episcopi instar aliorum feudatariorum Imperatorem ut Dominum recognoscebant, cui se sacramento fidelitatis & homagij, vel (ut concinniore vocabulo utar) hominij obstrinxerunt. Fridericus primus ad Papam Adrianum sic scribit. *Ab Episcopis,* inquit, *qui Regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus. Aut igitur regalia nostra nobis dimittant, aut quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari persolvant.* Idem Imperator Episcopos Bremensem & Halberstatensem feudis exuit, quòd ipsum in Italiam proficiscentem comitati non essent. Vt igitur prædia & possessiones, ac Regalia, civitates & oppida cum jurisdictione temporali sibi compararent Ecclesiastici, sæcularibus negotijs se implicarunt. *Effecit Clericorum avaritia,* inquit Gentiletus, *ut maluerint divitijs augeri addicentes se obsequio, & servituti, quam mediocres fortunas possidendo, & electionum Ecclesiasticarum libertatem, & à clientelari servitute immunitatem retinere.* Exam. p. 125 Videmus igitur Episcopos, non tam inservire Ecclesiæ ut ministros, quam regibus ut clientes & vasallos, regum servos, Ecclesiarum Dominos, utrosque ex pacto sacra munera prophanantes, & Ecclesiarum libertatem tollentes. Gratianus in Decreto, ait quosdam Episcopos Levitica tantum portione contentos, de primitijs & decimis vivere, temporalia penitus abjicere, ne earum occasione sæcularis militiæ occupatione, alijsque obsequijs obnoxij tenerentur. Caus. 23. quæst. 8. *Porro alij sunt,* inquit, *qui non contenti decimis & primitijs prædia & villas & castella, & civitates*

possident. Glossa in hunc locum. *Dicit quod Episcopi qui feudum non habent à principibus, sed vivunt tantum de primitijs, decimis & oblationibus sæculari militia occupari non debent: alij vero, qui à principibus feuda retinent, principibus servire tenentur, nisi ab illis à quibus feuda tenent super hujusmodi promeruerint immunitatem*. Ex isto Gratiani loco ostendit Spalatensis, Prælatos Ecclesiasticos ratione Regalium teneri & militare pro Rege, & ei tributa solvere. Debet igitur in medio Ecclesiæ predicare Evangelium, & alia tuba bellum indicere militibus. De oneribus feudorum realibus nihil dicimus sed oneribus personalibus, præsertim armatæ militiæ, obstringere se non debet Episcopus, magis quam presbyter, & regalia dimittere potius tenetur, quam mancipare se obsequijs, quæ à muneris Pastoralis exercitio avocarent. Neque est in principibus pietas, sed prophanitas, temporalia & regalia hac lege donare Ecclesię vel donata in hunc usum convertere, ut sic Ecclesiæ libertatem in electionibus tollant, & pastores vasallos constituant. Interim generale juramentum fidelitatis quod omnes subditi præstare debent, non damnatus. Sed istud jusiurandum non ut cives Regni Regi, sed ut vasalli ceu clientes Domino Ligio præstant prælati. Non alia debet esse conditio beneficij majoris, quam minoris. Ratione Regalium & possessionum temporalium ortæ sunt investituræ per baculum seu ferulam, & annulum, quibus Imperatores declarabant assensum suum, & electo temporalia consignabant. Sed hæc omnia posterioribus sæculis nata sunt.

De repub. Eccles. lib. 6. c. 7. num. 90.

7 Personas Ecclesiasticas quaslibet, ob maleficia contra pacem regni, & dignitatem Regiam perpetrata coram judice civili sistere, & condemnare. 8. Ecclesiasticis judicibus mandare, ut supersedeant civilis fori negotia coram se agitare.

Non usitata, nisi tum demûm postquam Papalis usurpata authoritas ab Anglici Imperij finibus prorsus exterminata fuerat. Eaque vel concernunt 1. Appellationes. 2. Canones. 3. Beneficia.

1. Concernunt Appellationes ad instantiam alicujus partis interpositas, eò quod, ultima appellatio sit ad principem, & non ultra regnum. 2. Dat judices delegatos per Cancellarium Angliæ sub Magno sigillo, qui de causa statuant.

Si de causa aliqua lis inchoata fuerit coram Archidiacono, aut ejus Officiali, appellatio fit ad Episcopum Diœceseos: si coram Episcopo ejusve Commissario, ad Archiepiscopum: si coram Archiepiscopi Archidiacono, ad curiam, quam vocant, de Arcubus (ubi Decanus de Arcubus ad omnium in provincia appellationes rescribit) & à curia ista defertur causa ad Archiepiscopum, per statutum 24. Henrici 8. ab Archiepiscopo ad Curiam Cancellariæ per statutum 25. Henr. 8. Delata ad curiam Cancellariæ causa, sub magno sigillo constituuntur judices delegati, qui litem, & causam definiant, a quibus Commissarijs non licebit ulterius provocare. Causæ, quæ per subordinatas appellationes deferri possunt, sunt omnes omnino causæ Ecclesiasticæ, non modo abusive sic dictæ, ut matrimoniales, aut testamentariæ, sed etiam proprie dictæ: non modo, insultatio in altare, poculi mystici confractio, mensæ sacræ eversio, manus demortuæ usus ad præstigias, & similia, quæ Mucketus enumerat; sed etiam hæresis, simonia, idololatria, error in articulis religionis: omnes denique causæ & lites in quibus olim appellatio ad Papam, deferuntur per appellationem ad principem, & non ultra. Et ubi in locis exemptis immediate deferebatur olim appellatio ad Papam, defertur immediate ad principem in curia Cancellariæ, per idem statutum 25. Henr. 8. 1. Elizab. Non licet igitur provocare ad Concilium Oecumenicum vel generale Ecclesiarum reformatarum, nam utra regnum provocare non licet. Neque ulla hic datur intermedia appellatio ad Synodum Diœcesanam, aut Concilium Provinciale, sed progressus semper fit ab unico ad unicum.

Rastal. titulo Appellat. 1. Rastal. titulo Roma 1.

Rastal. ibid.

2 Concernunt Canones sive leges Ecclesiasticas, vel ferendas, vel administrandas, vel relaxandas. Ferendas eo quod,

1. Princeps novas leges condere potest circa ceremonias & ritus cum consilio in ea parte, vel Commissariorum suorum in causis Ecclesiasticis, vel Metropolitani.

Rex Propheticus David non nisi per spiritum informatus, & à manu Iehovæ ipsi incumbente instructus structuram templi, distributiones Sacerdotum & Levitarum Schelomoni tradidit 1. Chron. 24. 12. *Restituit autem* (Iechizkijah) *Levitas in domo Iehovæ cum cymbalis, cum nablijs, & cum citharis ex præcepto Davidis, & Gadis videntis Regij, & Nathanis prophetæ: Nam à Iehova præceptum illud erat per prophetas, 2. Chron. 29. 25.* Non instituit Rex Ezekias,

sed

ſed ſolum reſtituit, quod David, & Rex & Propheta inſtituit. Nec inſtituit David, quamvis Propheta aliquid novi, niſi præcipiente Iehova per Prophetas. Non habemus Reges Davidicos, nec Metropolitanos videntes. Vtinam cæci non eſſent, vel avaritia, ambitione, & ſplendore aulico non occæcarentur. Ad ordinarios Eccleſiæ conventus igitur recurramus, & ſacram ſcripturam, à cujus exemplari ne latum qnidem unguem recedere liceat, non vel in loramentis aulæorum aut paxillis, aut anſulis æreis fabricandis. Sunt in ſacris tabulis leges generales Eccleſiæ traditæ, quarum norma ipſa Eccleſia dirigitur ad res natura ſua adiaphoras pro circumſtantiarum varietate ad uſum conformandas, ut omnia fiant ordine, & decenter, & ad Dei gloriam Eccleſiæque ædificationem. Nam quæ ſunt natura ſua adiaphora, niſi commode ad uſum applicentur remoram injiciunt ædificationi ordinem divinum conturbant, ac fiunt illicita. Adiaphora vt ſic, id eſt, ſalva & manente indifferentiâ ſunt inutilia, & otioſa: ad uſum aliquem accomodata, fiunt utilia, vel inutilia. Oportet priùs præcedere quæſtionem an ſint adiaphora necne, de quibus feruntur leges, prius quam de ipſorum uſu diſcepetur. Deinde uſus ſecundum Canonnm generalium ſacræ ſcripturæ normam dirigendus eſt. De uſu politico judicent politici, de Eccleſiaſtico Eccleſiaſtici in conventibus Eccleſiaſticis. Præterea non ſunt omnes ritus, & ceremoniæ res natura ſua adiaphoræ, & poſſunt leges ferri de ritibus & ceremonijs nullatenus adiaphoris. Cum examinaretur Barrous, dixerunt Epiſcopi Anglicani Regiam Majeſtatem poſſe comminiſci & inſtituere, quamlibet politiæ Eccleſiaſticæ formam vi ſui Primatus in cauſis Eccleſiaſticis, teſte authore Petitionis ad Reginam. *Denique quo tandem iure*, inquit Beza epiſt. ad Grindallum Epiſcopum Londinenſem, *ſive Dei verbum ſive veteres omnes Canones ſpectes, civili Magiſtratui per ſe liceat, conſtitutis jam Eccleſijs novos aliquos ritus ſuperinducere, aut veteres abrogare, vel Epiſcopis abſque presbyterij ſui judicio & voluntate quicquam novi ordinare fas ſit, ego quidem nondum didici. Quoniam autem has duas peſtes, Epiſcoporum videlicet ſuperiorum turpes, & ambitioſas adulationes, ſuorum principum partim virtutibus abutentium, partim etiam vitÿs ſervientium, Eccleſiam Chriſtianam perdidiſſe video, donec eò redacta res eſt, ut Metropolitanorum Occidentis potentiſſimus juſto Dei iudicio & Magiſtratus & Epiſcopos punientis, divina humanaque ad ſe raperet, fateor me totum cohorreſcere, quoties de iſtis cogito, & eaſdem, aut etiam acerbiores pœnas pleriſque populis initio evangelium amplexis, à quo nunc ſenſim deficiunt, imminere proſpicio.* Poteſt igitur princeps cum per paucis Commiſſarijs, ſive Metropolitano, ſuperſtitioſos, & ridiculos ritus invehere, & externum Dei cultum, externamque politiæ Eccleſiaſticæ faciem deturpare.

Pag. 76.

2 Synodus

2 Synodus Provincialis vel Nationalis convocari non debet absque principis rescripto ad Metropolitanos directo.

Principem posse Synodos convocare, absit ut negemus. Habet etiam, & Ecclesia eandem potestatem. *Si duo ex vobis consenserint*, item, *ubi duo vel tres coacti fuerint in nomine meo*, inquit Christus, *ibi ero in medio ipsorum, Matth.* 18. 19. 20. Ex his verbis colligunt etiam Hierarchici Synodorum authoritatem, argumentando à minori ad majus. At convocari & convenire in unum cœtum dicet aliquis esse actum humanum. Convenire in unum cœtum est actus humanus, si ad civilia politicus, si ad pia exercitia & in nomine Christi est humanus, sed Ecclesiasticus & sanctus; & proinde cœtus piorum sæpius in veteri testamento dicitur, *Convocatio sancta*. Commissio potestatis est à Christo, permissio à Principe. Collatio potestatis a Christo traditæ non tollitur accessione Magistratus Christiani. Non quidem temere tentandum est exercitium potestatis collatæ inconsulto Magistratu, vel absque legum authoritate. Sed si grassantur hæreses, multiplicentur lites, populum Christianum schismata & factiones discindunt, Ecclesia schismatum, errorum, scelerum fluctibus prope obruta videtur, & pertinaciter negaverit assensum, non cunctandum est, non cessandum ab officio nostro, & cum periculo periclitandum est remedium per Synodum. Non hæc illa ratio fuit qua Constantinus Ecclesias, fovebat olim, sed qua Licinius & alij easdem evertere studebant. Non debet deterior esse Ecclesiæ conditio sub Christiano Magistratu, quam sub Ethnico, nec minui, sed augeri libertas Ecclesiastica. Quod confertur Ecclesiæ, non transfertur in Principem Christianum, sed tantum corrobatur. Potestas Principis est *Cumulativa* non *privativa*. Potest igitur ipse convocare, potest potestatem collatam Ecclesiæ approbare, sed potestate collata, ejusve exercitio privare non potest. Sunt igitur diversæ potestates, non tamen divisæ, nisi quando Magistratus se diviserit ab Ecclesia. D. Fildus Hierarchicorum eruditissimus asserit in Ecclesia esse potestatem cogendi Concilia, & deliberandi de ijs quæ ad Ecclesiæ commodum & salutem spectant, etsi non faveant Principes Mundani, neque auxiliatricem dextram porrigant; item Episcopos, Primates & Metropolitanos habere authoritatem cogendi synodos, eamque non adeo pendentem à principum potestate, quin eandem exercere possint absque eorum consensu & conscientia, cum sunt hostes fidei. At in tabulis hæc potestas dicitur unita Coronæ Regiæ, & proinde pendere à principe, quamvis sit Ethnicus. Præterea non absolutè & simpliciter pendere à Christiano magistratu ostendimus. Tertiò, si Primates, & Metropolitani

De Ecclesia lib. 5. p. 407.

potestatem

potestatem non habent convocandi nationalia & provincialia concilia, nisi pendentem absolute à Christiano Magistratu, præcipuam muneris sui partem pendentem habent, & proinde non est opera eorum necessaria in Ecclesia, ut postea suo loco ostendemus. Potest enim Princeps concilium convocaturus ad alium quam Metropolitanum rescriptum dirigere. *Non defendimus*, inquit Spalatensis, *ita hoc jus convocandi concilia ad Principes pertinere, ut nullo modo possunt prælati Ecclesiastici vel mutuo consensu in unum convenire, vel Metropolitani, Primatis, aut Patriarchæ authoritate convocari.* Quod addit, ex causa suspicionis posse impedire, ne coeant ipsis inconsultis, admittimus. Consulantur suspicione solliciti, metu suspensi: expurgentur omnes suspicionis latebræ, mittantur legati, aut Corycæi. Alioquin facillimum semper erit causas fingere. *Certe ratio ipsa suadet*, inquit ibidem Spalatensis, *indictionem & convocationem nihil aut addere, aut demere authoritatis ipsis concilijs, quia etiamsi casu convenirent in unum multi Episcopi ceu occasione aliqua absque intentione Concilij, quid prohibet, quò minus res etiam Ecclesiasticas tractare possent, & definire. Vbicunque enim duo vel tres fuerint in nomine Christi congregati (non dicit convocati) in medio eorum est ipse Christus. In nomine vero Christi dicuntur congregati, qui ad ea quæ sunt Christi tranda convenerunt.*

De rep. Eccles. lib. 5. c. 5. num. 89.

3 Nec tractari nec determinari aliquid possit in Synodo nisi consulto prius, & assentiente principe.

Quid si rogatus, præfractus tamen maneat, & animum obfirmaverit, an in casu necessitatis cessabunt. Data est Ecclesiæ potestas non modo convocandi, sed etiam definiendi & determinandi, quâ potestate privare non potest. Eædem rationes hîc militant quæ in precedenti articulo. Et ista potestas dicitur etiam unita Coronæ Regiæ, ac proinde competere etiam Principi Ethnico, absque cuius venia, & assensu, nihil decerni potest.

4 Nihil habet vim legis, priusquam Regius assensus fuerit adhibitus, ijs quæ Synodus decernenda censuerit.

Si iste sit sensus, quod subditi ad obedientiam cogi non possunt pœnis temporalibus absque legum civilium sanctione, amplectimur. Sin vero iste sit sensus, quòd nihil habebit vim canonis absque principis assensu, nec posse Ecclesiam in delinquentes exercere jurisdictionem spiritualem per censuras Ecclesiasticas, nulla æquitate subsistere videtur. Et contra hunc sensum militant dictæ rationes. Hic tamen videtur esse Hierarchicorum sensus.

Quis

Quis enim est, inquit Bilsonus, *qui Synodorum frequentiam coarctat & refrenat, aut potestatem ijs canones condendi & causas Ecclesiasticas definiendi adimit? Metropolitanus, an Princeps?* Ibidem. *Alioquin nullum ex se in regno ubi Christianus rerum potitur, decreta ferendi potestatem habent*, nempe Synodi, *nec ius audiendi componendique controversias in Ecclesia, nolente, aut non permittente principe sibi vendicare possunt.* De gubern. eccles. cap. 16 p. 459.

2 Concernunt Canones sive leges Ecclesiasticas administrandas & exequendas eo quod princeps potest,

1 Visitare statum Ecclesiasticum, & eorum personas.

2 Reformare, & in ordinem redigere, & animadvertere in eos, nec non in cujusvis generis Hæreses, schismata, errores, abusus, maleficia, contemptus, enormitates quorumcunque.

3 Assignare, nominare, & authoritatem dare, quandocunque & quandiu sibi placuerit, hujusmodi indigenis subditis, quos idoneos censuerit, Ad exercendum & exequendum jurisdictiones, privilegia, præeminentias quaslibet concernentes jurisdictionem Ecclesiasticam, Ad visitandum, Ad reformandum corrigendum & emendandum quoscunque excessus vel defectus, qui quavis potestate authoritate, jurisdictione Ecclesiastica potuerunt reformari, in ordinem redigi, emendari, reprimi.

Potestas Principis in visitando statum Ecclesiasticum, & hæreses, errores, & abusus reformando & corrigendo maxima ex parte relucet in potestate delegata ad visitandum, reformandum, & corrigendum. Possunt delegati judices judicare in causa hæreseos, & spirituales censuras decernere. Potest igitur & Princeps eandem per se potestatem exercere. *Auctoritas est ipsius Regis, exercitium demandatur alijs*, inquit Mucketus. Princeps constituit delegatos judices per Cancellarium, non solum ad dirimendas lites ab inferioribus Curijs ad supremum ejus judicium delatas per appellationem, sed etiam absque omni appellationum interstitio. De Politia c. 3. p. 304.

imò & nulla inchoata lite in Curijs Ecclesiasticis constituit judices ad exercendum omnimodam jurisdictionem, ad corrigendum, reformandum & emendandum errores, schismata, & abusus. Delegati vocantur *Regis Commissarij Ecclesiastici*, eorumque potestas, *Commissio jurisdictionis in causis Ecclesiasticis*.

Solet Princeps constituere plures Commissarios, partim sæculares, partim Ecclesiasticos, ut Archiepiscopos, & alios quos deligit Episcopos, Decanos, Archidiaconos, Doctores juris, Secretioris Senatus Senatores, summos judices, magistros supplicum libellorum, quandoque Senatores Londinenses, præfectum turris, præfectum Angariorum, & similes. Non necesse est tamen, ut omnes Commissarij è varijs patriæ locis delecti. & Catalogo Diplomatis Regij inscripti, numero forte quadraginta aut quinquaginta intersint, & constituant plenarium consessum. Nam unus Archiepiscopus una cum duobus aut tribus alijs, sive sæcularibus, sive Ecclesiasticis, sive partim sæcularibus, partim Ecclesiasticis in quavis causa decernere potest, cæteris ne quidem præmonitis, aut citatis. Si adulter aut maleficus aliquis alius plectendus, qui facile castigari poterat in Curijs inferioribus, monentur forte Senatores, aut alij viri graves, ut intersint. Sed si pij, & probi ceremonias, & reliquias papatus fastidientes, examinandi & ad conformitatem cogendi, non monentur, ne forte commoveantur piorum querelis, & mysteria regni Episcopalis perspiciant, ut refert Barrous. Potest Princeps hujus authoritatis exercitium uni tantum demandare, modò sit indigena, sive sit sæcularis, sive Ecclesiasticus, ut testantur gravamina exhibita in Comitijs ordinum anno 1610. & ex statuto colligi, potest. Potest igitur virtute statuti pontificium aliquem aut aulicum constituere judicem in omnibus causis Ecclesiasticis.

Detectione p. 252.

Possunt dicti tres Commissarij (quorum Archiepiscopus semper unus, & sine quo cæteri nihil possunt (nisi libitum fuerit principi novo Diplomate eandem potestatem transferre in alium) inquirere in hæreses, errores, enormitates, schismata, quæ Ecclesiasticis legibus legitime reformari poterant secundum statutum 1. Elizab. cap. 1. & in omnes omnino offensas contra statuta 1. Elizab. cap. 2. & 5. Elizab. cap. 1. & 13. Elizab. cap. 12. & 35. Elizabethæ cap. 1. & 1. Iacob. Item in libellos famosos, conciliabula, libros editos contra tyrannidem Episcoporum.

Possunt isti tres, nempe Archiepiscopus, & forte præfectus Capitolinus, & præfectus Angariorum, quemvis ebrium Apparitorem authoritate munire ad effringendum Musæola, scrinia, arculas, conclavia cujuslibet civis regni & ad perscrutandum, an clam apud se habeant libros Cartwrighti, Fenneri, Vdalli, Traversi, Parkeri, aliorumq; de disciplina & reformatione Ecclesiæ, aut scripta edita,

edita, aut edenda contra tetram Episcoporum dominationem, prelatorum excessus, aut defectus, aliasve corruptelas Ecclesiæ Anglicanæ, ac si esset inquisitio in crimen læsæ majestatis, & ad diripiendum pro libitu.

Possunt dicti tres, si vel levissima orta fuerit suspicio, vel ipsi causas finxerint, quemvis quovis munere fungentem sacro aut civili, quovis anni tempore, etiam arationis & messis, ex quavis regni regione etiam remotissima, per apparitorem citare ob levissimam quamvis offensiunculam, ut omissam crucem in baptismo, aut geniculationem in percipienda Eucharistia, aut quòd clanculum quædam effutijt in Ecclesiasticorum Simoniam, Luxum, aut alias enormitates.

Possunt dicti tres Commissarij comparentem adigere ad præstandum iuramentum illud superstitiosum, quod corporale vocant, manu, aut tribus digitis tactis Evangelijs, per Deum & ea quæ in Evangelijs comprehenduntur, se veraciter responsurum ad ipsorum interrogata, accusatore, aut accusationis articulis nondum proditis, idque non solum in causis matrimonialibus & testamentarijs, sed etiam in pœnalib⁹, quorum pœna est bonorum publicatio, aut gravior animadversio. Et quidem quandoque, cum testibus vel indicijs certis reus revinci potest. Trajanus, etsi Christianæ fidei hostis, sic tamen rescribit Plinio secundo. *Sine authore certo propositi libelli, nulla crimina locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est.* Dixit Dominus adulteræ, Iohan. 8. 10. *Mulier, ubi sunt tui accusatores.* Ius naturale docet neminem teneri prodere seipsum. Nam natura est sui ipsius conservatrix. Lege Mosaica, *Ex sermone duorum aut trium testium stata res omnis*, Deut. 19. 15. Alexander 2. Raynoldo Episcopo Cumano de Guilando presbytero nece Episcopi gravato, sic scribit. *Si certi accusatores defuerint, tunc dictante iustitia, sine omni controversia presbyter quæcunque ob hæc injuste amisit, & sacerdotium accipiat, & integra beneficia.* Concilium Bracarense 2. sic statuit. *Si quis aliquem Clericorum in accusatione fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli duo vel tria testimonia requirantur ab illo. Quod si non potuerit datis testimonijs, probare quod dixit, excommunicationem accusati, accusator accipiat.* Accusatorem requirit Iustinianus, ut accusatus referre possit juramentum. *Non enim debet respuere in persona propria, quod placuit in persona adversarij.* Qua ratione *nemo cogitur contra se testes producere*, eadem nec cogendus contra se testimonium præbere. Iuramentum istud quod vocant *ex officio* (inofficiosum potius appellandum) introductum in Ecclesiam Anglicanam sub Henrico 4. postulantibus Prælatis ad detegendos quos illa ætas Hæreticos censebat, ac presertim, quos Lollardos vocabant, quam legẽ sanguinariam appellat Foxus in Martyrum monumentis. Et certe, est lex

2. quæst. 8. 5. cap. 11.

Can. 8.

Cod. lib. 4. tit. 1. leg. 9.

Cod. lib. 4. tit. 20. leg. 6.

Draconis & Bestiæ, non Agni. Eadem tamen lege Præsules hodierni oppugnant purioris disciplinæ, & cultus assertores, quâ Pontificij Lollardos, quamvis jurisconsulti complures contendant antiquatam fuisse anno 25. Henric. 8. & commissarios vi commissionis neminem cogere posse ad præstandum juramentum ex officio, Fullerus in causa clientum argumentis pluribus evicit. Viri graves & eruditi, Cartwrightus, Fennerus, Snappius, & alij coniecti in carcerem, quòd renuerent præstare istud inofficiosum juramentũ. Quos, postquam aliquandiu in carcere asservati essent, ne immerentes carceris pœna castigasse viderentur, in Camera Stellata accusandos curarunt ab advocato Reginæ, quorum tamen integritas à testibus ipsorum etiam opera productis dilucide demonstrata est. Vdallus vir pius & doctus pastor Ecclesiæ ad Novum Castrum, quia se authorem libri, qui inscribitur *Demonstratio Disciplinæ* prodere noluit, in carcerem conjectus, ubi piam animam una cum sanguinis profluvio exhalavit.

Possunt dicti tres Commissarij Vicecomitibus, Prætoribus urbanis, proprætoribus, alijsque legum ministris imperare, ut non comparentem apprehendant, in vincula conjiciant, vel vadimonio obstringant, vel vi in judicium trahant. Possunt etiam ob contumaciam se non sponte sistenti mulctam pecuniariam irrogare.

Possunt dicti tres Commissarij non modo inquirere, sed etiam judicare in omnibus causis Ecclesiasticis, & proinde in causa hæreseos, idololatriæ, & similium. Fateor in statuto 1. Elizab. cap. 1. cautum esse, ne quid damnarent nomine hæreseos & erroris, nisi prius præcesserit determinatio in scripturis Canonicis, aut Concilijs generalibus. Sed gratis additur ista limitatio. Nam omnes hæreses & errores determinantur in Scripturis Canonicis: & proinde in omnibus causis fidei, & doctrinæ judicare possunt dicti tres Commissarij, nedum ipse Princeps. Imo potest per statutum hanc potestatem uni cuivis demandare, modò sit indigena.

Possunt dicti tres Commissarij, quem suis calculis damnarint, mulcta pecuniaria castigare, aut in carcerem conjicere: & ipsis mandantibus, Commentarienses & Ergastularij in omnibus provincijs reum recipere, & asservare tenentur, quandiu Archiepiscopo, ejusque adsessoribus libitum fuerit. Gravamina exhibita in Comitijs innuunt eadem ratione posse commissarios instrui per Diploma Regium potestate vitæ & necis ob levissimam offensam Ecclesiasticæ jurisdictioni subjacentem, quâ possunt ejusdem diplomatis authoritate mulctas dicere, & in carcerem mittere, quod ordines in statuto statuere nunquam in animum induxerunt. Sed quid jure divino possunt, videant Episcopi. *Non sunt ista sacerdotum arma spiritualia sed carnalia, quæ superioribus sæculis Reges terræ tradiderunt Bestiæ.* Hæc non est virga discipulorum Christi, quæ

virga

virga dilectionis est, sed virga ferrea, qua conteruntur vasa Domini. *Anne aliquam sibi à palatio dignitatem sumpserunt Apostoli. Terret exilijs, & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit, quæ exilijs, & carceribus credita est*, inquit Hilarius contra Auxentium. *Gladius Regis censura Curiæ, gladius sacerdotalis Ecclesiasticæ rigor disciplinæ*, inquit Hildebertus Cenomanensis. *Dominativum modum regendi à potestatibus seculi observandum Apostolis interdixit*, inquit Occamus. *Sicut non convenit Regibus, quod ad stolam pertinet, sic nec Episcopi, quæ Regis sunt, exercere debent*, inquit Anselmus. Quod quandoque assumit sibi socios Archiepiscopus delegatos seculares, cum exercet vim coactivam in bona vel corpora reorum, nihil juvat. Nam idem est, sive solus, sive cum sæcularibus, sive solis Ecclesiasticis, pœnas temporales infligat, cum Pastoribus simpliciter interdicta sit potestas gladij, sitque extra sphæram jurisdictionis Ecclesiasticæ. Præterea non tenetur assumere sibi socios sæculares. Potest easdem pœnas unà cum Decano aut Archidiacono, si sint Commissarij Regij, irrogare. Et si solum sæculares, nihil tamen possunt decernere absque Archiepiscopo.

Epist. 40.
De potestate Pontif. quæst 1. c. 7.
in Mat. 26.

Possunt dicti tres Commissarij pœnas & censuras spirituales decernere excommunicationis, depositionis, suspensionis. Possunt decernere reum excommunicandum, & vel excommunicationis sententiam ipsi denuntiare, vel ut in Scotia imperare cujus presbytero, aut Curioni, ut sententiam denunciet. Si quis dixerit hoc posteriori casu, presbyterum, non Commissarios illos, excommunicare, idem est, ac si quis diceret subductarium aut carnificem esse judicem. Commissarij citant, causam cognoscunt, decernunt, & sententiam excommunicationis in scriptis presbytero tradunt denunciandam. Vtrum igitur commissarij an presbyteri sunt judices? Imo nullatenus licere prsbyteris in foro exteriori judicare, & censuras decernere, nisi delegata ab Episcopo potestate, tueri conantur adversarij. Hîc vero nec ordinariam nec delegati judicis potestatem exercet, cognoscendo, judicando, decernendo, sed purus putus præco est, & servus merus, cui necesse est depositionis vel carceris metu parere. Si quis dixerit Archiepiscopum decernere ut judicem, responsio in promptu est, Archiepiscopum decernere non potestate Episcopali, & jurisdictione ordinaria, sed delegata a Rege, & proinde Regia. Cujus vel illud certissimũ est indicium, quòd Archiepiscopus potest hac delegata potestate censuram excommunicationis decernere in quemvis Reum, etiamextra provinciam Suffraganeorum, in quavis Angliæ aut Hiberniæ parœcia domicilio utentem. Quatenus Episcopus secundum Heriarchichorum principia non potest exercere actum jurisdictionis exterioris in aliena Diœcesi. Si baptizaverit, sacram cœnam celebraverit in aliena Diœcesi, etiam absque venia Episcopi Diœcesani, eoque inter-

Quatenus Archiepiscopus in provincia non omnimodam, extra provinciam nullam habet jurisdictionem.

interdicente, quamvis peccaret contra Canones, manent tamen vera sacramenta, quia hi actus manant à potestate ordinis. Sed si excommunicationis, aut absolutionis actus exercuerit, actus illi à potestate jurisdictionis manantes, sunt nulli & irriti, teste Fildo. Prçterea eandem potestatem potest per statutum princeps demandare cuivis indigenæ. Non exercet igitur potestatem ordinariam, quatenus Archiepiscopus, sed delegatam & derivatam à corona Regia. In assertione Christianæ politiæ habemus exemplum sententiæ excommunicationis à Commissarijs latæ in quendam ob contumaciam his verbis. *In Dei nomine, Amen. Nos* I. W. *sacræ Theologiæ Doctor, &c. Caucellarius Ecclesiæ, &c. Commissarij rite & legitime procedentes*, I. E *de* B. L. *Diœceseos, ad dictum diem, & locum legitime, & peremptorie citatum, & præcognizatum, diuque expectatum, & nullo modo comparentem, pronunciamus contumacem, & in pœnam contumaciæ suæ hujusmodi eum excommunicamus in ijs scriptis. Concordat cum Reg. T.* Non decernunt ferendam sententiam, sed revera ferunt decernendo. Quod possunt Commissarij Regij, potest ipse Princeps. Nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm quod in se habet. Asserunt Hierarchici Principem posse leges ferre sub pœna ferendæ sententiæ excommunicationis, deprivationis, &c. Quædam leges Anglicanæ feruntur sub pœna non modo ferendæ, sed etiam latæ sententiæ deprivationis, id est, pœna deprivationis ipso facto. Quamvis de jure contra asserit Fildus, *Ferre legem*, inquit, *est præscribere sub pœna, quam infligere potest is, qui præscribit*. Vnde colligit Principes leges posse ferre, non Canones condere, quales Episcopi, qui edicunt aut interdicunt sub pœna excommunicationis. Si igitur Princeps potest ut legislator pœnam excommunicationis infligere per legem, aut ut Iudex infligere per decretum, eandemque judiciariam potestatem, ut supremus Gubernator, alijs demandare, modo sint indigenæ, potestne etiam sententiam latam denunciare, si esset necesse, & decori ratio fineret. Nam etiam Episcopi rarò aut nunquam denunciant, sed hanc provinciam alijs demandant. Dicitur in statuto Omnimoda jurisdictio spiritualis ceu Ecclesiastica, quæ antea solebat exerceri in Ecclesia, esse unita Coronæ Regiæ, eamque exercendam alijs demandare posse Principem. Non igitur negabo Reges Anglicanos habere potestatem censurarum, & jurisdictionis in foro exteriori quod quidam Hierarchicorum facere conantur. Depositionis pœnam reo infligere etiam possunt. Si commissarij possunt, etiam Princeps potest. *Potest*, inquit Mucketus, *eos deponere, sicut Salomon Abiatharem, non Canonica aliqua degradatione eos ipsa sacerdotali potestate, quam ijs minime donavit, quasi privando, sed tantum externum hujus potestatis in suos subditos infra suas ditiones exercitium inhibendo.* Quod ad degradationem

Marginalia: *De eccles. lib. 5. c. 27.* — *Pag. 335.* — *De eccles. lib. 5. c. 53.* — *P. 302.*

gradationem canonicam, quæ realis depositio dicitur ea nunquam usitatata fuit, nisi cum quis ob graviora crimina traderetur, Curiæ sæculari plectendus. Quòd quis exutus vestibus sacerdotalibus, aut instrumentis sacris, traderetur sæcularibus, sicut in exauctoratione militis insignia militaria detrahuntur, non erat de essentia depositionis, sed de solennitate canonicæ degradationis. Quòd dicit Principem non privare eos potestate sacerdotali, sed exercitio, idem est, ac si cum Pontificijs diceret per pœnam depositionis licitum exercitium potestatis sacerdotalis tantum tolli non ipsam potestatem, & indelebilem, quem vocant, characterem. Spottisvodius Andreapolitanus cum tulit in Ministrum quendam sententiam depositionis, ut Regis Commissarius, aperto ore dixit, De charactere indelebili idem cum Pontificijs sentio. Quod addit tertiò privare tantum exercitio potestatis in suos fucus est. Nam probè norunt Episcopi se non posse cohibere exercitium hujus potestatis apud exteras Ecclesias. Præterea privare exercitio potestatis tum ordinis, tum jurisdictionis in Ecclesia, cui addictus erat Pastor legitimus, est pœna spiritualis, quam primariò infligere non potest Princeps. Salomon Abiatharem amovit à sacerdotio, relegando Anathothas, quia reus læsæ Majestatis. Privatio exercitij sacerdotalis erat consequens relegationis. Deposuit igitur secundariò, non primariò. Fildus asserit nullos, nisi duces spirituales & pastores posse instar judicum amovere à gradu, aut ordine Ecclesiastico quemvis legitime vocatum. At cum irrogatur a Commissarijs Regijs pœna depositionis, non ut consequens alicujus pœnæ temporalis, sed sola, vel ut primaria, primario sententiam ferunt depositionis: vel, ut illud etiam largiamur, privationis exercitij muneris pastoralis infra ditiones Principis, quæ est pœna spiritualis, & quidem ob delicta, quæ vocant Canonica & levissimam offensam in re Ecclesiastica, ut omissam crucem in baptismo, aut geniculationem in percipienda Eucharistia, *Non est nescius Bellarminus*, inquit Iunius, *id iuris communis esse ut reus ex malefacto sortiatur iudicem. Si in re sacra peccavisset Abiathar ad sacerdotes pertinuisset cognitio illius: sed quia in rempub. peccaverat, maiestatemq; regiam, civiliter ac non Ecclesiastice agi cum eo oportuit. Salomon ergo & alij ut principes iudicaverunt civiliter, iudiciumque exercuerunt legitime, non autem administrationem Ecclesiasticam objuerunt.* (De Concil. l. 1. cap. 20. not 8.) Tertio qui possunt irrogare censuram suspensionis possunt & depositionis pœnam infligere. Nam censura suspensionis est in ordine ad pœnam depositionis, nempe si reus non recesserit à contumacia. Dicti commissarij hanc suspensionis censuram, quæ est est spiritualis irrogare possunt: ergo depositionis, quæ sequitur ob contumaciam, pœna est spiritualis. Quarto, possunt Commissarii excommunicare: excommunicatio autem est censura spiritualis: deposi-

depositionis igitur pœnam spiritualem revera infligunt. Denique in statuto, omnimoda jurisdictio, quæ prius exercebatur in Ecclesia Papana, dicitur Commissarijs demandata esse. Pœna igitur depositionis quæ infertur à Commissarijs, est pœna spiritualis & Ecclesiastica, eademque cum illa quam Pontificiorum Episcopi infligebant sub Papatu, & cum illa quæ in Curijs inferioribus Episcoporum irrogatur. Archiepiscopus tamen non potestate ordinaria has pœnas una cum adsessoribus Commissarijs infligit, sed delegatâ quam exercere potest in quosvis pastores sive Anglicanos, sive Hibernicos: ut supra de excommunicationis censura diximus.

Defens. lib. 1. pag. 8. *Non quatenus Episcopi exercent istam potestatem. Sed quatenus sunt Regis Commissarij in causis Ecclesiasticis*, inquit Downamus, *nam alij qui non sunt Episcopi, habent eandem potestatem*, nempe præfectus Capitolinus, præfectus Angariorum, Londinenses cives. Possunt igitur ipsi Principes secundum leges Anglicanas depositionis pœnam spiritualem primario inferre, & *Iudicialiter*, ut loquitur Fildus. Per statutum vero possunt eandem potestatem cuivis indigenæ demandare.

Possunt igitur dicti tres Commissarij duplici gladio animadvertere spirituali & temporali, & in uno eodemque decreto acie utriusque gladij uno quasi ictu ferire reum unius tantum culpæ, & forte levissimæ, ut privare officio, & in carcerem trudere, vel excommunicationis censura, simul & carceris pœna potius quam custodia percellere. Idem delictum possunt in uno castigare mulcta pecuniaria, in alio carceris pœna, in tertio excommunicationis censura, prout ipsis æquum videbitur. Nam pœnæ & censuræ omnes hîc sunt arbitrariæ commissariorum libidine, non legum definitionibus metiendæ, à quibus non licebit Reo provocare ad judices ordinarios. Hac duplici vindicta armati Episcopi Anglicani dominantur in pastores, & alios purioris cultus, & politiæ vindices: Pompamque & Hierarchiam suam suffulciunt. In hac Curia, quam ad terrorem *Celsæ Commissionis* indigitant, tanquam arce munitissima, securi in utramque aurem dormiunt piorumque gemitus & querelas susque deque habent. Sed ne absque ratione insanire videantur adducunt exemplum Iehoschaphati, ut duplicem istam jurisdictionem statuminent, 2. Chron. 19. Synedria illa videntur distincta locis, personis, causis, præsidibus. Nam etsi confundi videntur vers. 8. distinguntur causis, & præsidibus, vers. 11. sicut & Deut. 17. qui judices confundi videntur, vers. 9. distinguntur vers. 12. In conjunctis igitur vers. 8. respective ut loquuntur Iurisconsulti interpretari verba versuum collatione oportet, & cum partitione accommodatâ. Sed detur unicum fuisse Synedrium majus, & Sacerdotes ac Levitas etiam interfuisse, tum de jure respondentes, tum de facto suffragia ferentes, erat tamen

ordinarium

ordinarium & statum. Non erat consessus trium delegatorum à Rege Regiam jurisdictionem in causis Ecclesiasticis exercentium, sed Domus judicij magna, vel domus judicij septuaginta judicum, sicut Hebræi vocant, quæ ante Reges constitutos regebat populum Israeliticum. Non instituit Iehosaphatus, sed collapsum Reipub. & Ecclesiæ statum recognoscendo, restituit & instauravit. Non judicabat de litibus privatis, nisi partium provocatione, aut judicum consultatione delatis, sed de causis publicis totius regni, de tribu, de pseudopropheta, de bello, de pace. Habebat potestatē vitæ & necis, & judicare poterat de causis capitalib⁹. Non mirū, si in populo Dei Synedrium illud fuerit mixtū personis & causis, cum pleræq; leges judiciales fuerint etiam ceremoniales, & omnes in sacro codice descriptæ, erantq; Levitæ Iudæorum Iurisconsulti. A Iudæorum politia necessariam non posse trahi consequentiam fatetur Bilsonus. *Iurisprudentia Iudæorum Mosaicis libris comprehensa Reip. gerendæ normam continebat. Quamobrem magna ratione Sacerdotes & Levitæ tanquam illius scientiæ peritissimi, quippe quorum studium in meditatione legis præcipue viguit, in iisdem cum judicibus subsellijs sunt collocati. Aliter se habent Respublicæ Christianorum. Nullius enim civilis administrationis formam in Evangelijs expressam legimus, utpote quæ Christianorum Magistratuum prudentiæ legibusque Municipalibus est permissa, dummodo nihil statuatur quod cum pietatis ac charitatis regula pugnet, aut æquo & bono adversetur. Ministros igitur verbi Dei tanquam civilis iuris arbitros ac disceptatores in judicijs sedere nihil est opus, nec eundem sibi locum possunt vendicare, quem veteres sub Mose Sacerdotes tenuerunt.* Addo nec eadem ratione in pœnis temporalibus eundē locum sibi vendicare posse. *Disciplina Mosaica civilis fuit & politica, quæ gladij coercitionē habebat, in ea re diversa, ab ea quam dominus, & Apostoli in Ecclesia constituerunt*, inquit Saravia. Et ibidem, *censuram Ecclesiæ suæ Dominus diversam constituit ab ea quæ fuit tempore legis. Nihil enim eam habere voluit, quod esset civilis imperij, ne ejus prætextu leges iuraque gentium, civilesque administrationes, Apostoli Ecclesiarumque pastores sibi adsumerent.* Gelasius Pontifex Romanus in Anastasium Imperatorem invehens testatur distinctas esse potestates, postquam ad verum ventum est, quamvis ante adventum Christi quidam figuraliter adhuc in carnalibus actionibus constituti, utramque potestatem exercuerunt, *Attamen Christus*, inquit, *memor fragilitatis humanæ, quòd suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionib. proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium cursu rerum, Imperialibus dispositionibus uteretur; quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans*

De Gubern. cap. 2.

De Gradib. cap. 11. sect. 16.

Deo minime se negotijs sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præesse videretur, qui esset negotijs sæcularibus implicatus: ut & modestia utriusq; ordinis curaretur ne extolleretur utroque suffultus: & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Eadem fere Nicolaus primus. Dicent forte, se non ut Episcopos, sed ut delegatos Principis judices gladio temporali reos ferire. At Christus simpliciter interdixit dominativum regendi modum, & vim coactivam per pœnas temporales Math. 20. Luc. 22. *Vos autem non sic*, Non ait Christus, *quatenus Apostoli*, sed omnino *vos*, nempe qui estis Apostoli mei, *non sic*. Non modò in eodem officio, sed etiam in eodem subjecto incompatibiles esse voluit has potestates Christus. *Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum aut Apostolicus dominatum. Forma Apostolica hæc est: interdicitur dominatio, indicitur ministratio.* Sic Bernardus. Non aliam merentur replicam sic distinguentes, quàm scomma cuiusdam Rustici Coloniensis, quod in Collectaneis suis refert Fulgosius. Si unicum erat Synedrium, & potestatem vitæ & necis habebat ordinariam, cur non arrogant sibi ex officio Bonifaciani Prælati potestatem etiam ordinariam vitæ & necis, sicut Sacerdotes & Levitæ in unico illo, ut ipsi volunt, Synedrio. Alioquin non quadrabit ad ipsorum gladiũ temporalẽ exemplũ Synedrij Iudaici. Quòd ad cẽsuras spirituales attinet, potuitne Iehosaphatus earum potestatẽ sæcularibus, aut cuivis indigenæ demandare, idque vi omnimodæ jurisdictionis Ecclesiasticæ, annexæ & unitæ regio diademati? Si igitur nec Episcopi sint capaces potestatis gladij temporalis, nec sæculares spiritualis in Curia celsæ Commissionis, nullam habet legitimam potestatem utriusque gladij Commissariorum etiam plenarius, nedum trium aut quatuor, consessus.

De considerat. lib. 2.

Possunt dicti tres Commissarij canones una cum Principe condere, ut supra vidimus. Imperarunt presbytero cuidam, ut panem Eucharisticum præberet uni, qui non nisi ore sumere volebat, teste authore assertionis politiæ Christianæ. Solenne illis est imperare maritis, ut uxoribus immorigeris, quarum cohabitatio ipsis cordi non est, tantum ad victum suppeditent, quantum ipsi præscripserint.

Possunt reis præscribere salaria advocatis, scribis, apparitoribus, alijsque Curiæ ministris solvenda.

Possunt constituere alios Commissarios inferiores, & minores a quibus, ut subdelegatis ad ipsos fiat provocatio, ut refert Barrous.

Potest Princeps per statutum constituere Commissarios in quavis Diœcesi, imo in quaque paræcia, a quibus nulla fiat provocatio, atque ita Curiarum omnium Ecclesiasticarum jurisdictionem

nem

nem ordinariam evertere. Wollæus Cardinalis & Pontificis à latere Legatus, ipsius Archiepiscopi Cantuariensis Legati Nati potentiam subruebat, *Curiam erexit quam Legatinā nuncupavit ad quam omnes fere causas Ecclesiasticas pertraxit, apud alia solitas tractari tribunalia, quorum judices, registrarios, cæterosque ministros otiosos jam sedere oportuit, & Wolseianis emolumenta solita munerum suorum concedere*, ut refert Godwinus in Commentario de præsulibus Angliæ. Ita & hîc non una sed plures Curiæ Legatinæ Commissariorum Regiorum erigi possunt, quæ Curias omnes ordinarias subruant. Pag. 193.

Fingit Mucketus Commissarijs potestatem utriusque gladij demandatam ad supplendam, & corroborandam, ubi deficit, ordinariam Episcoporum & Archidiaconorum jurisdictionem. *Quandoque enim fit*, inquit, *ut propter inferiorum judicum Ecclesiasticorum negligentiam & conniventiam, aut impiam delinquentium pervicaciam, in contemnendis Ecclesiæ censuris, propter illorum fugam ab una Episcopali Diœcesi in aliam, & potentiam in Comitatu ubi degunt, aut criminum atrocitatem multi ordinaria Archidiaconorum & Episcoporum Jurisdictione vel non omnino vel non pro meritis plectantur, qui hac Regiorum Commissariorum potestate per universum Angliæ & Hiberniæ regnum protensa, & non modo censuris Ecclesiasticis, sed etiam pœnis temporalibus munitâ, multò ocyus in ordinem rediguntur, & acrius puniuntur*. Agnoscit igitur Episcoporum & Archidiaconorum negligentiam, conninentiam, & imbecillitatem, sed an serio? Nequaquam: verùm, ut hac fallaciâ maiorem tyrannidem introducant. In constitutione edita per Simonem Mepham in Concilio suo provinciali celebrato anno 1323, habemus ista, quæ sequuntur. *Districtè hoc approbante Concilio provinciali præcipimus, ut omnes judices ordinarij nostræ Cantuariensis provinciæ se invicem sine aliqua difficultate juvent in citationibus & executionibus faciendis, ac quibuscunque mandatis licitis exequendis*. Quò fugeret reus, si judices ordinarij se invicem iuverint. Si contumax excommunicationis fulmine ictus fuerit potest Episcopus per Breve regium, *De excōmunicato capiendo* Vicecomitis opera in carcerem trudendum curare. In Brevi quodam Regio *de excommunicato capiendo* dicitur, quod *potestas Regia sacrosanctæ Ecclesiæ in suis querelis deesse non debet*, teste Apologia processuum in Curijs Ecclesiasticis. Si igitur judices ordinarij habent & mutuum, & brachij sæcularis auxilium, quod de fuga dicit subterfugium est. Si supplenda Episcoporum negligentia & Archidiaconorum, si corroboranda jurisdictio judicum ordinariorum, restituantur presbyteri in suum locum, & una cum Episcopo ut in veteri Ecclesia communi consilio & auxilio Ecclesiam gubernent. Convocentur bis singulis annis Synodi Provinciales. Frequentes coeant in concilijs nationalibus. Si quid ad

Pag. 304.

Lindwoode in Provinc. lib. 2. de iudicijs, fol. 65

Pag. 8

hæc desideratur, imploretur brachium sæcularis auxilij, vel vindicta, prout æquum videbitur. Non est cœlum terræ miscendum, divina & humana jura confundenda gladij temporales & spirituales in unum conflandi & conferruminandi præsertim in Ecclesia, ut ipsi prædicant, bene constituta & florentissima. *In favorem Ecclesiæ nihil iniustum statui debet*, inquit Occamus. Possunt Commissarij litem inchoatam coram judice ordinario, ad se advocare, ubi nulla deprehenditur negligentia aut conniventia. Possunt etiam judices ordinarios antevertere, quod sæpius faciunt, & ubi possunt ordinariam jurisdictionem in suis Curijs, malunt extraordinariam istam & delegatam exercere in Curia illa augusta, majori terrore, maximè cum quis ad conformitatem cogendus, vel ob scriptum aliquod contra crucem aut superpelliceum castigandus. Non igitur ad supplendam negligentiam aut conniventiam judicum ordinariorum (nam ipsi sunt aut esse debent illi judices ordinarij) constituti sunt Commissarij, nisi semetipsos negligentiæ, & conniventiæ insimulare vellent Episcopi. Ad corroborandam quidem Episcoporum & Archidiaconorum jurisdictionem ordinariam, id est, ordinariam tyrannidem, extraordinariam jurisdictionem, id est, tyrannidem extraordinariam exercere Episcopos commissarios non diffitebor. Tribunal inquisitionis Hispanicæ corroborat jurisdictioné ordinariam Episcoporum & Archidiaconorum in Hispania, cujus in his Commissarijs effigiem esse vivam facilè concederem. Quod de quorundam potentia causatur, ludibrium est. Columbarum non corvorum, non procerum & magnatum, sed tenuium & plebeiorum tortura est ista iurisdictio.

De Potest. Pont. quæst. 3. ca. 2.

Ad Anglicani tribunalis exemplar formatum est anno 1610. aliud in Scotia, cujus authoritate, & potestate altaris Anglicani ectypon efformandum erat. Quidam ministri Episcopalem jurisdictionem & tyrannidem in Ecclesiam affectantes, armati sunt potestate utriusque gladij, quò facilius dominationem Episcopalem invaderent, idque solo diplomate Regio, absque ullo statuto vel specie minima consensus procerum, & ordinum Regni ut in Anglia. Delegata Commissariorum jurisdictione freti Ecclesiam nostram in hunc usque diem vi subigunt, & miserum in modum opprimunt Spottisvodius Andreapolitanus, Laws Glascuensis, Lindesius Rossiensis, Bannatinus Dumblanensis, Douglasius Moraviensis, Lindesius Brechinensis, Lindesius Caledonius, Forbossius Abredonensis, Boidius Argatheliæ, Lambius Casæ Candidæ ceu Gallovidiæ, Abrenethius Catanesiæ, Græmus Orcadum, Cnoxius insulanorum Episcopi: eorumq; decessores aliquot Gladstonus Andreapolitanus, Hammiltonus & Couperus Gallouidiani, Forbosius Catanesiæ, & alij.

3 Concernunt canones vel leges relaxandas. 1. in

perpetuum

perpetuum cum prorsus abrogantur a Principe. 2. in tempus tantum, ut cum princeps abolitionem criminis vel violati Canonis alicui concedit. 3. in præteritum, & in futurum etiam, ut cum & aboletur infamia, & violator in integrũ restituitur. 4. Cum gratia fit Canonis in futurũ tempus, certæ alicui personæ, ex speciali occasione, causa cognita, quã Dispensationẽ vocant, quæ plerumq; fit, cum sub magno sigillo Angliæ confirmãtur facultates eiusmodi concessæ per Archiepiscopum Cantuariensem, cui hoc munus ex statuto incumbit, vel si ipse absque justa causa renuat, tum Cancellarius Angliæ eas primariò concedit juxta statutum in ea parte editum.

Si potest prorsus abrogare Canones absque Ecclesiasticorum, & Synodorum assensu, frustra conditi Canones. Ordo postulat, ut per quas causas res aliqua nascitur, per easdem intereat, ut Canones à Concilijs conditi à Concilijs abrogentur.

Si etiam absque consensu Ecclesiæ potest abolere crimen & infamiam violati Canonis, frustra muniuntur Canones pœnis & censuris. Quòd si per fictas causas acciderit, ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ inflictæ ab Ecclesia aut remittuntur aut minuuntur, Tridentini Patres decreverunt in hunc modũ. *Episcopus apud ecclesiam suam residens, de surreptione & obreptione Gratiæ, quæ super absolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat aut remissione pœnæ, ad quam criminosius per eum condemnatus fuerat, falsis precibus impetratur, per seipsum tanquam Sedis Apostolicæ delegatus etiam summariè cognoscat; ipsamq; Gratiam, postquam per falsi narrationem aut veri taciturnitatem, obtentam esse legitimè constiterit, non admittat.* An non licebit de Codicillis venialibus Principis inquirere, quibus artibus extorqueantur, quod de Papæ codicillis in Ecclesia Papana licet. Conferat dignitates mundanas pro arbitrio, sed infamibus dignitatum Ecclesiasticarum portæ ne pateant.

Potest princeps authoritate legum Anglicanarum dispensare in omnibus causis Ecclesiasticis, in quibus dispensationes prius solitæ impetrari in Curia Romana, quarum dispensationum thesaurum erogat in Curia Archiepiscopi Cantuariensis, quam Curiam facultatũ vocant, vel ipso renuente in Curia Cancellariæ. Potest autem Papa dispensare in omni lege humana Canonica. De dispensationũ erogatione capite tertio opportunior erit dicendi locus.

Non

3 Non usitata, quæ concernunt Beneficia Ecclesiastica, & Diœceses, eo quod potest Princeps

1 Mandare Archipiscopo, ut confirmet electionem: necnon cum duobus alijs Episcopis, ut confirmet electum in Episcopatum.

Canonibus cautum fuit, ne fieret confirmatio nisi prævia inquisitione & examinatione accurata; explorando electum, electionisque ordinem. Si ritè omnia confecta viderat Archiepiscopus, tunc confirmationis munus impendebat. Quòd si electus non fuerat repertus idoneus, iteranda erat electio. Hic vero omnia geruntur potius pro imperio. Archiepiscopus non à Patriarcha, sed altero Archiepiscopo & duob. Episcopis, vel à quatuor Episcopis confirmandus est.

Sext. decretal. lib. 1. c. 47. Decretal. lib. 1. tit. 6. c. 3. & 25.

2 Unire sive consolidare, vel separare antea unita, beneficia minora, & Episcopatus.

Potest quidem accidere, utilitate vel necessitate suadente, ne quid Ecclesia detrimenti, aut cultus divinus decrementi patiatur ob inopiam & tenuitatem, ut minora beneficia colligationem postulent Ecclesiolarum: quod in Episcopatibus, rarò aut fere nunquam accidit, nisi quod Ecclesiasticorum avaritia insatiabilis, & ambitio importunius idipsum efflagitarunt. Episcopatuum & beneficiorum conjunctio fit, vel in unum corpus conflando, vel unum alteri subjiciendo, vel utroque suum gradum & titulum retinente unum principale, alterum inferius constituendo. Sed annon hæc omnia sunt Ecclesiarum, quarum interest, aliorumque Ecclesiasticorum consensu & judicio prius probanda, ne unio pariat divisionem, & ne Episcoporum & pastorum greges dissipentur; nihilne refert sintne Episcoporum vires gregibus suis pascendis impares? Episcopatuum unionem quis, nisi qui lanam & lac ovilium potius quam commodum sitiet, eximia laude ornabit. De provinciarum, & diœcesium civilium unione & jure Metropolitico civitatib. in usum civilem conferendo nihil dicimus.

3 Fiduciario titulo, quem Commendam vocant, concedere vacantem Episcopatum, aut beneficium minus.

Priscis temporibus solebat Ecclesia vacans probo alicui viro commendari, donec præficeretur pastor idoneus, & Commendatarius tanquam tutor quispiam aut procurator bonæ fidei, actus sui rationem reddebat. *Verùm* (inquit Duarenus) *res ad consulendum Ecclesijs vacantibus excogitata, tandem in ipsarum perniciem, pestemque mirabiliter*

De minist. & benef. l. 5. cap. 8.

mirabiliter conversa est, & sic immutata, atque deleta, ut priscæ illius fiduciæ vix imago quædam umbrave supersit, & mores ubique recepti faciunt, ut non simplex Depositarius curatorve, sed Dominus quodammodo habeatur commendatarius. Fiduciarios istos dispensatores rectiùs fucatos dissipatores vocandos censet. Non videbatur duarum Ecclesiarum esse pastor, qui esset unius pastor, alterius tantum custos & commendatarius Atque ita fiduciariis custodijs, vel potius mancipationibus in fraudem canonum, Episcopi & alij beneficiarij minores, & postea etiam magnates plura possidere beneficia cœperunt. *Quæ pestis nostro sæculo ita grassatur,* inquit Renatus Choppinus, *ut maxima sacerdotiorum portio à Satrapis teneatur sub aliena vilium sacrificulorum fiducia, tacitoque fideicommisso. Inde manat etiam sacrorum munerum nefanda hæreditas, vel oppigneratio, vel turpis nundinatio, certissima Ecclesiasticorum bonorum labes, & ruina.* Fiduciæ sunt, tam perpetuæ quam temporariæ: fiduciæ, perpetuæ, sicut depositum vel mandatum simplex, revocari non possunt. Videmus igitur quanta impendeant mala ex fiduciarum ceu commendarum potestate.

De sacra polit. lib. 1. p. 39.

4 Episcopos ab uno in alium Episcopatum transferre.

Quàm odiosa sit Canonibus alieni Episcopatus affectatio, & Episcoporum translatio videat lector Conc. Nicen. c. 15. Sardicens. can. 1. Antioch. can. 21. Chalced. ca. 5. Carthag. 3. ca. 38. Potest quidem accidere, ut translationem suadeat Ecclesiæ utilitas aut necessitas, sed de utilitate, & necessitate judicare debet Ecclesia, absque cujus consensu transferri non debent. Alioquin non præcideretur Episcoporū avaritia & ambitio, suæ civitatis mediocritatem fastidientium, & celebrioris loci, administrationem ambientium, sed foveretur, si unius principis libidini permittenda esset ista potestas, sicut unius Papæ arbitrio olim permissa fuit. Primùm quidem non nisi probata apud Synodum Provinciæ caussa, & interposito Episcoporum decreto poterat Episcopus ab una Ecclesia in aliam transferri. Postea non licebat incōsulto Pontifice Romano transire ad aliam diœcesin, eiusque authoritate intercedente, etsi legatus à latere id concederet. Nunc inconsultis Synodis & Ecclesijs transferuntur ab una sede in aliam.

5 E duobus nominatis unum in Suffraganeum Episcopum eligere.

Suffraganeorum Episcoporum sedes 25. in Episcoporum Diœcesibus constitutæ 26. Henric. 8. cap. 14. Facultas permissa Episcopo, duorum nomina in scriptis sub sigillo, Regiæ Majestati exhibendi, & rogandi, ut eorum unum nomine, titulo, & dignitate

Episco-

Episcopi Suffraganei civitatis N. ornaret. Regio diplomate monitus Archiepiscopus Episcopum Suffraganeum benedictionibus, & ceremonijs requisitis unà cum duobus alijs Episcopis, aut Suffraganeis inauguraturus est. Episcopi comprovinciales Archiepiscopi Suffraganei dicuntur. Sed isti sunt Episcoporum comprovincialium Suffraganei. De quibus plura suo loco. De Episcoporum electione in genere supra diximus.

6 Fines & terminos cuiuslibet Diœceseos extendere vel contrahere.

In universo Angliæ regno unà cum Walliæ principatu sunt comitatus quinquaginta & duo, quorum minimus in circuitu habet milliaria plus minus quinquaginta, maximus plus quàm ducenta teste ipso Mucketo: & tamen Episcopales Diœceses sunt tantum vigintisex, quarum aliquot per unum, aliæ per duos, nonnullæ per plures istorum Comitatuum extenduntur; quod principatum magis quàm Episcopatum nobis exhibet. Fines & terminos cujuslibet Diœceseos extendere licet Principi in usum politicum, sed Episcopi potestatem eousque extendere, quò Diœcesiũ limites, posse pernegamus. Potest enim Princeps ad provinciæ amplitudinẽ diœcesin extendere. Extensiva Episcoporum potestas in integras Diœceses nulla æquitate subsistit, ut postea docebimus.

De Polit. cap. 1.

Episcoporum translatio, Episcopalium sedium mutatio, aut constitutio, Episcopatuum unio, separatio, extensio, contractio hîc Principi reservata, numerabantur olim inter Reservata Papæ, quæ solus per se, aut speciali mandato expedire poterat.

Si Princeps potest dispensare in omnibus causis, in quibus olim Papa dispensabat: presbytero jus Parochi conferre; novas leges de ritibus & ceremonijs ferre: Synodorum canones irritos & nullos reddere: diœceses Episcopales unire, separare, contrahere extendere: in omnibus causis Ecclesiasticis etiam hæresis, simoniæ, idololatriæ & similium appellationes recipere: sequitur *Supremi Gubernatoris* titulo, non intelligendum Principem esse solùm vindicem jure gladij, ut sæpius inculcat Bilsonus, in libro de obedientia, sed etiam esse legislatorem & judicem in omnibus causis Ecclesiasticis. In Comitijs Ordinum regni Scoticani anno 1606. (ubi Proceres & Magnates quidam Regiæ Majestati gratificantes, pseudo-Episcopos ad tertium Ordinem Parliamenti restituerunt, ut Abbatias in feudo perpetuo retinere possent) declaratum *Regem esse supremum Monarcham, absolutum Principem, judicem & gubernatorem in omnibus causis, tam temporalibus quàm spiritualibus.* Si Princeps potest in omnibus causis Ecclesiasticis tùm vindicare gladio temporali, tum censuris & pœnis spiritualibus castigare, & reformare omnes errores, schismata, hæreses, & enormitates, eamq; potestatem

potestatem alijs demandare, sequitur potestatem Principis esse non objective tantum, & materialiter Ecclesiasticam & spiritualem, sed etiam proprie & formaliter, & Primatum Regium esse proprie & formaliter spiritualem, non Primatum quoad spiritualia tantùm. Nam quatenus custos & vindex utriusque tabulæ habet potestatem vis coactivæ in causis Ecclesiasticis, & proinde objective Ecclesiasticam. Sed virtute Primatus Regij habet omnimodam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, & proinde censurarum & pœnarum spiritualium potestatem in omnibus causis Ecclesiasticis, eamque demandare potest, quibus libet indigenis, et reipsa Commissarijs suis demandat. Potestas pœnarum & censurarum spiritualium in Principe, & Commissarijs, non est alia, atque alia: alia in Committente, alia in Commissarijs: sed eadem. Vtraque igitur est, vel formaliter politica, quod absurdum, vel omnimoda jurisdictio Ecclesiastica, quæ antè exercebatur in Ecclesia Papana, non est unita Coronæ Regiæ, nec demandata Commissarijs Regijs, quod falsum. Observandum non modò extraordinariam Commissariorum, sed etiam Archidiaconorum & Episcoporum jurisdictionem ordinariam in foro exteriori à Principe tanquam supremo Capite manare, ut desertè dicitur in rescripto Edwardi 6. quod supra memoravimus. Per statutum ejusdem Edwardi redintegratum Iacob. 1. tenentur Episcopi, literas citatorias, edicta, & decreta, non suo sed Regio nomine munire, & processus formare, sigillisque suis non sua insignia, sed Principis incidere, eaque Bullis suis apponere aut appendere. Quod quamvis in quotidiana praxi non observant, non tamen arguit eos authoritate Regia, & potestate à Principe derivata non exercere jurisdictionem ordinariam. Farrarius Menevensis sub Edwardo 6. incusatus quod Cancellarium constituisset omisso Regis titulo, & authoritate, in tabulis mandatæ jurisdictionis: & in collationibus & institutionibus suum nomen authoritatemque non Regis usurpasset, Primatusq; non meminisset. Ad prius respondit, utcunque peccârit in forma, authoritatem tamen Regiam satis elucere in tabulis illis: ad posterius, se collationes & institutiones confecisse, si non nomine, saltem authoritate Regia, Primatumq; memoravisse. Whitgiftus Cantuariensis istud non diffitetur. *Agnoscimus*, inquit, *omnem iurisdictionem, quam habet aut exercet ulla Curia in Anglia, sive civilis sit, sive Ecclesiastica, exerceri nomine, & authoritate Maiestatis Regiæ, ab eaque, ut suprema Gubernatrice descendere.* Episcopi Pontificij, licet Papam ut Christi Vicarium recognoscant, cum excommunicationis sententiam ferunt, non tamen dicunt in nomine vel virtute Papæ, inquit Swarez, sed sua utuntur ordinaria potestate, vel dicere possunt in virtute Christi, vel per potestatem à Christo concessam, quia Christus est author

Replica p. 680.

Defens. l. 3. cap. 11. sect. 15. 16.

Principalis, Papa tantum Christi vicarius. Non tamen negat posse ministrum, vel Legatum Pontificis dicere se id facere potestate à Pontifice accepta, quia non attribuitur effectus Pontifici, ut principali causæ simpliciter, sed tantùm in genere ministri ceu vicarij communicantis iurisdictionem suam, quod secus fortasse esset, si diceretur in nomine aut virtute Petri aut Papæ, quia hæc verba significare videntur authoritatem Principalis Domini; Et quamvis dicere possunt authoritate a Papa concessa, non est tamen hic aut similis loquendi modus, *Necessarius atque usitatus ab ordinarijs Pastoribus, ut sunt Episcopi, qui post acceptam potestatem ad modum causæ proximæ suo iure utuntur.* Vt Episcopi Pontificij mediante Papa habent jurisdictionem in foro exteriori, quamvis non usurpent nomen Papæ in exercitio jurisdictionis, ita & hîc non sequitur jurisdictionem in foro exteriori non manare à Principe ut supremo capite Ecclesiæ Anglicanæ, quamvis Episcopi & Archidiaconi non usurpent nomen Principis in exercitio jurisdictionis exterioris. Est tantum peccatum in forma, & contra statutum, quod nomen Principis & titulum supremi Capitis prætereunt, rem ipsam tenent. Observat Molinæus excommunicandi potestatem in Ecclesia Papana manare non à potestate ordinis Presbyteratus, nec Episcopatus natura, sed ab authoritate & jurisdictione, quam habent à Papa, apud quem est scaturigo Ecclesiasticæ jurisdictionis omnimodæ. *Episcopos descendere à Pontifice, tanquam à Capite, nihil aliud apud nos est,* inquit Becanus, *quam accipere iurisdictionem fori exterioris à Pontifice.* Fugata igitur Pontificis Romani authoritate alium oportebat Caput sufficere, & ex ejus scaturigine jurisdictionis omnimodæ potestatem haurire: nam absque Capite subsistere non possunt Episcopi, & Archiepiscopi. Detrahebant olim veteres statuis capita, & alia imponebant. Hermas Pentelicos (id est statuas ex marmore Pentelico) cum capitibus æneis, ad se quamprimum mittat Pomponius Atticus, petit Cicero. Whitgiftus asserit Principem exercere supremi regiminis in omnibus causis, ut partem unam per Cancellarium, ita & alteram per Archiepiscopos. A Principe igitur fluit jurisdictio omnimoda etiam Ecclesiastica in foro exteriori, & per appellationes ad eundem refluit. Quòd ad potestatem ordinis, & jurisdictionis in foro interiori ceu conscientiæ non derivatur à Principe, ab eo tamen pendet ipsius exercitium. Alia autem est ratio jurisdictionis in foro exteriori ut diximus. Notandum etiam, Principem posse hæc omnia jura particularia Primatus Regij exercere, quà talis est simpliciter, & non quatenus Christianus. Nam sunt in perpetuum unita Coronæ Regiæ. Sive igitur sit Ethnicus sive Christianus dummodò Coronæ possessor, eandem semper retinet authoritatem. Et certè quan-

De vocat. l. 1 p. 138.

Examen concord. Angli. p. 113.

Ad Atticū. l. 1. epist. 8.

Replic. p. 381.]

quantamcunque de jure habet potestatem Princeps in causis Ecclesiasticis, habet quatenus Princeps simpliciter, & non quatenus Princeps Christianus. Spalatensis asserit Principis potestatem in externis Ecclesiæ, jure divino, & naturali & positivo, cum potestate Regia ita necessariò connexam esse, ut infidelis etiam Princeps tali, si velit & sciat, legitimè uti possit potestate. Et *Turcicos ego*, inquit, *Magistratus in mea Diœcesi Spalatensi, quæ maxima ex parte Turcis subest expertus sum invigilantes super Christianos subditos, ac præsertim Ecclesiasticos ministros, ut leges proprias servarent.* Nihil igitur novi juris accedit Principi ex Christianismo: tantum scientiæ lumine, & voluntatis inclinatione redditur magis idoneus & promptus ad dextrè & commodè exercendum suam potestatem. Quòd si eodem vitio laboraverit, quo Ethnicus, vel cœcæ mentis vel depravatæ voluntatis, non cessaret ab officio suo Ecclesia, ubi opus fuerit, nec sibi aut membris suis in casu necessitatis deesse debet: siquidem potestas Principis sive Ethnici, sive Christiani *Cumulativa* est, ut supra diximus, *non privativa. Salus Ecclesiæ suprema lex esto. Regia prærogativa complectitur amplissima privilegia Regiam Maiestatem ab usitata juris norma eximentia, quæ aliquibus cancellis circumscribere est difficile*, inquit Mucketus. Sic circumscribit tamen Renatus Choppinus in præfatione Operis de sacra politia. *Regiam nimirum authoritatem Ecclesiæ solùm metimur commodis, tantùmque ipsi tribuimus, ut sacro Cœtui quæ adjumento esse debet, offendiculo non sit, neve cujus adjutrix ornandæ illa quondam fuit, Ecclesiasticam opprimat libertatem. Haud secus ac Horatiani equi auxiliator in cervum, cuius implorata ope, frænoque recepto, victor quidem equus discessit ab hoste, at non equitem dorso, non frænum depulit ore.* Quamvis Principum opem imploravimus, ad Papam oppugnandum & debellandum cavendum tamen ne excusso Papæ jugo Magistratibus tribuamus novum Papatum: alioquin non Papatum, sed Papam solummodo mutabimus, & Papismum Papatus comitem nunquam penitus profligabimus. Extrema semper vitanda, & media incedendum est viâ. Spalatensis in eodem Regno duo corpora Reipublicæ & Ecclesiæ formaliter diversa esse ait, quamvis materialiter sint unū corpus. *Eadē multitudo ut civilis, constituit unum genus Reipublicæ, cuius caput solus sit Rex, & cuius membra sint omnes homines quatenus pars sunt Reipublicæ civilis: neque membrum ullum est quod non suo subdatur Capiti. Et rursus eadem multitudo ut fidelis, & Christiana, aliud toto genere diversum à priori constituit Republicæ genus quod est Ecclesia, cui præest Sacerdos, & non Rex, qui Rex respectu huius secundi generis Reipublicæ membrum est, & non Caput: sicut prioris Reipublicæ Pontifex membrum est & ipse, non caput: Ideoque in priori Republica Pontifex subjicitur Regi, in posteriori vero Rex subjicitur Pontifici.* Ipsam potestatem Regiam illi

Ostensio errorū Suarezij. cap. 3. num. 23.

De polit. ca. 2 p. 399.

Lib. 6. cap. 3. num. 17.

Numer. 11. non subjici antè dixerat. Et paulo supra, *Potestas spiritualis & temporalis cum sint inter se diversissimi ordinis nullo modo possunt invicem commisceri.* Hoc puto velle Spalatensem, Principem esse formaliter caput reipublicæ in regno, & tribuum & singulorum civium, sed non Ecclesiæ in regno, nec formaliter exercere potestatem Ecclesiasticam posse, eamve alijs demandare, quod est officium capitis.

Qui Primatus Regij jura discere voluerit ex Hierarchicorum contra Pontificios scriptis Polemicis, nihil certi repertet. Nam vel Andabatarum more inter se dimicant, vel dissimulant, vel de facto potius exempla quorundam Imperatorum à recta norma sæpius deflectentium congerunt, quam de jure argumenta proferunt. Ex statutis regni, Commissariorum jurisdictione in causis Ecclesiasticis, & tabulis Hierarchiæ faciliùs & certiùs omnia Primatus Regij jura edoceri possumus.

Caput. II.

De Episcoporum Gradibus.

NVlla est jure divino graduum imparitas inter Ecclesiæ pastores. Differentia inter Episcopum & Presbyterum introducta in Ecclesiam, erat tenue illud initium unde orta est Monarchia Papæ: & gradus Episcoporum erant gradus, quibus sceleratus ille, & exlex Antichristus Romanus ascendit ad fastigium dignitatis & tyrannidis. *Antichristus*, inquit Wicleffus, *habet sub specie Cleri Procuratores duodecim contra Ecclesiam Christi machinantes, cuiusmodi communiter ponuntur Papæ, & Cardinales, Patriarchæ, Archipræsules, Episcopi, Archidiaconi, Officiales Decani, Monachi, & Canonici bifurcati, pseudofratres introducti iam ultimò & quæstores. Omnes autem isti duodecim & specialiter Prælati Cæsarei, & fratres infundabiliter introducti, sunt manifesti discipuli Antichristi, quia libertatem Christi tollunt, aconerant sanctam Ecclesiam ac impediunt, ne currat lex Evangelij libere sicut olim.* Idem asserit, *quod superbia Cæsarea hos gradus & ordines adinvenit. Similiter dico*, inquit, *quòd tempore Pauli fuit idem presbyter atque Episcopus, ut patet 1. Tim. 3. & ad Titum 1. & idem testatur ille profundus Theologus Hieron. ut patet 87. Dist. cap. Olim. Tunc enim adinventa non fuit distinctio Papæ & Cardinalium, Patriarcharum & Archiepiscoporum, Episcoporum, & Archidiaconorum, Officialium & Decanorum cum cæteris officiarijs & privatis religionibus, quorum non est numerus neque ordo.* Presbyteros quamuis ordine suo abutentes non numerat

Dialog. l. 4. cap. 26.

merat inter Antichristi discipulos, & gradus superbia Cæsarea invectos in Ecclesiam, sicut Episcopos. Sed quia de Episcopi & Presbyteri discrimine paulò fusiùs capite quarto dicturi sumus, tantisper largiamur adversarijs nostris Episcopos Presbyteris esse potestatis gradu de jure divino superiores & majores, graduum tamen differentias inter ipsos Episcopos eodem jure constitutas fuisse pernegamus. Sunt qui Timotheum Asiæ proprie dictæ, & Titum Cretæ Archiepiscopos proprie dictos fuisse volunt. Episcopos Diœcesanos fuisse datum sit, non concessum, Archiepiscopali etiam gradu alijs Episcopis superiores fuisse non evincent. Nullos legimus eis subordinatos Episcopos Diœcesanos in Asia aut Creta. Mandat Paulus Tito, ut constituat oppidatim Presbyteros. Et ne forte putent sub voce Presbyteri latere Episcopum antonomastice postea sic dictum, quia vocabula tunc erant communia, observandum est Apostolum non dicere, κατὰ πόλιν πρεσβύτερον, nec κατὰ πόλεις πρεσβυτέρους, sed κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, sicut & Act. 14. 23. Paulus & Barnabas κατ᾽ ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους, constituisse refert Lucas. Constituit igitur Presbyteria, non Diœcesanum Episcopum in singulis oppidis, aut civitatibus Titus. Mandat Timotheo Paulus, ut adversus Presbyterum accusationē non recipiat: de accusatione adversus Episcopum Diœcesanum recipienda nihil dicit. De Presbyteris, Diaconis & viduis præcepta tradit, De Episcopis Diœcesanis, nec sub Episcopi, nec Presbyteri nomine, ullis mandatis instruit. Ad Archiepiscopos vel Metropolitanos scilicet scriberet Apostolus tres integras Epistolas, & inter tot & tam varia mandata, ne vel unum, quod Archiepiscopo vel Metropolitano proprium, interseret. Nihil de convocandis Episcoporum Synodis, de Episcoporum consecrationibus, de corrigendis excessibus, & defectibus Prælatorum, de recipiendis appellationibus in Episcoporum consistorijs interpositis, monet Apostolus: quamvis hæc sunt præcipua Archiepiscoporum munera, ut volunt Hierarchici. Ephesus quidem posterioribus sæculis constituta est sedes Metropolitana, sicut & Gortyna Cretæ. Vtrum verò hanc prærogativam loci præstantia, an successione à Timotheo adepta fuerit, nihil certi & definiti affirmare audet Billonus. Iacobum Apostolum fingunt Episcopum, & affigunt Hierosolymis. At sedes Hierosolymitana non fuit Metropolitica, sed posterioribus sæculis subdita Episcopo Cæsareæ. Magna erat illius Ecclesiæ præcellentia, & ob Evangelij primam propagationem, Christi passionem, & veteris civitatis præstantiam, ob quas causas ad Patriarchatus dignitatē tandē evecta est. Si Cathedrā tenente Iacobo fuisset sedes Metropolitica, eâdē dignitate postea diminuta, nō fuisset Cæsareensi subjecta.

De gubern. c. 16 p 489.

F 3 Iacobus

Iacobus Apostolus igitur erit solummodo Episcopus Dioecesanus, Timotheus vero & Titus Evangelistæ erunt Archiepiscopi. Siccine Apostolos in Episcopos, Evangelistas verò in Archiepiscopos transformabunt. Inter Angelos septem Ecclesiarum Asiaticarum eratne unus Archangelus? Annon omnes inter se pares, & tanquam rami æquales ex eodem Candelabri aurei scapo prodeuntes. Quid singulare laudat vel vituperat Christus in Angelo Ephesino, quod in cæteros Angelos Archiepiscopalem jurisdictionem redolet: quamvis quidam ipsorum in Asia minori etiam sedes habebant. Præterea Timotheus & Titus Pastorale munus exercere poterant ex officio in qualibet præfecturæ suæ parte, Titus in quovis oppido Cretæ, Timotheus in quavis civitate Asiæ, si modò Asiatica gens fere tota credita fuit Timotheo, ut vult Chrysostomus. At Archiepiscopus non debet Pastoris officio fungi in qualibet Dioecesi provinciæ suæ. Non igitur erant Archiepiscopi, sed vel Episcopi, vel Evangelistæ. Obiter notandum Dioeceses Episcopales non protensas fuisse ad Provinciarum, Insularum, aut Regionum amplitudinem. Ergo nec quatenus Episcopi evangelizare tenebantur in tota sua præfectura, sed quatenus Evangelistæ. Principium istud mihi certissimum, nullum Ministrum ordinarium ab Apostolis præfectum fuisse pluribus Ecclesijs, ut exempli causa Ephesinæ, & Pergamensi, Pergamensi & Laodicensi, sed uni tantùm. At unam Ecclesiam Provincialem nullam legimus, sed in plurali numero plures unius sive Provinciæ, sive Regionis Ecclesias. Denique, si præcipuæ muneris Archiepiscopalis partes Metropolitanis, non nisi post Apostolicum sæculum attributæ fuerint, ab Apostolis non sunt instituti. At prius verum Episcoporum consecratio Synodorum convocatio, electionum confirmatio, appellationum definitio, Provinciæ visitatio, in Concilijs præsidentia, sunt præcipuæ partes muneris Archiepiscopalis. At hæ omnes post Apostolorum ætatem translatæ sunt in Metropolitanos, ut paulò infra ostendemus. Whitgiftus Cantuariensis Archiepiscoporum usum in Ecclesia quandoque necessarium, quandoque inutilem esse asserit, & ad Principum arbitrium esse mutabilem. Non sunt igitur divinæ institutionis. Nam quod Christus instituit, Principes tollere non possunt, & ordinaria Ecclesiæ ministeria, quæ sunt institutionis divinæ, fluxum & refluxum Eurypi instar non patiuntur. Downamus cum actu constitutos ab Apostolis Archiepiscopos docere non posset, ad arcanas Apostolorum intentiones se recipit, & Apostolos intendisse diversis Ecclesijs in Provincia constitutis Metropolitanum omnibus præficiendum, quod tamen nullis certis indicijs demonstrare potest. Ex præsumptis intentionibus etiam Episcopum Oecumenicum, & Patriarchas majores excudere possunt Hierarchici, si tantopere illis

[Margin: In 1. Tim. 5.]

[Margin: Replic. pag. 310. 311. 316.]

illis talia figmenta arrideant. Prædicarunt Evangelium, ut plurimùm, inquies, in civitatib. celeberrimis, ut inde ad oppida minora ocyùs & facilius evulgaretur. Non sequitur tamen illarum civitatum Ecclesijs jurisdictionem in conversas tributam fuisse. Sic enim Hierosolymitana matrix fidei, & religionis Christianæ, non modo Cæsareensi, cui postea subdita, sed etiam Romanæ, & Alexandrinæ, totius denique Orbis Ecclesijs præficienda erat. Præterea quamvis Apostoli, ut prudentes operarij miserunt falcem in ampliorem messem, & paululum fermenti indiderunt in magnam massam, quo citius totam fermentarent, non tamen minores neglectim prætererunt. Spargebant semen Evangelij non temere sed prout à spiritu sancto erant ducti, sive ad civitates sive ad oppida, & villas, & Pagos. Obibat ipse Dominus urbes omnes, ac Vicos Mat 9.35. & sic suo exemplo præmonstravit, quid facturi essent Apostoli emittendi in universum orbem. Non deerat Apostolis opportunitas constituendi Archiepiscopos sua etiam ætate, ut in Ecclesijs Asiaticis, nullos tamen actu constituisse legimus. Si Episcopos non solum conversis sed etiam convertendis actu præfecerunt in singulis Dioecesibus Apostoli, ut vult Downamus, cur non etiam Provincijs convertendis, etsi actu nondũ conversis, Provincialem actu Episcopum itidem constituerunt. Eat igitur intentionalis iste Archiepiscopus Apostolorum ætate nondum natus, & quærat sibi spurius alios patres, quàm Apostolos. Patres Nicæni Metropolitanorum originem, non ad institutionem Apostolicam, sed ad τὰ ἀρχαῖα ἔθη referunt. Non tam de sedibus Romana, Alexandrina, Antiochena, quam de gradibus ipsis Metropolitanorum loqui patet ex adjectione *cæterarum Provinciarum*, nullâ sedium particularium expressâ. Preterea nullos legimus perpetuos Episcoporum consecratores, & moderatores, Metropolitanis priores in Provincia Romana Romano, in Antiochena Antiocheno, in Alexandrina Alexandrino, &c. Ostendant nobis vel unicum exemplum perpetui præsidis Metropolitano prioris cæteris comprovincialibus consecrandis, convocandis, moderandis præpositi. Quod erat illi nomen? Metropolitanus indigitari non potuit, qui Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus non fuit. Fastuosum Archiepiscopi vocabulum nondum erat in Ecclesia usurpatum, Sed non mirum est Anonymum fuisse, qui nullus fuit. Conjectura igitur Bilsoni inanis est. *Cùm verò miranda illa spiritus sancti dona ab hominibus defecerunt, quæ prima forsan Ecclesia spectavit in eligendo præcipuos quosdam cæterorum Episcoporum moderatores, ætates proximæ subsequentes, ut viros celeberrimos Ecclesijs præfecerunt, ita Ecclesiarum illarum Episcopos τὰ πρεσβεῖα prærogativam inter fratres habere voluerunt.* Vt mittam, quod Nazianzenus *non digniorum* De gubern. p 487.488

Orat. in laudem Basilij. *rum, sed potentiorum Episcopales thronos fuisse queritur,* addam & portentorum, qui erant illi mirandis donis præditi, ab Apostolis, aut Evangelistis alij, quod eorum munus, & quo ornatum nomine?. Frivolum etiam est, quod profert Saravia ex Apostolorum Canonibus. *Episcopos singularum gentium scire oportet, quis inter eos primus sit, qui habeatur veluti Caput præter cujus sententiam nihil quod maioris momenti sit, agant.* Comminiscitur inde hanc provinciam alijs, quam Metropolitanis commissam fuisse, quia Metropolitani non meminit Canon Apostolicus. At Canon ille desumptus est paulùm mutatis verbis, ex Concilio Antiocheno, ubi & Metropolitanus dicitur, & causa redditur, cur ad Metropolitanum potius, quàm alium controversiæ Ecclesiasticæ deferendæ sint. Canones falsò dictos Apostolicos Antiocheno Concilio recentiores esse, vel hoc unicum evincit, quòd Canones illi qui nomine Clementis Græce editi, præcipiunt Natalem Domini celebrari 25. Decembris, quod prorsus ignotum erat in Ecclesia Orientali ante Epiphanij & Chrysostomi ætatem, & horum Canonum tamen meminerint Canones Apostolici. *Quum hi Canones vetustatem suam tueri non possunt,* inquit Scaliger, *quantò minus & illi nomine Apostolorum, qui illorum meminerunt, & quædam dicunt in illis esse reprehensioni opportuna?* Tilenus tamen Saraviæ assecla his recentioribus Canonibus tuetur Metropolitarum vetustatem. Sed detur canones Apostolicos Antiocheno Concilio fuisse vetustiores non tamen Metropolitanorum authoritate antiquiores fuisse sequitur, & proinde Antiochenus Canon erit tantum Apostolici exegeticus. Ex ipsorum audaci conjectura vanitatis etiam arguitur Downami delirium de Apostolorum intentione. Si enim Apostoli intendissent Metropolitanos comprovincialibus præficiendos, cur alij quàm Metropolitani constituti sunt comprovincialium inspectores à Patribus. Vel arcanas illas intentiones ipsis nondum innotuisse sequitur, vel Apostolornm instituta despexisse. Patres igitur Niceni ad vetustum morem referunt gradum Metropolitani, non sedem tantùm. Vox ἀρχαῖα in Canone Nicæno multas retro annorum centurias necessariò non innuit. In Concil. Carthag. 3. can. 54. secundum Zonaram ὁ ἀρχαῖος τύπος dicitur antiqua forma quæ ante annos septuaginta in Concilio Nicæno instituta fuerat. Petrus Actor. 15. 7. dicit Deum elegisse se ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων *Jampridem* (ad verbum *a diebus antiquis*) *ut per os eius audirent gentes sermonem Evangelij.* Quod non nostra ætate, sed avorum extitit ab antiquo fuisse dicimus, quamvis proavorum aut abavorum tempora non attigerit. Sed ipsius rei vetustatem & initia videamus. Iustinus Martyr, & Irenæus de Episcoporum gradibus nihil disserunt, sed altum est apud illius ævi

Margin notes: *De gradib. cap. 20.* — *Can. Isagog. l. 3. p. 301. 302.* — *Paræn. p. 19.*

scriptores

scriptores de eis silentium. Silent & ineunte Centuria tertia, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes. Mediâ Centuriâ Tertiâ Cyprianus Episcopos inter se æquales esse scribit. *Episcopatus unus est, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusius.* Item, *Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* In verba Cypriani hæc commentatur Spalatensis. *Ipsos vero omnes Episcopos non reducit Cyprianus ad ullam unitatem per subjectiones & Prælationes usque ad unum supremum, quæ est unitas subordinationis, sed omnes in solidum illam totam Ecclesiam gubernant. Si in solidum omnes & simul, certe inter ipsos neque est Prælatio neque subjectio. Et unus omnium,* inquit, *Episcoporum est Episcopatus, hoc est omnes Episcopi simul sumpti & in solidum unum tenent Episcopatum, & omnium est unum & idem officium, & munus inter multos tamen diffusum.* In Concilio Carthaginensi idem Cyprianus hæc habet verba, *Neque enim quisquam nostrum Episcopum Episcoporum se constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse posset alterum iudicare.* Quòd si quis dixisset, sic impune posse Episcopos quidvis agere, respondet alibi, *Idcirco, frater charissime, copiosum est corpus sacerdotum concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresin facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant cæteri, quasi pastores utiles & misericordes oves Dominicas & gregem colligant. Hos multos Episcopos ut redigat in unum,* inquit Spalatensis, *glutine eos concordiæ facit simul inter se cohærentes. Cohærentia hæc paritatem supponit, neque admittit subordinationem unius ad unum: admittit subordinationem unius ad plures, vel ad collegium, seu Corpus sacerdotum ut loquitur Cyprianus.* Hieronymus Epistolâ ad Evagrium Episcopos inter se pares esse ex eo colligit, quòd omnes Apostolorum successores sint. *Vbicunque,* inquit, *fuerit Episcopus, sive Romæ sive Eugubij, sive Constantinopoli sive Rhegij, sive Alexandriæ sive Tanis, eiusdem est meriti, eiusdem est sacerdotij. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* Whitgiftus Cantuariensis ait Episcopos & Archiepiscopos esse pares quoad ministerium, non quoad jurisdictionem, & esse eiusdem ordinis, non eiusdem gradus. *Non nego,* inquit Downamus, *Metropolitanos esse Episcopis comprovincialibus superiores potestate jurisdictionis, quantumvis omnes omnino Episcopi potestate ordinis sint æquales.* Hæc eadem Bellarminus. *Illud autem quod Hieronymus dicit, Episcopos esse eiusdem meriti & sacerdotij, verum est, sed intelligi debet de Episcopatu ratione ordinis, non jurisdictionis. Nec enim negare voluit Hieronymus maiorem esse ditionem Episcopi Alexandrini, quam Tanensis, cum constet illum tribus magnis*

L.4.epist.2. De simplic. Prælat.
De rep. Eccles. lib.3. c. 1. num.14.
L.3.epist. 13
De eccles. rep. l.3.c. 1. n.14.
Epist. 85.
Repl.p. 386 387.
Defens.l.3. p.127.
De Pontif. l.2.c.16.

provincijs, istum uni tantùm civitatulæ præfuisse. At Whitakerus respondet, *Illud non esse exponere Hieronymum, sed illudere. Illud Sacerdotij ordinem significat, de quo respondent : sane meriti quid aliud esse potest, quam dignitatis, potestatis, authoritatis, iurisdictionis? Quasi dicat Hieronymus, Episcopi omnes non tantùm sacerdotio, atque ordine, sed etiam merito, & potestate & honore & authoritate æquales sunt.* Et id valere nomen *meriti* ostendit ex verbis Hieronymi, nam prius dixit, *si authoritas quæritur*, tum subjicit, *omnes sunt eiusdem meriti & sacerdotij.* Possunt esse ditiores aut tenuiores, sed tamen hæc inæqualis potentiæ, aut paupertatis conditio non tollit dignitatis atque authoritatis æqualitatem. Quod ad objectionem de majore ditione Episcopi Alexandrini quam Fanensis, vel ut alij Tanensis, respondet Hieronymum de jure, non de humana consuetudine aut constitutione loquutum esse. *Æqualitas ordinis à Deo est*, inquit Iunius, *inæqualitas verò illius, quam hic Bellarminus dicit, iurisdictionis à positivo & humano iure.* Eadem totidem fere verbis Tilenus. *Nescivit*, inquit Spalatensis, *distinguere Hieronymus ab ordine iurisdictionem? Ignoravit Episcopos iurisdictione esse æquales, quos pares ordine faciebat scilicet, sub titulo Sacerdotij inclusit quicquid & ordinis & potestatis haberet Episcopus, & pro unica irrefragabili huius æqualitatis ratione posuit Apostolorum successionem.* Episcopus & Presbyter sunt eiusdem ordinis, quamvis secundum Hierarchicorum sententiam iurisdictione sint impares. An igitur ut Episcopus ad Presbyterum, ita se habet Archiepiscopus ad Episcopum? Cypriani testimonia de jurisdictionis potestate pari intelligenda esse, quis adeo vecors est qui non sentiat. Metropolitanorum potestatem non institutione Apostolica, sed constitutione humana subnixam arguunt Synodorum convocatio & in ijs Præsidentia in secunda annorum centuria. Prope finem Centuriæ secundæ refert Eusebius fideles sæpius convenisse, doctrinam Montani examinasse, hæresimque ejus reprobasse, & ex Ecclesia exterminasse. A Metropolitanis Synodos illas convocatas fuisse non refert. Eodem libro narrat convocatas fuisse varias Synodos ob controversiam de Paschate, & Synodo in Palestina præfuisse Theophilum Cæsareensem, & Narcissum Hierosolymitanum. Non præfuit igitur unus jure Metropolitico, Synodo, Episcoporum Ponti Palmas præpositus ὡς ἀρχαιότατος ut vetustissimus. Non ergo ut Metropolitanus præsidebat, nec in Palmam hanc prærogativam ob senectutem contulissent, si Metropolitano vel jure divino, vel lege aliqua Ecclesiastica, vel consuetudine debita fuisset. Si Metropolitanus non præfuit, nec convocasse censendum est. Qui nec ex officio præsidebant in Synodicis Episcoporum conventibus, neque eosdem convocabant, Episcopos consecrasse, Provincias visitasse, appellationes recepisse, comprovincia-

De pontif. quæst. 1. c. 3. n. 27.

De rep. Eccles. l. 2. c. 6. num. 6.

Histor. lib. 5. cap. 14.

Lib. 5. c. 21.

vincialium excessus & defectus correxisse quis compos mentis affirmare audebit. Hieronymus Epistola ad Evagrium, neque ab Episcopis, neque à Metropolitanis ordinatos Episcopos in Ecclesia Alexandrina, sed à Presbyteris solum electos & in celsiori gradu collocatos memorat. *Nam & Alexandriæ*, inquit, *à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri unum ex se electum in celsiori gradu collocatum Episcopum nominabant.* Consecrationis vox in Episcoporum Ordinationibus nondum nata, imò nec ordinationis. Nam Episcopi & Presbyteri una erat & eadem ordinatio. Erat igitur ista evectio ad Episcopatum nuda tantum electio & in prostasia perpetua collocatio. In Cēturia tertia legimus convocata fuisse in Africa Concilia quædam, quibus tamen non præfuerunt Episcopi Carthaginenses, ut Lambesitanum, in quo damnatus Privatus à 90. Episcopis, & Capsente convocatum ad Episcopi Capsensis ordinationem. Prope finem Centuriæ tertiæ convocata Synodus Antiochena non à Samosateno Antiocheno, sed contra Samosatenum. Mutuo consensu missis invicem literis Episcopi coiere in Synodis propè tres annorum centurias, nec uni ex officio cura convocandi, & præsidendi prærogativa perpetua in omnibus provincijs alligata fuit. Cyprianum Archiepiscopum, vel Provincialem Episcopum non fuisse comprovincialibus superiorem ipsius testimonia à nobis citata superiùs abundè testantur, ex quibus colligit etiam Musculus de Metropolitanis, & Patriarchis ne cogitasse quidem Cyprianum. Scribit quidem Cyprianus in hunc modum. *Sed quoniam latiùs fusa est nostra provincia, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas sibi cohærentes.* Sed scribit nomine Collegarum, ut indicant verba præcedentia; *Sed cum statuissemus collegæ complures, qui in unum conveneramus.* Non erat fusior illa provincia unius Cypriani, sed omnium Episcoporum comprovincialium ex æquo communis. Nazianzenus de Cypriani quadam præfectura hæc habet verba, *Neque Carthaginensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ præficitur, verùm etiam occiduis omnibus regionibus ac propè etiam ipsi Orienti, necnon Australi & Septentrionali Oræ.* Satisne sanus est, qui Cypriani jurisdictionem in has tam latè fusas provincias ex his verbis eliceret, & Pontificem Oecumenicum aliquem fuisse assereret. Quod igitur ubivis laboranti Ecclesiæ opem ferret scriptis aut consilio, & doctrinæ luce in Ecclesia tanquam majoris magnitudinis stella inter minora sidera coruscaret, & cura universalis Ecclesiæ, quæ in communi omnibus Episcopis incumbebat, ipsum magis sollicitum redderet, ideo Rhetoricè potius quam dialecticè Nazianzenus præficiendi verbo utitur. Eadem enim fere cura emicuit in Cypriano, quæ in ipsis Provinciarum illarum Præfectis, quibus tamen non præesse, sed prodesse volebat. Quod de Cypriano Nazianzenus scribit, personale

Cypr. l. 1. epist. 3. & l. 3 epist. 23.

Loc. com. de ministr. potestat.

Lib. 4. epist. 8

Nazianz. in laudē Cypr.

fuit, & Carthaginensibus Episcopis neutiquam accommodandum. Si fortè alicubi occurrant de alijs illius Centuriæ Episcopis similes phrases, personarum elogia, non sedis aut dignitatis præfectura, inde colligenda sunt, nisi cæteris eiusdem sedis Episcopis easdem congruere, ex illius ævi scriptoribus probare possint, quod non posse confido.

Natura suadente, Apostolica Ecclesia exemplo suo præeunte, & necessitate flagitante coierunt vicini Episcopi ejusdem Provinciæ, regionis, aut Præfecturæ civilis, ut canones conderent, hæreses & suppullulantes errores supprimerent, aliaq; communia ecclesiarum suarum negotia curarent. Non erat penes unum convocandi, aut præsidendi prærogativa: sed ex condicto, & communi consensu, vel synodi decreto & indictione, Synodos Provinciales indixerunt, & præsidem elegerunt, vel qui ætatis, ut in Synodo Ponti Palmas, vel qui donorum ratione maxime idoneus, sive is esset Metropolis Episcopus, sive alius aliquis. Postea alligata est tum convocandi, tum præsidendi prærogativa Metropolitano, sed absque iurisdictione: eratque mera prostasia, quamvis perpetua: verùm quia perpetua, etiam periculosa, & in jurisdictionis potestatem postea facillime mutata. Pessimo consilio sedibus, & locis prærogativas alligarunt, ac si spiritus sanctus ipsis etiam sedibus alligatus esset, *cum deterrimi quique persæpe sunt primi, qui in administrando æque insolentes esse solent*, inquit Bilsonus, *ac in assequendo impudentes fuerunt.* Ex throni prærogativa orta est violenta & tyrannica dominatio. Hinc illæ lachrymæ, & votum Nazianzeni. *Vtinam*, inquit, μήδε προεδρεία μήδε τις τόπου προτίμησις καὶ τυραννικὴ προνομία *esset, ut ex sola virtute cognosceremur.* Proedria igitur & loci prærogativa tyrānicæ, & violētæ dominationi viam cōplanarunt. Imprudētes quidē veteres, nescij quis vel qualis futurus esset Antichristus, mysteriū iniquitatis, quod Apostolorū tēporibus peragebatur, sedulò promovebāt, prudētes tamē & de industria Politiam Ecclesiæ ad Romani Imperij typū & formā conformabant. Tres celeberrimi Metropolitani alijs Episcopis in suarum sedium civilibus præfecturis præpositi sunt primùm consuetudine, deinde lege & decreto Synodi Nicenæ. Romæ sedem habebat Præfectus urbi, cujus jurisdictio ad centessimum ab urbe lapidem procurrebat, & quatuor regiones Latium vetus & novum, partem Tusciæ & Piceni ejus Præfectura complectebatur. Eadem præfectura erat Metropolitæ Romani provincia. Ruffinus qui scripsit non multo post Synodum Nicænam sic reddit verba Canonis sexti. *Vt apud Alexandriam, & in urbe Roma vetusta consuetudo conservetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ecclesias suburbicarias intelligit Ecclesias

De gubern. c. 16. p. 478.

in

in regionibus urbicarijs, ceu suburbicarijs, quæ ad Centesimum ab urbe lapidem protensæ erant, ut erudite demonstrat Conjector Anonymus in dissertatione de Romæ Regionibus & Ecclesijs suburbicarijs, eiusque Vindicijs. Metropolitanus Alexandrinus eandem habebat Præfecturam quam Præfectus Alexandrinus (qui & Præfectus Ægypti, & Præfectus Augustalis dicebatur) id est Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin. Antiochiæ sedem habebat Comes Orientis, & Antiochenus Metropolitanus quandoq; Orientis Episcopus dictus ejus præfecturæ Metropolitanus fuit. Quāvis Alexandrini & Antiocheni Provinciæ latius fusæ erant, quàm Romani, Romanus tamen Metropolita ob urbis, & præfecti dignitatem dignior habebatur: in alios vero Metropolitanos potestatem nullam habebat. Non erant plures Episcoporum gradus tempore Nicæni Concilij quàm duo, nempe Episcopus & Metropolitanus. Hallucinantur, qui Patriarchas à Patribus Nicænis constitutos arbitrantur. Nondum vel Archiepiscoporum vel Patriarcharum nomina audita in Ecclesia, nec ulla erat Metropolitanorum ad Archiepiscopos majores aut Patriarchas subordinatio, etiam in celebrioribus illis Prouincijs & Præfecturis Alexandrina, Antiochena & Romana. Latè quidem patebant Alexandrini & Antiocheni, fortè etiam aliorum quorundam præfecturæ ante Concilium Nicænum cum tamen nulli suberant ipsis Metropolitani. Proferant vel unicum exemplum ullius Metropolitani sub Antiocheno aut Alexandrino tempore concilij, quamvis eorum Præfecturæ erant amplissimæ. Non terrarum latifundia, sed Metropolitanorum subordinatio, & relatio Patriarcham constituunt. Et in canone Nicæno Metropolitæ, non aliud nomen usurpatur. Veteres in his gradibus gradum non sistunt, sed gradum celsiorem post Concilium Nicænum mutatâ civilis Politiæ ratione fabricati sunt? Scriptor ille Anonymus in Vindicijs in hunc modum disserit. *Postea quā Imperatoribus Constantino nominatim administrationes, & Magistratus multiplicandi libido incessit, sive minuendæ Magistratuum potentiæ, sive quò plures ad Reipublicæ munia admitterentur, sive alia quacunque tandem ratione, ex una & simplici administratione sive Provincia Diœcesis tandem una facta fuit. Hac quidem ratione, ut singulis Provincijs singuli imponerentur Magistratus, summa tamen ferme omnium, atq; adeo totius Diœceseos administratio pristino Magistratui relinqueretur, ut ecce, Ægyptus, quæ præfectum Augustalem agnoscebat, una fuerat initio Provincia, seu administratio, in tres postea divisa illa, atq; adeo ex Provincia Diœcesis, facta fuit. Simili exemplo una primùm centesimi milliari administratio fuit, ea postea in plures, Suburbanas videlicet subdivisa Provincias Præfecti urbis Diœcesis facta fuit; singularum nihilominus ferme per hanc Diœcesin Provinciarum cura singulis Rectoribus commissa.* Pag. 8.

Subdivisis igitur Præfecturis amplioribus, vel ut Spalatensis loquitur, patentissimis, sub veteribus Metropolitanis constituti sunt alij Metropolitani, & illi veteres in celsiorem gradum evecti sunt. Graduum Hierarchicorum scalam illustrat locus illustris Scaligeri in Notitia Galliæ. *Postea, inquit, Constantinus Magnus institutis quatuor Præfectis Prætorio, duobus in Oriente, totidem in Occidente, alterum Occidentis in urbe Roma, alterum in urbe Trevirense collocavit, qui Præfectus Prætorio Galliarum vocatus fuit. Et quia per occupationes imperij in illis urbibus hærere perpetuò non licebat, Vicarij aliquot eis attributi sunt, qui eâdem potestate provincijs jus dicerent. Præfecto igitur Prætorio Galliarum tres Vicarij dati, primo sedes data Treveris, secundo Lugduni, tertio Viennæ. Itaque ut horum Vicariorum magna erat authoritas, ita urbium quoque in quibus sedem habebant, maxima claritas. Treverensi Vicario parebant primæ & secundæ Germaniæ, & Belgica, & Britannia, &c. Totum hoc quod unius Vicarij iurisdictioni subjacebat Latini quomodo designarint nescio, sed Græci* ἐξαρχίαν, διοίκησιν, πατρίαν *vocant. Regnorum vices, inquit, multa in hac divisione mutarunt, sed status Ecclesiasticus tam in Oriente quàm Occidente ejus integra vestigia hactenus retinuit. Nam civitates quæ in Provincijs nomina fecerunt* Μητροπόλεις *vocant, & si in eis sedes Vicarij fuerit, quem* ἔξαρχον *dicebant, eas non solum* Μητροπόλεις, sed & ἐξαρχίας, & πατριαρχίας *nominant, & Præsules earum* ἐξάρχους, καὶ πατριάρχας, reliquos Μητροπολίτας καὶ Ἀρχιεπισκόπους qui sub se ἐπισκόπους tantum habeat. Nam οἱ ἔξαρχοι sub se præter ἐπισκόπους etiam Μητροπολίτας habent, Μητροπολίται vero tantum ἐπισκόπους. *In Ecclesia Latina Archiepiscoporum & nomen & jus manet & iurisdictio in suos suffraganeos Canonica, sed* ἐξαρχιῶν *nulla vestigia extant, nisi forte quædam umbra ejus fuerit, quod Metropolita sive Archiepiscopus Viennensis Primatem Primatum sese appellat.* Vides igitur tertium gradum introductum ad imitationem status civilis, nempe Patriarcharum, qui ἔξαρχοι dicebantur & Metropolitanis superiores erant, sedesque easdem cum Vicario Præfecti Prætorio, habebant. Sicubi esset sedes etiam Imperij, & Præfecti Prætorio cæteris digniores censebantur, & duo illi Patriarchæ Romanus, & Constantinopolitanus inter se sæpius dimicarunt, donec tandem superior evaserat Romanus. Aucta Provinciæ aut civitatis dignitate, Episcoporum pariter in eadem civitate, aut Provincia augebatur authoritas aut dignitas, eâdem concidente & Episcopalium sedium dignitas concidit. *Si quæ verò civitas,* decreverunt Chalcedonenses, *Imperatoria authoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit,*

Pag 73.

Cano. 17.

fuerit τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡ τάξις ἀκολουθεῖτο, *id est civiles & publicas formas Ecclesiasticus quoq; ordo consequatur.* Cæteris dignior habebatur Episcopus Romanus διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, *quod vrbs illa regnaret*, vel cæteris imperaret, ut dicitur in eodem Concilio. Constantinopolitanus quamvis post Alexandrinum & Antiochenum ortus eis tamen prælatus, quòd Constantinopolis esset quasi nova Roma Senatu & imperio cohonestata, & æqualibus cum vetere Roma privilegijs frueretur. Translata sede Præfecti Prætorio Illyrici è Syrmio Thessalonicam, translata etiam dignitas Ecclesiastica illius sedis, & tum ipsam præfecturam Sacerdotalis honos cõsecutus est, ut ait Iustinianus, qui Thessalonicensem Episcopum *sub umbra Præfecturæ, non suo merito aliquam prærogativam meruisse dicit.* Divisa Cappadocia Anthymus Tyanensis Ecclesiastica unà cum civilibus dividi oportere contendebat, & Basilio Cæsareensi in eo certamine superior evasit. Videmus igitur non modo in sedibus constituendis, dividendis, transferendis, evehendis, sed etiam in ipsis gradibus constituendis ad typum civilis imperij politiæ Ecclesiasticæ formam æmulatione ambitiosa & periculosa composuisse veteres. Delirium Flaminum & Archiflaminum, ipsi rejiciunt. Myræus in Epistola præfixa Notitiæ Patriarchatuum agnoscit hanc æmulationem Imperij. *Huic* nempe Romano Pontifici, inquit, *proximi olim Patriarchæ quatuor Primarij, sed longo proximi intervallo. Sequuntur Metropolitani, sive Archiepiscopi, & longa serie Episcopi. Singulis suæ diœceses & Provinciæ sunt attributæ, & commissæ. Divisionis huius typos, & formas Ecclesia à Republica Romana magna ex parte est mutuata, adeo quidem, ut veteres Provinciæ & Ecclesiasticæ cum civilibus fere conveniant.* Quamvis ad amussim in omnibus Ecclesiastica civilibus respondere non poterant, vel ob gentes nondum conversas, vel alia impedimenta, tamen maxima ex parte inter se cohærebant, & ut plane responderent conabantur veteres. *Sat, si di amus*, inquit Filesacus *priscos illos nascentis Ecclesiæ Patres è Republica non solùm pro urbium dignitate, qualis tunc temporis existebat, quin potius Provinciarum partitione, quæ eo sæculo cernebatur, supremarũ in Ecclesia dignitatum institutionem, imitatione aliqua derivasse.* Sed urbium etiam dignitatem respexisse supra ostendimus. In concilio Taurin. lis inter Arelatensem & Viennensem de Primatu sic derempta est, ut qui civitatem suam Metrolim in temporalibus probaverit, is totius Provinciæ Primatum, & ordinationum haberet potestatem. Sic *sub Bonifacio quinto Toletanæ Ecclesiæ ius Metropoliticum defenditur*, inquit Spalatensis, *à Rege Gundemaro, quia Imperij solio erat Toletana civitas sublimata, & unica erat in temporalibus Provinci, cuius Metropolis erat Toletum.*

Can. 28.

Novel 11.

Spalat. l. 3. c. 2. num. 2. Sarav. cap. 24. sect. 3.

De episcop. author. cap 9. sect. 2.

De repub. eccles. l. 3. c. 2. n. 13

Ibidem.

Ibidem, *Totam vero hanc Hierarchicam subordinationem inter Episcopos Catholicæ Ecclesiæ, suo jure humano Ecclesiastico esse institutam inde vel maximè patet quod in Concilijs omnes controversiæ circa illam, non nisi ex statutis Ecclesiasticis terminantur, & ex civitatum typis sæcularibus.* Agnoscit etiam Downamus Ecclesiam à Republica politiæ formam mutuatam esse. *Vera origo*, inquit, *superioritatis Metropolitanorum & Patriarcharum in suis ditionibus erat Politiæ civilis exemplar in Imperio Romano.* Sed oggerit nobis Saravia, & ista omnia nullius momenti esse dictitat. *Populare quidem vel potius puerile est*, inquit, *quod de Metropolitanis, & Diœcesibus & Paræcijs adfertur, cum æque Persicum, Babylonicum Turcicum, vel Abyssinum referat, ac Romanum Imperium.* Verum quidem est referre etiam alia imperia, & quomodo Turcicum referat elegantissime depinxit Peucerus in libro de divinationum generibus. Sunt quædam communia imperijs & Politijs, ut Leoni, & Leopardo, & Tigri. Veteres tamen non proponebant sibi exemplar imperij Persici, Turcici, aut Babylonici, sed Romani in formanda politia Ecclesiastica. Formabant bestiam ad imaginem illius bestiæ, & pro incremento, inclinatione, aut mutationibus in imperio, tum in gradibus tum in sedibus æmulati sunt politiam Romanæ reipublicæ. Et quamvis Patres Nicæni qui Metropolitanos, & Constantinopolitani, qui partitis Provincijs Patriarchas teste Socrate stabiliverunt, prudentes, ut supra dixi, Antichristum non introducebant, imprudentes tamen id agebant, & dignitatum gradus, non tam prudentia humana, quàm aut spiritu ambitionis ducti, aut in natura Christianæ politiæ dignoscenda hallucinantes constituerunt. Cyprianus queritur, *in sinu sacerdotum ambitionem dormivisse, ibi sub umbra recubasse, ibi in secreto thalami se fraudulenter occultasse.* Irenæus, *Dominici patrimonij damna conquiritis, dum soli vultis in Ecclesia potentari.* Eusebius persecutionem Diocletiani procuratam à vitijs Ecclesiasticorum refert. Præsides Ecclesiarum & pastores, repudiata pietatis regula, dissidio & contentione inter se exardescebant, & *tyrannorum more Principatum obtinere studebant.* Libellos illos in Concilio Niceno oblatos Constantino, de limitibus provinciarum, aut Diœceseon contentiosas lites fuisse auguror. Doctrinam Dæmoniorum introduxissent, nisi unus obstitisset Paphnutius. Qui tam proclives ad lapsum, & errorem in alijs rebus, in disciplina scilicet & politia Ecclesiæ constituenda hallucinari non poterant; cum non nisi corrupta Ecclesiæ politia ad solium suum ascendere poterat Antichristus, & iniquitas ista peragebatur in mysterio, tum in ortu, tum in incremento.

De tripl. Episcop. p. 57.

Lib. 5. cap. 8.

serm. de jeiunio & tétat.

Advers. hæres. l. 4. c. 44.

Hist. lib. 8. c. 1. & 2.

CAP.

Capvt. III.

De Archiepiscoporum in Anglia dignitate & potestate.

HActenus de personis supremam administrationem habentibus, sequuntur personæ,

Minus amplam habentes administrationem, eamque vel judicialem, vel Minime judicialem. Iudicialem, eamque vel lege constitutam vel lege minime introductam. Lege constitutam, ut ordinariorum judicum. Hi autem sub Principe eam exercent vel nomine proprio vel nomine alieno. Nomine proprio ut Episcopi sic dicti cum additione ista, ut Archiepiscopi, vel Episcopi simpliciter.

Archiepiscopi, quorum in Anglia duo, Cantuariensis, & Eboracensis, considerantur, vel respectu peculiarium suarum Diœcesium, prorsus ut alij Episcopi: vel respectu totius provinciæ, secundum locum quem tenent in statu Ecclesiastico, vel in statu Civili. In statu Ecclesiastico, vel juxta locum quem tenent utrique Archiepiscopo communem, vel peculiarem Cantuariensi. Vtrique Archiepiscopo communem, vel in ordinatione ipsa, vel post ordinationem.

In ordinatione ipsa, ut si non fuerint ante Episcopi, consecrentur a quatuor Episcopis. Si fuerint, eorum electio confirmetur a quatuor Episcopis.

Episcopus, etsi antè Presbyter, de novo consecratur: Archiepiscopus, etsi ante Episcopus, de novo non consecratur. Non sunt igitur Episcopus & presbyter Hierarchicorum praxi ejusdem ordinis. Nam si essent ejusdem ordinis, ut Episcopus & Archiepiscopus, non consecraretur, Episcopus qui ante Presbyter, magis quàm Archiepiscopus qui ante Episcopus. Archiepiscopi electio secundum veteres Canones facta per omnes comprovinciales Episcopos, Clerum, & Plebem, eratque moraliter una actio,

electio, confirmatio, ordinatio ceu conſecratio. Qui eligebant Epiſcopi comprovinciales etiam confirmabant, non tres aut quatuor ſolummodo, & qui confirmabant etiam conſecrabant. *Et certum eſt*, inquit Spalatenſis, *Epiſcopos conſecratores fuiſſe quoque ordinarios electionum, electorumque confirmatores, & approbatores, & conſequenter examinatores & indagatores.* Anicetus ad Epiſcopos Galliæ, *Illud autem, quod de Archiepiſcopi conſecratione prædictum eſt, atque præceptum, id eſt, ut omnes Suffraganei eum ordinent, nullatenus debet immutari, quia qui alijs præeſt ab omnibus quibus præeſt debet conſtitui, ſin aliter præſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt, quia irrita ſecus erit ejus acta ordinatio.* Idem ſtatuit Gelaſius, *Et viciſſim ſi Metropolitanus humanæ conditionis ſorte deceſſerit, à comprovincialibus Epiſcopis ſicut forma tranſmiſit, ſacrari modis omnibus cenſeatis: nec quicquam ſibi quod vobis antiqua diſpoſitione conceſſum eſt, patiamini vindicare.* Sic Leo primus, *Metropolitano defuncto, cum in loco eius alius fuerit ſurrogandus provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolin convenire debent, ut omnium clericorum atque civium voluntate diſcuſſa, ex preſbyteris ejuſdem Eccleſiæ Diaconus optimus ordinetur.* Sic leguntur extrema verba in Editione Gregorij 13. Concilium Aurelianenſe etiam præcipit Metropolitanum à comprovincialibus Epiſcopis eligi, cum conſenſu cleri & civium; *Quia æquum eſt, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Balſamo in concilij Conſtantinopolitani cap. 2. *Nota ergo*, inquit, *ex hoc canone quòd olim omnes Provinciarum Metropolitani erant* αὐτοκέφαλοι, *& à proprijs Synodis ordinabantur.* Confirmationem Epiſcopi per Patriarcham, quamvis Pontificem Romanum ut occidentis Patriarcham agnoſcant non urgemus, ſed vetuſtiorem Eccleſiæ morem eligendi, confirmandi, & ordinandi in Epiſcoporum Synodis obſoletum, ab Anglicanis non reſtitutum, ipſos non veteri, ſed recentiori humanæ politiæ forma uti indicare dicimus. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum conſecrationis ritus ijdem, de quibus infra.

Lib. 3. c. 5. num. 9. — *Diſtinct. 66. cap. cap. 1.* — *Diſt. 54 cap. 6.* — *Diſt. 63 cap. 19. Metropolitano.* — *Aurelian. 3. can. 3.*

Poſt ordinationem, vel quatenus ſunt Metropolitani, vel Archiepiſcopi, vel Primates ſive Patriarchæ minores.

De polit. eccleſ. Angl. cap. 4.

Mucketus in hanc titulorum varietatem ſic commentatur. *Verùm eſt noſtri hodie Archiepiſcopi, & Primates in Anglia ſolùm Epiſcopos habent ſibi ſubditos, tamen inſigniuntur tum Archiepiſcoporum & Primatum titulis, tum horum perinde ac Metropolitanorum officijs funguntur.* Qui fucatum ordinis Hierarchici ſplendorem tantopere nobis commendatum volunt, viden' ut eundem ipſi labefactent. Miram veterum ſolertiam & prudentiam canunt Hierarchici in fabricanda graduum Hierarchicorum ſcala, cum tamen facto ſtultitiam

titiam & imprudentiam ipſis objectent. Quid enim opus erat tot
gradibus, ſi unus Metropolitanus in ſua provincia, abſque vlteriori
graduum ſubordinatione tribus fungi officijs poterat, vel potius
virtute unius omnia peragere munia, quæ tribus diſtincti gradibus
Epiſcopi exercere tenebantur. Litem inter juris Cæſarei, & Ca-
nonici conſultos, an Metropolitanus & Archiepiſcopus ſint ejuſ-
dem gradus, ſic componit Matthias Stephani. Quoſdam Archie- *De iuriſdict.*
piſcopos ait eoſdem eſſe cum Metropolitanis, ut Mediolanenſem, *l. 3 part. 1.*
Ravennatenſem, &c. alios verò eſſe Archiepiſcopos, quibus ſubji- *cap. 7.*
ciuntur non modo Epiſcopi, ſed etiam Metropolitani ut Piſanum,
Aquileienſem, Gradenſem, & ſimiles. Downamus ait Archie- *D ſenſ. l. 2.*
piſcopum tenere medium locum inter Metropolitanum & Patri- *cap. 1 p. 17.*
archam. Rectius Anglorum eruditiſſimus Iohannes Raynoldus in
Collatione cum Harto, ex Novellis probat Archiepiſcopum fu-
iſſe olim eundem cum Patriarcha Διοικήσεως. Suprà vidimus in
Scaligeri Notitia, ἔξαρχον τῆς διοικήσεως dictum etiam Patriar-
cham. Diœceſis autem vox non uſitata apud nos notione, ſed
pro plurium provinciarum adminiſtratione ſumenda eſt. Patriar-
chæ igitur, & exarchi harum majorum Diœceſium primùm dicti
ſunt Archiepiſcopi, non autem Metropolitani eis ſubjecti. Vſurpata
Archiepiſcopi vox in Concilio Chalcedonenſi, ſed in denotandis
tantummodo celeberrimis Patriarchis, non autem inferiorum
ſubſelliorum Metropolitanis, à quibus ad Patriarchas illos appel-
lare ut etiam ad Exarchum Diœceſeos majoris à Synodo conceſ-
ſum fuit. Poteſt vox ἀρχὴ in compoſitione ſignificare principa-
tum inter cæteros, non in cæteros ejuſdem ordinis. Sed quibus,
& qua ratione imponantur nomina ſpectandum, non quod ſit ety-
mon, & quæ propria vocis ſignificatio. Cum igitur in compoſi-
tione ſignificat etiam principatum in alios, & non principatum
ſolum inter alios ad denotandũ primum ordine vel præcipuum in-
ter cæteros ejuſdem ordinis, & priori ſenſu attribuitur Patriarchis,
qui in alios Epiſcopos, & Metropolitanos, principatum obtine-
bant, a quibus per Canones & Leges ad ipſos provocare licebat,
faſtuoſum eſſe vocabulum dicimus, & tantùm ſæculi typhum
ſpirare, adeo ut ipſi impoſitores primi Metropolitanis communi-
care non dignati ſunt. Exarchi nomen in ſe modeſtiſſimum,
inceptorem communium deliberationum ſignificans reſpue-
runt tamen Patres Africani in Concilio Carthaginenſi. *Pri-*
mæ ſedis Epiſcopus non appelletur ἔξαρχος τῶν ἱερέων *Princeps ſacer-* *Diſt. 99 cap.*
dotum, vel ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantum Primæ *3. primæ*
ſedis Epiſcopus addit Gratianus, *univerſalis autem nec etiam Romanus*
Pontifex appelletur, ne forte quis putet præcedentia de Romano *De gradib.*
Pontifice intelligenda eſſe. Dicit Saravia Longinum in Italiam *cap 25 ſect.*

 attuliſſe *14.*

attulisse novum regiminis nomen Graiæ superbiæ plenum, ut exarchus diceretur. Fatetur etiam verisimile esse patres metuisse ne simul cum nomine parem potestatem Romani Episcopi in Collegas adsumerent. Sed dè Episcopis Romanis non intelligenda Canonis verba ex Gratiano ostendimus. Archiepiscopi nomen communicatum est Metropolitanis, sed seriùs. *Video*, inquit Filesacus Theologus Parisiensis, *in Occidente Archiepiscopi appellationem nonnisi serò receptam fuisse*. Ibidem. *Archiepiscopi nomen primùm usurpatum in his partibus Concilio Matisconensi primo, canone sexto, à qua voce diu abstinuerunt nostri, & rarò ea usi sunt*. Vbi in præfatione Concilij Moguntini sub Carolo Magno Hildebaldus memoratur Sacri Palatij Archiepiscopus, Archicapellanum legendum esse contendit, & sibi adstipulantem adducit Nicolaum Fabrum. Ambrosij opus de dignitate sacerdotum vel suppostitium vel interpolatum esse alij observarunt. Quando cœptum est appellari ab Episcopis & clericis ad Metropolitanum, & qui ordine tantum prior in conventibus, cœperat esse etiam gradu potestatis & jurisdictione superior, absorpta & in eum translata Synodi potestate, tunc passim Archiepiscopi augustiore nomine insignitus Metropolitanus. Vides igitur appellationum rationem semper fere sequutam hanc vocem. Appellationum autem transmarinarum causa dixerunt Patres Africani Pontificem Romanum fumosum sæculi typhum in Ecclesiam introducere voluisse. Tilenus inflato spiritu inflatos Archiepiscoporum, & Patriarcharum titulos propugnat. *Quasi vero*, inquit, *in signis & vocabulis sit fastus, ac tum demum optimè habitura sit Ecclesia, cum pastores abjectis Episcoporum, Archiepiscoporum, & Primatum titulis, fraterculorum illorum, qui Minores & Minimi dici gaudent, nomina assumpserint. Nempe non solus Diogenes Platonis, sed vestri quoque ministri Episcoporum fastum alio calcant fastu*. In signis & vocabulis posse inesse fastum quis nisi cerebrosus aliquis negabit, & in Archiepiscopi, exarchi, & Patriarchæ nominibus revera inesse ostendimus, nec nisi Patriarchis celeberrimis, & exarchis Vicariorum sedes possidentibus primùm imposita. Et ἀρχή principatum in alios inferiores etiam ipsos Metropolitanos innuere docuimus, nec Metropolitanis ubique communicatum, donec in gradum potestatis & jurisdictionis superioris evecti essent. Episcopi, Presbyteri, προεστῶτος nomina retinemus & eo sensu retinemus, quem docuit nos spiritus sanctus. Fastum in titulis & nomenclaturis scripturæ inesse si quis dixerit, impius esset. In personis fastum damnamus Diogenicum, sicubi deprehenderimus. Sed quis tu es qui judicas alienum servum & Diogenicum fastum in animo latentem perspicis. Ex proprio ingenio viros pietate

De sacra Episc. author. cap. 9. sect. 14. 15.

Parænes. cap. 8.

pietate & vera modestia conspicuos te metiri, qui Tilenum norunt, omnes norunt. Hypocriticas Minorum & Minimorum appellationes & nomenclaturas etiam vitamus. Episcopi nonnunquam se *servos servorum* dictitarunt, ut adductis exemplis ostendit Filesacus. Paulus Aquilegiensis Episcopus se *Servorum Domini ultimum servum* appellat. Diedericus Episcopus Metensis, Bonifacius Moguntinensis, Maurus Episcopus Ravennas, & alij Episcopi in epistolis ad Bonifacium aut alios missis se *servos servorum Dei aut famulos famulorum Dei* inscribunt. *Et Græci*, inquit, *Episcopi cum de seipsis loquuntur persimili demissionis forma* τὴν ἡμῶν μετριότητα, *nostram mediocritatem dicunt*. Alij etiam *peccatoris* nomine subscribebant, ut Prætextatus Rhotomagensis, Germanus Parisiensis, & alij in Concilio 1. Turonensi. Observat & Meursius in glossario hanc vocem ἁγιωσύνη in sermone & Epistolis ad Patriarchas & Episcopos usurpasse, & Patriarcham Metropolitanos & Archiepiscopos in literis ἱερωτάτους simpliciter appellasse, ipsos autem sese mutuò πανιερωτάτους. Habet igitur fraterculorum Minorum & Minimorum fastum Diogenicum in Episcopis & Archiepiscopis suis Tilenus. Sed pergamus. Primates regulariter sunt, ut vult Zecchius, qui præsunt tribus Metropolitanis, ut Reges qui tribus ducibus. Iohannes Belethus similiter, *Primates qui tribus Archiepiscopis præsunt, vel præesse possunt, Regem exprimunt, cujus potestas se extendit ad tres Ducatus. Metropolitani sive Archiepiscopi comparantur ducibus, qui pluribus præsunt Comitibus. Nam & Archiepiscopi pluribus Episcopis præesse dicuntur. Episcopi habent similitudinem Comitum.* Aucta Metropolitanorum potestate, hoc etiam Archiepiscopi titulo aucti sunt. Secundum usum hodiernum Patriarchæ dicuntur quatuor illi celeberrimi Antiochenus, Romanus, Alexandrinus, Constantinopolitanus, & quintus honorarius Hierosolymitanus. Sex præterea minorum gentium numerantur Patriarchæ hoc titulo ex privilegio & consuetudine insigniti, Aquileiensis, Gradensis, Bituricensis, Toletanus, Pisanus, Cantuariensis, quibus addunt quidam Magdeburgensem. Patriarchæ tamen nomen Metropolitanis etiam communicari posse asserit Matthias Stephani. *Possunt*, inquit, *& Metropolitani quodammodo Patriarchæ appellari, licet non sint verè Patriarchæ, item Primates, licet certum sit ab his ad illos appellari posse.* Proprie igitur Primates & Patriarchæ sunt ad quos à Metropolitanis appellare licet. Sed de vocabulis fortè plus satis.

De Episcopor. author. cap. 9. sect. 5.

Pag. 7.

De repub. Eccles. p. 113

De divinis officijs. c. 14.

De iurisdict. l. 3 part. 1. cap. 8.

Quatenus Metropolitani

1 In confirmandis Episcoporum suæ provinciæ electionibus.

2 In consecrandis huiusmodi Episcopis unà cum duobus alijs Episcopis.

Quod de Archiepiscoporum electione, confirmatione,& consecratione supra diximus, de Episcoporum etiam electione, confirmatione, & consecratione verum est. Nam præsentibus tam Metropolitano quàm cæteris Episcopis comprovincialibus eligebatur Episcopus, quamvis hodie post electionem adire solent Metropolitanum, inquit Duarenus, & Canonem Nicęnum de confirmatione apud nos usitata non intelligendum esse asserit. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebe sunt expetiti, nec à comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati,* inquit Leo. Si commodè convenire poterant omnes Provinciæ Episcopi, electioni & ordinationi interesse tenebantur per Can. 4. Concil. Nicen. & cæterorum qui aberant consensus per literas requirebatur. *Sed melius est,* inquit Lucius Papa, *si ipse* nempe Metropolitanus, *cum omnibus, eum qui dignus est, elegerit, & cuncti pariter Pontificem consecraverint.* Sed semper difficile, nunquam melius Archiepiscopo Anglicano convocare Synodum Provincialem Episcoporum, & unâ eâdemque operâ, electionem, confirmationem & consecrationem conficere: certe quia Pontificiorum Metropolitanis parilis mos est, quos studiosè imitantur & non veteres illos Metropolitanos. Quamvis tempore Synodi Nicænæ Provinciæ erant paucæ, & patentissimæ, ut loquitur Spalatensis, tamen statuit Synodus Nicæna, ut omnes Provinciæ Episcopi adessent. Quòd si quis commode non poterat, consensum missis literis significaret. Omnes tamen præmonere tenebatur Metropolitanus, quamvis provinciæ erant amplissimæ. Post Concilium Nicęnnm multiplicatis Provincijs, cum jam facilius poterant convenire, multiplicati etiam sunt canones de Synodorum conventibus,& synodica electione & consecratione Episcoporum. Antiochenum Concilium, *Episcopus præter Synodum, & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram posito melius quidem est, ut omnes simul adsint ejusdem Provinciæ sacerdotes quos Metropolitanus Episcopus per literas convocabit.* Vide etiam Anacletum,& Martinum Papam in Gratiani Decreto, item librum Synodicum Constantinopolitanorum in Theodoreti historia Ecclesiastica, ubi Nicænorum patrum sanctionem semper valuisse memoratur. Sed Episcopi Anglicani vel in aula vel in palatijs Episcopalibus molliter otiari malunt quam collapsam veterum disciplinam instaurare, nedum primævam & Apostolicam. Ad Metropolitanos jure divino Episcoporum consecratio, non magis referenda est, quàm ad alios Episcopos. Spalatensis asserit jure divino quemcunque Episcopum posse à quocunque Episcopo

De minist. et benef. l. 5. c. 1

Dist. 62. c. nulla.

Decret. lib. 1 titul. 11. c. 5.

L. 3. cap. 5. num. 9.

Can. 19.

Dist. 64. c. 2. & 7.

L. 5. c. 9.

Lib. 3. cap. 5. num. 1.

copo ordinari & consecrari, sed jure humano Ecclesiastico ad confusiones vitandas non esse permissum. *Sed divisæ sunt*, inquit, *Provinciæ, juxta sæculares, & mundanas, Chorographicasque divisiones, ut Episcopi uniuscuiusque provinciæ suos eiusdem provinciæ Episcopos ordinarent. Atque hæc cura potissimum in Metropolitanum provinciæ conjecta est, cuius prima & potissima institutio propter jam dictas ordinationes.* Presbyteros unum ex suorum numero elegisse, & in celsiori gradu constitutum Episcopum nuncupasse supra ex Hieronymo ostendimus. In Primitivæ Ecclesiæ centuria secunda rariores erant Synodi. Nondum igitur erant Episcopi ab Episcopis alijs nedum Metrepolitanis consecrati. Posse alios Episcopos permissu Metropolitani Episcopum consecrare, patet ex decretalium libro primo: imò consecratos absque Metropolitani consensu & conscientia esse tamen legitimos Episcopos patet ex Hilarij Papæ rescripto ad Episcopos Tarraconenses, dispensantis in ordinatione Episcopi absque notitia & consensu Metropolitani. At nec Metropolitani hanc provinciam alijs demandare vel permittere, aut Papa dispensare posset, si jure divino Metropolitanis ordinandi potestas competeret. Sylvester Giraldus in Topographia Hiberniæ, *Archiepiscopi vero in Hibernia nulli fuerant, sed tantum se Episcopi invicem consecrabant. Donec Iohannes Papyrio Romanæ Sedis legatus non multis retro annis advenit. Hic quatuor Pallia in Hiberniam portavit.* Vide Filesacum. Ex Beda Anglo-Saxone etiam constat quandoque Presbyteros Episcopos consecrasse in insula S. Columbani. *Habere autem solet ipsa insula*, inquit Beda, *Rectorem semper Abbatem Presbyterum, cuius iuri & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subiecti, iuxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus sed Presbyter extitit, & Monachus.* Et ibidem, *Ab hac ergo insula ab horum collegio Monachorum ad Provinciam Anglorum instituendam in Christo missus est Aidanus accepto gradu Episcopatus, quo tempore eidem monasterio Segenius Abbas & presbyter præfuit.* Non opus esse præsentia metropolitani in Episcoporum consecratione colligit Filesacus ex Concilio Aurelianensi quarto, & Carthaginensi quarto, & satis esse si eius consensu fiat. Henricus Spencerus Episcopus Norwicensis consecratus est ab Archidiacono Norwicensi, ut ex Nevillo refert Godwinus Landavensis. Guilielmus de Eboraco consecratus est Wiltoniæ Episcopus Sarisburiensis à Fulcone Episcopo Londinensi anno 1247. Per leges Anglicanas renuente Archiepiscopo potest vel Archiepiscopus alter, vel alius quivis Episcopus ab alijs Episcopis consecrari. Canisius in summa iuris Canonici, *Consecratur vero Episcopus à tribus ut minimùm eiusdem provinciæ Episcopis iussu Metropolitani cæterisq; Episcopis absentibus assensum suum accommodantibus: quamvis melius foret, si ipse Archiepiscopus*

Titul. 11. c. 6. & 7. titul. 31. cap. 10. Causa 1. quæst. 7. cap. Quoniam.

De Episcopoũ author. cap. 9. sect. 14

Beda Hist. lib. 3. cap. 4.

Cap. 5.

Commentario de præsul. lib. Angliæ. p. 492.

pus unà cum suis Suffraganeis hoc munus consecrationis obiret. Si igitur primaria & potissima institutio Metropolitani sit propter Episcoporum ordinationes, ut dixit Spalatensis, & tamen ab alijs eædem peragi possunt, sequitur Metropolitanorum ordinem nec juris divini, neque necessarium esse.

Quòd ad ritus consecrationis attinet sic se habent in libro ordinationum quem Latina civitate donavit Mucketus. *Evangelio & Symbolo finitis,* inquit, *electus, per duos alios Episcopos illius provinciæ Archiepiscopo præsentabitur, vel alicui Episcopo ex ipsius consensu vices suas gerenti* (vides non necessario requiri ipsius Archiepiscopi præsentiam) *sub hac* concepta *verborum formula, Reverendissime in Christo pater, præsentamus tibi hunc pium, & doctum virum, ut in Episcopum consecretur. Tunc Archiepiscopus mandatum Regium de illius consecratione produci & publice recitari curabit. Deinde juramentum de suprema Regis potestate agnoscenda electis ministrabitur. Postremo iuramentum suscipiat de obedientia debita Archiepiscopo præstanda, eo modo quo sequitur. In Dei nomine, Amen. Ego* I. N. *Ecclesiæ atq; sedis* N. *electus Episcopus profiteor, atque polliceor omnem reverentiam, atque obedientiam debitam Archiepiscopo, & Ecclesiæ Metropoliticæ* N. *& successoribus suis, sicut me Deus adjuvet per Iesum Christum. Mox Archiepiscopus cœtum præsentem ad auxilium Divinum implorandum hortatus sic eos alloquetur. Scriptum est fratres in Evangelio S. Lucæ, Christum Servatorem nostrum totam noctem precatione insumpsisse antequam Apostolos sibi elegerat, &c. Deinde sicut in ordinatione Diaconi Litania decantatur. Post hæc verba [ut Episcopos, Pastores, & ministros Ecclesiæ, &c.] additur brevis petitiuncula cum responsorio.* Litania verò *hac oratione concluditur. Omnipotens Deus largitor bonorum omnium qui per Sanctum tuum spiritum diversos ministrorum ordines in Ecclesia tua constituisti &c. Tunc Archiepiscopus in Cathedra sedens, quærit ab eo, qui consecrandus adstat, qua ratione munus hoc suscepturus esset, & quam fideliter eo functurus est. Hic psallitur vel recitatur, Veni Creator, &c. Deinde precatur : finita precatiuncula Archiepiscopus & Episcopi præsentes manus suas imponūt super caput Episcopi electi, sic dicente Archiepiscopo : Accipe Spiritum sanctum, & excitare memineris gratiam Dei quæ in te est per manuum impositionem. Dedit enim nobis Deus Spiritum non timoris, sed potestatis, charitatis, & sobrietatis. Porro Archiepiscopus S. Codicem accipiens eiq; tradens, hæc dicit verba, Attendas lectioni, exhortationi, atque doctrinæ. Archiepiscopus hic se accingit ad S. Cœnam qui cum recens consecratus Episcopus aliiq; communicabunt. Instar ultimæ Collectæ immediate ante benedictionem, concludit cum hac precatiuncula, Clementissime pater, Oramus te supplices, &c.* collectas, Litanias, Lectiones, quæstiones, orationes ipsas brevitatis studio prætermisi. Idem fere ordo observatur, qui in Papatu secundum præscriptum Pontificalis Romani

mani. Iuxta Pontificale Romanum, *Nemo consecrari debet, nisi priùs constet consecratori de commissione consecrandi, sive per literas Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per mandatum à Camera Apostolica emanatum in ipsa Curia, sive per Commissionem vivæ vocis oraculo à summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis.* Consecratio Episcopi debet fieri Dominico vel festivo die, quod observant etiam Anglicani. Paratur in loco congruo Credentia, id est mensa competentis longitudinis, latitudinis, & altitudinis cum vasis. Parantur item paramenta Pontificalia tempori & officio Missæ convenientia. Item faldistorium & tria scabella, missale & Pontificale. Hîc etiam habent & suam mensam & paramenta, pro Cœna, suum Missale, librum communionis, ceu communium precum, & paramenta Pontificalia. Ibi adsunt duo ad minus Episcopi assistentes, qui induuntur superpelliceo, si non induuntur Rocheto. Et hîc adsunt duo induti superpelliceo vel rocheto. Sedet consecrator: electus vero medius inter assistentes Episcopos mitratos cum suo bireto & pluviali ducitur ante consecratorem. Ita hic ducitur medius inter duos assistentes. Ibi Senior assistentium versus ad consecratorem dicit, Reverende pater, &c. Ita & hîc. Ibi legitur mandatum Apostolicum, quod Notarius consecratoris accipiens de manu Episcopi, legit à capite ad calcem. Ita & hîc. Ibi juramentum fidelitatis coram consecratore electus genuflectens præstat tactis Evangelijs: ita & hîc, ibi consecrator stans cum mitra, ponit librum Evangeliorum super cervicem & spatulas electi capellano ipsum sustentante, quousque in manus electi tradendus sit. Refert & Petitio ad Reginam, consecratorem debere ponere Codicem Evangeliorum super cervicem electi. *Pag. 6.* Ibi consecrator & assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes, Accipe spiritum sanctum. Ita & hîc. Ibi consecrator dat pacem consecrato, & ille suis assistentibus; Ita & hic, unà cœnam Dominicam celebrant. Lectiones, Litaniæ hymni, collectæ, Evangelia, examen eadem, aut fere eadem. Ibi consecrator cum mitra sedens imponit chirothecas manibus consecrati. Hic consecrati distribuunt chirothecas amicis suis paranymphis. Nam consumatum jam est matrimonium Episcopi cum sponsa Ecclesia. Stando, sedendo, genuflectendo easdem fere vices servant, quas Pontificij. Vides lector consecrandum præstare juramentum Canonicæ obedientiæ, quod puto non irrepsisse in Ecclesiam, priusquam erant Papæ jurati clientes. Emittebant quidem Episcopi consecrandi professionem fidei Catholicæ & orthodoxæ, ut inde constaret se ab alijs Episcopis non dissentire, eamque juramento firmarunt, quod postea ad juramentum obedientiæ detorserunt Pontifices & Metropolitani. Vides etiam ut Metropolitanus impositis manibus donat spiritum sanctum, ad imitationem

Christi, qui post resurrectionem stans in medio discipulorum, afflavit eos,& dixit, Accipite spiritum sanctum. De quo plura in ordinatione presbyteri dicturi sumus.

3 In convocandis provincialibus Synodis juxta rescriptum Regium.

4 In moderandis Synodis, & ultimo suffragio ferendo.

Provinciam convocandi Synodos in Metropolitanum voluntaria Episcoporum cessione translatam fuisse, non divino jure competere supra docuimus. Nec taanslata potestate, liberumerat Metropolitano convocare, vel non convocare. Decretum ut singulis annis bis celebrarentur Synodi provinciales; erantq; ijs præstituta anni tempora per Canonem 5. Conc. Nicæni. Diem mensis & locum indicebat Metropolitanus, & præter ordinarias alias etiam extra ordinem convocabat, sive ad Episcoporum ordinationes, sive ob alias causas. Etsi enim in Concilio Antiocheno, Motropolitano delata est ista prærogativa, addita hac ratione, *Propterea quòd ad Metropolin omnes undique, qui videntur negotia habere, concurrunt*, Ex concilio Turonensi tamen & Toletano tertio patet delectum fuisse locum. Non opus esse ullo Metropolitano ad convocandas Synodos Provinciales docet experientia Ecclesiarum reformatarum. In Ecclesia Scoticana, ubi nulli erant Episcopi aut Metropolitani plura Concilia Nationalia à prima reformatione celebrata sunt, quàm hos annos 300. in Anglia Provincialia, ubi Archiepiscoporum longam & interruptam seriem jactitant. Quid prohibet quin rescriptum Principis ad alium quàm Metropolitanum dirigi possit. Tantum abest ut ad convocanda concilia Provincialia opus sit Archiepiscopo, ut nisi eo sublato hanc libertatem Ecclesia recuperare non posse videtur. Non habent vera & legitima concilia Hierarchici Anglicani: Synodos Hierarchicas Episcoporum Decanorum, Archidiaconorum, & id genus hominum etiam rarissimè. Rejicit Bilsonus culpam in Principem, quandoque in ipsius rei difficultatem, quia longo dissiti intervallo sunt inter se Episcopi. Sed quæro, an serio unquam rogarunt Principem, ut rescripto facultatem convocandi concederet, ut Diœceses divideret, & extensivam suam potestatē in plures comitatus minueret, quò commodius coire in Synodis possint. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo. *Fraternitatem tuam ita volumus Episcopos ordinare, ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minime disiungantur, quatenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicuius Episcopi convenire non possint.* Sed fimbrias suas, quas tam latè extenderunt, contrahere illis cordi non est.

Turonens. cap. 1. Toleta. cap. 28.

Cap. 16. p. 459.

Dist. 80. cap. 6.

Oppgunat

Oppugnat Bellarminus Aristocraticum regimen Episcoporum hoc argumento. Si Ecclesiæ Regimen esset Aristocraticum, Ecclesia fere semper careret Rectoribus, nec esset ullus cui commune bonum sit curæ: omnes enim Prælati inter se pares ponuntur, & commune bonum curare non possunt, nisi vel congregentur, vel communi consensu Magistratum aliquem eligant, qui hoc præstet. Congregatio vero Conciliorum fit rarissimè, & cum maximo incommodo. Respondet Spalatensis, *Neque ullo Magistratu opus est, ubi in solidum omnes laborant ad unum finem: neque ipsorum congregatio generalis adeo frequens est necessaria, nisi in gravissimis causis totius Ecclesiæ. Synodi tamen Provinciales sicut debent, ita possunt facilè esse frequentissimæ: & dum singulæ provinciæ bono regimine gubernantur, tota Ecclesia universalis egregie remanet gubernata.* Idem fere Fildus. Dicit enim coacta fuisse olim Concilia Provincialia bis singulis annis, item ob Episcoporum ordinationes, Metropolitanumq; ad convocandum Synodos canonibus obstrictum fuisse. At nisi in perpetuum obstringatur, & Ecclesia Provincialibus Synodis Episcoporum regatur ordinariè, non erit Episcoporum regimen Aristocraticum regimen illud quòd commendarunt Ecclesijs Apostoli: & proinde non solvitur Bellarmini argumentum, si non sint stata concilia Provincialia, sicut olim fuerunt, quod respondit Fildus. Queritur Gerson, & quærit, *ubi sunt Synodi Provinciales secundum patrum constitutiones semel, vel bis in anno celebrandæ.* Respondebunt Archiepiscopi Anglicani non opus esse Synodis. Nos & umbras nostras Archidiaconos, Cancellarios, Officiales, hactenus canones conditos executioni mandaturos. Non est opus Episcopis presbyterorum Senatu, nec nobis Synodico Episcoporum consessu; Monarchæ sumus.

Spal. de rep. eccles. l. 1. c. 12. n. 45.

De Eccles. l. 5. c. 30.

Gerson. epist. Pacis. part. 2

Conciliorum Provincialium prostasiam olim fuisse mutabilem patet, ex Synodis cenauriæ secundæ, ubi præsides, non perpetuos sed electitios fuisse monstravimus. Præsidentiam mutabilem & temporariam, postulat regiminis Aristocratici ratio, si æqualitatem illam sartam tectam salvari volumus, quæ inter optimates potestate pares esse debet. Prostasia perpetua ansam præbet ambitiosis certaminum, & litium; ambulatoria autem tollit. A perpetua prostasia ordinis ad primatum potestatis facilis est transitus. Preterea, qui præest in Concilio libero, cæteris gradu potestatis superior esse non debet. Nam tametsi in Synodo sileat exercitium potestatis superioris, metu tamen cæteri non liberantur. Archiepiscopus ut Metaopolitanus est tantum præses ordinis, sed sensu diviso, & quatenus Archiepiscopus est, potestate jurisdictionis superior quovis Episcopo comprovinciali, quam, quando libitum fuerit, exercere potest. Præcipuum Metropolitani munus est, ut dictitant Hierarchici præesse Synodis. At absque Metropolitanis possunt concilia

cilia provincialia gubernari. Non modo primitivæ Ecclesiæ sed etiam Ecclesiarum reformatarum, ut dixi, experientia docet, non opus esse præside Metropolitano. Imo & Hierarchicorum exemplis idipsum docemur. In Synodo provinciali celebrata Londini anno 1603. pro præside se gessit Bancroftus Londinensis. Vacabat quidem tunc temporis Sedes Cantuariensis: sed sat est, quod sede vacante alius isto munere fungi poterat, & ut in æternum vacet, per me licebit. Obiter observandum Londinensem potius quàm quemvis alium præfuisse ex officio, ut Decanum in Episcoporum Collegio. *Habet enim*, inquit Lindvodius, *Archiepiscopus Cantuariensis in collegio Episcoporum, Episcopos, Londinensem Decanum, Wintoniensem Cancellarium, Lincolniensem Vice-cancellarium, Sarisburiensem Præcentorem, Wigorniensem Capellanum, Roffensem cruciferarium.* Et in libello septuaginta Archiepiscoporum Londinensis Episcopus ad Synodos convocandas designatur ut Decanus. In Synodo, quæ convocatio Cleri dicitur, &, cum ordinum Regni Comitia celebrantur, habetur, Præses, qui prolocutor dicitur, est electitius. Whitgiftus respondet, *Archiepiscopum nihilominus suam authoritatem retinere, quamquam Clero inferiori permissum sit sibi eligere Præsidem sicut rex aut Dominus custos suam authoritatem retinet, etsi permissum sit in Domo inferiori eligere suum præsidem.* Viden' ut Principibus, & officiarijs Regni æquiparat Archiepiscopum. Sat est, quod Archiepiscopo absente alius hoc munere fungi potest; & proinde, si Metropolitano non sit opus, vel ad ordinationes Episcoporum, vel Concilia convocanda aut regenda, ob quas causas præcipue institutum volunt, non est omnino necessarius, multo minus divinæ institutionis.

Lindwood. lib. 5. titul. de pœnis, cap. 1.

Replica. tract. 8. cap. 3.

Quatenus Archiepiscopi,

1 In recipiendis appellationibus, & rescribendo ad appellationes interpositas ab Episcopis suis suffraganeis.

Suffraganeos dictos fuisse comprovinciales Episcopos persuasum nobis vult Downamus, à ferendis suffragijs in Metropolitanorum electione, & in Synodis Provincialibus à Metropolitanis celebratis, unà cum ipsis Metropolitanis. Fallacia est in suffragij significatione, quam detegit ingenuè Lindvodius, *Suffraganeis sic dictis, quia Archiepiscopo suffragari, & assistere tenentur. Vocati enim sunt in partem sollicitudinis Archiepiscopi, non in plenitudinem potestatis.* A suffragijs ferendis in Synodis provincialibus unà cum Metropolitanis, Suffraganei dici non poterant,

Defens. l. 2. cap. 6. p. 113

Lib. 1. tit. de cõstitutionib. cap. ultimo.

cum

cum jam Prouincialia Concilia in deſuetudinem abijſſent, aut à ſuffragis ferendis in Epiſcoporum electionibus, cum jam electio ad Canonicos ſolos, aut ad Principem & Canonicos deferebatur. Cum proſtaſia ordinis in gradum imperij, & poteſtatis mutata fuit, & Epiſcopi Metropolitano ſubjici cœperunt tum ſuffraganei dicti ſunt. Videmus quàm plena periculi res ſit, ferre perpetuam proſtaſiam in Ariſtocratico Eccleſiæ regimine. Appellare igitur licet ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum ſecundum leges Anglicanas. At nihil olim potuit Metropolitanus in aliena Diœceſi abſque comprovincialium ſententia. Anicetus ad Epiſcopos Galliæ, *Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & ſine omnium comprovincialium præſentia, vel conſilio Epiſcoporum, aut eorum, aut alias cauſas (niſi eas tantum, quæ ad propriam ſuam parochiam pertinent) agere, aut eos gravare voluerit, ab omnibus diſtrictè corrigatur, ne talia deinceps præſumere audeat.* Higinus Papa, *Salvo in omnibus Romanæ Eccleſiæ privilegio, nullus Metropolitanus abſque cæterorum comprovincialium Epiſcoporum inſtantia, aliquorum audiat cauſas, quia irritæ erunt aliter actæ, quàm in conſpectu eorum omnium ventilatæ, & ipſe, ſi fecerit, coerceatur a fratribus.* Concilium Antiochenum, *Viſum eſt bis in anno per ſingulas provincias Epiſcoporum Concilium fieri, in quo & presbyteros & Diaconos præſentes eſſe oportet, & omnes quotquot ſe læſos exiſtimant, & ſynodicam expectare ſententiam.* Ab Epiſcopo ad Synodum Epiſcoporum, non ad Metropolitanum gravatus appellabat. Concilium Sardicenſe ſic quidem ſtatuit. *Qui ejectus eſt*, nempe Presbyter, aut Diaconus per Epiſcopum *habeat poteſtatem confugiendi ad Metropolitanum Epiſcopum illius provinciæ. Sed Canones iſtos meritò habemus pro ſuſpectis*, inquit Sutlivius Hierarchicorum, etſi non eruditiſſimus, tamen virulentiſſimus. Et Spalatenſis, *Sardicenſes enim Canones ab Eccleſia univerſali nunquam fuerunt admiſſi, unde & in corpore antiquo Canonum univerſalis Eccleſiæ, quo Oriens ſemper uſus eſt, nullus Sardicenſis Canon locum habuit.* Iuſtinianus quidem legem tulit, *Quòd ſi a Clero aut alio quocunque aditio contra Epiſcopum fiat, propter quamlibet cauſam, apud Metropolitanum eius cauſa judicetur, ſecundum ſacras regulas & leges noſtras. Et ſi quis iudicatis contradixerit, ad Archiepiſcopum & Patriarcham Diœceſeos illius cauſa referatur, qui ſecundum Canones & leges cauſam judicet.* Sed leges Iuſtiniani nobis nullius momenti ſunt, quatenus à verbo Dei diſcrepant. Concilio Conſtantinopolitano primo decretum ut læſus ab Epiſcopo, *Primum apud omnes illius Provinciæ Epiſcopos accuſationem inſtitueret: quòd ſi non ſint idonei ad correctionem eorum criminum quæ in Epiſcopum conferuntur, tunc eos accedere iubet ad maius*

Cauſ. 9. quæſt. 3. c. 6.

Cauſ. 9. qu. 3. c. 4.

Can. 19.

Sard. ca. 15.

De Pontif. l. 3. c. 13. pag. 256.

Spal. de rep. eccleſ. l. 4. c. 8. n. 34.

Novella 123 c. 22.

Conſtant. 1. Can. 6.

Concilium illius Diœceseos Episcoporum. Hic à minore ad maius Concilium conceditur provocatio. At postea in Chalcedonensi Concilio, quod incidit circiter annum Christi 455. cum sensim omnia vergerent in deterius, decretum, ut, *Si clericus cum proprio vel etiam alio Episcopo negotium aut litem habet, à Provinciæ Synodo iudicetur. Si autem cum ipsius provinciæ Metropolitano Episcopus vel Clericus controversiam habeat Diœcesis exarchum adeat, vel Imperatoriæ vrbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget.* Hic ad Exarchum aut Patriarcham concessa provocatio, non tamen ad Metropolitanum seorsim à Synodo Provinciali. Sed perinde esset, sive à Patribus in Concilio aliquo Oecumenico, sive a Iustiniano invecta sit ad evehendum Metropolitanum ista subordinatio appellationum ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Exarchum aut Patriarcham: cùm perniciosam invexerit mutationem regiminis Ecclesiastici. Mutationem istam meritò introductam in Ecclesiam, nec molestè ferendam asserit Bilsonus. *Videbant*, inquit *intolerandos sumptus, & molestias, quibus provinciæ cuiusque Episcopi pene exhausti erant, dum apud Synodos manerent tandiu, quoad privatas omnes contentiones, & querelas in quaque provincia exorientes componerent: nec quicquam causæ perspiciebant, cur totius orbis Episcopis bis quotannis negotium circa multiplices quorundam controversias facesserent, magis autem illa ratione eventurum animadvertebant, ut lites aut longam procrastinationem, aut levem examinationem, & præproperam sententiam acciperent.* Et paulò infrà. *Quàm iniquum & intolerandum foret, ut omnes huius regni Episcopi in unum convenirent, & non laborem solùm sed sumptum in audiendis, examinandis, iudicandisque tot controversijs, iniurijs, & contentionibus insumerent, quot hodiè in omnibus Angliæ Consistorijs versantur.* Etiam post Iustiniani tempora sunt celebrata quotannis Concilia Prouincialia, nedum ætate Iustiniani quando lex illa lata. Nondum causabantur veteres labores aut sumptus, ut fingit Bilsonus. Et quando decretum, ut semel tantum quotannis celebrarent Synodum, alias ponunt causas, quàm sumptus & labores. Concilium in Trullo præcipit, *ut quoniam propter Barbarorum incursiones, ac alias ob causas, quæ incidunt, Ecclesiæ præsides non possunt bis in anno Synodos celebrare, ut omnino semel singulis annis in unaquaque Provincia Synodus fiat.* Postea quidem laborarunt Episcopi inertia & desidia, & itinerum longitudinem obtendebant, ut in Nicæna Synodo 2. *Propter vexationem, & quod itineri perficiendo minus sufficerent, qui cogebantur*, statuit *ut semel in anno hoc fiat, & si Metropolitanus id fieri non curaverit, ut Canonicis pœnis subijciatur.* Non tamen, ut vides, omnino sustulerunt ipsi superstitiosi Patres Nicæni stata Concilia provincialia, ut Episcopi Anglicani vel Pontificij. Honorem & dignitatem Episcopatus ambiunt, onus & operam defugiunt. In aula aut Palatijs

Chalced. can. 9.

De gubern. cap. 16. p. 462. 463.

Can. 8.

latijs suis delitijs resoluti, & resupini pompis otiantur pigri, & causantur leonem esse in semita. Sumptus suppetunt ad pompam & nihil deest, sed cum ad laborem & Ecclesiæ negotia vocantur, nil cum est tamen. Provincia Cantuariensis æque late protenditur fere ac ipsum regnum. Sed Episcoporum Diœceses contrahendæ essent, & Metropolitanorum Provinciæ Synodorum commoditati accomodandæ, & commensurandæ, si non suæ dignitati amplificandæ sed Ecclesiæ saluti consulere vellent. Præterea non necesse esset, ut laborem & sumptum in audiendis, examinandis, & judicandis tot controversijs, & causis insumerent, quot versantur in omnibus Angliæ consistorijs, si se civilibus causis immiscere nollent. *Forsitan decimarum, testamentorum, legatorum, Sponsalium, nuptiarum & similium causarum judicia à Synodis removeritis*, inquit Billsonus, *atque ea solum admitteretis, quæ ad delicta coercenda pertinent*. Quidni removeremus, cum in criminibus & delictis, non in possessionibus aut rebus civilibus sit potestas nostra, ut loquitur Bernardus. Strepitus causarum civilium ab Ecclesia abarcendus est. *Quid vero secundum iura servandum sit in appellationibus, quomodo agitandæ, quomodo inhibendum, quid sit circa attentata agendum, & de similibus tricis innumeris digladiantur inter se iuristæ. Nos scimus quia* 1. *Cor.* 11. *contentiones faciendi Ecclesia Dei consuetudinem non habet, nisi postquam facta est pene tota temporalis, & ad Papatum pervenerint inquieti, & Theologiæ expertes iuristæ.* Præterea non cognoscit ipse Archiepiscopus causas illas delatas ad curiam illam quam vocant Curiam de Arcubus, sed Curiæ Arcuatæ præest Decanus, qui ad omnium in Provincia Cantuariensi appellationes rescribit, qui Decanus de Arcubus nuncupatur. *Advocati in hac Curia sunt sedecim aut plures pro Archiepiscopi arbitrio, omnes legum Doctores, scribæ duo, procuratores decem*, ut refert Camdenus in Britannia sua, ubi de tribunalibus Angliæ. *Par est*, inquit Billsonus, *ut aliquos adiutores habeant, nisi placeat vobis, plus eos temporis in humanis legibus addiscendis, quàm in sacris scripturis recognoscendis insumere, eoque ineptè facere mihi videmini qui tam acriter in Curiam De Arcubus, aliaque Ecclesiasticæ jurisdictionis consistoria invehimini*. Ineptias certè fundit, qui causas Ecclesiasticis committit, ad quas cognoscendas & tractandas prorsus ineptuli sunt, & quarum cognitionem in alios rejicere oportet, vel ob imperitiam, vel ob negotiorum magnam molem, ut Papa ad suos Auditores. Par est, ut missis Canonistis vestris, & relegatis causis civilibus ad judices competentes, Ecclesiastici Ecclesiastica, & ordine Ecclesiastico solùm tractent. Obiter monendum, istius Curiæ præsidem Decanum appellari, quia jurisdictionē exercet in 13. Parœcias civitatis Londini exemptas ab Episcopi Londinensis iurisdictione: & Decanus de Arcubus, quia turris templi Parœciæ primariæ Arcuato opere

De gubern. c. 16. *p.* 463.

Spalat. lib. 3. *cap.* 8. *num.* 13.

Pag. 481.

ædificatur

ædificatur. Admittimus igitur Consistoria merè Ecclesiastica & non alia. *At*, inquit Bilsonus, *ipsa tamen experientia docet, quanto tempore causæ, tam multitudinis, quam magnitudinis ratione, pendeant in maximis Curijs Ecclesiasticæ iurisdictionis, licet iudices bene multi toto anno legitimis, ut vocant diebus, iuri dicendo vacare soleant. Annon opus perquàm laude dignum foret vestra causa efficere, ut pastores per cunctam provinciam constituti in uno loco perpetuo consisterent, & appellationibus tantùm inservirent, quæ ab omni parte frequentiùs interponerentur.* Habet Anglia Comitatus 39. unicum tamen Prætorium Westmonasteriense, in quo fora judiciaria constituuntur, tum juris tum æqui, & statis temporibus, quæ dies legitimos juridicos, sive fastos vocamus, causas cognoscunt: & hæc quatuor anni tempora vix trimestre conficiunt. Non tamen justitij interstitijs, quid detrimenti capit respublica. Sunt in Comitatibus Vicecomites, & Barones, qui in suis Curijs causas minutiores cognoscunt, & in civitatibus & oppidis maioribus judices, ubi lis est etiam de majore pecuniæ summa, salva tamen libertate provocationis ad suprema tribunalia. Si restituerentur parœcijs consistoria, Decanatibus Classica Presbyteria, comitatibus Synodi, Omnibus in commune Nationalia Concilia, ablegarentur Cancellarij, Officiales, Archidiaconi, & cætera illa colluvies, tractarent Eccesiastici causas tantum Ecclesiasticas, & ordine Ecclesiastico, raro interpellarentur appellationibus stata Concilia, & Synodi Provinciales bis singulis annis celebratæ. Hoc experti in Ecclesia nostra novimus, ubi à consistorijs Parœcianis, & classicis conventibus, qui singulis hebdomadis habebantur, rariùs provocatum est ad Synodum Comitatus, à Synodo ad Concilium Nationale, quod singulis annis semel celebrabatur, rarissimè. Idipsum experintia edoctæ sunt & aliæ reformatæ Ecclesiæ, ubi rariora sunt Concilia Nationalia. Non mirum est ab officialibus, Cancellarijs & Archidiaconis vestris appellationes sæpius interponi. Sed ab Episcopo uno ad alium jurisdictione superiorem, judicem singularem provocandum neutiquam æquum censemus, multo minus à classico conventu ad Episcopum aut Archiepiscopum. *Ineptum esset arbitrari Deum negare velle spiritum suum pluribus, & unum solum inspirare velle*, ut in Appellationum causa scripserunt Patres Africani ad Cælestinum Papam. Civilium causarum potissimùm, non delictorum ratione multiplicatas appellationes agnoscit Spalatensis. *Atque ita causæ subditorum Suffraganeorum ante omnia ad Metropolitanos devolvuntur, postquam præsertim & judicia forensia & modus procedendi sæcularis est introductus in Ecclesiam.* Quid opus est facessere negotium Synodis, dicit Bilsonus, cum minore labore possunt causæ expediri per Archiepiscopum. Opus erat Synodis olim ad constitutiones condendas, conditis jam Canonibus non opus est

De gubern. c. 16. p. 463.

De repub. eccles. l. 3. c. 8. num. 1.

est statis Synodis. *Synodi multis de causis in Ecclesia sunt necessariæ,* inquit Beza, *tum ad retinendum consensum, tum ad remedia communibus occurrentibus malis communi consilio quærenda, tum etiam ut ijs consulatur, qui particularium illorum presbyteriorum judicio non acquiescunt, & sibi injuriam factam putant.* Non tam iniquus Saravia quàm Bilsonus. *De necessitate Synodorum facile,* inquit *cum D. Beza sentio.* Convocatæ sunt olim Synodi non solùm, ut Canones conderent, sed etiam, *ut singula emergentia corrigerent,* ut dicitur in Concilio Chalcedonensi: *propter Ecclesiasticas causas, & quæ existunt controversias dissolvendas, & ut omnes quotquot se læsos existimant, Synodicam expectent sententiam,* dixerunt patres Antiocheni: *ut omnes quæstiones communiter examinentur,* dixerunt priores patres Nicæni, *ut Canonicè inquisitiones fiant per Episcoporum congregationes,* dixerunt posteriores Nicæni. Potestas non modo dirigendi per Canones, sed etiam regendi secundum Canones uni permittenda non est. Alioquin Aristocraticum quod hactenus posuimus, & probauimus Ecclesiarum prouinciæ regimen, in Monarchicum mutabimus. Nam Monarchæ etiam secundum latas leges regunt subditos, & tamen Monarchæ sunt. Potest Archiepiscopus non minus abripi affectibus, & tyrannidem exercere in Canonum executione, quàm constitutione. Metropolitanum Anglicanum solum unà cum principe posse etiam διατυπώσεις καὶ ὁρισμοὺς Agendarum formulas, & capitula de disciplina & ordine Ecclesiastico formare capite primo monstravimus. Mirum certe Bilsoni artificium in fabricandis Metropolitanis & Archiepiscopis suis observare ludus & jocus est. Initio capitis 16. pluribus disserit de Synodorum utilitate, & necessitate, ut Metropolitanum suum utilem & necessarium esse ostenderet, sed statim retexit telam, quam texebat, & Synodorum utilitatem & necessitatem tollit, imò multa incommoda & difficultatem obtendit, ut Archiepiscopum introducat, qui absque Synodo lites definiat, & provinciales regat: id est Metropolitanum deprimit, ut Archiepiscopum evehat: & Archiepiscopum Metropolitani animam intercludere jubet. Nam initio capitis parem Metropolitanorum & Synodorum necessitatem statuit. Amphora cœpit institui, currente rota cur urceus exit?

De triplici Episcopatu pag. 91. Conc. Chalc. can. 19. Antioch. ca. 20. Nicæn. 1. c. 5. Nicæn. 2. c. 6.

2 In visitanda secundum leges, & consuetudines tota provincia.

Archiepis. Anglic. quamvis rarò per alios aut per se vix unquam visitat, ut judex ordinarius Ecclesias provinciæ suæ visitare tamen potest, etiam causa correctionis. Whitgift. Cantuar. dicit Archiepiscopum, *cum visitat, non posse ferre novas leges, neque præscribere no-*

Replica. pag. 439.

vos ritus, nisi imperatum illi fuerit à potestate superiori, tantummodo inquirit, an observentur leges & constitutiones, quibus Episcopi & alij parere tenentur, neq; absque illis quicquam decernere, nisi quod ipsorum consensu, legum & principis authoritate concessum, aut quicquam in ipsorum diœcesibus agere, quàm quod ipsi præstare tenentur. Consensum Episcoporum intelligit voluntariam ipsorum cessionem, vel approbationem in Comitijs regni, cum legibus sanciretur Archiepiscoporum potestas. Nam invito & inconsulto Episcopo posse visitare provinciam, & immiscere se causis ad suffraganeos suos propriè spectantibus satis constat. Ad leges regni & principis edicta authoritatemve se recipiunt, cum aliter se tueri non possunt. Sic nodos Gordios secare gladio, non argumentis solvere illis solenne est. Leges humanas legi divinæ adversantes antiquari postulamus: nec quid de facto sed de jure possunt principes, quærimus. Si Episcopale regimen sit divinum institutum, ut ipsi volunt, & nos adhuc ponimus, Archiepiscopum tamen cum potestate visitandi provinciam, & corrigendi excessus, & defectus Prælatorum Suffraganeorum nec jure divino, nec veteri Ecclesiæ politia subniti unquam demonstrabunt. Anicetum, & Higinum supra audivimus, audiamus etiam Calixtum. *Nullus Primas, vel Metropolitanus Diœcesani Ecclesiam, vel parochiam, aut aliquem de ejus parochia præsumat excommunicare, vel iudicare, vel aliquid agere absque eius consilio vel judicio. Sed hoc observetur, quod ab Apostolis, & patribus, & prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum, id est, Si quis Metropolitanus Episcopus (nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam) sine consilio & voluntate omnium comprovincialium extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur, & vacuum. Sed quicquid de provincialium coepiscoporum causis, eorumque Ecclesiarum, & clericorum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc communi consensu comprovincialium agatur Pontificum, nec aliquo dominationis fastu, sed humillima atque concordi administratione.* In Concilio Tridentino decretum in hunc modum. *A Metropolitanis vero etiam post plenè visitatam Diœcesin non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suarum Provinciarum, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali.* Saniores sunt igitur in minuenda Metropolitani potestate Tridentini, quàm Anglicani. Dicunt etiam adversarij, *durante Archiepiscopi visitatione iurisdictionem Ordinarij suspendi, & non aliam posse illum exercere iurisdictionem, quàm quæ derivatur ab Archiepiscopo, & quam exercet, ut ipsius delegatus.* Archiepiscopus non modò inquirere, sed etiam corrigere potest, cum visitat, imò ipsum Episcopum suffraganeum officio privare, & gradu movere, ut testatur Cartwrightus. Respondet Whitgiftus, *Non posse vel Metropolitanũ, vel omnes simul Episcopos Episcopum exauctorare*

Caus. 9. quæst. 3. c. 7.

Sess 24. ca. 3.

Downamus. Lib. 2. ca. 6. p. 112. 113.

Repl. p. 440.

rare abſque principis conſenſu. Sat eſt, quod annuente principe ſolus abſque alijs Epiſcopis coepiſcopum privare officio poteſt. Nam apud Pontificios *Archiepiſcopus cognoſcere poteſt de crimine Epiſcopi,* inquit Sylveſter, *licet non poſſit procedere ad eius depoſitionem, quæ ſoli papæ reſervatur.* In Concilio Antiocheno decretum, *Si quis Epiſcopus de certis criminibus iudicetur, & contingat de eo comprovinciales Epiſcopos diſſidere, cum iudicatus ab alijs innocens exiſtimatur, reus ab alijs, pro tota componenda controverſia uiſum eſt ſanctæ Synodo, ut Metropolitanus ex propinqua provincia alios evocet iudicaturos, ut per eos ſimul & comprovinciales Epiſcopos, quod iuſtum viſum fuerit, approbetur.* Vides non potuiſſe Metropolitanum ſuo ſuffragio diſsidium componere, & de Epiſcopo decernere, ſed neceſſe erat finitimos Epiſcopos accerſere. Sic in Synodo Conſtantinopolitana celebrata ſub Honorio & Arcadio. *Non oportere reum judicatum* (Epiſcopum) *nec à tribus, nec à duobus deponi, ſed ſententia maioris Concilij, & eorum qui ſunt eiuſdem provinciæ.* Fildus fatetur veterum Canones poſcere ad Epiſcopi deprivationem, & degradationem, duodecim ad minimum Epiſcoporum conſenſum.

Voc. Archiepiſ.

Antiochen. ca. 14.

De eccleſ. li. 5. c. 30.

Non modò in viſitatione, ſed etiam extra viſitationem, habet iuriſdictionem in totam provinciam. Whitgiftus in caſibus ſolummodo exemptis, Metropolitanum poſſe exercere iuriſdictionem aſſerit. Sed, quod non poteſt ut Archiepiſcopus poteſtate ordinaria, poteſt ut Commiſſarius Regis poteſtate extraordinaria. Spalatenſis qui nimius eſt in Papa minore Archiepiſcopo ſuo evehendo, illud etiam de caſibus exemptis rejicit. *Vt propterea,* inquit, *vana ſit exceptio Juriſtarum, qui reſtringunt hanc Metropolitani poteſtatem, ad ea ſola negotia quæ iuribus expreſſa habentur.* Vult enim Metropolitanum tanquam Canonum cuſtodem & pravarum conſuetudinum vindicem univerſalem, boni communis totius provinciæ promotorem, ſuffraganeorum correctorem & judicem ordinarium, ubicunque & quandocunque delicta occurrunt, in delinquentem comprovincialium nomine inſurgere, & quicquid poteſt Eccleſia tota in Epiſcopos ſuos id poſſe in ſuffraganeos ſuos Metropolitanum. Epiſcopos omnes jure divino pares pluribus argumentis ipſe probavit; & purioribus ſæculis nihil potuiſſe Metropolitanum abſque comprovincialibus ſupra oſtendimus. Quod vel Metropolitanorum arrogantia, aut comprovincialium deſidia, vel ignavia poſt multas annorum centurias tranſlata eſt in Metropolitanum poteſtas appellationum, viſitationum, & correctionis in certis caſibus, & Synodi provinciales tandem abijſſent in deſuetudinem, Epiſcopis otio indulgentibus in amplis ſuis Dioeceſibus, & latis latifundiis, erat veteris diſciplinæ labefactatio, deploranda potiùs, quàm imitanda. Qui minutulum nobis Antichriſtum obtrudunt, cur non etiam Epiſcopum Romanum majorem

Repl. p. 464.

Lib. 3. c. 8. n. 14.

jorem Antichristum amplectuntur, si non ut universalem Episcopum, saltem ut Patriarcham occidentis cum eadem potestate in Archiepiscopos, quam tribuunt Archiepiscopis in Suffraganeos, & ut vindicem & custodem Canonum Conciliorum generalium. Quod si impar sit regimini Ecclesiæ universæ, ut Episcopus universalis, non tamen impar erit regimini Ecclesiarum Occidentis, ut Patriarcha. In Concilio Chalcedonensi concessa provocatio à Metropolitano ad Exarchum majoris Diœceseos, vel Patriarcham Constantinopolitanum. At Constanrinopolitanus dignitate secundus erat à Patriarcha Romano. Zypæus Archiepiscoporum jurisdictionem, quatenus erant judices ordinarij Episcoporum, à Concilio Tridentino mutatam dicit, ut nunc eorum judices sint in gravibus causis criminalibus Papa, in minoribus Concilium Provinciale. *Et in illis forte recessum est à jure antiquo, ut à pluribus Episcopis junctim seriò magis examinaretur, tum insuper quod aliquando contingere potest, ut ob appellationes & similia aliquando inter Archiepiscopos & Episcopos sint aliquæ difficultates, ob quas affectui forte nonnihil darent. Vtut sit imminuta est hic Archiepiscoporum authoritas, uti etiam in capite tertio, ut Archiepiscopi etiam visitata tota sua Diœcesi non visitent suffraganeorum, nisi causa in provinciali Concilio cognita, quæ tamen Archiepiscopi visitatio in usu esse desierat ante Concilium.* Vides quid ex decretis reformationis, Seß. 13. & 24. Concil. Tridentini colligit Zypæus. Quod accrescit Papæ ex potestatis Metropolitani diminutione, non probamus, sed quantum Concilio Provinciali restituitur, in tantum restitutam veterem disciplinam agnoscimus, & Tridentinos Anglicanis æquiores esse judicamus. Sancta congregatio Cardinalium interpretum Canonum & Decretorum Concilij Tridentini in Declarationibus suis, sic interpretatur decretum quoddam, Seß. 13. *Archiepiscopus non debet se ingerere in prima instantia causarum quæ agitantur coram eius Suffraganeo.* Archiepiscopus Anglicanus potest ingerere se in quamcunque causam, vel agitatam, vel nondum agitatam, coram suffraganeo, potestate ordinaria, aut delegata extraordinaria, & omnimodam iurisdictionem Ecclesiasticam exercere tum in suffraganeos, tum in Suffraganeorum subditos, & proinde viribus, & malignitate superat quemvis Archiepiscopum Pontificium, sive veterem sive novum Tridentinum, Pontificis Romani exuvijs ditatus, & utriusque gladij potestate in Curia Legatina armatus.

Ius pontif. l. 1. tit. de Officio Ordinarij. p. 71. 72.

In seß. 13. cap. 1. lit. a.

Quatenus

Quatenus Primates sive Patriarchæ minores, 1. De jure, ut appellationes admittere ab inferioribus judicijs, etiam omisso medio, 2. Ex consuetudine præscripta, ut vacante quavis provinciæ suæ sede Episcopali custodiam Ecclesiasticæ jurisdictionis habere.

Primates Anglicani duo, Cantuariensis & Eboracensis, non solum potestate, dignitate, & officio, sed etiam Suffraganeorum numero pares erant, usque ad tempora regis Guilielmi, ut ex Studbesio refert Godwinus in Eboracensibus: qui etiam narrat ex decreto Regis & procerum, Pontifice Romano permittente, separatam Humbro flumine Eboracensem provinciam à Cantuariensi, & perexiguis finibus conclusam. Varia erant inter duos Archiepiscopos certamina de Primatu, donec tandem decerneretur, ut Eboracensis Primas Angliæ, Cantuariensis Primas totius Angliæ nuncuparetur, quibus titulis cum insulsa & ridicula ista differentia in hunc usque diem gaudent. Ad Primates istos etiam omisso medio appellare possunt. Quod Spalatensis de immediata ad Papam appellatione scribit, huc referri potest. *Nunc vero*, inquit, *Leguleij nostri axioma fecerunt, licere omisso medio immediatè ad sedem Apostolicam convolare*, nempe omisso Metropolitano. Ita & hic omisso medio licet appellare illos ut ad Primates. Sic enim distinguunt, ut liquet ex tabulis. Matthias Stephani appellationum immediatarum institutum ad avaritiam explendam excogitatum dicit. *Quod autem iure Canonico omisso quocunque medio appellari potest ad solum Papam, id ideo constituerunt, ut omnes quæstiones in suum currum traherent, & suam avaritiam satiarent, quia clericorum animus est enixus præ cæteris in pecunijs cumulandis, contra honestatem communem & fidem Deo promissam.* Sic Papæ minores, primates, qui hîc Patriarchæ minores dicuntur, ad suas Curias lites & causas ventilatas in inferioribus Curijs devolvendas curant pluribus medijs, nempe vel mediate vel omisso medio. Appellationes ab Archidiaconis, alijsque inferioribus Prælatis, eorumq officialib⁹ ad Archiepiscopũ omissis Suffraganeis non probat ipse Innocen. 4. in Sexto Decret. tit. de appellationibus. Quæ de appellationibus supra diximus, in immediatas maxime intorqueri possunt. Quòd sede vacãte Primas custodiam habeat spiritualis jurisdictionis in Diœcesi qualibet suæ provinciæ, Capituli jura, nedũ Ecclesiarum in Diœcesi authoritatẽ minuit. Nam capitulum jure ordinario succedit Episcopo. *Propterea statim atque mortuus est Episcopus*

Cõmentario de præsulib.

De repub. eccles. l. 3. c. c. 7. num. 15.

De iurisd. E. l. 3. part. 1. cap. 3.

Lib. 2. cap. 9 num. 10. *piſcopus interim dum alius ſubſtituatur, ordinarie regimen illius Eccleſiæ totum, plenum, & integrum, excepta ordinatione, & actibus ordinis Pontificalis proprijs, eſt penes totum Collegium Preſbyterorum, ſive capitulum Canonicorum, ſed Preſbyterorum*, dicit Spalatenſis. Et Papam nihil amplius de jure poſſe in ſuæ provinciæ Eccleſijs vacantibus, quarum adminiſtrationem capitulo eripere, & alij committtere non poteſt, niſi in caſu negligentiæ, idem aſſerit libro tertio. Quod addit, de caſu negligentiæ, non veterum inſtitutum, ſed Cap. 9. num. 25. depravatioris diſciplinæ ſub Antichriſto additamentum erat. De ipſius capituli poteſtate ſuo loco dicturi ſumus.

Iuxta locum quem tenent Archiepiſcopi in ſtatu Eccleſiaſtico peculiarem Cantuarienſi. 1. Quilibet Epiſcopus ſuæ provinciæ ab ipſo confirmatus exhibeat unum Capellanum, donec ſufficiens aliquod beneficium proſpexerit. 2. Quatenus totius Angliæ Primas literas tuitorias concedere poſſit, quibus abſque moleſtia interea exhibenda ei, qui appellaverit, appellationem ſuam proſequi liceat.

Ampliſſima eſt dignitas Archiepiſcopi Cantuarienſis in Hierarchia Anglicana in qua cæteris Epiſcopis antecellit, & non minus nunc quam olim ab Vrbano 2. alterius orbis Patriarcha, vel veriùs Papa dici poteſt. Quamvis depoſito Legati nati titulo, quem à Pontifice acceperat, tantùm Primatis & Metropolitani totius Angliæ cognomento gaudet, non minor tamen eſt eius dignitas & poteſtas, quàm fuit ſuperioribus ſæculis. In Curia Legatina principis aliam legatinam juriſdictionem exercere poteſt cum utriuſque gladij vindicta, ut diximus. Duæ hic ſolummodo peculiares ejus prærogativæ enumerantur. Quòd Capellanos habeat, hoc ei commune eſt cum alijs Epiſcopis, ſed quod Suffraganeus ab ipſo confirmatus exhibeat unum Capellanum, donec beneficium aliquod ei proſpexerit, ipſi peculiare eſt. *Altaria nonniſi in Eccleſijs* Bleyn. introduct. p. 327. *paſſi ſunt Chriſtiani*, inquit Bleynianus, *donec Principibus Oratoria domi cum altaribus & ſacrificulis, ſingulari privilegio, fuere permiſſa; ac tandem ea permiſſio etiam ad privatos quoſque, interveniente dummodo* De paræciarum origine, cap. 7. *Epiſcopi authoritate, fuit extenſa.* Ex *omnibus ſatis liquet*, inquit Filesacus, *quàm male ſibi, & animæ ſuæ cōſulant, qui vel neſcioquo faſtu vel faſtidio, aut denique ſupina negligentia publicum illum Paræcialis Miſſæ conventum aſpernantur. Sunt qui efflagitatam, & ut verius loquar, inique extortam Epiſcopalem indulgentiam ceu diſpenſationem prætexunt, qua in privatis Oratorijs ſacrum audire ſibi fas eſſe contendunt.*

dunt. Hanc corruptelam meritò damnarunt plurimi Galliæ Epiſcopi ſuis Synodis Diœceſanis. Decretum quoddam Diœceſanum Guilielmi Epiſcopi Andeganenſis anni 1314. ibidem ſubjungit. Quod de Miſſa dicunt, de vero Dei cultu rectè affirmatur. Si Nobiles ſunt membra Eccleſiæ Parœcianæ, debent una cum cæteris membris ad publicum cultum coire. Sed quod Epiſcopi Sacellanorum etiam turbam haberent, qui in Capellis ſuis vel alibi pro ipſorum arbitrio concionentur arguit ipſos non modo aliorũ, ſed ſuo etiam faſtui, & otio nimium indulgere, & cum Magnatibus omnibus modis contendere, ne quid ad pompam deeſſe videatur. Capellani Epiſcoporum, & Magnatum, aut Beneficiarij ſunt, aut Beneficium nullum habent, ſed ambiunt. Nam in hunc finem maximè ſe addicunt Epiſcopo, aut Nobili, ut eorum opera Beneficium acquirere poſſint. Nec comparato ſibi Beneficio cum cura animarum curant gregem, ſed in Nobilium aulis verſantur, & non eſt qui eſurientibus in parœcia interim panem frangat. Huius criminis tam reus eſt Epiſcopus, quàm quivis alius. Sacellanorum turba inde orta videtur, quòd, cum rigido iure canonum, qui beneficium curatum poſſideret, reſidere tenebatur, nec erat qui domeſtica ſacra curaret, excogitatum eſt ut plures haberent capellanos, qui per vices annuas, ſemeſtres, aut trimeſtres in procerum & Nobilium Capellis & oratorijs miniſtrarent: greges ſuo ſe ſucco alere interea oportebat. Non tamen vices iſtæ ſemper obſeruatæ ſunt, ſed ad apertam perpetuæ Non reſidentiæ profeſſionem res redijt. De Capellanorum Non reſidentia & beneficiorum pluralitate ſtatim plura dicturi ſumus. Alterum peculiare Cantuarienſi, de literis tuitorijs appellanti concedendis improbandum non eſſet, ſi ipſi peculiare non eſſet, & ipſæ appellationes ſive mediatæ ſiue immediatæ ad Archiepiſcopum legitime introductæ fuiſſent. Quamvis enim malitia appellantis coercenda eſt, ad præſidium tamen innocentiæ legitimè appellantem tueri adverſus inferiorum inſolentiam oportebat.

Iuxta locum quem tenent in ſtatu civili, vel utrique communem, vel alterutri peculiarem. Vtrique communem vel de jure communi Municipali, vel conceſſione principum. De jure communi Municipali vel in rebus Eccleſiaſticis, vel civilibus.

In rebus Eccleſiaſticis, in quibus hanc habent prærogativam, ut approbent & inſinuent teſtamenta, & concedant adminiſtrationem bonorum ab inteſtato ſuccedentibus, quorumlibet mortis ſuæ tempore bona nota-

notabilia habentium, in diversis Dioecesibus aut jurisdictionibus suæ provinciæ.

Can. 93.

Bona notabilia definiuntur in nuperis canonibus Concilij Provincialis anni 1603. summâ quinque librarum Anglicanarum. Habet Archiepiscopus forum, quod Curiam Prærogativæ vocant, *In qua*, inquit Camdenus, *Commissarius de hæreditatibus ab intestato, ceu testamento delatis*, *jus dicit*. Si defunctus nulla habuit bona notabilia extra Dioecesin in qua obijt, testamenti probatio, id est, probationum per testes aut instrumenta receptio, approbatio, id est, decreti de testamenti validitate probatio, insinuatio, id est, apud acta judicis publicatio & transumptio, item commissio administrationis bonorum intestati, & cautio de fideliter administrando ad Episcopi Dioecesani Cancellarium, Commissiarium, aut Officialem, non ad Archiepiscopum pertinent. Si vero habeat in diversis Dioecesibus bona notabilia Cancellarius, Commissarius, Officialis aut quicunque alius Jurisdictionem Ecclesiasticam exercens, singulos ad curiam suam super testamenti probatione, vel administrationis bonorum negotio citatos, aut etiam ultro advenientes præstito priùs juramento dimittit & *hoc negotium ad prærogativam Archiepiscopalem eiusdem provinciæ spectare, aperte disertéque profitebitur, quinetiam partem ipsam monebit, & hortabitur, ut apud iudicem dictæ Prærogativæ, testamentum illud probet, vel administrationem talium bonorum petat, & coram ipso eiusmodi probationem sive administrationem, sigillo Curiæ prærogativarum munitam, infra quadraginta dies continuos exhibeat. Registrarius etiam cuiusque iudicis inferioris Apparitorem Curiæ prærogativæ (semel duntaxat singulis mensibus ad se veniente) sine omni difficultate certiorem reddet, quos executores vel administrationē petentes iudex suus infra mensem proximè præcedentem, (ob incompetentiam suæ in hac parte jurisdictionis) ad Curiam prærogativæ dimiserit*. Hæc sunt verba constitutionis 93. secundum ipsorum versionem ex quibus lector dignoscere potest Curiam Prærogativæ non esse proprie Ecclesiasticam, sed civilem. Tituli de Testamentis, Legatis, Fideicommissis, Successionibus, &c. in jure civili ostendunt Imperatores Præfectis & Præsidibus suis definiendas olim demandasse has causas, fuisseque mere civiles. Lindvodius de insinuatione testamentorum dicit, *quòd insinuatio sive publicatio testamentorum prohibetur Clericis de iure, & ratio redditur in iuribus allegatis, quia opprobrium est Clericis, si velint se peritos ostendere negotiorum forensium*. Ibidem, *hæc autem publicatio de consuetudine Angliæ pertinet ad judices Ecclesiasticos, secus tamen est de iure communi*. Item, *libertas quoad approbationem huiusmodi fundatur super consensu Regio, & suorum procerum ab antiquo concesso*. Non possunt scilicet judices sæculares discutere, sitne testamentum prius

Lib. 3. titul. de testament. Cap. item quia locorum

Cap. sequ.

posteriori

posteriori vitiatum, sitne irritum, ruptum, nullum, sitne legatum perpetuum, an in diem, purum, an conditionatum ut vocant: sitne conditio honesta an possibilis: decesseritne defunctus intestabilis, vel intestatus, pubes an impubes? Qui de immobilibus judicant, de mobilibus judicare non possunt? Qui de lymphaticis, lunaticis, & furiosis in alijs causis discernere possunt, num furiosus, num mente captus fuerat in extremis defunctus explorare non possunt? Per indicia & testes exquirere non possunt, num surdus? Quid item prohibet Legatarium per Breve è Cancellaria persequi legata, magis quam creditorem, qui fideicommissarium ceu testamentarium executorem per Breve è Cancellaria testatoris vel defuncti nomine persequitur. Si ad Episcopalem audientiam delatæ sunt causæ testamentariæ ob Episcoporum pietatem, hac ratione omnes causæ, tum Civiles, tum Criminales ipsis committendæ sunt, & ipsi negotijs sæcularibus sunt implicandi. Præterea si eligitur pietas & virtus personæ, cur constituunt judices vicarios, & in alios hoc onus rejiciunt? An pietatem & probitatem Officialibus, Commissarijs & Cancellarijs communicare possunt. Deniq; non semper pij, qui officio tenus sancti: & quis nequior Clerico degenere, & extra propriam sphæram evagante.

In civilibus rebus, ut

1 Titulum habere Clementiæ, quem Anglicè *Grace* vocamus.

Archiepiscopus uterque clementiæ *My Lords Grace*, Episcopus Domini *My Lord* titulo ornatur. Titulus Clementiæ *Grace* in Anglia Ducibus solummodo communicatur, non alijs in inferiori gradu Nobilium constitutis, non Comitibus aut Marchionibus. Nec appellatione domini *My Lord* indigitant alios, quam Nobiles aut sæculari aliqua dignitate fulgentes: aliamque apud eos notionem habet, quàm in mutuis salutationibus & compellationibus voce latina interdoctos. Et qua ratione insigniũtur his titulis, Ducum, Marchionum, Comitum & Vicecomitum titulis etiam cohonestari possunt. Quandoquidem non sunt istæ Magistratuum ut olim sed dignitatum, nomenclauræ. Et quidem Dunelmensis Episcopus censetur Comes Palatinus, teste Camdeno, qui refert a Guilielmi Normanni temporibus Episcopatum eius Comitatum Palatinum judicatum fuisse, & sua jura Regalia habuisse Episcopum, adeo ut proscriptorum bona illi, non Regi cederent. *Et nuper*, inquit, *Iacobus Pilkintonus Episcopus Divam Elizabetham de bonis Caroli Nevilli Comitis Westmorlandiæ, & aliorum in hoc agro proscriptorum, qui in Patriam bellum nefarium moverant, in jus vocavit; causamque persequutus esset, nisi authoritas Parlamenti ia* In Britan. edit. Francofurt 16 6. p. 600. 601.

intercessisset, & pro eo tempore, sic se habent verba, Reginæ adjudicasset, quòd impensis suis maximis cum Episcopum, tum Episcopatum è seditiosorum faucibus eripuisset. Alius nobilissimi, & aurati equestris ordinis Episcopus appellatur, ut refert Traversus. Societatem nobilissimam equitum auratorum conscripsit Edwardus 3. ut militarem virtutem honoribus prœmijs & splendore decoraret, quos ob periscelidem suam in prælij, quod fœliciter cessit, tesseram datam Garteri sive periscelidis equites nominavit, qui cærulea Periscelide aureis literis inscripta sinistram tibiam substringunt, ut refert Camdenus. In hanc societatem cooptati sunt potentissimi orbis Christiani Principes, & in hunc ordinem nostro ævo adscripti sunt quidam Episcopi Anglicani. Huic Prælato Garteri, sive Periscelidis magna incumbit cura in festis Georgianis cum ante equites gestantur biblia loco crucis, ut dicitur, ab authoribus commonitorij ad Comitia Parliamentaria. Quod de sedibus & gradibus in Imperio civili supra diximus, verum etiam est de dignitatum titulis. Nam Magistratuum in Imperio Romano, alij illustris, ut præfectus Prætorio, præfectus urbi, comes sacrarum largitionum. &c: Alij Spectabilis, ut proconsul, Comes Orientis, Præfectus Augustalis: Alij clarissimi titulis, ut Prætor, & alij, decorabantur. Episcopi eadem epitheta vel captarunt, vel avidè exceperunt, cœperuntque illustres inscribi & salutari, ut primi ordinis Senatores, & Serenissimos dicendos ex Clementinis colligit Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi parte 4. consideratione 25. Etiam ante hac in Epistolis suis sic inscribebant τῶ τιμιωτάτω κυρίω *Domino honoratissimo*, τῶ κυρίω μακαριωτάτω *Domino beatissimo* τῶ αἰδεσιμωτάτω ἀδελφῷ *fratri reverendissimo.* Socrates hunc morem carpit in proœmio libri sexti. *Qui personas Ecclesiasticas in summo habent honore nobis crimini dabunt, quod episcopos non vocamus* θεοφιλεςάτȣς ἢ ἁγιωτάτȣς *Deo charissimos aut sanctissimos aut alijs id genus nominibus. Alij qui sunt paulo curiosiores interdum vertent vitio, quod imperatores non divinissimos, aut Dominos, aut alijs titulis, quos homines illis tribuere solent, appellamus. Verùm quoniam veterum scriptorum testimonijs perspicuè probare ostendereque possum servum in eorum libris Dominum suum proprio nomine compellasse; Ego quo rerum veritati ut debeo inserviam istos Dignitatum titulos penitus contemnam.* Christus interdixit discipulis suis, Luc. 22. 25. dignitatum mundanarum titulis, dicens, *Reges Gentium dominantur eis, & qui authoritatem habent in eas* ἐυεργέται *Benefici vocantur.* Non vult Apostolos magnificis titulis ornari, quibus Reges & dynastæ gentium & Regnorum ornantur. Nec interdicit Christus unico titulo Evergetarum, quo honestabantur duo

Reges

De disciplina Eccles. fol. 59

Clement. de elect. c. in plerisque.

Reges Egypti,ſed Synecdochice omnibus id genus titulis, quibus Reges, qui dominantur, & Magiſtratus alij inferiores,qui poteſtatem habent in gentes, utuntur. Titulus clementiæ *Grace*, qui nonniſi Principibus & Ducibus convenit,cum Evergetarum titulo de magnificentia certat. Ille munificentiam,hic Clementiam & Gratiam oſtentat. Ridiculum igitur eſt, quòd quidam Beneficos, non Gratioſos & Clementes ſalutandos & appellandos Dominum interdixiſſe volunt. Dicit Billſonus Chriſtum *prohibere, ne honorem alioqui illis debitum aut ambitioſe affectent, aut cupide excipiant*, At prius dixit Chriſtum præcepiſſe, *ut ſplendidos principum titulos, qui Prophetarum & Apoſtolorum vocationi minime conveniunt, nec captent, nec expectent diſcipuli ſui, ſed tam verborum quàm rerum magnificentiam huius ſæculi poteſtatibus relinquant*. Cum ad huc premimus, Si Benefici titulus, in quo non eſt tantus faſtus, Apoſtolis negatur, quanto magis iſtæ, quæ gravius animos inflant, ampullæ Gratioſi ceu Clementis Domini, reſpondet, *Nomen Benefici nec Sacerdoti nec è populo cuiquam negari debet, ſi modo reipſa liberalis in Rempublicam, aut in homines privatos extiterit. Vt autem Benefici nomen quis ambiat, cum à Beneficentiæ, ac Benignitatis laude quamplurimum abſit id quoniam redolet inanis gloriæ cupiditatem æque Principibus, ac Paſtoribus eſt illicitum.* Stare loco neſcit, tam pugnantia loquitur. Chriſtus ipſos titulos uſurpare prohibet, quibus Reges & Principes Gentium utuntur, ſive reipſa præſtiterint, ſive non, quod titulis innuitur. Alioquin Sereniſſimi titulus negandus erit Principibus, qui nihil minus quam Sereni ſunt: & nullus Archiepiſcop⁹ Gratioſi ceu clementis cognomento cohoneſtādus, qui immitis eſt: & crudelis tyrānus, ut ſunt Archiepiſcopi Anglicani, cum tamen omnes excipiant clementiæ titulum. Cuilibet è populo aut ordine Eccleſiaſtico non licet hos titulos aſſumere, aut delatos excipere, etſi reipſa munificus fuerit, aut gratioſus. Principes munifici & benefici appellantur, ut qui reipſa hanc munificentiam exercere poſſint in alios, unde & ab Hebreis Principes *Nedibim*, id eſt munificorum & liberalium cognomento antonomaſtice decorantur, ut fatetur Whitgiftus, cui titulus Evergetarum reſpondet. Non ſemper deferuntur tituli perſonis ratione virtutum, ſed ratione dignitatis & gradus ſæcularis. Virtutum cognomenta ſæpiùs quidem uſurpantur ubi nulla ſubeſt vera virtus, & aptiores ſunt tituli potentiam & Maieſtatem oſtentantes, quam moralium virtutum denominationes. Chriſtus tamen cum dominatum & poteſtatem interdixit, omnes titulos hoc unico Evergetæ damnavit, quos ad principatum illum & poteſtatem oſtentandam aſſumunt ſibi ſive jure ſive injuria Principes. De titulo Domini, *My Lord*, ſimiliter judicandum eſt. Nam quod objicitur de Elia, 1. Reg. 18. & Eliſeo, 2. Reg. 2. nihil juvat. Rebecca ſervum Abrahami, Gen. 24. 18.

De gubern. cap. 6. p. 98.

Pag. 94.

Replica p. 63

Sara maritum, Gen. 18.12. Græci Philippum, Iohan. 12.21. Magdalena quem putabat esse hortulanum, Ioh. 20.15. Dominum appellant. Vox Hebræa *adonai* & Græca κύριος, apud Orientales non erant tituli dignitatum sæcularium, sed honorificæ appellationes, quibus civiliter sibi invicem tenuioris fortunæ quilibet honorem præbebant. Hinc & in Orientalium Episcoporum Epistolis κυρίε vox sæpius usurpata fuit, additis pro more Orientalium, honoratissimi, reverendissimi, &c. aliquando etiam sed insulsè, beatissimi & sanctissimi honorificis Epithetis. Vt etiam hac ætate viri Docti inscribunt Epistolis suis Domini appellationem. Adeo pervulgata erat ejus usurpatio ut Episcopi etiam presbyteros Dominos nuncuparint. Alexander Alexandrinus Episcopus, Epist. ad Athanasium dum erat Presbyter sic inscribit. Athanasio Domino & dilecto filio. Sed quod Illustris titulo quo primi ordinis Senatores decorabantur & à Spectabilibus ac Clarissimis distinguebantur, postea illustrari voluerunt, prorsus aliud erat, & idipsum quod Apostolis Dominus interdixerat. Vox Domini irrepsit in Ecclesiam Occidentalem, sed eodem sensu primùm quo vox Græca & Hebræa apud Orientales, ut in Concil. Arelatensi 3. Aurelianensi 3. Turonensi 1. Toletano 3. & Epist. Ambros. 81. ubi Aper Presbyter subscribit Epistolæ Synodicæ ex jùssu Domini Episcopi Geminiani. In concilio Emeritensi Parœcus presbyter Dominus dicitur. *Hi etiam* nempe Clerici, *victum & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur, & Domino & Presbytero suo atque utilitati Ecclesiæ fideles esse debent.* Filesacus *Domini vocem Paræco attributam dicit non ad authoritatem erga Clericos explicandam sed venerationis tantum causa.* Domini titulus idiomate Anglicano non tam vulgaris est, ut pastoribus communicetur, sed augustioris est significationis, & non nisi Nobilium aut Magistratuum eminentiorum titulus. Qua ratione appellentur Domini *My Lords*, quærendum est. Downamus asserit sic appellari ratione jurisdictionis & authoritatis, & quamvis cōmunis cum nobilibus & politicis Magistratibus sit titulus, Episcopos tamen non esse civiles Dominos, quod probat per vùlgatam spiritualium & temporalium Dominorum distinctionem. Si ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ appellantur Domini, ut vult Down. tunc episcopi sunt Domini in Ecclesia. At in Ecclesia unus est solummodo Dominus, Dominus Christus, neque ministris & famulis competit Domini titulus. Dicit relationem ad Ecclesiam esse in voce subintellecta Episcopi, cum appellatur Dominus Roffensis, Bathoniensis & Wellensis, ac si diceretur Dominus Episcopus Roffensis, &c. Quàm frivolæ sunt istæ argutię. Si enim hoc titulo ornatur quatenus episcopus, ergo ratione Ecclesiastici regiminis, quod in Pastores Ecclesiæ non congruere diximus. At Angelorum titulo, qui est magnificentior, ab ipso Christo decorantur.

Cap. 18.

De parœcia. Orig. p. 609

Defens. l. 3. c. 6. p. 150.

P. 153.

decorantur. Primùm nego Angeli, quam Domini spiritualis titulum esse magnificentiorem. Ille ministeriũ, hic Dominium significat. Deinde non sequitur ab improprijs & allegoricis propheticarũ & visionum appellationibus ad quotidianas & ordinarias ducĩ argumentum. Magistratus Dij dicuntur. Ineptiret tamen imo in Deum impius censeretur, qui Regem Deum Angliæ indigitaret. Prętereа, omnes ministri Angelorum etiam titulo insigniuntur, & tamen dignitatum sæcularium titulis non ornantur. In tabulis dicuntur Episcopi Dominorum titulo decorari ratione Baroniarum Episcopatibus suis annexarũ. Idem dicit Mucketus. Frustra igitur allata sunt Eliæ & Elizęi exempla. Nam non possederunt Baronias & lata latifundia, quorum ratione Domini salutarentur. Distinctio igitur Dominorũ temporalium & Spiritualium non à dominatus diversitate sumitur sed à personarum qualitate quod hi sint Ecclesiastici, illi sæculares, vel si à diversitate Dominatus, tunc necesse est, dicere Episcopos Spirituales Dominos dici, quia pręterquàm quòd sint Barones & ea ratione Domini sicut alij sæculares, qui Baronias possident, habent etiam dominatum in causis spiritualib⁹, & Ecclesiasticis, ut qui sint mixtum genus, Prolesq; biformis. Sed cum omnino interdicãtur his titulis Apostoli, sicut ipsis potestatibus & dignitatibus civilibus quarũ cognométa sunt, nec divisa nec conjuncta ratione *Dominorũ* Episcopi, aut *Clementiæ* titulo Archiepiscopi sunt ornandi. In concilio Arelatensi tertio qui subscribit presbyter, non scribit Desiderius presbyter directus à domino meo honoratissimo Domino N. hujus vel illius sedis, sed à Domino meo Iohanne Episco. Sic Aper, ex jussu Domini Episcopi Geminiani, id est, ex jussu Domini mei Geminiani, qui est Episcopus N. Nominibus præponebatur appellatio Domini honoris causa, non sedibus ut in Anglia dignitatis ostentandæ gratia.

De polit. p. 313.

2. Præcedentiam supra omnes Duces Regni.

Episcopi etiam, inquit Mucketus, habent, *præcedentiam præ alijs Regni Baronibus, non modo in privatis congressibus, sed etiam in supremo Regni Concilio, Parliamento: ubi quia sunt Domini Barones hoc ordine habent suas sessiones. Post reverendissimos Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem, primo loco sedet Episcopus Londinensis, deinde Dunelmensis, proxime Wintoniensis, reliqui Episcopi ut consecratione priores, nisi quòd post Episcopum Dunelmensem primum locum teneant, qui Regi fuerint à secretioribus consilijs.* Iohannes Stratfordius, Archiepiscopus Cantuariensis sub Edwardo 3. ad Cameram Parliamentalem accedens, cum à ministris Regijs à foribus arceretur dixit adstantibus, *Rex me ad hoc parlamentum scripto suo vocavit, & ego tanquam major Par regni post Regem, suffragium primum in Parliamento habere debeo, jura Ecclesiæ meæ vendico & ingressum in Parliamentũ peto.* Sic refert ex Berchintono Godw. in cõment. de præsul.

De Polit. c. 9. p. 313.

P. 157.

Idem ex Registro Archiepiscopi Guilielmi Courtnei transcripsit istam protestationem. *Cum de iure & consuetudine regni Angliæ ad* [Pag. 173.] *Archiepiscopum Cantuariensem, necnon cæteros suos suffraganeos, coepiscopos, Abbates, &c. per Baroniam de Rege tenentes, pertineat in Parlamentis Regis quibuscunque ut Pares Regni prædicti, cum cæteris Regni Paribus personaliter interesse, consulere, tractare, definire, &c. de jure interessendi, &c. cum cæteris Paribus Protestantur. Verùm propterea quòd in hoc Parliamento agatur de nonnullis rebus, in quibus non liceat illis per sacrorum Canonum instituta interesse, protestantur porro se abituros, iure Paritatis cuiuslibet eorum semper nihilominus salvo.* Mater filiorum Zebedæi petijt à Christo ut sederent duo ipsius filij unus ad dextram, alter ad sinistram Christi in regno ejus, Matth. 20. 21 quod mundanum fore somniabant. Christus, ut dilirium curaret, ad meditandum cœleste regnum subvehebat. Nostri tamen Prælati, viri Patritij honorariam sessionem & præcedentiam inter Pares regni sibi vendicant, à dextris Principum sedere ambiunt, & hoc morbo levari renuunt. Cantuariensis ut Primus Par Regni præ omnibus Regni Officiarijs præcedentia utitur, Eboracensis præ omnibus præter Dominum Cancellarium, Episcopi præ alijs Regni Baronibus. In Comitijs Parlamentarijs Scotiæ anno 1606. Episcopi ad ordinem tertium restituti, ijs ipsis Comitijs de loci & suffragij prærogativa cum Nobilibus contenderunt. In Concilio generali octavo Constantinopolitano anno 871. decretum ut Episcopi dignitatem suam tueantur. [Act. 9. c. 14.] *Si quis vero Episcopus post hanc sanctionem, suam dehonestaverit dignitatem cadens ab honore sibi debito per Canones, vixeritque abjectè secundum veterem & agrestem consuetudinem, amoveatur per annum, & Princeps qui in causa fuerit, excommunicetur per biennium.* Prohibet iste Canon, ne *Episcopi Principibus vel viris militari dignitate præditis obviam longissimè procedant ab eorum Ecclesijs: nec à mulis equisve descendant in occursu, aut timidè abiectèque ante genua procidant quasi adoraturi.* [Sess. 25. decret. 17.] Synodus Tridentina *audiens Episcopos aliquos sui status oblitos Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare; qui cum Regum ministris, Regulis, & Baronibus in Ecclesia & extra indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, minus indignè non solum loco cedant, sed etiam personaliter illis inserviunt,* Mandavit, *ut tam in Ecclesia, quam foris suum gradum & Ordinem præ oculis habentes, ubique se patres & pastores esse meminerint.* Quid ad hæc Gentiletus. [Exam. p. 284] *Non diffitemur pastorem de tuenda amplificandaque sua existimatione sollicitum esse debere, & operam dare, ne ministerium suum contemptibile reddat: at non contendendo de sede, aut primo loco inter Proceres vendicando, aut se ijs minime officiosum præbendo, verùm rectè verbũ Dei docendo, omnesque etiam Proceres suorum vitiorum arguendo. Non ita tumida gravitate veteres Episcopi sese venerandos, & spectabiles exhibebant, sed syncera*

munerum

munerum suorum functione, & veris pietatis exercitijs. Didicerunt à Patribus Tridentinis, & Curia Romana Patres nostri Reverendi & Reverendissimi ambire prærogativam honorariam præcedentiæ in publicis congressibus,& loci in Consessibus Procerum. Si istam diataxin laudamus,cur non etiam in laude ponimus ordinem considendi Regum & Cardinalium in publicis consessibus secundũ regulas Curiæ Papalis; vel saltem Patriarchas celebriores Principibus æquiparamus,& ordinẽ probemus,qui observatur in Aula Imperatoris, in majoribus Germanici Imperij Comitijs,ubi sedendi jus est Trevirorum Antistiti è Regione Romani Principis,(ceu Bullæ Aureæ verbis) ex adverso, lineari directione versus Imperatoris faciem, ut refert Choppinus. Quanto dignior est Patriarcha Occidentis Episcopus Romanus,quàm Anglus minorum gentium Patriarcharum unus, tanto digniorem sibi locum vendicare potest. Controversias inter Prælatos de præcedentia quid memorem, cum inter inferiores etiam in processionibus, in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda umbella,& similibus sæpius ortæ sint,testibus ipsis Tridentinis decret. 13.Sess. 25. *De polit.l.2. p.335.*

Notandum ordinem veterem in diataxi Anglicana immutatum esse. Nam Concilio Milevitano, Africano, Carthàginensi græco, Bracarensi primo, Toletano quarto, decretum ut ordo consecrationis observaretur salva Metropolitani dignitate. Ex serie subscribentium Episcoporum in Concilijs constat,non sedibus sed ætati delatam prærogativam,ut qui plures annos egisset in Episcopatu priorem sibi locum vendicaret. Vt in concilio Aquileiensi ante Genuensem ponitur Brixianus,in Mediolanensi prępontur Genuensis Episcopus. Vide Baronium. Tam religiosè observatus hic ordo, ut presbyteri ab Episcopis missi ad concilia ipsorum vice,in subscribendo suorum Episcoporum ordinem retinerent ante alios Episcopos illis ordinationis tempore posteriores, ut in concilio Cabilonensi, Aurelianensi secundo, Epaunensi, Florentino. Hic Londinensis, Dunelmensis, & Wintoniensis prærogativâ sedis,non tempore consecrationis suæ nituntur. *Milenit.c.13 Africa.c.53 Cartha.c.89 Bracarens. c.24. Toleta.c. 3. Ann.451.*

Sunt & alia,quæ Prælatorum pompam mortalium oculis ostentant, præter dignitatum cognomenta, Præcedentiam, & loci prę̨rogativâ.Præsules Anglicani non incedunt absque numerosa & incondita turba 20.30.40.aut 60 famulorũ præeuntiũ,aut à tergo sequentiũ quorũ maxima pars nullo alio fũgitur ministerio,quàm educere & reducere Dominum Episcopũ, aut Archiepiscopi Clementiam, male frugi homines. Testis mihi vir eximius Episcopomastix ille Thomas Cartwrightus. Alios habet Statores, Calatores alios alios equisones,aut coquos, aut à caliculis,aut à cubiculis, aut à sacris, aut discophoros, ant syrmatophoros, quos etiam à cauda indigitare licet. Hi sunt qui Archiepiscopi Syrma plurium *In 1.Repl.p. 97.*

tium ulnarum à tergo manibus ſublevant. Habet & alios pediſſequos menſæ aſſeclas, quos enumerare piget. Cum tranſit Archiepiſcopus per Baſilicam S. Pauli, quæ eſt Londini, expectant ipſius Clementiam *my Lords Grace* Doctores juris Coccinati, ut refert teſtis oculatus author libri, qui inſcribitur *Abſtractum*. Non vidit in Epiſcopo Landavenſi celebris illa Synodus Dordracena pompam præſulis Anglicani. Godwinus Landavenſis in Commentario de præſulibus, refert *Epiſcopatum Laudavenſem totius Angliæ Walliæq; eſſe longe tenuiſſimum: adeo ut ſacerdotia non pauca Diœceſis hæc habeat, quæ fructus longe uberiores incumbentibus reddant, quam ſuo epiſcopo hæc ſedes*. videte quem delegerunt Legatum ad Synodũ. Quibus artib⁹ tenuiores epiſcopatus reſarciũt in Cõmendarũ diſpẽſatione dicemus. Si quis in patria ſua Epiſcopum aut Archiepiſcopũ μετὰ πολλῆς φαντασίας incedentem ſpectaret, annon Epiſcopos olim uno aut altero Acolytho comitatos, abſque ſolenni aliquo apparatu, non clientelis ſtipatos & magna pediſſequorum & aſſeclarum comitante caterva inceſsiſſe ſtatim diceret. *Neque de hoc dicemus, quomodo in ſuperbiam elatus* (Paulus Samoſatenus) *mundanas dignitates uſurpaverit, ac Ducenarius magis quàm Epiſcopus vocari voluerit, perq; forum incedens, & epiſtolas legens, ſimulque publicè ingrediendo dictans, numeroſam catervam ſatellitũ, partim præcedentium partim ſubſequentiũ circa ſe habuerit, ita ut et fides noſtra invidiæ et odio propter faſtum, & ſuperbiam cordis illius facta ſit obnoxia.* Hunc Paulum Samoſatenum, non Tarſenſem imitantur Præſules Anglicani. In Synodo Carthaginenſi 4. quamvis ſuppoſititia decretum, *Vt Epiſcopus non longè ab Eccleſia hoſpitiolum, vilem ſuppellectilem, & menſam, & victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem, fide & vitæ meritis quærat, & ut Clericus profeſſionem ſuam, & habitu & inceſſu probet, & ideo nec veſtibus nec calceamentis decorem quærant.* Item *ut Epiſcopus quolibet in loco ſedens presbyterum ſtare non patiatur, ut rebus Eccleſiæ, tanquam commendatis non tanquam proprijs vtatur*, quę omnia fere inſerta ſunt decreto Gratiani. *Auguſtinus menſa uſus eſt frugali & parca*, ut refert Poſsidonius, *quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites vel quoſque infirmiores continebat. Cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vaſa quibus menſæ inferebantur cibi, vel teſtacea, vel lignea, vel marmorea erant.* Item, *teſtamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Chriſti non habuit.* Cum interminatus eſſet Baſilio magno bonorum publicationem Imperatoris præfectus, reſpondit, *Horum nihil me cruciare poteſt. Equidem opes non habeo, præterquam laceram veſtem & paucos libros.* Præſules Anglicani palatia inhabitant, quorum conclavia fulgent auratura, & vaſaria onerantur toreumatis, ut refert Cartwrightus. Cum Grandeſonus Epiſcopus Exonienſis ædes magnificas extruxiſſet Taintonæ, & ſuppellectile abunde inſtruxiſſet, dixit

ſe

P. 11.

P. 619.

Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 29.

Can. 15. 31. 34. 45.

Diſt. 95. & 41.

In vita Auguſtin.

Sozom. lib. 6 cap. 16.

1. Repl. p. 97

se parasse locum illum, *ut haberent successores, ubi caput suum reclinarent, si forte in manum Regis eorum temporalia caperentur*, ut narrat Godwinus in Commentario, & Camdenus in Britannia. Quantam pecuniæ vim in ædium Episcopalium insanis substructionibus, eisque reficiendis erogarunt Prælati Anglicani, videat lector in Commentario Godwini. Has ædes magnificas possident hodierni Præsules, hic reclinant caput suum, & vulpes foveas habent. Eorum quotidiana prandia, inquit Cartwrightus, sunt convivia, tanta ferculorum varietate instruuntur ipsorum mensæ. Eorum cœnæ cœnas Saliares nobis referunt. Tota eorum familia cultu splendidiore enitescit. Bernardus in hunc luxum & pompam invehens, sic scribit, *Vnde hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exangui. Non est hoc ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed prodere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare, & devorare.* Hieronymus similiter, *Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare, iudicemque provinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio. Quòd si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris atque subiectis: iudex sæculi plus deferet clerico continenti, quam diviti, & magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulantibus, nisi inter phyalas, libenter carebo huiusmodi beneficio: & Christum rogabo pro judice, qui magis & citius subvenire potest, quam judex.* Vt boves in præsepibus, sic illi in Episcopatibus suis saginantur. Sicut olim allusit ipse Edendonus Wintoniensis, dicens, *Cantuariæ cratem Pipalarem altiorem quidem, sed Wintoniæ præsepe opimius*, innuens opibus & reditibus tunc affluentiorem fuisse Wintoniensem, quamvis dignitate Cantuariensi inferiorem, ut interpretatur Godwinus in Wintoniensibus.

P. 469.
Camden. in Danmoniis.
In Cantic. serm. 77.
Ad Nepotianum de vita clericorũ
Comment. de præsulib. p. 284.

Qui de altari parcè olim vivebant, & ex fidelium erogationibus alimentorum subsidia sibi & familiæ necessaria comparabant, nunc de altari superbiunt & luxuriantur, & in agrum non tanquam villici, sed tanquam Domini exeunt, quibus non crucifixus, sed infixus est mundus. Pollicitus est in prima editione Consilij Profectionis suæ Spalatensis in nono libro de Republica Ecclesiastica se dissertaturum, *quàm parca debeat esse ministrorum Ecclesiæ sustentatio.* Sed in versione Anglicana, & postea in secunda editione Consilij præfixa libris de Ecclesiast. republ. expunctis verbis, *quam parca*, habemus, *qualis debeat esse ministrorum Ecclesiæ sustentatio.* Non magis sollicitus est Pontifex Romanus de sua triplici corona, quàm Præsules Anglicani & Scoticani de sua tyrannide & pompa

tuenda. Si chalcographo, qui primus illi in Germania occurrebat, imprimendum consignasset Opus suum, ut statuit in eodem consilio profectionis, non opus fuisset, ut tantum metueremus, in ipsius opere ab Episcoporum Anglicanorum consilio & providentia. Sed & illud *in Germania* expungendum qui curarunt, reipsa suadent, ut Opus illud ex officina Episcoporum excipiamus.

Concessione principum, ut immunitates, libertates, &c. in proprijs latifundijs.

Non solum Archiepiscopi, sed etiam Episcopi suis, in suis, latifundijs, cõcessione Principum, immunitatibus, libertatibus, & privilegijs gaudent. Hugo Lincolniensis anno 1186 *Regi dedit mille marcas ut receptam redimeret consuetudinem in singulis festis Circumcisionis pelles quasdam pretiosas, quas sablas nuncupamus, ipsi quotannis exhibendi*: ut refert Godwinus. *Heruæus iam Episcopus nihil prius habuit*, inquit Camdenus, *quàm suæ Ecclesiæ dignitatem augere: ut esset ubique à telonio libera* (*Eliensis libri verbis utar*) *impetravit, de iugo servitutis, & custodia quam castello Norwici debebat, liberavit.* De Dunelmensi Episcopatu ex eodem Camdeno supra quædam retnlimus. Sed quibus præsentationum diplomata oculis lustrare datum, plures harum libertatum & immunitatum species enumerare possunt

In comment. pag. 346.

Britan. p. 391.

Alterutri peculiarem videlicet Eboracensi, ut habere precedentiam supra omnes Officiarios Regni præter Dominum Cancellarium. Cantuariensi de jure communi Municipali, ut

1. Præcedentia uti præ omnibus Regni Officiarijs, unde dicitur primus Par Regni.
2. Inaugurare Regem in Coronatione.

Si inauguratio Regum esset Pastoralis muneris pars, ad Presbyterum non minus quam Episcopum, nec ad Metropolitanum magis, quàm alium Episcopum spectaret. Ivo Carnotensis contra Remensem Episcopum, qui sibi soli jus inaugurandi Regem arrogabat, sic scribit. *Cum ergo hæc eadem potestas sit cuiusque Metropolitani in Metropoli sua, mirum videtur, quare unus in proprium ius ambiat vindicare, quod multorum constat esse commune. Nisi forte quis dicere audeat maiorem vim Sacramentorum esse apud alios, quàm apud alios quod schismaticum esset, & unitatem Ecclesiæ divideret.* Regum unctionem Sacramentalem fuisse arbitrabantur actionem, & eam vim habere

Ivo Epist. 189.

habere, ut Spiritus Sancti munera conferat, augerique interius, quod exterius unctio præſignabat, ut ex Hoſtienſi colligit Mathias Stephani. Vngebantur Reges & Principes oleo Catechumenorum in brachijs & humeris. *Etſi quidem alij Reges Hieroſolymitanus nempe, Anglorum, & Siculorum, ſacra unctione imbui conſueverint, non tamen ex oleo divinitus demiſſo ac miraculi in ſpeciem, uti Rex Chriſtianiſſimus*, inquit Choppinus. Præter ceremoniam iſtam Iudaicam, miraculo nobis commendatam diſcribuntur & alij ritus in Pontificali Romano. Poſtquam Metropolitanus unxerit Regis brachium & ſpatulas cum oleo Catechumenorum, Rex a ſuis ducitur ſub Papilione, ubi cum bombyce extergitur unctura olei, & induitur veſtibus Regalibus. Metropolitanus tradit in manum Regis gladium evaginatum. Enſis à miniſtris in vaginam reponitur. Metropolitanus poſtea accingit Regem gladio. Rex accinctus ſurgit, & eximit enſem de vagina, illumque viriliter vibrat, deinde ſuper brachium ſiniſtrum tergit, & reponit in vaginam. Tunc ei corona imponitur, quàm omnes Prælati, qui adſunt, de altari per Metropolitanum deſumptam manibus tenent, ipſo Metropolitano illam regente, & capiti Regis geniculantis imponente, deinde tradit illi ſceptrũ. Regi ſurgenti diſcingitur enſis, & in vagina datur alicui, qui eum ante Regem immediatè geſtet. Metropolitanus, & alius Prælatus deducunt Regem medium ad ſolium, ſceptrum in manu, & coronam in capite ferentem, & collocat eum in throno Metropolitanus. Suntne hæc, quęſo, munera paſtoralia?

De iuriſdict. l. 2 par. 1. cap. 1.

Chopp. de ſacra polit. l. 2. p 245.

Pontif. Rom. fol. 87.

3. Redditus fundorum, qui jure homagij de ſe tenentur, recipere, dum hæres minor eſt 21 annis, etiamſi alios fundos in capite de corona teneat hæres.

Narrat Camdenus in editione Anglicana Britanniæ ſuæ Guilielmũ primum primùm inſtituiſſe, ut Epiſcopi & Abbates, qui Baronias ſuas in pura & perpetua eleemoſyna tenebant, in poſterum à Rege clientelari lege, & in ſervitio militari tenerent, & unicuiq; præſcripſiſſe, quot militum numerum ad bella conſcriberent. Epiſcopi ſimiliter, qui agros & prædia ſua colonis elocare, aut in in emphyteuſin pro canone emphyteutico, ceu annuo cenſu, emphyteutis, quos feudifirmarios vocamus, dare debebant, vaſſallos feudi militaris acquiſiveruut, qui ipſis ad ſervitia militaria, aliaque obſequia adſtricti eſſent, adeo ut nobiles etiam prædia & fundos ab Archiepiſcopis & Epiſcopis tenerent in ſervitio militari, & ad obſequia adſtringerentur. *Manerium de Tunbrige*, inquit Camdenus) *Gloceſtriæ Comites Clientelari iure ab Archiepiſcopis Cantuarienſibus ea lege tenuerunt, ut Archiepiſcopis in inthroniſatione Seneſcalli,*

In Britan. edit. Francofurt. 1616. p. 246.

& eorum liberi ipsius in tutela essent. Refert & Godwinus, in profusis illis epulis, quas ad inthronisationem suam apparavit Georgius Nevillus Archiepiscopus Eboracensis anno 1466 Comitem Warwicensem Senescallum Archiepiscopi ministrasse. Narrat etiam

Pag. 587. Camdenus, *Barones de Meinel nonnulla prælia de Archiepiscopis Cantuariensibus tenuisse, & pro iisdem Coignieros & Strangwaios, & alios qui ab ipsis prognati sunt, ad obsequia & servitia militaria adstrictos esse. Cumque ex prærogativa Rex Angliæ* (*prærogativæ verbis utor*, inquit) *habebit custodiam omnium terrarum eorum, qui de ipso tenent in capite per servitium militare, de quibus ipsi tenentes fuerint seisiti in dominico suo, ut de feodo, die quo obierunt, de quocunque tenuerint per huiusmodi servitium, dum tamen ipsi tenuerint de rege aliquod tenementum ab antiquo de Corona usque ad legitimam ætatem hæredis. Excipiuntur tamen hæc feoda, & alia Archiepiscoporum*, inquit Camdenus, *ita ut habeant huiusmodi terrarum custodiam licet alibi, tenuerint de Rege*. Sed quid Ecclesiasticis cum jure homagij, servitio militari, obsequijs clientelaribus, fundorum custodia, quam Wardam realem, aut hæredum tutela, quam personalem Wardam vocant? Quid cum Nobilium, aut aliorum clientela ijs, qui curæ animarum, & divino cultui mancipati sunt?

4 Proprijs canibus venari in quovis vivario ferarum intra suam provinciam.

Habent Episcopi etiam vivaria sua, & theriotrophia, & ichthyotrophia ad divitiarum & deliciarum cumulum. Camdenus refert

Camdenus in Coritanis. Archiepiscopos Eboracenses in *Suthwell* palatium peramplum, & tria adiuncta vivaria feris referta habere. Godwinus scribit Simonem Islip Archiepiscopum Cantuariensem anno 1349 Comiti Arundeliæ vendidisse jus 26. damarum annuatim ipsi, successoribusq; reddendarum: & Henr. Burwash Lincolniensem, qui ut amplum haberet vivariū, cum prædiis sui juris latifundia quorundam pauperum inclusisset, post mortem apparuisse cuidam Nobili, brevi tunica indutum, eaque viridi, arcum, pharetram & sagittas manibus gestantem, & cornu venatorium ad cervicem pendulum, tanquam vivarij illius custodem. Nicolaus Papa mandat Albino Archiepiscopo, ut Synodale cum Episcopis & suffraganeis suis concilium convocaret, & Landfredo Episcopo Pastorali authoritate

Distinct. 34. cap. 1. præciperet, *ut ab omni bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus existat, atq; ab immoderata filiæ suæ familiaritate semet omninò coerceat*. Ibidem. *Nam ut beatus Hieronymus dicit Venatorem nunquam legi-*

Lib. 9. c. 44. *mus sanctum*. Crantzius in Metropoli, Episcoporum inertiam & luxum carpens, *Nunc si Dijs placet*, inquit, *erubescimus divinum in*

Synes. epist. 105. *Ecclesia ministerium, & sacramus canes in nemore, aut adoramus seculares principes in aula*. Synesius quamvis ante susceptum Episcopatum

patum venatione delectabatur, post susceptum tamen sibi necesse esse scribit ab eo instituto desistere. Archiepiscopus Cantuariensis potest venari non modo in suis vivarijs, sed in quolibet vivario intra suam provinciam. In Concilio Lateranensi decretum, *quod Archiepiscopi parœcias visitantes, pro diversitate provinciarum & facultatibus Ecclesiarum 40. vel 50. evectionum numerum, Episcopi autem 20. vel 30. Cardinales 25. nunquam excedant, Archidiaconi vero 5. vel 7. Decani constituti sub Episcopis duobus equis contenti existant. Nec cum canibus venatorijs & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quærere videantur.* Qui plura de hoc argumento desiderat, videat titulum *De Clerico venatore.* lib. 5. decretal. tit. 24. *Decret. lib. 3. tit. 39. cap. 3*

Per statutum, ut Gratiam facere Canonum, aliarumque legum Ecclesiasticarum, per omnia Imperij Anglici Dominia, quas vocant Facultates.

Inter Archiepiscopi Cantuariensis Curias numeratur Curia Facultatum, quam sic describit Camdenus: *Curia facultatum, in qua præfectus constituitur, qui desideria cognoscit eorum, qui Ecclesiastici iuris quandoque rigidi, atque stricti relaxationem petunt, & Registrarius, qui concessas dispensationes in scripta refert.* *Brit. p. 110.* *Postremo,* inquit Mucketus, *ex Regni statutis necessitatis aut maioris utilitatis causa (summaria huius, tum illius cognitione prius habita gratiam facit Canonum, aliarumque legum Ecclesiasticarum per universum Angliæ Regnum,* nempe Archiepiscopus Cantuariensis. *De polit. p. 308.* Lege lata 25. Henr. 8. data illi potestas, sub sigillo Archiepiscopali per se, aut per commissarium ad facultates, concedendi facultates, dispensationes, rescripta, in quacunque causa concedere solebat Pontifex Romanus. *Rastal. Roma. 3.* Quod si taxa facultatis aut dispensationis in Cancellaria Romana excesserat summam quatuor librarum Anglicanarum, ut confirmetur magno sigillo, & conscribatur in Cancellaria Regia per Clericum quem ad Facultates vocat Camdenus, in hunc finem constituendum. Merito igitur, dicit Cartwrightus, profligata Papæ authoritate Archiepiscopum in Pontificis Romani locum surrogatum, salvo solùmodo iure principis: & fœdam, ac non ferendã nundinationem exercere ipsum asserit. *1. Repl. part. p. 87.* *Hinc nempe,* è jure Canonico, inquit Traversus, *forum illud Romanum, in quo turpissimus dispensationum, ut appellant, nefariarum mercatus, & omnis quæstuosa perdendæ Ecclesiæ ratio exercentur.* *De disciplin. fol. 12.* Authores commonitorij ad parliamentum referuut omnia hîc fere venalia esse, sicut olim in Curia Romana, cujus nundinationes nec modum, nec fundum, nec finem, nec pudorem habent. *Pag. 3.* Dispensant non modo in legibus humanis, sed etiam divinis, ut non residentia, beneficiorum curatorum, & Ecclesiarum pluralitate, simonia, &c.

In legibus divinis abundè satis in omnes casus prospexit Deus legislator. In humanis, si quid deficit ratione determinationis particularium circumstantiarum, stricti iuris relaxatio, necessitatis aut majoris utilitatis causa, deneganda non est. Sed quid hæc ad Pontificem Romanum, aut Papam Anglicanum? Rectè Spalatensis, *Leges omnes Ecclesiasticas esse sub Imperio, & potestate ipsarummet Ecclesiarum, ita ut unaquæque Ecclesia, ubi necessitas, aut opportunitas ita postulat, possit in legibus universalibus, per se ex gravissima causa dispensare, imo etiam mutare, moderari, & penitus abrogare, præsertim in Synodis, & quo majores erunt Synodi, eo maiorem etiam habent potestatem.* In legibus igitur humanis, merè Ecclesiasticis, & pro temporum, & locorum ratione mutabilibus, expensa necessitate & utilitate, summum jus relaxandum esse à Senatu Ecclesiastico, non adeo morosi sumus ut negemus. Iudices enim Ecclesiastici tum juris tum æqui judices sunt. Si necessitas, aut maior utilitas relaxationem stricti juris postulat, dispensatio debetur ex justitia, non ex gratia: nec à Papæ ullius majoris aut minoris arbitrio penderet, ut nonnisi soluto ipsis pretio impetretur. Ex gratia, necessitate aut utilitate non perpensa, concedi non debent dispensatlones: nam id genus dispensationes legum verè vulnera sunt. Et tales tamen sunt fere omnes dispensationes Romanæ, & AnglicoRomanę. In taxa Cancellar. Apostol. dicitur, *Nota diligenter, quod huiusmodi gratiæ, & dispensationes non conceduntur pauperibus, quia non sunt, & ideo non possunt consolari.* In Cancellaria Anglicoromana, id est, Curia facultatum idipsum religiosissimè observantur.

Lib. 2. c. 10. num. 74.

Facultates considerantur, vel Particulariter, vel Generaliter; Particulariter, quæ sæpiusculè conceduntur habita priùs Causæ summaria cognitione, ut

1. Designare publicos Notarios.

Designare Notarios qui tabellionatus officium in curijs Ecclesiasticis exerceant, quamvis Archiepiscopo daremus, ad causas tamen civiles publicos designare Notarios ab Ecclesiasticis alienum esse dicimus. Cum ex Notariorum imperitia, ut dicitur in Concilio Tridentino, adde etiam nequitia, tot damna & lites oriantur, & licet singulares, hoc nomine sunt in testimonio perhibendo instar duorum testium, non unius Archiepiscopi arbitrio & libidini, Notariorum designatio permittenda est.

Sess. 22. de refor. cap. 10

2 Vesci carnibus diebus quibusdam vetitis ob Politicas solùm rationes, valetudinarijs, puerperis, senio confectis, ægrotis.

Si

Si ſolum valetudinarijs, puerperis, ſenio confectis, ægrotis, cur non omnibus valetudinarijs, puerperis, &c. an quia non omnium crumenæ pariunt nummos. Et cur non ſolis, ſi iſti ſolummodo à vinculo legis eximuntur. Si interdictum ſit veſci carnibus diebus quibuſdam vetitis, ob politicas ſolùm rationes, cur non à politicis veſcendi facultas conceditur? Eoſdem obſervant dies tum in quadrageſima, tum extra quadrageſimam, quos Pontificij, & eandem jejunij formam, nempe à carnium non piſcium eſu ſeſe & alios cohibentes, & diebus dominicis tempore divinorum, feſtos, vigilias dies carniſpriviales in ſequentem ſeptimanam incidentes populo denunciare tenentur Parœci. Religionis ergo, vel ſuperſtitionis potius intuitu, vetitum veſci carnibus certis diebus: de qua ſuo loco dicturi ſumus.

3. Matrimonium celebrandi, licet trinundina denunciatio, quas Bannas vocant, non præceſſerint.

In libro publicæ Liturgiæ, de Bannis ſive edictis tribus vicibus promulgandis ſic ſtatuitur. *Primùm Banna edenda, ſive promulganda ſunt tribus diebus Dominicis, vel feſtivis, divinorum officiorum tempore, populo præſente, iuxta antiquum morem.* Walterus Raynoldus evectus ad Epiſcopatum Cantuarienſem anno 1313 in Synodo Provinciali decrevit in hunc modum. *In matrimonio quoq; contrahendo ſemper tribus diebus Dominicis, vel feſtivis, à ſe diſtantibus, quaſi tribus edictis perquirant Sacerdotes à populo de immunitate Sponſi & Sponſæ.* Denuntiationes, & celebrationem matrimonij coram Eccleſia de ſolennitate, non de matrimonij eſſentia eſſe aſſerit Caniſius in ſumma iuris Canonici. Non tamen temere relaxandus eſt trium præconiorum ordo, ne clancularijs, & clandeſtinis nuptijs ineundis occaſio præbeatur. In nuperis conſtitutionibus anni 1603. videntur præſules Anglicani abundè caviſſe, ne ordo iſte temeraretur. *Nulla in poſterum facultas vel indulgentia pro matrimonio abſque trina Bannorum denuntiatione iuxta librum publicæ Liturgiæ inter quoſlibet celebrando per quamvis perſonam iuriſdictionem Eccleſiaſticam exercentem, vel privilegia ulla Eccleſiæ ſuæ nomine ſibi vendicantem, niſi tantum per eos, qui Epiſcopalem authoritatem obtinent vel per Commiſſarium ad facultates, vel ſede plena per Archiepiſcopi & Epiſcoporum Vicarios Generales, aut ſede vacante per Cuſtodes ſpiritualitatis, vel Ordinarios Epiſcopalem iuriſdictionem de iure exercentes, & non per alios concedetur: idque duntaxat illuſtris & claræ conditionis hominibus, ſuæ reſpectivè iuriſdictioni ſubditis, interpoſita etiam idonea & ſufficienti cautione.* Cautionis interponendæ capita ſequenti canone perſcripta ſunt, nempe, *Quod nullum exiſtit impedimentum ratione præcontractus, conſanguinitatis, affinitatis, vel alterius cauſa cuiuſcunque de iure*

Provincial. Lindwood. tit. de Sponſ. cap. 1.

Caniſius tit. de clam contrahentibus.

Can. 101.

iure prohibitæ, quod dicto matrimonio occurrere, aut obstare possit. 3. *Quòd nulla controversia, lis, aut querela mota sit, vel pendeat in aliqua Curia, coram ullo iudice Ecclesiastico super aliquo contractu, vel matrimonio alterutrius dictarum partium, cum alia quavis persona.* 3. *Quòd Parentum modò sint in vivis, vel alias tutorum sive gubernatorum suorum expressum consensum in hac parte obtinuerint.* 4. *Quòd dictum matrimonium in Ecclesia Parochiali, vel Capella, ubi contrahentium alter commoratur, & non aliàs, idque publice in facie Ecclesiæ inter horas octavam & duodecimam curabunt solennizari*. Has cautionis leges non improbamus, sed cur ea facultas illustribus per Canonem concederetur & non obscurioribus, qui eandem cautionem interponere parati sint, primùm quærimus. Fortè munera eorum non sunt illustria. Nonnisi pensitato ære hanc facultatem etiam illustribus licet interposita cautione concedunt, & munera potius, quàm causas relaxandæ legis, & leges interpositæ cautionis pensitant. Si nuptiarum candidati, qui gratiosam dispensationem petunt, munere potentes sint, illustrium numero cooptabuntur. Non obstante præcedenti Canone gratiæ trinundinæ denunciationis tot pariunt abusus & enormitates, quot vigebant ante canonem conditum. Parentes fraudantur liberis etiam hæredibus: præcontractibus matrimonij illuditur, clandestina matrimonia celebrantur: & connubio junguntur, inscio pastore aut Ecclesia cujus membra sunt: ut referunt authores defensionis petitionis ad Regem. De ipsius matrimonij celebratione, & causis matrimonialibus suis locis dicturi sumus.

P. 226.

4. De causis Beneficialibus, ut,

1 Ad abolendum irregularitatem absque dolo malo contractam.

Irregularitas definitur à Canonistis & Theologis, Impedimentum Canonicum quo quis prohibetur ordinem Ecclesiasticum suscipere, aut in suscepto ministrare. Sunt alia impedimenta jure divino, aut naturali subnixa, ut fœmineus sexus, defectus baptismi, defectus membrorũ, & organorum necessariorũ ad e exercitium muneris ad ordinem sacrum spectantis. Qui istis impedimentis detinentur, ne ad ordines sacros promoveri possint, nõ irregulares, sed incapaces dicuntur, suntque ista impedimenta, veluti negationes quædam, & impotentiæ. Irregularitas autem præsupponit capacitatem in subjecto, illudque privat exercitio ceu usu talis capacitatis. Delicta omnia gravia etiam impediunt, si sequatur infamia, ut volunt Canonistæ. At irregularitas est tale impedimentum, ut etiam post pœnitentiam impediat, donec dispensatione tollatur. Quædam irregularitas fundatur in sola indecentia, alia in indecentia includente culpam. Nam indecentia est adæquata irregu-

irregularitatis causa apud Canonistas, ut si quis habeat defectus alioquin inculpabiles, si ministerij vel ordinum decentiam minuunt, irregularis est. Quædam irregularitas contrahitur per actum hominis proprium, alia sine ipsius actu. Quæ per solam passionem sine actu morali contrahitur, culpa vacat, impedimentum tamen Canonico jure introductum est, ut defectus natalium. Irregularitas autem per proprium actum contrahitur, quandoque cum culpa, quandoque sine culpa. Magistratus qui gladij & vindictæ potestatem habet, si gladio aut securi percusserit maleficum, irregularis est, sed absque culpa. Homicida, qui voluntarium homicidium committit, irregularis est cum culpa. In contrahenda irregularitate lata culpa æquiparatur dolo. *Nam studiosa negligentia dolo comparatur, & inducit irregularitatem, quia videtur affectare delictum ex tanta negligentia.* Hinc tot regulæ irregularitatum discernentes dolum & pravam voluntatem à negligentia. Irregularitates pleræque ex Cacozelia legis Mosaicæ ortæ sunt, ut ex Levit. 21. ubi enumerantur quædam irregularitates legales, & cœcus claudus, curtus, prælongus membra, vir in quo est fractura pedis, vel fractura manus, aut gibbosus, aut gracilis, aut cujus in oculo est suffusio, aut in quo est psora, aut saniosa scabies, aut thlibias teste, prohibentur appropinquare ad offerendum Iehovæ. Sic ob vitia quædam corporis per canones recentiores inducta est irregularitas, quamvis hoc malo se non affecerit, afficiendum curaverit, sed violentia aut natura ipsi contigerit. Ammonius monachus dextram aurem sibi amputavit, ne ad Episcopatum promoveretur, quam irregularitatem nostri prælati, sat scio, nunquam contrahent, qui Episcopatus tam avide ambiunt, & invita Ecclesia invadunt. Si quis etiam sine culpa sua oculo careat, sive dextro, sive sinistro, excluditur à sacro ministerio. *Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones sacerdotij jura concedi. Neque enim aliquid ei prodest, quod oculum invitus amisit, cum nec volens quisquam oculum amisisse credendus est, nec sacratissimos Canones aliquem casum in amissione oculi, qui ad sacerdotium adipiscendum non impediret, suis excepisse regulis invenimus, sed hoc tantummodo ad prohibitionem suffecisse videmus patribus, ut qui careat oculo, sacerdotij officium adipisci non possit,* ut scribit Gelasius Rufino Episcopo. Irregularitas oritur ex macula in oculo. *Tibi quòd in oculo maculam habeas, & filius Canonici fueris, obiectum. Vnde Cantuariensi Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut pro eo, quòd Canonici filius diceris, in promotione tua ex multa dispensatione procedat. De macula vero Archiepiscopo prædicto mandavimus, ut cum consilio suffraganeorum suorum, quòd exinde visum fuerit, exequatur, in quo tibi ex maxima dispensatione curavimus providere,* inquit Alexander 3. Vides oculi maculam, magnam inducere irregularitatem, & non committi, nisi ex dispensatione

Abbas in capit. Quæsitum, de pœnit. & remiss.

Dist. 55. cap. 13 Si Evangelium.

Decret. lib. 1. tit. 20 cap. 2. Cum de tua.

Papæ. Qui caret virtute videndi in oculo dextro, quamvis nec oculo careat, nec exterius appareat deformitas, non est irregularis. Si tamen virtute visiva careat in oculo sinistro, est irregularis. Quia licet non reddat faciem absolute deformem, facit tamen, ut ipse actus celebrandi ceu legendi canonem cum deformitate quadam fiat. Propterea *oculus sinister oculus Canonis vocari solet Romano stilo*, dicit Swarez. Qui pollice impotens est ad hostiam frangendam, irregularis est, ut colligitur ex capite ultimo tituli 20. lib. 1. decretal. Ex imitatione legis Deuter. 23. 2. *Spurius ne venito in congregationem Iehovæ, etiam decima ejus generatio ne venito in congregationem Iehovæ*, id est, publicum munus in populo Dei ne gerito, ut interpretatur Iunius, aliam induxerunt irregularitatem ex defectu natalium. Legem illam latam de Mamzere, id est, eo qui ex prostibulo natus est incerto patre, certa infamia, isti extenderunt in quosvis ex illegitimo quovis coitu prognatos, cuiusmodi sunt nothi, & quos naturales appellamus, & constituerunt, neminem beneficium aut ordinem consequi posse, qui ex iusto matrimonio editus non est, metum incontinentiæ paternæ, & crimen parentum in filijs vindicandum obtendentes. Sed *undecunque homines nascantur, si parentum vitia non sectentur, & Deum recte colant, honesti & salvi erunt*, dicit Augustinus. *Iephthe inter viros sanctos Apostoli voce numeratus, meretricis est filius*, dicit Hieronymus ad Pammachium. *Nasci de adulterio, non est ejus culpa qui nascitur, sed illius qui generat*, ibidem scribit idem Hieronymus. *Satis perversum, & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorundam voluntatibus, quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab officij, quo fungitur, gradu non dejicit*, inquit Gregorius Epistol. ad Columbam Episcopum Numidiæ, ut habet Gratianus in Decreto. Iure igitur decrevit Synodus Middelburgensis anno 1581. *Quando spurij & illegitimi habent divina necessaria dona, non est ratio, nec causa cur ad officia Diaconatus, Senioratus, ministri verbi non debeant aut possint admitti*, ut refert Scultingius. Non solum Digamus, qui successive, & diversis temporibus duas uxores, sic enim digamiam extendunt pontificij, sed etiam qui viduam uxorē duxit, ipsis irregularis est. Quippe lege Mosaica pręceptum fuit, ut Pontifex virginem tantum uxorem ducere posset, Levit. 21. Irregularitatem homicidij deducunt ex illo loco, 1. Chron. 22. *Non es ædificaturus domum nomini meo, quia sanguinem multum effundis in terram*, id est, non erit tibi tantum otij a rebus bellicis, ut eam ædificare possis. Effusio sanguinis non fuit irregularitas in ipsis sacerdotibus veteris Testamenti, & ministris templi, ut vult Aquinas. Non igitur potuit dimanare à testamento veteri ad ministros novi testamenti. Imo ait Moses Levitis ob cœdem trium millium, *Consecrate ministerium vestrum hodie Iehovæ*, Exod. 32. 29. Si quid hic mysterij est,

De censuris disput. 51. sect. 2. num. 15.

Distinct. 56.

Scultingij Anacrysis, l. 9. p. 12.

In 4. sentent. dist. 25. quæst. 2. Art. 3.

eſt, Salomonem Chriſtum Regem pacificum adumbrare voluit Dominus. Laſciviunt tamen in hujus generis irregularitatibus Pontificij. Accuſans vel deferens aliquem ob crimen, pro quo debetur pœna capitis,vel truncatio membri,eſt irregularis. Iudex, actor,vel procurator,notarius ſive dictator, vel promulgator, ſi in membris ſecuta eſt mutilatio, irregularis eſt. Advocatus qui tractavit cauſam ſanguinis, licet nec mors nec ſanguinis effuſio fuerit ſubſequuta: exercens artem chirurgiæ, ſi propter imperitiam, & negligentiam eius, ſit mors ſubſequuta ab inciſione, aduſtione, aut potione, quam dedit infirmo: extrahens ſagitttam vel telum, vel gladium infixum corpori alicujus, ſi vulneratus propterea citius moritur, irregularis eſt. Qui plura exempla deſiderat, adeat tractatum ſacerdotalem Nicolai de Plove. Qui prudens ſciens rebaptizatus eſt, eſt etiam irregularis. Ex illicita & indebita ordinum ſuſceptione & uſurpatione, & adminiſtratione variæ oriuntur irregularitates; Ex hæreſis & Apoſtaſiæ delicto, non ex adulterio & inceſtu,niſi ſequatur infamia,oritur irregularitas. Quòd ſi ſequatur ex adulterio aut alijs delictis, tunc non ex delicto, ſed alio capite nempe infamiæ naſcitur irregularitas. Digamus eſt irregularis, adulter, niſi ex adulterio generetur infamia, non eſt irregularis. Tam belle dividunt,& diſtinguunt delicta & irregularitates Canoniſtæ. Canoniſtas Anglicanos non alias ponere irregularitates, quàm pontificios certum eſt: ſed an omnes dubitatur. *Itaque tandem ius Eccleſiaſticum Anglicanæ Eccleſiæ,* inquit Mucketus, *comprehendit omnes Canones in vaſto juris Canonici corpore, à jure civili, ubi deficiunt, adjutos, per Canonum doctores explicatos, omnesq́ conſtitutiones, ac decreta Nationalia, ac Provincialia in Eccleſiaſticis noſtris Curijs olim uſitata, quæ nec ſtatutis, aut iuribus municipalibus Regni, nec nuperis Eccleſiaſticis conſtitutionibus ſtatutorum authoritate conditis repugnant, neq́ privilegijs Regijs incommodant.* Ex his verbis colligo omnes fere irregularitates iuris Canonici manere in Eccleſia Anglicana,quia nulla aut perpaucæ tolluntur ſtatutis Regni,aut nuperis conſtitutionibus Eccleſiaſticis. Cæteras vel obſervant,vel obſervare poſſunt. Dixi *vel obſervare poſſunt,* quia quaſdam irregularitates majoris momenti,& quæ divina ſunt potius, quam Canonica impedimenta,negligunt, quas maxime obſervare oportebat. Apoſtaſiæ irregularitas inter graviſſimas numeratur. Presbyterorum tamen Anglicanorum plurimi,qui ſub Edward. 6. papatui abrenunciarunt, & Marianis temporibus ſacrificulorum munere functi ſunt, regnante Elizabetha gradum ſuum aut retinuerunt,aut facile recuperarunt, ut referunt authores commonitorij ad Comitia Parliamentaria, & Cartwrightus. Temporibus Ioſchijæ, ſacerdotes, qui adoleverant in excelſis Iehudæ, abdicati ſunt ipſi, & ipſorum poſteri à miniſterio ſuo, nec permiſſum eſt

Polit. Eccleſ. Anglica; c. 2. p. 299.

1. Repl. p. 26

ipsis offerre in altari Iehovæ Ieruschalaimis, 2. Reg. 23. 8. 9. De Levitis, qui longe recesserunt à Domino, & sequuti sunt Deos stercoreos, quum errarent Israelitæ, dicit Dominus, *Non accessuros ad me, ut sacerdotio fungantur mihi, & accedant ad ullas res sanctas meas, ad res sanctas sanctarum, sed reportaturos ignominiam, & abominationes suas, quas fecerunt*. Ezechiel 44. 10. 13. Quamvis ex Aaronis genere essent, & non aliunde, quam ex Levitica tribu deligeret sibi sacerdotes, loco tamen movet, quia peregrino cultu sese polluerunt. Multo magis in Ecclesia Christiana, ubi nulla tribuum differentia, sed undiqne delectus haberi potest, gradu submovendi sunt, nedum in integrum restituendi, aut retinendi. Cyprianus ad Epictetum, & plebem Assuritanorum de Fortunatiano quondam eorum Episcopo, sic scribit. *Graviter & dolenter motus sum, fratres charissimi, quòd cognoverim Fortunatianum quondam apud vos Episcopum, post gravem lapsum ruinæ suæ, pro integro nunc agere velle, & Episcopatum sibi vendicare cœpisse*. Et paulo infra, *miser audet sibi adhuc sacerdotium, quod prodidit, vendicare, quasi post aras Diaboli accedere ad altare Dei fas sit*. Et inferiùs, *Qui gravis in se delicta adduxerunt, id est, qui idolis sacrificando sacrilega sacrificia fecerunt, sacerdotium Dei sibi vendicare non possunt*. Idem libro primo Epistolarum de Basilide & Martiali libellis idololatriæ commaculatis, & nefandorum facinorum conscientia convictis, sic scribit. *Frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur, cum manifestum sit eiusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere. Maxime cum jampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus, & iustus, decreverit huiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque sacerdotali honore prohiberi.*

Lib. 1. epi. 7.

Lib. 1. epi. 4.

Can. 1.

In Concilio Ancyrano decretum, ut Presbyteri, qui tormenta ad finem perferre non potuerunt, sed victi fidem abnegarunt, & idolis sacrificarunt, si postea seriò reluctati fuerint, & cum pura confessione pœnitentiam egerint, ad solum honorem & Cathedram recipiantur, neque offerant, neque sermonem conferant, id est, ne doceant, neque aliquid aliud sacerdotale exequantur. Hic est sensus Canonis ex mente Balsamonis. Contra igitur, qui antequam torquerentur, cesserunt, aut simulatè tormenta obtendebant, nec honore nec cathedra digni habebantur. Tales fuisse refert Cartwrightus, apostatas illos, qui à lapsu Petri, quem allegavit Whitgiftus, illorum Apostasiam sic distinguit. Petrus una hora negavit Christum, illi plures annos: Petrus retinuit corde, quem negavit ore; Illi & ore & manu ve-

2. Repl. part. 1. pag. 178. 179.

sitatu

ritati abrenuntiarunt, apostasiam suam chirographo subsignantes: Petrus metuebat vitæ, illi honoribus & beneficijs Ecclesiasticis: imo quidam, inquit, cesserunt, ut compararent sibi plura beneficia: Petrus in angulo, illi in foro publico ceu Curia: Petrus solummodo negavit se novisse Christum, aut fuisse unum ex numero discipulorum, non laceravit famam ipsius, aut in doctrinam ipsius debacchatus est; illi probra & opprobria jactarunt in Evangelium, & Evangelicos: Petrus lapsus est, uno quasi ictu ex improviso perculsus; illi post oblatam deliberandi facultatem: Petrus non militavit in castris Scribarum & Pharisæorum hostium Christi; illi ministrarunt, & militarunt sub Antichristo. Lapsus Petri non juvat, quia Petrus immediatè, & extraordinem à Christo ad Apostolatum vocatus, à Christo, qui potestatem habet in legibus suis dispensandi, restitutus in gradum suum, vel potius de novo confirmatus erat. Aaron vituli aurei idololatria contaminatus, non tamen amotus à sacerdotio; quia immediatè à Deo vocatus erat, & orante pro eo Mose Deuteron. 9. 20, probabile est Deum, & culpam condonasse, & in functione sacerdotali confirmasse; Sed ex 2. Reg. 23. & Ezech. 44. quid lege ordinaria debeat facere Ecclesia, discendum nobis est. Quod igitur de Fortunatiano, & ejus asseclis dixit Cyprianus, in sacrificulos illos apostatas torqueri potest. *Stipes, & oblationes, & lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant, & cœnis, atque epulis, etiam nunc inhiant, quarum crapulam nuper superstite indies cruditate ructabant, nunc manifestissime comprobantes, nec ante se religioni, sed ventri potius, & quæstui profana cupiditate servisse.* Asserit Whitgiftus apostatas sacrificulos posse, vel restitui in gradum suum, vel retineri, dummodo resipiscant, & pœnitentia purgetur ipsorum Apostasia. De interna illorum resipiscentia iudicet Dominus: de externa & publica coram Ecclesia pœnitentia nihil legimus. Præterea irregularitas non tollitur pœnitentia, sed dispensatione. Nam etiam post peractam pœnitentiam manet irregularitas impedimentum Canonicum. Et ideo quantumcumque hominem pœniteat sui delicti, non potest ex vi alicujus sententiæ liberari à tali onere. In irregularitatem non cadit absolutio, sed dispensatio. Apostasiæ irregularitas à nemine infra summum Pontificem, qui divina & humana sibi vendicat, dispensari potest secundum Canonistas. Peracta penitentia, & sanato vulnere, manet cicatrix. Levitæ & sacerdotes, de quibus supra, resipiscentes, non tamen restituti sunt in gradum suum. Irregularitas Apostasiæ non tam in pœnam delicti imposita, quam ob scandalū vitandum, & ad majorem cautelam, Ecclesiæq; securitatem, ne in fide inconstantes ad ministerium promoveantur.

Lib. 1. epi. 7.

Pag. 144. 145.

Qui fidei & virtutis duces fratribus suis esse non potuerunt, perfidiæ & temeritatis magistri extiterunt, ut loquitur Cyprianus, alios fortiter in prælio stare docebunt? Ianuam divinæ misericordiæ nemini occludimus, & Apostatas in gremium Ecclesiæ recipiendos non negamus: sed ad sacrum etiam ministerium provehendos esse non sequitur. Qui Ecclesiæ Anglicanæ statum probè norunt, Curiones & sacerdotes ipsorum scena mutata non ægre ad pontificiorum castra etiam nunc retrahi posse judicant. Tanta est conformitas inter cultum pontificium & Anglicanum, cui se conformarunt Formalistæ. Si quis irregularitates omnes percurreret, quantam irregularium turbam deprehenderet.

2 Ad abolendum similiter quandocunque Simoniacum ambitum.

Simonia definitur à Canonistis, studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Beneficia sunt spiritualibus annexa, ideo in beneficijs etiam Simonia committi potest. Simoniam Ecclesiæ Anglicanæ, ut lepram totum corpus Ecclesiasticorum pervagantem transcribam ex Brightmanni commentario in Apocalypsin. *Sed imprimis flagitandi mendicitas insignis est. Percurrite enim oculis, & animis, totum Clerum. Vultis exordiamur ab infimis. Curiones quos vocant, tum ipsa re, tum omnium iudicio mendici sunt. In quibus videre licet, quod denunciatu fuerat familiæ Eli, homines incurvantes se pro nummo argenteo, & buccella panis, uniq; sacerdotiorum adiungi postulantes, ut frustulum panis comedant, 1. Sam. 2. 36. In reliquis, qui præ maiori affluentia subnixiùs ambulant, quæ cursitatio? quæ largitio? quàm importuna flagitatio? quantæ blanditiæ totius obsequij, omniumq; officiorum assentationes, ut Ecclesiastica sibi munera comparent? Complures ad regiam aulam advolant, vel ad ædes nobilissimi viri Domini Custodis Magni sigilli. Hæc enim loca sunt instar speciosæ portæ templi Salomonis: frequentes hac homines ingrediuntur, & magna spes est auferendi stipem, Act. 3. Alij Magnates, & proceres sectantur, quibus vel domestici Capellani fiunt, vel ut ita dicam, Clientelares. Quam quæso ob causam? Vti quam primum beneficium aliquod, ut vocant, vacuum contigerit, eodem ipsi suorum Dominorum munere fruantur. Atque hæc honesta videtur esse ratio consequendæ Ecclesiasticæ provinciæ.---Reliqua turba ruri vulgus patronorum colit, quorum quidem incubat vestibulis, blanditur uxoribus, adulatur liberis, famulos captat, ac miseram ubivis mendicorum speciem præbet. Quidam astutiùs, quemadmodum qui in bivijs, & vijs publicis consident, decorticatas virgas viatoribus offerunt, ut nummum impetrent. Sic isti, vel largitione præsentium pecuniarum, vel pactione certi reditus aditum sibi faciunt. Sed ut pergamus, ubi res emendicata est à Patrono, quantū negotij restat indoctiori turbæ, ut impetretur ab Episcopo institutio? Hic non solū supplican-*

Brightman. in Apoc. ca. 3. v. 17.

plicandũ est summo Domino, sed et examinatorib⁹ rubiculariis, Notariis, Promis Condis, & infimo cuique. Non quod inscitia ab ingressu arcebit, sed quod majori lucro famulis esse solet, cui opus est plus gratiæ. Nulla arx tam munita, quam asinus onustus auro non expugnat: nec quisquam fere tam ineptus, qui repulsam fert, quibus vero machinis adhibitis ipsi viderint. Eadem est ratio præbendariorum, Archidiaconorum, Decanorum. An ipsi Episcopi hac sorde carent? Quid ergo vult illa frequens Aulæ & Magnatum assectatio? Quare non expectant, dum accersantur? Cur non inuiti rapiuntur à Musæis? Imo si quis eorum conscientias appellaret, utrum opima illa prædia Episcopatuum suorum locata sunt sponte desideratis redemptoribus, an pactæ sunt largitiones adiutoribus dignitatis? Sed nunquid in ambiendo solùm mendici sunt? Eo sane mendicitatis quidam processerunt, ut si mutanda sit sedes, primitias non solvant, nisi eleemosynam pauperibus Rectoribus benevolentiæ nomine turpiter corraserint. Mendicus es igitur Angele Anglicane. Ac ideo apud te usu venit, ut prætereantur optimi, aliiq; minus digni, potiori loco sint. Nam ut cœcis, claudis, & ulcerosis, aliquid erogamus, obthuramus contra eos aures, quos habitiore corpore, habituq; honestiore esse videmus, sic homines cœcæ mentis, deformis & mutilatæ doctrinæ & ingenii, stipes satis multas colligunt, cum illi qui plus eruditione valent & judicio, vel quia tam fortiter vociferari nequeunt, vel quia mendicare magis pudet, vel quia minus eorum homines miseret, esurire sinantur, & fame perire, &c.

Possem etiam Cartwrightum, & alios testes adducere in simoniacum ambitum Episcoporum & ministrorum gradus inferioris, sed tam luculentum est Brightmanni testimonium, ut aliis non sit opus. Cum Simoniæ pretium sit munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio, non solum pecunia numerata aut numeranda, intercessione, precibus, assentatione, sed etiam obsequio temporali vel spirituali, ordines, & beneficia sibi comparant. Nam non solum Capellani Episcoporum; sed etiam ipsorum famuli atrienses ad sacros ordines & beneficia promoventur. Testis mihi author Petitionis ad Reginam Episcopos Anglicanos, atrienses, aliosque viliores & inertes famulos in sacro ministrorum ordine constituere. Et quamvis non præcesserit expressa pactio, tamen hac spe addicunt se tum Capellani, tum alii Episcopis, & obsequia præstant. Non solum Simonia committitur a dante & accipiente, sed etiam dispensante, & ipsa dispensatio ambitus simoniaci non fit absque Simonia. Sic & cæteræ dispensationes in irregularitate, impedimentis matrimonii, nonresidentia, pluralitate beneficiorum, vescendis carnibus, &c. Nam in dispensationibus servanda est æquitas justitiæ distributivæ, & pro ratione causæ neganda, vel concedenda est dispensatio, qua æquitate sublata corrumpitur, & enervatur Ecclesiastica disciplina. Nam dispensatio vel petitur ex causa legitima, & tunc debetur ex justitia, nec jure postulari potest pretium,

2. Replica p. 227.

Petit. 70.

pretium, vel causa non est legitima, & tunc turpiter venditur. Si dixerint dispensationes odiosas esse, & propterea petentibus onerosas reddendas, ne nimia detur licentia importuniùs dispensationes petendi, respondemus, si ex iusta causa & legitima petantur, odiosæ non sunt, si non ex justa causa, merito odiosæ sunt, & propterea negandæ sunt, non concedendæ cum onere petentis, & lucro dispensantis. De officialium stipendijs, sigillo, charta, rescriptis & testimonijs, & sumptibus pro ijs expendendis nihil hîc dicimus, sed de lucro quod cedit in utilitatem dispensantis. Nihil igitur reliquum est quod prętexant, quàm quod Pontifices Romani, nempe exigi aliquid ad sustinenda onera dignitatis dispensantis. Sic venales esse possunt conciones, & sacramentorum ministrationes, & quicquid sacratissimum est in Ecclesia sub specie stipendij, non nomine pretij, cum certum sit stipendium datum esse ratione personæ, quia operarius est dignus mercede sua, & si quid ultra petierit pro singulis actibus sui muneris, sive actibus ordinis, sive jurisdictionis, simoniam committere. Onera dignitatis sustineri debent ab omnib⁹, non à singulis in singulis actib⁹. Sed ut redeamus ad primum de ambitu Simoniaco, tum in ordine, tum in beneficio, dicitur hîc per Archiepiscopũ auferri & aboleri posse, & quoad omnes pœnas ipsum dispensare, excommunicationẽ majorẽ, suspensionem, depositionem, irregularitatem mediante infamia. Si igitur duriores & rigidiores fuerint Canones, & constitutiones Ecclesiasticæ, asperitatem emolliendi hîc habent remedium paratissimum Simoniaci, quo suæ tristitiæ mederi possint. De turpi lucro in elocanda jurisdictione Ecclesiastica officialibus & Cancellarijs postea dicemus, item de feodis, vt vocant, pro literis Ordinum, addo tantum præclaram Imperatoris Anthemij constitutionem.

Cod. tit. de Episco. & Cleric. *Si quenquam vel in hac urbe regia, vel in cæteris provincijs, quæ toto orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum provehi, Deo authore, contigerit: puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, syncero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotij venalitate pretij mercetur, quantum quisque meretur, non quantum dare sufficit, æstimetur. Profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecunijs expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda proserpat? Denique quid cautum poterit esse, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur? cesset altaribus immenere profanus ardor avaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus ut quocunque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi ordinatus fuerit*

fuerit invitus. Cum sane, si quis hanc sinctam, & venerandam Antistitis sedem pecuniæ interventu subjisse, aut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur: instar publici criminis, & læsæ majestatis accusatione proposita, à gradu socerdotij retrahatur. Nec hoc solum deinceps honore privari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus: ut eos quos par facinus coinquinat & æquat, utrosque similis pœna comitetur.

3 Beneficium vacans fiduciario titulo (quem Commendam vocant) concedere ad tempus, vel durante vita.

Cum alicui cura, & administratio ecclesiæ commendatur, & ob hanc curam fructus beneficii, vel saltem pars assignatur, non ipsum beneficium in titulum confertur, commenda dicitur. Commendatarius autem non est prælatus, vel proprius ecclesiæ Rector, sed tantum quasi procurator, vel gubernator. Commendæ initio introductæ sunt in favorem ecclesiæ vacantis, ne distitura Rectore proprio, omni interim regimine destitueretur. Sed temporariæ tantum erant, & sex mensium spatio concludebantur, ut habetur in Sexto decretalium. *Nemo deinceps paræcialem ecclesiam, alicui non constituto in ætate legitima, & sacerdotio, commendare præsumat: nec tali etiam nisi unam: & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius ecclesiæ suadente, hujusmodi autem commendam, ut præmittitur, rite factam declaramus ultra semestris temporis spatium non durare. Statuentes, quicquid secus de commendis ecclesiarum paræcialium actum fuerit, esse irritum ipso jure.* Sed jam dantur potius in favorem commendatarii ad plures annos vel in perpetuum, non solum ecclesiæ paræcianæ & beneficia minora, sed etiam beneficia maiora & episcopatus, qua ratione, ut facete quidam dixit, non commendæ, sed comedendæ appellari debent. *Richardus Cheynæus consecratus Aprilis* 19 1562 *præfuit, & eclesiæ Glocestrensi simul ac Bristoliensi (quam rexit commendatarius per Reginæ dispensationem annos plus sedecim,* ut testatur Godwinus. *Sit & Iohannes Bullingham Glocestrensis quoque Episcopus, Bristoliensem ecclesiam similiter per dispensationem administravit* ad annum 1589. *quando Reginæ visum Bristoliensibus proprium dare Antistitem,* teste eodem Godwino. In Concilio Chalcedonensi statutum, *Clericum in duarum ecelesijs civitatum eodem tempore conscribi non oportere.* Verum quidem est addere Gratianum. *Sed contra, nonnunquam episcopus civitatis unius efficitur Archiepiscopus alterius civitatis, nec tamen priorem ecclesiam deserit: sed prior ecclesia quasi commendata relinquitur, secunda quasi titulata habetur.* Corruptum glossema. Idem enim est, ac si dixisset, quamvis non liceat uni habere duas uxores potest tamen unam uxoris aliam pellicis titulo habere. Hæc una est artium illarum qua episcopatus suos, si forte tenuiores sunt, amplificare & ditare possunt, quamvis conceduntur

Lib. 1. tit. 6. cap. 15.

In Commentario de præsulib. pag. 591. 697.

Caus. 21. qu. 1. c. clericum.

O

ceduntur commendæ etiam ubi non sunt tenues reditus episcopatus, ut de Glocestrensi & Bristoliensi diximus. Altera est beneficiorum minorum fiducia & commendæ. Tertia est, unio aliorum beneficiorum ad mensam episcopalem. Novimus & in ecclesia nostra episcopos a beneficio minori ad maius evectos una secum beneficium minus tulisse,& episcopatui univisse,quò reditus beneficij maioris augerent,idque authoritate regia absque ecclesiæ consensu,ut alia fere omnia faciunt. Tridentini tamen saniores, qui decreverunt prius judicandum in Synodo de episcopatus tenuitate. *Quoniam pleræque Cathedrales ecclesiæ tam tenuis redditus sunt & angustæ,ut episcopali dignitati nullo modo respondeant,neque ecclesiarum necessitati sufficiant examinet Concilium provinciale, vocatis ijs quorum interest & diligenter expendat,quas propter angustias, tenuitatemque,invicem unire, vel novis proventibus augere expediat: confectaque de præmissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat; quibus instructus summus pontifex ex prudentia sua expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat.* Nolo, ut ex dictis quis colligat episcopatus Anglicanos esse reditibus tenuiores. Nam episcopi,Nobiles, & Magnates,plerique plerosque, annuis proventibus superant. Si forte duo vel tres, ut Landauensis & Carleolensis habent redditus tenuiores ab episcopatu proprie provenientes, non reipsa sed insatiabili episcoporum avaritia id æstimandum est, qui ne amplissimis quidem opibus saturari unquam possint. Nihil nimium est ad dignitatem istam episcopalem cum pompa, & splendore mundano suffulciendam. Præterea episcopatus reditus ecclesiarum minorum spoliis locupletant atque ita tenuitati medentur. De commendis plura diximus capite primo.

Concil. Trid. Sess 24 decret. reform. 13.

4 Vt filius beneficio patris possit immediate succedere.

Constitutio Iohannis Peccham Archiepiscopi Cantuariensis extat apud Linduodium his verbis. *Cum jure sit inhibitum, ne absque dispensatione Apostolica præficiantur filij Rectorum, aut Presbyterorum in ecclesiis, in quibus patres eorum immediate, ceu proximò ministrarunt, & constet ipsa beneficia vacare. Si contrarium de facto fuerit attentatum, præcipimus ut prælati de ecclesiis sic vacantibus, diligenter inquirant,& juxta juris exigentiam de eis non differant ordinare:cautius præcaventes de cætero, ne tales ad huiusmodi beneficia ullo titulo admittant: ne contra justitiam hæreditati crucifixi per surreptionem locus successioni pateat.* Dicitur *immediate*, id est, nulla persona intermedia ibi ministrante. Nam persona media purgaret vitium, inquit ibidem Linduodius; & colligit ex rescripto Papæ ad Archiepiscopum Cantuariensem. *Ex transmissa conquestione G. clerici percepimus, quòd ad Abbatis de castris præsentationem in quodam beneficio ecclesiæ*

Provincial. lib. 1. titul. de filiis presbyterorum.

Decretal. lib. 1. tit. 17.

eccleſiæ de N. eum in præſenti recipere diſtuliſti, eo quod pater eius in præfata eccleſia miniſtravit: quo defuncto media interceſſit perſona, cui prædictum beneficium eſt collatum. Ideoque mandamus, quatenus ſi eſt ita, prænominatum Guiliel. ad præfatum beneficium admittere non poſtponas, non ideo minus obſervato Apoſtolici reſcripti decreto, quod ſucceſſionem in eccleſia Dei hæreditarium deteſtatur. Presbyteri filius vel ex damnato, & illegitimo concubitu natus eſt, vel ex legitimo, id eſt ſecundum canoniſtas, ex uxore legitima ante ordinum ſuſceptionem. Qui ex damnato concubitu natus duplici impedimento Canonico detinebatur, ne ad beneficium patris promoveretur 1 quod illegitimus 2 quod filius ſacerdotis. De priori caſu ſupra diximus, ubi de iregularitate egimus. Quod ad ſecundum attinet, proſpiciendum quidem eſt, ne quis paternum beneficium tanquam hæreditarium vendicare audeat, aut eo nomine, quod pater illud ſive immediatè ſive mediatè poſſideat, ſed quòd pure & ſimpliciter promoveri non poſſit eccleſia eligente & rogante, aut Patrono, ut ipſi volunt, præſentante, nullo alio obviante impedimento Canonico, iniquum cenſemus, & proinde nulla hîc diſpenſatione opus eſſe, ſive nati ſint ante, ſive poſt ſuſceptos ordines.

5 Vt ad aliquod tempus (ob graviorem aliquam cauſam) Beneficiarius non reſidere teneatur: ſed per alium idoneum deſervire.

Beneficiariornm non reſidentium numerus in eccleſia Anglicana quantus ſit, ſi quis recenſeret, forte exteri fidem non haberent. Soli capellani Regis, principis, Nobilium, epiſcoporum, aliorumq; magnam conficerent turbam. Hi veſtiuntur mollibus, & in aulis Regum, principum, procerum, & epiſcoporum molliter vivunt ex proventibus beneficii paræcianæ eccleſiæ, interim fraudantur paræciæ ſpirituali pabulo. Hooperus in concione habita coram Edwardo 6. *Oportet maieſtatem veſtram incipere à ſacello & ſacellanis tuis, & cogere, ut inſerviant animabus illis, quæ pro ipſorum victu ſudant. quod ſi non fecerit maieſtas veſtra, verſatur in periculo anima tua.* Et *Leverius* coram eodem *Edwardo*. *Domini mei, tum laici tum ex clero, Dei nomine moneo, ut obſervetis, quod Dominus Dominorum, quando viderit gregem ſuum diſſipatum & perditum, ſi ſanguinem inveſtigaverit, deprehendet in aula iſta, & domibus veſtris fures illos qui mactant, & perdunt gregem Chriſti, quos vos fovetis.* Aulæ igitur principis, & procerum, & epiſcoporum ſpeluncæ ſunt iſtorum latronum. Sic & Academiæ, Oxonienſis & Cantabrigienſis, latibula ſunt latronum Nonreſidentium. Ibi qui in collegiis theologicis dicuntur Socii, fruuntur beneficiis paræciarum, paræciis interim neglectis. Sunt & eccleſiæ cathedrales ceſſatorum longurionum ſpeluncæ, ut referunt authores commonitorii ad comitia Parlia-

mentaria. Quibusdam non satis idoneis ad ministerium etiam post susceptos ordines, & collatum beneficium aliquod, conceditur, ut per triennium in Academia commorentur, & miseræ ecclesiæ interim totos tres annos in medio mari sine gubernatore fluctuantur, ut refert Traversus. *Cur autem [illegible] sero sapiunt*, inquit, *& non ante ad Academiam ad discendum mittunt, quam ad docendum admittunt? Aut quæ est ista Epimethei ingenii perversitas, ut ad docendum eum constituant, cui in cathedra discendum sit?* pudet ipsos pontificios huius corruptelæ. *Multo etiam strictior est nunc Paræcorum residentia*, inquit Zypæus, *quam ante concilium Tridentinum. Quippe studiorum causa poterant per septennium abesse facultate ordinarii. Hodie Ordinarii talem licentiam dare non possunt, nec Parochi absentes fructus percipere, Quippe cum conferantur hodie per concursum, præsupponitur, quòd, qui ut magis idoneus erit electus, satis sit literatus.* Sunt & alii non resides, stellæ erraticæ provincias peragrantes, quibus per Achiepiscopum ista non residendi facultas conceditur. Archiepiscopus audet quod ipsi Archangeli non audent, qui prærogativas non residendi non tam dat, quam vendit. Obtinuit illud semper, ne qui sacris operarentur, à loco sacerdotii discederent. *Quosdam exilia uno loco tenent, quosdam sacerdotia*, inquit Seneca, de tranquill. vitæ. Inde est quod curavit Schelomo domicilia ædificari circa templum 1 Reg. 6. & Apostolus 1 Cor. 9. 13. dicit, qui altari assident, cum altari participare. Verbo προσεδρέυειν significatur hoc munus perpetuam assiduamque curam postulasse, ut sacerdotes quærendo alia ratione victui vacare non potuerint, ut annotat. Beza. Pastores vigiles sunt, ecclesia civitas obsessa. Nulla pax, nullæ induciæ. Fideles sunt oves gregis Dominici, minister est pastor ovium, ducit ad læta pascua, & quod in se est, indicat lupum, instigat canes. Væ pastori, qui adipem comedit, & lanam induit, quod opimum est mactat, gregem autem non pascit, morbo affectam non confirmat, ægrotam non curat, confractam non obligat, depulsam non reducit, peremptam non requirit, Ezechiel 34. 6. Christus pastoribus omnibus in persona Petri dixit, *Pasce, pasce, pasce*, ut assiduitatem ipsis commendaret. *Aut oportuit te gregem dominicum minime servandum suscipere, aut susceptum nequaquam relinquere*, inquit Bernardus. Cum peteret papa Innocentius, ut ad se veniret, respondit se plane parvulos lactare, & propterea sine ipsorum periculo non posse. Paulus valedicens presbyteris ephesinis Act. 20. 28, hortatur, ut attendant sibiipsis, & gregi, in quo spiritus sanctus illos constituit episcopos ad pascendum ecclesiam Dei: & alio dicendi genere idem monet Petrus 1. epist. cap. 5. *Pascite Dei gregem, qui penes vos est* (vel, qui à vobis pendet) *illius inspectioni vacantes*, ἐπισκοποῦντες, ut ostendat non inane esse nomen

De discipl. eccl. fol. 77. 78.

Zypæus ius pontif. lib. 3. titul. de clericis non resid. num. 24.

Bern. epist. 18. epi. 153.

Episcopi

Episcopi, operis & laboris non ignaviæ & desidiæ nomen esse. Si quis omnia pastoris munia percurreret, verbi prædicationem, sacramentorum administrationem, admonitiones publicas privatas, consolationem anxiorum, casuum conscientiæ paratissimam enodationem, vitam exemplarem, fatebitur pastorem non posse gregem absq; periculo derelinquere. *Nam quis dubitat, ut inquit ille, quod ianitor ad januam, villicus ad villam gubernator navis ad gubernaculum, præceptor ad scholam, & alij ad sua munera sedere debeant,* ut dicitur in Concilio Bononiensi anno 1586. Pastor omnibus istis munijs in unico munere suo fungi debet, janitoris, villici, gubernatoris, præceptoris: residere ergo debet. Paulus præcipit ut ministerium suum impleant. *Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos, mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo iudice requirendus, custodiæ minime incumbant: cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit,* dixerunt ipsi patres Tridentini. Debet esse regula & exemplar alijs, morum probitate, & pietate. Sed si longius remota fuerit regula à regulato, quomodo adaptabunt mores suos ad eius exemplar. Cajetanus ut demonstret Episcoporum residentiam esse juris divini, sic argumentatur. Ad illud tenetur Episcopus sub præcepto divino, quod necessarium est ad finem Episcopi, qui est cura animarum. Sed residentia Episcopi est necessaria ad curam animarum. Ergo Episcopus tenetur sub divino præcepto ad personaliter residendum in suo Episcopatu. Maior est per se nota, & patet inductivè. Nam qui tenetur simpliciter ad aliquid agendum, tenetur ad medium necessarium ad illam actionem. Famulus tenetur sequi Dominum non simpliciter sed ex suppositione, si de equo ipsi prospexerit. Miles tenetur ad pugnandum ex suppositione, si ministrata fuerint ipsi arma. Sed Episcopus non ex suppositione, sed absolutè & simpliciter, tenetur ad curam animarum, & propterea tenetur ad medium sibi possibile necessarium ad curam animarum. Nec solùm tenetur, sed eadem necessitate qua tenetur ad finem, tenetur ad medium, ex quo medium est ita necessarium, quod sine illo non potest finem consequi. Minor probatur. Episcopus tenetur ad curam animarum mediantibus his actibus personalibus, scilicet doctrina, ministratione sacramentorum, consecrationibus, visitatione, custodia, ac diligentia. Ergo residentia personalis Episcopi est necessaria ad curam animarum. Vnde colligit, quod *non consuetudo, sed abusus est tot Episcoporum non residentium, & sequentium curias.* Cum agitata est ista quæstio in Concilio Tridentino Pauli 3. temporibus. An Pontifici liceret Episcopos à residentia solvere. Plerique theologi negarunt licere, residentiam enim juris esse divini, atque

Sess. 6. decr. reformat. 1.

in 2. 2. quæst 185. art. 5.

atque adeo nemini fas esse ab eo quenquam solvere, idque constare ex Levit. 18. ubi Levitis Dominus ita præcipit. *Die nocteq; manebitis in tabernaculo, observantes custodias Domini, ne moriamini.* Quam disceptationem cum ex literis legatorum intellexisset, mox eis mandavit, ut quæstionis definitionem in aliud tempus rejicerent. Interea validam manum quadraginta Episcoporum in auxilium misit, ut suffragiorum numero in illius quæstionis definitione potestatem à residentia solvendi retineret, quod & accidit, ut refert Gentiletus. *Adversus communissimam & verissimam sententiam insurrexit,* inquit Spalatensis, *Ambrosius Catharinus, & pro solita sua audacia, scriptis opusculis residendi obligationem ad solum jus reduxit ecclesiasticum positivum.* Quod de Episcoporum residentia dictum est, ad parochorum residentiam accommodandum est. Nuperis Canonibus anni 1603. decretum in hunc modum. *Quilibet Decanus, præfectus, Guardianus, vel Rector primarius cuiusuis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, 90 dies ad minus in singulis annis conjunctim vel divisim in dicta cathedrali vel collegiata ecclesia residebit, nisi aliâs gravibus & urgentibus causis, ijsque per Episcopum diœcesanum approbandis, detentus fuerit, vel legitima aliqua ratione dispensatus.* Satis igitur erit, si 90 dies adfuerit, & cum decretum legitimæ occupationis exceptionem habet, non deerit prætextus Episcopo approbante, aut Archiepiscopo dispensante etiam in trimestri illo spatio, ad vim decreti eludendam. Item *nullius Ecclesiæ cathedralis, aut collegiatæ præbendarius vel canonicus, qui unum vel plura beneficia curata obtinet (nec in sua Ecclesia Cathedrali aut collegiata residentiarius existit) à beneficijs suis curatis, prætextu præbendæ suæ, ultra tempus unius mensis aliquo anno aberit, nisi ex urgente causa, & pro certo tempore per Episcopum Dioecesanum approbandis:* præbendarij & Canonici Residentiarij *post exactum residentiæ suæ terminum, per statuta localia, aut consuetudinem Ecclesiæ suæ definitum, ad beneficia sua, vel unum ex ijs, aut saltem ad aliam aliquam curam in qua ipsorum præsentia lege requiritur, quamprimum convolabunt, ut debitis illic officijs perfungantur.* Durante igitur residentiæ tempore in cathedrali aut collegiata Ecclesia paræcianos famelicos quis pascet, & cum liberatur à residentia, tamen plurium Ecclesiarum cura distrahendus est si plura habet beneficia. Quod ad menstruas vel trimestres Non residentium conciones, non residentiæ crimen non purgant. Dicit Hieronymus Episcopos debere esse indesinenter in tabernaculo Domini, ut aut à Deo aliquid discant, aut ipsi populum doceant, legendo scripturas divinas & sæpius meditando. Babington. in 10 præcepta fatetur canem mutum esse, qui non singulis sabbathis concionatur. Præceptum de residentia dicent esse affirmativum, præcepta autem affirmativa, licet semper obligant, non tamen ad semper, ut loquuntur Scholastici, sed pro loco & tempore. De loco non est dubium

ad

Marginal notes: Gent. exam. Sess. 23. decret. 1. — Spalat. l. 2. c. 6. num. 14. — Can. 42. — Can. 44. — Dist. 36. cap. 3. Si quis vult.

ad propriam paræciam, vel Ecclesiam obligari pastorem. De tempore judicandum est ex actibus & munijs pastoralibus. Quidam habent determinatum, & certum tempus, ut dies Dominicos & stata tempora concionandi, & cœnam celebrandi, quidam indeterminatum, sed frequentius occurrens, ita ut nulla sit temporis exceptio, ut est actus pascendi gregem Christi. *Oportet enim pastoralibus actibus ita assiduum pastorem esse, ut quasi continuè pascat oves*, inquit Cajetanus. A pastore quoque exiguntur, inquit, illi actus supra dicti in Ezechiele quos aut continuum, aut frequens valde tempus exigere constat. Et ratione eorum tenetur Episcopus continuè in Episcopatu residere, quantùm tanta temporis frequentia continuam exigit residentiam, cum ex frequentia exercitij actuum hujusmodi, tum ex præparatione ad istos actus. *Nam licet omne tempus non occupetur in exercitatione actus pastoralis, nullum tamen tempus est exemptum, in quo non oporteat Episcopum esse paratum ad exercitationem actus pastoralis. Ideo per se loquendo Episcopus tenetur sub præcepto ad continuam residentiam in suo Episcopatu, ita quod hoc præceptum affirmativum ex natura rei præceptæ sicut habet locum determinatum scilicet propriam dioecesin, ita habet tempus determinatum, scilicet, assiduè. Et sic, licet præcepta affirmativa formaliter obligent semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore quo oportet, & in hoc differant formaliter à negativis: hoc tamen præceptum gratia materiæ obligat ad semper ceu assidue, quod est quasi semper, & ad certum locum.* Obtendunt præterea vicariorum operam. Canone 46. earundem constitutionum anni 1603. *Beneficiarius ad concionandum non admissus concionem singulis mensibus vnam ad minus in Ecclesia sibi credita per concionatorem legitime approbatum haberi procurabit: si tamen beneficij valor Ordinarij judicio id ferre posse videbitur: omni autem die dominico, cum in ipsius Ecclesia deficiet concio, dictus beneficiatus aliquam ex homilijs publica authoritate præscriptis, aut præscribendis, per se vel certè per Curatum suum recitabit.* Hîc conceditur ei, qui ad concionandum non est idoneus, frui beneficio, & mercenarij concionatoris operam ad menstruam concionem conducere: & sic probe satis scilicet consultum est gregi. Et sequenti canone. *Quilibet Beneficatus, cui propter necessitatem officij aliàs incumbentis dispensatio de non residendo in beneficio suo per huius regni leges est indulta, per Curatum, qui concionator est idoneus, & sufficienti authoritate approbatus; Curæ suæ prospiciet, modo beneficij valor non repugnet.* Repugnabit, si inter Episcopum & beneficiarium bene convenerit, & sic ne conductitio quidem mercenario paræcia gaudebit. Sed de vicaria conductitiorum opera eleganter scripsit Damasus. *Videntur mihi*, inquit, *esse meretricibus similes, quæ statim ut pariunt, infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere possint. Sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos alijs educandos tradunt, ut suas libidines* *Epist. 5.*

nes

nes expleant. Non taliter Dominus docuit, nec apostoli instituerunt, sed ipsi, qui curam susci, iunt ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos Domino repræsentent. Nam ipse ovem perditam diligenter quæsivit, ipse invenit, ipse proprijs humeris reportavit, nosque idipsum facere perdocuit. Quam suis humeris portarent Arcani Domini imponunt plaustro, & vaccis trahunt. Imò maxima pars ne plaustrum quidem & vaccas conducit, ut refert Cartwrightus. Qui vicaria quorundam opera in obeundo munere suo utuntur, ab Innocentio 2 damnantur his verbis. *Præcipimus etiam ne conductitijs presbyteris ecclesiæ committantur, & unaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.* Et in decretalium libro tertio statuitur, ut qui non residet in beneficio, etiam modicæ æstimationis, illo privetur. Non dissimilis est clericus ecclesiam suam deserens militiæ desertori: quare & cingulum honoris sui eum amittere & pro ea desertione castigari debere constitutum est, inquit Duarenus. In ordinatione Episcopi dicitur. *Vade, & prædica populo Dei,* non dicitur mitte ad prædicandum. Petro dictum est pasce non pasce per alium. Recte Cajetanus. *In debitis personalibus non absolvitur debitor, si per alium facit. Et cum dicitur, Salus animarum potest procurari absque personali Episcopi cura ergo non necessitat ips m ad personalem curam. Respondetur, quod in moralibus non attenditur possibile secundum potentiam logicam, hoc est quod non implicat contradictoria, sed secundum potentiam moralem officiorum. Constat autem ex Domini sententia quod mercenarij officium non se extendit ad id quod præcipuum est in pastore scilicet amorem ovium suarum, non alienarum. Et propterea dicitur, quod per se loquendo salus animarum ita necessitat pastorem ad personalem curam, quod regulariter non potest sine ipsius personali cura Episcopi haberi quamvis per accidens contingere hoc forte posset. Sed quod est per accidens, non variat naturam moralium vinculorum. Et propterea non excusatur Episcopus à personali residentia, ex hoc quod per optimum vicarium providet ecclesiæ.* Mercenarius leviter & perfunctorie obit partes muneris præscriptas a beneficiario, non quasi devinctus ex amore. Curat gregem alienum non suum, & pro lucello vili. Quæritur, an in nullo casu licet tantisper à grege abesse non valetudinis curandæ aut rei familiaris causa. *Id quod continuum dicitur interpellationem patitur,* inquit Lindvodius. *Stillicidium enim non semper cadens habet causam continuam. Testis qui deponit se vidisse Titium decem annis continue possidere, bene probat. Nam non oportet, quod omni momento eum viderit, sed suff cit quod eum viderit omni anno colligere fructus. Verba civili modo sunt intelligenda.* A vinculo continuæ residentiæ absolvunt necessitas impedimenti, & qualitas negotij. Impedimentum provenit ab intrinseco, vel extrinseco. Persecutio extrinseca quandoque postulat fugam pastoris: sed ex ecclesiæ bono sumenda est ratio absentiæ vel presentiæ etiam cum periculo.

impe-

2 Reply. Caus 27. quæst. 2. c. 5. Lib. 3 tit. 4. cap. consequente. De ministerijs, lib. 8. c. 5.

Impedimentum intrinsecum, ut infirmitas corporis, quandoque cogit valetudinarium ad recuperandam sanitatem abesse à grege. Qualitas etiam negotij perpendenda est. Quandoque negotium, quod ad tempus subtrahit pastoris præsentiam, tendit in commodum gregis sui, & est pars muneris pastoralis Quandoque negotium spectat ad utilitatem Ecclesiarum consociatarum : *Nam bonum partis ordinatur ad bonum totius, ut finem,* inquit Cajetanus. Sed oportet ut negotium commune sit necessarium· *In casu, quo totius bonum periclitatur partes etiam perdendo naturales suos status ordinantur ad bonum totius. Secluso autem,* inquit, *necessitatis casu, seu periculo totius, natura totius non requirit defectum in parte aliqua, sed nititur singulas partes salvare in suis naturalibus statibus. Sic quælibet particularis ordinatur ad universalis ecclesiæ bonum & servitium, absolute quidem, salva cujusque ecclesiæ perfectione, in casu autem necessitatis ordinatur ad bonum universalis Ecclesiæ, etiam cum sui detrimento.* Approbat igitur, ut quis mittatur legatus ad synodum, sed ut quis sit Episcopus, & interim Romæ resideat, ut secretarius sedis Apostolicæ, vel auditor Rotæ, prorsus reprobat, *quia servitia quæ Romæ exhibentur in hujusmodi officijs, nulla necessitate communiter exigunt quod Episcopi incumbant talibus officijs, sed sunt tales in Ecclesia Dei velut monstra in natura.* Cum igitur Episcopi Anglicani sunt frequentes in aula, aut præsideant in secretiori senatu aut sunt judices in causis sæcularibus, aut regi ab eleemosynis, non funguntur munere necessario ad salutem totius Ecclesiæ. Sed de Episcoporum jurisdictione civili postea dicturi sumus. Proventuum substractione redire ad Ecclesias suas coacti erant olim Nonresidentes; quod si adhuc cunctarentur jactura beneficii mulctabantur. *Quintò certum est Episcopos, & alios habentes curam animarum, si absque legitima causâ absint à suis Ecclesijs, debere pro rata absentiæ fructus restituere. Et ratio est, Quoniam, ut est in regula juris, beneficium datur propter officium. Quare si quis non præstet debitum officium, inique fructus percipit. Quod si dicas posse fieri satis populo per ministros vicarios, ac proinde non debere illum in tali casu involuntarie contribuere fructus. Contra est, quod populus non quomodocunque contribuit fructus, ut sibi satis fiat spirituali ministerio sed ut sibi satisfiat per officium veri pastoris & proprij, quando legitima causa aliud non postulat. Nam spectat ea in re populus id quod sibi est optimum, & utilissimum. Ratio autem optima, & per se accomodatissima ad bonum spirituale subditorum promovendum est, ut à proprio pastore curentur,* inquit Gregorius de Valentia. In re manifesta diutius immorari non lubet. Nam Oratore potius quam dialectico hîc opus est qui in animicidas istos intonet, in capellanos, in socios illos, qui tanquam testudines, ut dixit quidam, in collegijs suis liquescunt, & consenescunt, in Præbendarios beneficiarios, aliosque omnes non residentes. Triturantibus os obligatur,

Tom. 3. disput. 10. quæst. 3. puncto. 5.

tur, in carcerem truduntur fidi Pastores, interim aut asini, aut fuci aluntur.

6 Vt Laicus Musis operam navans præbendam possit retinere, nec tamen ad ministerium ineundum adigatur.

Præbendas in quemvis alium licitum usum concedi posse libenter damus, potius quam in canonicorum, aut subcanonicorum aliorumque id genus hominum. Non igitur anxie inquiram an præbendæ illæ sint Canonicatibus annexæ, necne.

7 Vt sacris initiatus & alias juxta leges idoneus duo Ecclesiastica beneficia possit retinere, curata quidem intra certam distantiam, Non Curata absque ratione distantiæ.

Lib. 3. titul. de præbendis cap. Audistis.

Curam animarum, largè intelligendo, habet, inquit Linduodius, *qui eam habet, sive in foro pœnitentiali, siva aliâs, & sive sit Ecclesia Cathedralis, parochialis, vel capella, habens parochianorum curam de Iure, vel de facto, dummodo parochiam habeat, in qua Ius parochiale exerceat, & sive sit dignitas, vel officium, sive Ecclesia, sicut sunt multi Archipresbyteri, Archidiaconi, & Decani, qui nullam habent Ecclesiam cui præsunt, habent tamen iurisdictionem super multas Ecclesias.* Canisius in Summa juris Canonici, *Beneficia Curata dicuntur, quæ animarum curam annexam habent, idque duplici ratione, Vel quia Beneficiatus certis personis, puta Parochiæ suæ Sacramenta Ecclesiastica administrat, & verbum Dei denunciat, vel quia exercet ea, quæ sunt iurisdictionis spiritualis, veluti sunt visitare, inquirere, suspendere, excommunicare, absolvere. Nam & hæc animarum curam concernunt. Non Curata quidem beneficia sunt, quibus nulla huiusmodi cura annexa est.* Mucketus dicit dispensari in beneficiis Curatis intra certam distantiam, *quò commodius in utrisque suum munus obeat.* Author petitionis ad Reginam narrat vetitum Canonibus Anglicanis ne quis possideret plura, quam duo beneficia, eaque ad summum non ultra 26 milliaria Anglicana à se invicem distantia, plurimos tamen 3 aut quatuor ad centum usque milliaria possidere. Cartwrightus refert quendam possidere collegii præfecturam ceu Magisterium in uno regni angulo, Decanatum in alio, præbendam in tertio. Per statutum 21 Hen.8. licet Archiepiscoporum Capellanorum singulis sex, item ducis, possidere duo beneficia Curata, Marchionis & Comitis 5 Capellanorum singulis duo; item singulis duorum capellanorum qui sunt Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum viduis è sacris duo. Secretarii Regis, Thesaurarii, prætoris Comitatus, Chartophylacis ceu illius qui ab Archiuis, Decani sacelli Regii, Regis

P. 344.

Pag. 91.

1. Repl. p. 46

gis Eleemosynarii, duorum Capellanorum singulis duo. Ecclesiastici ceu, ut vocant, spirituales, qui sunt Regi à Consiliis possunt tria beneficia cum cura animarum possidere. Capellani Regis, Reginæ, principis utriusque, aut cujusvis liberorum Regis, aut fratrum, aut sororum, patruorum, avunculorum, amitarum & matterarum Regis possunt singuli duo possidere beneficia. Imo in gravaminibus exhibitis in Comitis ordinum anno 1610 dicitur Capellanos Regis posse possidere tot quot libet beneficia, alios quatuor simul in diversis Comitatibus, quosdam duo, & tamen in nullo eorum residere, interim dum obsequium præstant Dominis suis, quorum sunt sacellani, quod quidem non ferendum est in republica Christiana, ut ibidem dicitur. Assertor petitionis pro reformatione refert innumeram esse turbam beneficiariorum, qui duo beneficia Curata possident, & quidam præterea 2 3 aut 4 dignitates Ecclesiasticas. Quod igitur antea constitutionibus anni 1604 statuerunt, non serio, sed ut illuderent specie aliqua reformationis, id egerunt *Nemini in posterum facultas, sive dispensatio concedetur de pluribus beneficijs Curatis simul retinendis, nisi tali duntaxat, qui pro eruditione sui dignior, & ad officium suum plenius præstandum habilis, & idoneus censebitur, nimirum qui ad gradum Magisterij ad minus in altera nostratium Academiarum promotus fuerit, publicusque ac idoneus concionator, idemque legitime approbatus extiterit. Proviso semper ut sufficienti cautione obstrictus teneatur de personali sua residentia in singulis beneficijs per bonam anni cuiusque partem facienda, & ut eiusmodi beneficia non amplius 30 millarium spatio ab invicem distent, & denique ut in eo beneficio in quo non residebit concionatorem rite approbatum retineat, qui populum docere utiliter, & informare possit.* Audiamus Brightmani censuram in similem canonem conditum anno 1597. *Quid de te male meriti sunt Magistri artium, ut istos primos tanto scelere obstrictos esse volueris. Fateris pluralitatem esse rem malam & coercendam, istis tamen hanc pestem indulges. Insigne scilicet privilegium sui gradus, quo primis licet esse malis. Sed tibi forsan satis est tantum titulo cohibendæ pluralitatis homines fallere. Tot sunt Deo gratia magistri artium, quot si omnes nulla alia relligione impediti libertate constitutionis tuæ uterentur, plures credo paræciæ residentibus secum pastoribus carerent quam hodie carent. Sic tu prudenter amplificando malum cohibes.* Interim vides lector, quænam sit illa distantia inter duo beneficia curata, quæ per ipsorum Canones legitima est, nempe 30 milliarium. Longior est intercapedo inter nos & Solem, quàm inter nos & Lunam, æque tamen impossibile est manibus Lunam, ac Solem tangere. Nemo potest duobus Dominis servire. De conductitia vicariorum opera ante diximus. Si mercenarii illi sint ad ministerium idonei, cur non ipsi præficiuntur pastores gregibus illis. Si non sunt idonei, cur conducunt ipsorum operam; sed multi ne conducti-

Pag. 10.

Pag. 132.

Can. 41.

In Apocal. cap. 3.

tios quidem habent mercenarios. Author libelli de vera & genuina relligione refert apud pluralistas, nec in numero, nec in situ modum esse, nec in quantitate. *In numero*, inquit, *non est modus, quia non solum duas quasi Rectorias personales, vel tres possident, sed his adjungunt unam, & alteram præbendam in pluribus Cathedralibus Ecclesijs. Imo qui Decanus est in una Cathedrali, non dedignatur in alterius Cathedralis choro ut Canonicus & præbendarius sedere. Hæc fiunt, & aguntur in Romana Ecclesia, cui Ecclesiæ nostræ infœliciter similes.* Tantam Ecclesiæ deformationem esse ex hac pluralitate exortam asserit Duarenus, ut nulla vis humani ingenii ad eam exprimendam sufficiat. *Prodigiosa sane res est*, inquit, *in Ecclesia hæc beneficiorum cumulatio, quæ sine delectu passim recipitur: nec minus mihi monstrosi videntur, qui tot personas in Ecclesia sustinent, quam Briareus ille qui manus centum habuit, ut est in fabulis, aut Geryon, quem trium fuisse corporum perhibent.* Idem fere Calvinus, *Sed dico utrumque esse prodigiosum flagitium, quod Deo, naturæ, & Ecclesiastico regimini prorsus adversetur, ut unus prædo pluribus simul Ecclesijs incubet: ut pastor nominetur qui gregi suo adesse, etiamsi velit, nequeat.* Quod de præbendarum pluralitate dicit Aquinas, fortiori ratione de beneficiorũ curatorum & proprie dictorum affirmari potest. Dicit ille præbendarum pluralitatem in se continere plurimas deordinationes: *Vtpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesijs deservire, in quibus est præbendatus, cum præbendæ videantur esse stipendia ibidem ministrantium Deo. Sequitur etiam divini cultus diminutio, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc bona Ecclesijs contulerunt, ut ibi esset certus numerus servientium Deo. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficijs abundat, & alius nec unum habere potest. Sequuntur etiam multa alia hujusmodi.* Hæc ex Aquinate Sylvester in Summa Gregorius magnus scribit Episcopis in hunc modum. *Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis committi jubemus.* Item, *Neque uni quantumlibet exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus, ubi auditus?* Item, *sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.* Alexander 2 Papa, *Nullus Presbyter duas habeat Ecclesias.* In duabus Ecclesiis aliquẽ connumerari posse septima Synodus prohibet, dicens c. 15. *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesijs Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum.* In Concilio Lateranensi decretum est, ne uni plures dignitates, vel Ecclesiæ conferantur. Sic se habent verba libro tertio decretalium. *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias paræciales, contra*

Pag. 124.

De sacris Eccles. minist. lib. 8. cap. 4.

Institut. l. 4. cap. 5. §. 7.

Beneficium in quarto.

Gratianus dist. 89. c. 1.

Caus. 16. q. 7 c. per laicos.

Caus. 21. qu. 1. c. 1. Cler.

Titul. 4. c. 3. Quia.

contra sacrorum Canonum instituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum: ne id de cætero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur quæ residere in loco, & curam eius per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit: & qui receperit quod contra sacros canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur. In sequenti titulo habetur etiam decretum aliud Alexandri 3 in Concil. Lateran. *Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere, per fratres & coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus, & de multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum qui Ecclesijs deservire valeant, indigentiam volumus sublevari.* Othobonus Pontificis Legatus in Angliam missus in constitutionibus suis Legatinis sic scribit. *Christianæ relligionis veritas ita plerosque in suorum cordium elatione reliquit, ut cum animæ suæ curæ vix unusquisque sufficiat, ipsi se mendaci statera pensantes, non solum unius beneficii, sed multorum intrepide curam suscipiunt.* In Concilio Chalcedonensi decretum ne Clericus in duabus simul Ecclesiis conscriberetur, & qui aliter fecerit, de proprio excidat gradu. *Quoniam Ecclesiasticus ordo pervertitur & avaritiæ fomentum præbetur, cum unus plurium sinitur occupare officia Clericorum, salubriter post complures sacrosanctos Canones à Synodo Tridentina cautum fuit, ut unicum singulis ministris conferatur beneficium*, inquit Molanus. Post exortam beneficiorum pluralitatem semper optimi quique adversati sunt, & fuerunt, qui conscientias ad Ecclesiarum polygamiam prostituere noluerunt. Non tamen pudet Anglicanos fovere Dualistas suos Trialistas Pluralistas & Totquotistas (barbara vocabula barbaris moribus adaptare licet) & inculpatæ vitæ pastores unico suo beneficio aut stipendio privare. Quot habent Pluralistas & Totquotistas, tot habent Episcopatus & cæterarum papatus reliquiarum acerrimos propugnatores. Observant nonnulli Episcoporum Anglicanorum neminem esse qui non ante susceptum Episcopatum plura possederit beneficia, & beneficiorum minorum proventibus aditum sibi patefecerit ad maiora, ceu episcopatus.

Tit. 5. c. 5. Quia.

De instit. & collat. ca. 1.

Chalced. ca. 10.

Theol. pract. tract. 5 c. 13.

8 Addit Mucketus, *Vt præparatus ad sacros ordines queat ordinem Diaconatus, & Presbyteratus simul & tempore non statuto suscipere.*

De politi. p. 309.

Nuperis constitutionibus anni 1604 statutum est in hunc modum. *Cum ex patrum antiquorum sententia, & primitivæ Ecclesiæ praxi, Diaconi officium ad ministerij dignitatem gradus quidam sit constitutus, statuimus & ordinamus ut nullus deinceps episcopus aliquem cujusvis*

Can. 32.

conditionis personam (quibuscunq; tandem animi dotibus commendatum) uno, & eodem die Diaconum, & presbyterum constituat, quin ut ritus in ea parte præscriptus in libro de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ordinandis, & inaugurandis strictè observetur, non quòd Diaconos omnes Presbyterij aditu per annum integrum probibeamus (cum tamen Episcopus justam eius admittendi causam alioquin invenerit) verum ut cum quatuor tempora Diaconorum & Presbyterorum ordinationi in singulos annos sint decreta, aliquid saltem spatij detur ad periculum de singulis faciendum, quales in officio Diaconi se exhibuerint, priusquam in ordinem presbyterorum suscipiantur. Bene est, quod non tuentur canonem suum jure divino. Nom instituerunt Apostoli, ut ad Presbyterii gradum nemo promoveretur, nisi prius in Diaconatu tyrocinium faceret. Sunt diversæ functiones, & ministrationes, earumque dona sunt diversa, quarum neutra alteram includit. Diaconus est mensarum & viduarum minister, Pastor est sermonis & verbi minister. Potest quis instrui donis ad obeundum Diaconatum, qui ad verbi ministerium nunquam erit idoneus. Cum igitur Apostolus Diaconum dicit sibi gradum bonum acquirere, non intelligit gradum ad ministerium, ceu Episcopatum, sed decus & dignitatem. Cum præcipit Apostolus, ut per oppida & civitates Titus constitueret presbyteros, an prius erant Diaconi in illis Ecclesiis nondum constitutis, qui ad Presbyterorum gradus promovebantur. Presbyteri Ephesini & Hierosolymitani omnes, an prius erant Presbyteri? Testantur historię Laicos ad Episcopatum, nedum ad Presbyterorum gradum evectos. Ambrosius heri Catechumenus, hodie Episcopus. Severus à Lanificio ad Archiepiscopatum vocatus Quod si omisso Presbyteratu potest quis ex Diacono fieri Episcopus (quem morem fuisse in quibusdam Ecclesiis orientalibus narrat Photius, teste Spalatense) an non omisso Diaconatu multo magis potest quis fieri Presbyter? Sed an non merum ludibrium est, quod, dum pro gravi scelere habetur, immediate, & per saltum, ex Laico Presbyterum creare omisso Diaconatu, Diaconum prius constituunt, qui vel per trimistre spatium Diaconi titulo potius, quam ministerio fungatur, vel per dispensationem utrumque simul suscipere potest non observatis temporum instertitiis, cumque se in inferiori ministerio nondum exercuerit. Sic in papatu ad pompam & speciem potius, quam veritatem inferiorum ordinum titulos assumunt, quorum actus & officia nunquam exercent, qui ad maiores ordines ascensuri sunt. Has umbras & larvas papatus sectantur Anglicani Præsules. De tempore ordinationibus præstituto infra dicturi sumus.

De rep. l.2. c.4. n. 28.

9 Generaliter, unde poterit Archiepiscopus dispensare in omnibus causis verbo Dei non repugnantibus,

modo

modo aut solitæ fuerint in Curia Romana obtineri, vel, Si non solitæ sint obtineri, princeps ipse, vel qui sunt a secretioribus consiliis permiserint.

Quibus in causis papa dispensare solebat, notum est; si in iisdem Archiepiscopus canonum gratiam facere potest, in usuris, perjurio, & gradibus consanguinitatis & affinitatis & similibus dispensare potest, imo in pluribus causis, quam solebat pontifex Romanus, dummodo princeps & qui sunt à secretioribus consiliis permiserint. Quod additur, *verbo Dei non repugnantibus*, parum juvat. Non adeo frontem perfricuit pontifex Romanus, ut sibi licere palam asserat dispensare in causis verbo Dei repugnantibus. Quamvis impudentes quidam Canonistæ dicunt papam dispensare posse in jure divino, saniores tamen theologi id negant, & in solo jure Canonico positivo papam dispensare posse contendunt, divinum autem jus tantum declarare & interpretari. Sub specie declarationis & interpretationis juris divini, revera dispensat in causis verbo Dei repugnantibus. Sic potest Anglicanus Primas dispensationes suas declarationũ & interpretationum velamento obtegere. An non dispensat primas ille Anglicanus in causis verbo Dei repugnantibus, qui in non residentia, Simonia, beneficiorum pluralitate, commendis irregularitatibus juris divini, dispensare potest. Eat igitur, & in usuris, perjuriis, gradibus prohibitis, eandem sibi libertatem vendicet. Sed quæro quis pontificem Romanum, aut primatem Anglicanum dispensatorem constituit? Non Ecclesiæ Dei. Legitimi igitur dispensatores non sunt. Leges omnes Ecclesiasticæ quæ sunt humani juris, sub ipsarummet Ecclesiarum potestate & imperio sunt, quas mutare aut abrogare, & in quibus omnibus dispensare ex gravissimis causis possunt, *Præsertim in Synodis*, inquit Spalatensis, *& quo maiores erunt Synodi, eo maiorem etiam ad hoc habent potestatem.* Ab unius pontificis Romani aut Anglicani nutu & arbitrio tanta rerum Ecclesiasticarum moles pendere non debet. *L. 3. c. 9. n. 22*

Vides lector Archiepiscopum Cantuariensem profligato papæ imperio in Anglia, eius spoliis ditatum atque locupletatum esse. Nam curia ista facultatum & dispensationum, non nisi post exterminatam papæ authoritatem constituta est, quam merito authores admonitionis ad Comitia Parliamentaria vocarunt *abominationum impuram voraginem, & venenatam lacum*. Nam in ista lacuna, Simoniæ, nonresidentiæ, pluralitatis beneficiorum, sordes abluuntur, & gratiosis Archiepiscopi dispensationibus exit reus nive candidior, relictis à tergo sordibus in Curia facultatum.

Præter curiam Prærogativæ, Curiam Audientiæ, Curiam de Arcubus, Curiam facultatum, habet etiam Cantuariensis aliam, quæ Curia peculiarium dicitur, *quæ ad quasdam Parochias ab Episcopali jurisdictione* *In Britan. ed. Francof. p. 110.*

jurisdictione in nonnullis Diœcesibus separatas & Archiepiscopo Cantuariensi peculiares spectat, ut scribit Camdenus. Quot sub papatu paræcias in aliorum Episcoporum diœcesibus possidebat, easdem retinet. Si Diœceses divisæ ob commoditatem regiminis Ecclesiastici, cur quæso exemptæ sunt quædam paræciæ à Diocesani jurisdictione, & immediatè aliis subijciuntur extra Diœcesin. Quis neget istam paræciarum exemptionem non ordinis causa, sed Archiepiscopalis imperii amplificandi causa introductam?

In constitutionibus anni 1604 sunt quidam casus absolutionis reservati Archiepiscopo. Canone 2 statutum, *ut qui regalem principis primatum in causis Ecclesiasticis ullatenus lædere, aut extenuare præsumpserit, excommunicetur ipso facto, nec nisi per Archiepiscopum restituendus*. Canone 5 statutum, *ut qui ullos ex 39 articulis de doctrina editos anno 1562 ulla ex parte superstitiosos, aut erroneos existere, vel omnino eiusmodi &c. excommunicetur ipso facto, nec nisi per Archiepiscopum restituendus*. Vides augeri indies Archiepiscopi authoritatem, non minui, ut in Papatu. Minor papa est orbis minoris, vel secundum Bancroftum, Propapa, Synodorum provincialium & Pontificis Romani exuviis ditatus & temporali etiam vindicta in Commissariorum regiorum Curia armatus, & proinde potestate intensiva potentior quam unquam fuit sub papatu. Quam etiam extendet ad imperii Britanici fines, si duo regna iisdem legibus, sicut jam unius regis imperio unita fuerint.

CHAP. IV.

Episcopus & Presbyter sunt eiusdem gradus.

PResbyter venerabilis Theodorus Beza tractatum edidit de triplici Episcopatu, Divino, humano, & Satanico. Divinum dicit esse munus illorum, qui alio peculiari nomine vocantur pastores, nam omnes pastores in sacris scripturis Episcopi etiam vocantur. Episcopatum humanum, id est, ex sola prudentia humana introductum in Ecclesiam præter expressum Dei verbum definit, potestatem quandam uni cuidam pastori supra suos collegas attributam, canonibus tamen certis ceu regulis adversus tyrannidem comparatis definitam, qua potestate qui fungebantur dicti sunt Episcopi suorum sympresbyterorum totiusque cleri respectu, quasi clero impositi inspectores. Satanicum ex humano propagatum describit, eorum qui à Presbyteriis prorsus sese segregarunt, adeo ut nihil habeant cum Presbyteris commune, aut Presbyteria prorsus aboleverunt, & totam administrationem Ecclesiasticam, ac imprimis electionem, depositionem, jura Ecclesijs erepta

erepta sibi & nescio quibus officialibus vendicarunt, ut jam non tantum superiores, sed tanquam soli clero dominentur, temporalia dominia invaserunt, reipublicæ negotiis non modo interesse, sed etiam præesse voluerunt, usibus sacris dicata in luxu & pompa contra conscientiam & pudorem omnem consumpserunt. Tilenus in petulantissima sua parænesi istam viri venerabilis divisionem carpit. Quasi, inquit, quot episcoporum totidem Episcopatuum sint formæ ac differentiæ, aut non aliter inter se differant, Episcopi Christianæ Ecclesiæ, quam differebant Aaronis posteri à sacerdotibus Ieroboàmicis, utrique à Balaamitis. Discrimina hîc sunt, inquit, non solum Sacerdotum, sed & Sacerdotiorum. In Christiana vero Ecclesia non nisi unus est Episcopatus divinitus institutus, licet humanarum traditionum fermento, vel etiam Satanicarum superstitionum veneno variè possit inquinari, quemadmodum & Leviticum Sacerdotium per filios Heli, aliosque permultos, itemque per altaria in excelsis passim exstructa fuit contaminatum. *Cap. 7.*

Ista sunt tela, quæ ex Saraviæ pharetra deprompsit Tilenus. In Ecclesia Christiana unum solummodo Episcopatum divinitus institutum obtinere debere agnoscimus, sed de facto varias Episcopatuum species in Ecclesiam introductas fuisse superioribus sæculis asserimus, & totidem Episcopatuum genera, quot erant Episcoporum, quatenus erant Episcopi. Regiminis Episcopalis species non personarum moribus, pietate aut impietate, pura aut depravata fide sincero aut contaminato cultu, sed intrinsecis regiminis differentiis & formis distinguimus. Quis enim nescit aliam esse regiminis formam, cum pastores omnes Episcopi divinitus instituti communi consilio & auxilio Ecclesiam gubernant: aliam, cum unus antonomasticè dictus Episcopus nonnullam in collegas potestatem habet canonibus ceu repagulis circumseptam, ne in tyrannidem erumpat: aliam, cum solus in gregem & Presbyteros dominatur. Qui Aristocraticum regimen à Monarchico temperato aut mero distinguere non novit opus est illi collyrio ad persanandum scotoma quo laborat. Dant igitur nobis ἀντιβαλλόμενα quid pro quo Saravia eiusque assecla Tilenus, sicut quandoque solent pharmacopolæ. Pius Episcopus ab impio specie nihil differt. Malus prætor aut malus consul non cessat propter improbitatem esse prætor aut consul, quandiu præturam aut consulatum non evertunt. Apostolatus Iudæ proditoris non fuit diversus ab eo quo fungebatur Petrus. Sacerdotio eodem functus est Caiaphas quo Aaron. Aberrationes quæ sunt humanarum traditionum, essentiam unius ministerii non tollunt, sed contaminant. Ludat in isto campo Saravia, adversarium tamen non impetit. Si Consul principatum perpetuum, aut perpetuam dictaturam sibi vendicaverit, an non alius erit ab eo qui prius fuit. Episcopus ab Episcopo differt non solum ut consul *De 3. Episcopat. p. 2.*

aut prætor probus ab improbo prætore aut Consule, sed etiam ut Consul à Principe aut Dictatore perpetuo. Quæ igitur superstruit Tilenus per se corruunt. Quòd Episcopatum humanum Satanicum non nuncupaverit D. Beza ipsius modestiæ ascribendum est, qui [illegible] cum veteribus, qui zelo quidē sed absque scientia Episcopatū illum invexerant ordinis ut illi putabant, tutius conservandi causa. Licet igitur Episcopatus humanus prudentiæ humanæ fœtus, Satanicus etiam quadam ratione dici posset, quia in ipsius institutione peragebatur mysterium iniquitatis, eratque [illegible] illud ovum ex quo prognatus Antichristus, tamen quia imprudentes id agebant, humanum vocat. Nam, errare, decipi aut labi, humanum est. Sed quòd unus singulari potestate, & seclusis Presbyteris in sympresbyteros dominaretur, quis zelum aut prudentiam humanam obtendet? Quis non ab homine ordinis tuendi, sed à Dæmone quodam ordinis evertendi causa ortum non diceret? Varia igitur Episcopatuum genera in Ecclesia Christiana de facto fuisse non dubium, nisi quod in humano Episcopatu discribendo, & à Satanico distinguendo perspicuitate opus est. Episcopus, potestatem suam exercet vel consultis vel inconsultis presbyteris. Si inconsultis, singularem exercere potestatem palam est. Si consultis, suffragia ipsorum vel sunt decisiva, vel consultiva. Si decisiva, tunc Episcopus est solum præses, & sympresbyterorum sententiis, ceu repagulis coercetur. Si solum deliberativa ceu consultiva, non adstringitur numerandis sententiis, sed ab ipsius arbitrio pendet, num maiorem aut minorem, saniorem aut insaniorem partem sequi velit: & suffragio suo affirmativo aut negativo ipsorum suffragia affirmativa aut negativa tenues vanescere in auras jubebit, quotiescunque libitum fuerit. Iste quamvis non segregaverit à se Presbyterium, à potestate tamen sua & jurisdictione omni segregat. *Non magis detrahit Episcoporum dignitati*, inquit Dounamus, *uti prudentûm & eruditorum consilio, quam Majestati Regum consulere prudentes & fidos viros, qui sunt eis à consiliis*. Item, *Ambrosius*, inquit, *loquitur de parastasia Presbyterorum ad consulendum & dirigendum, qualis est consultatio consiliariorum principi, illi de parastasii ad regendum numero suffragiorum, ut in Senatu Romano, Episcopo suo ne suffragium quidem negativum concedentes*. Nulla est hîc differentia potestatis Episcopalis, quando adhibet sympresbyterorum consilia & suffragia deliberativa, vel quando illis inconsultis suam exercet jurisdictionem. Nam utrobique est solus judex & princeps. Dicit idem Dounamus authotitatem Episcopi non minorem esse, cum Presbyterorum consilium adhibet, quam cum non adhibet, sicut principis authoritas non minuitur, cum consulit eos qui à Consiliis. Tria igitur Episcopatuum genera sic distinguimus. Vnus est Episcopus pastor divinitus institutus. Nam omnes pastores dicuntur

Defens. l. 1. c. 7. p. 161.

D fens. l. 3. cap. 5. p. 111

dicuntur Epiſcopi in Scripturis, nec unquam reperitur vox iſta relata ad Presbyterium, ſed ad gregem, quem paſcunt. Alius eſt Epiſcopus præſes, quem humanum vocare poſſumus, qui perpetuam habet proſtaſiam in Presbyterium, & antonomaſticè dictus eſt Epiſcopus. Qui tantummodo moderatur actiones Eccleſiaſticas in ſacro cœtu, rogat ſententias, earumque maiori numero, ſicut alii ſympresbyteri, obnoxius eſt. Tertius eſt Epiſcopus princeps, & judex, qui ſolus habet poteſtatem in Presbyteros & gregem, qui Presbyteros conſulere vel non conſulere poteſt, eorumque conſilia vel amplecti vel repudiare. Hunc Epiſcopatum Satanicum eſſe dicerem á Satana ad evertendũ omnem Eccleſię politiã excogitatum. De ſecundo & tertio Epiſcopatu litẽ nobis movent adverſarii: Præſertim de tertio, cum controvertitur, an Epiſcopus & Presbyter ſint eiuſdem ordinis, necne. Nullus enim unquam dubitavit præſidem licet perpetuũ & alios Sympresbyteros eſſe eiuſdẽ ordinis. Decanũ aut Archipresbyterum non Epiſcopum eſſe volunt iſtum præſidem Epiſcopus princeps eſt etiam Epiſcopus pręſes, ſed Epiſcopus pręſes non eſt è converſo Epiſcopus princeps Idcirco argumenta quæ promunt adverſarii pro Epiſcopo Pręſide nihil juvant Epiſcopũ principem. Sunt diverſę regiminis ſpecies, & proinde argumenta non ſunt cõmunia. Nos igitur ſeparatim de utroq; diſſertaturi ſumus, & primum de Epiſcopo principe & judice, quem ſolum agnoſcunt adverſarii. Nam unicum tantùm Epiſcopatũ nempe tertium agnoſcunt, eumque divinitus inſtitutum eſſe aſſerunt. In Epiſcopo Hierarchico diſtinguenda eſt poteſtas intenſiva ab extenſiva. Nam poteſtate ſua ſuperior poteſt eſſe paſtoribus unius parœciæ, vel totius Diœceſeos. Ponatur enim in una Congregatione, ceu parœcia, plures eſſe paſtores & Presbyteros, quod in Eccleſiis quibuſdam reformatis, & in primitiva Eccleſia ſæpius uſu venit, ſi unus paſtor Presbyteris & Paſtoribus cæteris ſuperior ſit regiminis præcellentia & maioritate, iſte Epiſcopus non minus erit, quam qui in Presbyteros totius Diœcæſeos eandem habet poteſtatem. Rex Salem non minùs Rex eſt, quam Rex Iudeæ. Aliud igitur eſt Epiſcopum abſolutè & ſimpliciter conſiderare, aliud quatenus eſt Diœceſanus extendens & exercens poteſtatem ſuam in plures Eccleſias. Poteſt igitur eſſe vel Parœcianus, vel Diœceſanus.

De intenſiva principis Epiſcopi poteſtate.

Dounamus cavet ſibi à vocibus *ſola* & *ſingularis*, dum attribuit Epiſcopo maioritatem poteſtatis. Sed dum neminem in conſortium poteſtatis admittit, nec maioritas illa refertur ad minoritatem aliquam regiminis Presbyterorum in foro externo, maioritas illa poteſtatis nihil aliud eſt quam ſingularitas poteſtatis, qua ſolus poteſtatis eminentia ſuperior eſt ſympresbyteris, qui maioritatem illam minuere & comprimere ſuffragiorum numero, aut cenſuris

non possunt. Potestas Ecclesiastica duplex est ordinationis & jurisdictionis. Vtraque est Episcopi, ut volunt Potestate jurisdictionis Presbyteri sunt Episcopo subjecti ut Rectori, ut judici. Vt Rectori, per quem ducendi sunt & dirigendi in exercitio potestatis ordinis. Nam actus ordinis sui exercere non possunt, aut quid maioris momenti agere absque eius venia & conscientia. Ille enim solus propriè Pastor in Ecclesia, cæteri tantum sunt subsidiarii assumpti in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vt judici, per quem corripiendi & corrigendi sunt censuris & pœnis Ecclesiasticis suspensionis, Excommunicationis, depositionis. Episcopus igitur princeps est ille qui habet potestatem ordinationis, & maioritatem singularem, vel singularitatem potestatis directivæ & correctivæ in Presbyteros, & gregem. Episcopum istum Rectorem & judicem contendunt esse divinum, quod ex consequenti probant, quia nempe est Apostolicæ institutionis. Sunt qui à Christo ipso institutam hanc differentiam volunt inter Episcopum & Presbyterum, sed sic una sententia alteram jugularet. Nam si à Christo immediate instituta hæc differentia, non est Apostolicæ, sed Dominicæ institutionis. Si Apostolicæ institutionis, non est Dominicæ, id est, à Domino ipso in terris versante instituta. Si tamen Apostolicæ, divinum esse institutum non negabimus, Ducebat enim & dirigebat Spiritus sanctus Apostolos ut in doctrina tradenda, ita & in politiia Ecclesiæ formanda. Apostolicam esse institutionem tribus argumentis, ascendendo per gradus, probant.

Doun. def. l. 2. c. 4. p. 67. Fi. d l. 5 cap. 27 pag. 135. 136.

1 Argumentum. Illud regimen, quod ubique & semper in omnibus Ecclesijs obtinuit annos 300. à Christo & Apostolis, nec in Conciliis generalibus institutum fuit, absque omni dubio Apostolicæ institutionis erat. *Quod universa tenet Ecclesia,* inquit Augustinus, *nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum rectissime creditur.* At regimen Episcoporum directivum & correctivum in Presbyteros & gregem, ubique & perpetuo 300 annos post Christum, & eius Apostolos in omnibus Ecclesiis obtinuit, nec in Conciliis generalibus institutum fuit. Sic necessariò assumere oportet, ut negatum concludant. *Si non unius Episcopi autoritate, sed communi Presbyterorum Consilio Ecclesias regi voluit Christus,* inquit Tilenus, præcentoribus & præceptoribus suis novis succinens, *si non sine tyrannica usurpatione plures Ecclesiæ & Pastores uni unius, sive Diœceseos sive provinciæ Pastori, vel præsuli possunt subjci: unde obsecro tantus ac tam repentinus omnium quotquot per totum orbem terrarum ab Apostolis collectæ ac constitutæ fuerunt, Ecclesiarum atque ipsorum etiam Presbyterorum, in tyrannicum hoc regimen consensus.* Propositionem non concedimus ut necessariam & certam, siquidem in propositione dicitur *absque omni dubio.* Possunt enim omnes Ecclesiæ visibiles & particulares errare. Concilia particularia

De baptism. contra Don. l. 4. c. 24.

Paræn. c. 7.

particularia & generalia errare possunt. Doctores & Patres errare possunt. Praxis perpetua & universalis Ecclesiæ post Apostolorum tempora non est certum indicium traditionis Apostolicæ. Pontificii suas traditiones, jejunium quadragesimale, 7 ordines, observationem paschatis &c hac regula tuentur. Ad legem igitur & testimonium in sacris Scripturis, ubi consignatas reperiemus traditiones Apostolicas, eamus, & non ad mortuos. *Vnde ista traditio?* inquit Cyprianus de Baptismo hæreticorum, *Vtrumne de Dominica & Evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque Epistolis veniens?* Item, *Si ergo aut Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut Actibus continetur, ut à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponantur in pœnitentiam, observetur Divina hæc & sancta traditio.* Socrates de festo Paschatis licet antiquissimo, & de multis aliis rebus sic scribit. *Mihi quidem certe videtur, sicut res aliæ multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt ita festum paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse, propterea quod nemo ex Apostolis Legem de eo, ut dixi, alicui tradidit.* Tertullianus de consuetudine sic scribit. *Consuetudo fere initium ex ignorantia, vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur.* Præterea unde certò docebimur universalem & perpetuam praxin 300 annorum post Apostolos. Nam multi patres, nihil scripserunt, multa etiam scripta perierunt, nonnulli nonnulla tradiderunt quæ fatentibus adversariis non sunt Apostolica, à quibus reliquos dissensisse non possunt ostendere, inquit Whitakerus. Plurima etiam sunt supposititia & adulterina scripta patrum nomine inscripta. Qua de causa Vincentius Lirinensis ait veritatem asserendam aut hæresin impugnandam non semper esse testimoniis humanis. *Sed neque semper, neque omnes hæreses hoc modo impugnandæ sunt, sed novitiæ recentesque tantummodo, cum primum scilicet exoriantur, antequam infalsaverint vetustæ fidei regulas: ipsius temporis vetentur angustijs: ac priusquam manante latius veneno maiorum volumina vitiare conentur. Cæterum, si dilatatæ & inveteratæ hæreses, nequaquam hac via aggrediendæ sunt, eò quòd prolixo temporum tractu longa ijs furandæ veritatis patuerit occasio. Atque ideo quascunque illas antiquiores vel schismatum vel hæreseôn prophanitates nullo modo nos oportet, nisi aut sola, si opus est, scripturarum autoritate convincere, aut certe tam antiquitus universalibus sacerdotum Catholicorum Concilijs convictas damnatasque vitare.* Cum igitur inueterata sit Episcoporum authoritas, nec nostro sæculo exorta, veterum scriptis fidendum non est. Dicunt Antichristum vitiasse patrum scripta, ut primatum suũ statuminaret. Necesse erat etiam pro Episcopatu tuendo falsarium agere, siquidem sublato Episcopatu ruet primatus Pontificis Romani. Veteres, qui patres suppositios,

Epist. 74. ad Pompeium.

Hist. l. 5. c. 21

De veland. virginib.

Controv. 1. qu. 6. c. 4.

Dionysium Areopagitam, Clementem Romanum, Ignatium, Dorotheum, Canones Apostolorum nomine falsò inscriptos, nobis procuderunt, nihil fere nisi Episcopatum & Hierarchiam spirantes, genuinos etiam patres vitiasse, præsertim post Aerii intentatam litem contra Episcoporum gradus non injuria metuimus. Nam quibus religio non est fictitios patres & scripta supposititia in lucem edere, nec aliorum genuina scripta interpolare scelus erat. Quod ad Augustini regulam attinet, *Vt hanc admittamus*, inquit Whitakerus, *opus est duplici cautione, prima, si ita retentum quid fuerit, ut similis semper ratio fuerit observandi, hoc est, si similiter semper observatum fuerit. Secunda, si ut necessarium servatum fuerit.* Tilenus in Regula Augustini complectitur Apostolorum tempora. *Placet hæc Regula: Nam quod in universa Ecclesia omnibus retro temporibus servatum; id utique ab ipsis etiam Apostolis, reliquisque sanctis hominibus, universæ Ecclesiæ membris, servatum fuit: quod vel à Christo in terris πολιτευσαμένῳ acceptum, discipulis suis & viris Apostolicis tradiderunt: vel deinde spiritus sancti afflatu instituerunt.* Deinde negamus assumptionem ut falsam. Non conspirarunt in tyrannicam unius pastoris in plures Parœciæ, Diocœseos, aut Provinciæ dominationem. Non obtinuit regimen unius cum potestate directiva & correctiva in alios sympresbyteros in omnibus Ecclesijs primos 300 annos. *Igitur ad ea usque tempora virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, ijs, qui sanum salutaris prædicationis canonen corrumpere conati sunt, si tum aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine ad id usque temporis delitescentibus. Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam auribus audire meruerat, tunc impij erroris conspiratio per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit, qui etiam, quoniam nemo amplius erat superstes ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt,* inquit Hegesippus. Si ereptis Apostolis hæretici exercere caput ausi sunt, Diotrephen etiam primatum ambientem Apostolorum ætate eundem post ipsorum obitum ambiisse impudentius, non est, quod miremur. Mysterium iniquitatis Pauli temporibus operabatur. Non veretur Mornæus dicere post Apostolorum decessum non diu otiatam esse ambitionem, quin primis vestigiis insisteret. Dicimus igitur quosdam imprudentia lapsos, quosdam ambitione tumidos mutationem aliquam in quibusdam Ecclesijs tentasse sed omnes Ecclesias in singularem maioritatem Episcopi Rectoris & judicis conspirasse etiam imprudendentes nedum Apostolicam disciplinam proterve conculcasse, nusquam dicimus.

Controu. 1. quæst 6. c. 4.

Contra Bell. contro. 1. l. 4. c. 9 not. 11

Euseb. lib. 3. c. 28.

Hist. pap. p. 7.

Ad firmandam assumptionem argumentum ducunt à continua Episcoporum successione in omnibus celeberrimis Ecclesijs deducta

ab

ab Apostolis usque ad Concilium Nicænum:& interruptam ac perpetuam successionem probant ex catalogo Episcoporum Ecclesiæ. Alexandrinæ,Hierosolymitanæ Romanæ,&c.quem contexuit Eusebius. Eusebii testimonium pluribus de causis infirmum est. *Verùm res ipsa hoc jam in ipso exordio expetit*, inquit, *ut mihi ignoscatur, Confiteor namque maius esse viribus nostris,absolutumque & imcomprehensibile, quod pollicemur ac profitemur. Nam & primi nos argumentum hoc jam aggressi, velut desertam quandam & inusitatam viam, ingredi conamur. Et quamvis Deum nobis viæ ducem, & cooperatricem Christi potentiam adesse oramus, nusquam tamen nobis nuda eorum hominum vestigia deprehendere licet, qui eandem hanc ante nos viam ingressi sunt nisi* σμικρὰς προφάσεις *exiguas duntaxat occasiones,quibus alius aliter suis quibusque temporibus, particulares nobis narratiunculas, quasi faculas quasdam,reliquerunt.* Successio Episcoporum ex scriptoribus cuiusq; sæculi non ex authoribus qui post 300 annos incertæ famæ aut narratiunculis de manu in manū traditis nitebantur probanda est. Præterea,non satis attente & cum delectu legit, quæ ante ipsius tempora extabant scripta veterum,nec perpendit fabulosas traditiunculas, quas à maioribus accepit. Epistolam Christi ad Abgarum quæ extat apud Eusebium, Gelasius papa in concilio Romano 70 Episcoporum, ut Apocrypham,rejicit, licet Eusebius referat ex Archivis desumptam, & è Syrorum lingua translatam. Quæ Philo Iudæus scripsit de Essenis Iudæorum, dicit Eusebius scripsisse de monachis Christianis,quod falsum esse ostendit ex ipso Philone Scaliger in elencho Trihæresii. Historiam Petri Romæ crucifixi probat tumulo Petri, ac si certum esset Petrum Romæ mortuum fuisse,In describendis miraculis quàm fabulosus?In temporum notatione quot hallucinationes, & anachronismos observat in animadversationibus in ipsius Chronicon,Iosephus Scaliger. Imo ipsas scripturas oscitanter legit. Ait Cepham à Paulo reprehensum Antiochiæ, non fuisse Petrum Apostolum, sed eiusdem nominis alium è numero 70 discipulorum. Eusebii Historiam, non autem Socratis,aut Sozomeni rejecit inter Apocrypha Gelasius. *In Chronico*, inquit Spalatensis, *alij alios, nec leves, inveniunt errores, & temporum falsissimam assignationem.* Præfuit conciliabulo Tyrio contra Athanasium,& à partibus Arrianorum stetit. Testimonia veterum de Eusebii erroribus, & Arrianismo recenset Iosephus Scaliger in Thesauro temporum. Quidam narrant resipuisse, alii in perfidia Arriana mortuum esse. Dum texeret historiam, Arrianus erat. Sed sit ipse testis omni exceptione maior, interpolatam tamen historiam Eusebii ab imperito aliquo impostore non dubium est. Sozomeni enim meminit, qui 100 post annos natus est. Denique catalogus Eusebii Episcoporum seriem quidem nobis exhibet, non tamen

Promiū hist. Eccls.

L. 1. c. 14. Dest 15 c. 3. Sancta Romana.

L. 4. c. 1. num. 21.

Animadv. p. 268.

tamen Epiſcoporum judicum & principum, qui ſingularem habent poteſtatem, ceu maioritatem poteſtatis directivæ & correctivæ in Preſbyteros & gregem, quod erat probandum. Epiſcopi vocabulum audio, ſed officium & poteſtatem directivam & correctivam non audio. Æquivocatio eſt in nomine Epiſcopi. Detur igitur fuiſſe Epiſcopos omnes quos recenſet Euſebius, peculiariter & antonomaſticè ſic dictos fuiſſe non ſequitur. Detur etiam antonomaſtice & peculiariter ſic dictos fuiſſe non tamen ſequitur Epiſcopos judices fuiſſe, cum & præſides etiam antonomaſtice & pecularitet dicti ſunt Epiſcopi. Sed quia Catalogum iſtum nobis reponunt ut crambem bis coctam in ſecundo argumento, progrediamur ad ſecundum gradum ipſa nempe Apoſtolorum tempora.

Secundum argumentum. Illud regimen quod ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſiis Apoſtolocis uſurpatum nec ab Apoſtolis reprehenſum fuit abſque dubio Apoſtolicæ inſtitutionis eſt. At regimen Epiſcoporum cum poteſtate directiva & correctiva in Preſbyteros & gregem, ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſiis Apoſtolicis uſurpatum fuit, nec ab ipſis reprehenſum. Ergo &c. Si probanda eſſet propoſitio oporteret iſto uti medio. Quæcunque uſurpata ſunt ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſiis Apoſtolicis, nec ab ipſis reprehenſa ſunt abſque dubio ſunt Apoſtolicæ inſtitutionis. At multa adiaphora uſurpata ſunt in Eccleſiis Apoſtolicis. Præterea non ſat eſt non reprehendi quæ uſurpantur, ut ſint divinæ inſtitutionis, ſed oportet etiam approbari. Poſſunt enim multa uſurpari in Eccleſiis neſciis Apoſtolis, & in remotis, ut aiunt, agentibus. Deniq; quæ Apoſtolis vivêtibus, videntibus, & approbantibus uſurpata fuerunt, licita fuiſſe non dubium eſt. Non tamen quæ approbant, ſemper inſtituunt. Apoſtolorum inſtitutio non accedit commento humano, ſed præcedit. Docet & dirigit ſpiritus Apoſtolos, & illi ducunt alios, cum quid inſtituunt, quod in Eccleſia Chriſtiana permanſurum ſit. Downamus Preſbyterorum regimen commune comparat argento, Epiſcopi maioritatem auro. Si igitur Preſbyterorum regimen uſurpatum fuiſſet Apoſtolorum temporibus, quod fruſtra negant adverſarii, an reprehendiſſent Apoſtoli, ſi quidem erat argenteum. Sed tranſeat propoſitio, & tranſeamus ad aſſumptionem. Magno, inquiunt, conſenſu teſtantur authores Apoſtolorum ætate non ſolum Epiſcopos fuiſſe ſed etiam Epiſcoporum & ſucceſſionem in Eccleſia Romana, Alexandrina, Hieroſolymitana, Antiochena. Denuo proferunt Euſebium, qui catalogum ſuum orſus eſt ab ipſo Apoſtolorum ſæculo. Romæ, Linus, Anacletus, Clemens, Hieroſolymis, Iacobus Iuſtus, & Simeon filius Cleophæ; Antiochiæ, Euodius & Ignatius: Alexandriæ, Marcus, Anianus, Abilius; Cerdo, fuere Epiſcopi Apoſtolis viventibus, videntibus, & approbantibus.

Nos

Nos illud si non ab ipso Christo immediatè institutum, inquit Tilenus, *ac saltem sub Apostolis, & ab Apostolis factum fuisse demonstravimus antequam illi rebus humanis eximerentur; Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum gessit Marcus, octavo Neronis anno mortuus, cui successit Anianus, huic Abilius, qui omnes superstite Iohanne Apostolo, Ecclesiæ illi præfuerunt Euseb. l. 2. cap. 24. & l. 3. c. 13. 21. Euodius Antiochiæ & post Iacobum fratrem Domini, Simeon Hierosolymis sedit, Polycarpus Smyrnæ, vivente & vidente illo, quem dixi Apostolo.* Hic iterum prodit Eusebius, qui post annos 300 testetur, quid actum fuerit Apostolorum ætate, qui qua fide dignus sit, ante diximus. Historiam aggressus testatur se inusitatam & desertam viam ingressum, quod in ipso limine præsertim ei accidisse fatendum est. *Quàm vero multi, & quinam ex illis sinceri imitatores Ecclesias ab Apostolis fundatas, pascere potuisse probati sunt, non poterit facile dici, nisi quatenus quis eos ex Pauli verbis collegerit*, inquit ipse Eusebius. *Intervallum illud ab ultimo capite Actorum Apostolicorum ad medium Traiani imperium, quo tractu Quadratus & Ignatius florebant, plane cum Varrone ἄδηλον vocari potest, in quo nihil certi de rebus Christianorum ad nos pervenit, præter admodum pauca, quæ hostes pietatis obiter delibant, Suetonius, Cornelius Tacitus, Plinius Cæcilianus, quem hiatum ut expleret Eusebius ἐκ τῶν ὑποθέσεων Clementis nescio cuius (non est enim ille eruditus Alexandrinus ὁ στρωματεύς) & ἐκ τῆς πενταβίβλου Hegesippi non melioris scriptoris sine delectu ea deprompsit*, ut observavit Iosephus Scaliger. Tilenus hanc observationem Scaligeri nomine suppresso transtulit in suas animadversiones. *Illorum temporum historia*, inquit, *magnos habet hiatus & lacunas, quas spurij Clementes, alijque eiusdem furfuris scriptores depromptis ex cerebro suo fabellis, & hiberis næniis expleverunt.* Item, *Supra monuimus in Ecclesiasticæ historiæ initijs magnas esse lacunas. Etenim à fine Actorum Apostolicorum usque ad Traiani tempora vix aliquid certi exstat. Hinc quidlibet audendi & confingendi arrepta occasio à malè feriatis hominibus, quibus ne Apostolica quidem tempora caruerunt.* Pudeat igitur Dounamum huius effati. *Historia*, inquit, *actorum desijt 40. annos ante obitum Iohannis, reliqua Apostolorum acta à Clemente & Hegesippo memoriæ consecrata sunt.* Quid in historia Ecclesiastica magis decantatum, quam de Petro hærente Romæ annos 25. Velenus tamen pluribus argumentis refellit. Iosephus Scaliger in notis in novum testamentum annotat, religionis & cultus Iudæorum Metropolin unam fuisse Hierosolyma: politiæ autem tres, Hierosolyma, Babylonem, Alexandriam, Dispersionis duas, Asianam ad quam scribit Petrus, Europæam cuius mentio Iohannis 7. 35. Asianæ caput erat Babylon, Europeæ Alexandria. Ad Iudæos dispersionis Asianæ scribit Petrus ex ipsa Metropoli Babylone. *Quum igitur*, inquit, *Petrus ad*

Parænes. cap. 10.

Histor. l. 3. cap. 4.

Prolegomen. in Chronic. Eusebij.

Contro. 3. l. 2. cap. 2. not. 39.

Cap. 3. not. 6

Defens. l. 4. p. 92.

ad περιτομὴν *missus esset videtur in* διασπορᾶ *Asiana periisse, si conjecturæ locus est. Nam de eius Romam adventu, sede 25 annorum, & supremo capitis supplicio ibidem, nemo, qui paulò humanior fuerit, credere posset.* Tilenus Scaligeri vestigiis insistens idem scribit. *De Petri Romam adventu, & morte quicquid adfirmatur, non nisi hominum testimoniis adstruitur: imo, si verum fateri volumus, unius tantum hominis, quem alij nimia credulitate* ἀβασανίστως *sequuti; Papiæ inquam, quem & perexigui judicij & peregrinarum fabellarum captatorem, ac disseminatorem fuisse agnoverunt etiam ij, qui in hoc negotio ei fidem habuerunt.* Si Papias primus disseminator huius fabellæ, nubes illa testium quos producunt adversarii, unum tantummodo testem nobis exhibet. *Nam quod ab unico teste traditum ad alios dimanavit, non nisi unici & singularis testimonij auctoritatem obtinet, etiamsi illud idem ab innumeris alijs* μυριομυριάκις *deinde affirmetur.* Apostoli non esse certo loco affixum sedere, sed per orbem terrarum discurrere & omnes gentes docere, asserit idem Tilenus, inprimis autem Petri partes fuisse circumcisionis ministerium apud Iudæos dispersionis implere: non ad arcem Romani imperii, sed ad circumcisionis ministerium destinatum fuisse, Petri propriam messem fuisse Iudæos dispersionis, in illis regionibus prædicasse, quibus propterea etiam priorem suam epistolam inscripsit, ordinariè Iudæis extra ordinem quandoque gentibus, Paulum contra gentibus ordinariè, extraordinem Iudæis. *Proinde nihil tam consentaneum, quam de Chaldæorum Metropoli accipere illam appellationem* (nempe Babylonis ad finem prioris Epistolæ Petri) *in qua Petrus, quippe circumcisionis Apostolatum sortitus, Epistolam illam scripserit: ibi potissimum subsistens, ubi ob maximam Iudæorum frequentiam copiosissimam exercendi ministerij sui messem cernebat.* Quia Babylon in Apocalypsi figuraliter Romam significat, forte Papiam & alios veteres in errorem induxit, hîc non propriè sed figuraliter esse accipiendum. Si igitur veteres Papiam sequuti erraruntin Petri adventu Romam, & sede tot annornm, quid de cæteris judicandum est? Quod de priscis Græcorum historiis Thucidides, de veteribus affirmari potest Eusebio, Irænæo, Hieronymo, &c, *Quæ à maioribus acceperant posteri, ea* ἀβασανίστως, *securi examinis sui: item posteris tradiderunt,* sicut ex Thucidide reddit Tilenus. De Lino, Cleto Anacleto, Clemente, qui in Catalogis Romanorum Episcoporum post Petrum numerantur tanta est sententiarum varietas quis cui & quo ordine successerit, ut conciliari nullo modo possit. Cleti nusquam neq; Iræneus neque Eusebius meminerunt. De conturbato ordine successionis, & tanta scriptorū diversitate eruditè disserit Franciscus Iunius. *Errori causā præbuit,* inquit, *quòd Episcopus non unus primū in Ecclesijs erat, sed multi simul præerant, qui Episcopi sive Presbyteri ab Apostolis dicti sunt. Horum autem*

Contr. 3 l. 2 cap. 5. not. 3.
Cap. 5. not. 7
Cap. 4. not. 2
Ca. 2. not 22
Cap. 7. not. 10. 12.
L 2. cap. 2. not. 1.
Contro 3 l. 2 c. 5. not. 18.

autem natales, id est dies exsulij, sive martyrij, & mortis, in Ecclesiæ diptychis consignabantur, fiebatque eorum ad exemplum & institutionem publicam commemoratio solennis. Itaque Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, alij, simul Episcopi ceu Presbyteri fuerunt Romæ, etiam quo tempore Petrus & Paulus in urbe dicuntur fuisse, quorum excessum Linus post menses quatuor sequutus est, post Cletus, deinde Anacletus, ac postremo Clemens, ut ex Tertulliano, Martyrio, Damaso, & breviario ipso ostendimus. Sed falsa est eorum supputatio, qui Anacletum dant Clementi successorem: quam rem Damaso in mentem non venisse, evincit apertissime annorum per fastos consulares notatio, quibus fuerunt martyrio coronati. Idem vitium Augustino, & Optato oblatum eadem ex causa. Quod verò Cletum Ignatius, Iræneus, Eusebius, & alij ne nominant quidem, ab eodem est argumento; quia nihil attinuit celebres quosque Presbyteros sive Episcopos Romanæ Ecclesiæ nominari, modo ratio successionis & temporum constare posset: prout nominato Anencleto factum, qui inde à morte Lini, teste Damaso in Ecclesiæ Romana ministravit ad illud ferme tempus usque, quo Clemens ex Græcia reversus est. Apage infœlices illas correctorum spongias, qui omnes auctorum narrationes conturbare malunt, quam huic dicto ex veritate cedere, quod plures fuerunt in Ecclesia Romana Episcopi, id est, Presbyteri, antequam schismatum orientium occasio distinctionem Episcoporum à Presbyteris peperisset. Linus, Cletus, Anacletus igitur erant Ecclesiæ Romanæ tantùm Presbyteri sive Episcopi Pastores, non perpetui præsides, nedum judices, & principes Episcopi, qui simul Ecclesiam regebant cum pluribus aliis, quorum nomina non memorantur in historiis. Spondet vir clarissimus Gersomus Bucerus in neruosa & erudita sua dissertatione, se manus daturũ, si tanti dissidii conciliatio aliqua inveniri posset, quæ liquidò doceat quem libet eorum pontificum toto Episcopatus sui, quem fingunt tempore, solum instar Episcopi διακριτικῶς appellati Ecclesiæ Romanæ præfuisse. Tria igitur observanda sunt in veterum scriptis de Episcoporum successione.

1 A maioribus absq; delectu & examine multa acceperunt & posteris tradiderunt, quæ nec cum scriptura, nec inter se conciliari possunt. Propter Papiæ autoritatem vel antiquitatem multi putarunt Petrum Romæ fuisse. *Hic author multarum fabularum primus scripsit Romæ Petrum fuisse, hunc Hegesippus, Iræneus, & alii propter antiquitatem secuti sunt & sic opinio invaluit*, inquit Whitakerus. Iræneus apud Eusebium ait, Iohannis auditorem & Polycarpi socium Papiam, at Eusebius dicit illum nequaquam fuisse sanctorum Apostolorum auditorem, aut eosdem oculis suis aspexisse. Præterea ait fuisse exigui judicii, peregrinas quasdam parabolas, & quędam fabulis similiora, quàm veris historiis tradidisse. Si Papias vetustissimus scriptor ipsius Eusebii judicio fabularum author sit, non sunt veterum testimonia absque examine & judicio, accipienda. 2 Vt

De Pontif. qu. 2. cap 2. Eusceb. lib. 3. c. 39.

tabulas successionum ab ipsis Apostolorum temporibus deducerent, & retrosiora sæcula ad sua conformarent, cum plures erant Episcopi seu Presbyteri in celeberrimis Ecclesijs, unum quendam doctrina, authoritate, annorum gravitate, experientia, zelo, pietate, fama, cæteris celebriorem selegerunt, quem catalogo inscripserunt.
3 Quem selegerunt & catalogo inscripserunt peculiariter & antonomasticè secundum morem sui sæculi Episcopum nominarunt, qui ætate sua qua florebat absque discrimine Episcopus vel Presbyter, sicut & alii sympresbyteri, dicebatur. Imò suo etiam sæculo Ireneus indistinctè Presbyteros vel Episcopos vocat, cum de Apostolorum successoribus scribit, nisi mallemus Irenæum de vera & communi Presbyterorum omnium successione interpretari, potius quàm de peculiari ista ad temporum notationem in historia designandam excogitata, vel ad hæreticorum ora obstruendum, qui Doctorum celebrium seriem nullam ab Apostolis deducere potuerunt hæreses & errores tradentium posteris, sicut poterant Orthodoxi sincerioris doctrinæ successionem personali quorundam Doctorum successione monstrare, qui in Ecclesiis quibusdam inclaruerunt.
L.4.c,44. *Oportet*, Inquit Irenæus, *adhærere ijs, qui Apostolorum sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, & cum Presbyterij ordine sermonem*
c.43. *suum, & conversationem præstant.* Item, *Quapropter & eis, qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum patris acceperunt.* Item. *Quum au-*
L.3.c.2. *tem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, provocamus eos, qui adversantur traditioni dicent se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem.* Quæ de Episcoporum Catalogo dicta sunt in genere, Episcopis Ecclesię Alexandrinę, &
2140 Hierosolymitanæ etiam accommodari possunt. Quærit Iosephus Scaliger, quum Episcoporum Ecclesiæ Hierosolymitanæ nomina certa & continua successio hactenus memoriæ prodita sint, ubi fuerit Ecclesia Hierosolymitana. Nam certum est Hierosolymis eam consistere non potuisse. Funditus deleta civitas est, adeo ut ne vestigium quidem urbis appareret. Aratrum illi impressum à Musonio Tyrrheno præfecto munitionum, adeo ut non solum urbs esse desierit, sed & in posterum nemini licuerit illi solo vel casam superstruere post aratrum inductum. Et tamen Eusebius Episcopos numerat usque ad eversionem quam ab Hadriano pertessa est. Ne quis putaret nullam successionem cathedræ Hierosolymitanæ fuisse, veteres finxerunt non totam prius dirutam, sed Domini vaticinio & ipsius Iosephis historia refelluntur, inquit Scaliger. In Ecclesiæ Antiochenæ Episcoporum serie eadem fere diversitas sententiarum cum illa, quæ in Romanæ Ecclesiæ Episcopis. Alii

Euodium,

Euodium, alii Ignatium referunt primum Episcopum. Erant tantum Ecclesiæ Antiochenæ Presbyteri,& collegæ. Verùm quia ambo fama cæteris sympresbyteris nobiliores erant,posteri catalogum contexentes utrumque successive,sed non eodem ordine in catalogum suum retulerunt. Quid de Ignatio magis pervulgatum,quàm ex Syria Romam perductum fuisse bestiis objiciendum. Quærit tamen Scaliger, qui fieri id potuit,siquidem provincialis magistratus de Christianis supplicium sumebat.Si quis dixerit fuisse civem Romanum, respondet, civem Romanum bestiis objicere non licebat. De Alexandrina Ecclesia dicit quidem Hieronymus. *A Marco Euangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum in celsiori gradu collocatum Episcopum nominabant.* At Marcus martyrio coronatus octavo Neronis anno secundum eundem Hieronymum, & proinde ante Martyrium Petri & Pauli. Sequitur igitur viventibus Apostolis Episcopatum obtinuisse in quibusdam Ecclesiis. Hieronymum Eusebium sequutum in historicis, Eusebianis etiam multa infersisse, anachronismis laborare & pugnantia loqui observavit Iosephus Scaliger. Irenæus ait, *post horum* (nempe Petri & Pauli) *excessum Marcus discipulus & interpres Petri, & ipse quæ annunciata erant à Petro per scripta nobis tradidit.* Non igitur viventibus Petro & Paulo Episcopatus ille Alexandrinus ortus est, nedum videntibus,& approbantibus Apostolorum pauci à Neronis 14 anno superstites erant; pauciores à Marci martyrio. Nam,ut vides,Irenæus refert scriptũ esse Evangelium post excessum Petri & Pauli id est post ultimum Neronis annum, ut volunt omnes Pontificii. Hieronymus & alii asserunt scripsisse Euangelium Romæ. Oportebat igitur aliquot adhuc annos agere Alexandriæ, & in Ægypto. Vnde Dorotheus & alii producunt annos Marci ad imperium Traiani. *Sub Traiani verò regno,* inquit Dorotheus in Synopsi, *in Alexandria rudenti collo injecta, à loco qui Bucolus dicitur, usque ad eum qui Angelorum* (*seu nunciorum*) *dicitur, tractus, ibique igni ab insanis simulachorum cultoribus mense Aprili combustus, & in Bucolo sepultus est.* Secundum Dorotheum & alios igitur, ne Iohanne quidem superstite hoc accidit, quod refert Hieronymus. Quid si vivente Iohanne si tamen non vidente,ut qui longè aberat Alexandria,Episcopatus iste ordinis Alexandriæ à Presbyteris institutus esset. Multa fiebant in Ecclesiis, quæ latebant Apostolos, nec nisi ex aliorum relationibus scire poterant. Potuit ne igitur tale quid fieri in uno aliquo orbis angulo, & unum latere Apostolum. Cum intelligeret Iohannes Diotrephem primatum ambiisse & fratres ex Ecclesia ejecisse, minatur cum venerit, se renovaturum memoriam facinorum ipsius epist. 3.9.10. Sicubi Apostoli perspexissent semina malorum, non erat dubium,quin reprehendissent. Mysterium iniquitatis ipsorum

2123

Ad Evagrium.

L. 3. c. 1.

ætate operabatur. Non mirum igitur si alicubi primatus Antichristi fundamentum, ipsis insciis, jaceretur. Præterea celsior ille gradus nil aliud erat quam perpetua ordinis prostasia. Nos jam de primatu potestatis, de Episcopo non solum præside sed etiam principe disputamus, & quidem dato, non concesso, nec in re ipsa nec in temporis assignatione hallucinatum fuisse Hieronymum. Hallucinatum fuisse in aliis quæ de Ecclesia Alexandrina retulit sequutus Eusebium, satis constat. Scribit Hieronymus Philonem Iudæum cum Essenos describit, Christianorum Alexandrinorum, quale sub Marco vitæ institutum agerent, significare voluisse. *Ex quo* (inquit) *appareret talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil illis proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur & Psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ; quales & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes.* Qui monachos in Ecclesia Alexandrina sub Caio Imperatore, id est, Philonis ætate fuisse refert, non mirũ, si Episcopos etiam ibidẽ fuisse asserat. *Scribit Philo*, inquit Eusebius, *quo pacto præsideant inter eos, ij quibus Ecclesiastica commissa sunt ministeria, diaconatus etiam, & quæ supra cunctos eminent Episcopatus præsidentiæ.* De Essenis judæis non de Christianis intelligendum esse Philonem demonstrat Iosephus Scaliger in Elencho Trihæresii. Hieronymus dicit Presbyteros unum ex se electum in celsiori gradu collocasse usque à Marco Evangelista. Oportet igitur etiam Anianum in illo gradu celsiori collocasse. At ex fragmento cuiusdam vetusti codicis refert Gersomus Bucerus ab ipso Marco Pentapolin profecturo Anianum ordinatum fuisse. Sunt qui dubitant de ipso Marco num unquam Alexandriæ fuerit, quia Papias primus, qui Romæ, unde Alexandriam missum à Petro dicunt, Petrum fuisse retulit. *Vides igitur quàm in dubio sit*, inquit Parkerus, *quod dixit Hieronymus Episcopos à Marco Alexandriæ fuisse cum ipsum Marcum Alexandriæ fuisse omnino, adhuc non satis constet. Syriacam Testamenti versionem, ut probat ex Boderiano Feyldus, ab Assyriis & Persis accepimus: illi vero eam sibi à Marco Euangelista traditam dicunt. Hoc si verum sit, Marcum in Syria potius, quàm in Egypto vixisse probabile est.* De Marco, Simeone, Lino, Euodio, & Iacobo in tertio argumento plura dicturi sumus. Episcopos in Ecclesiis potestate ordinationis & jurisdictionis superiores Apostolorum sæculo fuisse quibus testimonis & testibus, & qua fide dignis probant, hactenus vidimus. Videamus etiam quos in sacra scriptura dant nobis Episcopos sub Apostolis in Presbyteros & Ecclesias potestatem directivam & correctivam exercentes.

De scriptorib. Eccles. in Marco & Philone.

L. 2. c. 17.

P. 449.

De Politia l. 2. c. 26.

Epaphroditus, dicit Dounamus, Apostolus erat & Episcopus Phillippensium, Philip. 2. 25. Qui succedebant Apostolis in regimine particularium Ecclesiarum dicti sunt, inquit, Apostoli, ut

qui eandē cum Apostolis, & Apostolicis viris potestatem maxima ex parte habebant. *Eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos, eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Procedente autem tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus, Cretensium Titus & Asianorum Timotheus,* inquit Theodoretus. Theodoretus cùm perciperet Episcopi vocabulum commune fuisse omnibus Pastoribus, ut Episcopos ipsius ætate Presbyteris superiores augustiore aliquo ornaret titulo, Apostolos Apostolico sæculo dictos autumat, vel fingit, quia Presbyteris, qui etiam Episcopi dicti, Apostoli gradu superiores Episcopos suos, ut ipse putabat, referebant, vel Episcopi gradum Apostolico simillimum occupabant. Nullis enim scripturæ testimoniis assertio Theodoreti firmari potest. Ambrosius in Ephes. 4. & 1. Cor. 12. 28. per Apostolos intelligit Episcopos. *Apostoli,* inquit, *Episcopi sunt. Prophetæ verò explanatores scripturarū, quamvis inter ipsa primordia fuerint Prophetæ sicut Agabus, &c. Nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur, Euangelistæ Diaconi, sicut fuit Philippus.* Quam propriè & genuinè ista ad Ecclesiæ sui temporis statum applicet, videat Lector, à sensu Apostoli aliena esse quis ambiget? Apostoli nomen in sacra Scriptura vel communi significatione pro quovis legato sumitur, vel angustiore, pro duodecim illis primariis Christi discipulis & Matthia, Paulo & Barnaba in Apostolorum chorum post Christi Ascensionem cooptatis. *In communi Græcorum usu* Ἀπόστολοι *dicebantur,* inquit Casaubonus, *certi homines, qui negotij gerendi gratia, magis quam deferendi nuntij, aliquò mittebentur. Sic accipitur Iohannis* 13.16. Ibidem, *Sic & Epaphroditum vocat Paulus, scribens ad Philippenses, illorum* ἀπόστολον *Philip.* 2. 25 *tanquam ad se missum ab illis, qui ipsi ministraret.* Ibidem, *Certum est appellationem Apostolorum nemini præter illos quos dixi* (nempe duodecim, Matthiam, Paulum & Barnabam) *posse tribui, nisi fortasse* (nempe apud Patres) *figuratè & æquivocè.* In Actis cap. 1. 20. Petrus Apostolatum vocat ἐπισκοπήν, sed in eadem oratione Apostolatus dicitur etiam διακονία, an propterea Diaconi Apostoli dicti sunt. Observat Serrarius ex Epiphanio hæres. 30. fuisse apud Iudæos Tiberiadenses, qui ab ipsorum Patriarcha secundas tenebant, eique à Consiliis erant, & huc atque illuc in provincias ablegabantur, ut decimas, primitias, aliaque similia colligerent, & quæ depravata viderentur corrigerent, atque Apostolos dictos. Syriacam vocem *Schelichin* variis ministris in Iudaicorum rituum descriptione tributam ostendit Casaubonus. Cum itaque Paulus Epaphroditum Philippensium Apostolum vocat, nihil aliud vult quam Philippensium legatum, ut indicant verba, quæ sequuntur, *quique mihi subministrarit,* quibus

Theodor. in 1. Tim. 3.

In Ephes. 4.

Exert. 14. pag 313.

P. 315.

In Rabbinis duobus c. 3. P 311.

quibus mihi opus erat, quasi in hunc finem missus esset Romam à Philippensibus, ut ipsi necessaria ministraret.

Illustrat hunc locum, quod 2. Cor. 8. 23 de Legatis Ecclesiarum dicitur. Titus & alii duo ad Corinthios missi erant, ut eorum munera collata in subsidium Ecclesiæ Hierosolymitanæ colligerent. Hi duo collegæ Titi dicuntur Legati Ecclesiarum, Græcè *Apostoli Ecclesiarum*. Si quis permutatis vocabulis diceret *Episcopi Ecclesiarũ* an genuinum sensum verborum exprimeret? Dicti igitur sunt Legati Ecclesiarum *quia ab Ecclesijs* delegati singulariter, *ut oblationem eorũ acciperent apportentque*. Delectos fuisse ab Ecclesiis ad colligendam Ecclesiarum Achaiæ beneficentiam patet ex ver. 19. ubi de collegarum uno dicitur, quod suffragiis delectus esset ab Ecclesiis socius peregrinationis Pauli cum beneficentia quæ administranda erat: & ver. 24. ubi dicit Apostolus, *Itaque demonstrationem charitatis vestræ, & nostræ de vobis gloriationis edite in eos, in conspectu Ecclesiarum*, nempe à quibus missi fuerunt. Quasi diceret, *testes huius vestræ pietatis habituri estis omnes Ecclesias in quarum conspectu versamini, quum legatos cernitis earum suffragijs delectos*. Epaphroditum delectum & delegatum à Philippensibus ad perferendum ipsorum beneficentiam ad Paulum similiter patet ex cap. 2. 25. *quique mihi subministravit, quibus mihi opus erat*, & cap. 4. 19. *omnia accepi & abundo, expletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam ac placentem*. Delegatum ad perferendum ipsorum benevolentiam fatentur, sed huius particularis & unius legationis ratione ipsorum Apostolum dici negant, nec verisimile esse nomenclaturam tam augustam ad sacram Apostolorum functionem denotandum usurpatam tam obscuro ministerio, aut ab hominibus delegatis imponendam, ipsis videtur. Ministerium illud non erat vile & obscurum, siquidem Corinthiorum munera & beneficentiam *Gratiam*, Philippensium, odorem bonæ fragrantiæ appellat Apostolus. Et Legati hominum communi Græcorum & Syrorum usu ἀπόστολοι & Schelichin dicebantur ut supra ostendimus etiam ex ipsis scripturis Iohan. 13. 16. Sic Angelorum nomine designantur beati & cœlestes illi spiritus, Græcorum tamen usu communi quivis nuncius aut legatus, Angelus dicitur, ut Iacob. 2. 25. ubi memoratur Rahab accepisse τὺς ἀγγέλυς nuncios illos, & alia via emisisse. Græcorum igitur usum in Græcis vocabulis, non latinorum intueri oportet. Latini legatos & nuncios quotidiano sermone Angelos vel Apostolos non vocant: Græcis tamen familiare illud erat. Non tamen negamus tum Epaphroditum, tum duos illos Titi collegas aliud præterea ministerium in Ecclesiis obiisse. Collegas Titi Paulus vocat gloriam Christi, id est tales, per quos Christi gloria illustratur, & unius

Iunius contr. Bel. Cont. 5. l. 1. c. 15. not. 1.

Beza. 2. Cor. 8. 24.

unius eorum fratrum laudem esse in Evangelio per omnes Ecclesias His nominibus eos commendat Corinthiis, partim ne de ipsorum fide in re pecuniaria dubitarent, partim, ut uberior esset ipsorum collatio, quò maior eorum esset auctoritas. Sic Epaphroditum ipsius cooperarium & commilitonem dicit, aliisque nominibus commendat, ut solebat, quos ad Ecclesias mittebat. Legati tamen Ecclesiarum dicuntur huius particularis legationis respectu de qua diximus. An probabile est Ecclesias voluisse ablegare episcopos suos Romam aut Hierosolymam cum oblationibus suis. Quis pro Rectore & judice interim se gereret, siquidem nullum erat Episcoporum Presbyterorum regimen in foro externo, ut ipsi volunt. Quid opus est multis? Ipsi Anglicani in ultima translatione utrobique, 2.Cor.8.23. & Philippi 2.25. Græcam Apostoli vocem *Legatum* reddunt. Apostoli igitur nulli dicuntur nisi primarii illi de quibus diximus vel communi notione quivis legatus. Sed & istud largiamur, alios quā primarios Ecclesiæ Architectos Apostolos vocari, non tamen sequitur Episcopos sæculo Apostolico Apostolorū titulo ornatos. Imo non absque periculo ordinariis Ecclesiarum pastoribus communicaretur extraordinariorum & præsertim summorum augustissimus & maxime peculiaris titulus; nam communio nominum rerum confusionem pareret. Apostolis potius ereptis Episcopi Apostoli dicendi erant, si, ut ipsi volunt, ipsis in regimine externo successerunt, non autem Episcopi, siquidem vocabulum illud Presbyteris commune erat. Si Epaphroditus Philippensium Episcopus fuisset, non dixisset Apostolus, *Necessarium duxi Epaphroditum ad vos mittere.* Dixisset potius, *remittere*; si erat ipsorum Episcopus. Nam postquā obiit legationem, & subministravit ea, quibus Paulo opus erat, ratione officii tenebatur reverti ad Philippenses, si Episcopus illius Ecclesiæ fuisset. Non tamen reversurus videtur nisi Apostolus eum mittere necessarium duxisset. Ratio, cur Epaphroditum miserat, *quia expetebat vos omnes, & gravissime angebatur, propterea quod audissetis ipsum infirmum esse*, id est, ut reddit Syrus interpres. *Cupidus erat videndi vos omnes, & anxius erat, quia cognoverat quod audivissetis quòd infirmatus fuisset.* Ipsorum sollicitudo de Epaphrodito postquam audiverant de ipsius infirma valetudine, acuit Epaphrodito desiderium, ut visat Philippenses de se tam sollicitos, alioquin non statim reversuro. Dicit præterea Apostolus se missurum Timotheum, *postquam*, inquit, *videro rerum mearum statum* 2. 23. item, v.24. *Confido in Domino me quoque cito venturum ad vos* v.25. sed necessarium duxi Epaphroditum, &c. Adversativa particula ostendit Epaphroditum missum ex occasione quadam, nempe quia nondum potuit mittere Timotheum. Qualis igitur Timotheus talis Epaphroditus, nempe Pauli cooperarius, huc atque illuc, prout opus erat, missus & proinde Euangelista non Episcopus

copus Rector & iudex Episcoporum Pastorum Ecclesiæ Philippensis de quibus cap. 1. 1. Legati Ecclesiarum de quibus, 2. Cor. 8. non erant Episcopi Ecclesiarum. Non enim commodè, ut dixi, poterant Ecclesiæ ordinariis suis rectoribus tam diu privari. Præterea duos Episcopos (nam de duobus, tantùm loquitur Apostolus) Ecclesiarum Apostolos appellare, inepta esset locutio. Non duo sed plures Episcopi Ecclesiarum Episcopi dicendi sunt. Apostolus non de duabus, sed pluribus Ecclesiis loquitur. Si igitur Apostoli dicendi erant, non ratione legationis ad colligendam Corinthiorum beneficentiam, sed ratione augustioris alicuius functionis & ministerii, tum dicendi sunt Apostoli Ecclesiarũ, quia ad Ecclesias has atque illas missi, prout ferebat occasio, non autē quia Episcopi Ecclesiarum. Nam Episcopus est unius non plurimarum Ecclesiarũ Episcopus, & duo Episcopi Ecclesiarum Episcopi dici non possunt, præsertim cum vel de pluribus, vel indefinite loquimur. Non mirum, si Euangelistæ dicti sint Apostoli, quia vel cum Apostolis peragrabant regiones vel ab Apostolis Apostolorum instar huc atque illuc missi sunt ad Ecclesias constituendas, & confirmandas. Episcopi autem uni Ecclesiæ particulari addicti sunt, quam deserere non debent. Patres hoc sensu Epaphroditum Apostolum, nempe quia Euangelista, intellexisse videntur. Chrysostomus, *Apostolum vestrum*, inquit, *vel qui vos docuit, vobis mittimus*. Hieronymus, *quia & ipse in ijs acceperat Apostolatus officium*. Ambrosius, *Erat enim Apostolus ab Apostolo factus, dum illum ad exhortationem eorum mittebat*. Ista omnia Epaphroditum perpetuum & ordinarium Philippensium Pastorem & Rectorem fuisse non probant, sed contrarium potiùs subindicant. Isti tamen sunt Patres, quos Tilenus nominat. Sed, ut redeamus eò unde cœpimus, dico Epaphroditum & Titi collegas, licet Euangelistæ fuerint, non tamen hac ratione Apostolos dictos. Si enim collegæ Titi Apostoli dicti sunt Ecclesiarum ratione functionis, qua peculiari nomenclatura designati sunt Apostoli primarii. Nam & ipsi Ecclesiarum Apostoli erant, id est, ad Ecclesias missi. Qui Ecclesiarum Apostoli dicti sunt, Apostoli etiam simpliciter appellari potuerunt. Si quis dixerit primarios Apostolos dictos esse Apostolos Christi, Evangelistas autem Apostolos Ecclesiarum vel Apostolorum respondebit Casaubonus. *Quid dicemus de Baronio, qui unius Romani papæ proprium jus esse dicit Apostolos creandi, quod à Domini Apostolis nunquam factum fuisse legimus*. Sicut igitur dicti sunt Ecclesiarum Apostoli ad quas missi sunt, ita etiam Christi mittentis Apostolos dici oportuit. Dicti sunt igitur Apostoli Ecclesiarum notione communi, id est legati Ecclesiarum, nempe illarum particulariter, quæ ipsos delegerunt ad beneficentiam Ecclesiarum Achaiæ colligendam, & Hierosolyma perferendam, ut supra ostendimus. Idem de Epaphrodito

Paræneſ. c. 5.

Exercit. 3. 7.

dito sentiendum qui à Philippensibus missus, ut Paulo ministraret, ea quibus egebat. Vtcunque est, Episcopi nunquam dicti sunt Apostoli Apostolorum temporibus. An unquam, putas, tam augustam appellationem renuissent, & ad vulgarem Episcopi titulum se demisissent, si Apostolico sæculo Apostolorum titulo ornati fuissent.

Sub Apostolis Episcopos principes & judices ex Angelis Ecclesiarum Asiaticarum etiam procuderunt, quorum argumentum sic nectit Tilenus. *Ex Epistolis quas ad septem Ecclesiarum Asiaticarum Angelos θεοπνεύστως, scripsit Iohannes, firmissimum nectitur argumentum quo gradum illum Apostolicis temporibus institutum fuisse evincimus. Quorsum enim singuli Ecclesiarum illarum Angeli, sive Pastores soli compellantur, laudantur, objurgantur, officij admonentur, si quæ in qualibet Ecclesia rectè vel secus facta, non ipsorum magis, quam communi Presbyterorum, vel diligentia, vel socordia evenerunt? Quid inquius quàm toto peccante collegio ex æqualibus inter se Presbyteris constituto, unum ex ijs cujus exsors supra cæteros auctoritas prorsus nulla, communem omnium culpam præstare, & reprehensionem sustinere solum?* Paran. cap. 10. Item, *Cuius ad Smyrnensem Angelum quem ne vestri quidem Polycarpum fuisse negant, extat Epistola Apocalyp. 2. 9. in quo uno nihil cum carpat, nihil desideret Iohannes, ex vestra sententia hoc saltem reprehensione dignum erat, quod Ecclesiæ illius regimen usurpasset singulariter; non singulari laude alioqui ornandus, si in illo regimine omnia illi cum collegis & Sympresbyteris erant communia. Quemadmodum quod in militia à militibus & centurionibus, inferioribusque ordinum ductoribus peccatur, non immeritò tribunis & superioribus præfectis imputatur: ita quidquid in Asiaticis illis Ecclesijs, non modo greges, sed etiam Presbyteri, qui Episcopi respectu pars sunt gregis, deliquerunt, nulla ratione uni Angelo sive præsidi exprobraretur, nisi eius in coercendis utrisque, & exsors quædam fuisset potestas.* Dounamus similiter, *Annon Scriptura hoc passim testatur, quando Ecclesiæ Ephesinæ Angelus commendatur, quòd exploraverit, nec tulerit eos, qui se dicebant Apostolos esse, & non erant. Et contrà Angelus Thyatirensis reprehenditur, quòd tulerit Doctores hæreseos Nicolaitarum, qui comparantur interdum Balaamo nonnunquam Iezabeli, eò quòd fornicationem & idololatriam persuaderent.* Sunt, fateor, nostrorum quidam, qui Angeli appellationem non συλληπτικῶς, sed ἰδιωτικῶς sumunt, ut Raynoldus Anglorum eruditissimus, Theodorus Beza, & alii. Sed Angelum præsidem solummodo, ceu προεστῶτα interpretantur, non Episcopum judicem & principem. Raynoldus in collatione cum Harto dicit, Presbyteros in singulis Ecclesiis constitutos Episcopos à spiritu sancto ad attendendum gregi, eumque pascendum: idque ut facilius communi consilio & consensu effectum darent, sæpius coire in unum Cap. 4. divisione 3. ad finem.

unum cœtum solitos: & unum elegisse præsidem conventus, actionumque moderatorem, quem Christus Apocalyp.2.1. Angelum Ecclesiæ appellat, ad quem scribit ea, quæ per ipsum cæteris significare volebat. *Atque hic est ille*, inquit, *quem postea in primitiva Ecclesia Patres Episcopum nominarunt.* Theodorus Beza similiter dicit. *Angelo, id est*, προεστῶτι, *quem oportuit nimirum imprimis de his rebus admoneri, ac per eum cæteros collegas, totamque adeo Ecclesiam. Sed hinc statui Episcopalis ille gradus, postea humanitus in Ecclesiam Dei invectus, certe nec potest, nec debet. Imo ne perpetuum quidem istud* προεστῶτος *unius esse necessariò oportuisse, sicut exorta inde illa tyrannis oligarchi (cuius apex est Antichristiana bestia) certissima cum totius non Ecclesiæ modò, sed etiam orbis pernicie nunc tandem declarat.* Serrarius in Rabbinis, de Archisynagogo sic scribit. *Postea cœpit à Iudæis dici Scheliach tsibbur, id est, princeps coetus* ἄγγελος vel ἀπόστολος τῆς συναγωγῆς, *ceu congregationis.* Ad hunc angelum alludere Christum quidam arbitrantur. Sed Casaubonus Apostolum non Angelum Synagogæ interpretatur, *Scheliach tsibbur. Invenitur etiam in illorum ritibus, qui Scheliach tsibbur* ἀπόστολος τῆς συναγωγῆς *nominatur quasi dicas legatum Synagogæ. Habent*, inquit, *& hodiernæ Synagogæ suos Schelichim, quos volunt esse cantores, qui pro universo cætu preces ad Deum mittunt.* Qualecunque ipsius officium fuerit, præfectum Synagogæ fuisse non apparet. Fuerunt enim plures in una Synagoga Archisynagogi, ceu Synagogæ præfecti, ut patet ex Marci 5.22. & Act.13.15. Nostrorum alii collectivè vel indefinitè de pluribus Angelum interpretantur ut Foxus, Perkinsus, Brightmannus & alii. *Nec uni alicui Angelo mittuntur, sed toti, ut ita dicam Collegio Pastorum, qui omnes hac communi voce comprehenduntur. Non enim unus erat Angelus Ephesi, sed plures, nec inter istos aliquis princeps, ut manifestum est ex Paulo qui Miletum accersivit Presbyteros ceu Episcopos Ephesi, Act.20.17.28. Multitudini pepercisset, si præfuisset unus aliquis authoritate reliquis: vel saltem inter reliqua monita unum verbum fecisset de obsequio erga primarium Episcopum. Sed huiusmodi principatus nondum natus erat, Tunc primùm cœpit, postquam adempti erant rebus humanis Apostoli, nisi quod Diotrephes aliquid eius specimen dedit.* Horum ut accedam sententiæ & interpretationi, quæ sequuntur argumenta, inducunt. 1 Apellatio Angeli tribuitur omnibus Pastoribus, item sacerdotibus & Prophetis in veteri & novo Testamento Iudic.2.1. Chaggai 1.13. Malach.2.7. 1.Cor.11.10. ut nonnulli interpretantur hunc locum, inter quos Hieronymus, qui Angelos, 1.Corinth.11. interpretatur de iis qui præsident Ecclesiis. Rabbi David Camius teste Drusio duo statuit Angelorum genera unum eorum, qui in superis locis domicilium habent, alterũ eorum

In Apoc. 2.1.

Cap. 31.

Exercit.14. p.311.

Brightman in Apoc.2.1

Drusi præter in Apoc. 1.20.

eorum qui hîc in inferiobus. Et tales sunt, inquit, Prophetæ aut sacerdotes. Neque tribuitur ista appellatio ratione jurisdictionis, sed legationis, ut qui sint nuncii & interpretes voluntatis Dei. Pastores autem omnes tales sunt interpretes. Si rectorem aut judicem certum designare volebat rectoris, judicis, aut præsidis titulo compellare facilè poterat Christus. Nam qui aliis præsunt, appellatione aliqua ipsorum potestatem significante nuncupari solent, non autem ea quæ officium cum aliis commune solummodò denotat. 2 Christus aperiens mysteria candelabrorum & stellarum dicit, Candelabra septem sunt septem Ecclesiæ, non autem septem stellæ sunt septem Angeli septem Ecclesiarum, sed 7 stellæ sunt angeli 7 Ecclesiarum Apoc. 1. 20. Non abs re numerus angelorum omittitur, ne unum forte in singulis septem Ecclesiarum angelum intelligeremus. Singulæ stellæ significant plures angelos ceu pastores. Vnus aries bicornis Daniel 8. 3. 20. non unum sed plures reges Medorum & Persarum significabat. Quatuor cornua Zach. 1. 18 non 4, sed omnes Iehudam & Israelem infestantes adversarios & singula cornua plures hostes adumbrabant. Quinque virgines prudentes sponsum expectantes, non quinque, sed omnes pios parabolicè representabant, & eodem capite Matth. 25. quinque servi quibus talenta tradita, non quinque, sed plures significabant. Nihil usitatius quam in parabolis, typis, visionibus Propheticis, unum & individuum quid in signo plura in re signata representare. Imo quamvis in interpretatione mysterii numerum septenarium etiam Angelis apposuisset, non sequeretur tamen unicum tantùm fuisse angelum in singulis Ecclesiis. Dicitur cap. 8. 2. septem illos angelos (nempe quorum antè meminit) stare coram Domino. Sed nomine 7. angelorum, quos ibi spiritus ministratorios intelligit Ramoldus, dicit significari non septem propriè, sed per synecdochen universos angelos. Nam nulli sunt præcisè 7 angeli, qui soli adstant coram Deo, ut patet ex Danielis cap. 7. utut de 7 angelis coram throno Dei stantibus garriant Magi & Cabalistæ. Nam articulus τοὺς adjunctus, inquit, indicat mentionem facere rei notæ, & de qua prius sermo habitus est, item, adjunctum illud *qui adstant*, de quibus loquitur, satis ostendit. Iam, capite 7 mentio facta omnium angelorum, & dicuntur stare in circuitu throni, & capite 5 dicit esse millies centena millia. *Quare*, inquit, *cum commune sit omnibus electis Angelis Dei stare coram throno videtur nomine septem Angelorum significarò universos Angelos Dei.* Item, *Ita numero septenario sæpe significari omnes, numerum scilicet infinitum numero finito, docent 7 columnæ Prov. 9. septem pastores Mich. 5. septem oculi Zachar 3. sed in primis in istis mysteriis Apocalypseos, 7 candelabra, 7 lampades, 7 phialæ, 7 plagæ, Apoc. 4. 5. 15* Si quis ex Mich. 5. 5. *Quum venerit Assyrius in terram nostram, & quum calcaverit palatiis* | Censura libri apocryp. prælection. 64.

nostra, constituemus super eum septem pastores, præcisè tantùm septem constitutos colligeret, non ex mente Prophetæ id faceret. Duo testes à Domino excitati Apocalypſ. 11.3. ut prophetarent, non erant præcisè duo. Vides igitur etiam apposito numero numerante non semper præcisè secundum numerum rem numeratam sumendam esse. 3 Vbicunque est mutatio numeri singularis in pluralé, de pluribus, non de uno sermonem haberi certum est. *Servabitur tamen*, nempe mulier, *liberos gignendo, si manserint in fide & charitate*, 1.Tim.2.15. *Verbum numero multitudinis est positum summo omnium codicum consensu*, inquit Theodorus Beza. *Multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non profitentur Iesum Christum venisse in carne. Hic est ille impostor & Antichristus*, 2 Ioh.7. Sic in Epistolis ad 7 Ecclesias dirigitur sermo ad plures, ut cap.2.24. *Vobis autem dico, & reliquis Thyatirensibus. Vobis*, nempe angelis Ecclesiæ Thyatirensis, nam de aliis, quam de Angelo, nulla ante mentio in illa epistola; & distinguntur isti à reliquis Thyatyrensibus. Cum igitur initio epistolę *Angelo* dicitur, indefinitè intelligendum, cuivis illius Ecclesiæ Angelo vel collectivè. Estque hæc usitata Synecdoche in Scripturis etiam ubi apponitur articulus. *Vir autē ille qui commiserit superbè, ut non auscultet Sacerdoti constanter ministranti ibi Iehovæ Deo tuo, aut summo judici, &c.* Deut.17.12. Non unicum Sacerdotem, aut judicé, sed plures synecdochicè intelligere hoc loco oportet, ut patet ex ver.9. *Et adibis ad sacerdotes Leviticos, vel ad summum judicem, qui erit diebus illis.* Math.9.18. dicitur venisse ad Iesum Synagogæ præfectus, & Act. 18.8. dicitur Crispus præfectus Synagogę, & v.17. Sosthenes præfectus Synagogæ, cum tamen fuerint plures Synagogæ præfecti. Ὁ σπείρων ὁ θερίζων, Ioh.4.37. ὁ κλέπτης, Ioh.10.10. Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς geminato articulo, Ioh. 10.11. & similia multa passim occurrunt, ubi non de certo individuo, sed indefinite de pluribus sermonem fieri satis constat. Et in hac ipsa *Angeli voce*, ut cœlestes Spiritus significat, Synecdochica loquutio occurrit, Psal.34. &c. *Castra metatur Angelus*. Act.4.1. loquentibus ipsis ad populum supervenerunt sacerdotes, & præfectus templo. Erant tamen plures præfecti, ut patet ex Luc.22.4. *Abiens colloquutus est cum primariis sacerdotibus, & præfectis templo.* 4 In visionibus Apocalypticis sæpius per unum Angelum intelliguntur plures concionatores Evangelium prædicantes. Septem Angelos cum 7 tubis non septenos sed plurimos concionatores significare ex communi interpretum mente, Haymonis, Richardi de Sancto Victore, Ambrosii Ansberti & aliorum testatur Blasius in Apocal.cap.8. sect.8. & primum Angelum Apostolos, secundum pastores 2 Centuriæ &c. Atque ita unus Angelus mille, vel millies mille significabit. Vt igitur collectivè sumitur nomen Angeli in

cæteris

cæteris visionibus, sive concionatores verbi sive ministratorios spiritus interpreteris, ita & initio libri, ubi in singulari numero de singulis seorsim loquutus est, ut à capite ad calcem libri omnia inter se congruerent. Sylleptice interpretati sunt angelos Ecclesiarum ipsi veteres. Augustinus, si author homiliarum in Apocalypsin, quæ eius nomine inscribuntur. *Quod autem dicit Angelo Thyatiræ habeo adversum te pauca, dicit præpositis Ecclesiarum, qui luxuriose fornicantibus & aliud quodlibet male agentibus severitatem disciplinæ Ecclesiasticæ non imponunt.* Gregorius Magnus, *Sæpe sacram scripturam prædicatores Ecclesiæ, pro eo quòd patris gloriam annunciant, Angelorum nomine solere designare: & hinc esse, quod Iohannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribens, Angelis Ecclesiarum loquitur id est, prædicatoribus populorum.* Quòd de Onesimo, quem Ephesinæ, & Polycarpo quem Smyrnensis Ecclesiæ Episcopum fuisse referunt, nullius momenti est. Nam licet ad salvandam historicorum fidem respondere possem, Episcopos fuisse illarum Ecclesiarum, sed non singulares, verum unàcum aliis, tamen ut verum fatear, non flocci facio pugnantes inter se veterum relationes, cum etiam de consentientium fide non immeritò dubitatur, ut supra dixi de Petri pontificatu Romano. Alii narrant Timotheum, tunc temporis, cum scripta Apocalypsis, fuisse Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum, quos sequuntur Ribera, Lyranus, Pererius. Blasius relinquit in medio, & incertum dicit, quis fuit ille Angelus. Ignatii Epistolæ sunt suppositiriæ. De Polycarpo testatur Eusebius martyrio coronatum sub Antonino Vero: Martyrologium Romanum sub Decio persequutione septima. Apocalypsis autem, ut volunt, 14 Domitiani scripta est. Angelos igitur & stellas intelligimus omnes Pastores. Si stellæ significant ministros, etiam Angeli, nam stellæ septem sunt Angeli Ecclesiarum. At stellæ in Apocalypsi significant omnes Pastores, non Episcopos solos, nisi quis dixerit caudam draconis solos Episcopos cælo detraxisse. Non solum in Apocalypsi sed etiam Danielis 12 stellarum elogio concionatores ornantur. Si quis in istam sententiam de angelis collectivè vel indefinitè sumendis trahi non potest, suo sensu abundet, summæ controversiæ nihil tamen detrahitur, licet interpretum illorum sententiam sequatur, qui de singulari & individua persona, accipiunt, sed præside tantum & moderatore. Hanc igitur etiam tueamur sententiam. Cur dirigitur sermo, inquiunt, ad unum, si plures erant collegæ. Dicunt Pontificii, cum Christus dixit Petro, *Tibi dabo claves* Petro promissas esse claves. Respondet Tilenus, *Christus claves regni cælorum Petro quidem, ac non soli, sed tum ipsi cum sociis communiter promittit.* Cum Bellarminus duas repræsentandi species posuisset, historicam & parabolicam, addit tertiam Tilenus. *Tertius igitur modus repræsentandi aliquid est*, inquit, *cum quis non tantum alieno, sed*

Homil. 2 | *Lib. 34. moral. in Iob. c. 4.* | *Contro. 3. l. 1. c. 12.*

sed etiam nomine suo negotium agit, tanquam membrum illius corporis, ac τάγματος, cuius personam gerit. Non pluribus nec maioribus circumstantiis describuntur & nominantur à Notariis personæ hæredes, aut legatariæ quam persona Petri hoc textu, inquit Caietanus, & tamen Tilenus non uni Petro, sed omnibus sociis communiter fuisse promissas respondet. Hoc loco ne nomine quidē designatur certa aliqua persona. Respondemus igitur, quod uni præsidi dictum, omnibus collegis dictum. *Petrus non gerebat personam communem ex officio: ex eo patet, quod nondum erat constitutus Pastor eorum; neque erat proprie caput eorum, nisi sicut primus inter Canonicos potest dici caput Canonicorum,* inquit idem Caetanus. Addo nullum habuisse primatum ordinis ex officio, & tamen quod Petro promissum omnibus Apostolis promissum intelligitur. Multò magis igitur, ubi sermo de negotio & officio communi dirigitur ad præsidem, ad collegas etiam dirigi intelligendum est. Præterea ex ipso epistolarum contextu patet ad plures dirigi, plures laudem, plures etiam ubi peccabatur, vituperium ferre. Quid aliud sibi volunt istæ comminationes, vituperia, laudes, promissiones. *Veniam adversum te, & movebo candelabrum tuum à loco suo: Ecce futurum est ut conjiciat Diabolus aliquos ex vobis in carcerem: Vobis autem dico, & reliquis Thyatirensibus, quicunque non tenetis doctrinam hanc, & qui non approbastis profunditates Sathanæ, &c.* Et cum in singulari numero dicitur, *Propter nomen meum laborasti; non negasti fidem meam; neque frigidus neque calidus es;* an unicus, quem volunt, Episcopus laudatur aut vituperatur, non autem alii. Cur igitur alii plectendi, aut præmiis ornandi propter unicum Episcopum; *veniam adversum te, & movebo candelabrum tuum; veniam adversum te & pugnabo cum illis gladio oris mei: non imponam vobis aliud onus.* Si igitur singulari numero dicta, *laborasti: non negasti: resipisce: observasti nomen meum:* non tamen ad singularem personam & individuam dirigi intelligenda sunt, cur non etiam & ista, *quod non possis ferre malos, & exploraris eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & comperisti eos esse mendaces: permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetissam, docere:* & similia quæ videntur potestatem quandam innuere; cum eodem contextu cum antecedentibus legantur. Revera tamen ex his verbis non potest necessario elici potestas in foro externo. An pseudapostolos compellavit, vel ad consistorium suum citavit Angelus Ephesinus, & maioritate potestatis suæ excōmunicavit. Certe aliud illa verba subindicant, *onere pressus fuisti, & toleras. Non sustinere malos, explorare eos qui se dicunt Apostolos; permittere mulierem Iezabel docere,* etiam privatis Christianis competunt, qui judicio discretivo pollent, spiritus probare & lupos aversari debent, etsi non sit eorum judicare judicio jurisdictionis. De privata & communi omnium potestate intelligenda esse ista verba osten-

De Romani pontif. institut. cap. 4.

Ibid. cap. 4.

ostendunt sequentia, *odisti facta Nicolaitarum: habes istic qui tenent doctrinam Balaam: habes etiam qui tenent doctrinam hanc: qui non approbastis profunditates Sathanæ.* Vide igitur quid sit *sustinere, explorare, permittere.* Sed & istud largiamur de foro externo intelligenda esse, an in isto foro solus Episcopus regnabat. *Vobis autem dico, & reliquis Thyatirensibus, qui non tenetis doctrinam hanc & non approbastis*, cap. 2. 24. *Vobis*, id est tibi, qui præsidis officio fungeris & collegis tuis dico. Nam qui alii sunt à reliquo grege secernendi. Quamvis dixisset vobis autem reliquis Thyatyrensibus, non opponeretur unus Angelus omnibus reliquis Thyatirensibus, quasi ipse solus peccasset. Opponerentur Thyatirensium alii qui permiserunt Iezabelem docere, aliis qui non tenebant doctrinam hanc, nec cognoverunt profunditates Satanæ. Ergo permittere Iezabelem docere non erat unius Angeli, sed aliorum etiam Thyatirensium. Si per modum jurisdictionis voluntariæ, tum plures collegæ permiserunt. Si approbando tantum & auscultando, tum alii etiam ex populo. Sed cum dicit, *vobis autem, & reliquis Thyatirensibus*, opponit collegas collegis & gregis partem saniorem parti morbidæ. Nam ex hoc versu patet non solum ex grege, sed etiam ex Presbyterio aliquos in sana doctrina non perstitisse. Si Angelus Thyatirensis fuerat tantum præses, Ephesinus & alii etiam similiter. Ex argumento igitur epistolarum liquet non unum compellari, objurgari, moneri, laudari, vituperari, sed plures, tum ex grege tum ex Presbyterio. Non ad unum, sed ad plures dirigi Epistolas patet, tum ex epistolarum argumento, tum ex subjecto Epiphonemate. *Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesijs*, & ex cap. 1. 11. *Scribe & mitte 7 Ecclesijs quæ sunt in Asia.* Hinc est, quod quidam Angelum Ecclesiam interpretantur, quod non probo, quia sic stellas & candelabra in unum conflarent. Sat est, ut Angelum statuamus tantummodò præsidem, quòd ad Ecclesias mittuntur epistolæ, quòd in unum non coniicitur culpa, unus non cumulatur laudibus, unus omnium communem culpam non præstat, aut reprehensionem sustinet solus, unus non permittit Iezabelem docere, unus non explorat eos qui se dicunt esse Apostolos, & non sunt. Nihil igitur lucrantur quamvis Angeli appellationem nostrorum quidam exponunt ἰδιωτικῶς. Quoniam, quæ de Archippo, Onesimo, & aliis Apostolici, ut volunt, Episcopis, afferunt, non sunt tanti, ut in iis confutandus immorer, pergemus ad tertium gradum.

3 Argumentum. Ipsi Apostoli Episcopos potestate ordinationis & jurisdictionis Presbyteris majores ordinarunt, & Ecclesias ipsis commiserunt. Ergo functio Episcopalis est absque controversia Apostolicæ institutionis. Nos negamus Antecedens, & nullos præsides perpetuos, nedum Episcopos principes potestate ordi-

nationis & jurisdictionis directivæ, aut correctivæ Presbyteris superiores ab Apostolis constitutos fuisse, asserimus. Episcopos ab Apostolis ordinatos, probant partim ex traditione, partim ex Scripturis. Ex historiis & veterum monumentis producunt Euodium Antiochiæ, Linum Romæ, à Petro & Paulo ordinatos Episcopos, Marcum Alexandriæ, si non ordinatum, saltem designatum à Petro, Smyrnæ Polycarpum à Iohanne Apostolo ordinatum, Iacobum Iustum Hierosolymæ à Petro Iacobo & Iohanne, vel ut alii, ab Apostolis omnibus, ante dispersionem statim post passionem Domini constitutum Episcopum, & post Iacobum Iustum interfectum Simeonem Cleophæ filium ab Apostolis, discipulis, & consanguineis Domini, qui adhuc erant superstites, undique convenientibus electum, ut Iacobo in Episcopatu succederet. Veterum vetustissima monumenta, quibus probant eorum Episcopatus, sunt lacunæ illæ Clementis & Hegesippi non melioris scriptoris, Papiæ fabularum authoris ipsius Eusebii judicio de quibus supra diximus. Ignatius epistola ad Antiochenos dicit Euodium primum post Apostolos eius Ecclesiæ gubernacula sortitum esse. Sed isti pseudoignatio contradicit eiusdem Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter Chrysostomus & apertè profitetur primum omnium à Petro eidem sedi fuisse præfectum Ignatium. Idem asserit Theodoretus, & Foelix Papa in epistola ad Zenonem Imperatorem. Alii dicunt Euodio subrogatum Ignatium. Clemens in constitutionibus refert simul creatos Episcopos Euodium à Petro, Ignatium à Paulo. Præterea narrant Euodium constitutum Episcopum Antiochiæ anno 45 Christi. At post annum 45 nulla eius fit mentio, Act. 13. 1. 2. 3. ubi legimus Paulum & Barnabam segregatos ad opus ad quod ipsos vocaverat spiritus sanctus, etsi nominatim ibi recensentur præcipui Prophetæ & Doctores. Cum reversi sunt Antiochiam Paulus & Barnabas, congregarunt Ecclesiam & retulerunt, quanta per ipsos Deus effecisset Act. 14. 37. Non retulerunt Euodio Episcopo. Cum missi sunt quidam Hierosolymam Act. 15 2. Euodium aut quemvis alium Episcopum ab Antiochena Ecclesia missum non legimus. Sic Act. 15. 22. 23. 30. 31 32, nihil de Euodio aut Ignatio memoratur, licet oblata sic occasio. Romæ post Petrum quidam Linum, quidam Linum simul & Cletum, quidam Clementem primum Episcopatum suscepisse referunt. Quidam narrant Linum ante, alii post martyrium Petri & Pauli constitutum Episcopum. Bellarminus ait Petrum passione sua imminente Clementi sedem Episcopalem reliquisse, Petro autem mortuo Clementem in sede Apostolica sedere noluisse, donec vixerunt Linus & Cletus, qui ipsius Beati Petri adjutores fuerant in Episcopali officio. Quocirca primus à Petro Pontifex non Clemens sed Linus fuit. *Contumaciæ & rebellionis exemplum in primo Petri successore.* Quo

Chrysost. de de translat. S. Ig a ij. Theodor. de Immut. dial. 1.

Contr. 3 l 2 ca. 5. not. 12.

jure

Iure, qua fronte munus Apostolica authoritate sibi demandatum, detrectare potuit iste Clemens; nonne demens, si ipso Petro se sapientiorem existimaverit, inquit Tilenus. A Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium dicit Hieronymus ad Evagrium Presbyteros unum ex se electum in excelsiori gradu collocasse, & Episcopum nominasse. Voces *A Marco* intelligendas esse exclusive patet. Non enim ex se elegerunt aut ordinarunt Presbyteri Marcum, quem ipsi dicunt à Petro missum, vel ordinatum. At idem Hieronymus alibi Marcum Ecclesiæ Alexandrinæ primum Episcopum fuisse scribit. Verùm, sed impropriè, sicut ipsum Petrum Ecclesiæ Romanæ Episcopum primum fuisse dixere veteres, quem tamen Dounamus fatetur Apostolum, non Episcopum fuisse. Eusebius in Chronico non Marcum quem Evangelistam & Pauli interpretem vocat, sed Anianum in serie Episcoporum Alexandriæ primum collocat. *Primus post Marcum Apostolum & Evangelistam Anianus Alexandrinæ parœciæ administrationem sucepit vir pius & per omnia celebris.* Euangelistam & Apostolum, id est, Euangelistam propriè dictum vocat Marcum Eusebius. Et Euangelistæ opus peregisse testantur historiæ, quæ referunt ipsum Ægyptum Libyam & Pentapolim aliasque regiones peragrasse. Fabulæ igitur sunt, quæ de Petro ordinante vel Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum designante referuntur. *De Ecclesiæ Alexandrinæ primordijs, nihil ex Scriptura imò ne ex patribus quidem qui ante Synodum Nicæam floruerunt, quicquam certi demonstrari potest*, inquit Tilenus. Initium erroris, ut videtur, ex malè intellectis Petri verbis. *Salutat vos ea quæ est in Babylone Ecclesia vobiscum electa, & Marcus filius meus*, 1. Pet. 5. 13. Obiter observandum est Hieronymum dicere, à Marco Presbyterum à Presbyteris electum & in celsiori gradu collocatum Episcopum nominatum. Non igitur Apostolorum sæculo Episcopi Apostoli dicti sunt, ut somniavit Theodoretus. De testimonio Hieronymi, eiusque Prochronismo supra diximus. Addo Clementem Romanum in constitutionibus dicere, *Anianum Alexandriæ Episcopum, quem primum Marcus Euangelista ordinavit, huic successisse Abilium à Luca Evangelista ordinatum.* Non dicit Presbyteros in celsiori gradu collocasse quem nominarunt Episcopum. Pergit Clemens, *Aristonem primum Episcopum Smyrnæ, huius post mortem successorem fuisse Strateam Loidis filium, cui successit tertius Episcopus alter Ariston.* Suidas Bucolum primum, Polycarpum secundum Ecclesiæ Smyrnensis Episcopum dicit. Adde, quæ supra diximus de intervallo inter scriptam Apocalypsin & Polycarpi Martyrium. Vetustissima veteris monumenta nihil certi tradere possint de ijs quæ ab Apostolis gesta sunt, quia vel fabulosa sunt, vel supposititia, vel interpolata. Baronius id ipsum fatetur in Annalibus. *Cum Apostolorum nomine tam facta quam scripta reperiantur esse supposititia; nec si quid*

Proœm in Matth.

Hist. l. 2. c. 24.

De Pont. l. 1 c. 24. not. 1.

Constitut. l. 7 c. 48.

Ann. 44. n. 42.

de illis à veris sinceris que scriptoribus narratum sit, integrum & incorruptum omnino remanserit: in desperationem plane quandam animum dejiciunt posse unquam assequi, quod verum, certumque sit. Præterea non sat est Euodium, Polycarpum, Linum, veterum testimoniis ab Apostolis constitutos Episcopos probasse, nisi etiam singulari potestate ordinationis & jurisdictionis Presbyteris & collegis suis superiores fuisse etiam demonstraverint. Sed pergamus ad Iacobum minorem. Hieronymus, inquiunt, in Catalogo scriptorum, testatur Iacobum fuisse ordinatum Episcopum ab Apostolis. *Iacobus statim post passionem Domini ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatur.* Et Clemens Alexandrinus Hypotyposeôn sexto refert Petrum, Iacobum & Iohannem post assumptionem Salvatoris nostri Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum elegisse. Eusebius etiam ex Hegesippo refert sedem Episcopatus Iacobo fratri Domini ab

Hist. l. 2. c. 23 Apostolis delatam fuisse. Respondeo primùm testes illos recentiores esse, quàm ut de Apostolorum actis fidem mereantur. Catalogus ille scriptorum non est Hieronymi judice ipso Bellarmino in

P. 166. scriptoribus Ecclesiasticis. *Numerat enim Hilarium Pontificem, qui sancto Leoni successit, qui diu post mortem Hieronymi clarere cœpit.* Iu-

Contr. 5. l. 1. nius conjicit sic legendum, *Cuius Iohannes in libro suo meminit post*

c. 15. no. 18. *passionem Domini statim, ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus est.* Conjecturam non levem probat ex ipsius Hieronymi verbis Hegesippi verba referentis. *Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater Domini cognomento Iustus.* Sensus igitur est, quòd non statim à passione Domini, sed post Apostolos, id est postquam Apostoli Hierosolymis cesserunt in orbem terrarum profecturi ad prædicationem Euangelii, ut interpretatur ibidem Iunius. Apostolos Hierosolymis post passionem Christi plures annos substitisse liquet ex actis Apostolorum. De tempore non multùm laboramus, sed de re ipsa. Eusebius & Hieronymus Hegesippum Clemente Romano non meliorem scriptorem, ut dicit Scaliger, huius historiæ primum authorem citant. Tota Hegesippi narratio fabulosa est. Dicit enim Iacobum ex utero matris sanctum fuisse, vinum & siceram non bibisse, novaculam in caput eius non ascendisse, huic soli licitum fuisse in sancta ingredi, neque enim lanea

2077 veste, sed sindone utebatur, & alia multa quæ observavit in Animadversionibus suis Iosophus Scaliger. *Patres*, inquit Whitakerus,

Whitak. de *Cum Iacobum Episcopum vocant, aut etiam Petrum, non propriè sumunt*

Pontific. qu. *Episcopi nomen, sed vocant eos Episcopos illarum Ecclesiarum, in quibus*

2. c. 15. s. 2. *aliquandiu commorati sunt.* Ibidem, *Et si propriè de Episcopo loquatur,* inquit, *absurdum est Apostolos fuisse Episcopos. Nam qui propriè Episcopus est, is Apostolus non potest esse, quia Episcopus est unius tantùm Ecclesiæ. At Apostoli plurium Ecclesiarum fundatores & inspectores erant.* Item, *Sed illi certè omnino insaniunt. Hoc enim non multum*

dista-

distat ab insania dicere Petrum fuisse propriè Episcopum, aut reliquos Apostolos. Summam enim ministerij authoritatem habuerunt: munus Episcopi nihil est ad munus Apostolicum. Item, *Apostoli omnibus Episcopis maiores fuerunt. Non potest utrumque munus in unam & eandem personam cadere. Episcopus enim unum tantum gregem habet, quem pascat ut suum. At Apostoli nullam certam habuerunt provinciam, neque ullas certas Ecclesias, quibus alligati sunt. Non enim cuiquam Apostolorum commisit* Christus *certam aliquam Ecclesiam, quod certè fecisset, si fuissent Episcopi, sed omnibus dixit, Ite in universum mundum: & illi memores suæ legationis, ita fecerunt. Fieri quidem potuit, ut diuturniorem fecerint moram in uno loco, quàm in alio. At non ut Episcopi, quia tum desiissent esse Apostoli, quales à Christo facti sunt. Qui scirent sibi spiritus sancti ductum semper sequendum esse, quoque eos ipse vocaret, eò continuò proficiscendum, si sedes suas certis quibusdam locis affixas habuissent. Petrum unius loci aut vobis Episcopum facere est,* inquit Tilenus, *Apostolicam dignitatem ei detrahere.* Quod de Petro affirmatur, de cæteris Apostolis affirmari potest. Iunius æquivocationem in voce Episcopi sic expedit. *Episcopus absolutè aut relatè dicitur, vel (ut melius dicamus) communiter & singulariter. Absolutè communiterue dicimus Episcopum, qui dono & vocatione Dei instructus est, & habet τὸ ἀξίωμα τῆς ἱερωσύνης citra contemplationem particularis loci: relatè verò singulariterve Episcopum qui loco & Ecclesiæ destinatus certæ. Omnes autem Apostoli communiter fuerunt Episcopi, ex quo vocati sunt: postea vero ordinis & commoditatis Ecclesiarum causa tractus quidam, & quasi sortes regionatim quadam conventione inter ipsos fuerunt distributæ.* Dounamus dicit Iacobum differre à Petro, & aliis Apostolis in eo, quòd Petrus & alii peragrarunt varias regiones, & quamvis cum provecti ætate essent commorari cœperunt in una aliqua civitate, in qua operam suam navarunt atque ideò a veteribus habiti sunt illius loci Episcopi, licet fortè quidam eorum non erant propriè Episcopi & Patriarchalem potius potestatem in locis illis, ubi fundarunt & constituerunt Ecclesias, exercuisse arbitratur, ut Iohannem Ephesi, & alibi alios: at Iacobum ab initio ante dispersionem assignatam Ecclesiam Hierosolymitanam, nec ab una regione in aliam profectum. Sed mora vel trium vel 30 annorum in una civitate non imminuit Apostolatū. Semper mansisset Apostolus, licet 100 annos mansisset Hierosolymis. *Poterant Apostoli facere, imo faciebant ut Apostoli,* inquit Whitakerus, *quæcunque Episcopi facere possunt, aut debent, & aliquid amplius.* Præterea non mora, sed obligatio ad morandum perpetuò in uno loco facit Episcopum. At Apostolos oportebat sequi ductum spiritus sancti, & obligari non poterant ad commorandum semper in uno loco. *Neque enim Apostolus ullus uni civitati tanquam glebæ ascriptus fuit, quod gregarij est Episcopi, non Apostoli,* inquit Tilenus.

Quest 3. cap. 3. sect. 9.

De pontif. l. 2. c. 4. not. 6.

Contro. 3. l. 1. c. 23. not. 3

Defens. l. 4. cap. 3. s. 7.

De Pontif. 1 q est 6. cap. 15. sect. 2.

De Pontif. l. 1. cap 25. not. 7.

Denique Iacobus non unius Ecclesiæ Hierosolymitanæ curam suscepit, sed omnium in Iudæa. Nam plures erant Ecclesiæ Iudææ ut liquet ex Galat. 1. 22 *Eram ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ erant in* Defens. l. 4. p. 56. *Christo*: Et 1. Thess. 2. 14 *Vos enim fratres imitatores estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa.* Dounamus ipse dicit Iacobo Iudæam assignatam. Non ergo unius Ecclesiæ Episcopus erat Iacobus, sed plurium, id est, Apostolatu suo functus est in pluribus Ecclesiis Iudææ. Episcopus propriè dictus unius Ecclesiæ Episcopus est. Inauditum est in Ecclesia Episcopum dici plurium Ecclesiarum Episcopum. Episcopus & grex non Episcopus & greges sunt relata. Iacobus Galat. 1. 19. dicitur Apostolus. *Alium autem ex Apostolis non vidi quenquam, nisi Iacobum fratrem Domini.* Et cap. 2. 9 Iacobus Cephas & Iohannes dextras societatis dederunt Paulo & Barnabæ, ut hi apud Gentes, illi apud incircumcisos Apostolatu fungerentur. Qualis igitur Petrus & Iohannes, talis Iacobus frater Domini, nempe Apostolus circumcisionis, non unius Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus. Iudæi ita distinguebantur; Hebræi Palæstinæ, dispersio Babylonis, Dispersio Hellenistarum. Hellenistarum principes erant Iudæi Alexandrini. Hellenistæ dicti quia Biblia Græca in Synagogis legebant. Babylonenses erant caput dispersionis Asiaticæ. Hebræorum Palæstinorum, Hierosolyma. Vide Scaligerum in libro tertio Canonum Isagogicorum, & quæ supra citavimus ex eius Notis in novum Testamentum. Videtur igitur, quòd Petrus, ut Apostolus circumcisionis, præcipue Ecclesias dispersionis Asiaticæ post dispersionem Apostolorum, Iacobus vero Hebræorum Palæstinorum Ecclesias curabat. Hac Iudæorum distinctione à Scaligero sumpta Tilenus eandem superstruit divisio- De Pontif. l. 1. c. 8. not. 25 nem provinciarum & regionum. *Reliquis Apostolis in Provincias discedentibus æquum fuit, unum ex illo collegio Hierosolymis manere, Iudæorum saluti invigilaturum: sic igitur Iacobus Spartam suam inter Iudæos* Ἑβραΐζοντας, *Hierosolymis ornavit, suam Marcus inter Hellenistas Alexandriæ, sicuti Petrus in Orientali* διασπορᾶ, *Babylone. Sed horum Episcopatus, quemadmodum fuit immediatæ vocationis, & singularium charismatum fulgore coruscavit: ita nihil est causæ, cur eorum* πρωτεῖα *ad subsequutos Episcopos ab hominibus vocatos pertinere existimentur.* Si Apostoli ordinarunt Iacobum Episcopum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, an contulerunt in illum novam potestatem, quam antea non habebat quatenus Apostolus? Respondet Dounamus habuisse prius potestatem ordinis, sicut habent Episcopi qui sunt sine titulo: sed potestatem iurisdictionis tunc accepisse, cum designatus erat Episcopus Hierosolymitanus, & assignata esset ei particulariter Ecclesia Iudææ, diceret, assignatæ essent Ecclesiæ Iudææ. Reliqui igitur Apostoli habebant,

bebant. Dounami sententia, potestatem tantum ordinis, non autem jurisdictionis. Nam non erant ordinati Episcopi particularium Ecclesiarum, ut ipse fatetur. At potestas jurisdictionis collata est Apostolis omnibus in generali illa legatione. *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos* Matt. 28. 18. Et Matt. 18. 18. *quæcunque ligaveritis in terra, &c.* Et Iohan. 20. 23. postquam afflavit eos, dixit, *Accipite spiritum sanctum. Si quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* His locis videmus Iacobum, & omnes Apostolos accepisse potestatem jurisdictionis, & ordinis. Paulus nullibi constitutus Episcopus alicuius particularis Ecclesiæ, ubivis tamen potestatem habebat jurisdictionis. Si Apostoli reliqui non habebant potestatem jurisdictionis, quomodo possunt Episcopi succedere Apostolis in regimine externo Ecclesiæ, siquidem regiminis externi pars quam ut præcipuam & maximè propriam sibi vendicant Episcopi, est potestas jurisdictionis. Glossator in Distinct. 66. c. Porro, de consecratione Iacobi in hunc modum disserit. *An non omnes Apostoli Episcopi? Ad hoc dicunt quidam, quod omnes Apostoli erant simplices sacerdotes, & tamen consecrare poterant. Nam Moses simplex sacerdos erat, & tamen consecravit Aaron, ut 21 dist. nec tunc erat differentia inter Episcopum & sacerdotem, ut 95 dist. Olim. Vel dic, quòd tantùm visibili unctione hi tres consecraverunt eum, sed prius erat invisibiliter unctus à Domino. Vel dic, quòd non ordinaverunt eum, sed tantùm formam ordinandi aliis ostenderunt. Vel dic, quòd non Episcopum, sed Archiepiscopum eum ordinaverunt. Vel dic, quòd ordinaverunt id est inthronizaverunt eum ad administrationem certi loci: prius enim erat Episcopus sine titulo.* Vides in quas & quot angustias coguntur, qui Iacobum propriè dictum Episcopum volunt: & unde sumpsit Dounamus absurdam illam distinctionem, nempe Apostolum prius Episcopum sine titulo. Si daretur manus impositas fuisse Iacobo, non sequetur tamen Episcopum fuisse, magis quàm Paulum & Barnabam fuisse ordinatos Episcopos Act. 13. ut vult Bellarminus. Ex dicta Iunii distinctione respondet Bellarmino Tilenus. *Ordinatio ad Episcopatum Apostolicum bifariam consideratur; absolutè vel relatè: priori sensu omnes Apostoli ordinati sunt Episcopi immediatè à Deo ad obeundum universum orbem terrarum, ad prædicandum omnibus gentibus: posteriore spectatur cum σχέσει & relatione ad provincias quas ad commoditatem functionis, inter se sortiti ac partiti sunt Apostoli. Hoc pacto Paulus Apostolico illo suo Episcopatu absolutè consecrato jam diu functus, certos fines intra quos versaretur, sibi attributos accepit: quæ assignatio impropriè appellatur ordinatio. Sic enim non ad officium; sed ad locum, in quo obiret officium, ordinatus fuit.* Non igitur propriè ordinatus fuit Iacobus Episcopus sed assignata illi, sicut & cæteris Apostolis sua provincia, in qua Apostolatu fungeretur. Nam unius Ecclesiæ Hierosolymitanæ curam suscepisse, si

De pontif. l. 1. c. 23.

non

non audent asserere. Fatetur Dounamus, totius Iudææ, ergo Ecclesiarum Iudææ. Et quandoquidem Hierosolyma erat Metropolis omnium Hæbreorum Palæstinorum, omnium Ecclesiarum Palæstinæ curam suscepisse consentaneum est. Erat enim Apostolus circumcisionis sicut Petrus. Non Ecclesiæ particularis causa mansit, si verum quod manserit, Hierosolymis, sed omnium Iudæorum undique Hierosolymam confluentium durante politia Mosaica, & Levitico templi cultu. *Vides frater quot sunt millia Iudæorum qui crediderunt*. Act. 21. 36. Sed quod de assignatione dicitur cautè accipiendum est, ne ductum spiritus sancti tollamus, quem Apostolos sequi oportebat. *Apostolus nullus, multo minus Petrus, ulli unquam se loco certo fixè alligavit, aut usque ad mortem alligare debuit*, inquit Spalatensis. Quod mortuus sit Romæ, dicit esse merum accidens, & si martyrio ibi non coronatus fuisset, aut vinculis & carcere impeditus, alio profectus esset vel proficisci potuit. Mors nihil tribuit illi sedi, inquit, ut fatetur Bellarminus, ut dicatur propria sedes Petri. De inthronisatione quod dicitur fabulosum est. Thronorum Episcopalium & Archiepiscopalium fastuosa vocabula nondum nata, nec nota Ecclesiis. Eusebius ergo cum Iacobum Episcopum nominat & thronum ei tribuit, secundum morem sui sæculi loquitur; Non erant sollicuti Apostoli de thronis & inthronisationibus, ut fingit glossator. De Simeone filio Cleophæ refert Eusebius post vastatam Hierosolymam Apostolos & Discipulos Domini qui adhuc supererant in unum undique unà cum cognatis Domini secundum carnem esse congregatos, & una eademque sententia judicasse dignum, qui succederet Iacobo in sede parœciæ Hierosolymitanæ. Rumor est, inquit, Eusebius. An ex rumoribus successionum Episcoporum tabulas conficere debuit. Quandoquidem de eius Episcopatu in sacris tabulis ne γρῦ quidem legimus, rumores mittamus, ne bonas horas malè collocemus in istiusmodi nugamentis confutandis. Num fuerit Euangelista necne, non moveor, cum de re ipsa ut dubitem, tam multa sunt quæ moveant. Si Iacobus statim à passione Domini ordinatus Episcopus 30 annos præfuit, & Simeon non successerit ante eversionem Hierosolymorum, vacabat sedes annos decem. Tantine erat, Episcopum Hierosolymitanum eligere, ut oporteret & Apostolos undique ex remotissimis regionibus convenire Hierosolymis? Viventibus Apostolis alium quam Apostolum in Apostoli locum subrogarent? Carni & sanguini scilicet detulerunt in donandis Episcopatibus, & Domini consilium obliquè carpserunt, qui Simeonem Apostolum non elegerat. Atque hæc de Episcopis quos ex veterum monumentis probant ab Apostolis constitutos, pergamus ad Timotheum & Titum, quos ex sacra scriptura Episcopos ab Apostlis ordinatos esse contendunt.

L. 4. c. 6. n. 5.

Ibid. n. 17.

L. 2. c. 1.

L. 3. c. 11.

Timothei

Timothei & Titi Episcopatum, ut didicit à Saravia, sic probat ex scripturis Tilenus. *Perspexi Sosthenem, Silvanum, Timotheum, Titum, Tychicum, Crescentem, Lucam, Iohannem Marcum, & si qui præterea tales; à Paulo ad Ecclesiæ ministerium proximè vocatos, ac tum gregibus, tum pluribus gregum pastoribus præpositos eumpse, quem ex germana illa antiquitate retinuerunt Angli, Episcopatum gessisse, acceptamque à Paulo potestatem non tantùm ad tempus usurpasse, sed ad posteros quoque transmisisse, adeò ut quàm necessarium est Ecclesiæ verbi & Sacramentorum ministerium tam sit in hoc ministerio perpetuum jus illud, ac potestas instituendi Ministros, non minùs gradibus quàm dotibus inter se diversos: ita ut gradu superiores, pluribusque Ecclesijs præfecti judicent de inferioribus, unum duntaxat gregem pascentibus; institutasque contra hos accusationes, vel admittant vel repellant; legitimè convictos palam arguant; nemini citò manus imponant; nihil partium studio aut κατὰ πρόσκλισιν, omnia χωρὶς προκρίματος sanctè ac religiosè administrent, 1. Timoth. 5.19.20.21.22. Temporarias in Ecclesia has functiones esse qui statuit, ipsam Ecclesiam temporum vicibus tandem evertendam, ac pessundandam putat.* Idem capite quinto paræneseos; *Proinde si à Lystricæ Ecclesiæ Presbyteris ordinatus fuit Timotheus, uti autumat Beza; & pluribus Asiæ Ecclesijs Præpositus fuit, quibus singulis singulos dedit pastores, quemadmodum Titus Cretensibus, uti præceperat Paulus; dubitamus ne adhuc, pastorem unum idoneis dotibus instructum, pluribus non modo gregibus, sed etiam pastoribus legitimè præponi? Pergemusne sponte cæcutire in pervidenda illa hypotyposi Ecclesiasticæ gubernationis, prout eam ipse Paulus penicillo suo nobis delineavit, exemploque expressit? Num extraordinarij nobis erunt, ac temporarij Canones illi in Epistolis ad Timotheum & Titum perscriptis? Cur igitur nostrorum Patrum ordinationes ad hanc normam exigimus?* Sed fortiùs premit argumentum Dounamus. *Ex epistolis Pauli ad Timotheum & Titum apparet,* inquit, *eum ordinasse Timotheum Ephesi Episcopum, & Titum Cretæ quum ipsæ epistolæ sint functionis Episcopalis vera exemplaria & πρότυπα. Quemadmodum enim Apostolus Episcopalem auctoritatem respectu tum ordinationis, tum jurisdictionis ipsis commiserat, quod in epistolis præsupponitur, sic his epistolis eos instruit, atque in ijs omnes episcopos, qua ratione functionem suam exercerent: primo respectu ordinationis (ut Tit. 1.5. Reliqui te in Creta, ut constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi mandavi, 1. Tim. 5.22. Manus citò ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis. Atque in hunc finem describit, quales Presbyteri, & Diaconi, quos ordinarent esse deberent 1. Timoth. 3.2. & 8. Tit. 1.6.7.8.9.) Secundò respectu jurisdictionis non solum in plebem, sed etiam in Presbyteros; injungens ipsis, ut simul duces censoresque doctrinæ ipsorum essent (ut 1. Timoth. 1. precatus sum te, ut permaneres Ephesi ut denuncies quibusdam, ne diversam*

Parænes. c. 4.

In concione.

sam doctrinam doceant, nec attendant fabulis &c. 2. *Timoth.* 2. *profanos de rebus inanibus clamores cohibe Tit.* 1. *Multi sunt deceptores* οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, *quibus oportet os obthurare, qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, quam ob causam eos redarguito præcise, ut sani sint in fide: Et Tit.* 3. *stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, ac pugnas legales cohibe*) *simulque judices & personarum & conversationis eorum, ut* 1. *Tim.* 5. *Adversus Presbyterum accusationem ne recipito, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos qui peccant coram omnibus argue, ut & reliqui metuant. Obtestor in conspectu Dei & Domini Iesu Christi, & electorum Angelorum, ut hæc observes sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem inclinando. Tit.* 3. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem repelle.* Tria sunt hîc nobis discutienda. 1 An omnia, quæ hîc enumerantur, præcepta potestatem judicis, ceu jurisdictionis necessariò innuant. 2 An solis Timotheo & Tito mandata est exequutio. 3 utrum ut Euangelistis an ut Episcopis. Quòd ad primum attinet. Imponere manus, & constituere Presbyteros, ad potestatem ordinationis spectare non dubium est. Denunciare quibusdam, ne diversam doctrinam doceant, tam extra consistorium quàm in Consistorio peragi potest, sicut denunciare iis, qui divites sunt in hoc sæculo, ne efferantur animo, 1. Timoth. 6. 17. Præterea, ut observavit Theod. Beza τὸ παραγγέλλειν *propriè de eo mandatorum genere dicitur, quod per manus traditur & accipitur, ut auctor quidem ipse mandati dicitur* διαγγέλλειν, *id est, per alium significare, qui vero nomine alterius aliquid denunciat, quasi per manum acceptum*, παραγγέλλειν, adeò ut hæc denunciatio non tam ipsius Timothei, quam mittentis Apostoli sit. Vel, *ut denuntiares*, id est, *ex parte Dei nuntius esses*, ut interpretatur Anselmus Cantuariensis in hunc locum. Et quid aliud est denunciare, ne diversam doctrinam doceant, quàm illud, quod idem Paulus mandat Timotheo. 2. Timoth. 2. 14. *Hæc suggere, obtestans in conspectu Domini, ne de verbis pugnent, quod nullam adfert utilitatem*, obtestans, id est, Domino etiam ut teste, aut potius judice advocato. Profanos de rebus inanibus clamores cohibere, ad verbum *circumsistere*, nihil aliud est, quam observare & obsidere, ne in Ecclesiam irrepant, ut Beza interpretatur. Et quid illud est nisi vigilare, quod omnibus Presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ mandat Apostolus Act. 20. 28. 29. Si verò græcam vocem reddideris *Devita*, adhuc minus significabit. Obthurare ora deceptoribus Tit. 1. 11. nihil aliud est, quàm redarguere, & *ratione scripturarum superare, & silentium illis imponere pondere testimoniorum*, inquit Anselmus. Dixerat enim priùs ver. 9. à pastore requiri, ut possit contradicentes convincere. Atqui hoc præstare potest quivis pastor, etiam extra consistorium. Et ver. 13.

Annot. in 1. *Thess.* 4. 2.

ver. 13. idem mandatum aliis verbis repetens, dicit, *quam ob causam redarguito eos præcisè, ut sani sint in fide*, redarguito præcisè, id est, expressè ac sine ullis ambagibus, ut nulla pateant ad effugiendum diverticula. Eos qui peccant coram omnibus arguere, palam pro concione fieri potest. Adversus Presbyterum accusationem non admittere nisi sub duobus aut tribus testibus; & hæreticum post unam aut alteram admonitionem rejicere judicialem processum innuere quidé videntur. Sed concedatur Consistorialia esse omnia quæ ad jurisdictioné spectare dixit Dounamus, tamen in Timothei & Titi solius potestate fuisse non sequitur. *Falluntur, qui putant vel Timotheum Ephesi, vel Titum in Creta regnum exercuisse, ut suo uterque arbitrio omnia disponeret. Præfuerunt tantum, ut bonis & salutaribus consilijs populo præirent in constituendis ministris, non ut soli exclusis alijs omnibus alijs agerent, quod placeret*, inquit Calvinus. Quod Apostoli ipsi non fecerunt, Timotheum & Titum fecisse non est verisimile. Apostoli soli non excommunicarunt, ubi erat Ecclesia constituta. Paulus sibi soli excommunicationem incestuosi non vendicat, solus non imponit manus Timotheo, sed unà cum Presbyterio. Et cum Paulus mandat Timotheo, ne cui citò manus imponat, monet, ut seipsum purum servet, & ne alienis peccatis communicet. *Videri potest*, inquit Piscator, *contineri his verbis alteram præcepti partem, qua prohibet Apostolus Timotheo, ne consentiat alijs Presbyteris eligentibus aliquem ad ministerium Ecclesiæ qui non sit dignus.* An mandatum de viduis sustentandis ad solum Timotheum restringendum est, quia Apostolus, dicit Honora viduas. Ipsi Apostoli Act. 6. sibi solis hanc potestatem non arrogarunt. *Accusationem admittere est crimen ad Ecclesiam deferre, reum in judicium adducere, palam reprehendere*, inquit Whitakerus, *quod non modo superiores possunt sed æquales etiam ac inferiores. In romana republica Equites, non de populo tantum sed etiam Senatoribus & Patritijs judicabant Et certè non videtur Timotheus tale consistorium aut forum habuisse, quale post Episcopis in Ecclesia constitutum fuit.* Item, *qualis hæc authoritas fuerit, ex eo quod sequitur, intelligi potest. Eos qui peccant coram omnibus* ἔλεγχε, *quod æquales quoque possunt.* Eliensis in Tortura Torti fatetur jurisdictionem fori exterioris institui Mat. 18. his verbis *Dic Ecclesiæ, &c.* At dicere uni præsuli, non est dicere Ecclesiæ. Quæ igitur scripta sunt Timotheo & Tito non ideo scripta sunt, ut soli exercerent jurisdictionem fori exterioris sed ut salvo jure Ecclesiarum suas partes agant. Quæ hîc mandantur Timotheo & Tito Presbyteris alibi etiã mandata esse postea ostendemus. Dices, cur ergo ad Timotheum & Titum inscribuntur epistolæ. Dixi supra ex epistolarum inscriptionibus non rectè colligi posse singularem eorũ potestatem, quibus inscribuntur. Sat est si sint præsides ac moderatores actionum Ecclesiasticarũ ad quos diriguntur epistolæ,

Institut. l. 4. c. 3. sect. 15.

Contr. 4 qu. 1. c. 2. s. 16.

Inst. l. 4. c. 3. §. 15. quod ipsi nominatim compellentur. *Nempe sic Romani Historici non raro loquuntur*, inquit Calvinus, *Consulem, qui comitia habuerit creasse novos Magistratus, non aliam ob causam, nisi quia suffragia receperit, & populum moderatus sit in eligendo. Non est certè credibile Paulum plus concessisse Timotheo, & Tito, quàm sibi ipse sumpserit. Videmus autem ipsum ex populi suffragijs Episcopos creare solitum. Sic ergo intelligendi sunt superiores loci, ne quid de communi Ecclesiæ jure, & libertate imminuant.* Timotheum & Titum prostasiam retinuisse quandiu ibi substiterunt, non negamus. Sunt Præterea in Timotheo & Tito consideranda præter vulgarem ordinis prostasiam quædam peculiaria. Primum gradus eminentioris functio. Præsides vulgares sunt eiusdem cum collegis functionis: Timotheus & Titus superioris & altioris. Deinde erant Apostolorum cooperarii ab Apostolis ad Ecclesias illas missi cum mandatis Apostolicis, quæ curarent perfici ab Ecclesiis eodem ordine, quo ipse, eadem si adesset, perfecisset. Non abs re est quod Apostolus 2. Timoth. 4. 22. scripserit, *Gratia sit vobiscum*, & Tit. 3. 15. *Gratia Dei sit cum omnibus vobis*. Tertio noverant omnes Eccclesiæ in Asia & Creta constitutæ. Alia est ratio Ecclesiarum constituendarum, alia constitutarum. Non mirum si oppidatim constitueret Presbyteros Titus solus, ubi nulli erant Presbyteri, aut Timotheus in Asia. Nam non Ephesiorum solum, sed Asianorum etiam Episcopum referunt Timotheum. Sed in Ecclesiis constitutis non ipsos quidem Apostolos ordinariam jurisdictionem solos exercuisse postea videbimus.

Quod ad tertium attinet, Adversarii Timotheum & Titum Episcopos, nostri Euangelistas fuisse asserunt, & proinde non ad ordinaria munera trahendum esse, quicquid Timotheo & Tito licitum aut mandatum fuit. Euangelistas fuisse testantur ipsorum peregrinationes & per varias regiones cum Paulo & extra Pauli comitatum peragrationes. Respondent, verum Euangelistas fuisse, & varias regiones peragrasse, tandem tamen certis Ecclesiis assignatos & potestate Episcopali instructos. Nam Paulus voluit Timothenm προσμένειν, id est, perpetuo morari, aut continenter manere Ephesi: & Titum reliquit Cretæ, non ut res corrigeret ad momentum, sed ut amissa restauraret & semper custodiret Ecclesiam illam quasi reparandam, ut ostendit vis verbi ἐπιδιορθώσαι, 1. Timoth. 1. 3. Tit. 1. 5. At contra verbum προσμένειν non ex se significat perpetuam commorationem, sed quandoque tridui moram, ut Matth 15 32. *Iam triduum permanent apud me, & non habent quo vescantur*, & Marci 8. 2. quandoque indefinitum tempus, & breve non perpetuum ut Act. 18. 18. *Paulus verò cum adhuc permansisset multos dies*, nempe Corinthi. Προσμένειν significat etiam expectare

expectare alicuius adventum, quod cum verbis Apostoli 1. Tim. 4. 13. *Donec venero attende lectioni* bellè congruit: Et sic Augustinus reddidit *Rogavi te ut sustineres me Ephesi.* Paulus commoratus est ἐκάθισε Corinthi annum & menses sex Act. 18. 11. quod verbum, inquit Theodorus Beza, veteres Episcopi suum fecerunt, non tamen inde colligendum Paulum fuisse Episcopum Corinthi. Cum dicit, *Donec venero attende lectioni*, 1. Timoth. 4. 13. innuit se non proposuisse, ut ibi perpetuo maneret, tanquam Episcopus illius Ecclesiæ. Si constitutus fuisset Episcopus, non dixisset Apostolus, *Rogavi te, ut permaneres Ephesi vel expectares me Ephesi.* Nā si fuit Episcopus Ephesinus quare rogandus erat, ut Ephesi subsisteret? Annon officii & muneris Episcopalis ratio hoc poscebat, ut sibiipsi & gregi attenderet, super quem eum constituit spiritus sanctus. Deinde comparatè, non absolute capiendum est verbum, *permanere.* Nam Timothei commoratio Ephesi opponitur itineri Pauli; Nolebat Timotheum comitem, quià tunc temporis, oportebat ipsum ipsius vices supplere in Ecclesia Ephesina. Ideò Anselmus sic interpretatur verba. *Vt remaneres Ephesi, id est, ut vice mea præsens ageres & ordinares Ecclesiam Ephesi, quam ego absens non poteram sufficienter gubernare.* Sed quòd, *Remanere* vertit, ut editio vulgata; græcæ voci non respondet. In itinere potius Macedoniam profissiscens rogavit Timotheum, ut Ephesi subsisteret. Vnde aliud suppeditatur argumentum. Nam qui ordinati erant pastores, Ecclesiis præsentibus & annuentibus constituti sunt, Apostolorum temporibus. Denique ipsius Timothei peregrinationes post scriptam priorem Epistolam evincunt non prius fuisse constitutum Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ. Scripta enim prior epistola, cum adhuc juvenis esset Timotheus, ut liquet ex his verbis. *Nemo tuam juventutem contemnat*, 1. Timoth. 4. 12. id est ita te gerito, ut nemini oblata sit occasio despiciendi juventutem tuam. Parum refert, utrum profectione Pauli suscepta ex Asia in Macedoniam Act. 19. an illâ susceptâ ex Græcia, ut Iudeorum insidias vitaret, rogatus sit, ut ad tempus subsisteret Ephesi. Nam ante Pauli vincula & captivitatem scriptam esse epistolam priorem patet ex epistola posteriore quam constat captivum Romæ scripsisse Paulum, & quidem initio biennii illius, cuius meminit Lucas Act. 28. 30 quod sic docet Baronius. Non multò post adventum suum Romam, nimirum statim post primam suam coram Nerone defensionem scripsit, & de iis quæ proximè ei accidissent, deque diverso suorum statu, & quinam eum deseruissent, certiorem reddidit. Cum verò præter hæc, multa quæ ab eodem Timotheo præstari cuperet, eum admonuisset, multaque de his quæ obventura essent, mala prænuntiasset, demum, quod vehementer optabat, rogavit semel atque iterum, ut Romam venire festinaret ante hiemem, ac secum afferret penulam, quam anno su-

L. 2. cont. Parm.

An. 59.

periore ipse Paulus reliquerat Troade, necnon libros maxime autem membranas. Sic in Epitomen redegit verba Baronii Spondanus. Pedibus iter fecerat Paulus Troade Assum usque Act. 20. 13 ideo fortè reliquit penulam, libros, & membranas, cum proficisceretur in Syriam. Meminit etiam Paulus Alexandri fabri ærarii, 2. Timoth. 4. 14. qui ut videtur Act. 19 Demetrium argentarium in concitando tumultu adversus Paulum adjuverat. Trophimum, inquit, 2. Timoth. 4. 20. reliqui infirmum Mileti nempe cum præterveheretur littus Asiæ Act. 27. Nam Trophimus ascenderat Hierosolymam cum Paulo, Act. 21. 19. Cum igitur memoret Apostolus quæ recentiora erant, non est verisimile post plurium annorum curriculum scripsisse epistolam posteriorem. Præterea mandat Timotheo, ut Marcum secum adducat, 2. Tim. 4. *Est enim*, inquit, *perutilis mihi ad ministerium.* Ex Epistola ad Philemonem Roma etiam missa, adduxisse Marcũ, liquet Philen. 24. Vnde satis evidenter constat Epistolam secundam ad Timotheum scriptam esse ante illas ad Philemonem Philippenses & Colossenses, quas omnes certum est missas esse post Timothei adventum, quandoquidem in illis singulis una cum Paulo in titulo inscribitur Timotheus, inquit Baronius. Quidam arbitrantur omnium novissimam secundam ad Timotheum, quod Paulus dicat, 2. Timoth. 4 6. *Nam ego jam libor & tempus præstitutum meæ dimissionis instat*, quasi spiritu Prophetico prævideret appropinquans suum martyrium. Sed non cohæret hæc interpretatio de instanti martyrio cum versu 17. *Dominus mihi adfuit & corroboravit me, & ereptus fui ex ore leonis & eripiet me Deus ab omni opere malo*, &c. Cur jubet adducere Marcum quia utilis illi ad ministerium, & afferre libros & membranas, si instaret Martyrium. In posterioribus vinculis referunt Paulum detrusum fuisse in carcerem ibique novem menses ad mortem usque asservatum. Non igitur potuit commodè scribere aut mittere epistolas, sicut priùs cum biennium mansit in proprio conducto. Frustra etiam ad Timotheum scripsisset ut Romam veniret, penulam, libros & membranas secum afferret & Marcum adduceret, quia perutilis illi ad ministerium; nec diceret se ereptum ex ore Leonis. Et certe verisimile non est Neronem tam humanum Paulo fuisse in posterioribus, ut in prioribus vinculis. Si ergo Timotheus erat Episcopus Ephesinus, ut volunt, cum Paulus scriberet epistolam posteriorem, cur avocat à grege, cur etiam post eius adventum Romam missurum se dicit ad Philippenses, simulatque viderit rerum suarum statum Philip. 2. 19. & interim mittit Epaphroditum. Legimus etiam alicubi vinctũ Timotheum & vinculis solutum ad hebræos mittendũ, Heb. 13. 23. Constat igitur Timotheum Ephesi non constitutum Episcopum, nec verbum προσμένειν fixam & perpetuam commorationem aut residentiam significare &

Baronius ann. 68.

Timo-

Timotheum ut priùs, postquam ad tempus [illegible] Ephesi, varias regiones peragrasse. Multò minùs ex voce ἐπιδιορθῶν Titi residentiam Episcopalem colligere possunt. Nihil enim aliud vult Apostolus quàm ut Titus perficiat ædificium, quod ipse inchoaverat, ut τὰ λείποντα ea quæ desunt, aut reliqua sunt, corrigat & suppleat. Quid autem deerat, indicat, cum dicit, *ut constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi ordinavi, Tit.* 1.5. Non ut conservaret Ecclesias sartas tectas, & prospiceret in futuros eventus & casus omnes de novo in posterum emergentes dereliquit illum in Creta, sed ut ad fastigium perduceret & attolleret ædificium cuius fundamenta jecerat Apostolus. *Reliquit discipulum*, inquit Anselmus Cantuar. *ut rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret, & si quid videretur deesse corigeret.* Ibidem, *omne quod corrigitur imperfectum est. Vt ea, inquit, quæ desunt corrigas id est, ut ea quæ à me correcta sunt, & necdum ad plenam veri lineam sunt redacta, à te corrigantur, & norman æqualitatis recipiant.* Titi etiam peregrinationes ostendunt Euangelistam non Episcopum fuisse. Ascendit Hierosolymam unà cum Paulo & Barnaba Galat. 2.1. Corintho venit in Macedoniam 2. Cor. 7.5. Ad Corinthios iterum ablegatus 2. Corinth. 8.6.23. relictus à Paulo in Creta Tit. 1.5. & ad tempus tantùm, nam mandat ut Titus veniat Nicopolin Tit. 3. Profectus est Roma in Dalmatiam 2. Timoth. 4.10. cum Paulus erat Romæ in vinculis. Scripta est autem epistola ad Titum ante vincula Pauli. Cum peragrasset Macedoniam Apostolus venit in Græciam Act. 20. Verùm non pedestri itinere ut conjicit Baronius: sed per Ægeum mare Cycladas adnavigans prius pervenit Cretam ubi reliquit Titum & anno sequenti scripsit epistolam in qua mandat ut ad se veniat Nicopolin. Sed largiamur & istud, Timotheum & Titum permansisse hunc in Creta, illum Ephesi, non sequetur tamen fuisse ordinarios Pastores & Episcopos, nisi probaverint ita affixos sedibus suis ratione officii & muneris ordinarii, & Euangelistam ad Pastoris ordinarii gradum inferiorem deiici posse. Apostolum Iacobum non obstante fixa statione Hierosolymitana Apostolatum retinuisse supra diximus. Idem de Timotheo & Tito Euangelistis dicimus. Imo disertè jubet Apostolus, cum scriberet è vinculis, Timotheum peragere opus Euangelistæ sive Ephesi, sive alibi fuerat, 2. Timoth. 4.5, Et qui hanc epistolam scriptam volunt à Paulo in posterioribus vinculis magis firmant argumentum nostrum, nempe quod etiam assignati certis Ecclesiis, non tamen Episcopi creati, sed Euangelistarum munere functi sunt in regionibus ceu provinciis sibi assignatis. Videamus, ut istud argumentum eludit Tilenus. *Cæterum quod mihi à Genevensibus Magistris persuaso visum, id vobis quoque in eodem ludo edoctis videri, non miror. Hariolati sunt illi Timotheum & Titum,*

In Epist. ad Titum ca. 1.

An. 57.

Titum, & reliquos illos Pauli συνεργὺς *Euangelistas fuisse. Ruenti hariolationi adhibetur fultura ex loco 2. Timoth. 4. 5. ubi Timotheus peragere jubetur opus Euangelistæ. Poterat non absimili suffragatione etiam in Apostolorum collegium cooptari Timotheus ex loco 1. Cor. 16. 10. Ubi ille dicitur opus Domini operari, sicut Paulus Apostolus.* In ludo Genevensi edoctos fuisse nos non pœnitet. Genevensium hariolationibus captum se fatetur, propterea non miratur nos etiam captos. Ac si mirum esset, si quis non in eundem lapidem impingeret, in quem Lynceus oculis & perspicacissimus scilicet Tilenus impegerat. Sed missa Sectarii arrogantia ad rem ipsam veniamus. Opus Domini operabatur sicut Paulus, quia ipsius cooperarius & socius germanus erat in opere Domini, sicut alium cooperarium, Philip. 4. 3. hoc elogio commendat, quasi sub eodem jugo in agro Domini trahentem. Iuvenis erat Timotheus, ut igitur conciliaret illi authoritatem apud Corinthios, hortatur ne pro nihilo illum habeant, id est, ut alibi, ne juventutem eius despectui habeant, & operari opus domini dicit, ut & ego. Preterea non dicit ut ego, sed ut & ego, *ὡς καὶ ἐγώ*, quæ longe diversa sunt. Ambo operati sunt opus Domini, sed non opus Apostoli. Timotheus operatus est opus Domini, sicut & Apostolus, sed non sicut Apostolus. Esto, dixerit Apostolus; operatur opus Domini, sicut ego, non sequeretur vi & virtute eiusdem & paris functionis operatum fuisse. Paulus ad Galatas dicit, *neque respuistis, sed me ut Angelum Domini, ut Christum Iesum excepistis, Galat.* 4. 14. non tamen par erat Angelo Domini, aut Christo Domino Apostolus Galatarum judicio. Non ergo paritas aut æqualitas inter Timotheum & Paulum, sed similitudo notatur nempe quòd in uno tertio convenirent in opere Domini. Sed peragere opus Euangelistæ, non est operari opus Domini sicut & Euangelista operatur, sed sicut Euangelista operatur, imò Euangelistam seriò agere. Quid est opus Euangelistæ peragere, inquit Dounamus, nisi Euangelizare, hoc est Euangelium prædicare, quòd quivis concionator & minister Euangelii potest. Sed aliud est Evangelizare sensu largiore, aliud opus peragere Euangelistæ. Istud enim est ut Euangelistam Euangelizare: alioquin non erit proprium opus Euangelistæ. Apostolus urget Timotheum, ut perpendat dignitatem functionis ad quam vocatus quò animosius pergeret: cum jam amissurus esset præceptorem fidelem: quod observatum est à piæ & fœlicis memoriæ Magistro Gevevensi Reverendo Calvino. Sit igitur *Evangelizare* omnibus commune, qui docendi & prædicandi potestate præditi erant, Euangelistarum tamen appellatio nullibi in scripturis tribuitur, nisi jis qui erant Euangelistæ propriè dicti, qui Euangelium prædicarunt non in una sed pluribus Ecclesiis. Si nullibi in ampliore significatione

Defens. l. 4. c. 4. S. 12.

nificatione sumitur ista appellatio, & nihil cogit ut hoc loco discedamus ab eodem significato, perperam ab Euangelizationis opere communi ratiocinantur contra Euangelistæ appellationem subsidiariis Apostolorum ministris peculiarem. Nam sic etiam Diaconos tollere possunt, quia verbum *ministrare* ipsis Apostolis & Euangelistis tribuitur. Fatetur præterea Dounamus Timotheum fuisse Euangelistam, nihil igitur impedit quò minus Euangelista dicatur, qui reipsa fuit Euangelista. Euangelistas propriè & strictè dictos Timotheum & Titum non fuisse sic probat Tilenus in Saraviæ ludo edoctus. *Euangelistas propriè ac strictè acceptos constat ex authenticis Novi Testamenti tabulis, à Christo non minus immediatè vocatos fuisse, quàm ipsi fuerunt Apostoli. Timotheum verò, discipulus cum esset, fratrum qui Lystris & Iconii erant, testimonio ornatum, & à Paulo ad ministerium verbi adscitum fuisse, legimus exertè, Act.16.2.3. Presbyterium de quo 1.Timoth.4.14. sive cœtum ac collegium Presbyterorum significet, ut vult Beza, sive munus à Paulo per manuum impositionem demandatum Timotheo, ut vult Calvinus, cui ego assentior; nihil ad Euangelistam propriè dictum; neque enim quod extraordinarium duntaxat & temporarium est munus, ab ordinariis Ecclesiæ ministris cuiquam potest mandari; neque Presbyter qui ordinatur, idem Euangelista, quales fuerunt illi lxx, dici potest. Hi enim ab ipso Domino vocati & instituti hominis ψιλȣ institutionem & præcepta, qualia Timotheus non pauca accepit, minimè desiderant.* Primùm, ait à Christo non minùs immediatè vocatos Euangelistas, quàm Apostolos. Septuaginta discipulos intelligit, quos dicit ab ipso Domino vocatos, & institutos Euangelistas. Vtrumque falsum. Nulli erant Domino in terris versante instituti Evangelistæ. Septuaginta discipulos è numerosa discipulorum turba Dominus selegit, quos apparitorum instar misit binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum quò ipse venturus erat, Luc.10. *Vt nimirum hi non tam prædicarent Euangelium, quod nondum erat impletum, quàm ut præpararent quodammodo populos per generalem annunciationem jam advenisse Messiam, & appropinquare regnum Dei,* inquit Spalatensis. *Neque hic instituitur solennis quædam prædicatio Evangelij, qualis fuit à discipulis usurpata, quum jam Ecclesias constituerent, sed mittuntur isti tanquam Christi apparitores, qui eum significarent adventare Hierosolymam, & verum & ultimum, jubileum promulgarent, nempe ut Christus supremarum suarum concionum & passionis, item ac resurrectionis plurimos testes haberet,* inquit Theodorus Beza. Vides, ut convenit inter Spalatensem & Magistrum Genevensem. Hæc autem gesta fuisse in ultima Christi profectione existimat, cum dirigeret faciem suam ad eundum Hierosolymam. Imperfectam & limitatam istam promulgationem vocat Spalatensis. Temporaria etiam fuit ista legatio, quam una tantum vice obire mandatum fuit, & pro[...]

Parœ. cap.5.

L.1.c.2. num.3.

Annot. in Luc.10.7.

Spalat. l. 2. c. 3. num. 3. nondum ad munus aliquod stabile & fixum vocati sunt. *Duodecim Apostolos jam propriè sic nominatos firma & constanti electione ordinarios suos ministros dum viverent esse voluit. Hos 70 discipulos ad certum, & stabile aliquod talis numeri corpus non redegit, sed suos præcursores esse voluit. Peracto hoc primo munere non legimus eos amplius missos à Christo in ministerium verbi, neque novam illis replicatam commissionem cum extensione, sicut duodecim Apostolos scimus denuo accepisse à Christo post resurrectionem mandatum, & commissionem generalem sui Apostolatus perpetui & universalis in orbem terrarum & de illis septuaginta nullam amplius habemus mentionem in sacris literis sub hoc præfixo numero, nisi sub communissimo discipulorū nomine.* Nomina 70 discipulorum, qui a Domino fuerunt electi, dum singula exprimere conati sunt aliqui; omnes ferè, quorum meminit Paulus in Epistolis, nullo judicio confarcinantes, inter discipulos Domini adnumerarunt, cuius rei primus post Hippolytum auctor fuit Dorotheus, Ann. 34. inquit Baronius. Eusebius, cum in iis hinc inde perquirendis, haud parum laboris insumpsisse videatur, fatetur nusquam inveniri Hist. lib. 1. c. 12. eorum catalogum. Discipuli, qui Iohann. 4.2 dicuntur baptizasse non erant ex numero 70 discipulorum. Imò nondum omnes Apostoli ad discipulatum, nedum ad Apostolatum vocati erant. Erant adhuc rudes & ignari, verè discipuli, non magistri: & proinde ipsorum baptizare nil aliud erat quàm ad mandatum Christi præsentis & Euangelizantis tingere. Et ideo Iohann. 3.22 dicitur Iesum baptizasse, quia ipsius mandato administrarunt externam tingendi actionem. Septuaginta discipulos à Christo denuo confirmatos ante ascensum in cœlos nusquam legimus. Augustinus & Ambrosius, teste Spalatensi, sentiunt à Christo defecisse, quia Christus conversus ad duodecim dixit, *Nunquid & vos vultis abire Iohann.* 6.67. Epiphanius defecisse, sed rediisse saltem quosdam arbitratur. Christus quidem dixit iis, *Gaudete verò potiùs, quòd nomina vestra scripta sint in cœlis Luc.* 10.20. Sed ad munus & vocationem rediisse non putabat Epiphanius, qui septem Diaconos ex horum numero selectos sentiebat, quod tamen probabile non est. Nam propter murmur inter Hellenistas & Hebræos Act.6. verisimile est Diaconos omnes Hebræos non fuisse. Videmus tamen non modò Genevenses Magistros, sed etiam Patres 70 discipulorum vocationem immediatam ad Euangelistarum munera denuò à Christo confirmatam negare. Non sequitur ergo Timotheum & Titum non fuisse propriè & strictè dictos Euangelistas, quia à Christo non sunt ἀμέσως vocati, quia neminem à Christo ante ipsius ascensionem ad munus illud vocatum legimus. Extraordinariam tamen Euangelistarum vocationem fuisse agnoscimus. Nam extraordinaria vocatio fit non modo immediatè à Deo aut Christo sua voce compellante, ut vocatus est Moses Samuel & alii in veteri

Testàmento, & Apostoli à Christo, sed etiam mediante hominum ministerio, & internunciis adhibitis, non qui jus conferant, sed qui Dei voluntatem & mandatum denuncient. Omnis immediata vocatio extraordinaria est, non contra. Nam extraordinaria est vel mediata vel immediata. Immediata est quæ citra hominum ministerium fit, aut voce compellante, aut spiritu inspirante. Euangelistæ vocati sunt, aut immediatè spiritus afflatu intrinseco, aut mediante hominum ministerio. Spiritus afflatu intrinseco vocatus est Philippus Euangelista, ut videtur. Nam cum ante dispersionem esset tantummodo Diaconus, post dispersionem insciis Apostolis profectus est in Samariam, ut prædicaret Euangelium, & Euangelista postea dictus est. Alii etiam qui primi ex eadem dispersione in Phœnicia & Cypro Euangelizarunt, & inconsultis Apostolis Ecclesiæ Antiochenæ fundamenta jecerunt Act. 11. 19 eodem modo vocati videntur. Mediante hominum ministerio vocatus est extra ordinem Timotheus. Ne negligas donum quod est in te, quod datum est tibi per Prophetiam, 1. Timoth. 4. 14. *Per Prophetiam quomodo? quia scilicet spiritus sanctus oraculo Timotheum destinaverat, ut in ordinem pastorum cooptaretur Neque enim delectus tantum fuerat hominum judicio, ut fieri solet, sed præcesserat spiritus nuncupatio*, inquit Calvinus in hunc locum. Et ne quis fortè putet Calvinum sensisse Timotheum non fuisse Euangelistam sed ordinarium pastorem, sciat illum pluribus argumentis probare Timotheum fuisse Euangelistam, in commentariis & concionibus in eundem locum & institutionum libro quarto, ubi dicit. *Per Euangelistas eos intelligo, qui quum dignitate essent Apostolis minores, officio tamen proximi erant, adeoque vices eorum gerebant. Quales fuerunt Lucas, Timotheus, Titus, & reliqui similes.* Extra ordinem vocatum Timotheum ex 1. Timoth. 4. 14. alii etiam colligunt. *Non humano suffragio Episcopus factus fuisti, sed Prophetia hoc est divina revelatione*, inquit Theodoretus, *spiritu sancto jubente*, ait Theophilactus, *spiritus mandato*, interpretatur Oecumenius. *Quid est ex Prophetia?* inquit Chrysostomus. *Ex spiritu sancto. Quippe munus est Prophetiæ non modo futura prædicere, verum & præsentia dicere: quoniam & Saul prophetia ostensus est, qui inter vasa latebat. Deus enim revelat justis. Prophetia itidem fuit, cum dicit spiritus sanctus: Separate mihi Paulum & Barnabam: ita & Timotheus electus est. Prophetias autem plurimas dicit. Fortassis & illam per quam ipsum acceperat, quando eum & circumcidit atque ordinavit, quemadmodum & ipse scribit, Noli negligere gratiam quæ est in te. Igitur ut illum excitaret, sobriumque ac vigilantem faceret, admonet eum, quis illum elegerit atque ordinaverit, ac si apertius dicat, Deus ipse te elegit, ipse tibi Ecclesiam credidit, non te judicium promovit humanum: Noli igitur sententiam Dei probro afficere.* Si prophetarum nuncupatione designatus fuisset

Cap. 3. §. 4.

Homil 5 in 1. Timoth. 1.

Episcopus Ephesinus, quid opus erat, ut rogaret eum Paulus, ut subsisteret Ephesi. Non est verisimile Timotheum non obsequuturum divinæ revelationi absque ullo rogatu aut precibus Pauli. De prima igitur assumptione ad Euangelistæ officium hæc spiritus nuncupatio intelligenda est. An Timotheus donis non instructus donec substiterat Ephesi, quum tot annos antè prædicasset Euangelium in Ecclesiis celeberrimis. Pergamus ad alios. Anselmus Cantuariensis. *Videtur Apostolus prophetiam vocare inspirationem sancti spiritus, per quam sciebat, quid de hoc & de cæteris esset acturus.* Per prophetiam, inquit Piscator, *id est, per singularem vocationem testatam ab aliquo propheta ex revellatione Spiritus sancti, qualis describitur vocatio Pauli & Barnabæ ad prædicandum Euangelium in Græcia Act.*

L. 2. cap. 4. num. 20. 13. 2. 3. 4. *Mihi etiam probabile videtur per prophetiam intelligi divinam revelationem*, ait Spalatensis. Videmus igitur non solos Gevenenses, sed & veteres & recentiores agnoscere vocationem extraordinariam in Timotheo, licet mediatam, jubente per os prophetarum spiritu sancto. Agnoscunt & ipsi Hierarchici. Dounamus in concione ad finem, & Bilsonus de gubernatione Ecclesiæ. Sic enim

Cap. 7. pag. 129. ait. *Triplicem eligendi in novo Testamento rationem invenio, per spiritum, per sortes, per suffragia. Per sortes Matthias deligebatur: per suffragia Diaconi: per spiritus vocem emissam Paulus & Barnabas ad Gentes docendas ablegati sunt: per spiritum in Prophetis loquentem Ti-*

Pag. 128. *motheus designabatur*, 1. *Timoth.* 4. 1. *Timoth.* 1. Et eodem capite *Timotheum igitur testimonio Prophetarum approbatum & commendatum Paulus in comitatum assumpsit, & secum proficisci voluit, & per impositionem manuum suarum eum spiritu sancto locupletavit.* Vbi etiam vides de prima assumptione prophetarum prædictiones intelligere Bilsonum. Et certè absurdum esset existimare Timotheum Episcopi munus non nisi prægressis prophetiis suscepisse, non autem Euangelistæ. Addit Bilsonus Prophetarum prædictionibus alium etiam modum extraordinem vocandi Pastores in primitiva Ecclesia, nempe afflatum intrinsecum spiritus in ipsis Apostolis.

Cap. 9 pag. 161. *Spiritus sanctus* inquit, *Apostolos in Pastorum delectu voce, prophetia, vel afflatu dirigebat, in quos manus imponerent, quosque ipse cœlestibus*

Cap. 7. pag. 125. *suis donis ac ministerio dignis adornaret*, Act. 19. Item, *quos ipse spiritus, vel instinctu, vel voce, vel per Prophetas nominaverat, in eos Apostoli*

Cap. 7. pag. 129. *manus imposuere.* Item, *Idem spiritus Petrum & Iohannem Samariæ dirigebat, in quos manus suas imponerent. Pari modo Paulum afflavit, ut duodecim illis Ephesijs ad Ecclesiam ibi plantandam multiformes spiritus dotes impertiret.* Eusebius etiam refert Iohannem Apostolum

Hist. l. 3. cap. 23. ex insula Pathmo Ephesum reversum nonnullos in clerum elegisse, quos spiritus sanctus significabat. Si igitur in Pastoribus designandis Apostoli afflatu intrinseco & instinctu spiritus dirigebantur, multo magis in assumendis cooperariis, & commilitonibus suis,

qui

qui non uni Ecclesiæ sed pluribus & per plures provincias Evangelium promulgaturi erant. Dirigebat spiritus sanctus Apostolos in peregrinationibus suis, & in comitibus deligendis desereret? Ne quis fortè miretur tot & tam variis modis Euangelistas extra ordinem vulgaré vocatos, nempe prophetarũ testimonio, afflatu intrinseco ipsius Euangelistæ vocati, vel vocantis Apostoli, similē, velim, observet varietatē in eligendis Apostolis. Quosdã viva voce Christi in terris, alios voce Christi cœlitus compellante, Matthiam interveniente hominum Ministerio, & per sortes, ad Apostolatum vocatos perspiciet. Barnabas quo modo vocatus fuerat, non constat. Extra ordinem tamen in Apostolorum numerum cooptatus est. Nam Apostolum fuisse eiusdem gradus cum Paulo apparet ex multis indiciis. Absque ulla restrictione & ἁπλῶς Apostolus appellatur, Act 14.4.14. Et pari authoritate cum Paulo præditus emittitur ad gentes Act.13. Alii erant in ipsorum comitatu, tamen Barnabas ut par, non inter suppares nominatur. Lystrenses Barnabam Iovem, existimabant Act.14.12. Paulum vero Mercurium: & sæpius priùs nominatur Barnabas, quàm Paulus. Semper distinguitur ab aliis comitibus Pauli, & in illa peregrinatione per gentes, & cum ascenderent ad consilium Hierosolymitanum. Exacerbatio inter Paulum & Barnabam orta ut alter ab altero abscesserit, Act. 5. 39 & potestas assumendi cooperarium Iohannem cognomento Marcum, Apostolum non Euangelistam fuisse ostendunt. Silas erat Euangelista propriè & strictè dictus ut Barnabas, dicit Saravia. Sed imaginariam suam distinctionem Euangelistarum demonstrare non potest. Hoc ipso loco Act.15.40. Paulus Sila allecto abiit commendatus gratiæ Dei à fratribus: Barnabas assumpto Marco navigavit in Cyprum. Vides Silam non parem fuisse Barnabæ, nec assumpsisse cooperarium, sed à Paulo assumptum. Act.11.22. videtur Barnabas in eundem finem missus Antiochiam, in quem Petrus & Iohannes Samariam. Casaubonus Barnabam in Apostolorum numerum cooptatum fuisse dicit. Baronius Paulum & Barnabam super Duodenarium numerum fuisse allectos scribit, sicut Senatores qui supra numerum per gratiam in Senatum allegebantur quos Senatores abortivos appellari solitos scribit Suetonius. Calvinus ait, *Nisi forte, quia Paulo additus erat collega Barnabas, utrumque in pari officij gradu statuimus: ita Apostoli titulus verè in ipsum competet.* Ipse Downamus dicit Apostoli appellationem κατ᾽ ἐξοχὴν tributam Paulo & Barnabæ Act.14.14. *His* (nempe Duodecim Apostolis) inquit Tilenus, *accessit Paulus peculiariter gentibus destinatus Act.9.15. Galat.2.7. forsitan & Barnabas.* Rhemistæ Paulum & Barnabam Apostolos etiam vocant Act 15.2. Plurium testimonia cumulare possem, sed redeundum est eò unde digressus

Cap 2. & 4 — *Ann. 44.* — *Act. 14 4.* — *Defens l. 4. ca. 3 sect 14.* — *Syntagma p. 96.*

digressus sum. Euangelistas à Christo viva voce vocatos fuisse negamus, quia scriptum non legimus: extraordinariè tamen vocatos, & ab Apostolis assumptos dicimus. Nec etiam diffitemur è numero 70 discipulorum quosdam ad id muneris postea allectos, ut ex aliis Christi discipulis. Quod omnes vel quidam allecti fuerint ab Apostolis, quia prius ad id munus vocati à Christo, negamus. Sed ad secundum caput progrediamur. Esto, inquient, vocati fuerint extra ordinem, non tamen ad Euangelistæ, sed Presbyteri munus vocatus est Timotheus, *Ne negligito donum quod est in te quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*, id est, ut interpretantur, ad officium Presbyterii sive Presbyteratus. At nullibi in novo testamento usurpatur vox ista *Presbyterium* pro officio, sed collectivè pro cœtu & consessu Presbyterorum. Calvinus utrumque sensum non malè quadrare dicit, hunc sensum tamen non rejicit. *Presbyterium*, inquit, *qui hic nomen collectivum putant pro Presbyterorum collegio positum rectè sentiunt meo judicio.* Sed certè syntaxis & series verborum sensum illum de officio Presbyterii ferre non potest. Quis enim esset sensus, si quis sic redderet verba, *Ne negligito donum quod est in te, quod datum est tibi per impositionem manuum Presbyteratus;* adde similia, per impositionem manuum Episcopatus, Diaconatus, &c. Nec in scripturis, nec apud probatos authores reperies impositionem manuum cum officio ad quod quis vocatus, sed cum personis imponentibus constructam. Si Presbyterii vocem referes ad donum, non modò erit hyperbaton inelegans. Ne negligas donum (quod est in te, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum) Presbyterii, sed & ipsa phrasis (donum Presbyterii vel Presbyteratus, quod est in te) durior erit. Apostolus alibi illustrat sensum huius loci. *Quam ob causam suggero tibi ut exsuscites donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum*, τῶν χειρῶν μȣ 2. Timoth. 1. 6. Impositio manuum personæ est ibi non officii. Ipsa etiam res & historia rei gestæ istum sensum respuit. Vel Euangelistam vel Episcopum oportet fuisse Timotheum. Nam Timotheum Presbyterum simplicem non fuisse constat, inquit Bellarminus. *Quis vero dubitet*, ait Spalatensis, *primos plures Episcopos ab Apostolis Episcopatum habuisse totum immediatè absque prævio Presbyteratu: qualis fuit Timotheus, Titus & Barnabas, Silas, Barsabas & similes.* Sed cum alibi Timotheum Episcopum generalem nulli certæ sedi alligatum à Paulo vocari adjutorem suum dicit, nil aliud sequetur quàm Euangelistam fuisse, & ad id munus immediate, id est, absque prævio Presbyteratu vocatum fuisse. Nam quem ille generalem Episcopum, nos secundum scripturæ phrasim Euangelistam vocamus. Sic Oecumenius. *Iuxta spiritus revelationem Timotheus & à Paulo in discipulum electus, & circumcisus, & Episcopus ordinatus est.*

Comment. in 1. Timoth. 4. 14.

De Cleric. l. 1. cap. 15.

L. 2. c. 4. num. 28.

L. 2. cap. 3. num. 60.

At

At cum à Paulo assumptus Euangelista, non Episcopus proprie fuit. Sive igitur Presbyteratus sive Episcopatus propriè dictus, Presbyterii voce hîc intelligi non potest, quia nec historia rei gestæ, neque verborum syntaxis, nec ipsius vocis usitata significatio in scripturis, hunc sensum ferre potest. *Nobis verior videtur græcorum expositio*, dicit Bellarminus, *qui nomine Presbyterij intelligunt chorum sive cœtum Presbyterorum, id est, Episcoporum qui novo Episcopo manus imponunt; sic enim exponunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, & Oecumenius.* Licet de Episcoporum cœtu interpretentur, *rationi temporum suorum suam interpretationem accommodantes*, ut ait Iunius, de cœtu & consessu tamen non de officio Græci interpretes Græcam vocem interpretati sunt. Episcoporum cœtum non intelligere hac voce Apostolũm patet vel ex eo, quod tunc temporis non erat collegium Episcoporum Lystræ, ubi assumptus Timotheus. Antonius de Rosellis ait, *propter inopiam Episcoporum Paulus Timotheum & Titum solus Episcopos consecravit.* Iohannes Maior, idem dicit, *Paulus non quæsiuit duos pro ordinatione Titi & Timothei.* Aquinas ait nondum editum canonem Apostolicum, ne Episcopus absque tribus Episcopis ordinaretur. Armachanus cum quemvis Presbyterum legitimum confirmationis ministrum probare vellet, hunc locum de Presbyterorum cœtu exponit in libro undecimo questionum Armenicarum, teste Bellarmino. At, inquiunt, munus extraordinarium & temporarium ab ordinariis Ecclesiæ ministris cuiquam mandari non potest. *Neque enim fas erat*, inquit Ambrosius, *neque decebat ut inferior superiorem ordinaret. Nemo enim tribuit, quod non accepit. At sine ulla controversia*, ait Apostolus, *Id quod minus est, ab eo quod maius est, benedicitur*, & non è contrario. Respondeo, primum, non Presbyteros solos imposuisse manus Timotheo, sed etiam Apostolum Paulum, ut patet ex 2. Timoth. 1.6. ut *exsuscites donum, quod est in te per impositionem manuum mearum.* Apostolus maior est Euangelista, etsi uterque extraordinario fungatur munere. Downamus dicit Presbyterium istud posse significare cœtum Apostolorum, aut Apostolicorum virorum, id est, si non Episcoporum, saltem plùs quàm Episcoporum. *Eos Presbyterium vocat*, inquit Theodoretus in illum locum, *qui Apostolicam acceperant gratiam.* Si non unus Apostolus, sed plures Apostoli, aut viri Apostolici plus quàm Episcopi initiarunt Timotheum impositione manuum, in Euangelistæ munere, tum extraordinarii extraordinarium initiarunt. Sed Apostolos plures, aut Apostolicos viros, sive Episcopos, sive plus quam Episcopos fuisse Lystræ aut Ephesi, quum imponerentur manus Timotheo qui justum Presbyterorum Senatum constituerent, probare, non absque scripturis divinare debuit. Presbyterii vox ordinarium & statum consessum Presbyterorum alicuius loci significat non autem numerum

In 1. Tim. 1.
De Clericis l. 1. cap. 15.
Monarch. part. 2. ca. 7.
in 4. sentent. dist. 27 qu. 3
In 1. Tim. 4.
De confirm. cap. 12.
Defens. l. 3. cap. 4. s. 10.

pro re nata coeuntium, aut sibi obviam occurrentium Presbyterorum, sive simplices sint Presbyteri sive plus quam Presbyteri. Missis igitur divinationibus & inanibus conjecturis, dicimus Presbyterium id est, cœtum Presbyterorum certæ alicuius Ecclesiæ imposuisse manus Timotheo, sed Paulum Apostolum, qui Euangelista dignitate & gradu superior est, manus etiam imposuisse & proinde à superiori non inferiori initiatum fuisse. Inferiores etiam superiorem ordinare, & inaugurare posse in ipsa Romana Ecclesia satis constat. Episcopi Archiepiscopum, Archiepiscopi Papam inaugurare possunt. *Imò* inquit Anastasius in vita Pelagii, *cum non essent, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, Iohannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de ostia, & eum ordinaverunt Episcopum.* Presbyteri Ecclesiæ Alexandrinæ, qui unum ex se in celsiori gradu collocarunt ut præsidem, postea mutata illa prostasia in gradum potestatis absque dubio in initio etiam consecrarunt. Duo Abbates mitrati, & unus Episcopus ex Papæ dispensatione in Ecclesia Romana consecrare possunt Episcopum, at abbates illi Presbyteri sunt. Imò unum Abbatem Episcopos consecrasse ex Beda supra ostendimus. Consecrans consecrando superior esse potest & si non consecrato peracta consecratione superior sit. Presbyterium est maius Episcopo etiam consecrato, nedum consecrando: Episcoporum Synodus Archiepiscopo, etsi singuli Presbyteri seorsim non sint maiores Episcopo, aut Episcopi Archiepiscopo. Ananias Paulo imposuit manus, non modo ut curaret cæcitatem, sed etiam ut acciperet spiritum sanctum. Prophetæ & Doctores imposuerunt manus Paulo & Barnabæ Act. 13. 3. quamvis Paulo & Barnaba inferiores, & separati essent illi ad opus ad quod vocaverat eos spiritus sanctus, ab ipso spiritu sancto. *Nullus tunc aderat ex duodecim Apostolis*, inquit Spalatensis. Litigent inter se pontificii, utrum impositio ista manuum fuerit ordinativa, & ad Episcopatum relata, an tantum precatoria, nos tenemus precatoriam fuisse & commendatoriam (nam commendarunt eos gratiæ Dei, ut dicitur capite 14. 26.) tamen ut ordinare non potuerunt, & ad ministerium vocare Apostolos, qui erant extra ordinem vocati, ita nec ad opus certum, vel locum. Nam spiritus sanctus dirigebat Apostolos in suis peregrinationibus, & hìc diserte dicitur quod emissi sunt à spiritu sancto, & tamen imposuerunt illis manus. *Destinavit eos spiritus sanctus*, inquit Spalatensis, *ad maiores adhuc labores, & ad novas amplioresque provincias Christi fide imbuendas. Ad hoc verò quoniam egebant plurimùm gratia spiritus sancti, qui illos regeret, foveret, confirmaret, & tueretur, idcirco ipsismet, ut par est, credere ita exposcentibus, & rogantibus, Ecclesia tota illa, in qua erant, Antiochena, jejuniis & orationibus tam grande opus conversionis gentilium Domino commendabat, & gratiam spiritus sancti pro his duobus implorabat,*

Bellarm. de Eccles. lib. 4. cap. 8.

L. 2. cap. 2. num. 10.

Ibidem num. 13.

bat, & per impositionem manuum impetrabat. Exponit postrema verba in sequentibus, cum dicit impositionem manuum fuisse ceremoniam piam & tunc consuetam, uti partem qnandam efficacis orationis. Sed rectius diceret fuisse ritum, & gestum orantis indicantis personam cui gratiam implorabant, quàm partem efficacem orationis. Cum assumendi erant Levitæ è medio filiorum Israelis, ut purificarentur, jubet Dominus ut admoveantur coram Iehova, & nitantur filii Israelis manibus suis super ipsos Levitas, Num.8.9.10. Etsi Dominus jusserat Levitas consecrare in ministerium, tamen jubet etiam Israelitas imponere manus Levitis, tanquam si ultro suo nomine eos dederent ad ministerium, ut apposite interpretatur Franciscus Iunius in Analysi. Videmus ergo quam ineptum sit ab impositione manuum argumentum ducere contra vocationem extraordinariam, & inde colligere Timotheum non fuisse Euangelistam propriè dictum, quia manus ei impositæ à Paulo & Presbyterio. Impositionem manuum existimant sacramentale signum esse, vim sacramentalem habere, & gratiam conferre & proinde inferiores non posse maioribus, & ordinarios extraordinariis imponere manus, quia per impositionem manuum gratiam conferre non possunt. At error est, principium illud cui innituntur, qui jamdiu in scholis inolevit. Impositio manuum ordinaria, gratiam non confert, sed tantum indicat personam cui impetranda est gratia, & in vocatione extraordinaria signum est approbationis, & quasi obsignatio, & testificatio extradinariæ vocationis. Cum igitur Timotheus intiandus erat in munere extraordinario, expediebat testimonium habere cuiusdam Ecclesiæ de vocationis modo & ordine testantis, & præterea commendari gratiæ Dei ab Ecclesia illa precibus suis, quarum in personalibus actionibus ceremonia consueta erat manuum impositio. Nam multi & magni labores erant Timotheo exantlandi, & magna illi militia militanda erat. Notandum etiam magnum discrimen esse inter impositionem manuum Presbyterii & Pauli. Nam per impositionem manuum Apostolorum Deus conferebat charismata non antem per impositionem manuum Presbyterorum. Ideo de sua impositione sic loquitur, *Donum quod est in te per impositionem manuum mearum*: de impositione autem manuum Presbyterii non ait *per impositionem manuum Presbyterii*, *sed cum impositione manuum Presbyterij*: non διὰ sed μετὰ. Quod ad regulam illam captiosam, *Nemo potest dare quod non habet*, respondeo, non dedisse Presbyterium Timotheo vel dona vel potestatem Euangelistæ, sed, ut dixi, suo judicio & testimonio obsignasse, & Deo precibus suis commendasse. Præterea fallit etiam in ordinariis hæc regula. Nam concedatur Timotheum fuisse Episcopum, dare tamen poterant Presbyteri Lystrenses Episcopatum Timotheo, ut Alexandrini Alexandrino:

Controverſ. 4. qu. 2. cap. 15. ſect. 2.

Nam Epiſcopatus non eſt donum aliquod reale, ſed functio, quæ quidem dari poteſt, ab iis qui ea uti non poſſunt, inquit Whitakerus. *Sic populus in quibuſdam locis Regem creat, ſic olim milites imperatorem & tamen non penes hos imperii adminiſtratio fuit, nec penes populum regni. Deinde,* inquit, *Eccleſia poteſt facere Epiſcopum; Eccleſiæ data poteſtas eſt ſuos Epiſcopos & Paſtores nominandi & creandi. Et quanquam tota non poteſt fungi hoc munere, poteſt tamen eligere, & ordinare qui eo fungantur, ut ſi nullus eſſet in orbe Epiſcopus, tamen Eccleſia poſſet Epiſcopos creare.* Guilielmus Altiſiodorenſis in ſumma ſua lib. 4. ait. *Si eſſent in mundo tantum tres ſacerdotes, oporteret quod aliquis illorum conſecraret alium in Epiſcopum, alium in Archiepiſcopum,* ſimplices ſacerdotes non tamen ſunt Epiſcopi. Vide Saraviam. *Dare,* inquit Whitakerus, *aliquod donum reale propriè dicimur, quod habemus, quod cum dedimus, non habemus.* At Epiſcopatus non eſt donum reale, ut ſupra dixit, ſed functio, certè nec Euangeliſtæ functio eſt donum reale. Reliquum eſt adhuc tertium Tileni dictum. Euangeliſtas propriè dictos ab ipſo Domino vocatos, & inſtitutos hominis ψιλȢ inſtitutionem & præcepta, qualia Timotheus à Paulo non pauca accepit, minime deſiderare dicit: & proinde innuit Timotheum non fuiſſe Euangeliſtam propriè dictum. Euangeliſtarum propriè dictorum, qui nulla mandata ab Apoſtolis acceperant neminé nomine deſignat, ut diſcrimen fuiſſe inter illos & Timotheum oſtendat. Saravia Silam & Barnabam Euangeliſtas prioris generis exiſtimat. At Tilenus ſupra annumeravit Silvanum (qui etiam Silas nominabatur ut patet ex Act. 17. 15 & 18. 5. 1. Theſſ. 1. 1. & 1 Theſſ. 3. 6) poſterioris generis Euangeliſtis. De Barnaba ſupra diximus. Dounamus unicum Philippum Euangeliſtam nominat, quem ex numero 70 vel 72 diſcipulorum & à Chriſto immediatè vocatum fuiſſe aſſerit, Barnabam ut ſupra oſtendimus, Apoſtolo Paulo aſſociat. At Philippus erat 7 Diaconorum unus, priuſquàm ad Euangeliſtæ munus vocatus. Non ergo à Chriſto in carne vel poſt reſurrectionem vocatus ad Euangeliſtæ officium. Nam miniſterium menſarum & viduarum à miniſterio verbi ſepararunt Apoſtoli. Euangeliſtæ erant miniſtri verbi, & miniſterii illius exercitium intermiſiſſe, vel utrumque miniſterium ſimul exercuiſſe non eſt credendum, cum decreto Apoſtolorum ſeparata eſſent iſta munia. Immediate tamen vocatum per afflatum intrinſecum ſpiritus non negamus, Vel, *ſi ex Diacono Euangeliſta factus eſt extraordinem, aut à Deo per Angelum vocatus, quod innuere videtur ſingularis illa revelatio act. 8. 26 aut priuſquam Hieroſolymis diſcederet ab Apoſtolis ad hunc miniſterij gradum provectus,* ut vult Tilenus, non reluctabimur, & ſic mediante hominum miniſterio vocatum non ægre dabimus, cum Philippum, tum alios, qui primi poſt diſperſionem in Phœnicia & Cypro Euangelizarunt, Act. 11. 19. Sed nulla accepiſſe

Defenſ. c. 2.

Sara. tract. cap. 2.

Defenſ. l. 4. ca 4. ſect. 11

Syntagm. diſput. part. 2. diſput 21. ſect. 24.

pisse mandata ab Apostolis Philippum, qui ab Apostolis, ut ait ille, missus est, an credibile est. An verisimile est absque mandatis emissum ab Apostolis aut Cæsareæ mansisse & nulla à Iacobo aut aliis Apostolis, mandata accepisse, Act. 21. Non sunt pugnantia: vocari extraordinē etiā immediatè, & tamen, mandata ab Apostolis accipere. Non enim omnes qui extra ordinem vocantur, aut immediatè, sunt Apostolis donorum mensura æquales, & extra omnem erroris aleam constituti, ut illi. Ponatur Philippum à Christo viva voce vocatum, Philippum & alios interfuisse cœtui Apostolorum, & descendisse super eos spiritum sanctum die Pentecostes Act. 2. an propterea tot & tanta charismata in illos quot in Apostolos effusa. Num omnes Apostoli? *Vt Apostolis maior data potestas, ita etiam in ijs maior relucebat gratia*, inquit Saravia. Si omnia non sunt illis revelata sicut Apostolis, quod ab Apostolis mandata acceperint, credere par est. Saravia Silam propriè dictum Euangelistam vult, & tamen Lucas refert Paulum assumpsisse eum sibi comitem & eius opera subsidiaria, sicut & Timothei, usum. An cooperarium habuit, qui mandata nulla ab ipso acceperat. Præterea multa mandata accepit à Paulo Timotheus, non tàm sui quàm Ecclesiarum, ubi substitit ad tempus, causa. Multa enim mandata Timotheo Paulus dedit quorum ignarus non erat, ut qui in Pauli comitatu eorundem praxim in aliis Ecclesiis observaverit. Ecclesiarum igitur ad quas ablegatus vel ubi substitit, causa, præcipue mandata Timotheo data sunt. Apostoli non poterant Ecclesiis omnibus, quas plantarunt, præsentes operam suam addicere, nec viva voce informare. Et Apostolorum scripta aut nulla aut pauciora in Ecclesiæ primordiis extabant; Oportebat ergo mandata & mandatarios mittere, qui vel mandata in scriptis acceperant, vel ex ipsorum ore exceperant, ut per mandata & mandatarios, quo ad poterant, absentiam suam supplerent. Mandata autem dederunt plerumque vel ut ædificium quod inchoaverant & adversariorum importunitate coacti, aut alias ob causas, reliquerant, exædificarent, aut Neophytos trementes ob persecutiones recens excitatas confirmarent, aut pseudoapostolis & impostoribus occurrerent, aut dogmata de doctrina plenius traderent, aut de politia formanda præceptis Apostolicis informarent. Et in hisce Euangelistas illos imaginarios prioris generis, Apostolis nullam operam accomodasse censebimus? Subsidiarios vocant Apostolos, & tamen nullum subsidium Apostolis tulisse sequitur, si nulla ab Apostolis mandata acceperant. Apostolos oportet fuisse potius quàm Euangelistas, qui sua authoritate omnia absque Apostolis peragebant. At nullos agnovit Ecclesia summos Architectos, nisi primarios Apostolos. Oportebat semper Ecclesias certiores reddi, quicquid de fide, vel politia necessaria & perpetua tradebatur, ab Apostolis

Defens. 2. c. 5

 fluxisse,

fluxisse, vel super Apostolorum fundamenta ædificatum esse. Et quibus mediis externis certiores reddi poterant, nondum absoluto Canone Scripturarum, quam missis aliis, qui ex ipsorum ore ut ex fonte omnia hauserant, & ipsorum vias in Christo noverant. *Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino qui vobis in memoriam revocabit quæ sint viæ meæ in Christo, sicut ubique in omnibus Ecclesijs doceo*, 1. Corinth. 4. 17. *id est, quam viam & regulam sequor passim in docendis Ecclesiis*, ait Beza in Annot. Vias meas id est, *dispensationes, pericula, mores, leges, sortes, regulas Apostolicas, & alia item omnia*, inquit Chrysostomus. *Et tu quæ audisti ex me inter multos testes, committe fidis hominibus, qui sunt idonei ad alios quoque docendos*, 2. Timoth. 2. 2. *Tu vero assequutus es doctrinam meam, vitæ meæ rationem, propositum, fidem*, 2. Timoth. 3. 10. Rectè igitur Gersomus Bucerus in sua dissertatione sentit, qui, quod ab Euangelistis manavit merè humanum non fuisse deputandum asserit. *Nihil enim aliud*, inquit, *Ecclesiis tradebant, quàm quod à Domino & Apostolis acceperant, & auctore Dei spiritu, cuius impulsu ac jussione subsidiariam operam Apostolis præstabant, in usum Ecclesiæ destinata esse certò persuasi erant. Nam quæ Titus Cretensibus, Timotheus Ephesiis, cum voce, tum institutione sua ex Apostoli præscripto tradiderunt, verè Apostolica esse, tanquam ab Apostolis immediatè profecta nemo unquam inficias ivit*. Ex dictis patet Euangelistas omnes mandata ab Apostolis, ut ipsorum cooperarios, & quasi Apostolos subsidiarios accepisse, idque non minuisse Euangelistarum authoritatem, sed potius amplificasse. Sunt ergo in Timotheo, Tito, & aliis Euangelists extraordinaria, ista quæ sequuntur. 1 quod extraordinem vocati. 2 quod non uni Ecclesiæ, sed pluribus per plures provincias & regiones operam suam accomodarunt. 3 quod Apostolorum cooperarii & comites cum essent, ab Apostolis ablegati ad Eccclesias constituendas confirmandas & informandas doctrinam & mandata Apostolorum perferebant, & proinde maiori authoritate præditi erant, & in doctrina tradenda, & disciplina dirigenda, quam alii pastores, qui particularibus Ecclesiis operam suam addixerunt. 4 maiora habuerunt dona non industria modò acquisita, sed etiam extraordinem, & proinde extraordinaria. Charismata spiritus sancti effusa sunt in Euangelistas maiori mensura quàm in alios. Nam cum secundi essent ab Apostolis & authoritate & onere, donis etiã spiritus supra alios in Ecclesia inferiores ministros ornari par erat. Barlous Episcopus Roffensis fatetur donorum spiritus ratione multũ differre Episcopos nostros à Timotheo & Tito. *Tanta est*, inquit *differentia, quanta inter hæc duo* λόγος σοφίας, *&* λόγος γνώσεως 1. Cor. 12. 8. *Illorum cognitio maxima ex parte infusa erat per specialem revelationem, nostra autem magno labore & industria acquisita est*. Bilsonus de gubernatione Ecclesiæ in Anglicana editione hæc habet

Homil. 14. in 1 Cor. c. 4

Pag. 557.

Conci. fol. 5 pag. 2.

Ca. 7. pa 88.

habet verba. *Illa duo dona, occulta reſciſcendi* 1 *Cor*.14.25 *& ſpiritus diſcernendi*, 1 *Cor*.12.10 *quibus præditi erant Prophetæ & Euangeliſtæ licet longè minori menſura, quam Apoſtoli ; huic maximè uſui inſerviebant, ut idoneos ad miniſterium Eccleſiæ à non idoneis internoſcere poſſent*. In latina editione illa verba, *quibus præditi Euangeliſtæ & Prophetæ* expuncta ſunt, quia cauſæ ſuæ officere perſpexerunt. In Latina tamen editione iſta habet. *Chariſmata ſpiritus in Timotheum collata. Annon Pauli ſufficiebant manus, & ad gratiam prophetiæ dandam, & alia ſpiritus chariſmata tribuenda, quibus homines eo tempore inſtruebantur ad ſacrum miniſterium obeundum ? Ex quo ſequitur Paulum ſine plebis & Preſbyterii conſenſu vel conſilio (quippe quibus ea conferendi ſpiritum ſanctum facultas non erat conceſſa) ſola manuum ſuarum impoſitione Timotheum tantis ſpiritus ſancti donis cumulare potuiſſe, ut divinitus in Paſtorem, Prophetam, aut Euangeliſtam delectus cenſeretur ? Quod argumentum eſt, Pauli manus ſatis habuiſſe virium ad creandos Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores, in Eccleſia Chriſti, tametſi Preſbyterium nullum operam ſuam aut poteſtatem adjungeret. Timotheum teſtimonio Prophetarum approbatum, & commendatum Paulus in comitatum aſſumpſit, & ſecum proficiſci voluit, & per impoſitionem manuum ſuarum eum ſpiritu ſancto locupletavit*. Quod de Preſbyterio aſſerit, aſſentimur, & ſupra diximus impoſitionem manuum Pauli diverſam fuiſſe ab impoſitione manuum Preſbyterii. Paulum impoſitione manuum ſuarum contuliſſe chariſmata ſpiritus, Preſbyteros ſimul oraſſe, Timotheum dediciſſe, vocationem teſtimonio ſuo comprobaſſe, & gratiæ Dei commendaſſe. Pauli impoſitio manuum erat miraculoſa, Preſbyterorum ordinaria. Sed redeamus. Apoſtolus Corinthios monet, quoties conveniunt, ut omnia ad ædificationem fiant, *quiſquis canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet*, 1 Corinth. 14.26. In una Eccleſia Corinthiaca erant plures qui κατ' ἀποκάλυψιν docebant, & id Timotheo, qui ad Corinthios confirmandos in fide ab Apoſtolo miſſus erat, negabimus ? In Eccleſia una particulari in plures, ubi nullus erat uſus, niſi propter ornamentum Eccleſiæ, & doctrinæ confirmationem, donum linguarum effuſum erat, & Euangeliſtis, qui plures provincias & regiones luſtrarunt, dono linguarum præditos fuiſſe dubitabimus ? Tam egregiis elogiis ab Apoſtolo exornantur, ut inſignibus etiam ſupra alios donis inſignitos eſſe oportuit. Vtrum vero omnes Euangeliſtę per impoſitionem manuum Apoſtolicarum chariſmata acceperint, necne dubium eſt. Quia Act. 2.1. vox ἅπαντες, dubium eſt, utrũ referatur ad proximè præcedentia verba *undecim Apoſtolis*, an ad remotiora, nempe *turbam capitum*, *quaſi* 120. cap. 1.15. Vſitatius eſt ut referatur vox aliqua ad proximè præcedentia. & in duobus vetuſtis

Pag. 120. Pag. 120. Pag. 124. Pag. 125. Pag. 128.

codicibus additum est, οἱ ἀπόστολοι, ut refert Beza. Petrus dicitur stetisse una cum undecim, ut apologiam ederet, & ut videtur solummodò pro se & undecim collegis. Præcepta dedit Apostolis, quum sursum receptus est, Christus Act. 1 2. Eis mandavit, ne abscederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissionem patris, Act. 1. 4. Videtur igitur, quòd Apostolorum manibus & ministerio aliis communicata fuerint charismata. Vtcunq; est, sive dona effusa sunt absque impositione manuum Apostolicarum die Pentecostes in quosdam Euangelistas sive non, omnium par potestas & authoritas erat in Ecclesia. Petrus in quem effusa die pentecostes dona spiritus, non maior erat Paulo qui per manus Ananiæ accepit spiritum sanctum. Et si qui alii acceperant dona die Pentecostes sive ex numero 70 discipulorum fuerint, vel ex promiscua discipulorum turba, nondum tamen ad Euangelistarum munera vocati sunt, nisi donorum mensuram dignoscentibus Apostolis, & quos idoneos ad id muneris censebant, allegentibus, aut intrinseco afflatu spiritus postea impulsi, ut supra diximus. In iis, si qui fortè tales, dona antecesserunt vocationem, in aliis, qui Apostolorum ministerio dona acceperant, conjuncta erant dona & vocatio. Si quis dixerit, non verisimile esse Timotheum & Titum charismata extraordinem accepisse, quia Paulus hortatur Timotheum, ut attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ, 1. Timoth. 4. 13. sciat primùm lectionem publicam scripturarum ibi non minus posse intelligi unde exhortationis & doctrinæ argumenta sumebant concionaturi, quàm privatam. Deinde non negligenda erat lectio privata, etiam ab iis qui per Apocalypsin quandoque docebant. Ignis cœlitus demissus oleo tamen in templo alendus erat. Paulus libros & membranas habuit, quibus, dum otiũ esset, incumbebat, non semper per Apocalypsin loquutus est in Ecclesia 1. Cor. 14. 6. Quandoque lectio privata stimulabat ad petendum Apocalypsin. Daniel *considerans ex libris numerum annorum, quibus fuerat verbum Iehovæ ad Iirmeiam prophetam completas fore vastitates Ieruschalaimorum, septuagesimum esse, Dan. 9. 2* oravit, & declarationem illam propheticam 70 Septimanarum impetravit. Non modo Iirmeiæ prophetias, sed etiam historias legisse videtur. Exercitatissimi & illuminatissimi igitur scripturarum privata lectione se exercere potuerunt. Præterea donum loquendi per Apocalypsin non eadem mensura datum Euangelistis, quâ Apostolis. Ideo erant Apostolorum comites, ut quod nec sua industria assequi poterant, nec prophetico lumine ipsis revelatum fuerat, ab iis haurirent. *Lumen Propheticum*
2. 2. quæst. 171. art. 2. *non inest intellectui prophetæ per modum formæ permanentis, alias oporteret, quòd Prophetæ semper adesset facultas prophetandi,* inquit Aquinas, sed per modum, *cuiusdam passionis, vel impressionis transeuntis. Et sicut aer semper indiget nova illuminatione, ita etiam mens prophetæ semper revela-*

Indiget nova revelatione. Si quid sedenti ἀποκαλυφθῇ revelatum fuerit, ait Apostolus 1 Cor. 14. Ergo non omnia omnibus revelata erant. Alioquin non opus fuisset misisse Timotheum ad Corinthios. Cum igitur divina revelatione vocatus fuerit Timotheus, & charismata spiritus sancti extraordinaria acceperit, doctrinam ex ipso fonte, Apostolico ore hauserit, & quasi rivulos ad Ecclesias ab ipso fonte duxerit, & non uni Ecclesiæ addictus, sed ad varias & per varias regiones & provincias ablegatus fuerit, & Euangelistæ opus non Episcopi opus peragere monetur, virum Apostolicum, plusquam Episcopum, & Euangelistam propriè dictum, eumque eximium fuisse, absit, ut dubitemus. Euangelistam fuisse non negant, sed cum substitit Ephesi tunc ordinatum volunt Episcopum. Quæro an novam & ampliorem potestatem illâ, quam somniant, ordinatione, acceperat, quàm habuerat prius cum esset Euangelista. Ita, respondet Dounamus. Cum erat Euangelista erat tantummodo Presbyter, & potestatē ordinationis & jurisdictionis non habebat, ordinatus Episcopus utraque potestate instructus erat. Defens. l. 4. p. 94. Philippus etsi Euangelista Samaritanis conversis manus non imposuit, sed oportebat Petrum & Iohannem mitti Samariam ut manus imponerent, Act. 8. Adversarii hunc locum adducere solent, ut Episcopos solos confirmationis sacramentalis ministros probent. Iam adducunt, ut ordinationis potestatem Episcopis propriam fuisse evincant. Sed de neutra hoc loco agitur, nec de impositione manuum consecratoria, nec confirmatoria, vel si de consecratoria, non de ordinaria, quam sibi vendicant Episcopi, sed extraordinaria illa & miraculosa, qua Apostoli miranda spiritus sancti dona contulerunt. *Nam cum primùm Ecclesiæ plantarentur, etiam illi, qui credebant, in diuinis scripturis & mysterijs adeo tyrones fuerunt, & rudes, ut ad populum docendum & regendum nulli fuerint idonei: nisi quos Apostoli per manuum suarum impositionem varijs spiritus sancti donis instruerent, & ad illud munus exequendum aptos efficerent,* inquit Bilsonus, Cap 7. pag. 123. 124. *In Samaria recens ad fidem conversa prorsus ad Euangelij prædicationem, & Ecclesiæ gubernationem inermes & inepti fuerunt, donec Petrus & Iohannes eorum aliquos Spiritus sancti virtute per manuum impositionem donantes alios Prophetas, alios Pastores, alios Doctores mirabiliter effecerant: quemque donis ad functionem necessarijs adornantes.* Pag. 125. Philippus licet Euāgelista propriè dictus & primi generis, ut volunt, hac potestate præditus non erat, non sequitur, ab omni ordinaria manuū impositione Philippum cohibitū fuisse. Præterea Durandus, qui hîc de sacramento confirmationis agi putat, dicit: *Ex illo textu non est clarum, an Apostoli confirmaverint tanquam Episcopi vel tanquam sacerdotes: sacri etiam canones hoc clare non determinant.* In l. 4. dist. 7. quest. 3. Augustinus, vel qui author est quæstionum veteris & novi testamenti dicit imposuisse manus, ut Presbyteros.

Videant ista adversarii. Nos neutrum concedimus, nec ut Episcopos, nec ut Presbyteros, sed ut Apostolos manùs imposuisse. Vtrum verò dona illa collata per impositionem manuum Apostolorum, talia fuerint, quæ aptos ad ministerium reddebant, conjicere, probare non possunt. Audiamus ipsum Saraviam. *Vt Samaritanis manus imponerent, & spiritum Sanctum acciperent missi leguntur Apostoli, ut sic eos in recepta fide confirmarent. Quod ad Ecclesiæ constitutionem, fieri cœpta est, & perfici poterat, etiamsi nullus missus ad eos fuisset Apostolus.* Item, *per universum orbem plurimæ fuerunt constitutæ Ecclesiæ, antequam ad eas pervenire potuerint Apostoli, & ad quas accedere omnino non potuerunt.* Vides Saraviam agnoscere Philippum habuisse potestatem ordinationis, & impositionis manuum ordinariæ. Nam quomodo constituere potuit Ecclesiam, si manus imponere non potuit. Ex Eusebio libro 3. cap. 31. adducit hæc verba, *Etenim plerique omnes discipuli, qui eo tempore vixerunt, ardentiore sapientiæ cœlestis studio amoreque incensi, & præ quodam divini verbi desiderio animis perculsi, præceptum Servatoris antea traditum exquisitè executi sunt: & his qui ope indigebant, facultates suas libenter impertierunt. Deinde à domicilijs suis peregre profecti, munus obierunt Euangelistarum, atque iis, qui ne adhuc quidem omnino verbum fidei audivissent, Christum prædicare & scripturas sanctorum Euangeliorum tradere omni cura & cogitatione studuerunt. Qui cū in locis quibusdā peregrinis fidei duntaxat jecissent fundamenta, Pastoresq; alios constituissent, illisque curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Christi sedulò excolendorum commisissent, ipsi ad alias regiones gentesque cum gratia & virtute divina se contulerunt.* Vides Euangelistas Apostolorum discipulos, post Apostolorum obitum Ecclesias & Pastores constituisse, & cooperarios Apostolorum Euangelistas ab Apostolis ipsis huc vel illuc, prout expediebat, missos idem potuisse negabimus? Apostoli non potuerunt soli per universum orbem Ecclesias constituere. Quod ipsi perficere non potuerunt, per cooperarios suos peragere oportuit. Ipse Dounamus fatetur veteres Græcos Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium interpretari vocem *Presbyterij* 1. Timoth. 4. collectivè, sed intelligunt, inquit, Senatum ceu cœtum Apostolorum aut Apostolicorum virorum, id est, Episcoporum, aut plusquam Episcoporum, de quo commento supra diximus. Sed qui nam quæso erant illi viri Apostolici plus quam Episcopi. Num alii quam Apostolorum comites & cooperarii. Ipse Apostolicos viros alibi dicit Euangelistas fuisse. Si Euangelistę imponere manus Timotheo potuerunt, Timotheus, dum erat Euangelista, aliis, scilicet, imponere manus non potuit? Supra audivimus ex Bellarmino absurdū esse dicere Timotheum fuisse simplicem Presbyterum, & ex Spalatensi generalem quendam Episcopatum accepisse. Idem alibi in hunc modum scribit.

Quæst. 101.

Defens. c. 3. sect. 2.

Tractat. de gradib. c. 19.

Defens. libro 3. ca. 4. s. 10. Lib. 4. ca 3. sect. 16.

Initio quidem nascentis Ecclesiæ Episcopi sine certa Ecclesia creabantur, & Ecclesiæ universali, ceu in communi deputabantur, ut ipsi & Ecclesias fundarent particulares, & eas vel sibi retinerent, vel alijs traderent. Euangelistas intelligit, quos Episcopos quosdam generales esse vult, id est Episcopos, sed impropriè dictos, ut nos volumus. Vides igitur Timotheum, Titum, Philippum, Silvanum, & alios Euangelistas potestatem ordinationis & impositionis manuum habuisse, etiam antequam affixi erant certis locis. Proinde quærimus quàm novam potestatem, nova quam fingunt ordinatione, acceperit? Detur substitisse Ephesi usque ad obitum, non tamen desiit esse Euangelista, sicut Iacobus non desiit esse Apostolus, postquam assignatus est Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Philippus Act. 8. dicitur Euangelizasse in omnibus civitatibus usque dum veniret Azoto Cæsaream, & Act. 21. 8, Paulus, & qui cum eo erant, dicuntur venisse Cæsaream, & mansisse domi Philippi Euangelistæ. Philippus mansit Cæsareæ & Euangelista nihilominus vocatur. Timotheus manet Ephesi, & opus Euangelistæ peragere nihilominus hortatur Paulus. Iacobus mansit Hierosolymis, & Apostolus nihilominus vocatur, Galat. 1. 19. Euangelista igitur non desiit esse Timotheus, licet Ephesi commoratum fuisse concesserimus. Si Euangelista ergo plusquam Episcopus, ut ipse Dounamus viros Apostolicos interpretatus est. Apostolus Ephes. 4. Euangelistas collocat in gradu celsiori supra Pastores & Doctores, *Pastores & Doctores, quo uno verbo significavit* (inquit Bellarminus) *confuse totam Hierarchiam ministrorum Ecclesiæ.* Euangelistæ igitur superiores sunt confusa Hierarchia. Euangelistas interpretatur eos, qui Euangelia scripserunt, & Dounamus 4 Euangelistas & forte inquit 72 discipulos. Non audet certò affirmare, ne forte Episcopis suis Diœcesanis superiores viderentur. Bellarmini interpretatio est insulsa. Agit enim Apostolus de officiis & functionibus à Deo institutis ad opus ministerii. Scribere Euangelia non est functio instituta ad opus ministerii, magis quam scribere Acta Apostolorum, aut epistolas. Hoc accidentarium erat & commune tam Apostolis, quam Euangelistis scribere Euangelia, quod una etiam vice præstiterunt. Hîc autem distinguntur alii ab aliis speciali aliqua, & peculiari functione. Quod ad Dounamum, hæsitanter loquitur, & commentum illud de 72 discipulis ad Euangelistarum munus à Christo vocatis nulla niti scripturæ authoritate supra ostendimus. Sed detur verum esse, cur tamen alios excludit Euangelistas, quos & Euangelistas fuisse fatetur, eorumque functionem extraordinariam. An extraordinaria munera cum ordinariis miscebit? Multò magis igitur fatendum est Euangelistas illos hoc loco indicari, cum nulli alii sunt nisi unius generis Euangelistæ, quamvis modo vocationis differant, nempe quod Apostolorum afflatu intrinseco, aut per Prophetas spiritu jubent

Lib. 2. cap. 7. num. 26.

De Pontif. l. 1. c. 9.

L. 4. cap. 4.

bente

bente vocati fuerint, priusquam missi, aut assumpti ab Apostolis. Ex dictis liquet Timotheum Euangelistam fuisse, virum Apostolicum, & plus quam Episcopum, & proinde ad Episcopi gregarii ordinem absque injuria non redigendum. Salmeron in 1 Timoth. Pag. 405. *Videtur ergo quod fuerat plusquàm Episcopus, etiamsi ad tempus in ea civitate ut Pastor prædicaverit, & ad sacros ordines promoverit, unde quidā vocant eum Episcopum.* Episcopum ad Presbyteri gradum reducere sacrilegium esse dixerunt olim quidā Chalcedonenses: sed Euangelistas suo loco movere, & ad Episcoporum gradū deiicere grandius sacrilegium est. Sed dicent fuisse simul Euangelistas & Episcopos, nec propterea capite diminutos, quia Episcopatum gesserint. *Imo,* De guberna. cap. 12. p. 179. 280. *Euangelistas potius & Episcopos,* inquit Billonus. *Quamprimum enim certis affixi sedibus cum potestate & authoritate, quam dixi, Apostolorum comites esse desierant quid aliud, quam Episcopi esse poterant? Apostolis præsentibus quidem assistebant, absentium vero vices supplebant, Ecclesiasque ab ipsis relictas in eodem statu conservabant. Iam verò, si Apostolicæ potestatis istius ratione, cum in alicubus locis permanerent, Episcopi essent, multò magis Euangelistæ.* Respondeo diversa esse hæc duo munera, Euangelistarum, & pastorū sub quibus conprehendunt Episcopos suos Hierarchicos. *Alios,* inquit, *dedit Euangelistas, alios Pastores* & proinde, ut illi volunt, Episcopos. Extraordinarium opponitur ordinario. Non potest unus, & idem simul & semel in eadem materio fungi officio ordinario & extraordinario, sed alterutrius exercitū suspendi oportet. Vti ordinarius pastor alligatur uni certæ Ecclesiæ ex officio, quam deserere non potest, ut extraordinarius non uni Ecclesiæ alligatur ex officio, licet commoratus fortè ad obitum ibi fuerit, sed tenetur, aliis Ecclesiis operam suam accomodare, & semper paratus esse ductum spiritus sancti, aut Apostolorum mandatum, si Euangelista, sequi. Dixit supra Whitakerus, quicquid egerat Iacobus, ut Apostolum non ut Episcopum egisse. Sic dico Euangelistam omnia, ut Euangelistam egisse, non ut Episcopum, etiam cum substitit plures annos in aliqua certa Ecclesia. Iacobus subsistens Hierosolymis vocatur Apostolus, Philippus Cæsareæ, Timotheus Ephesi commorantes non Episcopi sed Euangelistæ nuncupantur. Euangelistæ & Apostoli nominibus designatur functio, quam exercebant, nempe quòd non ordinaria fuerat sed extraordinaria. Alia præterea, & maiori authoritate prædicabant Euangelium Euangelistæ, quam pastores ordinarii, nempe legatione sua fungentes, ut legati extraordinarii donis extraordinariis præditi, & Apostolorum mandatarii, quod non poterant ordinarii pastores. Si Episcopi & Euangelistæ functio formaliter non sit eadem, nec actus Episcopi & Euangelistæ formaliter idem, inquit, vir limatissimi ingenii Bancrius Anglus Perkinsi successor in codice quodam manu scripto. Quod quidam obiiciunt inferiores

functiones

functiones in superioribus contineri, respondet, si intelligunt, virtute & eminenter nempe quod Apostoli & Euangelistæ potuerunt exercere actusomnium inferiorum functionum, sed altiori ratione, iste sensus, inquit, aliquatenus tolerabilis est. Sed si intellexerint formaliter & eadem ratione qua inferiores, falsum est. Exempli gratia, inquit. Capitalis justitiarius Angliæ non est formaliter Conestabularius. Materialiter Euangelista & pastor ordinarius operantur circa eandem materiam, sed eodem modo formaliter non operantur. Præterea non continetur Episcopus Hierarchicus in Apostolo & Euangelista sicut Presbyter. Apostoli quandoque Presbyteri vocantur, quia Presbyteris & Apostolis multa sunt communia, sed Episcopi, eo sensu quo volunt Hierarchici Episcopatum suum defendere, nusquam vocantur. Si Apostolus & Euangelista continet in se Episcopum ut inferiorem, oportet primum extra Apostolum & Euangelistam dare instantiam de Episcopo, ut damus de Presbytero. Nam ut Apostolus vel Euangelista continebat sub se Presbyterum, ita reipsa habuit Ecclesia Presbyteros alios ab Apostolis & Euangelistis. Similiter, ut Apostolus vel Euangelista contineat in se Episcopum Hierarchicum, tanquam inferiorem oportet ostendere in Ecclesiis Apostolicis Episcopos Hierarchicos alios ab Apostolis & Euangelistis ut verba Apostoli ipsorum sententiæ sic quadrare possint. Alios dedit Apostolos, alios Euangelistas, alios Episcopos Hierarchicos, alios Presbyteros. Oportet monstrare non unum & eundem simul Apostolum & Episcopū, Euangelistam atque Episcopum, sed alium atque alium. Apostolos non Euangelistas, Euang. non Apost. Presbyteros nec Apostolos nec Euangelistas passim monstrabimus. Episcopum Presbytero gradu potestatis directivæ & correctivæ superiorem ab Apostolo vel Euangelista alium nunquam nusquam ex scripturis monstrabunt. Est ergo petitio principii, cum dicunt Timotheum ut Euangelistam continere sub se Episcopum, quia nullus erat ille Episcopus in rerum natura alius ab Euangelista, qui sub eo contineretur. Præterea non opus fuisset noua ordinatione, ut Episcopatum susciperet Ephesinum, si ut Euangelista contineret sub se Episcopum. Detur igitur Apostolum & Euangelistam continere sub se Presbyterum non modo eminenter, sed etiam formaliter, quicquid possunt agere & operari ultra Presbyterum, agunt & operantur, non ut Episcopus Hierarchicus Presbytero superior, qui nullus erat, sed ut Apostoli & Euangelistæ in celsiori gradu extra ordinem & ad tempus à Domino collocati. Sed replicat Dounamus, *Authoritas, quæ ipsis commissa fuerat, perpetuo est necessaria: absque qua neque gubernari potest Ecclesia, ut absque jurisdictione, neque in posterum conservari, ut absque ordinatione, ideoque non peculiaris extraordinariis personis, sed ordinaria derivatione continuanda in iis, qui* In concion.

Timothei ac Titi successores sunt. Item, *ac ne putemus hæc illis dicta fuisse, tanquam extraordinarijs personis, quarum auctoritas, cum ipsis interitura esset, sed ipsis, eorumque successoribus usque ad mundi finem: severe iniungit Timotheo, ut mandata præceptaque, quæ ipsi tradiderat, inviolata servarentur usque ad adventum Domini nostri Iesu Christi 1 Timoth. 6. 13. 14. ac proinde à talibus qui æqualem auctoritatem habituri essent in finem usque.* Communem omnium cantilenam sic canit Tilenus. *Num extraordinarii nobis erunt ac temporarij Canones illi in Epistolis ad Timotheum & Titum perscripti? Cur igitur nostrorum Patrum ordinationes ad hanc normam exigimus? Alia quoque occurrit in Genevensibus placitis hallucinatio, quòd extraordinarium cum temporario confundunt, quasi extraordinarium quod est, idem temporarium esse necesse sit, perpetuum esse non possit. Atqui ut inauguratio Aaronis ad Sacerdotium, licet extraordinaria, non tamen propterea Aaronis morte fuit finita; sed principium fuit & fons successionis ordinariæ; sic etiamsi extra ordinē, & ab ipso Christo immediatè vocati fuissent Timotheus & Titus, quod falsissimum esse modò ostendimus: non tamen hinc efficeretur, plurium Ecclesiarum præfecturam ipsis solis commissam, non item alijs, quibus ipsi acceptam à Paulo, vel etiam à Christo lampada tradidissent; vel quos Ecclesia in demortuorum locum suffecisset, committi potuisse.* Et alibi, *acceptam à Paulo potestatem non tantùm ad tempus usurpasse, sed ad posteros quoque transmisisse, adeo ut quàm necessarium est Ecclesiæ verbi & sacramentorum ministerium; tam sit in hoc ministerio perpetuum jus illud, ac potestas instituendi ministros, non minus gradibus, quàm dotibus inter se diversos. Temporarias has in Ecclesia functiones esse qui statuit, ipsam Ecclesiam temporum vicibus tandem evertendam, ac pessundandam putat.* Bellarminus probat oportere aliquem Petro succedere in Pontificatu Ecclesiæ universæ ex fine Pontificatus. Nam certum est, inquit, Pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Pontificem. Respondet Tilenus. *Etiam Apostolatus, & Prophetia, & Euangelistarum munus fuit propter Ecclesiam, Ephes. 4. 11. An ergo semper in Ecclesia Prophetæ, Apostoli, & Euangelistæ?* Dicit Bellarminus, non minùs, imò magis nunc egere Ecclesiam uno Pastore quàm tempore Apostolorum. Respondet Tilenus, *Hinc sequeretur etiam pluribus eam nunc egere Apostolis, & Prophetis. Negamus vero eadem prorsus requiri in jaciendis fundamentis, & in erigendis parietibus, exædificandoque toto corpore: alia ratio rei in generatione, alia in constitutione.* Dato igitur non concesso Petrum totius Ecclesiæ pastorem fuisse tempore Apostolorum, non tamen concedit Tilenus eius Pontificatum ad unicum perpetuo successorem dirivandum, quia alia est ratio rei in generatione, alia in constitutione. *Nec sequeretur denique egere nunc ex eo quod tunc eguerit, si hoc concederemus,* inquit Iunius, *nam fieri posset, ut tunc eguerit novella, quæ nunc non egeat radicata.* Whitakerus ait,

Paræn. ca. 5.

Cap. 4.

De Pontif. l. 1. cap. 12. not. 5. 8.

ait, *Vultne quicquid Apostolorum tempore fuit id esse perpetuum? At multa tum extraordinaria fuerunt. Et aliam fuisse formam regiminis tempore Apostolorum, aliam nunc, Stapletonus ipse fatetur. Nam tum per Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Ecclesia gubernata fuit, at nunc per solos Pastores & Doctores regitur: reliqui enim sublati sunt.* Non solum dona dicit fuisse extraordinaria, sed etiam aliam regiminis formam Apostolorum temporibus, quàm postea sub Pastoribus ordinariis. Sicut domo exedificata non opus est Architectis ad fundamenta jacienda, neque aliis operariis ad parietes erigendos, ut in extruenda: ita nec Apostolis eorumque cooperariis opus est Ecclesia jam constituta, sicut initio nascentis Ecclesiæ. Temporaria functio non ex modo vocationis solummodò, quia scilicet vocatur quis ad eam extra ordinem, sed etiam ex ipsius natura, dignoscenda est. Aaronis & Posterorum sacerdotium ordinarium erat, ex Dei institutione, licet Aaronis vocatio fuerat extraordinaria. Extraordinarium erat ortu, licet in progressu ordinarium eius & posterorum munus. Non modò sunt à Christo ἀμέσως vocati Apostoli, sed etiam donis extraordinariis præditi, & functione temporaria & extraordinaria instructi ad peragrandum orbem, & prædicandum Euangelium cum authoritate divina, potius quàm humana, & Ecclesiam Christi in terris fundandam. Cum Apostolus ait Ephes. 4. Alios dedit Apostolos, alios Euangelistas, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores, utrum enumerat dona solummodò, an etiam functiones? *Non de donis in abstracto solum agit, sed de functionibus, & qui eas legitimè administrant instructis*, respondet Tilenus. *Non de donis illic agit Apostolus de quibus ante egerat; sed de vocationibus & administrationibus in Ecclesia institutis pro demenso donationum eius*, respondet Iunius. Episcopos suos & totam Hierarchiam dicunt in horum verborum *Pastores & Doctores* involucris latere. Si *Apostoli & Euangelistæ* nomina functiones significent, oportet diversas esse ab omnibus Hierarchiæ functionibus, quæ ordinariæ sunt. Non ergo solummodo vocatio & dona Apostolorum & Euangelistarum sunt extraordinaria, sed & ipsæ functiones. An Apostolus nil aliud significat, quam dona personalia Apostolorum, non autem officium? Similiter Euangelista? Aaron & posteri successores nec authoritate nec potestate aut functione distinguebantur, ut Apostoli & Euangelistæ ab omnibus ordinariis functionibus in Ecclesia, neque habebat functionem aliam, quæ includebat & in se continebat sacerdotium illud quo functi sunt eius successores. Sed pergo. Dounamus, ne Episcoparum, quem Apostolicæ institutionis & divini juris esse asseruit, perpetuò & immutabiliter ad esse Ecclesiæ necessarium statuere cogatur ex loco illo supra citato 1. Timoth. 6.13. excogitavit istam distinctionem. *In omni regimine*, inquit, *distinguenda sunt, potestas, ordo, forma vel modus titulus*

Controv. 4. quest. 4. c. 2. p. 374.

De Pontif. l. 1. c. 9. not. 82.

titulus sive applicatio potestatis ad personam, & usus. Ipsa potestas exercenda, & ordo quibus inferiores superioribus subjiciuntur, & subordinantur, sunt essentialia & immutabilia in omni regimine, sed forma vel modus id est utrum Monarchicè, Aristocraticè, an Democraticè exercenda potestas: titulus, utrum rectores successione an electione jus acceperint in potestatem, & usus quomodo exerceant, sunt mutabilia. Si ista sunt distinguenda in regimine ordinario, quod asserunt esse Apostolicæ institutionis, multo magis in extraordinariis Ecclesiæ rectoribus distinguenda sunt. Apostolorum igitur, & Euangelistarum functio extraordinaria à potestate jurisdictionis & ordinationis distinguenda est. Euangelistarum functio non est perpetuò necessaria, quippe quæ extraordinaria & temporaria tantummodo erat, sed potestas ordinationis & jurisdictionis, quam exercebant, est perpetuò necessaria usque ad illustrem adventum Domini nostri Jesu Christi. Christi mandatum de prædicando Euangelium omnibus gentibus, baptizando & mortem Christi annuntiando in Eucharistia celebranda usque ad ipsius reditum Apostoli per se præstare non poterant sed per ipsorum successores perficiendum & implendum erat. Non tamen oportebat successores Apostolos esse. Sic Euangelistæ & Apostoli potestatem ordinationis & jurisdictionis exercebant in Ecclesia, non tamen oportebat Apostolos & Euangelistas in Ecclesia durare usque ad finem sæculi. Moses & eius successor Iosue duxerunt populum Dei per desertum, & introduxerunt in terram Canaan. An propterea cum introductus Dei populus in terram Canaan oportebat eligere successores, qui in eodem gradu succederent Mosi & Iosuæ? Apostoli & Euangelistæ duxerunt fideles per desertum Paganismi, & plantarunt Ecclesias. An idcirco oportebat alios eligere, qui Apostolis & Euangelistis in eodem authoritatis gradu succederent? Ordinarium regimen reipublicæ Moses instituit, licet ipse extra ordinem à Deo excitatus! & penes summum Synedrion summam potestatem ordinariam ex Dei instituto reliquit. Ita & Apostoli ac Euangelistæ reipublicæ Christianæ regimen ordinarium, quod permansurum decreverunt, non apud sui similes, sed apud Presbyterium ceu Presbyterorum Senatum deposuerunt.

Controv. 5. lib. 1. cap. 14 not. 15. *Nunquam instituit Christus, ut Apostolis secundum gradum in Ecclesia succederetur*, inquit Iunius: *quæ res, si fuisset, jam Apostolatus functio ordinaria dicenda esset. Hoc autem veritati & rationi adversatur. Omnes Dei servi in doctrinam Apostolorum successerunt, in gradum eorū neminem adoptavit Deus.* Successio, ait Banesius, est vel in gradum eundē, vel in caput. In gradum eundē, ut cum frater fratri succedit in jure hæreditatis. In caput, cum quis non eadē linea sed ex alia legaliter succedit. Sic in gradum Apost. & Euang. quia extraordinarius & temporarius nemo successit. In caput, Presbyteri & pastores ordinarii,

ordinarii, quaſi ex alia linea, quia ordinarii, ſucceſſerunt. Leges à Moſe de Politia latæ non erant temporariæ & extraordinariæ, ſed durante Iſraelis republica ſervandę, licet non perpetuò à ſucceſſoribus, qui in gradum Moſis ſuccederent. Sic Canones in Epiſtolis ad Timotheum & Titum perſcripti ſunt, non ut apud eiuſdem gradus, & functionis ſucceſſores perpetuo maneret regimen Eccleſiæ. Eccleſiaſtica poteſtas, ait Gerſon, tribus modis conſideranda eſt, formaliter ceu abſolute, materialiter ceu reſpective, prout huic vel illi applicatur, & executive. Etſi abſolutè duret poteſtas eadem, tamen applicative variata eſt, & quæ erat in Apoſtolis & Euangeliſtis, non ſemper apud Apoſtolos & Euangeliſtas manſit. Sicut de jure in Apoſtolorum vel Euangeliſtarum gradum nemo ſuccedere potuit, ita nec de facto aliquis ſucceſſit. Tito Eccleſiarum totius inſulæ cura demandata eſt. Non ſucceſſit unus aliquis, cui ex æquo omnes Eccleſiæ totius inſulæ commendatæ ſunt. Philippus Epiſcopus Gortinenſis eſt primus, quem poſt Apoſtolorum tempora proferunt Titi ſucceſſorem. At ille non erat Epiſcopus Eccleſiarum omniũ in Creta. Nam Epiſcopus eſt unius tantùm Eccleſiæ Epiſcopus, licet jam ponamus Eccleſiam illam eſſe amplam & Diœceſanam. Plures erant in Creta Diœceſes. Vnius earum Epiſcopus memoratur Philippus. At Titus non unius, ſed omnium curam ad tempus ſuſcepit. Dices igitur Archiepiſcopum fuiſſe. Hoc etiam falſum. Non Archiepiſcopus nullus eſt, qui non habet ſibi ſubordinatos Epiſcopos Diœceſanos. At Titus nullos Epiſcopos Diœceſanos, ſed Preſbyteros oppidatim conſtituit in Eccleſiis & nullos habebat tales Epiſcopos ſibi ſubordinatos. Præterea Archiepiſcopus non eſt plurium Eccleſiarum Epiſcopus, ſed unius tantummodo, licet plurium in eadem provincia Epiſcoporum in ſynodis præſes. Epiſcopum Eccleſiæ alicuius audivimus, ſed Epiſcopum *Eccleſiarum* aut Archiepiſcoporum Eccleſiarum aliquem dici inſolens eſt. Archiepiſcopum Alexandriæ, non autem Archiepiſcopum Ægypti dicimus. Archiepiſcopo non ſunt ex æquo traditæ omnes ſuæ Provinciæ Diœceſes. At Titus non curabat unam Diœceſanam in Creta ut Epiſcopus, & alias ut Archiepiſcopus. Si nec Epiſcopus nec Archiepiſcopus, an non Euangeliſtam fuiſſe neceſſariò oportet, etiam tum cum in Creta ab Apoſtolo derelictus, imò etiamſi inde nunquam migraſſet, nec alias regiones poſtea ut Euangeliſta peragraſſet, ſed ibi diem ſupremum obiiſſet. Si Titus Archiepiſcopus fuiſſet, ſequeretur etiam Archiepiſcopos eſſe Apoſtolicæ inſtitutionis, & priores Epiſcoporum inſtitutione. At prius falſum, nec id apertè profiteri ipſi audent, & poſterius abſurdum eſt. Si Titus nec Epiſcopus nec Archiepiſcopus ſed Euangeliſta fuit, an Timotheum Epiſcopum vel Archiepiſcopum fuiſſe judicabimus? Timotheum Ephesi ſubſtitiſſe, non unius Eccleſiæ

De poteſtate Eccl. conſiderat. 6.

clesiæ Ephesinæ, sed aliarum quæ in Asia propriè dicta & ivicinis locis erant, valde probabile est. Nam verisimile est ob eundem finem ibi mansisse, ob quem prius Apostolus triennium. *Ita ut omnes, qui habitabant in Asia, tum Iudæi tum Græci audirent sermonem Domini Iesu* Act.19.10. Ibi ostium magnum apertum 1.Cor.16.9 & illuc ventitabat omnis Asia minor, inquit Lorinus in Act. 18. 19, vel religionis causa ad Dianæ templum, vel negotiorum ad metropolin & urbem proconsularem, vel studio Philosophiæ: nam inde fluxit Philosophia Ionica; Iudei etiam dictæ civitatis municipes erant eiusque privelegiis potiebantur. Tilenus noster dicit Timotheũ non solum Ecclesiam, quę erat Ephesi, sed & in locis finitimis curasse. Chrysostomus ait, *Quæri meritò potest, quomodo Timotheum ad se vocet, cui Ecclesiæ gentisque totius crediderat gubernacula?* Theodoretus in 1.Timoth.3. Asianorum Episcopum vocat, quod propriè dici non potest. Nam, ut dixi Episcopus est unius Ecclesiæ Episcopus. At in Asia plures erant Ecclesiæ. Si nulli Tito & Timotheo in tam ampla jurisdictione successerunt, indicium est Euangelistas fuisse, non ordinarios Pastores, & eorum functionem non fuisse ad successores sui similes derivandam. Quod igitur dicunt Paulum præscribere in epistolis ad Timotheum & Titum, quomodo se gerant Episcopi in suo munere, falsum est. Nam quomodo perscriberet Canones & regulas iis, qui nulli erant, vel re & instituto, vel proposito Apostoli. Episcopi, verum, postea occuparunt locum affinem gradui Euangelistarum, & propterea Canones perscriptos Timotheo & Tito exequi potuerunt, sed non sequitur ex ipsorum facto vel jure humano esse legitimos successores Titi & Timothei. Quæ scripsit Apostolus tum Timotheo & Tito ut Euangelistis tum legitimis successoribus in tabulis testamenti designatis, nempe pastoribus ordinariis perscripsit. Ipse Dounamus fatetur canonibus hisce informari non solum Episcopos, sed etiam ubi desunt Episcopi, Presbyteros. Apostoli ipsi non erant Episcopi, & tamen hos canones observarunt. Cum in scripturis nullibi pedem figere possunt, ad subscriptiones epistolarum, & testimonia Patrum confugiunt. Nam subscriptiones annexas ad finem Epistolarum non esse Canonicæ Scripturæ partẽ ullam satis constat. Tanta varietas est harum subscriptionum in codicibus manuscriptis, ut nullo pacto conciliari possit. Ipsi Pontificii Baronius, Serrarius, Rhemistæ, & alii falsi arguunt plurimas. Ex epistolarum argumento earum falsitatem evincit Beza. Cum scriberet Paulus ad Corinthios epistolam priorem, an certum illi fuit se scripturum aliam? Cur igitur subscriberet Paulus, *Prior ad Corinthios* similiter ad Thessalonicenses, & ad Timotheum. In prioris epistolæ ad Timotheum subscriptione dicitur scriptam esse ex Laodicea. Beza, Baronius & Serrarius conjiciunt scriptam fuisse in Macedonia,

Contro.3.l.1 c.9. not.42.

In 2.Timot. homil. 10.

Macedonia. Laodicea Phrygiæ Pacatianæ Metropolis dicitur. *At nusquam hoc epitheton apud illius ætatis scriptores legitur*, ut observavit Beza, *sed apud recentiores illos, qui Romani imperij jam inclinantis provincias descripserunt, adeo ut ex hoc etiam loco constare possit, multo post has scriptas epistolas tempore istiusmodi subscriptiones additas fuisse, ab aliquibus plerunque vel indoctis, vel certè non satis attentis*. Codex Claromontanus nullius loci meminit. Ad finem posterioris epistolæ dicitur Roma esse scripta ad Timotheum, qui primus Ephesi ordinatus fuit Episcopus. At hoc membrum deest in quibusdam vetustis codicibus, in veteri vulgata editione, & apud Syrum interpretem. Paulus ita scripsisset, *ad Timotheum Episcopum Ephesi vel Ephesinæ Ecclesiæ*, non autem, *ad primum*, cum nondum certum, an succederet secundus, nec *ad primum Episcopum qui ordinatus fuit*, sed potius *ordinatus est*. Postremum membrum non extat apud Syrum. Paulus ita scripsisset, *cum ego iterum sisterer Cæsari Neroni*, non autem, *cum Paulus iterum sisteretur Cæsari Neroni*. Præterea ex verbis Apostoli, 2. Timoth. 4. 16. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit*, colligunt quidam liberationem è prioribus vinculis, & post decennium fere posteriora vincula, in quibus iterum sisteretur Neroni. De re ipsa non multum laboro, sed ex versu illo tale quid posse colligi pernego. Quasi verò post 9 aut 10 annos scriberet, quid accidisset illi in prima defensione, præsertim Timotheo quem post priora vincula convenisse, & Ephesi Episcopum constituisse referunt. Epistolam istam scriptam fuisse in prioribus vinculis supra pluribus argumentis probavimus, & proinde hoc postremnm subscriptionis membrum non est ab Apostolo additum aut annexum epistolæ. Si igitur post priora vincula, è quibus scripta est ista epistola, Timotheus fuit constitutus Episcopus, quod hic dicitur, *scriptum esse Roma ad Timotheum, qui primus Ephesi ordinatus fuit Episcopus*, assumentum scriptoris alicuius imperiti esse oportet. Nam nondum erat ordinatus Episcopus nisi post priora vincula, ut ipsi volunt. Interim meminisse oportet Theodoreti regulam falsam esse, aut Paulo sic scribendum erat, *ad Timotheum Apostolum Ecclesiæ Ephesinæ*. Subscriptione annexa ad finem epistolæ ad Titum dicitur ex Nicopoli Macedoniæ scripta. At non ibi fuit cum scripta est ista epistola. *Quum misero Artemam ad te, aut Tychicum, stude venire ad me Nicopolin, nam illic decrevi hyemare*. Non dicit *Hic*, ac si ibi esset dum scriberet, sed *illic* quo nondum in isto itinere pervenerat. Præterea *ordinatus primus Episcopus Ecclesiæ Cretensium*, & quis quæso erat secundus Episcopus Cretensium, imo an unquam ullus? Episcopum Diœcesanæ alicuius Ecclesiæ, sed non omnium Cretensium legimus. Deinde dixisset Episcopum Ecclesiarum Cretensium, non Ecclesiæ Cretensium. Nam gentis aut nationis alicuius Ecclesias Christianas semper in plurali

numero Ecclesias, nunquam in singulari numero Ecclesiam appellant Lucas in Actis, & Paulus in Epistolis. Denique Claromontanus codex, teste Beza, non aliud habet quàm, *finita est epistola ad Titum*. Syrus, *finitur epistola ad Titum quæ scripta fuit è Nicopoli.* Vulgata vetus editio, nihil habet de Titi Episcopatu. Quod ad veterum testimonia attinet, nulla proferunt eorum, qui primis 300 annis floruerunt, nisi Pseudodionysii, qui patribus annos ferme 600 ignotus fuit. Aliorum scripta sunt vel supposititia ut Catalogus scriptorum, qui Hieronymo, liber de vita & morte sanctorum, qui Isidoro tribuitur, aut fabulosa & inter se pugnantia, ut Nicephori, Dorothei, Antonini. Dorotheus ait *Euangelium Christi exorsus Ephesi Illyricum usque, & in universa Hellade prædicavit, ubi & mortuus & honorificè sepultus est.* Si persuasum unquã fuisset isti Dorotheo Timotheũ fuisse à Paulo Ephesi constitutum Episcopũ, hæc nunquam scripsisset. Nam Euangelistam potius quàm Episcopum nobis his verbis depingit. Magister historiæ scholasticæ refert illum fuisse Episcopum Lystrensem. Aut sunt recentiora veterum illorum testimonia, ut Theophilacti, Primasii, & similium. Aut secundum morem sui seculi scripserunt, cum Episcopi gradum sublimiorem Euangelistarum gradui affinem & similem occupabant, non autem propriè locuti sunt. Quot veteres citat Bellarminus, qui Petrum Episcopum appellant? Petrum tamen non fuisse Episcopum angusta siguificatione asserunt etiam Hierarchici, ut Sultiuius contra Bellarminum de Pontifice & Dounamus, & impropriè locutos fuisse veteres illos, qui Petrum Episcopum vocarunt. Annon etiam impropriè, qui Euangelistam Episcopum appellarunt.
L. 3. c. 31. Eusebius refert in prima post Apostolos successione plurimos fuisse Euangelistas. Cum igitur opus adhuc esset Euangelistis, quamdiu supererant Apostolorum aliqui, cur cessarent à functione sua Euangelistica Timotheus & Titus?
In Tit. 3. *Quia ergo post fundamentum aliarum Ecclesiarum necessarius erat Titus qui ædificium superstrueret, scribit ei, ut cum Artemam aut Tychicum, unum scilicet de duobus, qui secum fuerant in Cretam misisset, impleturos locum eius, ipse Nicopolin veniret.* Eundem Tychicum Ephesum Roma misit, cum Timotheum ad se venire jubet. Iohannem historiæ tradunt in provinciarum divisione sortitum esse Asiam &. Et Ephesi commoratum maxima ex parte usque ad relegationem in Pathmum, & postea etiam rediisse Ephesum. Quomodo igitur fuit Timotheus Episcopus. Nam usque ad Iohannis relegationem ibidem Episcopum constituunt. Si Timotheum Episcopum volunt constitutum, priusquam Ephesum venerat Iohannes, cum tamen Timothei annos producunt ad annum Christi 90 alii ad 108 una Episcopatũ gessisse oportuit. At Apostolos fatentur Episcopos constituisse non in iis locis, ubi ipsi ad tempus commorati sunt, sed in aliis, cum

alio

aliò migrarent. Nam ubi aderant Apostoli, potestatem omnem Episcopalem sibiipsis reservasse dicunt. Maneat igitur firmum Euangelistas semper fuisse non Episcopos Hierarchicos Timotheũ & Titum, ut & plerosque alios, qui tanquam Planetæ in suis, sphæris pererrabant, dum ordinarii Pastores suis locis hærerent, ut stellæ in firmamento fixæ. Si daremus Episcopos fuisse Titum & Timotheum, non tamen sequitur eumpse, ut ait Tilenus, Episcopatum gessisse, quem Angli. Nam Anglus singulari sua potestate solus dominatur in Ecclesias per se aut perCancellariũ suum, officialem, aut commissarium, non ita Titus aut Timotheus. Imo nos qui Euangelistas fuisse asserimus, in Ecclesiis constitutis singularem potestatem exercuisse negamus. Quæ scripta sunt Timotheo in triplici sunt differentia, sicut ea quæ dicta sunt Petro. Quædam ei scripta sunt pro se tantum, quædam pro se & omnibus Christianis, quædam pro se & omnibus aliis Episcopis Ecclesiæ Ephesinæ de quibus Act. 20 prout ex diversa ratione colligi possunt. Quicquid enim juris communis est rectè de unoquoque singulariter dicitur κατ' ἰδίαν, & de aliis intelligitur κατὰ συνεκδοχήν. Atque hæc de Timotheo & Tito quos ex scripturis probare conantur constitutos fuisse ab Apostolis Episcopos. Si responsio nostra de Euangelistica ipsorum functione satis habet ponderis fatetur Bilsonus Episcopalis muneris & potestatis eversionem & ruinam inde sequi. *Plane enim, inquit, hoc si defecerit, Episcopis suam authoritatem Ecclesiæ consuetudine vendicare liceat, divino aliquo jure aut scripturarum testimonio non licebit.* *De gubern. c. 6. p. 347.*

Ex consequenti quomodo probaverit Dounamus Episcopos esse Apostolicæ institutionis hactenus vidimus. Videamus & eorum argumentum qui immediatè à Christo ipso institutos esse volunt. Quamvis Dounamus ulterius non progreditur, quam ad institutionem Apostolicam, tamen ait plurimos Patrũ asserere Christum in Apostolis & Septuaginta discipulis duos ministrorum gradus instituisse, Episcoporum & Presbyterorum. Et qui dicunt Episcopos Apostolis successisse, ex consequenti etiam dicere Christum, cum instituit Apostolos, Episcopos instituisse. Septuaginta discipulos ad stabile & perpetuum munus à Christo, dũ esset in carne, vocatos non fuisse, sed ad temporariam quandam & generalem annunciationem adventus Messiæ supra ostendimus. *Itaque non propterea quod defecerint 70 negabo illis directam successionem per nostros Presbyteros, sed quod illos non tanquam stabile aliquod corpus illius numeri Christus instituerit, sicut stabile duodecim Apostolorum collegium fecerat. Vnde & in locum Iudæ, antequam illi aggrederentur munus Apostolicum post resurrectionem illis commissum, substituendus fuerat Matthias Act 1 profectò ipsius Christi inspiratione, & in sortibus illis concursu. Et quoad quisque eorum vixt, Apostolicum munus expressè sibi*

Defens. l. 4. cap. 3 sect. 1.

L. 2. cap. 3. num. 6.

sibi cum mandato generali commissum exercuit. Quam confirmationem, quodque mandatum & generalem missionem à Christo factam 70 discipulis non invenio, neque possum affirmare in ipsis fuisse directè, proximè, & immediatè institutum ordinem Presbyteralem, sicut in 12 Apostolis directè & immediatè institutus est ordo Episcopalis, ait Spalatensis. Postea in Euangelistarum aut Presbyterorum ordinariam vel extraordinariam functionem omnes aut aliquot ipsorum traductos fuisse non negamus. *Imò ante omnia, ne penitus irrita esset illa Christi actio, qua 72 elegit, Apostoli sancti illos eosdem 70 discipulos, ut verè perpetuos Christi asseclas, etiam post peractam primam missionem denuo univerunt post Christi ascensionem*, dicit Spalatensis, quod fieri potuisse non inuiti dabimus: illud etiam, quod dicit ex illis 70 discipulis plures ab Apostolis factos similiter Apostolos generales, hoc est, ut nos secundum scripturam loquimur, Euangelistas. Sed ad ordinem Presbyteralem fuisse vocatos negat. Apostolos fatetur Saravia non accepisse potestatem ligandi & solvendi, nisi post mortem Christi. Nam *Apostolatus*, inquit, *sua initia & progressus habuit & nonnihil à se diversus fuit post acceptum spiritum sanctum. Præterea claves regni cœlorum, potestatemque ligandi se daturum promisit, quam ante mortem suam non dedit, quippe quæ adhuc conjuncta erat cum Aaronico sacerdotio, non prius finem acceptura, quàm sacrificio corporis sui Leviticas hostias aboleret, sacerdotiumque & quicquid cum eo conjunctum erat, in seipsum transtulisset. Et hi stante vetere Ecclesia novam fundare non poterant.* Si ante Christi mortem ligandi & solvendi potestatem non habuerunt, Episcopi nondum erant. Quid si nec Presbyteri? Nam illa missio in civitates Iudææ communis illis cum 70 discipulis non fuit ad munus stabile & fixum prædicandi Euangelium, sed ad generalem illam annunciationem & proclamationem de qua supra diximus, cum de 70 discipulis egimus. Negat etiam Th. Beza baptizandi potestatem. *Nec verum esse arbitror quod ais*, inquit, *baptizandi quoque potestatem tunc illis fuisse commissam, cum nulla ne tenuissima quidem fiat eius apud Euangelistas mentio.* Miratur Saravia D. Bezam qui annotationibus doctissimis novum Testamentũ illustravit, ter quaterve ad incudem revocavit, iterum atque iterum legit & relegit, tam absurdè scribere, *Cum diserte apud Iohannem legatur Dominum non baptizasse, sed ipsius discipulos Ioh. 4. 2 & 3. 22. Hic lapsus*, inquit, *D. Bezam admonere debet ipsum labi potuisse, nec oraculum esse quicquid ab ipso proficiscitur, &c.* Sic impudenter pergit ac si per triumphum captivum duceret virum illum eruditissimum, audax & insolens. Discipulorum baptizare nihil aliud erat quàm tingere Christo Euangelizante, ut supra diximus. *Ille quidem docebat & Euangelizabat (quomodo enim suum baptismum Christus daret sine Euangelizatione) discipuli vero hi tunc primum adhuc rudes & nondum satis ad Euangelizandum instructi verè*

adhuc

Lib. 2. cap. 3. num. 8.

Defens. ca. 3. sect. 3.

Ibidem.

L. 2. cap. 3. num. 2.

adhuc discipuli, nondum magistri suum ministerium solummodo in baptizando ita jubente Christo exercebant. Nondum enim illos suos duodecim collegerat, neque ullum ex discipulis ad Euangelizandum adhuc miserat, sed quos habebat discipulos eos tantum apud se ut discerent & testes oculati esse possent vitæ & actionum ipsius detinebat, eosque ad baptizandum interdum adhibens, mox ad euangelizandum & baptizandum tanquam magistros emissurus erat. Si nondum ad discipulatum omnes Apostoli, ad Apostolatum ulli vocati sunt, quomodo quæso ut Presbyteri baptizare poterant. Baptizasse id est tinxisse tantùm Christo ipso Euangelizante & mandante sequitur. Hæc enim gesta esse ante Iohannem conjectum in carcerem satis constat. Quod seorsim & per se baptismum ministraverint, docentes & tingentes, ne tenuissima fit apud Euangelistas mentio. Quomodo baptizare potuerunt discipuli priusquã ad Apostolatum vocati, non capio, nisi illorum baptizare fuerit solummodo tingere. Vocationem & rectè quidem à missione prima & secunda distinguit Saravia & vocationem interdum præcedere, non semper cum missione conjunctam esse asserit. Est enim non raro post vocationem opportunitas missionis expectanda, ut in Mose & Davide ostendit. Et proinde missio illa 12 Apostolorum Matth. 10. non est necesse ut propriè & peculiariter Apostolica appelletur, *ad quam tum implendam prorsus inepti fuissent Apostoli sed fuit duntaxat quoddam eius præludium & rudimentum, ut omnes ac pene singuli ad audiendum ipsum Christum accurrerent.* Sed esto: potestatem baptizandi habuerint, potestatem tamen ligandi & solvendi non habuerunt ante Christi resurrectionem, ait Saravia. Vnde ergo colligunt Apostolos 70 discipulis potestate superiores fuisse. Dignitate inferiores fuisse 70 discipulos Apostolis non negamus, sed Apostolos ullam habuisse in 70 discipulos potestatem negat ipse Saravia. *Subjectos autem fuisse Apostolis ego nusquam aio, quod sciam, sed uno gradu inferiores. Vtrosque fuisse primos sub Domini directione, dum in terris vixit, Euangelij præcones.* In quem finem igitur Apostolorum & 70 discipulorum distinctionem adducunt, ut Episcopi potestatem directivam & correctivam in Presbyteros probent. Patres, qui post annos amplius 300 scripserunt, Episcopos suos Apostolis, Presbyteros septuaginta discipulis succedere dixerunt. Nunquam dixerunt ex instituto Christi succedere, quia nunquam instituit Christus, ut Apostolis *secundum gradum in Ecclesia succederetur,* inquit Iunius. *Quomodo ergo, inquies, dixerunt hos illis succedere? nempe humana ac non divina institutione, analogica ratione quadam, non autem propria, imitatione communi quadam, non singulari necessitate Ecclesiæ. Succedere igitur ex simili non autem ex pari hos illis dixerunt Patres, quia gradus in Ecclesia non pares, sed similes, non plene, sed quodammodo observari putabant alij posse, alij oportere. Si qua autem similitudo est, tantum secundum*

Beza de grad. cap. 1.

Defens. c. 2.

De Cleric. c. 14. not. 15.

quid & remotissima, tamen similitudo est, si verè vera, si imaginariè imaginaria. Hæc verò secundum quid, remota, & imaginaria similitudo est, ex qua, si qui absolutè concludunt, absolutè fallunt. Bellarminus. *Eo modo succedunt Episcopi Apostolis, quo Presbyteri discipulis 72. At constat Presbyteros non succedere propriè discipulis, sed solum per similitudinem. Nam discipuli illi 72 non fuerunt Presbyteri, nec ullum ordinem aut jurisdictionem à Christo susceperunt.* Vides ut convenit inter Bezam, Bellarminum, Spalatensem, de munere 70 discipulorum. Sed quid proprie adumbrarunt? Apostolos & eorum cooperarios, qui in orbem terrarum mittendi erant. Sed pergamus ad potestatem plenam Apostolatus, quam acceperunt post resurrectionem, tum datæ sunt illis claves, quas ante promiserat Christus & misit eos sicut ipsum pater miserat, effuditque in eos dona spiritus sancti. An non tum constituit Apostolos Episcopos? Respondeo non constituisse Episcopos propriè, sed Apostolos. Nam Episcopum volunt adversarii esse pastorem ordinarium qui habet in alios pastores potestatem. Talem potestatem non habuit Apostolus ullus, ac si Episcopatum haberet ordinarium inclusum in Apostolica functione, & ab ea diversum. Omnem quam habebant potestatem Apostoli in Presbyteros, ut Apostoli exercebant, non ut Episcopi gregarii. Si etymon vocis respicias Apostolica illa potestas Episcopalis dici potest, & Apostolatus Episcopatus, ut Iudæ Apostolatus Episcopatus dicitur, Act. 1. *Ad illud de Iuda respondeo in Psalmo 108 vocari Episcopatum*, ait Bellarminus, *non id quod propriè nunc vocamus Episcopatum, sed præfecturam quamcunque. Est enim in Hebræo Pekudah, quod visitationem seu præfecturam significat. Et credibile est Petrum Hebraicè allegasse hunc Psalmum, & nomen illud præfecturæ ad Apostolatum Iudæ accomodasse. Lucas autem hæc referens Græcè sequutus est 70 interpretes, qui verterunt τὴν ἐπισκοπὴν, qua voce 70 interpretes non potuerunt intelligere nisi præfecturam in genere, cum non esset ipsorum tempore Episcopatus propriè dictus adhuc institutus. Adde quod etiam Cicero lib. 7. epist. ad Atticum hoc nomine utitur, cum dicit se à Pompeio totius Campaniæ Episcopum constitutum.* Addo ex Iunio prophetam scripsisse propriè in Doegum aut alium improbum, & ad Iudæ historiam minimè respexisse, licet Petrus accommodet verba Apostolatui Iudæ. Observat etiam Chemnitius eadem in Examine. *In Pandectis sunt Episcopi præfecti rebus venalibus. Et illa vocabula eo lubentius accommodarunt ad ministerium Ecclesiasticum, quia ex Græca Veteris testamenti versione nota tunc & vulgata erant. Pakod pekudah pekudim quæ significant visitationem, inspectionem, munus, curam, administrationem commissam, officium demandatum Græci reddiderunt ἐπισκοπεῖν ἐπισκοπὴν & ἐπισκόπους Num. 13. Episcopi exercitus, Iudith 9 Abimelech habet Episcopum Zebul,*

De pontif. l. 4. c. 25.

De Pontif. l. 1. c. 23.

De Sacram. ordinis c. 4.

bul, 4 Reg. 11. Episcopi qui sunt super exercitum: Ibidem, Custodiæ positæ super domum Domini ita exponuntur à Græcis, constituit Episcopos super domum domini, 2. Paralip. 34. Inspectores operantium vocantur Episcopi Num. 4. Munus ceu officium Eleazar in tabernaculo Domini vocatur ἐπισκοπή, *ita Psal. 106. functio Iudæ vocatur* ἐπισκοπή. Hoc postremum de Iudæ functione aliter in parallelis interpretatur Iunius, nempe de Iuda non prophetasse hoc loco Davidem, sed tantum accomodata esse verba prophtæ ad Iudæ Apostolatum accommodationis genere ætiologico. Vtcunque est, videmus græco vocabulo significari in veteri testamento, unde citatus locus, non id quod nunc propriè vocamus Episcopatum, sed præfecturam quamcunque. Præfecturam habuisse Apostolos tantum abest, ut negemus, ut summam in Ecclesia præfecturam sub Christo eis tribuimus, & præfecturam illam Apostolicam extraordinariam & temporariam fuisse dicimus omni dignitate & potestate ordinaria sublimiorem. *Quarta* Apostolatus *nota*, inquit Casaubonus, *est potestas longè maior & augustior; quam ulli unquam alij functioni spirituali fuerit attributa.* (Exercit. 14. pag. 314.) *Solis enim Apostolis dictum est, sicut misit me pater, ita & ego mitto vos, Iohannis 20. 21, quod etiam significat Apostolus 1 Cor. 12. 29. B. vero Chrysostomus eum locum tractans, ea quam dixi, homilia, ut magnitudinem muneris Apostoli exprimeret, comparationem spiritualium dignitatum (ipse* ἀρχὰς *nominat) cum civilibus, quas* αἰσθητὰς *appellat, instituit, & ait Apostolatum inter spirituales esse* ὑπατείαν πνευματικήν, *id est, supra omnes alias functiones spirituales sic eminere, ut supra omnes civiles magistratus eminet potestas Consularis.* Itaque, inquit, Apostolatum nominat potestatem omnium maximè spiritualem, item potestatem potestatum, & præterea potestatum spiritualium caput, radicem, & originem sive fundamentum; quoniam Apostolatu continentur omnes inferiores potestates, quas eo loco Paulus enumerat. *Quis nescit,* inquit Augustinus, *illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum.* (L. 2. de baptismo cap. 1.) Sed quid ad ista regerit Tilenus discipulus, vel potius Saravia Magister. *Verum excipuis extraordinarias functiones, ac temporarias cum ordinarijs ac perpetuis perperam à me misceri, ac confundi.* (Parænes. c. 3.) *Apostolum igitur audite docentem, quorsum ista munia ac gradus à Christo instituti, in quem finem referendi, quamdiu retinendi, quando destituri: sic ille; Ad instaurationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi: donec evadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi, &c. Ephes. 4. 12 13. 14. In altero demum seculo id futurum testatur ipsemet Beza disciplinæ vestræ, si non conditor, saltem instaurator & assertor acerrimus. Quantisper igitur in hoc seculo versatur Ecclesia, sicuti* (Paræn. c. 4.) Sanctorum καταρτισμῷ, operi ministerii, ædificatione corporis

corporis

poris mystici; iti & muneribus illis, diversisque munerum gradibus locus est. Itē, *Num igitur dicetis superstites adhuc, aut ex* ᾅδȣ *reduces habemus Apostolos, Prophetas, aut Euangelistas? An Episcopi etiam* τȣ̃ τυχόν]ος *ordinatio vel consecratio, eiusdē prorsus notæ Legatos ac Tribunos Christi nobis exhibebit, quos non nisi ab ipso militiæ huius Imperatore Christo* ἀμέσως, *ut vocari, necessariisque donis instrui, sic & copiis suis præfici posse persuasum habemus? Sic igitur habetote: In functionibus quas extraordinarias ac temporarias fuisse pertenditis, nos quidem multa extraordinaria dona ac temporaria vobiscū agnoscimus: ipsas autem functiones* ȣ̓σιώδῶς *acceptas, non nisi ad brevissimum illud tempus, quo Apostoli in carne vixerunt institutas fuisse falsissimum est. Fuerunt sanè illi à Christo immediatè vocati missique, testes eius* αὐτόπ]ιςοι, *nullis certis finibus circumscripti, sed ad universum terrarum orbem obeundum præconiique sui luce collustrandum destinati, à spiritu sancto ita eruditi ac gubernati, ut in excitando spirituali Ecclesiæ ædificio nihil nisi purum putum aurum, vel in fundamento ponerent, vel in parietibus ac tecto superstruerent. Fuerunt hæc in Ecclesiæ primordijs inchoando operi, & tum convertendis infidelibus tum confirmandis fidelibus gliscente hostium Euangelij rabie, & immanitate, planè necessaria charismata, quibus accesserunt & alia, miraculorum, sanationum, linguarum, rerum occultissimarum intelligentia, futurarum prædictio &c. sed hæc alijs quoque concessa Apostolorum non fuerunt propria. Postea vero constitutis Ecclesijs, circumlatoque per orbem Euangelismo, dona illa continuari ac perennare necesse non fuit, cum & tabulæ fidei præsto essent, ad doctrinæ, ipsiusque etiam Christo probatæ disciplinæ declarationem, & miraculis olim editis, utraque etiam hodie obsignetur: ipsas autem Apostolici muneris partes essentiales, quæ in verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, & disciplinæ gubernatione spectantur; non magis quam ipsam Christi Ecclesiam evanescere, aut aboleri oportuit. Ne vos quidem fratres Scoti graduum inæqualitatem inter pastores in verbo laborantes & Presbyteros morum præfectos; inter hos & Diaconos pauperum curam gerentes negare sustinetis; hoc unum ferre non potestis, ut Pastor Pastori, Presbyter Presbytero præstet, aut præsit. Quasi cum Paulus Timotheo (Petrus* συμπρεσβύτερον *se vocans) alijs Presbyteris mandata dedit: ille Pastor iste Presbyter esse desiisset: aut quod priscis Ecclesiæ temporibus, aureoque illo Apostolorum ævo divini fuit instituti, hodie pro humano aut etiam Satanico habendum esset commento.* Hæc summa dissertationis Saravianæ, quæ habetur cap. 16. 17. 18. tractatus de gradibus, quam alibi etiam aliis verbis attingit, ut supra diximus, ubi extraordinarium cum temporario confundendum non esse dicit, & Timotheum & Titum successisse in eo, quod ordinarium habebat Apostolatus. *Quo circa tam illi, quam alij plures eiusdem notæ ab Apo-*

Parænes. c. 5.

mensis. Preterea, *fuit inter sacerdotes par consortium honoris & potestatis, sed ordine impari, qua familiarum, qua temporis respectu. Penes consessum Sacerdotum ex lege fuit ordinaria jurisdictio Ecclesiastica*, non penes unum summum Pontificem. At Episcopo Hierarchici tribuunt maioritatem potestatis directivæ & correctivæ quam non habuit solus Pontifex summus in inferiores familiarum principes, aut illi in inferiores sacerdotes. Imperfecta est igitur ista analogia, & proinde non concludit negatum, licet daremus necessariam posse trahi consequentiam à gradibus sub veteri Testamento. Not. 14 Not. 12.

Sunt qui Monarchiam esse optimam reipublicæ formam & proinde in Ecclesia erigendam contendunt. Sed Sutlivius asserit politicorum sententia monarchiæ alias formas præferendas esse, præsertim Aristocratiam. *Hoc autem fecisse videntur, primò quia hoc genus imperii antiquissimũ fuisse videtur, & ordini naturæ maxime consentaneum: deinde quia populus Dei illud primum probavit: tertio quia Deus non regnum, sed optimatum regimen populo Israelitico præscripsit: quarto, quia ratio hanc formam optimam esse suadet: Postremò quia divina & humana testimonia illam omnibus anteponendam esse docent.* Qui ab avibus, gruibus, armentis argumentantur, non plus sapere dicit quam pecora: campis solum hominem secundum Aristotelem esse animal politicum: animalia rationis expertia non certa lege sociari: multa etiam animantium genera reperiri, quæ absque duce liberè vagantur. *Animalia pleraque nullius prorsus regiminis inter se sunt δεκτικὰ ut leones lupi, feræ pleræque omnes; aves item ac pisces. Ex terrestribus quod maximum est, puta elephas, itemque quod minimum formica videlicet, ad Democratiam, quam ad Monarchiam propius accedere videntur. Quæ vero Monarchiæ aliquam speciem referunt, & ab uno regi solent ut boves, oves, equi, asini, &c. nullum agnoscunt ducem congenerem, ac ὁμοειδῆ sed hominis ductu & imperio reguntur*, ait Tilenus. Homerus unius imperium multorum imperio utilius esse cum dicit, de rerum bellicorum administratione Agamemnonem loquentem introducit, *quæ ob repentinos casus & incerta belli unius imperio tutissimè committitur*, inquit Tilenus. Sed missis politicorum disputationibus dicimus non alibi quærendum regiminis ecclesiæ typum, quam qui expressus est in scripturis novi Testamenti. Alioquin argueremus Christum non præscripsisse Ecclesiæ formam politiæ. *Quærimus qualem rempublicam Christus in facto instituerit perpetuò retinendam, non qualis instituenda per humanam sapientiam, quæ in rebus divinis potius insipientia est videretur*, ait Spalatensis. Sutlivius de Pontif. l. 1. cap. 2. Tilenus de Pontif. lib. 2. cap. 2. not. 7. Not. 21 Lib. 1 ca. 12. num. 12.

Argumenta nostra contra Episcopi principis potestatem intensivam sequuntur. Intensivam istam potestatem supra posuimus in singulari potestate ordinationis & jurisdictionis directivæ & correctivæ

rectivæ in Presbyteros & ipsorum greges. Quod possint uti consilio Presbyterorum non minuit ipsorum principatum magis quàm Senatus aut Consilium regium Regis Monarchiam. *Certè enim Salomon 3 Regum 12 seniorum cœtum habebat à consiliis, & Assuerus Ester 1 sapientum consilio in rebus omnibus utebatur, nec tamen ideo non erant Reges*, inquit Bellarminus, Et alibi etiam dicit, *quòd Episcoporum auctoritas non sit in cœtu Presbyterorum quasi Consulis in Senatu, sed ut Principis in Consilio Consiliariorum sibi subjectorum*; Eandem esse sententiam hierarchicorum nostrorum supra ostendimus. Cum igitur penes unum Episcopum sit τὸ κράτος καὶ τὸ κῦρος, de singulari potestate nihil minuitur, etsi aliorum consilio utitur. Nam maiorem sententiarum numerum sequi, ut ipsi volunt, non tenetur. *Præterea quod Episcopi veteres sine Presbyterorum consilio nihil agerent utile ac salutare, non tamen necessarium fuisse*, asserit Bellarminus. Asserunt id ipsum Hierarchici, quod & praxi sua ostendunt. Non enim consulunt Episcopi Senatum Presbyterorum: ut olim in veteri Ecclesia, imo nec opus esse post jam conditos tot canones conciliorum dictitant. Senatum Presbyterorum nolunt esse institutum divinum, ut sit Episcopo à consiliis, tanquam Consuli, nedum ut dirigat & regat Episcopum, & proinde utrumque Senatus usum rejiciunt. Nonne igitur jure divino Episcopum principem esse genuinum illum Episcopum, de quo controvertitur, contendunt. Perinde igitur est, sive sponte sive canonibus adactus utatur Presbyterio, cum de jure divino disputamus. Nam jure divino se non teneri asserunt. Ius Canonum est tantum jus humanum mutabile, quod etiam ipsi antiquatum esse dicunt, saltem abiisse in desuetudinem. Cum igitur jus humanum mutabile sit, & pro ipsorum arbitrio mutatum fuit, nos autem jus immutabile & perpetuum quærimus, Episcopum principem, quem singulari potestate ordinationis & jurisdictionis correctivæ & directivæ divino jure præditum volunt his argumentis impugnamus.

Bellar. de Pontif. lib. 1. cap. 8.
De Clericis cap. 14.
De pontif. lib. 1. cap. 8.

1 Argumentũ Nullibi in scripturis reperimus Episcopum alium quàm Pastorem ordinarium, non Episcopum Præsidem, nedum principem. Ergo jure divino nullus habet singularem potestatem ordinationis directivæ & correctivæ in alios. Antecedens probatur exemplorum & testimoniorum inductione. Archippus, Epaphroditus, Timotheus, Titus & sic de cæteris non fuerunt tales Episcopi, sed vel erant Euangelistæ, vel Presbyteri ceu Pastores ordinarii absque tali jurisdictione. Et Apostolus Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes. 4. enumerans dona & Officia Ecclesiæ data, non meminit huius Episcopi, & sic de aliis locis. Consequentia argumenti est necessaria; nam alioquin sequeretur præcipuum ecclesiæ Rectorem à quo pendet cujusque particularis Ecclesiæ regimen omissum esse à Christo legislatore, quod absurdum. Cum igitur jure divini insti-

instituti non sint humano introductos esse necesse est. Nam quod de cœlo non est ex hominibus est, Math. 21.25 26.

2 Argumentum sumitur à mandato Christi Matth. 18. Dic Ecclesiæ. Non dicit Christus, quod si non audiverit te aut duos illos fratres, quos tecum assumpsisti, *dic Episcopo*, sed *dic Ecclesiæ*. Vult Christus offensam deferri ad plures, non ad unum, ut ostendit gradatio. Progreditur enim Christus ab uno ad duos, à duobus ad plures. Eadem habentur, inquit Drusius, in libro Musar 221 quamquam Paulo aliter. *Qui arguit socium suum, debet primum hoc facere placide inter se & ipsum solum verbis mollibus, ita ut non pudefaciat eum. Si resipiscet bene est; sin, debet eum acriter arguere, & pudefacere inter se & ipsum. Si non resipiscit, debet adhibere socios, ipsumque coram illis pudore afficere. Si nec hoc modo quicquam proficit, debet eum pudefacere coram multis, eiusque delictum publicare.* Videmus igitur progrediendum ab uno ad duos, a duobus ad plures, non regrediendum ad unum. Dicunt Ecclesiam, posse unum aliquem significare (nempe personam publicam) qui virtualiter sit multitudo & cœtus, ejusque authoritatem habeat. Sed, præterquam quod nullibi in scripturis monstrare possunt hanc vocis Ecclesiæ usurpationē repugnat non modo gradatio de qua dictum, sed etiam promissio ratihabitionis sententiæ; Dicit enim in plurali numero, *quæcunque ligaveritis*, non in singulari, *quæcunque ligaveris*. *Illud, Dic Ecclesiæ*, dicit Bellarminus, *significare, defer ad publicum Ecclesiæ judicium, id est, ad eos, qui publicam personam in Ecclesia gerunt. Ita enim Chrysostomus exponit, Dic Ecclesiæ, id est præsuli.* Respondet Tilenus noster, *Multitudinis numero utitur Chrysostomus* προέδροις, καὶ προεστῶσι. *Imo*, inquit Iunius, *dicit Chrysostomus præsulibus scilicet ac præsidentibus* προέδροις καὶ προεστῶσι, *id est, Synedrio Ecclesiastico, sive collegio ex Presbyteris & Senioribus constituto. Per Ecclesiam*, ait Sutlivius, *non unus aliquis (nam hoc verbi ratio prohibet) sed plures Ecclesiæ præsidentes intelliguntur. Ut autem unus tantum summus Ecclesiæ Monarcha designetur per nomen Ecclesiæ fieri non potest. Repugnat enim primo & nomen & natura Ecclesiæ, quæ est congregatio ex pluribus, & in uno consistere, si propriè loquamur, non potest. Repugnat deinde & patrum interpretatio, qui una voce non unum pontificem, sed Episcopos & præsidentes Ecclesiæ, ceu ut patres Synodi Basiliensis loquuntur, Ecclesiæ præsidentium concilium designari volunt Chrysost. in Math. 18. Æneas Syl. in act. Concil. Basil.* Agit ibi de summo tribunali in Ecclesia universali rationes tamen militant etiam pro Ecclesia particulari, nempe quod nomen & natura Ecclesiæ quæ est congregatio ex pluribus & in uno si propriè loquamur consistere non potest, prohibent unum intelligi per Ecclesiam; alioquin poterat replicare Bellarminus, Si Ecclesiæ vocabulo intelligitur unus in Ec-

Præter. in Novum test. Math. 18.

De Pont. l. 1. cap. 6.

Nota 5.

Nota 19.

Sutc. de Pon. l. 1. c. 5.

clesia particulari, quid impedit, quin & eodem unus Monarcha summus designetur, qui præsit cum potestate Ecclesiæ oecumenicæ. Præterea hic locus propriè & primario de Ecclesijs particularibus intelligendus est, non de œcumenica sive essentiali sive repræsentativa. Nam deferre offensas ad Ecclesiam œcumenicam essentialem impossibile est. Concilium œcumenicum raro convocatur,& est conventus extraordinarius. Christus amandat fideles ad conventum ordinarium & remedium paratissimum. In veteri testamento vox Kahal item Gneda & versione Græca vox Ecclesia significat totam congregationé populi sive civilem ceu Ecclesiasticam, aut congregationem ceu cœtum Seniorum & Rectorum populi,aut prophetarum. *Deus adstat in cœtu fortium & inter Magistratus iudicat*, Psal 82.1. *Vt non moriatur, qui occidit, tantisper dum stat coram cœtu in iudicium.* Num.35.12. *Tunc ius dicent cœtus inter ipsum percussorem & vindicem sanguinis illius secundum iudicia ista*, vers. 24. *Tunc mittentes Seniores civitatis illius, accipient eum inde, & tradent in manum vindicis illius sanguinis, ut moriatur* Deut.19.11. Seniores uno loco vocantur, qui altero cœtus. Sic Iosæ 20. 4. & 6. *Vidit Lakahath hanebiim congregationem prophetantium*, Lakahath per metathesin pro kehillah, græcè Ecclesiam prophetantium, 1. Sam. 19.20. Easdem voces Hebræas Septuaginta reddunt per *Synedrion* ut Prov. 26.26. *Revelabitur malitia eius in congregatione*, Septuaginta, *in Synedrio*. Et vice versa græcam Synedrij vocem, Matth. 5. 22. Syrus reddit per vocem kenushta quæ alibi significat cœtum & Synagogam. Cum igitur vox Ecclesia & ei correspondentes voces Gnedah & kehillah nunquam unum singulariter sed unum collective ceu plures in unum cœtum collectos significent, patet Christum amandasse fratrem offensum non ad unum singulariter, sed ad plures in unum collectos.

de pō- 3 Argumentum sumitur ab interdicto Christi, Luc. 22. *Chri-*
l.1,c.7. *stus disertè Apostolis omnem in fratres dominationem, & præcipuè monarchiam interdixit. Nam cum contentio inter eos esset de dignitate, dixit eis, Reges gentium dominantur in eos, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: Vos autem non sic.* Bellarminus Pontificis Romani monarchiam propugnans,respondet, Dominum non removisse Monarchiam ab Ecclesia, sed potius eam instituisse atque admonuisse tantū diversam esse à Monarcha civili gentium;& velle vicarium suum præesse,sed absque libidine dominandi qualis est in regibus gentium qui tyranni sunt plerunque,imperantque subjectis ut servis, & omnia referunt ad suum commodum & gloriam.
De Pontif. Respondet Whitakerus. *Christus illis Ethnicorum Regum exemplum*
quæst. 1. *proponit, non quo ambitionem modo fugiant, sed ut potestatem regiam à*
cap. 3. sect. 1 *se prorsus alienam esse intelligant. Id ex verbis non obscure colligi potest. Quanquam enim* κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν, *quibus*

verbis

verbis Matthæus utitur, imperium immoderatum interdum significant, Lucas tamen præpositionem omisit in utroque verbo. Atqui κυριεύειν *&* ἐξουσιάζειν *de ijs dicuntur, qui potestatem & dominationem obtinent, non qui insolenter aut tyrannicè imperant, &c. Non enim omnes, qui principatum adepti sunt inter gentes, crudeliter & iniustè imperarunt, imò multorum & iustitia & clementia laudatur. Nec illud* κατα *malum aut præposterum aliquid semper arguit.* Ibidem. *Si igitur non* Sect. 2 *debet esse in Ecclesia tale aliquid, quale est civilis Monarchia, quod ipse concedit Bellarminus, tum unius in alios omnes dominatus non modo à Christo, sed ab ipso etiam Bellarmino tollitur.* Sed quid ista ad Episcopum inquies. Certe si contra Papæ Monarchiam in Ecclesiam hæc ratio militat, militat etiam contra inferiores, sive Metropolitanum, sive Episcopum. Non somniabant discipuli de summa auctoritate, sed subordinata sub Christo, & Christus non Imperatorũ, sed Regum, Luc. 22. 25. Principum & Magnatum, Matth. 20. 25. exemplum eis proponit. Ipse Calixtus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ citat hunc locum contra fastum Metropolitanorum qui sine Episcoporum consensu vel præsentia iudicabant de comprovincialium subditis. *Quicquid de provincialium coepiscoporum* Cau. 3. *causis, eorumque Ecclesiarum, & clericorum atque secularium necessitati-* quæst. 3. *bus agere, aut disponere necesse fuerit, hoc communi consensu compro-* cap. 7. *vincialium agatur pontificum, nec aliquo dominationis fastu, sed humillima atque concordi administratione, sicut Dominus ait, Non veni ministrari, sed ministrare, & alibi, Qui maior erit vestrũ, erit minister vester.* Si Metropolitanus excommunicare, judicare, vel aliquid agere præsumens, ut ibi dicitur, contra aliquem Diœcesani parochiam absque eius consilio & consensu, dominatur ut solent principes & Magnates, an non Episcopus etiam quem dicunt jure divino non teneri consensu & concordi administratione Presbyterorum dominatur instar Magnatum, qui potestatem exercent inter gentes. Calixtus desiderat non modo humilem sed etiam concordem administrationem. Bernardus ad Eugenium scribens hunc locum in eundem finem citat. *Nec tibi dare Petrus potuit, quod non habuit,* De consid. *quod habuit hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Nunquid domi-* l. 2. *natum? Audi ipsum: Non dominantes ait in Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non veritate, vox Domini est, Reges Gentium dominantur eis, vos autem non sic. Planum est Apostolis interdicitur dominatus, &c.* Et tandem concludit, *Forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Ita Bernardus* De Pontif. *aperte docet,* inquit Whitakerus, *non requiri in dominatione humilita-* q. 1. c. 3. S. 3 *tem, sed ipsam dominationem prohiberi. At Bellarminus permittit domi-* Iun. de pon. *nari, si humiles & modesti, & mites in dominatione fuerint. Christus* l. 1. c. 9. not. *de re dixit,* inquit Iunius, *dominantur, non autem de modo: dixit hoc* 81.

vel illo modo dominantur. Illi dominantur inquit, vos autem non sic, id est, non dominabimini. Simplex negatio est rei propositæ. Tilenus similiter, *Non solum τὸ ποῖον, sed etiam τὸ ὄν prohibet Christus, & rem & rei modum removet.* Objicit Bellarminus, *Qui autem dicit tu non sic præeris ut ille, id significat præeris quidem sed aliter quam ille. Deinde nonne clarè hoc loco subjungitur. Qui inter vos maior est, fiat sicut minor & præcessor, Græcè ἡγούμενος, id est dux & princeps, fiat sicut ministrator? Vnus igitur erat à Domino dux designatus.* Respondet Tilenus. *Non ergo restinxit, sed inflammavit ambitiosum illum affectum Dominus in suis, illudque quod de Othone Tacitus Histor. l. 1. Omnia serviliter pro dominatione discipulis sive præceptum sive consilium instillavit. Quod si vel cogitatu impium, omnino dicendum Christum ad mentes & cogitationes illorum respexisse quas illi φιλοπρωτεύοντες secum volvebant. Atque ita interpretatur Mattheus ita mentem Christi enuntians, Quisquis volet magnus esse, non quisquis ex meo instituto erit magnus, sed ex pravo suo desiderio.* Cogitationes quæ in discipulorum animos subrepserunt, non de tyrannide, sed superioritate & majoritate potestatis erant. Videmus igitur non modo nostros, sed etiam Hierarchicos hunc locum adducere ad impugnandam Papæ dominationem in rebus & causis Ecclesiasticis, & nos contra usurpatam Episcoporum dominationem ne dicam tyrannidem eodem jure adducimus. Siquidem Episcopi etiam dominantur soli in suis diœcesibus & jure divino nullum habent gradu potestatis superiorem non Papam non Archiepiscopum. Quod si jure humano & Canonico se subjecerint Archiepiscopo eodem jure ejus jugum excutere possunt, at divino jure Monarchæ sunt, nisi Archiepiscopos etiam jure divino institutos esse docuerint, aut Synodos provinciales jure divino statas & ordinarias esse debere, ad quas quotiescunque læsi presbyteri provocare possint & agnoverint, & restituerint. Concludam verbis Spalatensis. *Promittit eis thronos in gloria, & de throno Ecclesiæ ne verbum quidem facit. Debuit quidem animos eorum à temporalibus dignitatibus abducere quas etiam sibi somniabant, non tamen debuit tacere de vero & proprio throno Ecclesiastico, quem sub ratione throni & principatus relinquebat. Neque debuit solam ignorantiam pravæ dispositionis auferre, quia sibi temporalem dominatum affingebant; sed etiam permittere non debebat eos ignorantia puræ negationis ulterius laborare: sed instruendi fuissent quamnam maioritatem inter ipsos essent habituri, & tunc præsertim quando in ipso fere momento ipsius in cœlum elevationis, &c.*

Tilen. not. 66

Bel. de pont. l. 1. c. 9.

Not. 67.

L. 1 cap. 11. num. 3.

4 Argumentum sumitur à praxi Ecclesiarum Apostolicarum, ut Corinthiacæ, Thessalonicensis, & Asiaticarum. In Ecclesia Corinthiaca non unus sed plures disciplinam exercuerunt. Penes plures non penes unum erat potestas excommunicandi incestuosum.

Dicunt

Dicunt Hierarchici Apostolum solum excommunicasse, quia dicit *κέκρικα*. *At verbo κρίνειν* hic non significatur decretum ceu sententia judicis decernentis in foro exteriori, prout debet fieri in excommunicatione, sed tantum Pauli judicium, & approbationem de vtilitate & necessitate excommunicandi tam sceleratum. Nondum erat lata sententia cum scripsit Epistolam Paulus, sed tantum ostendit dignum esse ut feratur ab ipsis Corinthijs. Præterea non excluduntur alij verbo *κέκρικα* magis quam Act. 15. 19. cum Iacobus Apostlus dicit *ἐγὼ κρίνω*. Hîc diserte dicitur, *vobis & meo spiritu in nomine Domini congregatis*. At dices Pauli mandatum & sententiam rescindere non poterant Corinthij, incumbebat illis necessitas parendi. *Nam in hunc finem etiam scripsi, ut cognoscerem probationem vestri, id est an ad omnia obedientes sitis*, 2. Cor. 2.9. Hoc fit ex accidenti quod tenebantur excommunicare, nempe præmonstrata à Paulo necessitate & vtilitate, & propter judicium Apostolicum quod certum erat. Liberum erat tamen Corinthijs non excommunicare, si de libertate absoluta loquamur, & excommunicatus non fuisset non obstante Pauli *κέκρικα*, si reipsa à Corinthijs non fuisset excommunicatus. Peccassent quidem sic Corinthij non parentes monitis Apostoli in re etiam tam perspicua, penes ipsos tamen potestas erat non excommunicandi. Præterea mandatũ Pauli non tollit ipsorum potestatẽ, sed exsuscitat. Qui mandantibus & monentibus alijs præsertim in superiori gradu positis officio suo fungitur non eo ipso potestate sua privatur. Objiciunt deinde Tradere Satanæ hic nil aliud esse, quam corpus Satanæ affligendum morbo aut cruciatibus tradere, ut quidam patrum interpretantur: & illud poterat solus Apostolus. At ista interpretatio est tantum conjectura Nam non verisimile est Paulum absentem & solo spiritu præsentem potuisse tradere Satanæ excruciandum incestuosum. Præterea ista interpretatio tribuit Paulo non singularem potestatem excommunicandi, sed tantum partes illas extraordinarias, quibus pollebat Apostolus, quas *ἐνεργήματα δυνάμεων* alibi appellat, 1. Cor. 12.9. ut quum Petrus Ananiam & Saphiram verbo occideret. Nam excommunicatum simul Satanæ traditum isto sensu fatentur. Sed sunt alia, quæ communem pluribus fuisse ordinariam excommunicandi potestatem arguunt. Accusat ipsorum conniventiam, & ignaviam, quod sceleratum istum tam diu in suo cœtu ferrent. *Et vos inflati estis, & non potius luxistis, ut tolleretur è medio vestri, qui hoc facinus patravit*. 1. Cor. 5. 2. *Non accusat*, inquit, *Chrysostomus, quod non ei significarunt, sed quod non deplorarant, ut tolleretur: ostendens quod etiam sine monitore id fieri oportuit propter peccati evidentiam*. Ne quis putet Paulum de judicio aliquo

aliquo extraordinario intelligendum, ac si Corinthios perstringeret quod non orarint, vt vindicta aliqua divina tolleretur, versu ultimo dicit, *Tollite igitur istum improbum ex vobis ipsis*. In ipsorum igitur potestate positum erat, tollere sceleratum ex Ecclesia, etiam non monente Apostolo. Cum tamen deessent officio suo, acriter objurgat, & monet, ut tandem exerceant potestatem sibi traditam. Idem mandatum alijs verbis repetit cum dicit, *Expurgate vetus fermentum*, id est ut interpretatur Theophilactus. *adulterum hunc è medio tollite, & alios facinorosos propellite*. Tertio indicat se ante scripsisse, ne commiscerentur cum scortatoribus, addit, ne edant quidem cum fratre scortatore idololatra, ebrioso aut rapace vers. 9. 10. 11. Potuerunt igitur quod in genere scripserat Apostolus, effectum dare in particularibus, & legitimo judicio convictum jubere facessere ab Ecclesia, & in posterum etiam possunt omnes ebriosos rapaces & scortatores ejicere. Quartò argumentum ducit non solum ab ipsius Epistola ante ad ipsos scripta, sed etiam ab ordinaria ipsorum potestate. *Nonne de ijs qui intus sunt vos judicatis*, v. 12. Vtitur verbo κρίνετε quod judicialem in foro externo sententiam hoc loco significat ut ostendunt antecedentia & consequentia. Antecedentia dum ait, *Quid enim mea interest de extraneis judicare*. Cum in una significatione judex dicitur de *omni discernente ceu cognoscente, maxime secundum habitum aliquem speculativum aut operativum, ut Geometra judex est & judicat de figuris & ipsorum accidentibus, medicus de sanis & ægris, prudens de agendis & fugiendis*, hoc modo judicare potest, quilibet, etiam de extraneis. Cum de fratre scortatore, idololatra &c. vel ijs qui intus sunt loquitur, id est, de membris Ecclesiæ potestatem judicandi ordinariam agnoscit, non modo communem illam judicii discretivi potestatem sed ampliorem & magis propriam indicat. Sequentia etiam hanc judiciariam potestatem confirmant, cum dicit De extraneis vero Deus judicat, & subjicit Tollite igitur istum improbum. Quasi diceret de extraneis scortatoribus judicabit Dominus vel ut Heb. 13. 4. scortatores & adulteros damnabit dominus, de iis qui intus sunt nonne vos judicatis. Tollite igitur sceleratum illum ex vobis ipsis. Tollere sceleratum est effectus judiciariæ potestatis externæ. *Consequenter tamen reddit* (inquit in hunc locum Oecumenius) *cur non prohibet conversari cum Græcis scortatoribus, aut avaris ac cæteris, Quia judicium de illis, inquit, Deo permittendum est: nos autem fratres corrigimus*. Quintò ἐπιτιμίαν ceu censuram Ecclesiasticam à pluribus non ab uno irrogatam patet ex 2. Cor. 2. 6. *Sufficit istiusmodi homini ista increpatio à pluribus illis profecta*, ὑπὸ τῶν πλειόνων. Non fuisse excommunicatum apparet. Nam Paulus dicit istam ἐπιτιμίαν sufficere. Si Satanæ tradidissent fuit, sufficit

Marsil. pata. defens. pacis dict. 1. cap. 2.

fuitussent,

stoli adstricti συνεργοὶ, in eo quod ordinarium, essentiale, ac perpetuum habet Apostolatus, iure merito eorum collegæ dicuntur; ac propterea Paulus in quibusdam epistolis modò Sosthenis, modò Sylvani, modò Timothei nomen cum suo conjunctum præscribit. De extraordinaria vocatione,& munere temporario & extraordinario supra egimus, & utrum Apostoli & Evangelistæ fuerint Episcopi propriè dicti, necne,& utrum eorum functiones erant in Ecclesia permansura, pag. 140 141. 142. 172 173. 174. Sed quia reponit Tilenus eadem, pluribus verbis, plura etiam & nos addemus. Apostolus Ephes. 4. non vult singula illa munera, quæ ibi numerantur, durare, quantisper in hoc sæculo versatur Ecclesia, sed singula inservire operi ædificationis Ecclesiæ usque dum absoluta fuerit tota illa cœlestis civitas, quod quidem opus erit in perpetuo motu usque dum omnes fideles evaserint in unitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum. In ædificationis autem istius opere alij fundatores, alij superstructores. Non est necesse, ut fundatores sint superstructores, sed jactis semel fundamentis defuncti sunt officio suo, & durat etsi non actu, virtute tamen in opere ipsorum opera. *Et murus urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni,* Apoc. 21. 14. *Et fundamenta muri urbis omni lapide pretioso ornata* 21. 19. Apostoli dicuntur, fundamenta Ecclesiæ triplici ratione, ait Fildus, 1. quia ipsi primàs plantarunt & fundarunt Ecclesias, ac infideles ad Christianismum converterunt. 2. quia ipsorum doctrina immediatè à Deo accepto est regula fidei omnibus posteris, & fundamentum immobile, cui innititur fides Ecclesiæ usque ad finem. 3. quia erant capita, rectores, & pastores universalis Ecclesiæ, penes quos erat non modo supremum, sed etiam primum & originale regimen Ecclesiæ, è quorum larga & ampla legatione omnes potestas & authoritas Ecclesiastica, licet inferiore gradu, & modo, ad successores erat derivanda. Vides igitur quomodo Apostoli inservierint ædificationi corporis Christi nempe ut inceptores operis, fundamenta ædificij jacientes, quibus superstruxerunt Evangelistæ, & superstruunt pastores ordinarij, usque dum absolutum fuerit ædificium. Cum quærimus, num superstites adhuc, aut ex inferis reduces habemus Apostolos, prophetas, aut Evangelistas, respondet Tilenus, functiones ipsas γενικῶς acceptas durare, licet multa fuerint in functionibus extraordinaria & temporaria: item ipsas muneris Apostolici partes essentiales manere, nec magis quam ipsam Christi Ecclesiam evanescere aut aboleri oportere. At functionis Apostolicæ partes essentiales non erant omnes ordinariæ & perpetuæ, sed aliæ extraordinariæ aliæ ordinariæ. Nec extraordinaria vocatio nec dona extraordinaria sunt partes functionis & ministerij Apostolici. Functio-

Paræneſ. c. 5.

Lib. 5. c. 23.

nem extraordinariam & aliam à Pastoribus & Doctoribus ordinarijs ὁυσιῶδως differentem habebant Apostoli. *Apostoli & Pastores ceu Episcopi propriè dicti ita distinguuntur, ut aliud planè sit Apostolus, aliud Pastor, sive Episcopus. Et ipse inquit Apostolus, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, Ephes 4. Quid disertius dici potuit? quosdam dedit Apostolos, alios autem Pastores & Doctores.* Hæc Sutclivius Hierarchicorum unus, cum probaturus est Petrum non fuisse Episcopum. Si aliud planè Apostolus, quam Pastor aut Episcopus, non habent omnes muneris partes essentiales communes, & certè illud esset miscere & conturbare omnia, si functiones quæ sunt planè aliæ ab alijs, partibus omnibus essentialibus convenire statuerimus. Tilenus alibi sic scribit. *Petri autem sicut, & reliquorum Apostolorum munus fuit extraordinarium, ideoque temporarium non perpetuum.* Non dicit vocationem, & quædam dona, sed munus ipsum fuisse extraordinarium & temporarium. Item *Petro succeditur, vel ut Apostolo, vel ut Monarchæ & totius Ecclesiæ Rectori, vel ut ministro Evangelij. Apostolatus strictè sumptus functio est extraordinaria, in qua locum non habet successio. Monarchia extra Christum est commentitia, ab ipso Petro aliena, nedum successori cuipiam conveniens. Ministerium verbi, sicuti ordinaria est in Ecclesia functio, ita hoc respectu omnium Pastorum est communis ista Petri successio.* Hæc ex Iunii nota 18 transsumpsit Tilenus. Vides Apostolatum strictè sumptum, & à Pastoris munere diversum, esse per se functionem, eamque extraordinariam. Mirum certè, si sit per se functio, essentiale tamen nihil habeat à Pastoris munere diversum. Nam quid ingredietur essentiale in definitionem functionis Apostolicæ, si omnes partes muneris essentiales sint communes. Vel fallit vel fallitur Tilenus, cum partes essentiales muneris Apostolici enumerat, Verbi prædicationem. Sacramentorum administrationem, disciplinæ gubernationem. Si per disciplinæ gubernationem intelligit tantummodo gubernare Ecclesiam & disciplina regere erat pars quidem essentialis muneris Apostolici, sed communis Presbyteris. Si per gubernationem disciplinæ intelligit, summam illam potestatem & præfecturam quam habebant in universali Ecclesia, supra omnes Pastores & Doctores ordinarios, tantum abest ut negemus esse partem essentialem functionis Apostolicæ, ut inter præcipuas muneris Apostolici partes numeremus. In hac præcipue parte latet fallacia. Nam ista præfectura & summa potestas in Ecclesia universali, extraordinaria erat, & temporaria neutiquam ad successores aliquos transmittenda. In extraordinarijs enim locum non habet successio. Nam successio est ordinis & perpetuitatis. At non potest idem esse ordinarium & extraordinarium. Cum dixisset Bellarminus Episcopos succedere Apostolis non propriè quomodo unus

De Pontif. lib. 1. cap. 10

De Pontif. lib cap. 12. not 13. Nota 20.

unus Episcopus alteri, & unus Rex alteri, sed per quandam similitudinem, & proportionem: quia nimirum sicut Christo in terris vivente primi erant sub Christo Apostoli duodecim, deinde 72. discipuli, ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri, inde Diaconi, &c. Nam nullam, inquit, habent partem veræ Apostolicæ authoritatis. Nam Apostoli poterant in toto terrarum orbe prædicare, & fundare Ecclesias, scribere libros canonicos, habuerunt donum linguarum & miraculorum, & in totam Ecclesiam habuerunt jurisdictionem: hæc autem non habent Episcopi: quid respondit Tilenus? *Si apud se fuisset cum ista scriberet, utique cogitasset, ad Apostolicam authoritatem pertinuisse etiam ista quæ in ordinario Ecclesiæ ministerio locum habent & usque ad consummationem sæculi sunt permansura, puta verbum Dei prædicare, Sacramenta ministrare, disciplinam curare, & si quæ sunt ejusmodi, ut toti Ecclesiæ perpetuo necessaria, ita & omnibus Ecclesiæ Pastoribus, tam extraordinarijs, quam ordinarijs communia. Propria Apostolorum γνωρίσματα sunt hæc, 1. immediata à Christo vocatio. 2. immediata ab eodem institutio in doctrina. 3. ἀναμαρτησία in doctrina sive scripto, sive viva voce ab ipsis tradita. 4. προστασία ceu præfectura, & auctoritas in Ecclesiam universam, utcunque deinde ad functionis commoditatem provincias inter se diviserint.* Vides ut inter propria Apostolorum γνωρίσματα numeret præfecturam & auctoritatem in Ecclesiam universam, & distinguit à cura disciplinæ, quam, hîc in parænesi, disciplinæ gubernationem vocat, & utrobique communem facit pastoribus tum ordinarijs, tum extraordinarijs. Præfectura ista, & auctoritas in Ecclesiam universam est pars essentialis muneris Apostolici, & ἐπισκοπή quædam extraordinaria. *Omnes Apostoli propter muneris sui dignitatem atque amplitudinem mundo omni præfuerunt, ut possis verissimè dicere, Apostolos fuisse Episcopos totius mundi, mundumque totum fuisse Apostolorum διοίκησιν*, inquit Whitakerus. Ex eadem mente Iunius. *Episcopatus Petri, ut Apostolorum omnium fuit Catholicus non Romanus, aut glebæ Romanæ aut rupi Tarpeiæ adscriptus.* Episcopatus iste Catholicus erat extraordinarius temporarius & de essentia Apostolatus. *Est enim Apostolatus proprie nihil aliud*, inquit Iunius, *quàm Episcopatus immediatè à Deo institutus, purè θεόπνευστος, & communis, id est, sine certi loci assignatione.* Episcopatum istum & authoritatem Apostolicam inter temporaria numerat etiam Bellarminus, nisi quod in uno Petro Apostolatum quendam fingit & Episcopatum universalem, qui ad successores Petri transijt. *Fuit*, inquit, *in illis Ecclesiæ primordijs necessarium ad fidem toto terrarum orbe celeriter disseminandam ut primis prædicatoribus, & Ecclesiarum fundatoribus summa potestas, & libertas*

De Pontif. lib. 4. cap. 25. nota. 3.

De Pontif. quæst. 2. cap. 8. sect. 41.

Iunius de pont. l. 2. cap 4. not. 1.

De pont lib. 1. c. 23. not. 3

De pont. lib. 1. cap. 9.

bertas concederetur. Mortuis autem Apostolis Apostolica authoritas in solo Petri successore permansit. Saravia & ejus discipuli omnem pudorem exuerunt, qui in Episcopis Hierarchicis Apostolicam authoritatem durare dicunt. Qui succedit proprie parem authoritatem habet, tum eo cui succedit. Sic Rex Regi succedens eandem authoritatem habet: sic proconsul proconsuli. *Sed in ijs quæ Apostoli extraordinariè habuerunt non successerunt illis episcopi, hoc est, in illa potestate quæ verè & propriè Apostolica est. Nam Bellarminus ipse fatetur Episcopos non habere authoritatem prædicandi in toto orbe, & Ecclesias fundandi: unde intelligi potest, quàm inconsideratè quidam Theologastri affirmant, Apostolicam authoritatem adhuc in Ecclesia remanere*, inquit Whitakerus. Saraviam absque dubio eiusque discipulos Theologastros intelligit. Et quid Tilenus nisi Theologaster Whitakero? Summa igitur illa præfectura non tantùm extensive, sed etiã intensive extraordinaria fuit, & temporaria, id est, non tantùm, quia universalis, & ubiq; gentiũ fundare Ecclesias, & omnibus Pastoribus præesse authoritate Apostolica poterant, sed etiã intensive. Nam nõ alia erat natura potestatis Apostolicæ in particularibus stationibus, ubi commorati sunt, ab ea, quæ inerat in universali. Ex dictis colligo, 1. præfecturam istam, & summam potestatem in Ecclesiam universam, & in singulas ejus partes prout ferebat occasio ἐπισκοπὴν quidem, si vocis etymon respicias, sed extraordinariam & temporariam, Apostolatus partem essentialem &c. proinde ad successores non transmittendam. 2. Apostolatus non includit Episcopatum propriè dictum, & ordinarium, ut includit in se Presbyteratum. Nam præfectura Apostolica & summa potestas in Ecclesiam universam non potest esse simul ordinaria & extraordinaria. *Dicunt Petrum ordinasse reliquos Apostolos Episcopos, sed absurdè & insulsè. Quorsum enim qui omnem in Apostolatu acceperunt Episcopalem iurisdictionem ordinarentur Episcopi? Num Rex creari solet quæstor, aut summo Magistratui inferior potestas concedi solet* inquit Sutclivius. Iacobus manens Hierosolymis nec novam potestatem ab Apostolica, & summa potestate diversam accepit, ut fieret Episcopus, sed determinationem tantum summæ præfecturæ ratione particularis loci, etsi concederetur assignatam illi Ecclesiam illam particularem non autẽ Palæstinæ & Iudæorum Hebræorum Provinciam. Inter præfecturam Apostolicam, & potestatem Presbyteralem nulla est media potestas, sed quicquid potuerunt Apostoli plus quam Presbyteri, id egerunt ut Apostoli. Etiam ipse Presbyteratus qui in Apostolatu includitur non ita fuit in Presbyteris, sicut in Apostolis, sed in his altiori ratione & eminenter, ut supra dixit Baynesius, & dicit etiã Fildus de Ecclesia libro quinto. Prędicabant verbum non ut ordinarij Presbyteri sed ut Apostoli, ut legati extraordinarj & αὐτόπιστοι.

Summa huc redit, Apostolos habuisse

ἐπισκοπὴν

De Pont. lib. 1. quæst. 8 cap. 3. nota 2

De Pontif. lib. 2. cap 1.

Pag. 116.

ἐπιτροπὴν quandam, id est, præfecturam quandam & potestatem in Ecclesia universali & qualibet eius parte, sed ea erat Apostolica propriè, & de ipsius Apostolatus strictè & præcisè sumpti essentia, & proinde extraordinaria & temporaria, quam non transmiserunt ad ullos successores. Erat enim personalis & instructa donis extraordinariis, & ad tempus necessaria ad Ecclesiam in terris fundandam, & inchoandum ædificium cœlestis Hierosolymæ. Qui ergo argumentantur à gradu Apostolico & ipsorum præfectura ad gradum Episcopalem & Episcoporum in Presbyteros præfecturam stabiliendum, absque ratione insanire mihi videntur. Pudet certe Dounamum ab Apostolorum Episcopatu in genere argumentum ducere, tantum adducit Iacobum, quem ordinatum ab Apostolis Episcopum, dicit, quod etiam falsum esse & impossibile supra ostendimus. Oportet igitur ostendere extra Apostolos, Episcopos quibus cõmiserunt præfecturam in Presbyteros, alioquin quomodo constabit præfecturam illam fuisse ordinariam. Dicit Tilenus Timotheũ & Titum successisse in eo quod erat essentiale & perpetuũ in Apostolatu. Dicimus nos Pastores omnes ita successisse. Præterea in Timotheo & Tito erat etiã præfectura extraordinaria, licet non summa, ut Apostolica, eaque gradu minor. Oportet extra præfecturas extraordinarias tum Apostolorum tum Euangelistarum exemplum unius præfecturæ ordinariæ in Pastores & gregem in scripturis, monstrare si Episcopos suos maioritate potestatis directivæ & correctivæ Presbyteris superiores divino instituto evincere vellent, alioquin operam ludunt. Quid sibi postea vel vindicarunt ex humano instituto vel usurparunt, ad jus divinum non spectat. An satis sanus igitur Tilenus, qui absque hac præfectura Apostolica Ecclesiam oportere evanescere dixit. Nam vel hanc præfecturam intellexit cum supra de perpetuis & ordinariis Apostolici muneris partibus egit, vel extra oleas vagatus est. Hierarchici certè fatentur Episcopale regimen non esse ita necessarium Ecclesiæ, ut absque eo aboleri oporteat Ecclesiam. Videte igitur quò provectus est iste Sectarius.

„Progrediuntur alii & Episcopos potestate ordinis & jurisdictionis Presbyteris superiores esse jure divino probant ex figura Testamenti veteris, ut Bellarminus libro de Clericis. Nam erat unus summus sacerdos Aaron, & qui ei succedebant; erant præterea minores sacerdotes, omnes videlicet filii Aaronis & qui ab illis descẽdebant ac denique erant Levitæ cæteri, qui à Levi originem ducebant, sed non per Aaronem. At Episcopi, inquit, id sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in Testamento Veteri, id Presbyteri apud nos, quod illic minores sacerdotes, ut etiam id Diaconi nostri, quod illorum Levitæ, ut docent Damasus Epist. 3. de Chorepiscopis, Hieronymus Epistol. ad Evagrium 85, Leo Epistol. ad Cap. 14.

Episcopos Germaniæ, & alii. Tilenus & alii Hierarchici sæpius inculcant politiam veteris Testamenti, in qua sub Legis Oeconomia distinctio Ministrorum fuit instituta. *Illic*, inquit Tilenus,

Paræne∫. c. 2

sub uno eodemque sacerdotio dispares & inæquales Sacerdotum & Levitarum gradus constitutos videmus. Illic non modo sacerdotes supra Levitas eminebant, sed inter ipsos quoque sacerdotes varii erant gradus & ordines. In summo sacerdote seu Pontifice, non typi solum, sed εὐταξίας *quoque ratio conspicua. Neque enim ille typum gessit Christi respectu Regiæ, & judiciariæ potestatis, quam habet Christus, qui alioqui tam secundum ordinem Aaronis, quam secundum ordinem Melchisedeci, Regis & Sacerdotis dignitatem habuisset. Præterea qui in veteri Testamento Patres & capita Sacerdotum, in novo* ἀρχιερεῖς, *Sacerdotum principes appellantur, in 24* τάγματα *à Davide distributi (machlekoth, mishmaroth, Pekuddoch, vocant Hebræi, Græci* διαιρέσεις, ἐπισκήψεις, κλήρους, ἐφημερίας*) ut videlicet singulæ familiæ certis hebdomadum vicibus ministerium obirent. Hi omnes non solum ordine, sed etiam potestate inferioribus sacerdotibus erant superiores.* Bellarminus à typis & figuris argumentatur, cum probare vellet jure divino politiam Iudæorum introductam in Ecclesiam Christianam. Nam & Ecclesiam Veteris Testamenti figuram fuisse Ecclesiæ Christianæ dicit, & sacerdotium Veteris Testamenti figuram Sacerdotii Novi Testamenti. Intelligit autem sacerdotes suos sacrificulos. Si vera esset Bellarmini affirmatio de typo proprio & destinato, speciem aliquam haberet juris divini ipsius argumentum. Sed negatur. Nam nec Ecclesia Veteris Testamenti figura fuit Ecclesiæ Christianæ, si propriè loqui volumus. *Etenim figura non est idem cum re figurata: Synagoga autem non minus fuit Ecclesia, quam hodie est cœtus Christianorum, qui & ipse appellatur Synagoga Iacob. 2. 2. Abundavit quidem typis ac figuris prisca Ecclesia at non propterea nihil fuit ipsa nisi typus aut figura Ecclesiæ Christianæ.* Neque sacerdotes veteris Testamenti erant typi sacrificulorum ceu sacerdotum majorum & minorum novi Testamenti. Sic enim summus Pontifex Oecumenicum aliquem Pontificem adumbrasset, sicut & Ecclesia veteris Testamenti Ecclesiam uniuersam visibilem. At quod ad summum Pontificem *Agnoscimus*, inquit Tilenus, *hunc fuisse proprium ac destinatum typum Christi, quo exhibito ejusmodi umbris ac typis locum esse negamus.* Sed *Ex figura communi sive exemplo nihil concludi necessario potest: ex figura autem propria optime concluditur*, inquit Iunius, *id revera esse aut fore, quod figuratum est. In hunc autem modum summus ille Pontifex olim fuit typus & figura propria venturi Christi, vel umbra legalis fuit, cuius corpus est in Christo.* Idem alibi, *Ex typo singulari personæ Christi non potest duci argumentatio ad rationem*

De pontific. lib. 1. cap. 9.

Tilen. de Pont. l. 1. ca. 9. not. 13.

Tilen. de pō-tif. l. 2. c. 9. not. 15.

Iun de pont. lib. 2. ca 12. not. 14.

I. de on-tif. lib. 2. cap. 12. not. 16.

rationem ministerii nostri ordinarii, ex singulari ceu personali universale confici, ex legali ceremonia observatio perpetua. Hierarchici nostri non à typo destinato & proprio, sed à figura communi & exemplo ratiocinantur. *Nam figura una communis est, quam vocamus exemplum, altera vero propria sive destinata, quam umbram vel typum dicimus.* In summo sacerdote consideranda est, inquit, non solummodo ratio typi, sed etiam ordinis & politiæ. Neque enim ille typum gessit Christi respectu Regiæ & judiciariæ potestatis, quã habet Christus qui alioqui tam secundum ordinem Aaronis, quam secundum ordinem Melchisedeci Regis & sacerdotis dignitatem habuisset. Sed cum sancti omnes sint Deo sacerdotes, annon illa ipsa eminentia summi sacerdotis, in qua illi ponunt ordinem & eutaxiam, typica fuit & supereminentem summi Pontificis nostri supra omnes alios sacerdotes dignitatem adumbrabat, cuius sacerdotium in omnes fideles influit & ethicos licet non politicos in externo regimine sacerdotes & Pastores facit. Non sequitur tamen Christum sic fore sacerdotem tam secundum ordinem Aaronici Pontificis, quam Melchisedici. Non enim erat potestas summi sacerdotis Regia, ut fuit Melchisedeci, & proinde non poterat summus Pontifex regale Christi sacerdotium adumbrare. Habuit Pontifex summus dignitatem quandam & eminentiam supra alios etiam ut sacerdos, licet non regiam. Sed detur separata ratio politiæ & ordinis in his gradibus ab omni typo proprio diversa, non tamen ex figura cõmuni ceu exemplo concluditur necessariò eandẽ politiam eosdemq; gradus in Ecclesiã Christianam introduci oportere, imo nec probabiliter. A diversis gradibus Sacerdotũ & Levitarũ sub lege Mosis nullam posse trahi necessariam consequentiam fatetur ipse Bilsonus. *Nam tribus Levitica, inquit, neque alterius tribus regimini fuit subiecta, neque sine manifesta ἀταξία omni gubernatione carere potuit. Quomobrem ut cæteræ omnes, ita hæc quoque suos proprios Magistratus habuit, videlicet Principem, Seniores, Iudices, Præfectos, Chiliarchas, Centuriones, qui mos illius reipublicæ fuit.* Addit, quod Iurisprudentia Iudæorum Mosaicis libris comprehensa reipublicæ gerendæ formam continebat, & propterea Sacerdotes & Levitæ tanquam illius scientiæ peritissimi in iisdem cum judicibus subselliis sunt collocati: quòd hæc illis tributa est dignitas in suis familiis hæreditario jure & primogenituræ respectu: quod *ministeria sanctuarii & sacrificiorum ritus ac ceremoniæ, à quibus reliquæ tribus præter Leviticam omnes arcebantur, non unius generis erant, ut mirum videri non possit, diversos ministrantium gradus pro diversitate officiorum ac ministeriorum distingui, quamvis vel in postremis Domino inservire semper honorificum fuerit. Ast in Ecclesia Christi verbum & sacramenta Pastoribus omnibus nullo discrimine cõcredita, ut ejusmodi sunt, nec ullam habent administrationis, celebrationisve differentiam, ita nec discrepantes*

Iun. de pontif. l. 1. ca. 6. not. 14.

De guberna. cap. 2.

pantes Ministrorum gradus postulant. Familiæ 24 hebdomadam integram operabantur in templo, & vocantur stationes hebdomadicæ a Luca ἐφημερίαι ab Hebreis *mishmaroth*, id est, φυλακαὶ & Talmudistis stationes utraque voce à militia desumpta ut observavit Iosephus Scaliger in Canonibus Isagogicis. Comparatur & Levitarum ministrantium in tabernaculo ambulatorio ministerium militiæ Numer. 4. propter ordinem quasi militarem, quem Sacerdotes cum Levitis in externo ministerio observabant. Vbi erat unicum templum commune, commune sacerdotii ministerium, millia ministrantium in quaque familia, non mirum si in tali sacerdotio & ministerio fuerit graduum subordinatio. Mutato sacerdotio, mutata lex est & politia illius Ecclesiæ statui congrua. Dico etiam nec probabiliter trahi posse consequentiam à diversis gradibus in Veteri Testamento. Dicit Bilsonus licet necessaria consequentia trahi non potest, Dei tamen sapientiam in politeia Levitica relucentem non esse repudiandam aut parui ducendam. Idem & nos dicimus, addimus & adorandam, non tamen imitandam, ubi non subest eadem ratio. Primum, quia nec talem tribuum distinctionem, nec commune templum & commune ministerium in uno tẽplo pro universali vel Nationali aliqua Ecclesia habemus. Secundo quia umbras & typos, ut illi non habemus, à quibus pẽderet ista diversitas. Nam licet daremus diversam rationem politiæ à typo, à typo tamen maxima ex parte pendebat illa diversitas. Quia erat unus, qui præ aliis magis vivam expresserat Christi imaginem, an non ob illam causam etiam in politeia sacra dignitate summus erat. Tertio non est liberum quamlibet politeiæ formam in Ecclesiam Christianam introducere licet per se aut ratione quarundam circumstantiarum alibi laudabilem. Istud enim argueret Christum non tam bene prospexisse Ecclesiæ Christianæ, quàm veteri prospectum fuit, cum tamen Christus *fidelis fuerit et qui ipsum constituit, ut & Moses fidelis fuit in tota domo ipsius*, Hebræ 4. 3. 5. Non reliquit Christus Ecclesiam tanquam tabulam rasam, cui inscriberentur ad hominum arbitrium leges de gradibus ministrorum ipsi ministrantium in Ecclesia sua. Atque hæc de argumenti consequentia. In ipsa etiam graduum collatione qualis sit analogia videndum. Id sunt Episcopi, inquiunt, in Ecclesia, quod erant Pontifices in Veteri Testamento, id Presbyteri apud nos quod illic minores sacerdotes, ut etiam id Diaconi nostri, quod illorum Levitæ. At *Diaconiæ usus non fuit in veteri Testamento, quia rebus pauperum & afflictorum alia via Lex Dei prospexerat non ergo possunt Diaconi nostri simpliciter id esse, quod Levitæ erant, sed tantum respectu quodam sive ut loquuntur secundum quid, nempe qua datiuum est & accessionale ministerium ipsorum, prout Levitarum ministerium ad opus Sacerdotum fuit accessorium autoritate Domini, & qua ministrant mensis*

p. 297.

Iunius de Cler. cap. 14. not. 13.

ſuſtuliſſent, expurgaſſent, nihil amplius reſtaret. Sitne verò iſta ἐπιτιμία idem quod ἐπιτίμησις increpatio an præterea publica aliqua animadverſio, perinde eſt. Nam utcunque capiatur à pluribus peracta eſt, & gradus erat ad excommunicationem quam inſigni reſipiſcentia prævertiſſe videtur Inceſtuoſus: & idem ſentit Saravia. Gradus in admittendis lapſis ad ſacram communionem quos ſervavit vetus Eccleſia ſcriptores Eccleſiaſtici vocarunt τόπους ἐπιτιμίων, nempe πρόσκλαυσιν ἀκρόασιν, ὑπόπτωσιν, σύστασιν, de quibus vide Caſaubonum. Ἐπιτιμία aliquādo nihil aliud quàm mordacem reprehenſionem & jurgatoriam ſignificat. Videtur quod inchoato judicio non ſolummodo increparunt, ſed à ſacra cœna arcebant ac ad ejectionem properabant, quibus medijs in reſipiſcentiam adductus, & propterea ulterius non progrediuntur. Denique qui reconciliare & pacem dare lapſo poterant, excommunicare etiam obſtinatum poterant. At illud prius erat penes plures, 2. Cor. 2. 7. Ergo & poſterius. In Eccleſia Theſſalonicenſi ſimiliter penes plures erat exercitium diſciplinæ. Dicit enim Apoſtolus, 2. Theſſ. 3. 14. *Si quis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni, hunc notate, & ne commercium habetote cum eo ut eum pudeat, neque ut inimicum ducite, ſed admonete ut fratrem.* Alij ſic legunt, *Si quis Sermoni noſtro non auſcultat hunc per Epiſtolam notate,* ac ſi iſte eſſet ſenſus. Si quis ſermoni noſtro non auſcultaverit, judicate mihi per Epiſtolam. At Græci interpretes Oecumenius, Theophilactus, Baſilius, & Syrus priorem lectionem amplectuntur. Nec dicit Apoſtolus σημαίνετε ſignificate vel indicate, ſed σημειοῦσθε. id eſt, notate publico iudicio & ne commertium cum eo habetote. Nec dicit indefinite δι' ἐπιστολῆς, ſed διὰ τῆς ἐπιστολῆς per hanc Epiſtolam, quaſi diceret ſi quis ſermoni noſtro per hanc Epiſtolam, id eſt noſtræ huic Epiſtolæ non auſcultet, & poſthac perget inordinate ambulare, contra quam præcepimus in hac Epiſtola, τοῦτον σημειοῦσθε id eſt Eccleſiaſtico judicio notate, & ne commercium cum eo habetote. Ab ejus commercio cavere non poterant, niſi prius convictus & damnatus eſſet. Si tantum per Epiſtolam delatus eſſet Paulo ut inordinate ambulans, non protinus ab eius commercio abſtinuiſſent. Illuſtratur hæc interpretatio alijs ſcripturæ locis, 1. Cor. 1. 2. *Laudo vos, quod ſicut tradidi vobis, traditiones retinetis. Scitis quæ præcepta dederim vobis,* 1. *Theſſ.* 4. 2. Item, *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui Spiritum ſuum Sanctum dedit.*, 1. *Theſſ.* 4. 8. *Teſtatus eſt autem Apoſtolus,* inquit Whitakerus, *in eodem capite, quod præſcripſit, id eſt ſe à Domino accepiſſe: nunc ſi quis repugnet, monet eum eſſe primò notandum,*

Def. cap. 8. ſect. 10.

Exercit. c. 14 p. 553.

Contr. 4 qu. 7 c. 2. ſect. 1

dum, secundò excommunicandum, tertio fugiendum ut pudeat. De Ecclesijs Asiaticis supra diximus ubi de Angelis 7 Ecclesiarum egimus.

5. Apostoli ipsi non exercuerunt singularem potestatem ordinationis & jurisdictionis. Non imposuerunt manus soli ut patet 1. Tim. 4. ubi Paulus vna cum Presbyterio imposuit manus Timotheo. N Apostoli plures convocati in Concilio Hierosolymitano definierunt controversias, sed vnà cum Presbyteris. Neque solus Paulus excommunicavit incestuosum. At opponunt illud Apostoli. *Quid vultis cum virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis*, 1. *Cor*. 4. *&* 2. *Cor*. 13. 10. hæc absens scribo, ne præsens præcisa severitate vtar ex auctoritate, quam dedit mihi dominus, &c. Virga & potestas sunt idem, & potestatem sibi datam affirmat Paulus, inquit Bellarminus. Præterea, inquit, Paulus solus tradidit Satanæ, id est, excommunicavit & vexandum Diabolo permisit Alexandrum & Hymenæum ut ipse dicit, 1. Tim. 1. Respondet Iunius virgam esse aut ministerio Ecclesiastico communem atque ordinariam, aut singularem Apostolorum extraque ordinem. Communem atque ordinariam fuisse vnius hominis, quâ Apostolus Christi, singulari auctoritate & testimonio & virtute Spiritus instructus: sed hanc in exemplum ab ullo trahi meritò non posse. Alibi etiam potestatem illam extraordinariam ad tempus nascenti Ecclesiæ Evangelicæ datam, quam habuerunt, quà Apostoli supra Ecclesiam totam ab illa quam communem cum Presbyteris habuerunt distinguendā dicit. *Secundum illam communē Petrus fuit* συμπρεσβύτερος *sympresbyter*, 1. *Pet*. 5. 1. *Secundum hanc singularem Ananiam & Saphiram perdidit, Act*. 5. *Illa communi Paulus dicit*, 1. *Cor*. 5. 4 *vobis & spiritu meo in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis: hac vero singulari dicit Quid vultis cum virga veniam ad vos, &c*. 1. *Cor*. 4. 20 Hanc duplicem Ecclesiastici ministerij virgam transcripsit in notam 62, Tilenus. Alij per virgam intelligunt etiam objurgationes, reprehensiones, comminationes severas, quia opponitur lenitati & mansuetudini. Hymenæus & Alexander non certo constat an ullius Ecclesiæ plenè constitutæ membra fuerint. In Ecclesijs imperfectis vel nondum constitutis non mirum Apostolos solos singulari potestate usos. Si tradere Satanæ sit Diabolo vexandum tradere, adhuc minus mirum est solum Paulum eos Satanæ tradidisse quia hæc potestas singularis erat & extraordinaria. Si nihil extraordinarium aut corporale significat illa phrasis, non tamen sequitur Paulum solum excommunicasse Hymenæum & Alexandrum, magis quam solum manus imposuisse Timotheo quia dicit 2. Tim. 1. 16. Per impositionem manuum mearum. Nam alibi dicit per impositionem manuum Presbyterij, 1. Tim. 4. 14. Si fuerint membra Ecclesiæ Ephesinæ post constitu-

Contr. 3. *lib*. 4. *cap*. 16.

Not. 63.

De Conc. l. 2. *cap*. 16. *not*. 6

de pont, lib. 4 *c* 36. *not*. 62.

tum ibi Presbyterium, non est verisimile eum præsentem fecisse quod absens à Corinthiaca Ecclesia facere noluit. Curabat excommunicandos, dirigebat judicium Ecclesiasticum cui præerat, & sententiam publicè promulgavit in publico Ecclesiæ cœtu & propterea dicitur tradisse eos Satanæ. Duobus igitur casibus Apostoli singulari sunt usi potestate, vel cum necesse erat infligere supplicia corporalia vi virtutis illius miraculosæ quam communicavit eis Dominus, ut cum Petrus Ananiam & Saphiram verbo occidit, & Paulus solus Elymam excommunicavit vel in Ecclesijs nondum plene constitutis. Saravia agnoscit discrimen Ecclesiarum constitutarum à non constitutis. *Apostolos & Evangelistas rebus & Ecclesijs jam constitutis & in parochias Episcopis distributis nihil quod ad communem Ecclesiæ statum pertinuisset, fuisse facturos, inconsultis & invitis locorum pastoribus & Episcopis me firmiter credere.* Addit & tertium casum cum dicit cum pastoribus & Presbyteris Ecclesiarum communicarunt consilia, de rebus de quibus à Domino nullum habebant præceptum, sed in eorum positæ erant dispositione. Si Apostoli in constitutis Ecclesijs omnia quæ erant ordinaria & ad communem Ecclesiæ statum spectabant communi consensu & consilio Presbyterorum & Pastorum administrarunt, proprio arbitratu & pro imperio nihil gesserunt quamvis extraordinarijs donis & summa præfectura in Ecclesia præditi quanto magis Prælati ex communi Presbyterorum sententia res Ecclesiasticas tractare debent.

Def. cap. 20 sect. 4.

Def. cap. 20. sect. 2.

6 Nullum est discrimen jure divino inter Episcopum & Presbyterum. Non ergo institutus est unus, qui singulari potestate ordinationis & jurisdictionis in alios Presbyteros ceu Pastores instructus erat. Superioribus argumentis tollitur singularis Episcopi principis potestas, sed non differentia graduum. Nam Apostoli erant Presbyteris gradu superiores, licet communi Presbyterorum consilio & consensu res Ecclesiæ tractarent. Et in Consistorijs nostris omnia communi consilio geruntur licet pastor Senioribus gradu superior sit. Sed sublata etiam graduum inter ministros verbi differentia, quod jam conamur, per se corruit etiam Episcopi principis potestas. Probatur Episcopi & Presbyteri nullam esse differentiam his argumentis.

1 Nullibi in Scripturis reperitur ista graduum differentia. Ergo non est de jure divino. Pastorem ordinarium alijs Evangelij ordinarijs ministris gradu superiorem, sicut minister verbi Presbytero gubernante, aut Diacono superior est, licet non exerceat singularem potestatem jurisdictionis, ostendant si possunt.

2 In alijs functionibus Ecclesiasticis nulla fuit instituta graduum imparitas. Non igitur credibile est inter Pastores istam imparitatem graduum institutam. Nullus Apostolus coapostolis gra-

du superior, nec Evangelista Evangelistis. In ordinarijs functionibus similiter, nullus Senior cæteris Senioribus, nullus Diaconus Diaconis gradu superior erat ex instituto divino. Si nec in extraordinarijs nec ordinarijs nec superioribus nec inferioribus functionibus ulla graduum imparitas reperiri potest, in hac unica graduum inæqualitatem institutam fuisse, quis credet.

3 In Scripturis nulla propria & peculiari appellatione designatur iste Episcopus gradu Presbyteris superior, sed semper confunduntur nomina. A communione nominum Episcopus & Presbyter eosdem fuisse Episcopos & Presbyteros colligit Hieronymus in Epistola ad Evagrium. *Legimus in Esaia*, inquit, *Fatuus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat eosdem esse presbyteros quos Episcopos quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat ad quorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur. Quæris authoritatem. Audi testimonium. Paulus & Timotheus servi Christi Iesu omnibus sanctis qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis. Vis & aliud? In actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur, Act. 20. Attendite vobis, & cuncto gregi in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos ut regeretis ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiose in vna ecclesia plures episcopos fuisse contendat audi & aliud testimonium in quo manifestissime comprobatur eundem esse episcopũ atq; presbyterum. Propter hoc reliqui te in Creta vt quæ deerant corrigeres, & constitueres presbyteros per civitates sicut & ego tibi mandavi. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum, Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij. Sed & Petrus in prima epistola, Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ quæ revelanda est particeps, regere gregem Christi & inspicere non ex necessitate sed voluntariè juxta Deum, quod quidem græcè significantiùs dicitur ἐπισκοποῦντες id est, superintendentes, vnde & nomen Episcopi tractum est.* Respondet Downamus Hieronymum solummodo probare nomina fuisse communia & confusa eosdemque dictos presbyteros & episcopos, donec vnus è presbyteris eligeretur qui cęteris pręponeretur, quod obtigisse ibidem asserit Hieronymus Alexandriæ à Marco Evangelista & proinde Apostolorum temporibus, antea qui nunc Episcopi dicuntur Apostolos nominatos, quia non erant è presbyteris electi, sed Apostolorum comites & viri Apostolici. De Theodoreti commento quòd episcopi dicti sunt Apostoli Apostolorum temporibus supra diximus. Non arridet ipsi Bellarmino, qui faciliorem censet Chrysostomi & aliorum multorum commentarium in Philip. 1. nempe Apostolo-

Defens. l. 4. c. 5. sect. 6.

rum

rum tempore nomina illa, episcopus & presbyter, communia fuisse omnibus sacerdotibus tam majoribus, quos nunc episcopos dicimus, quàm minoribus, quos presbyteros appellamus, licet res ipsæ & potestates distinctæ essent. Et quamvis nunc nomen episcopi tantum principali analogato, id est, summo sacerdoti tribui soleat, tamen convenit suo modo nomen Episcopi minoribus etiam Sacerdotibus nam & illi superintendunt & regunt populum saltem in foro conscientiæ, & ex delegatione Episcopi. *De istis majoribus minoribusque sacerdotibus nihil sacra scriptura tradit. Chrysostomus maiores minoresque secundum rationem suo tempore observatam pronunciat. Præstitisset autem eos priores & posteriores dici,* inquit Iunius. Theodoreti figmentum tamen meritò rejicit Bellarminus. Nam *hoc tantum novi Theodoretus affert, quod primum episcopum sive presbyterum tradit Apostolum* διακεκτικῶς *dictum fuisse quin re vnius & alterius scripturæ loci falsa interpretatione deceptus est.* Hieronymum nomina solum communia fuisse non probare vel ex eo liquet quod conatur tueri presbyterorum dignitatem adversus arrogantiam & vsurpationem Diaconorum, quam ostendit eandem fuisse tum Episcopali. Si nomina tantum erant olim communia nullius ponderis fuisset Hieronymi argumentum. De conjectura Hieronymini quod Alexandriæ primum à Marco Evangelista episcopus coeperat διακεκτικῶς dici primus presbyter supra diximus. Hieronymum idem sensisse cum Aerio infra ostendemus. Nunc satis est monstrasse ex communione nominum rerum communionem collegisse. Epiphanius ad locum illum Philip. 1. 1. aliter respondet. Dicit Paulum ita scribere solitum, quod eo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non essent presbyteri vlli sed episcopi soli cum Diaconis: possunt enim episcopi etiam presbyterorum officio fungi. At hæc Epiphanij explicatio tum haberet locum, inquit ipse Bellarminus, si Paulus diceret, cum episcopo & Diaconis, aut si non ad vnam civitatem sed ad multas simul scriberet. Sed cum ipse ad vnam vrbem Philippensem scribat, & dicat se scribere ad Episcopos & Diaconos, quomodo quæso illa explicatio locum habere potest? Si enim in vna vrbe multi episcopi esse poterant, quanto *facilius vnus episcopus & aliquot presbyteri?* Theodoretus fatetur per episcopos, Philip. 1. 1. intelligi presbyteros. *Nec fieri quidem poterat,* inquit, *vt multi episcopi essent vnius civitatis pastores, quo fit vt essent scilicet presbyteri quos nominavit episcopos.* Oecumenius in Philip. 1. *Non quod in vna civitate multi essent episcopi, sed episcopos vocat presbyteros; tunc enim nominibus adhuc communicabant* Chrysost. Homil. 1. ad Philip. *Quid hoc? an vnius civitatis multi erant episcopi? Nequaquam, sed presbyteros isto nomine appellavit. Tum enim nomina adhuc erant communia atque etiam ipse episcopus vocabatur Diaconus... Procedente vero tempore pro-*

De clericis, cap. 15. not. 2.

Nota 31.

Hæres. 75.

De cleric. cap. 15.

prium

prium cuique distributum est nomen, vt hi quidem episcopus ille vero presbyter appellaretur. Presbyteri igitur erant qui dicti sunt episcopi Philip. 1. 1. sic act. 20. Tit. 1. 1 Pet. 5. vt ex ipsis locis patet. Fatentur nomina fuisse communia sed non sequi fuisse communionem rerum. Petrus se sympresbyterum vocat, 1. Pet. 5. Nunquid igitur Apostolorum & presbyterorum idem officium: Apostolatus item διακονία an propterea Diaconi Apostoli. Comites nonnonnulli vt Flandriæ & Palatinus Rheni Domini sunt aliorum Comitum. Gandavi qui Consulis personam inter Scabinos sustinet nullo discreto à Collegis vocabulo discernitur, sed tantùm primus Scabinus nuncupatur. Respondeo, Apostolus, Presbyter, & Diaconus, non sunt vocabula ἀδιάφορα. Apostoli presbyteri aut Diaconi dici potuerunt, propter vocis etymō & latiorem significationē, sed Diaconi & presbyteri nunquam dicti sunt Apostoli. *At sunt ex Dei verbo ἀντιδιάφορα episcopus & presbyter*, inquit Iunius. In dignitatibus & functionibus distinguendis vel proprijs appellationibus vel addito adjuncto aliquo aut descriptione vtimur. Comes Palatinus ab inferioribus eo ipso discernitur, quod Comes Palatinus & Consul inter Scabinos Gandavenses quod, licet ordine tantū præsit in Senatu, Primus Scabinus dicitur. At Episcopus Hierarchicus nullibi aut propria appellatione, aut addito adjuncto, aut descriptione discernitur à presbytero in scripturis. *Communio nominum in scripturis vsurpata & ab adversarijs quoque agnita etiam rerum communionem designat. Neque enim presbyter vere dici potest episcopus, nisi vere sit episcopus præsertim cum à nomine ad rei, id est, officij descriptionem transeat, Act. 20. 28. Tit. 1. 7. 1. Pet. 5. 1. 2.* inquit Tilenus. *Nos verò contra sic argumentamur*, ait Iunius, *cum nomina eo tempore fuerint communia, nominum autem communio quum vere dicitur, communionem rerum importet, quæ nomine communi sunt designatæ, ex eo probari necessaria consequentia, ergo vt nomina sic res communes esse nominibus designatas: episcopos & presbyteros idesse communiter, quod communiter dicuntur esse. Eorum autem quæ sunt idem, profecto qua idem sunt, eadem est operatio.* Syrus interpres adeo confundit episcopi & presbyteri nomina, vt retineat etiam presbyteri nomen ubi in græco est episcopi, vt 1 Tim. 3. 2. Tit. 1. 7. Subjiciam Lorini observationem de communione nominum. *Sidonius Appollinaris nominat Antistitem ordine in secundo Claudianum, qui tamen Episcopalem gradum non habebat Epist. 25. Profert quoque Sidonij Scholiastes Iohannes Savaro exempla episcopalis appellationis, alijs quam sacratis episcopis attributæ, ita vt rite ordinati ad Episcopale munus discernitur cum additione summi episcopi vel Sacerdotes: alij inferiores ministri nonnunquam vocarentur episcopi, lib. 3. cap. 14.* In Act. 20. 21. *Id quoque notatu dignum aliquando nomen episcopi dici de non episcopo, sed simplici sacerdote, qui munia quædam potiora Ecclesiastica*

De Conc. et Eccles. l. 4. cap. 8. not. 13

De Minist. ord. disput. 1

De cleric. ca. 15. not. 4.

In Act. 20. 17. 28.

estica obeat. Docet exemplis Ecclesiæ Viennensis & Aruernicæ Iohannes Savaro Scholiastes Sidonii Apollinaris. Vides post invectam graduum inæqualitatem, ubi commune erat episcopi nomen, additione tamen distinguebantur, & potiora eis munia permittebantur. Argumentum igitur a communione nominū & descriptionum sic se habet. Quibus nulla propria appellatio sive simpliciter, sive cum adjuncto, nulla peculiaris descriptio convenit, sed tantum communis quæ omnibus ex æquo competit, ij habent rerum communionem, & proinde sunt inter se pares. At nulli pastori ordinario tribuitur propria appellatio aut descriptio sed ea quæ communis est omnibus Pastoribus. Ergo. Sic argumentamur non solum a communione nominum episcopus & Presbyter sed etiam aliorum omnium.

5 Ab inductione rerum ipsarum argumentum sic ducimus. Quibus res omnes communes, munia & potestates, ij sunt inter se gradu potestatis æquales. At Episcopo Paulino & Presbytero res omnes sunt communes. Ergo Communionem rerum complectimur potestate ordinis & jurisdictionis, secundum vulgatam Scholasticorum distinctionem.

Ad potestatem ordinis refert Downamus potestatem prædicandi, sacramenta ministrandi, peccata remittendi & retinendi, ordinandi ministros. Presbyteros habere potestatem prædicandi, sacramenta ministrandi, peccata remittendi & retinendi in foro conscientiæ, non negant. *Quia tamen hanc potestatem vario modo participant Presbyteri & episcopi*, inquit Bellarminus, *inde duæ sunt species sacerdotum. Presbyteri in consecranda Eucharistia saltem quoad usum pendent ab episcopis, qui possunt eis interdicere ne consecrent vel suspendere ad tempus, vel præcipere ut tali loco, tali modo, tali tempore celebrent, & præterea Presbyteri non ita habent hanc potestatem ut eam aliis communicare possint.* Et alibi, *Est tamen observandum hæc omnia & præcipuè officiū prædicandi propria episcoporum esse, ita ut ne presbyteris quidem prædicare liceat nisi ex Episcopi mandato aut consensu.* Idem docent Hierarchici Episcopos nempe esse maiores Presbyteris exercitio potestatis ordinis, potestate ordinationis & jurisdictionis. Downamus duplici distinctione suam sententiam explicat. *Quamvis*, inquit, *quivis minister quatenus est presbyter habet potestatem ordinis, non tamen sequitur posse eum pro suo arbitrio eam potestatem exercere. Quisque minister habet potestatem ordinis quatenus simpliciter est Presbyter sed potestatem jurisdictionis quatenus est Prælatus aut Pastor. Quarum priorem habet ipsi traditam in ordinatione sua, posteriorem in institutione. Per priorem authoritate instruitur ad prædicandum & sacramenta ministrandum, & alias actiones spirituales ordinis sui peragere quas alius, qui non est ejusdem ordinis, non potest ne quidem concessa licentia exequi. Non potest tamen ea munia quæ ad ipsius ordinem spectant, administrare in ulla congregatione ut pastor illius, nisi grex ille assignatus & commendatus fuerit.*

Defens. l. 3. cap. 4. sect. 24. 25.

De sacram. ordinis ca. 5.

De clericis cap. 13.

Defens. l. 3. ca. 2. s. 11.

fuerit ab episcopo, cui incumbit cura totius diœceseos. Presbyter igitur licet habeat potestatem ordinis, non potest Pastoris munus fungi in ulla congregatione, quæ pars est episcopalis provinciæ, nisi authoritate ab ipso episcopo in hunc usum muniatur a quo accipit potestatem jurisdictionis curamque animarum & regimen ecclesiæ parochialis in institutione. Distinguere etiam oportet inter potestatem ipsam & ipsius exercitium. Nam licet quilibet minister eandem habet potestatem ordinis, quæ ei communis est cum episcopis ratione prædicandi verbum & sacramentum baptismi & Cœnæ Dominicæ administrandi, exercitium tamen potestatis est & semper fuit obnoxium authoritati episcopi, qui illud permittebat, dirigebat, aut suspendebat. Idem alibi Episcopum in diœcesi sua propriè pastorem esse vult, Presbyteros & parœcos solummodo coadjutores & subsidiarios operarios. Eadem habet Fildus de potestate ordinis & jurisdictionis & episcopo propriè pastore parœciarum suæ diœceseos. *Episcopus*, inquit Saravia, *in Parœcia quæ ad ipsius curam pertinet, instituere pastorem non valet, quod tamen in sua diœcesi potest, nimirum qui verus omnium parœciarum suæ diœceseos sit pastor, & communicet alteri quod ipse habet.* Spalatensis etiam ait ab hoc uno ita pendere universam suæ diœceseos curam animarum, ut ipse sit proprius & ordinarius pastor, qui tamen possit & debeat ad curam alios presbyteros assumere? & potest parochi officia ipse plene, quoties voluerit, exercere ab ipsius directione, institutione, destitutione, parochos pendere: usum potestatis presbyteralis quam in ordinatione acceperunt, permitti, dum fiunt parochi, potestatem ipsam non concedi, quæ tota integra & perfecta presbyteralis in ordinatione eis tribuitur: Ecclesiastica tamen prohibitione ligatur. Dum verò ad curam mittuntur animarum tunc ligamentum prohibitionis solvitur, ut jam possit in actum producere suam sacri ordinis presbyteralis potestatem. Somnia sua ut referunt, hierarchici vidimus, sed nulla testimonia ex sacris scripturis proferunt. Presbyteros potestatem ordinis non legimus accepisse, nisi quando eam in actum producturi essent in particulari aliqua ecclesia. Nam cum ordinatio duplex sit communis qua quis absolutè mancipatur & dicatur ministerio ecclesiæ citra certi gregis, aut particularis Ecclesiæ assignationem, & singularis, qua particularibus & certis Ecclesiis ἰδικῶς obstringuntur, priori modo extraordinarii illi pastores emittebantur, nempe Evangelistæ, posteriore Presbyteri ceu pastores ordinarii. Qui ordinati erant ἀπολελυμένως, potestatem quam habebant statim exercere poterant, ubicunque locorum subsisterent, qui etsi non certum gregem curabant, gregem tamen aliquem indefinitè semper curabant. Sic non otiosa & iners erat potestas ipsis collata. Presbyteros autem ordinatos fuisse, communi & absoluta ordinatione, qui per diœcesin aut provinciam errarent otiosi ut individua vaga, ligati vinculo prohibitionis apostolicæ nedum episcopi

Defens. li. 2. c. 4. pa. 67.

Fild. de eccles. l. 5. c. 27.

Sarau. de tuip. epis. p. 87.

Spalat. l. 2. c. 9. num. 15.

copi ne potestatem in ordinatione collatam exercerent, ne vel vnico exemplo demonstrare possunt. Apposite Baynesius, Non creat Dominus ministros, vt Academici Doctores Medicinæ, quibus nullos assignant valetudinarios curandos, aut Magistros artium absque discipulis. Quos ad ministerium vocat, ad exercitium ejusdem eadem opera mittit, dicens, Ite prędicate, & semper cum relatione ad gregem, vel indefinitum, vt Apostolos & Evangelistas, aut definitum, vt Pastores ordinarios. Mandat Paulus Tito, vt constituat oppidatim presbyteros, non vt ordinet vagabundos, vel inertes; prętere a presbyteri & episcopi nomina ipsi fatentur fuisse confusa in primitiva ecclesia. At presbyter dictus Episcopus respectu gregis, quasi alijs superintendens. *Sed forte in primitiva Ecclesia*, inquit Durandus, *non faciebant tantam vim in differentia nominum sicut modo, propter quod omnem habentem curam vocabant episcopum*. Si igitur presbyter idem sit nomine tenus, qui Episcopus, & Episcopus omnis habebat curam animarum, sequitur non fuisse alios presbyteros ordinatos ad ministerium verbi & sacramentorum absque cura animarum, qui simpliciter dicerenter presbyteri, non episcopi, & alios cum cura animarum, qui simpliciter dicerentur episcopi, sed omnes presbyteri ad ministerium vocati, indifferenter episcopi dicti sunt, quia omnes ad curam animarum vocati sunt. Non solet Paterfamilias oeconomos constituere, nisi cum ejus opera opus sit in familia: sic fit in Ecclesia. Non vocat dominus, nisi ad locum vacuum, vt sint actu, non potentia tantùm pastores. Sed de absoluta ista ordinatione damnata à Concilio Chalcedonensi infra suo loco plura dicemus. Dicunt non solum vt presbyterum, sed etiam vt pastorem & prelatum cum cura animarum pendere, quo ad exercitium potestatis ab episcopo, episcopum esse propriè pastorem, parœcos esse solum coadjutores, & parastatas ceu assistentes. *Quia primæ ecclesiæ ab Apostolis institutæ adeo latè erant fusæ, vt plures postularent verbi & sacramentorum ministros, & tamen vnius ecclesiæ vnus tantum pastor esse debuit, ideo statum Ecclesiarum ita composuerunt*, inquit Fildus, *vt plures in eadem presbyteros instituerent, sic tamen, vt vnum tantum constituerent, qui esset loci illius Pastor præcipuus, reliqui autem assisterent.* Quod in quaque ecclesia vnicus tantùm esse debeat pastor propriè dictus, non solum absque scriptura, sed etiam ratione asseritur. Imo non desunt exempla quibus monstrare possumus duos fuisse episcopos, & ex consequenti duos pastores propriè dictos in vna ecclesia. Sic ab vno pastore argumentum ducunt pontificij pro vniversali episcopatu Romani pontificis. Ille est pastor ovilis Domini, Rector domus Dei, Custos vineæ, Sponsus ecclesiæ, episcopus vniversalis. Sic episcopus est Pastor, Rector, Custos, sponsus ecclesiæ Diœcesanæ. Nam non pudet eos asserere episcopi matrimonium cum ecclesia

L. 4. dist. 24. quæst. 5.

De eccles. lib. 5. c. 27.

Bell. de pont. l. 2. c. 31.

Et

clesia in electione inchoatum in consecratione consummatum esse. De Presbyteris Saravia ait, *Qui tantum in partem solicitudinis pasto-* In def. cap. 1 p. 33.
ralis adsumpti sunt ab Episcopis, ulterius quam ipsis mandatum est, progredi non possunt. Ex dicto Leonis epist. 88. ad Episcopum Thessalonicensem decantato in scholis Scholasticorum & Canonistarum (*Vices nostras ita tuae concedimus charitati, ut in partem sis vocatus solli-* l. 2 cap. 5. num. 17.
citudinis, non in plenitudinem potestatis orta est, ait Spalatensis, *illa immensa plenitudo potestatis ac fere omnipotentia, ut illi soli*, nempe Pontifices Romani, *Ecclesiasticam habeant plenissimam jurisdictionem in tota ecclesia universali, episcopi vero non nisi in partem sollicitudinis sint vocati, hoc est meri adjutores Papae, & consequenter non nisi ejus vicarij & administri. Sollicitudinem omnium ecclesiarum ad se vult Papa noster pertinere. Huius vero sollicitudinis ipsius partem se ait Episcopis commendare, ut ubi ipse non potest, illi pro eo suppleant. Quod est profecto episcopos facere solius Papae coadjutores, qui non proprium sed Papae officium & munus, ipsius Papae nomine exerceant. Siquidem sollicitudinem Episcopalem faciunt partem sollicitudinis Papalis, quae sit tota in Papa, tanquam in proprio & adaequato subjecto.* Si episcopus ex Hierarchicorum sententia est pastor totius ecclesiae dioecesanae, ceu ovilis dominici particularis per totam dioecesin, presbyteri sunt tantum in partem sollicitudinis vocati, hoc est meri adjutores episcopi & consequenter non nisi ejus vicarij & administri, ut ubi ipse non potest, partem sollicitudinis ipsius illi pro eo suppleant, quod est profecto presbyteros solos episcopi adjutores facere, qui non proprium sed episcopi munus & officium ipsius episcopi nomine exerceant. At istud est absurdum & contra scripturam. Nam Presbyteri sunt Legati Christi & ipsius nomine legatione funguntur, sunt pastores constituti à spiritu Sancto super gregem ποιμαίνειν, ad pascendum ecclesiam Dei, act. 20. 28 Sunt oeconomi ceu dispensatores mysteriorum Dei, oeconomi autem à patrefamilias constituuntur super familiam; Dominus messis extrudit operarios in messem suam. Ille sponsus, pastores sunt à sponso constituti ut ministrent sponsae. Non derivant presbyteri ab Episcopo potestatem ordinis magis quam Episcopi à Papa Romano, sed à Christo. Ordinatio & institutio non magis evincunt presbyteri potestatem ab Episcopo derivatam esse, quàm Episcopi ab Archiepiscopo consecrante. Nam licet in ordinaria vocatione ad ministerium interveniat ministerium humanum, Christus tamen confert potestatem, quod apta similitudine illustrat Baynesius. Ut in Collegijs, inquit, Socij aliquem admittunt, quem fundatoris statuta describunt, sic Ecclesia hunc vel illum eligit & admittit ad ministerium, quem Leges Christi à Spiritu sancto perscriptae in sacris tabulis, quasi intento digito monstrant. Si non ab Episcopo, sed à Christo derivant suam potestatem, non sunt legati, ministri,

vicarij Episcopi, nec pendet exercitium ministerij ab Episcopo, sed à Christo, cui rationem reddituri sunt pro grege, quem ipsis commendavit Dominus. Imo etiamsi daretur subordinatio graduum, non tamen sequeretur presbyteros esse vicarios & legatos episcopi, magis quam Evangelistas Apostolorum, sacerdotes & Levitas inferiores superiorum. Designata erant ab ipso Domino sacerdotium inferiorũ munia & ministeria, quæ obirent, atque ac superiorũ. Sic & Evangelistæ ita erant inferiores Apostolis, vt tamẽ à Christo suam derivarẽt potestatẽ, qui alios dedit Apostolos, alios Evangelistas, non ab Apostolis. Non poterãt Apostoli eos postquam vocati fuerant, cohibere ab exercitio muneris, aut partis eiusdẽ, sicut Episcopus parœcos suos, quos libet, à munere prædicationis Evangelij, reprimet. Evangelistæ ita serviebant in ministerio vt non Apostolis eorumq; personis, sed Domino eiusq; operi operam navabant. *Operatur opus Domini*, vt & ego, dicit Paulus de Timotheo. *Eorum servitus*, inquit Baynesius, *non erat personalis sed realis*. Christus cum emisit 70 discipulos, non subjecit ipsorum ministerium potestati Apostolorum. *Christus autem omnes Apostolos atque Discipulos qui ad Episcopalem & Presbyteralem ordinem referebant, immediatè, individuè, & collectivè misit, sicut à patre suo, idest, cum ipsa & spirituali authoritate ad Ecclesiam regendam necessaria missus fuerat, consurgit totum ordinem hierarchicum, episcopali & sacerdotali ordine constantem immediatè, proportionatè tamen atque subordinatè, suam potestatem & iurisdictionem hoc est facultatem regendi Ecclesiam à Christo derivare quemadmodum in Gallijs inferiores iudices ac magistratus, quamquam subditi Parlamentis, æque tamen immediate auctoritatem suam à rege Christianissimo mutuantur, quàm ipsa Parlamenta.* Sic Parisienses. Si igitur daretur presbyteros esse Episcopis inferiores, non tamen sequitur à Christo æque immediate non derivatam esse ipsorum ac Episcoporum potestatem. Sed dicent se agnoscere ordinariam in presbyteris potestatem non delegatam. Dicit enim Spalatensis. *Cum itaque iure divino & ipsi suam habeant potestatem, errant quicunque presbyteros parochos meros faciunt ministros Episcoporum, qui tamen propriam ac ordinariam, & non delegatam, vt constat, habent potestatem.* Hîc videtur damnare Hierarchicos, qui Presbyteros Episcoporum merè ministros faciunt, cum tamen subjicit (*ita tamen ordinariam, vt in actum eam reducere non possunt, iure Ecclesiastico humano nisi vbi ab Episcopo applicentur sive fixè sive vagè, prout Episcopo placuerit in tota sua Diœcesi*) reipsa idem dicit. Quod statim dicit, *vbi tamen applicantur ibi propriam & ordinariam non vicariam aut delegatam exercent potestatem, vt immediati Christi ministri*, nihil est. Nam potestas illa applicativa est tota in potestate Episcopi, nec potest se in actum exerere potestas presbyteri, nisi pro ejus arbitrio. Papalini Episcopos verbo tenus principes absolutos & non Papæ ministros

De Eccles. & politica potestate p. 9.

L. 2. cap. 9. num. 9.

Lib. 2. cap. 5 num. 27. 28

aut vicarios faciunt ait Spalatensis. *Assumuntur inquit Bellarminus de Romano Pontifice, lib. 4. c. 25 Episcopi à Pontifice ad suum ipsius onus sustentandum. Onus ergo Episcoporum non est onus ipsorum proprium, sed est onus Papæ & Episcopi illud, non vt proprium, sed vt Papale tanquam meri coadjutores & administri sustentant.* Alij non habent jurisdictionem nisi ex sola communicatione & participatione cum Papa, quantum ipse concesserit. *Nam vocat ipse Episcopos in partem suæ sollicitudinis. Vbicunque ergo Papa vult suam sollicitudinem ipsemet exercere, coadjutor non potest impedire, quia coadjutor non proprium, sed Papæ onus, in parte illa sollicitudinis papalis sustentat.* Sic presbyteros verbo tenus ordinariam non delegatam potestatem habere dicunt, & non esse Episcopi ministros & vicarios, Cum tamen Episcopus assumere presbyteros dicitur ad partem oneris sustentandam, quod solus in Ecclesia diœcesana, quam dicunt esse Episcopi Ecclesiam, sustinere non potest, onus presbyterorum non est ipsorum onus proprium, sed onus Episcopi, & presbyteri illud non vt proprium, sed vt Episcopale tanquam meri coadjutores & administri sustentant: & vbicunque Episcopus vult suam sollicitudinem ipsemet exercere, Presbyter coadjutor non potest impedire, quia coadjutor non proprium sed Episcopi onus, in parte illa sollicitudinis Episcopalis sustentat, & sic si plures annos in aliqua Parœcia manserit Episcopus, & suam sollicitudinem exercere voluerit, bene valeat Parœcus. Sed commentum istud de plenitudine potestatis & parte sollicitudinis merum figmentum est. Deus nulli ampliorem & pleniorem potestatem contulit, quàm per se quis exercere poterit, sicut hoc argumento demonstrat Baynesius. Deus nemini mandare potest, vt majorem provinciam suscipiat, quàm cui viribus proprijs par sit, nisi simul etiam concesserit facultatem assumendi alios, quibus partem sollicitudinis & oneris communicet. Nam qui vult finem, vult etiam media ad finem. Si voluisset constituere pastorem oecumenicum & vniversalem omnium Ecclesiarum, necessario etiam oportebat ipsi concedere facultatem substituendi alios, & derivandi ad eos potestatem docendi & regendi particulares Ecclesias. Si quis vni committeret oves suas, quæ in pluribus pascuis pascerent, nonne etiam concedit popotestatem assumendi alios opiliones inferiores, qui subserviant, Sic, si Episcopo commisit totam Ecclesiam diœcesanam & particulares in ea parœcias cum plenitudine curæ & regiminis pastoralis, oportet etiam constituisse illum caput à quo manaret potestas docendi & regendi, ad alios, quos necesse erat assumere ad partem oneris & sollicitudinis sustentandam, & sic ex officio Episcopi redderent rationem malè vel benè gestæ rei Domino, non Presbyteri: vt inferiores illi opiliones ei, cui commissæ sunt oves, non Domino & possessori.

Si

Si dixerint Dominum constituisse Episcopum Pastorem ea lege, ut alios habeat in parœciis inferiores ministros & coadjutores, si tamen episcopo permisit quos vellet assumere, eodem res recidet, nempe episcopi non Domini ministros esse. Si tales voluit eum assumere quales ipse suis legibus designavit, tunc sequitur non ampliorem episcopo potestatem contulisse, quam per se exercere potest, aliis non minus authoritate a Christo instructis, quam episcopis, ut proportionatè suo fungantur munere. Cum Christus dixit Petro, *pasce oves meas*, idem est, inquit Bellarminus, ac si dixisset *pasce omnes oves meas*; quod cum per se non poterat præstare, ex plenitudine potestatis necessaria potuit per alios pascere. Respondet Whitakerus Christum non commendasse Petro, has aut illas aut simul omnes oves, sed indefinitè, & una cum aliis. Dixit, Ite & docete omnes gentes. Petrus pascebat per se non per alios, quia hoc demum illud est, quod amorem nostrum erga Christum testatur. Apostoli in pascendis ovibus nulli præterquàm Christo operam suam impenderunt. *Vicaria pascendi ratio numquam fuit a Christo instituta, Non plus Christus in pascendo requirit a quoquam, quàm quantùm præstare ipse possit, & quantum quisque possit, tantùm ipse requirit.* Whit. cont. 4. q. 2. c. 8. f. 8. Si a Petro non requirit certe nec ab episcopo, nec episcopum unquam constituit pastorem totius diœceseos, quam per se pascere non potest, atque ita, quem illi volunt propriè & præcipuum ac universalem diœceseos pastorem, non erit propriè pastor, sed parochi qui per se pascunt greges sibi commendatos. Cum in Concilio Tridentino dimicarent Patres & Theologi de episcoporum potestate sitne jure divino necne, dixit Lainezius Iesuitarum Generalis, Petrum solum & unicum pastorem fuisse Ecclesiæ, quod in uno Pastore collocata sit potestas indivisa, qui eam comministris suis, prout res postulat, impertit & communicat, in sola sede Apostolica essentialiter esse jurisdictionem, in aliis per derivationem & participationem: papam tollere non posse ordinem universalem episcopos in ecclesia constituendi quoniam à Deo est, quemlibet tamen particularem, cũ sit de jure Canonico pontificia authoritate tolli posse. Petri Suavis histor. Conc. Trid. l. 7. p. 687 688. edit Francof. Oratio Lainezii quamvis a papalinis laudata, ab adversa parte adulatoria, a quibusdam hæretica existimabatur. Episcopus Parisiensis valetudinarius apud omnes profitebatur, se quamprimum haberetur Congregatio, libere sententiam dicturum contra eam doctrinam prioribus sæculis inauditam, ante annos quinquaginta a Cajetano primum excogitatam, ut pileum Cardinalitium mereret: eam a Theologis Sorbonensibus eo ipso tempore ignominiose notatam, quæ ecclesiam spoliet titulo sponsæ Christi, & eam veluti servam unius hominis libidini prostituat. pa. 690. *Vult*, Lainezius, *scilicet unum tantum episcopum a Christo institutum, cæteris nullam esse potestatem nisi ab illo pendentem, quod perinde est ac si diceret,*

unum solum esse episcopum, ceteros ejus vicarios ad nutum amovendos.
Pag. 673. Simon Florentinus dixit successorem Petri esse de jure divino episcopum *de cætero Episcopatum esse de jure divino, ita ut ne in ipsius Papæ potestate sit efficere, ut non sint Episcopi in Ecclesia: at singulos quosque episcopos esse de jure Pontificio, unde fit, ut ipse eos possit creare, transferre, ipsorumque Diœcesis restringere, aut extendere, majorem aut minorem ipsis authoritatem conferre, suspendere etiam aut deprivare, quam potestatem in eo quod est de jure divino, non habet. Siquidem non potest a Sacerdote auferre authoritatem consecrandi propterea quod eam habet a Christo, at ab episcopo omnem jurisdictionem potest auferre, haud aliam ob causam quam quia eam ab ipsomet habet.* Quæ pro episcopis falso allata sunt, Presbyteris recte accomodari possunt contra episcopum papam minorem, nempe si pendeat ipsorum potestas ab episcopis perinde esse ac si ille solus esset Pastor ipsi vicarii tantũ ad ejus nutum amovendi, & si possit ipsorum authoritatem eorumque paræcias restringere aut extendere, suspendere aut auferre, sequetur non esse presbyteros de jure divino. Antonius de Grossteto Dominicanus ex verbis Pauli ad Ephesios cum essent Mileti hortantis *ut*
Pa. 671. 672 *attenderent gregi cujus regimini a Sancto Spiritu præpositi essent* observavit, episcopos officii sui functionem ab hominibus non habere, nam si ita res esset mercenarios fore, quorum oves non sunt propriæ, tum ubi ei, à quo hæc cura demandata, satisfactum fuerit, nihil ipsis ultra cogitandum: Paulum demonstrare obligationem regendi populum Christianum esse divinam, & a spiritu Sancto impositam, ut constare possit eos inde vi nullus humanæ dispensationis excusari posse: nullam fieri mentionem ordinatoris, sed totum spiritui sancto tribui, qui non solum authoritatem dederit regendi, verum etiam partem gregis diviserit, ipsisque pascendam attribuerit: dicendumque cum S. Paulo Spiritum sanctum gregi pascendo præponere: nunquam opus ascribi instrumento, aut ministro, sed semper agenti principali & ex Ephes. 4. Christum post ascensum in cælos pastores dare. Quæ ex his locis observavit pro episcoporum independenti potestate presbyteris accommodanda sunt non episcopis. Nam Presbyteros Ephesinos, qui dicti sunt episcopi, alloquitur Paulus, non episcopos anto monastice sic dictos. & de loco Eph. 4. supra diximus. Adeo strenuè certarunt pro dignitate sua & authoritate Papæ minores ceu episcopi contra Papam majorem pontificem maximum ut conquesti sunt *Sacerdotes episcoporum*
Pag. 384. *authoritatem nimiopere auctam Clerum vero in servitudinem graviorem*
Pag. 563. *adductum. Id unum spectabant patres, ut tot essent papæ, quot episcopi. Episcoporum unicus erat scopus administrationem habere liberiorem, hoc*
Pag. 810. *se consecuturos sperabant tribus provisionibus factis primo si parochi ab ipsis pendeant.* Dum non alio respicerent, nisi ad authoritatis suæ incrementum, imprudentes argumenta fabricati sunt, quæ pro pa-

pochis

rochis fortiùs militabant quam episcopis, licet parochos servum pecus negligebant. Quod cum observaret Paulus Iovius totus papalinus, dum urgerent residentiam cleri esse de jure divino, *iis hoc instillatum cupere quicquid in eo genere operantur id Parochis usui futurum, ad ipsos episcoporum imperio eximendos. Nam si articulus obtineat, confestim dicturos, episcopum nec posse ipsos Ecclesia dimovere nec potestatem ipsorum reservationibus restringere, & tanquam pastores immediatè à Deo datos plus juris in grege quam ipsis episcopis concedant, vindicaturos: neque esse quod iis respondeatur.* Atque hæc de derivatione, dependentia, & exercitio potestatis prædicandi, & sacramenta ministrandi. Interim vides lector cujus Ecclesiæ membrū sit episcopus, nempe quod non alicujus parœcianæ Ecclesiæ, sed Diœcesanæ tantum ex pluribus parœcianis conflatæ, cujus ex æquo, & non alicujus parœcianæ in parte, venditat se pastorem. Nam etsi resideat in una parte diutius, quam in alia, tamen est æque pastor illius parœciæ, quam nunquam vidit, atque illius in qua residet. Verum est quod idem Iovius dixit (licet in alium finem & animo iniquo in præsulum residentiam) *omnino regni cujusque metropolin, in quibus fere præsules Sedes suas figunt, esse præ aliis deformitate notabilem: & contra miseras aliquot urbes, quæ a centum annis episcopum suum non aspexerunt, vitiorum sordibus minus esse corruptas, in ipsis montibus, ubi nunquam visus episcopus, ecclesias reperiri, quæ civitatibus episcopalibus exemplo præire possunt.* O infœlicem pastorem quo absente grex est fœlicior Sed ab ista digressiuncula redeamus.

Pa. 549.

Pag. 548.

Ordinationem ad Ordinis potestatem referunt adversarii: & hunc actum potestatis ordinis episcopis maxime proprium & peculiarem esse contendunt; cum alia pleraque reservata sunt episcopis potius ad honorem sacerdotii, quàm ad legis necessitatem, ut Ecclesiarum dedicatio, pænitentium reconciliatio, & similia. Volunt autem ordinatoriam manuum impositionem esse sacramentum, & proinde a proprio Ministro administrandum, proprium autem ejus ministrum esse episcopum, non Presbyterum. Downamus definiendo potestatem ordinis Episcopalis, dicit, *Potestas ordinis episcopalis est præter illam, quæ ipsi cum Presbyteris communis est, potestas per impositionem manuum gratiam conferendi, ut ordinarium spiritus sancti instrumentum, vel baptizatis ad eorum confirmationem, vel pænitentibus ad eorum reconciliationem, vel designatis ad ministerium ad eorum ordinationem* 1. *Tim.* 4 14 2. *Tim.* 1.6. Ex qua definitione sequitur non modo impositionem manuum ordinatoriam, sed etiam reconciliatoriam, & confirmatoriam esse sacramenta. Sunt enim istæ impositiones manuum actiones sacræ spiritualis efficaciæ ipsius judicio, & gratiam conferunt baptizatis, & pænitentibus: & sic habemus tria sacramena addita baptismo & Cœnæ Dominicæ: Impositionem manuum ordinatoriam in specie sic definit. *Est*

Lib. 3. ca. 4. pag. 105.

actio

Pag. 106. *actio sacra spiritualis efficaciæ, hominem cultus Divini ministerio consecrans, in eum conferens potestatem ordinis illius, in quo constitutus est, quæ id operatur ut ordinatus possit facere actus sacros spiritualis & supernaturalis efficaciæ.* Scholastici & pontificii duplicem tribuunt effectum impositioni manuum ordinatoriæ, gratiam gratum facientem, & potestatem illam spiritualem ministrandi, quam characterem vocant. Dounamus dicit conferri gratiam & potestatem.

De guberna. eccl. c. p. 9. pag. 156. Bilsonus apertius. *Impositis manibus Ministros creare non hoc solum continet, ut potestas illis fiat verbum & sacramenta dispensandi, sed etiam ut impertiatur Spiritus sancti gratia, quæ utramque partem muneris sanctam faciat & fructuosam.* Primùm largiemur esse sacramentum, non tamen sequetur ejus ministrum proprium esse episcopum. Fatetur Fildus Scholasticorum eruditissimos in hac fuisse sententia,

De eccles l. 5 c. 27. episcopos potestate consecrationis vel ordinis majores Presbyteris non fuisse, sed solum ejus exercitio. In scripturis non legimus distinctum fuisse ministrum baptismi & Cœnæ ab aliorum sacramentorum ministro: nec verisimile est ullam consecrationem majorem fuisse ex ordinatione divina consecratione Eucharistiæ.

In 4. sent. di. 24. quest. 5. *Distinguendum est de potestate*, inquit Durandus, *quia quædam est jurisdictionis, & quædam consecrationis. Potestas iurisdictionis est ad regendum populum, potestas autem consecrationis est ad consecrationem, & administrationem sacramentorum. Harum duarum potestatum, si qualibet præcise comparetur, & conferatur una alteri, dignior est secunda quam prima: ordinatur enim prima ad secundam.* Hac ratione & consecratio eucharistiæ est dignior consecratione ordinatoria: ordinatur enim ista ad illam. Cui igitur consecratio dignior & nobilior convenit, eum ab inferiore excludere iniquum est. Hinc inter veteres sic argumentati sunt: Baptizare potest, corpus dominicum conficere; ergo & manus imponere, & sacramenta omnia adimplere. Audiamus Hieronymum, vel quisquis fuerit author epistolæ ad Rusticum Narbonensem, quæ inserta est Gratiani Decreto.

Dist. 95. ca. Ecci. *Sed quia scriptum est, presbyteri duplici honore honorentur, maxime, qui laborant in verbo Domini, prædicare eos decet, utile est benedicere, congruum confirmare, convenit reddere communionem, necesse est visitare infirmos, orare pro invalidis, atque omnia Dei sacramenta complere.* Ita pungit Bilsonum epistola ista, ut temperare sibi nequeat a conviciis in authorem istum, quem personatum Hieronymum vocat. Bellarminus tamen in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hanc epistolam ex genuinarum numero non expunxit. Sed esto, non sit Hieronymi, est tamen criticorum judicio authoris eruditi Epistola

Epist. ad Evag. Objiciunt etiam illud Hieronymi. *Quid facit, excepta ordinatione Episcopus quod non facit Presbyter.* Ergo, inquiunt, saltem ordinatio erat peculiare Episcopi. Hieronymus ea Epistola contendit pluribus argumentis eundem esse Episcopum & Presbyterum jure divino,

cujus

cujus vestigia etiam sua ætate mansisse asserit nempe quod ipsius sæculo nihil faceret Episcopus, quod non faceret Presbyter, excepta ordinatione. Nam jurisdictio erat communis Episcopo, & Senatui Presbyterorum : sed ordinatio, vel potius ordinationis ritus, nempe χειροθεσία erat solius Episcopi propria, licet actus ipse ordinationis erat etiam communis : nec erat administratio ritus semper & ubique reservata soli episcopo, ut postea docebimus. *De consuetudine loquitur temporum illorum: ne tum quidem, cum consuetudine ecclesiæ major presbytero episcopus esset, ulla tamen in re præterquam in ordinatione plus episcopum quam Presbyterum potuisse. Imo alibi & ipsam ordinationem presbyteris Hieronymus tribuit*, inquit Whitakerus. Et Iunius, *nempe, quo tempore hæc scribebat Hieronymus ex posteriori instituto : sed tempora confundit Bellarminus, ut imperitiores fallat elenchi ignoratione.* Et alibi. *Actum ordinationis communem habet episcopus cum toto Presbyterio 1. Tim. 4. sed ritus ordinandi per impositionem manuum ad episcopum solum pertinebat, id est, ad eum qui præerat presbyterio, sive perpetua institutione præesset (ut post factum est episcopis) sive temporaria, annua, menstrua, hebdomadaria &c. De hoc ritu agebat Hieronymus, quem χειροθεσίαν ordinationem vocat.* Hieronymus postquam testimoniis ex scriptura depromptis probasset eundem fuisse episcopum & Presbyterum, subjicit. *Quod autem postea unus electus est*, qui cæteris præponeretur, &c. deinde subjungit. *Quid enim facit excepta ordinatione episcopus quod non facit Presbyter.* Ex qua serie verborum patet Hieronymum intelligendum de suo sæculo : & post sæculum illud quo postea unus electus, postea, nempe post omnia testimonia allata e scriptura: adducit autem & ex epistolis Iohannis, qui ad Trajani tempora vixit. Sed si de Hieronymi, *postea* plura dicemus. Objicitur Chrysostomus etiam ad eundem sensum in commentario suo cap. 3. priores ad Timotheum. *Inter Episcopum atque presbyterum interest ferme nihil, quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est : & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione illi superiores sunt, atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur.* Sic cum interprete latino Bellarminus, Biltonus Dounamus & alii. Sed verba postrema τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνῃ αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους doctiores interpretes sic vertunt. *Sola enim suffragatione horum ascenderant atque hoc solo videntur Presbyteris injuriam facere.* Sic Iunius. *χειροτονία (hic) Presbyterorum non Episcoporum dicitur : quod si χειροτονία est ordinatio, ergo Presbyterorum est ordinatio. Tum quis ita verbum πλεονεκτεῖν interpretatur cum accusativo casu. Suidam appello dicentem.* πλεονεκτῶ, τὸ πλέον ἔχω, γενικῇ : καὶ

Writ. de pontif. quest. 1. c. 3. f. 29.

De Cleric. ca. 15. not. 7.

ca. 3. not. 22.

Comm in c. 3. priores ad Tim. hom. 11.

De Cleric. cap. 7. 10. 611

τῶν θέκυδ δὲ λέγων πλεονεκτεῖ. πλεονεκτῶ δὲ, τὸ ἀδικῶ, ἀπατικὴ ὡς τὸ πλεονεκτεῖ ἡμᾶς ὁ Διάβολος. *Differentiam igitur non statuit Chrysostomus, in eo, quod jus ordinandi habent episcopi ac non Presbyteri: sed in eo, quod ascendunt supra presbyteros in gradum* Ἐπισκοπῆς, *etsi, quia ascendunt Presbyterii suffragiis, injuriam Presbyteris videntur facere, quum potestatem ullam assumunt sibi qui ordinis causa non potestatis praefecti sunt de suffragiis illorum.* ibidem. *Medium*, inquit Chrysostomus, *inter episcopos & diaconos, si quod est, perparuum est, cum episcopi & presbyteri aequales sunt munere, officio, unum denique re & ratione sunt: sola vero ordinatione humana differant, quatenus à collegarum suffragiis habent Episcopi, quod praesunt Presbyterio ordine, quo solo praeeuntes, injuriam Presbyteris videntur facere, quum potestate praesunt, minuuntque potestatem presbyterii.* χειροτονία etiam apud Scriptores Ecclesiasticos non sumitur semper pro ordinatione, sed quandoque pro electione per suffragia ut observarunt Balsamo & Zonaras in Apost. can. 1. Theophylactus etiam sic interpretatur Chrysostomum. *Is in hunc locum*, fatente Saravia, *idem quod Chrysostomus paulum mutatis verbis habet. Est enim Theophylactus Epitomus Chrysostomi. Ipsius haec verba sunt. Quae de Episcopis dixit, ea Presbyteris etiam conveniunt. Nam & ipsis docendi munus, & praefectura Ecclesiae commissa est, sola electione inferiores.* Sed concedatur Chrysostomum per χειροτονίαν ordinationem activè sumptam intellexisse, & barbarè nec non solaecisantem loquutum fuisse, non sequitur tamen actum ordinationis fuisse proprium episcopo. *Veruntamen esto activè accipiatur nomen ordinationis*, Inquit Iunius, *ut Bellarminus accipit, adhuc tamen manet aequivocatio, quod solus quidē Episcopus ordinabat signo & sermone sacram institutionem ejus qui ordinabatur enuncians, ac non solus tamen ordinatione veritatis, quam repraesentabat signum.* Sed addo, si ordinationem activè sumpsisse dixerint Chrysostomum, non rectè commentatum esse in locum Pauli. Dicit Apostolum transiliisse ab Episcopis ad Diaconos omisso Presbyterorum ordine, quia medium quod intervenit inter Episcopum & Presbyterum perparuum est. Sed nihil ibi Apostolus de Episcopis qui postea antonomasticè dicti sunt, sed de Presbyteris qui etiam Episcopi dicti sunt ut patet ex collatione loci prorsus similis Tit. 1. 5.6.7.8. Chrysostomus igitur si ita intellexit Apostolum, ut ipsi volunt, ob inveteratam & receptam inter Episcopum & Presbyterum differentiam tanquam nebulam interpositam, perspicere verum non potuit & res duas vice unius concepit. Erant ὁμόσημοι Episcopus & Presbyter, nec opus est fingere Apostolum transilientē, & Presbyterorum τάγμα seu ordinem praetereuntē. Redeamus ad Hieronymum. Hieron. tensisse nullam potestatem ordinis vel consecrationis sacerdotali majorem esse, ex

De triplici epis. pag. 37.

De cleric. ca. 15. not. 29.

ejus dictis colligit Durandus. *Hieronymus*, inquit, *videtur consensisse quod summa potestas consecrationis sive ordinis, erat potestas sacerdotalis, ita quod omnis sacerdos, quantum est de potestate sacerdotali, potest omnia sacramenta ministrare confirmationem, omnes ordines, omnes benedictiones, & omnes consecrationes facere, sed propter periculum schismatis fuit ordinatum, ut sacerdotes unum ex se ipsis eligerent, qui diceretur Episcopus, quasi super illos intendens cui obedirent, & cui reservatum est ordines facere: & hoc non faciunt nisi soli Episcopi. Episcopus ergo maior est sacerdote, quantum ad potestatem iurisdictionis, sed non quoad potestatem ordinis vel consecrationis, sed sunt pares quamvis ex ordinatione Ecclesiæ aliqua sunt reservata Episcopis, & prohibita presbyteris. Et quod ita sit probatur ex dictis Hieronymi, multipliciter ostendendo quod scriptura &c.* Et infra. *Sic ergo dicit Hieronymus, quod Episcopus & Presbyter olim fuerant nomina synonyma, & etiam administrationes, quia communi consilio Sacerdotum regebantur Ecclesiæ: sed in remedium schismatis, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam rumperet eam, ordinatum est ut unus præesset, & quoad nomen, ut ille solus Episcopus diceretur, & quo ad administrationem aliquorum sacramentorum & sacramentalium ipsi reservarentur de consuetudine Ecclesiæ.* Et infra: *Consuetudo autem & institutio ecclesiæ potest dare jurisdictionem, sed non potestatem ordinis vel consecrationis.* Non dicit Durandus Hieronymum sensisse hanc mutationem ab Apostolis schismatis vitandi causa introductam, ut illi affingit Fildus. Sensit igitur Hieronymus, ut ibidem dicit Durandus, potestatem ordinis vel consecrationis majorem fuisse in Episcopo, quàm simplici sacerdote ex ordinatione Ecclesiæ, non ex natura ordinis & consecrationis secundum divinam institutionem. Dicit quidem Panormitanus Apostolos limitasse exercitium hujus potestates in Presbyteris. *Immediatè*, inquit, *post mortem Christi omnes Presbyteri in communi regebant Ecclesiam, nec sic erant inter eos episcopi, sed idem presbyter, quod Episcopus, & pariter conferebant omnia sacramenta, ut in c. olim 95 Dist. & c. legimus 93 dist. postmodum ad schismata sedanda fecerunt, seu ordinaverunt Apostoli, ut crearentur Episcopi, & certa sacramenta eis reservarunt illa interdicendo simplicibus presbyteris.* Quod dat accipimus, in initio Presbyteros omnia contulisse sacramenta, quod addit de reservatione ab Apostolis instituta negamus, & nullo id firmat Scripturæ testimonio. Durandus loco supra dicto refert non modo sententiam Hieronymi, sed etiam aliorum Doctorum. *Dicunt etiam aliqui*, inquit, *quod tunc omnibus qui præferebantur plebibus, conferebatur utraque potestas, ut plebes in promptu haberent Principem Ecclesiasticum, qui posset omnia sacramenta ministrare, & ministros instituere.* Hæc autem ratio est æquitatis perpetuæ, nempe ut plebes in promptu semper habeant, qui sacramenta omnia ministrare possint. Quod de sublato potestatis exercitio per Apostolorum institutum

De Ecclesiâ 5. cap. 27.

In Decret. l. 1. titul. de Consuetud. cap Quanto.

tutum fabulantur, duobus modis intelligendum est. Vel ita sublatum volunt potestatis exercitium, ut illicita tantùm sit omnis Presbyteri per Presbyterum ordinatio: vel ut non modo sit illicita, sed etiam irrita & nulla. Id est, ut non modo peccet ordinando Presbyterum, sed etiam, quod nihil efficiat, & factum non sit validum. Illustremus exemplo. Persbyter dum baptizat, aut Cœnam celebrat in aliena parochia absque venia, peccat, licet quad genus facti vera sint, quæ ministravit, sacramenta, quia hi sunt, inquiunt, actus potestatis ordinis Presbyteralis. Exercitium potestatis consecrationis ita sublatum volunt ab Apostolis, ut si quid in ordinatione per se Presbyteri tentaverint, nihil efficere sentiunt: Sic dicit loco dicto Panormitanus. *Item nota, quod ritus Apostolorum circa sacramenta habent impedire characteris impressionem.* Item, *Et vides hic, quod talis ordinatio* (id est institutum Apostolorum de quo Paulo ante) *habet impedire etiam impressionem characteris, quia, si Presbyteri illa de facto conferunt, nihil conferunt.* Adversarii etiam nullam per Presbyteros ordinationem validam nisi in casu necessitatis, id est, quando desunt omnino Episcopi, aut deficiunt a
pag. 96. fide, sentiunt, utcunq; verbis aliud simulant. Nam ut refert Iohannesonus in priore tractatu de ministerio Ecclesię Anglicanę, Sacerdotibus Pontificiis ordinatis regnãte Maria sive in Anglia, sive Romę, sive Rhemis, aut alibi non opus, erat nova ordinatione: sed Mariani sacerdotes retenti in hunc usque diem, Tirellus, Titherus, Nicolaus, & alii qui Romæ, vel Rhemis creati sacerdotes, absque ulla ordinatione nova per Prælatos in beneficia inducti: Contra, qui erant legitimi in Ecclesiis transmarinis ministri, non sunt capaces beneficiorum, donec prius creati fuerint Diaconi & Presbyteri per Pręlatos, ut ostendit exemplis Whitingami, Traversi, & Wrighti, qui cum ante minister fuerat in Belgio, non tamen prius institutus & inductus in beneficium, quàm à Samlero Norwicensi creatus esset Presbyter. Videtur mihi non modo absurdum, sed etiam impium asserere Apostolos irritum & nullum statuisse actum potestatis consecrationis, quam habent Presbyteri vi ordinis ex institutione Christi: & idem esse, ac si quis diceret Apostolos potuisse statuere, ut cœna a Presbytero celebrata, non esset verum sacramentũ.

Preterea absurdum est dicere potestatem consecrationis manere, & actum potestatis tamen non modo esse irregularem & peccare contra Canonem Apostolicum, sed etiam nullum esse: hoc enim esset non modo exercitium, sed ipsam potestatem tollere. Quod si ab Apostolis sublatum sit exercitium eatenus tantum, ut peccent Presbyteri Presbyteros ordinantes, manet tamen potestas ipsa & actus potestatis illius sunt validi. Sed & istud absurdum Apostolis non temere attingendum est. Nam quod de sacramento Confirmationis affirmat Swarezius, de sacramento ordinationis similiter

militer affirmari potest. Sic ille. *Si Presbyteri ex vi suæ ordinationis haberent sufficientem potestatem ordinis ad hoc sacramentum ministrandum sine causa in universum prohiberentur illud conferre, dicerenturque, si hoc sacramentum dare tentent, excedere modum suum & quæ Episcopalis fastigij sunt propria vsurpare, vt loquitur Gelasius.* Sic si Presbyteri ex vi suæ ordinationis habent sufficientem potestatem ordinis ad hoc ordinationis sacramentum ministrandum, sine causa in vniversum prohiberentur illud conferre, dicerenturque si hoc sacramentum ordinis dare tentent, excedere modum suum, & quæ Episcopis sunt propria, vsurpare. In vniversum prohibentur, cum non sunt ministri ordinarij, vel si nulla & omnino irrita sit ipsorum ordinatio: sic phrasin illam, *in vniversum prohibentur,* in sacramento Confirmationis intelligit Swarezius. Apostolos igitur in vniversum prohibuisse presbyteris exercitium potestatis ordinis sui, quam habebant ex vi ordinationis suæ, non est verisimile. Sive igitur priori, sive posteriori modo sublatum dixerint exercitium potestatis ordinandi ab Apostolis, canonem monstrasse oportuit. Quæst.72. disp.36. sect. 1. n.3. Tom.

Presbyterum esse jure divino ordinarium huius sacramenti ministrum probatur. Qui sunt vnius & ejusdem ordinis, eadem possunt ministrare sacramenta. Presbyter & Episcopus sunt vnius & ejusdem ordinis. Ergo, eadem possunt ministrare sacramenta. Lombardus. *Cumque omnes,* nempe ordines, *sunt spirituales & sacri, excellenter tamen Canones duos tantum sacros ordines appellari censent Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus.* Scholastici cum septem tantum numerent ordines, episcopatum & Presbyteratum pro vno habent. Petrus Soto in Concilio Tridentino dixit, *Canonistas extra terminos suæ professionis egressos duos alios adjunxisse primam tonsuram & Episcopatum, quorum opinio multos alios errores capitaliores posset inducere.* Sed Saravia dicit parum referre sint vnius ordinis, necne. *Vnde sunt qui non tantũ gradu superiorem Episcopum Presbyteris esse contendunt, sed etiam ordine, Quod parum referre arbitror, modo cum antiquitate hæc actio propria concedatur esse Episcopo.* Downamus dicit Scholasticos statuisse Episcopum & Presbyterum vnius esse ordinis ex relatione ad Eucharistiam, & idolum missæ, quia quilibet sacerdos tantùm potest in consecratione Eucharistiæ, quantùm ipse Papa. Sed veteres, inquit, constituunt tres gradus, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, & consequenter ordinum ministerij. Nam *quid est ordo,* inquit, *nisi gradus ille, quem quis vel quid inter personas aut res subordinatas alias alijs, alijs superioribus, alijs inferioribus, existentib. obtinuit.* Sed cum ordo tripliciter accipitur, vt dicit Durandus, *uno modo pro relatione vel habitudine ordinatorum & sic loquitur de ipso Augustinus, quod ordo est parium,* Lib 4. dist. 24. Petri Suavis historia conc. Trid. l. 7 p. 659. edit. Francof. Sar. defens. de grad. cap. 24. in appen. p. 288. D. l. 3. cap. 4. sect. 23. In 4. sent. distinct. 24. quæst. 1.

pariumq́ sua loca cuique tribuens dispositio. Alio modo accipitur pro gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit. Tertio modo accipitur ordo, pro eo, quod exterius sensibiliter geritur circa aliquem, vt in gradu aliquo constituatur: & hoc magis proprie vocari deberet ordinatio, quàm ordo. Secundo modo acceptus est spiritualis potestas vel deputatio ad dispensationem sacramentorum. Ab ordine tertio modo accepto, id est ordinatione probo Episcopum & Presbyterum esse vnius & eiusdem ordinis secundo modo accepti, id est, vnius & ejusdem gradus, vt ipsi loquuntur, nempe respectu potestatis dispensandi sacramenta. Ordo ille & gradus potestatis quem habet Episcopus ad confirmandum & conferendum ordines habet per ordinationem & modum sacramentalem, vt illi dicunt: *At Presbyteri & Episcopi vna est & eadem ordinatio*, ait Ambrosius. Presbyteri & Episcopi cum sit vna & eadem ordinatio, Ergo vna eademque potestas collata Episcopo & Presbytero ad dispensanda sacramenta. Vbi vna eademque confertur potestas, vnus idemque erit gradus potestatis dispensandi sacramenta. Imo ordinationem episcopalem esse verè sacramentum negatur a veterib. Scholasticis fatente Bellarmino, quod de Presbyterali tamen concedunt. Bonaventura dicit in Episcopatu non imprimi novum characterem, nec novam potestatem. Signum & res sensibilis vtriusque ordinationis, Episcopalis & Presbyteralis est impositio manum. Quod ad baculi collationem non est signum ceu res sensibilis huius sacramenti, sicut nec inunctio. *Vnde sicut collatio pallij non dat novum ordinem Archiepiscopo vltra Episcopum; sic nec collatio baculi, aut annuli, aut mitræ, aut alicuius consimilis vltra sacerdotem, talia enim potius sunt sacramentalia, quam sacramenta*, inquit Bonaventura. Et ibidem. *Vnde sicut non accipit alias claves, ita nec alium ordinem.* Inungitur Episcopus non ad necessitatem, sed ad solennitatem. *Sicut ampliatur vocabulum & significatio ordinis, ita & verbum, cum dicitur iste ordinatur in episcopum. Vnde non ita propriè dicitur aliquis ordinari, cum promovetur in Episcopum, sicut cum promovetur in sacerdotem, sed magis propriè dicitur consecrari.* Si ordinatio Episcopalis non sit sacramentum, sequetur Episcopos non habere potestatem ordinandi sibi collatam per ordinationem Episcopalem, sed per Presbyteralem, & proinde quà Presbyteros non quà Episcopos consecrare. Nam sacramentalia, vt collatio baculi, annuli, inunctio, non possunt conferre Episcopo, vel gratiam gratum facientem, vel characterem novum, aut characterem Presbyteralem ampliare aut extendere. Non novum characterem, vt illi scholastici fatentur, nec Presbyteralem extendere, *Nam eadem*, inquit Bellarminus, *efficacia requiritur ad characterem reipsa extendendum, & ad imprimendum novum.* Durandus dicit quidem Episcopatum ceu ordinationem Episcopalem esse verè sacramentum, non tamen præcise distinctum a sacerdotio simplici, sed *est vnum*

In 1. Tim. 3.

De sacr. ord. cap. 5.

In 4. sent. distinct. 25. quæst. P.

De sacr. ord. cap. 6.

In 4. sent. distinct. 24. quæst. 5.

vnum sacramentum cum ipso, inquit, *sicut perfectum & imperfectum: cum perfectum sit, quod potest facere sibi simile, ideo illud sacerdotium non est completum, per quod sacerdos non recipit potestatem ordinandi alium sacerdotem, & tale est sacerdotium simplex. Sacerdotium autem summum, id est, Episcopatus est perfectum sacerdotium, quia per ipsum recipitur potestas ordinandi alium in sacerdotem summum vel simplicem, & sic ordinatio simplicis sacerdotis & ordinatio episcopalis constituunt vnum sacramentum.* Ridicula sunt ista. Instituitne Christus sacramenta imperfecta & incompleta, quæ conferrent potestatem imperfectam & incompletam. Opera Christi omnia opera perfecta. Bellarminus dicit ordinationem Episcopalem esse novum sacramentum à Presbyteratu distinctum, & imprimere novum characterem, quia Episcopus potest duo sacramenta conferre; nempe Confirmationem & ordines sacros, quæ non possunt vlli alij inferiores ordines: & si tentent id facere, nihil prorsus efficiunt. At idem Bellarminus in sacramento Confirmationis dicit. *Confirmare esse actum ordinis, & eum ordinem esse etiam in Presbtyero, saltem inchoatum & imperfectum.* Et *characterem episcopalem, sive sit alius à Presbyterali, sive idem extensior & maior*, dicit, *esse potestatem absolutam & perfectam & independentem conferendi sacramenta confirmationis & Ordinis: Characterem autem presbyteralem esse quidem potestatem absolutam, perfectam*, & independentem quoad sacramentum baptismi & eucharistæ, esse autem potestatem inchoatam, imperfectam, & dependentem à voluntate Superioris, *quoad sacramentum confirmationis*, addidisset & ordinationis vt cohæreant subsequentia cum antecedentib. Annon hic idem sentire videtur cum Durando, & in eadem commenta de sacramentis incompletis & imperfectis incidit. Et quod ordinatio Episcopalis non sit sacramentum distinctum à Presbyteratu, vt in hic in sacramento ordinis probare conatur, patet primum ex eo, quod nemo potest in Episcopum consecrari, qui vel ante non esset Presbyter, vel non tunc simul accipiat vtramque ordinationem. Si esset distinctum & novum sacramentum, potest etiam dividi à Presbyteratu & sic Episcopus posset ordinare, qui tamen non posset consecrare eucharistiam, quod absurdum. Potest quis ordinari Presbyter qui antea non fuit Diaconus. Respondent Presbyteratus non includit Diaconatum essentialiter, sicut Episcopatus Presbyteratum. At hæc ipsa ratio probat Episcopatum & Presbyteratum non esse duo sacramenta, sed ordinationem Episcopalem includere Presbyteralem vt intellectivum includit sensitivum, vel simul conferendo vtramque potestatem nempe ordinis Presbyteralis & Episcopalis, & sic erit vnum proprie sacramentum, vel supponendo ordinationem Presbyteralem & potestatē inchoatam, & sic etiam erit vnum sicut perfectum & imperfectum, inchoatum & completum, quo tamen modo vnum

De sacrament. ordinis.

Cap. 12.

num dicere absurdum est. Preterea eadem est res sensibilis vtriusq; Presbyteralis ordinationis & Episcopalis consecrationis. Imo Iohannes Parisiensis Doctor Sorbonicus, in libro de potestate Regia & Papali a facultate Theologica probato, probat Episcopos esse Presbyteris æquales quantum ad dignitatem essentialem ministerii, *quod eorum ordinatio constat iisdem verbis, quibus & Episcoporum & Apostolorum, nempe accipite Spiritum sanctum, & quodcunque ligaveritis in terra, erit ligatum in cœlo.* Vide Plesseum de Eccles. & Eucharistia. Si sit idem ritus necessarius & essentialis, nempe impositio manuum (nam baculos annulos, mitras, & inunctiones non moramur) & eadem verba, cur non idem etiam sacramentum. Causa quæ movet Bellarminum, vt tueatur esse duo distincta sacramenta, est, quod alter tueri non potest Episcopos esse Presbyteris majores ordinatione & jurisdictione. *Secundo,* inquit, *quia si Episcopatus sit sacramentum à Presbyteratu distinctum facile erit defendere Episcopum jure divino maiorem esse Presbytero tam ordine quam iurisdictione, quod hoc tempore omnes hæretici negant: alioqui ægre id defendi poterit.* At Episcopalem ordinationem scholasticorum alij ne sacramentum quidem esse volunt, alij a Presbyteratu non præcise distinctum, sed idem cum Presbyteratu sacramentum, nos prorsus idem esse ex aliis probavimus, ergo sequitur defendi non posse episcopum maiorem esse Presbytero ordine & jurisdictione ex jure divino. *Inextricabiles & insolubiles emergunt difficultates, si & ordo ponatur verum sacramentum* (quod faciunt Hierarchici, Romanenses & Anglicani) *& Episcopatus ac Presbyteratus duo diversi ordines asserantur, alter superior, alter inferior. Canonistæ fere omnes in cap. Cleros distinct. 21. & in cap. Perlectis dist. 25. ac cum ipsis non pauci ex antiquioribus Scholasticis, atq; vltimo loco Bellarminus, novum & distinctum à Presbyteratu faciunt Episcopatum. Ac certe posito, quod ordo sit propriè sacramentu, cum sacramentalis operatio consistat in indivisibili, ad hoc omnino coguntur, siquidem ipsi quoque constanter asserunt jure divino Episcopos esse Presbyteris superiores: alioquin si ordinatio etiam distincta non sit, defendere illud, nulla ratione possunt, quod expresse fatetur Bellarminus.* Cum veteres numerant tres gradus, nempe Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, numerant gradus suis sæculis obtinentes in Ecclesia. Nec sæculis omnibus post Apostolorum tempora, eadem erat distantia inter duos priores. Episcoporum gradus primò erat tantum prioritatis & honoris. Deinde erat gradus potestatis quo ad jurisdictioné externam qui pro temporum latitudine minor aut major erat. Sed quoad gradum potestatis dispensandi omnia sacramenta Episcopus & Presbyter semper erant, etiam corruptioribus sæculis, ejusdem gradus. Et hic gradus potestatis & ordo identificant. Nam ordo in secundo significato, ut sumitur pro gradu potestatis, dicitur a Durando, esse spiritualis potestas

de Eccl. c. 11. de euch. l. 2. c. 8.

de sacram. ord. cap. 5.

Spalat. l. 2. c. 4. num. 24.

testas vel deputatio ad dispensationem sacramentorum. Non dicit ad consecrationem Eucharistiæ, sed in universum, administrationem sacramentorum. Cum autem hic gradus potestatis sit potestatis ordinis ceu dispensandi sacramenta: & potestas ordinis confertur per ordinationem sacramentalem: & Episcopi & Presbyteri sit una eademque ordinatio, idemque sacramentum, necessario sequitur esse unius ejusdemque ordinis ceu gradus, prout gradus sumitur pro gradu potestatis dispensandi sacramenta, nam de potestate jurisdictionis postea agemus. Nos ex iisdem locis ex quibus ipsi colligunt impositionem manuum ordinatoriam esse sacramentum, ex iisdem colligimus ejus ministros ordinarios fuisse Presbyteros, 1.Tim.4.14. Dicit enim Apostolus Presbyterium id est Senatum Presbyterorum imposuisse manus Timetheo. Si cum Paulo ministro extraordinario in promovenda functione extraordinaria simul imposuit manus Presbyterorum Senatus, sublatis ministris & functionibus extraordinariis & temporariis, ordinarias ministrorum ordinariorum ordinationes Presbyteris, ut ordinariis ministris, ab Apostolis demandatas fuisse, haud dubium est. Per *Presbyterii* vocem Senatum Presbyterorum intelligi supra probavimus. In hunc locum respexisse videntur consarcinatores commentitii illius Concilij 4. Carthag. cum statuerent in hunc modum. *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas iuxta manus Episcopi super caput illius teneant.* Vtcunque de authoritate illius concilij sentiamus, tamen morem illum vetustum fuisse satis liquet ex Pontificali Romano, & ordine Romano. Bonaventura hunc morem jus vocat. *At illud*, inquit, *quod dicitur de impositione manuum Presbyteri, dicendum quod Presbyter ibi vocatur Senior, & Apostolus intelligebat seipsum per impositionem manus Presbyteri: glossa Presbyterum vocat Episcopum: vel Presbyteri, id est, Presbyterorum, quia sicut dicit jus, saltem tres sacerdotes debent manus imponere.* Vides, vt impositionem manuum Presbyterorum jus vocat, & præterea in loco Pauli interpretatur *Presbyteri* synecdochice cœtum Presbyterorum; quid si legisset *Presbyterij*, vnica simplici interpretatione dixisset, *Presbyterij*, id est, cœtus vel Senatus Presbyterorum. Addit tamen ibidem Bonaventura, *Sed tamen ipsi non imponunt, vt dantes potestatem vel ordinem, qui ab vno solo dari potest & debet, vnde ipsi non benedicunt sed solus Episcopus, sed hoc est in signum consecrationis suæ.* Idem alibi, *Dicendum quod illa manus impositio non est ad ordinationis collationem, sed ad significationem. Significatur enim gratia communionis, quæ in ordine sacerdotali confertur, & per sacerdotem debet ministrari. Ideo non imponunt sacerdotes manus Diacono, sed solus Episcopus, in cujus impositione manuum non tantum est significatio, sed etiam potestatis collatio.* Falsa & ficta distinctio excogitata, post restitutum

Can. 3.

In 4. sentent. distinct. 25. quæst. A.

Distinct. 24. quæst. M.

illum morem de quo diximus, à posteris ad palliandam Episcoporum vsurpationem, qui suis sæculis vt jus peculiare hanc potestatem sibi vendicarunt, quam distinctionem arripuerunt etiam Hierarchici nostri. *Hanc manuum impositionem ad consensum potius quàm ad consecrationem referre oportebit*, inquit Bilsonus. Item *tum verò presbyteri qui præsentes sunt veluti ordinationi consentientes manus suas juxta manum Episcopi tenent.* Saravia similiter: *Nullum Concilium facit potestatem Presbyteris presbyterum creandi. sed tantum manus suas consecrantis Episcopi manibus apponere jubentur, consensus & voluntatis testificandæ gratia, vt simul bene precarentur ei, qui in ipsorum adsumebatur ordinem.* Idem alibi. *Presbyteri imponunt manus tantum consensus gratia. In Presbyteris impositio manuum est bene precantium signum, quod est in Episcopo ordinantis.* At dicit Filous, quòd, *vbi in ordinatione Diaconi secundum 4. Concil. Carthag. sufficeret Episcopum solum imposuisse manus capiti ordinandi, eò quòd non sanctificatus erat ad dignitatem sacerdotalem, sed ad ministerium ecclesiæ: ad ordinationem tamen ministrorum verbi, & sacramentorum, alij concurrere debeant ministri, æque ac Episcopus, vt qui sunt illi æquales potestate ordinis & ministerij.* Hæc igitur impositio manuum manat à potestate ordinis, & vi ordinis sui habent potestatem imponendi manus. Si tantum significandi gratia nempe presbyterum electum & cooptatum esse in ordinem & numerum Presbyterorum imposuissent manus, nihil impediebat quin & Diaconi vnà cum Episcopo manus etiam ordinandis Diaconis imponere potuissent ad significandum consensum, & cooptationem in eundem ordinem, & quid opus erat impositione manuum cum manus associationis suffecisset ad significandum consensum vt fit in Ecclesijs Gallicanis post impositionem manuum. Quod Presbyteri non vnà cum Episcopo manus imposuerunt Diacono ordinando sicut Presbytero, vide quid sentiat Amalarius libro secundo de Ecclesiasticis officijs; sic scribit. *Est libellus quidam apud nos de sacris ordinibus, nescio cuius auctoris, qui dicit solum Episcopum debere manus imponere super Diaconum, quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Nunquid scriptor libelli doctior, atque sanctior Apostolis, qui posuerunt plures manus super Diaconos, quando consecrabantur, & propterea solus Episcopus ponat manum super Diaconum, ac si solus possit precari virtutem gratiarum, quam plures Apostoli precabantur? An forte ideo non imponit sacerdos manum super eum qui ad Diaconatus officium consecratur, vt non fiat quod ipse est, id est sacerdos? Si ita est, nec episcopum oportet ei manum imponere, vt non fiat Episcopus. Quod si propterea oportet ei Episcopum manum imponere, quia ipse orat pro eo, non solus ille orat, sed omnes qui piè intendunt verbis Episcopi, ac mente retinent.* Recte carpit Amalarius ridiculam illam differentiam in ordinandis Presbyteris & Diaconis, cum alioqui sive plures imponant manus, sive vnus, idem est

sive

de guber. eccles. cap. 13. p. 297.

de grad. defens. cap. 24. in Appendice. p. 289.

de tripl. Episc. p. 30.

de Eccles. l. 5. cap. 56.

Cap. 12.

sive in ordinatione Diaconi sive Presbyteri, dummodo ille vnus plurium presbyterorum nomine imponat, & sibi soli hunc ritum non vendicent, ac sic ipsum actum, id est ordinationem, vt sibi proprium invadat. Non poterant quidem plures enunciare benedictionem absque confusione & indecoro, sicut poterant plures imponere manus. Dum obtinebat Episcopatus, presente Episcopo, ipse solus protulit benedictionis & cosecrationis verba, non tamen penes Episcopum solum erat ipsa potestas ordinandi. *Solus quidem Episcopus ordinabat signo & sermone* (inquit Iunius) *sacram institutionem eius qui ordinabatur enunciant, at non solus tamen ordinatione veritatis, quam representabat signum. Quin & sacerdotes alij cum Episcopo manus initiando imponebant, vt cautum legimus apud Gratianum Dist. 23. c. Presbyter.* Signum igitur impositionis manuum erat commune Episcopo & presbyteris, & in eundem finem nempe vt dicit Amalarius, *ad precandum gratiarum virtutem*, & vt ait Saravia, *erat Presbyterorum bene precantium signum*, & vt Bilsonus. *Vt sacram banc atque publicam actionem communibus votis precibusq; promoverent.* Sed an etiam ad ordinandum. Imo ad ordinandum, & inducendum in possessionem muneris ad quod ante ab eligentibus designatus erat, vt infra docebimus. Verba consecrationis erant ad vitandam, vt dixi, ataxiam, ab vno prolata, sive ab Episcopo, sive à presbytero, Episcopo vel absente vel aliàs impedito. Nec tunc erant nullius valoris verba consecrationis ex ore Presbyteri prolata. Gratianus hæc habet in prima parte Decreti ex Concilio Toletano. *Quorũdam Clericorum, dum vnus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Eps. opus oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos imposuisse tantum & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Sed quia jam ille examini divino relictus humano iudicio accusari non potest, ij qui supersunt, gradum sacerdotij vel Levitici ordinis, quem perverse adepti sunt, amittant.* Privatio præsupponit habitum. Non poterant moveri gradu, quem omnino non consecuti sunt; proferente igitur presbytero verba cõsecrationis, adepti sunt illi gradum suum, licet egerit contra ordinẽ illum, qui in Ecclesia tunc temporis invalescebat. Declarasset Concilium potius irritam, & nullam fuisse ordinationem illam, in qua Presbyter protulit verba consecrationis, quam ordinatos gradu deturbasset, si nullius pretij erant verba consecrationis enunciata per presbyterum. Sed quo modo hunc nodum solvit Spalatensis. Missionem potestativam distinguens à precibus, dicit. *Propterea igitur idem Concilium supponit illos accepisse gradum ordinum, quibus Episcopus lippus manus imposuerat, Presbyter vero preces recitarat. Deponendos enim censuit, quia videlicet Episcopus etiam sine verbis, sola illa manuum impositione, illos sufficienter ordinaverat: preces vero illæ ad externam Ceremoniam decorumq; pertinebant, & ad eas fundendas lege*

de Cleric. cap. 15. not. 29.

Dist. 23. cap. Quorundam.

De rep. eccle. l. 2. cap. 3. num. 54.

Ecclesiastica Episcopi tenentur sed ordini sacro omni ex parte, & absolutè loquendo essentiales non sunt. Viden, ut à verbis consecrationis rursus relabuntur ad impositionem manuum, quam missionis potestativæ signum facit Spalatensis. At signum istud est commune omnibus presbyteris de Iure, licet ipsius administratio sit quandoque de facto vnius. Sed quando de facto est vnius ritus impositionis manuum, actus tamen ordinationis, & vt loquitur Spalatensis, missionis potestativæ non est vnius, sed totius presbyterij. Nec erat ritus iste ita peculiaris Episcopo, quin & alij, etiam absente Episcopo, administrare poterant. *Quod si hoc divini esset juris vt solus Episcopus ordinet, quo tandem iure Presbyteri in Ægypto ordinassent; hoc enim Ambrosius & Augustinus sua adhuc memoria narrant factum.* Idem alibi, *Consignare dicit Ambrosius non confirmare: & Augustinus interpres idoneus exponit consecrare, id est ordinare; vel quisquis auctor quæstionum est ex vtroque testamento quæst. 101. dicens, vbi de ordinatione agitur. Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Imò criticorum judicio idem auctor, quisquis est, est sui interpres. *Postremo accedit, quòd idem videtur esse auctor horum commentariorum,* (nempe qui circumferuntur nomine Ambrosij in Epistolas) *& quæstionum veteris & novi Testamenti, quæ extant inter libros S. Augustini: doctrina enim horum commentariorum, & illarum Quæstionum simillima est, vt notaverunt Censores Lovanienses in notis ad Augustinum. Stilus videtur etiam esse idem, & ætas mirificè consentit.* Hoc idem de Lovaniensium censura observavit Reynoldus in collatione cum Harto, & colligit ex quæst. 44. editas fuisse quæstiones illas 300 à Christo annis. De consecratione Eucharistiæ absente Episcopo per presbyterum non modo in Alexandria & per totam Egyptum, sed etiam per totum orbem Christianum nemo dubitabat, de alia igitur consecratione loqui intelligendus est auctor ille. Sed ad alia exempla magis perspicua veniamus. In concilio Ancyrano decretum est in hunc modum: *Chorepiscopis non licet Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopi vel literis, in vnaquaque Parochia.* Licet Fildus dicat chorepiscopos fuisse presbyteros, non tamen inde argumentum aucupabimur. Nam Chorepiscopos fuisse primum veros Episcopos docebimus. Ex hoc tamen Canone duo elicimus. Primò, presbyteros civitatis ordinasse presbyteros & Diaconos in eundem modum ac faciebant Chorepiscopi, idque absque vlla permissione aut literis Episcopi, & valida erat eorum ordinatio, licet ordinaverant in aliena parœcia, multò magis igitur valida erat ordinatio, si celebrata in propria parœcia. Respondet Spalatensis, *Non esse insolitum in natura corrupta, vt aliqui, qui iam gradum aliquem in Ecclesiastico ministerio obtinent, non modo ambiant superiorem, sed interdum etiam officia aliqua gradus superioris de facto invadant. Hic er-*

De Cleric. cap. 15. sect. 29.

Cap. 17. not. 5.

Bell. de script. p. 145.

Cap. 8. divis. 6. p. 567. in edit. Anglic.

Can. 13.

de rep. eccl. l. 2. c. 3. num. 53.

go

go Canon ante omnia cavet, ne quis ad tales perveniat usurpationes. Sed cur dicto canone in posterum cohibendi presbyteri civitatis, & non in universum omnes presbyteri Diœceseos, nisi quod presbyteri civitatis idem fecerant, quod Chorepiscopi. Chorepiscopos autem ordinasse presbyteros & Diaconos ante conditum contra Canonem satis notum est. Si gradus presbyteri erat incitamentum ad usurpationem ordinationis, omnes omnino presbyteri erant reprimendi, & non civitatis solummodo presbyteri, qui etiam hoc canone id tentare in aliena parœcia tantummodo prohibentur. Secundo ex hoc Canone patet, permissione & venia Episcopi posse etiam in aliena parœcia presbyteros civitatis ordinare presbyteros & Diaconos, & proinde non necessariam esse impositionem manuum Episcopi, sed sufficere impositionem manuum presbyterorum, cuius potestatem habent vi ordinis sui. Respondet Spalatensis. *Quod autem ex delegatione & commissione Episcopi, videtur concedere Episcopis, ut possint ordinare Presbyteros & Diaconos, non est facile admittendum. Illa enim Gentiani versio videtur mutila & imperfecta. Alia clarius sic habet. Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi, vel literis in unaquaque parochia aliquid imperare: nec sine authoritate literarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere.* Clara ista versio omnino lutulenta & fœda est. Conferat Lector cum Canone Græco. χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ. Ita habetur apud Balsamonem. Bilsonus sic reddit. *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, nisi permittantur ab Episcopo, idque cum literis, in alterius parœcia.* Hæc longe diversa sunt ab *imperare, aut aliquid agere in unaquaque parochia.* Downamus similiter intelligit prohibitum Presbyteris civitatis hoc canone ordinare Presbyteros & Diaconos. Patet igitur etiam post conditum hunc Canonem potuisse Presbyteros in aliena parœcia ordinare Presbyteros & Diaconos permittente Episcopo. Nondum ergo obtinuit axioma illud jam diu usurpatum apud Hierarchichos. *Episcopus potest delegare ea quæ sunt jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt ordinis.* Downamus dicit, *non posse Episcopum communicare istam potestatem aliis, ut potest jurisdictionem.* Saravia in appendice capitis 24 ait, *Episcopus verò, quæ sunt jurisdictionis Ecclesiasticæ in censura morum, & cæteris quæ sunt hujus generis potestatem facere potest Presbyteris, ut quæ sunt Episcopi judicio reservata, decidant; sed actiones conjunctas cum Episcopali gradu non potest, ut est impositio manuum Presbyterii & ordinatio.* Vera essent ista omnia, si Episcopus esset unicus & proprius minister hujus sacramenti

Num. 53

de gub. cap. 14 p. 356.

Def. l. 1. cap. 8 p. 189.

Def. l. 3. ca. 4. p. 106.

Def. cap. 24. p. 288.

 menti

menti. Nam Minister proprius alicujus sacramenti non potest permittere, aut delegare alium qui non est minister illius sacramenti, ad ministrandum. Si potest permittere Presbyterum ordinare, indubitatum signum est Presbyterum vi ordinis sui eandem habere potestatem, & cohibitum fuisse ipsius exercitium solummodo canone Ecclesiastico, non sublatum jure divino. Dounamus oblitus fortè triti illius axiomatis, vel potius vi veritatis victus alibi fatetur Episcopos in primitiva Ecclesia hanc potestatem ordinationis communicasse aliis, idque satis luculentè ex dicto Canone Concilii Ancyram evicimus. ubi etiam observavimus ante conditum Canonem subindicari Presbyteros civitatis ordinasse Presbyteros absque literis & permissione Episcopi, & non prohiberi ordinare Presbyteros in sua parœcia absque literarum Episcopalium authoritate etiam condito jam Canone. Quæ de ministro Confirmationis asserit Durandus de ordinationis etiam ministro multò magis affirmari possunt. *Supposito, quòd confirmatio* vel ordinatio, *sit sacramentum verum a Christo institutum, & ex institutione Christi Episcopus solus sit minister Confirmationis vel Ordinationis nullo modo simplex sacerdos ex commissione Papæ potest* (multò minus inferioris Episcopi) *conferre hoc sacramentum.* 1 *ratio, de materia cujuslibet sacramenti sunt materia, forma, & minister. Sed Papa*, vel Episcopus, *nihil potest mutare circa formam sacramentorum, vel circa materiam; ergo nec circa ministrum. Igitur aut simplex sacerdos ex divina institutione est minister confirmationis* (ordinationis) *& tunc absque commissione Papæ*, vel Episcopi, *potest eam conferre, aut non est minister sed solus Episcopus, & tunc ex quacunque commissione nihil potest. Quod minister se habet extrinsecè ad sacramentum, materia & forma intrinsece, nihil impedit, quia sicut minister conferens se habet extrinsecè ad sacramentum, ita & suscipiens ipsum, sed ubi suscipiens aliquod sacramenmentum est determinatus, ut in ordine masculus, per Papam* aut Episcopum *non potest mutari, & si fiat, nullum est sacramentum, ut si mulier ordinetur. Ergo circa ministrum nihil omnino mutari potest absque evacuatione sacramenti, quamvis extrinsece se habeat ad sacramentum.* 2 *Dispensare sacramenta, quorum actus respiciunt corpus mysticum aut convenit Papæ & Episcopis ratione jurisdictionis, aut ratione consecrationis. Non ratione jurisdictionis, quia cum Papa electus & Episcopus confirmatus habeant plenam jurisdictionem, antequam sint consecrati, possent tunc hoc sacramentum, dispensare, seu conferre, quod falsum est. Ergo non convenit eis ratione jurisdictionis, sed consecrationis. Sed ea quæ consecrationem recipiunt, non consecrato committi non possunt. Ergo papa vel Episcopus non possunt committere non Episcopo, quod possit talia sacramenta conferre. Quando competit alicui sacramenta ministrare vel etiam sacramentalia ratione ordinis, nullus potest dispensare quod alius non sic ordinatus possit ea ministrare, nisi institutor prædictorum sacramentorum*

Def. li. 3. ca. 4. pag. 90.

In 4 sentent. dist. 7. qu. 4.

rum vel sacramentalium. Et quia solus Christus instituit sacramenta, Ecclesia autem instituit multa sacramentalia, ideo etiam in ministro instituto per Christum pro administratione talis vel talis sacramenti, Ecclesia, vel Papa non potest variare aliquid, vel in aliquo dispensare, quin totum frustretur. In sacramentalibus per Ecclesiam institutis Papa potest dispensare circa ministrum, sed minor Papa, puta quicunque alius Episcopus, non potest, nisi sibi specialiter esset per Papam indultum. 3 Papa non habet maiorem potestatem in collatione confirmationis vel ordinis, quā quicunq; Episcopus, licet habeat majorem potestatē in foro causarum. Si ergo ex cōmissione Papæ simplex sacerdos potest cōfirmationē vel minores ordines cōferre, idem poterit quilibet sacerdos ex cōmissione proprii Episcopi, quod à nullo conceditur: tēpe sęculo Durandi cū jam obtineret axioma illud de quo paulò ante diximus. Nam antiquitus aliter se res habebat, ut probavimus ex Concilio Ancyrano, & Dounamus etiam fassus est. Præterea in casu necessitatis potuisse Presbyteros ordinare concedebatur etiam corruptissimis sæculis. Valet tamen argumentum Durandi ex suppositione, quod Episcopus sit ex institutione Christi proprius minister sacramenti confirmationis vel ordinationis Papa non potest dispensare, vel committere Presbytero ministerium confirmationis, aut ordinationis. 4 *Sicut in baptismo confertur potestas suscipiendi sacramenta, sic in ordine confertur potestas dispensandi ea: sed Papa* vel Episcopus minor Papa *non potest facere, quòd nō baptizatus suscipiat verum sacramentum. Ergo non potest facere, quòd non ordinatus illa ordinatione, qua quis accipit potestatem dispensativam confirmationis vel ordinis, possit hoc sacramentum conferre. Mirum enim esset, si aliquis posset in actum, respectu cujus non habet potentiam. Characterem autem ordinis vel baptismi nullus habere potest ex commissione Papæ,* vel Episcopi, *sed requiritur susceptio sacramentorum. Ergo non habenti characterem ordinis per susceptionem sacramenti; non potest per quemcunque committi actus illius ordinis. Ex his ergo videtur quòd ex commissione cujuscunque nullus posset conferre sacramentum, quod non posset conferre ex se.* Cum igitur permissione vel commissione Episcoporum Presbyteri olim ordinem Presbyteratus conferre potuerunt, & Papæ commissione adhuc possint, patet veram esse alteram suppositionem Durandi, nempe *quod minister sacramenti confirmationis*, ordinationis, *sit omnis sacerdos, quantum est ex institutione Christi, licet ex prohibitione Ecclesiæ reservata sit ejus,* sic ordinationis, *collatio solùm Episcopis, nec necessaria est commissio, nisi forte propter probabitionem Ecclesiæ ad vitandum culpam inobedientiæ. Tunc facile est dicere quod ex commissione Papa simplex sacerdos possit confirmare.* vel etiam ordinare. Testis Alexander de Hales referens quorundam Doctorum sententiam, *qui dicunt, quòd ex demandatione Papæ ordinatus potest conferre ordinem, quem habet.* Ergo ex demandatione Papæ Presbyter Presbyterum ordinare potest. Ad istam objectionem :

Panorm. in 1 de cretal. tit. De Consuet. cap. Quanto.

nem: *Non potest papa committere non Presbytero ut conficiat corpus Christi, quia Christus hoc commisit solis Presbyteris, ut ibi, ita videtur dicendum in proposito,* nempe collatione ordinum, *ut sicut in confectione Eucharistiæ non dispensat contra institutionem Christi, ita nec in ordinatione ministrorum ipsius sacramenti*: Respondet Panormitanus. *Ego potius putarem, ut sacerdoti hoc possit delegare indistinctè,* id est sive in majorum sive in minorum ordinum collatione, *quia licet de sacramento Eucharistiæ sit dispositum institutione dominica, qui habeant illud administrare, hoc tamen non est dispositum in collatione ordinum. Nam olim Presbyteri in communi regebant Ecclesiam, & ordinabant sacerdotes. Unde quemadmodum olim poterant, ita videtur quod papa posset hoc concedere sacerdoti, maxime delegando.* Si ex demandatione vel concessione Papæ concessum fuerat postremis sæculis Presbyterum posse ordinare Presbyterum, patet Presbyterum quemvis institutione Dominica esse ministrum hujus sacramenti ordinationis, & tantū Ecclesiastico Canone id eis inhiberi. Idē Leo 1 Papa Presbyterorum consecrationes numerat inter ea, quę Canonibus & regulis Ecclesiasticis, non autem jure divino sunt reservata Episcopis.

Epist. 86. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ.

Quamvis Chorepiscopis & Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispositio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint sicut est Presbyterorum & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio vel unctio. Extant verba in Decreto Gratiani. Et paulò infra. *Quæ omnia solis debentur summis pontificibus authoritate Canonum præcipitur, ut per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur*, id est, ut loquitur Hieronymus, Ad honorem potius sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Seclusa igitur prohibitione Ecclesiæ & Canonum, potuerunt Presbyteri ordinare Presbyteros. Quod autem irrita erat ordinatio per Presbyteros, non evenit inde quod vi ordinis, & jure divino non erat valida Presbyterorum per Presbyteros ordinatio, sed ex rigore Canonum, ut & multæ aliæ ordinationes. *Quod objicitur*, inquit Fildus, *ex patribus ordinationes per Presbyteros administratas fuisse irritas, intelligendum est secundum rigorem canonum, qui ipsorum ætate in usu erant, non absolutè, ex natura rei ipsius, quod patet ex eo, quod similiter ordinationes sine titulo erant irritæ Conc. Chalced. Can. 6. Ordinationes Episcoporum per pauciores tribus Episcopis & metropolitano, ordinationes presbyterorum per Episcopos extra suas Ecclesias absque venia, cum certo sciam tamen Romanenses nolle ullam earum irritam pronunciare, licet qui faciant ista omni culpa non vacent. Deinde ipsorum dicta sunt intelligenda regulariter, non absque omni exceptione casuum particularium, qui emergere possunt.* Ut igitur ordinationes Presbyterorum sine titulo etiam per Episcopos Chalcedonensium Patrum ævo irritæ declaratæ sunt, cum tamen posterioribus hisce

Dist. 26. ca. Quamvis.

De Eccl. l 3. cap. 39. pag. 159.

sæculis

sæculis nihil usitatius, tum in Romanensi tum in Anglicana Ec-
clesia: ita contrà, ordinationes per Presbyteros olim validæ erant,
ut supra docuimus, licet novellis & Ecclesiasticis regulis ut Leo
loquitur præciperetur ut irritę essent. Quod quidē sęculis corrupti-
oribus non sine summa injuria introductū est. In casu tamē necessi-
tatis concesserunt Saniores Scholastici Presbyteros posse conferre
etiam majores ordines. *Videtur*, inquit Armachanus, *quòd si omnes* L. 11 quæst.
Episcopi essent defuncti sacerdotes minores possent Episcopos ordinare. Si Armen. c. 7.
possint ordinare Episcopos multò magis Presbyteros. Istud testi-
monium Armachani citat Fildus. Apud Saraviam habetur tale te- De Eccles. l.
stimonium ex summa Guilielmi Altisiodorensis. *Si essent in mundo* 3. ca. 39 pa.
tantum tres simplices sacerdotes, oportet quòd aliquis illorum consecraret 159.
alium in Episcopum, alium in Archiepiscopum. Presbyteri, sicut & Epis- De gradib.
copi, in sua ordinatione, claves regni cœlorum accipiunt, sunt enim etiam defen. cap. 2.
Apostolorum successores. Perpende rationem. Presbyteri possunt pag. 32.
consecrare Episcopum, quia in sua ordinatione acceperunt claves
regni cœlorum, & sunt successores Apostolorum. Ipse Saravia. De gradib.
Quamvis ordinationes ministrorum Ecclesiæ propriè ad Episcopos pertine- defens. cap. 2
re judicem: necessitas tamen facit, ut ubi illi desunt, nec haberi possunt, pag. 32.
orthodoxi Presbyteri possunt in necessitate ordinare Presbyterum; quæ res,
tametsi præter ordinem fiat receptum ab ipsis Apostolorum temporibus,
necessitate tamen excusatur: quæ facit, ut in tali rerum statu Presbyter sit
Episcopus. Proinde quamvis factum sit extraordinarium, vocatio extra-
ordinaria non est censenda. Ibidem, *Atque hoc etiam verum est, quòd in*
tali Ecclesiæ perturbatione, quando omnes Episcopi à vero Dei cultu defi-
ciunt ad idololatriam, sine ulla gubernationis Ecclesiæ violatione, ad pios
Presbyteros & Orthodoxos tota Episcopalis gubernationis Ecclesiasticæ
authoritas devolvitur ut Presbyter liquidò ordinare possit Presbyteros.
Et paulò infra dicit, amotis quolibet modo superioribus ordini- Pag. 33.
bus tota clavium Ecclesiæ potestas residet apud eos, qui ex infimo
ordine remanent. Item, *ubi Episcopi omnes facti sunt impii hæretici*,
ab illorum iurisdictione orthodoxi Presbyteri liberantur: & potestatem
clavium, quam in sua ordinatione acceperunt, sibi vendicare debent. Dou-
namus similiter. *Ubi nego, vel Episcopos usos aut potuisse Presbytero-*
rum parastasia, in utrarumque, (nempe ordinations & jurisdictionis) Def. l. 3 cap.
alterutra, vel Episcoporum defectu utrumque posse peragi per Presbyte- 1. sect. 13
ros; Quòd ad prius, cum dicunt Presbyteros imponere manus
non ad consecrationem vel ordinationem, sed tantùm significandi
consensus gratia, non dicunt impositionem manuum ordinato-
riam esse solius Episcopi, licet 100 Presbyteri apponerent manus
suas juxta manus Episcopi. Sed redeamus. Concedit Dounamus
in Episcoporum defectu Presbyteros posse ordinare. Cùm ex Pon-
tificiorum scriptis, Summa Angelica, voce Ordo, docuisset eos sen-
tire Papam posse Presbyteris concedere potestatem ordinandi, sic

 infert.

Def. li. 3. ca. 4. sect. ult. infert. *Si pontificis permissu Presbyter potest ordinare Presbyteros, multò magis Senatus Presbyterorum, ad quem in defectu Episcopi cura Ecclesiæ devoluitur, instrui potest ea authoritate cogente necessitate, quæ nullam habet legem.* Videmus igitur Hierarchicorum sententia Presbyteros in casu necessitatis posse ordinare Presbyteros. Sed quem dicunt illi esse casum necessitatis. *Extrema necessitas*, inquit Saravia, De tripl. Episc. p. 83. *dat Episcopalem potestatem Presbytero.* Extremam voco, *quando aut Episcoporum nullus est, aut eorum qui sunt, impius est usus. Noti iuris est vacante sede, ad Presbyterium Episcopi, hoc est ad Presbyteros devolui, quod erat ante solius Episcopi. Et quæ ratio, quod Dei verbum ordinationem ministrorum excipit, quando Episcopum habere non datur.* Si vacante sede ad Presbyterium Episcopi devoluitur, quod ante erat solius Episcopi, tunc sequitur quod superstitibus alibi etiam orthodoxis Episcopis, capitulum jure devoluto possit ordinare Presbyteros, alioquin non devolueretur ad Presbyterium Episcopi, sed ad alios Episcopos, jus, quod ante solius Episcopi. Videant igitur quomodo cohæreant extrema necessitas, & devolutio juris Episcopi vacante sede ad capitulum. Nam eadem etiam habet Dounamus in testimonio paulò supra citato. Imò apertius adhuc Dounamus. [illegible] *Eadē videtur ratio impositionis manuum in confirmatione baptizatorum, reconciliatione publicè pœnitentium, quæ in ordinatione ministrorum. Sed licet duæ priores reservatæ sunt Episcopis æquè at tertia, extra odinem tamen, in casu necessitatis, & in defectu vel absentia Episcopi, vetus Ecclesia censuit licitum fuisse ministris imponere manus, vel ad baptizatorum confirmationem, vel pœnitentium reconciliationem. Prius testantur Ambrosius in Ephes. 4. & August. quæst. ex vet. & novo test. mixtim q. 101. posterius Cyprianus l. 3. ep. 17. & Concilia, Carthag. græc. c. 43. Carth. 2. c. 4. Conc. Arausic. c. 2.* Infero. Ergo non modo defectu Episcopi vel sede vacante, sed etiam Episcopo absente, possunt Presbyteri Presbyteros ordinare. Nam non modo vacante sede, sed etiam Episcopo solummodò absente, dixit Dounamus Presbyteros potuisse imponere manus in confirmatione, & reconciliatione pœnitentium. Ex quo sequitur Episcopum non esse proprium & unicum Sacramenti ordinationis ministrum, sed etiam Presbyterum posse ordinare, idque vi potestatis ordinis sui & consecrationis, quam æqualem habet ex institutione Divina cum Episcopo. Nam ut vacante sede vel absente Episcopo, in Egypto, Presbyteri consignabant, id est confirmabant ut interpretatur Ambrosium Dounamus (licet Iunius & alii interpretentur vi ordinis sui *ordinabant* ut supra ostendimus) & in Africa reconciliabant, sic vacante sedes vel absente Episcopo ordinare possunt Presbyteri vi ordinis. *Quod igitur Patres officii Episcopi, si præsens non esset, Presbyteris permiserunt, idem factum, quod ea quæ humanitus propter ordinem, & dissidiorum excludendorum causâ excogitata essent, in Ecclesiæ* Dissert. de verb. eccl. p. 55.

detrimentum

detrimentum verti nollent, ac proinde in necessitatis casu Presbyteris jus suum remitti maluerint, quàm nimis stricta humani instituti observatione Ecclesiam fraudari, ut observatum est a Gersomo Bucero. Et aliud ab eodem viro clarissimo alibi notatu dignum observatur. *Quare absentia Episcopi, quando vel ipse tandem, vel alius hujus loco obtineri potest, non est immutabilis necessitas. Quod nihilominus presbyteris in eo potestas ordinandi facta fuit, quis non hinc prodiisse videat, quod patribus certò constaret distinctionem illam Episcoporum & Presbyterorum tantum humanæ institutionis esse? Alioqui talis necessitatis casus, quem declinare potuerunt, nullam purgandi facti sui rationem ipsis reliquam fecisset.* Cur devoluta fuit ista potestas ad Presbyteros magis quàm Diaconos, nisi quòd Presbyteri hanc haberent potestatem vi ordinis, non autem Diaconi. Sive casus necessitatis sit ineluctabilis sive non, non possunt Presbyteri ordinare, si non essent divina institutione instituti hujus sacramenti ministri. Nam cum ordinatoria manuum impositio, ut ipsi definiunt, sit actio spiritualis efficaciæ conferens ordinando potestatem ordinis, in quo constitutus est, quomodo potest non Episcopus qui hanc potestatem ordinandi non accipit in ordinatione sua, aliis conferre gratiam & potestatem ordinis. Nam ipsa potestas ordinandi non confertur nisi per modum sacramentalem, ut ipsi dicunt, & nos adhuc ponimus. Oportet igitur in ordinatione sua Presbyterum accepisse potestatem ordinandi, alioquin nulla necessitas eum hac potestate indueret. Nam minister est de integritate sacramenti, ut supra audivimus ex Durando. Quod de baptismo objicit Dounamus, in casu necessitatis, ubi Ministri obtineri non possunt, posse Laicos baptizare, omnino negamus. Non est tanta necessitas baptismi, ut propter eam oporteat Laicum baptizare, ubi vel quando Presbyteri obtineri non possunt. Nam in ordinatione Presbyteri confertur potestas vel deputatio, per quam ordinatus potest aliquid facere quod non poterat prius, inquit Durandus: v. g. potest ordinatus in sacerdotem conficere corpus Domini quod prius non poterat. Potest quis non ordinatus celebrare actionem exteriorem pronunciando verba institutionis, & ritus administrando, nihil tamen efficit. Sic dico ego, potest quis non ordinatus celebrare baptismum quoad genus facti exterioris, nihil tamen efficit nisi sit ordinatus. Quod baptismum exceperint Scholastici & Pontificii, ex alio errore, nempe summæ necessitatis hujus sacramenti, ortum est. Idem dico de ordinatione, quod si desint & deficiant cum Episcopi tum Presbyteri non posse Laicum ordinare, si ordinatio sit sacramentum, ut adhuc ponimus. Proinde falsum est, quod dicit Dounamus, *potestatem ordinationis & jurisdictionis devolui etiam ad corpus Ecclesiæ in casu necessitatis, id est, sui cleri successione, & aliorum auxilio deficiente.* Falsum dico, hoc posito quod tuentur Hierarchici,

Pag. 363

Distinct. 24. quæst. 2.

Def. li. 4. ca. 4. sect. 13. pag. 99.

nempe Ordinationem esse sacramentum: non enim potest corpus Ecclesiæ conferre per modum sacramentalem, gratiam sacramenti aut potestatem ordinis. Quod dicit Dounamus verissimum tamen est hoc posito quod ordinatio non sit sacramentum, ex eoque non esse sacramentum ostendemus. Dominus enim sic prospexit Ecclesiæ suæ, quod si nullibi reperirentur sacramentorum ministri Ecclesiæ tamen contulit potestatem eos absque sacramentali consecratione instituendi ministros & collapsum ordinem restaurandi. Denique, ut in pauca superiorem dissertationem contraham, concesso etiam quòd sit sacramentum impositio manuum ordinatoria, ejus potestatem esse penes quemvis Presbyterum ex ordinatione divina patet ex scripturis, fatentibus etiam adversariis: ejusque exercitium ab Apostolis nunquam sublatum: nec ab Ecclesia statim post Apostolos, sed validas fuisse ordinationes etiam per Presbyteros celebratas: Nec quando irritæ sunt habitæ, id provenisse absolute ex natura rei, sed ex rigore canonum, ut factum in aliis ordinationibus, quæ sæculis hisce novissimis in Ecclesia Romanensi & Anglicana non modo validæ sunt, sed etiam usitatæ: & ut patet etiam ex concessa potestate pontifici hanc potestatem delegandi Presbyteris etiam sæculis corruptissimis: & ex jure devoluto ad Presbyteros in casu necessitatis cum eluctabilis, tùm ineluctabilis, consecrandi non modo presbyteros, sed etiam Episcopos. Abbates extra casum necessitatis ineluctabilis etiam Episcopos consecrasse supra ex Bedæ historia ostendimus, & quod in casu necessitatis ineluctabilis possint, testantur Altisiodorensis & doctores illi de quibus supra Alexander de Hales. Non tamen dissimulandum est summam fuisse injuriam in divinam institutionem quæ illata est presbyteris, sæculis corruptioribus, irritas statuendo ordinationes per presbyteros. Nam quod dicit Durandus *Ecclesia potest artare ministrum suo statuto: sed non potest irritare sacramentum, concurrentibus his quæ sunt de necessitate sacramenti*, priore parte partim verum est, potest potestas regulari & dirigi, dummodo non tollatur ordinarium ejus exercitium: ut omnia fiant ordine & decenter ad Ecclesiæ ædificationem. Ex posteriore parte verum est, non potest Ecclesia irritum & nullum decernere sacramentum Eucharistiæ celebratum à legitimo & vero presbytero, qui hanc potestatem habet ex institutione divina. Et sic de aliis sacramentis, & consequenter de Ordinatione si sit sacràmentum, quod adhuc concessimus. Sequitur jam probandum ordinationem non esse sacramentum, & proinde multo magis Presbyteros posse imponere manus, & consecrare ordinandos. Nam nulla consecratio major est sacramentali: Si ergo potest Presbyter consecrare in sacramento potest etiam extra sacramentum. Ordinationem non esse sacramentum probatur. Si ordinatio sit sacramentum conferens gratiam gratum facientem.

L. 4. dist. 7. qu. 4. prope finem.

cientem, & potestatem ministrandi sacramenta, tunc sequitur a Christo institutam fuisse, & de materia, & forma constare. *Si quidpiam tale fuit a Christo institutum, adeone obscure & latenter id fecisset, ut adhuc post mille & sexcentos annos in Ecclesia nostra incertum sit, quæ sit propria hujus sacramenti materia, sive res sensibilis, quæ in Scholis appellatur elementum: num ipsa manum impositio? num traditio calicis & patenæ? de quibus certant Scholastici: sicut & circa formam ac verba, quibus prolatis impleatur sacramentum. Nam in Presbytero ordinando formam aliqui volunt esse, Accipe potestatem remittendi peccata &c. alii vero, Accipe potestatem offerendi sacrificium. Itane facimus unum Sacramentum a Christo institutum, de cujus tota substantia adhuc sumus incerti? An Christus ludit & illudit suam Ecclesiam? Et ubinam quæso in verbo Dei mandatum habemus datum Episcopis, ut ordinantes dicant, Accipe hanc vel illam potestatem.* Gratiam gratum facientem probant ex 1. Tim 4. 14. at respondet Salmeron, tomo quarto ubi de sacramento Ordinis, ibi esse non χάρις sed χάρισμα quòd gratiam gratis facientem ceu donum significat, non gratiam sanctificantem. Apostoli conferebant dona ordinatis per impositionem manum ut supra diximus, quod non erat ordinarium & perpetuò duraturum. Imò nunc dona supponuntur ante impositionem manuum, non conferuntur simul ac imponuntur manus, nedum per impositionem manuum. Quomodo igitur potest impositio manuum esse sacramentum, cum sacramentum sit signum visibile invisibilis gratiæ, ut ipsi definiunt, & quidem gratiæ sanctificantis personam, ut rite & dignè possit tanto fungi ministerio. Nam ut rectè Spalatensis, nu. 43. *Ordo non est eo institutus ut digne quis possit ministrare, sed absolutè ut possit ministrare*, nec a dignitate morali ministri pendet virtus & efficacia Sacramentorum. Quod ad officium & potestatem ipsam ministrandi valde abusive dicitur gratia ordinis vel officii. Dona autem officio annexa propriè sunt χαρίσματα præsertim si extra ordinario modo collata Sed sacramenta non sunt instituta ad conferendas gratias gratis datas ut loquutur, ceu dona, nec officia vel potestatem ministrandi in officio, quibus dona sunt annexa. Conferre potestatem ministrandi in cultu divino per modum sacramentalem, est commentum Scholasticorum qui de charactere ordinis variè nugantur, & inter se dimicant.

Spalatens. de rep. Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 25.

Præterea si impositio manum ordinatoria esset sacramentum, non poterit quis ordinari absque impositione manuum. Nam signum sacramentale debet esse ceremonia religionis stata & perpetua. At vt dixit supra Spalatensis controvertitur an impositio manuum sit materia, ceu res sensibilis hujus sacramenti *Et multi Theologi eam non habent pro necessaria, qui quidam alij aliter sentiunt. Etiam celebres Canonistas, Hostiensem, Iohannem Andream, Abbatem &* alios

Pet. Suavis. hist. Conc. Trid. l. 7. p. 667. edit. Francofurt.

alios affirmare Papam solo verbo presbyterum ordinare posse, dicendo, Esto sacerdos, quodq́ pluris est, Innocentium omnium Canonistarum parentem, universe asserere, nisi formulæ illæ recens adinventæ obstarent, abunde futurum, si ita diceret Ordinator, Esto sacerdos, aut verbis tantundem valentibus vteretur; nam formulas quæ observantur ab Ecclesia pòst constitutas. Sic Melchior Cornelius Lusitanus in Concilio Tridentino. Vide Petri Suavis Historiam. Spalatensis simile affert, *Mirandum verò,* inquit, *quòd Ecclesia Romana Canonistarum quoddam dictum adeo approbat, vt ne mutire quidam contra ipsum quisquam ex catholicis audeat, nimirum Gygas cum DD. ab eo citatis, q. 8. de Præs. n. 3. & Rebuffus de benif. imit. Summum Pontificem solo verbo posse facere & sacerdotem & Episcopum, si dicat alicui duntaxat, Esto sacerdos: vel Esto Episcopus.* Subjicit, *Pugnantia sunt ista Ordinem esse verum & proprium sacramentum, quod sine certa, & constanti ceremonia esse non potest: & solo verbo Papæ posse hominem sacris initari. Cum tamen satis appareat, & melius sim ad huc mox rem cōfirmaturus, ordinationē in sola, legitima tamen & potestativa deputatione consistere, facile etiam ipse Canonistis consenserim posse non modò Papam, sed quemcunq; Episcopū solo verbo Presbyterum & Episcopum facere, nimirum vt factum teneat. Quamvis contra præceptū Ecclesiasticum, si omittantur ceremoniæ, sit, qui hoc fecerit, peccaturus.* Quid Til. noster? *Ritus impositionis manuum,* inquit, *qui in ordinatione Ministrorū adhibetur, etsi non possit improbari: tamē cum exemplo potius, & veteris ecclesiæ praxi, quàm Christi institutione & præcepto nitatur, neque sacramentalis strictè & propriè dici potest; cum non eadem quæ sacramenta propriè dicta, beneficia vel præbeat, vel obsignet; neque ad ordinationem ministrorum simpliciter est necessarius.* Præterea singula quæque sacramenta sua peculiaria propria & analoga cum re sua significata signa habent. At impositio manuum est ceremonia communis, vt ipsi fatentur, pluribus alijs religionis actibus. Inde dicunt impositionem manuum aliam fuisse curatoriam, aliam consecratoriam, aliam confirmatoriam, aliam reconciliatoriam. Et in veteri testamento, vnde hic ritus desumptus est, non modo in sacris, sed etiam civilibus hanc ceremoniā vsurparunt. Iacob benedicens filijs Iosephi imposuit manus, Gen. 48. Moses Iosuæ successori Num. 27. 23. in dedicandis Levitis nitebantur filij Israelis manibus suis super Levitas ipsos, Num. 8. 10. & quisque filiorum Israelis super caput holocausti sui, Levit. 1. 4. Impositæ manus ijs qui electi erant in numerum Senatorum Synedrij Magni. Ei qui promovebatur ad Magisterium imponebantur manus à Rabbino aliquo. Manus impositio vocata est *semicah:* qui manum imponebat *somech,* qui gradu Magisterij auctus & cui impositæ manus, *samuch.* Verborum formula vetustissima huic ritui adjuncta erat. *Ego tibi impono manū, & manus imposita tibi esto,* hoc est, *& Magister esto,* vel sic, *Eni somech othecha: thihich samuth,* id est, *ego tibi manū impono,*

De rep. eccl. l. 2. cap. 4. num. 19.

2. Part. Synt. disp. 58.

b

Scalig. elench triharesij. c. 1

pono, tu esto is cui manus imposita sit, aut *Ego te Magistrum creo; tu creatus esto*, aut *te magistrum facio, esto Magister*. Vide Scaligerum in elencho trihæresij, & Nicolaum Serrarium in Rabbinis. Cum igitur fuerat ceremonia adhibita in tot heterogeneis actionibus, & inaugurandis etiam doctoribus, ducibus, & Senatoribus, in pastoribus inaugurandis sacramenti signum, ceu rem sensibilem esse non censendum est. Si ordinatio esset Sacramentum, non potest irrita reddi ordinatio per Episcopum celebrata, licet suscipiens sit simoniacus aut alijs vitijs contaminatus modo donis ad exercendum officium sit instructus. Nam si Eucharistiam aut baptismum idem acceperit non impediunt vitia in suscipiente, quin vera sacramenta susceperit, At multæ ordinationes etiam per Episcopos irritæ habebantur à Patribus ob vitia & indignitatem suscipientium, vt probat Spalatensis ex Cypriano, Hieronymo, Augustino & alijs. Denique, si ordinatio Presbyteri per impositionem manuum sit sacramentum, cur non etiam Diaconi. nam & ijs imponuntur manus. In Diaconatu *Nulla potestas vel Deputatio confertur ordinato per quam possit aliquid facere interius vel exterius, quod non poterat prius, sed solum quod non licebat prius, quicquid enim potest facere Diaconus ordinatus, puta legere evangelium, ministrare sacerdoti, id totum poterat prius facere, sed non licebat ei*, sic Durandus. Diaconus est tantum mensarum & viduarum minister. Sed *demus quodcunque volumus officium & ministerium Diaconis, sive temporale, sive etiam spirituale, cum ipsorum institutio sit ab Apostolis, quis jam audeat ordinationem Diaconi inter sacramenta Christi Domini numerare?* dicit Spalatensis. Diaconi ordinatio igitur est tantum mera officij injunctio, & libera deputatio, vt idem dicit. Presbyteri ordinatio ergo non ideo est sacramentum, quia ibi est externus ritus impositionis manuum. *Impositio manuum non potest dici esse ceremonia à Christo instituta, vt in ea consistat ordinis sacramentum: quia de tali institutione nihil habemus: & in tanta re non est divinandum: neque ex humanis solis conjecturis, quæ vix probabilitatem contineant, sunt sacramenta statuenda*, inquit Spalatensis. Quid ergo? *Constat verò manuum impositionem ab Apostolis adhiberi solitam, tanquam partem efficacis orationis, vbi preces pro particulari aliqua persona funderentur, vt factum est in nova Apostolica Diaconorum institutione Act. 6. quam non fuisse sacramentalem paulò post probabo: & in Pauli ac Barnabæ segregatione Act. 13. quam similiter sacramentalem non fuisse est à me demonstratum. Quia igitur ministri Christi plurimum indigent divina gratia ad ritè sua munera obeunda, in ipsorum deputatione preces efficaces adhibendas esse duxerunt Apostoli, per manuum impositionem. Quod se fecisse cum Timoth. 1. Tim. 4 & 2. Tim. 1. affirmat Paulus. Ita etiam cum nuper Baptizatis faciebant Apostoli, vt per manuum impositionem invocarent super eos spiritum sanctum, Act. 8. Hujusmodi vero manuum impositiones*

Serrarij Rabbin. lib. 1. ca. 11.

l. 2. c. 4. num. 3. 4 5. 6. 7.

In 4. dist. 24. qu. 2.

Spal. de rep. eccl. l. 2. c. 4. num. 45.

Spal. de rep. eccl. l. 2. c. 4. num. 30.

ones non fuisse sacramentales satis explicat Augustinus, dum de ipsis in universum illud proferat. De bapt. con Donatist. lib. 3. cap. 16 Manus autem impositio non sicut baptismus, repeti non potest: quid enim est aliud, nisi oratio super hominem. Impositio manuum rectius dicitur gestus orantis, quam pars orationis vt à Spalatense, aut oratio ipsa, vt ab Augustino, & gestus iste ac ritus est quidem signum, sed non sacramentale significans aut exhibens gratiam, sed indicans & demonstrans personam quæ deputatur ad officium ecclesiasticum, & commendatur gratiæ Dei per orationem. Si igitur sit gestus orantis, benedicentis, & dedicantis Deo personam certam & particularem, quid impedit Presbyterum imponere manus, cum orare possit, & benedicere, æque ac Episcopus. *Etenim abnuenti mihi ista, sic dicam: qui non vult Presbyteros facere, quæ iubentur à Deo, dicat quis major est Christo? aut quid corpori ejus & sanguini poterit anteponi? Si Presbyter Christum consecrat, cum in Altario Dei sacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Christum etiam meruit consecrare?* Benedicit in altari, ergo potest benedicere populo, ergo & ordinato. Concesso jam quod ordinatio non sit sacramentum, quàm bellè congruunt omnia, quæ alioqui videntur asystata. Cur fuerunt irritæ ordinationes per Episcopos & Presbyteros pluribus de causis vt ostendit Spalatensis? quia ordinatio non est sacramentum. Cur potuit Papa demandare potestatem Presbytero ordinandi? quia non est sacramentum. Cur potest Papa solo verbo presbyterum ordinare? quia non est sacramentum. Cur deficientibus Episcopis & Presbyteris devolvitur ordinatio ad Ecclesiam? quia non est sacramentum. Cur in casu necessitatis devolvitur ad Presbyteros? quia non est sacramentum institutum à Christo cum proprio ministro. Cur non est ritus necessarius impositio manuum, quia non est sacramentum. Vtrum vnus an plures imponant manus ordinando adiaphoron est, modo ille vnus sibi soli actum & potestatem non vendicet, vt supra diximus. Baronius ex Rabbi Nathane dicit quum quis ad docendos alios promovetur collecto Seniorum concilio, eo prius examinato, idoneoque reperto, omnes qui aderant, manus imposuisse. Esto quod vnus, vt de vno videntur loqui Scaliger & Serrarius, qui dictus *somech* ὁ χειροθέτης qui vnà cum manuum impositione vtebatur concepta verborum formula: vel vnus signo & sermone sed nomine aliorum. Sic in Ecclesia. *Distinguenda sunt tempora,* inquit Iunius, *Primo enim tempore dicebantur Episcopi, quicunque ministrabant Ecclesiæ salutis verbum Act. 20, & hujus Presbyterij erat impositio manuum, 1. Tim 4. Postea quum Episcopi humano ordine Presbyterijs præfuerunt, ordinationis institutum fuit penes totum Presbyterium; signum verò fuit penes Episcopum, id est, impositio manuum fiebat ab Episcopo, solum nomine totius Presbyterij, vt in corporibus & collegiis partes ejusmodi solent iis qui primi sunt ordine, demandari.*

Epist de 7. gradib. eccles. ad Rusticum Narbonens.

Ann. 44. num. 35.

De cleric. ca. 3. not. 10.

Idem

Idem alibi. *Atque hi omnes instituto Dei erant Episcopi sive Presbyteri: ordini verò communi ex instituto Ecclesiæ unus de numero ipsorum præerit, qui Episcopus ἐξαιρέτως dicebatur. Ex quo profectum est, ut aliis in Ecclesiis ut Episcopus solus consignaret ordinaretque manuum impositione, velut totius presbyterii nomine: in aliis verò Presbyteri aut cum Episcopo, aut etiam absente Episcopo ordinarent, ut suo tempore Ambrosius & Augustinus Alexandriæ testantur observatum.* Fildus tamen licet Hierarchicus verba illa Concilii Hispalensis, *Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest*, dicit non capienda, ac si *Episcopus solus absque Presbyteris possit ordinare Presbyteros, sed quod absque aliorum Episcoporum concursu, ordinem Presbyteralem potest conferre, quem absque eisdem auferre non potest. Nam alioqui cavet Concil. Carth 4 can 3. quod in ordinatione presbyteri Episcopo manum super caput ejus tenente, & benedicente Presbyteri qui præsentes sunt. &c.* Et alibi, *requirebatur consensus 6 Episcoporum ad deprivationem Presbyteri.* Bilsonus etiam ex Concil. Hispal. 2 can. 6. & Africano can. 20. probat Episcopum Presbyteros sacro ordine privare non potuisse absque aliorum Episcoporum adminiculo. Ergo cùm patres Hispalenses dixerunt, *Solus honorem dare potest*, non intelligunt, seclusis Presbyteris, sed Episcopis. Nam ita intelligunt vocem, *Solus* in altero membro. *Solus*, nempe seclusis Episcopis, *auferre non potest*. Sed perinde est sive solus sive unà cum aliis imposuerit manus, siquidem nomine Presbyterii imposuerit, & ille solus honorem non dedit, licet solus administravit ritum & signum impositionis manuum. Actus erat communis totius Presbyterii. Imo non solum nomine presbyterii, sed etiam Ecclesiæ inducebat ordinandum in possessionem muneris. *Fuit ergo Ecclesiæ, fuit Presbyterii ordinare: sed postea fuit Episcopi initiationis ordinationis ritu, quum Presbyterium ei partes illas, ut Ecclesia Presbyterio suas contulisset ex institutione Ecclesiastica, non autem divina, ut Tertullianus & Hieronymus, & Ambrosius docent.* Quod dicitur à Beza De tripl. Episc. p. 28. 29. Episcopū imposuisse manus nomine Presbyterii, miratur Saravia, multo magis quod nomine Ecclesiæ. *Quamvis enim omnes cujuscunque gradus pastores sunt Ecclesiarum ministri: omnia tamen quæ ab ipsis in Ecclesia fiunt nomine & authoritate Domini nostri Iesu Christi, non Ecclesiæ neque Presbyterii faciunt.* Vt cum docent, sacramenta ministrant solvunt & ligant addit tamen *quomodo autem Ordinatio manuumque impositio authoritate fiat Presbyterii, opus habet maiore disquisitione.* Spalatensis similiter dicit, *Plebem nullam partem habere in traditione potestatis Ecclesiasticæ.* Item *potestas ordinandi*, inquit, *ministros non est in communitate Ecclesiæ, quæ constat ex Clericis & Laicis, sed est in Episcopis, qui soli in hac mittendi & ordinandi authoritate Apostolis successerunt.* Sic Episcopos Sponsæ, non ministros sed dominos faciunt. Cum dicimus Episcopum initiationis ritus administrasse

De Conc. & Eccl. l. 4. ca. 8. not. 23.

De Eccles. l. 5. c. 56.

Cap. 30 pa. 218. 219.

Iunius de Cler. cap. 3. not. 10.

De rep. eccl. l. 2. cap. 2. num 52.

Lib 5. c. 12. num. 3.

nistrasse, & manus imposuisse nomine Presbyterii & Ecclesiæ, non excludimus Dei authoritatem, sed opponimus authoritatem presbyterii & Ecclesiæ singulari potestati Episcoporum, ceu illius qui imponit manus. *Id enim ponendum est authoritate utraque Dei & Ecclesiæ pastores à pastoribus ordinari: Dei quidem & Christi, ut Mediatoris, Domini, & Sponsi: Ecclesiæ verò, ut sponsæ illius. Hic communis est Sponsi Sponsæque auctoritas, cujus sunt communes administri à Christo & Ecclesia instituti, quos Episcopos, Presbyteros, sive pastores appellamus. Sic totam in solidum ordinationis potestatem habet Christus, quam cum Ecclesia sua communicat, uterque vero pro suo jure. Sponsus inquam & Sponsa Presbyterio tradit divino jure. Postmodum vero humano jure Presbyterium contulit eam potestatem in Episcopos speciatim dictos, unde sequuta est usurpatio, pervetus illa quidem, at non propterea justior, in qua tyrannis sese obfirmavit jam diu.* Cum nemo debeat ordinari ad ministerium ἀπολελυμένως, sed singulariter ad hujus aut illius Ecclesiæ ministerium, æquum est ut in ministerio ἰδικῷ particularis Ecclesiæ per ipsam ordinetur communi Ecclesiæ illius nomine. In ordinatione sunt varii actus & ritus, benedictiones & preces, dedicatio & mancipatio ad ministerium, missio potestativa, ut vocat Spalatensis, ceu potius inductio in possessionem muneris, & confirmatio electionis præcedentis, item impositio manuum sive ut gestus orantis & benedicentis, sive etiam ordinantis & inducentis in possessionem muneris, ut in promonendis ad Magisterium in scholis Rabbinorum. Hæc omnia fiunt authoritate Dei & Ecclesiæ. Et dum unus orat & imponit manus, id facit nomine Ecclesiæ & Presbyterii. *Sic ordinat Deus per Ecclesiam, ordinat Ecclesia per Presbyterium; ordinat Presbyterium per Episcopos & Pastores suos: singuli conferunt quæ sua sunt.* Deficientibus Episcopis & Presbyteris docentibus posse Seniores imponere manus, eorumque unũ, orare benedicere & quasi repræsentare ordinandũ Deo Ecclesiæ nomine fatentur ipsi Hierarchici. Addo & deficientibus Senioribus, posse Ecclesiam constituere ex suorum numero qui imponat manus & inducat in possessionem muneris ad quod per electionem designatus est, nomine Ecclesiæ. Nam non est impositio manuum, ut diximus, sacramentum, quod requirat proprium suum ministrum ex institutione divina. Et si Dounamus hoc jus ordinandi concessit corpori Ecclesiæ, etiam hoc posito, quòd sit sacramentum ordinatio, ut supra ex Dounamo ostendimus, quantò magis id concedendum, si non sit sacramentum. Et sic nunquam peritura est Ecclesia, quia in casu necessitatis pii & fideles congregati in nomine Christi possunt eligere & electum inducere in ministerium. *Nullus fidelium cœtus adeo parvus, in vera fide consociatus qui in illa extrema necessitate constituatur, non habeat tantum potestatis in rebus Ecclesiasticis, quantum theologi disputant à Domino universali Ecclesiæ,*

Junius de clericis cap. 3 not. 16.

Junius de cleric. cap. 3. not. 5.

b

Ecclesiæ, ad sui ædificationem, tam in doctrina fidei, quàm disciplina morum esse datum & relictum. Theologorum communis sententia est, clavium nomine omnem significari potestatem Ecclesiasticam, & eas datas non tantum personis, sed etiam universæ Ecclesiæ, inquit Saravia. Nonne idem dicit quod aliis verbis Bucerus. *Deus non simpliciter singularibus personis, sed Ecclesiæ ordinandi potestatem tradidit, & ordinariè per illam ministros sibi consecrat.* Radicaliter igitur & originaliter est potestas ordinandi in Ecclesia & semper, etiam extra casum necessitatis; ordinarium instrumentum Ecclesiæ ad administrandum ritus initiationis est Pastor, qui pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deũ agenda sunt; extra ordinẽ & in Ecclesia constituenda aut penitus collapsa restauranda, instrumentũ est si desit pastor quem piorum cœtus elegerit ad actum illum ordinationis ipsius nomine celebrandum. Ex dictis patet Presbyterium non minus quam Episcopum nomine Ecclesiæ initiare posse ordinationis ritibus, quippe qui jure divino sit constitutus pro hominibus in iis quę apud Deum agenda sunt: & cum Episcopus, qui jure humano tantum præest & Presbyterio & Ecclesiæ, & ipsum ordinationis actum sibi soli totum vendicet, debere Presbyteros possessionem ordinariam sui juris repetere & recuperare. Nam jura positiva cum primum incipiunt corrumpere viam suam, ut loquitur Panormitanus, antiquanda sunt, Atque hæc de potestetate ordinationis quam referunt ad potestatem ordinis, quia putabant ordinationem esse sacramentum: sed cum non sit sacramentum, & præter benedictiones & preces quas Spalatensis dicit non esse absolutè essentiales ordini sacro, sit missio potestativa ut loquitur ille vel inductio in possessionem muneris ad quod ante per electionem designatus erat ordinandus, referenda est potius ea ratione ad potestatem jurisdictionis. Nam promovere ordinandum ad officium aut munus aliquod, electionemque ante gressam confirmare est jurisdictionis, ut & ipsa electio quæ confirmatur: Distinguenda igitur consecratio & sanctificatio hominis ad ministerium à traditione potestatis vel confirmatione electionis, etsi simul tempore peragantur.

Sequitur potestas altera nempe jurisdictionis. Iurisdictionem dividit Dounamus in internam & externam. Iurisdictionis internæ seu spiritualis potestatem concedit presbyteris parochis & illam dicit esse potestatem *gubernandi modo privato & quasi in foro conscientiæ.* Hac potestate regunt non solum in publico ministerio, sed etiam privata cura. Quod ad publicum ministerium sunt duces inquit & directores populi in cultu publico, prædicant verbum admonentes, increpantes, consolantes, & sacramenta administrant. Presbyterum etiam non parochum potestate ordinis sui posse non modo baptizare, liturgiam celebrare & concionari, quæ sunt communia Presbyteris cum Diaconis (authoritate ab Episcopo instru-

Sara. de trip. Episc. p. 90.

De gubern. eccles. p. 360.

De rep. Eccl. l. 2. c. 3. nu. 54.

Defens. li. 1. cap. 2. s. 10. p. 42.

Defens. li. 3. ca. 4. sect. 24 pag. 105.

ctis) sed etiam ministrare sacram cœnam, & remittere & retinere peccata. *Hæc potestas*, inquit, *remittendi & retinendi peccata appellatur clavis ordinis, & secundum doctrinam pontificiorum refertur ad collationem sacramenti pœnitentiæ.* Vides hîc Dounamum constituere duos tantum actus ordinis Presbyteralis nempe celebrationem Eucharistiæ, & potestatem remittendi & retinendi peccata seorsim à prædicatione verbi & ministratione sacramentorum, idque in foro interiori, de quo statim dicemus. Et sic pontificii duas in Presbytero dicunt esse potestates unam consecrandi corpus & sanguinē Christi alteram remittendi peccata. Baptismum ministrandi jus, & prædicandi, ut ille tribuunt etiam Diaconis. Hanc potestatem remittendi peccata refert ad potestatem ordinis presbyteralis quia, inquit, eam in ordinatione accipit presbyter, eique cōpetit simpliciter quatenus est Presbyter absque jurisdictione ceu relatione ad gregē aut curam animarum. Potestas Iurisdictionis externæ est non modo in ligandis & solvendis peccatis sed etiam in ministris vocandis, controversiis doctrinæ discutiendis & dijudicandis, tum legibus de politia externa ferendis. De vocatione ministrorum, electione puta, ordinatione & missione supra diximus. Supersunt potestas δογματικὴ quæ versatur in dijudicandis controversiis, διατακτικὴ quæ versatur in constituenda politia externa per Canones & regulas in rebus externis & adiaphoris ad conservandum τὸ πρέπον & εὔτακτον, & potestas κριτικὴ ceu Iudiciaria, quæ versatur in offendiculorum coercitione. Quod potestas δογματικὴ Presbyteris competat patet ex Act. 15. *Congregati sunt igitur Apostoli & Presbyteri ut dispicerent super hæc re* vers. 6. nempe observatione legis & cap. 16. 4. ubi decreta ejus Concilii vocantur δόγματα instituta vel placita Apostolorum & Presbyterorum, τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων. Si placita sunt decreta ab Apostolis & Presbyteris talium est quod dicit Bellarminus *in isto Concilio interfuisse Apostolos tanquam judices ad definiendum Presbyteros autem ad consultandum.* Nec mirum Presbyteros unà cum Apostolis habuisse suffragium decisivum. Nam licet singulari ratione fuerant supra Ecclesiam reliquam Apostoli, ordinaria tamen & communi, cum aliis ordinariis communicabant. *Ordinaria verò usi sunt, ubi jam Ecclesiæ erant constitutæ, nisi res ejusmodi esset, quæ divina extra ordinem revelatione dici deberet, aut motu divino geri. Communicatio*, inquit Iunius, *in revelatione extraordinaria non habet locum. Hic autem Apostoli dicuntur usi communicatione.* Et quamvis Apostoli satis instructi ut per se possent decernere, noluerunt tamen absque Presbyteris placitum edere, ut sic ostenderent Presbyteris primum esse locum in Conciliis ut, qui extra

De Concil. lib. 1. cap. 16

Iunius de concil lib. 1. ca. 16 not 1.

tra ordinem tunc primi erant, successoribus. Si in Synodis & conventibus extraordinariis tulerunt suffragia in dijudicandis controversiis etiam præsentibus Apostolis multò magis id possunt in presbyterio. Paulus hortatur Presbyteros Ephesinos, ut attendant animum in gregem & observent eos qui loquuntur perversa, ut post se discipulos abstrahant, Act. 20. 28. 29. Et idem Apostolus dicit 1. Cor. 14. 32. *Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur.* Presbyteros tales vult constitui Paulus Tit. 1. 9. qui possunt τὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Si contradicentes argumentis convincere debeat presbyter, in dijudicandis controversiis suffragium decisivum ferre quid prohibet. Potestas διατακτικὴ Presbyteris etiam competit ut patet ex dicto capite Act. 15 ubi decretum ab Apostolis & Presbyteris ut gentes conversæ *abstinerent ab iis quæ immolata sunt simulacris & sanguine & suffocato*, Act. 15. 29. Et Act. 21. 25. *Nos* (Iacobus & Presbyteri qui aderant, aderant autem omnes vel 13.) *scripsimus & decrevimus nequid hujusmodi observent, nisi ut caveant ab iis quæ sunt immolata simulachris & à sanguine & rebus suffocatis, ac scortatione.* Consulit etiam Presbyterium Hierosolymitanum Paulo, ut assumeret sibi socios viros quatuor qui voto obstricti erant, & cum eis sanctificarentur, ut fratribus infirmis & paci Ecclesiæ consuleret, Act. 20. 21. 22. 24. Cum paulus mandat Corinthiis ut omnia decenter & κατὰ τάξιν fiant 1 Cor. 14. 40. nonne agnoscit potestatem constituendi eutaxiam in sua particulari Ecclesia Potestas κριτικὴ communis cui subsunt omnia Ecclesiæ membra, nempe ligandi in foro exteriori ut & solvendi competit Presbyteris. *Censura duplex est*, inquit Episcopus Cicestriensis, *publicani & ethnici, minor & major. Minor à sacramentis excludit modo. De majore vero altera, quæ arcet Ecclesia ipsi, quæ perinde reddit ut ethnicos; quibus nec fas templum ingredi quod tamen licuit publicanis: de illa vix quisquam est quin fateatur institutam eam à Christo Mat. 18. per verba Dic Ecclesiæ &c. De exteriore foro ibi agitur: exterioris fori iurisdictio illo nec alio loco fundata est.* Bellarminus fatetur hic tractari de foro exteriori, *Et quamvis hîc tractari videatur præcipuè de potestate jurisdictionis qua peccatores excommunicantur tamen Patres jam nominati locum hunc de utraque potestate ordinis videlicet & jurisdictionis exponunt.* Dicit Apostolis non datas sed promissas fuisse claves ordinis & jurisdictionis datas autem fuisse Johannis 20. 21. Clavem ordinis cum dixit, *accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata*: jurisdictionis cum dixit, *Sicut misit me pater & ego mitto vos.* At in his posterioribus verbis nulla mentio clavium sed in prioribus ubi actus clavium remittere & retinere peccata id est ligare & solvere ut dixit Mat. 18 exprimuntur. His ergo verbis eædem traduntur claves quæ promittuntur, Mat. 16. & 18 & consequenter claves jurisdictionis externæ cujus actus nobilissimus est major illa excommunicatio de

Tortura torti pag. 70. edition. Hanoviæ in 8.

De pontif. l. 1. cap. 12.

qua supra. Cui conceduntur actus clavium datur & potestas ipsa a qua tales actus dependent. At Presbyteris conceduntur actus clavium nempe remittere & retinere id est loquendo proprie, aperire & claudere cœlum. Nam in ordinatione Presbyteri dicit Episcopus. Accipe spiritum sanctum: quorum remiseris peccata &c. Dicunt pontificii his verbis significari tantùm claves ordinis, id est actus ligandi & solvendi in privato foro pœnitentiæ. Dounamus, ut supra vidimus, licet videatur repudiare sacramentum pœnitentiæ videtur tamen amplecti forum pœnitentiale secretum & privatum confitentis & Confessarii. Nam concedit Presbytero potestatem remittendi & retinendi peccata extra prædicationem verbi & sacramentorum celebrationem: & concedit tantum in foro privato. Sed cum eædem sunt claves quæ promittuntur Mat. 16. & 18. & traduntur his verbis, claves jurisdictionis externæ in foro publico traduntur: & proinde cum Presbyteris traditur potestas remittendi & retinendi peccata traditur potestas excommunicandi. Futile est commentum dari potestatem ordinis ad remittenda & retinenda peccata in foro pœnitentiæ,& tantum dari Presbytero jurisdictionem in foro interno. Nam sic confunduntur potestas ordinis & jurisdictionis. Imo nullum erat forum pœnitentiale privatum sæculis purioribus. *Externa Ecclesiastica pœnitentia initio fuit semper publica, non modo ubi quis ad pœnitentiam redigebatur accusatus & convictus pro crimine publico & famoso; sed etiam ubi sponte quis pro occultis quoque delictis vellet habere Ecclesiasticam solutionem. Publicè enim sua crimina particularia fatebatur & sic ligabatur ac excommunicabatur excommunicatione pœnitentiali & inter pœnitentes publicos reponebatur deinde peracta pœnitentia reconciliabatur*, ait Spalatensis. Quando peccata gravia sunt manifesta & scandalum pariunt, merito ligatur peccator per claves donec resipuerit,& in publico profiteatur resipiscentiam. Sed cum injungeret satisfactiones & opera pœnalia peccantibus, tunc superstitiosi putabant interna resipiscentia se non satis tutos, nec dignè posse Eucharistiam percipere, nisi priùs sponte confessi essent occulta crimina, ut sic primum ligarentur deinde solverentur: & scrupulum illum auxerunt Patres hortando ad externam pœnitentiam pro gravioribus criminibus etiam occultis. *Et quia similiter certa & infallibilis est eadem Christi promissio, ut data per Ecclesiam solutione vinculi Ecclesiastici, clave non errante, statim certò, & infallibiliter in cœlis quoque vinculum, quo se peccator coram Deo ligavit, & cui Ecclesia suum excommunicationis addiderat vinculum, per certam & infallibilem peccati illius remissionem dissolvatur, hinc sicut Patres vehementer semper hortati sunt fideles peccatores post lavacrum baptismi criminibus contaminatos, ut tutiori cautelæ ergo non contenti sibi remedium ex interna pœnitentia sola, licet de se sufficienti, adhibuisse, voluntariè per propriam peccati gravis etiamsi occulti,*

Lib. 5. ca. 7. num. 37.

Li. 5. cap. 7. num. 26.

eorum

coram ministro saltem Ecclesiae confessionem, ligari se Ecclesiastica illa poenitentiali excommunicatione curent, ut inde obtenta ab hoc ligamine per reconciliationem solutione, omnino certi sint in coelis quoque sibi peccatum illud esse remissum, sic Spalatensis. Poenitentia igitur externa erat primùm publica pro manifestis criminibus, deinde publica etiam pro occultis, ubi publica erat peccati manifestatio, & peccator beneficio clavium frui volebat, *postea vero ita quidem publicè poenitentia haec & assumebatur & peragebatur, ut tamen peccatum grave quod de se non esset publicum & notorium secretò in Ecclesia Episcopo vel sacerdoti poenitentiario aperiretur, & pro qualitate delicti poenitens quantitatem subibat poenitentiae, quam tamen publicèe perageret & à sacris abstineret, & cum publicè poenitentibus peculiari loco ad hoc in Ecclesia destinato maneret & actus humilitatis exerceret ac tandem reconciliationem & consequenter solutionem in terra & in coelo obtineret.* Et ex Sozemeno rationem mutationis indicat. *Odiosum, ut credibile est, sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in theatro audiente Ecclesiae multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitae integritate quam maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem ac sapientem huic officio praefecerunt, eum accedentes, qui peccarant, acta vitae suae confitebantur. Ille verò pro cuiusque delicto quid aut facere singulos aut luere oportebat interminatus, absoluebat, ut à se ipsis commissorum poenas exigerent.* Exautorato sacerdote poenitentiario temporibus Theodosii Senioris sublatum dicit publicam poenitentiam. *Postea factum est ut publica poenitentia tota ad secretam reduceretur, non modo quò ad peccati manifestationem, sed etiam quoad ipsius poenitentiae peractionem, ut peccator seipsum ministro Ecclesiae ad hoc deputato accusans, secreto de secretis ab eo ligaretur, & excommunicatione poenitentiali à sola nimirum Eucharistiae participatione plecteretur, & ad externam sibi iniunctam Ecclesiasticam poenitentiam secreto peragendam obligaretur, ea vero rite peracta reconciliaretur, & ad sacrae Coenae communionem admitteretur. Haec itaque*, inquit Spalatensis, *est tota introductio secretae poenitentiae occultorum, quae illa est ipsissima, & non alia, publica poenitentia, ad secretam duntaxat reducta modo explicato, ut videlicet qui criminibus secretis, & non publicis ac notoriis gravarentur, cuperentque clavium beneficio remissionem obtinere, secretum peccatum propria confessione ministro Ecclesiae secreto aperirent, & ita poenitentiae Ecclesiasticae, sed secreto peragendae subiicerentur & ligarentur, ac demum per ministrum virtute clavium reconciliarentur & soluerentur.* Et alibi, *Initio quidem ut diximus, etiam publice omnibus audientibus confitebantur, postea secreta fiebat confessio, sed poenitentia etiam publicè: ac demum & confessio & poenitentia secreta fuerunt. Et profecto poenitentia ipsa Ecclesiastica semper una & eadem est poenitus in se, in sua virtute & efficacia & in peragenda tota poenitentia à principio ad finem: solum variata fuit penes publicum & secretum.* Sed in se etiam secretissima;

Num. 37.
Lib. 7. c. 16.
Spalat. lib. 5. ca. 7. nu. 40.
Num. 41.
Num. 48.

tissima pœnitentia eadem penitus est, quæ erat illa maximè *publica*, *quam nostri moderni solennem vocant.* Ex dictis colligo quandoquidem serius introductum est forum istud privatum secretæ pœnitentiæ, ineptè & pueriliter fingi claves ordinis tradi cum dixerat Christus Joh. 20. quorum remiseritis &c. non autem jurisdictionis in foro exteriori. Nam remittere & retinere peccata & ligare ac solvere eadem sunt & claves hic traditæ eædem sunt quæ ante à Christo promissæ. Promisit autem potestatem ligandi etiam refractarium & qui non vult audire Ecclesiam. Hoc fit in foro exteriori. In interiori illo pœnitentiæ foro ligabit sacerdos tantum volentem & ultro consentientem. Patet igitur ex dictis posse Presbyteros ligare & solvere in foro exteriori, quia possunt remittere ac retinere peccata ut ipsi fatentur, ac in foro publico, ut ipsi loquuntur, quia de publico agit Christus Mat. 18. ubi de potestate ligandi & solvendi tractatur, & secretum illud pœnitentiæ serius invectum est in Ecclesiam. Proprium & adæquatum effectum dicit Spalatensis esse tantum ligare & solvere peccata, sic & Cicestriensis in Tortura Torti. At Fildus etiam ligare per leges ponit inter actus clavium. Presbyteros in Conciliis posse condere canones ipsi adversarii non negant. Pergamus ergo ad praxin alterius actus. In Ecclesia Corinthiaca presbyterorum primæ erant partes in excommunicando. Potuerunt excommunicare incestuosum inconsulto Apostolo, ut supra probavimus Possunt multo magis inconsulto Episcopo. Necdum erat constitutus Episcopus Corinthi cap. 8. Saravia negat etiam presbyteros fuisse tunc temporis in Ecclesia Corinthiaca. Qui quæso administrarunt sacram cœnam statis & ordinariis temporibus nisi Presbyteri. An intermissa est celebratio cœnæ donec Apostolus aut Evangelista aliquis visitaret Ecclesiam illam, quod erat fortuitum. Loquitur Apostolus de cœna conjuncta cum Agapis ac de re ordinaria. Dicit Billonus quod *Per sortes, per Prophetas cœlesti numine concitatos Apostoli pastores designabant, imò potius per impositionem manuum suarum, prout Spiritus ducebat, omnibus rebus ad pastorum munus necessariis eos instruebant, quos imparatos & impolitos offenderant.* Idem quod *erat plane divinum opus & Spiritu sancto dignum, cum homines indicare Paulo, in quos manus imponeret, tum eos admirandis gratiæ suæ subsidiis augere ut Prophetas & Pastores ad Ecclesiæ commodum utiles & opportunos eos efficeret.* Apostolum tanta spiritus abundantia donatum neminem rebus necessariis ad Presbyteri munus instruxisse an vero simile est. Celebris erat Ecclesia illa propter dona prophetiæ & linguarum, & tamen ne unum juventum etiam rudem & impolitum quem donis ornaret Apostolus ut ad gubernacula sederet, quis credit. Epiphanius quem citat ibidem Saravia licet conjiciat Episcopos non statim in primordiis cujusque Ecclesiæ constitutos, *Presbyteris*

Pag. 100. edit Hanov. Fild. de Eccl. l. 5. c. 22.

cap. 7. p. 139

Pag. 130.

Haeres. 72.

byteris tamen, inquit, *& Diaconis opus erat. Per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt.* Sed quid immoror in refutanda tam absurda sententia cum fateantur ipsi Hierarchici fuisse tum Corinthi presbyteros, Barlous in concione habita anno 1606. Bilsonus, *quanquam in posteriori epistola Paulus de eodem homine verba faciens præpositos ac Doctores alloqui videatur 2 Cor. 1. Sufficit isti ejusmodi homini ista objurgatio à pluribus profecta.* Alibi dicit *unumquamq; Ecclesiã multis presbyteris abundasse & inter alias Corinthiacã.* Spalatensis. *ita respondit Ambrosius in 1 Cor. cap. 11 nondum tunc datũ fuisse Corinthiis unum Episcopũ, qui supra presbyteros illos emineret, cui ipse quoque assentior.* Sed missa hac digressiuncula pergo. Quod de presbyteris Ecclesiæ Corinthiacæ idem de Thessalonicensis Ecclesiæ presbyteris dici potest, ut patet ex collatione cap. 5. ver. 12. prioris epistolæ & cap. 3 ver. 14. posterioris epistolæ. Κρίσις propria nempe in Ecclesiasticos usque ad καθαίρεσιν depositionem Presbyteris etiam competit. Monet Apostolus presbyteros Ephesinos ut vigilent, quia exorituri erant lupi graves & qui loquerentur perversa. In quem finem vigilarent, nisi ut lupos arceant; De regimine hunc textum interpretantur ipsi hierarchici; sed in eo fallere cupiunt quod presbyterorum nomine suos Episcopos intelligant, quia ἐπισκόπους eosdem vocat. At unius Ecclesiæ non erant multi Episcopi secundum ipsorum principia: & Bilsonus numerat Ecclesiam Ephesinam inter Ecclesias quæ multis presbyteris verbo laborantibus abundabant. *Illi autem quos alloquebatur eo sermone Paulus erant presbyteri Ecclesiæ Ephesinæ quos ad se Miletum vocaverat Act. 20. 17. non autem unus aliquis ut volunt Episcopus.* De presbyterorũ regimine externo in genere loquitur Petrus, cum prohibet dominari in cleros id est greges ceu sortes hæreditarias domini. *Tanquam si dixisset cur dicam Ecclesiis dominari vos non oportere. Si forte quæritur hæc certissima est ratio quia singulæ Ecclesiæ sunt κλῆροι sortes sive hæreditates Domini quibus solum Dominum dominari æquum est non ejus administros. Ecclesia appellatur κλῆρος. i hæreditas respectu domini grex vero seu ovile dicitur respectu pastorum & administrorum illius.* Presbyteros non subjicit Episcopis, sed jubet ipsos presbyteros ἐπισκοποῦντας, id est, esse Episcopos sive inspectores gregis, & pascere, verum non ὡς κατακυριεύοντας ut dominantes & potestate regiminis externi abutentes. Nam si nullum regimen externi fori habebant, id in dominationem mutare non poterant. Vel nullum erat regimen publici fori in Ecclesiis Ponticis, & reliquis dispersionis illius, vel presbyteri regebant in foro publico. Per Cleros intelligi greges & particulares Ecclesias fatetur Bilsonus. *In plebem*, inquit, *quam Petrus clerum gregemque Domini prius & posterius appellavit.* Et Fildus. *Hæ portiones Ecclesiæ Dei sic divisæ, & singulorum*

De gubernat. cap. 9. p. 173

De rep. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 34.

Pag. 329.

Pag. 329.

Iunius de cler. li. 1 c. 14 not. 17.

C. p. 14. not. 25.

Pag. ... p. 21

De Eccles. l. 5. cap. 28. pa. 141.

 presbyterorum

presbyterorum curæ commendatæ appellatæ sunt Tituli, quia titulum in eas Dominus habuit, atque sibi vendicavit tanquam sortem hæreditatis suæ. Et per Presbyteros intelligi simplices presbyteros, agnoscit Bilsonus, cum dicit, *Distingue tempora & reconciliabis scripturas. Fuit teste Hieronymo tempus quum Ecclesiæ communi Presbyterorum consilio gubernarentur. Illo tempore Paulus hanc ad Presbyteros Ephesinos orationem habuit. Illo Petrus ad Presbyteros Judæorum epistolam scripsit.* Fatetur ibi nullos fuisse tunc Episcopos in Ecclesia Ephesina, aut inter dispersos Judæos, nisi qui Presbyteri essent iique in una Ecclesia sæpenumero multi. Denique Presbyterorum Præfecturam in regimine externo & publico indicant elogia & variæ appellationes quibus ratione officii & præfecturæ suæ ornantur. Pastores dicuntur ipsorumque opus & labor pascere dicitur Act. 20. 1. Pet. 5.

De gubern. cap 12. pag. 270.

At ποιμαίνειν significat amplius amplius quam βόσκειν. Βόσκειν *ut Theophilactus observat, curam mitiorem significat, ποιμαίνειν acrioris imperii videtur habere significationem.* Rectè etiam Bellarminus quòd *actus pastoralis non est tantum præbere cibum, sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare.* Hinc Reges pastores dicuntur metaphorice, & regere pascere, ut Mat. 2. 6. Apoc. 2. 27. & 12. 5. & 19. 15. Agnoscit Saravia tam apud prophanos quàm sacros scriptores quòd pascere significat regere. Downamus concedit per pascere significari regere cùm Pastoribus civilibus id est regibus & Magistratibus tribuitur, at cũ spiritualibus, tantùm præbere pabulũ. Sic sua authoritate minuit in Metaphora vim propriæ significationis. Nam in Metaphora tota vis propriæ significationis transfertur. Et licet non eodẽ modo regant civiles & spirituales Pastores, utriq; tamen suo modo, ut his aut illis congruit Metaphoræ analogia Pastores Ecclesiæ non regunt more imperatorio aut Regio, non virga ferrea, sed baculo & pedo benigni Pastoris. *Non dubium est quin per pascere officium Pastoris intelligitur. Et quia hoc de Ministris metaphoricè dicitur debent hos pastorales actus præstare: cibũ comparare, ducere, reducere, præire voce & vita, tueri à lupis cæterisq; feris, præesse in rebus spiritualibus regere non tanquã Domini, sed ut tutores, non imperio sed* ὡς τύποι *gregis: castigare reprehensionibus, monitionibus, excõmunicationibus & disciplinæ reliquis,* inquit Whitakerus. Chrysostomus non semel officium Pastoris προστασίαν vocat. Pastoris est non solum fistula canere sed etiam pedo Ecclesiasticæ disciplinæ regere, & lupos abigere. Episcopi vendicant sibi solis pedum, & Presbyteris unicam relinquunt fistulam, & eam hanc quidem, nisi prout ipsis libitum fuerit. Dicuntur & προϊστάμενοι & προεστῶτες. 1. Thess. 5. 12. 1. Tim. 5. 17. Bilsonus, *Cuiquam novum aut inauditum cuiquam videatur si Ministros verbi non κοπιῶντας solùm hoc est, gnavos & sedulos*

Casaubo. exerc. 16. pag. 714.

De pontif. l. 1. ca. 15.

Defens. c. 9. sect. 4.

Def. l. 1. pa. 113.

Contr. 4 qu. 3. ca 7. s. 2.

Chrys. l. 2. de sacerdot.

De gubern. c. 10. p. 181.

ac

ad docendum, *sed* καλῶς προεστῶτας *ad gubernandum inspiciendumque pervigiles esse debere commendemus*, *quum Apostolus utrumque in Pastoribus ad quos volumus conjungit* 1. *Thess.* 5. *Ubi quidam doctissimus hujus disciplinæ Patronus ita scribit. Notandum est quibus titulis Pastores designet Primo dicit eos laborare*, *simul præfecturæ nomine eos ornat Calvin. in Thess.* 5. De Senioribus quos vocant Laicos, negat Bilsonus intelligendum loqui Apostolum, de docentibus tamen Presbyteris concedit. Cum Apostolus Prebyterum Episcopum vult 1. Tim. 3. 4 5. καλῶς προστῆναι bene præesse domi suæ, alioqui non dignum censet, qui Ecclesiam Dei curet, ostendit regimen Ecclesiæ presbyteris committendum fuisse. Vocantur & ἡγούμενοι Hebræ 13. 17. id est ductores ceu rectores, Syrus, gubernatores. Ἡγούμενος *vox castrensis & politica est: quæ idem significat quod* ἡγεμόνα εἶναι: *& de publica persona dicitur, quæ aut in civitate, aut in castris præest, & respondet hebraicæ voci Nagid, id est, princeps, dux, præsul, antistes*: inquit Saravia. Et Bilsonus *Paulus ad Hebræos ministros verbi* τοὺς ἡγουμένους *appellat. Inter* προΐστασθαι *autem quod antistare significat*, *&* ἡγεῖσθαι *quod ducum more præire, quid vobis discriminis videtur. Audite igitur eum, cujus eruditionem non debetis, judicium in hac parte non soletis contemnere; Idem valet* τὸ προΐστασθαι, *quod* ἡγεῖσθαι *quia nimirum Pastores gregi præeant.* Concedit Presbyteros docentes vocari ἡγουμένους, & esse vocabulum augustius, magnæque authoritatis concessit Saravia. De Presbyteris hunc locum interpretatur etiam Hierony. *inter quos Ecclesiæ cura æqualiter dividebatur.* Ipsum presbyteri vocabulum *honorificum semper & non nisi principibus & Magistratibus reip. datum apud Hebræos*, teste Saravia, *Presbyter græca vox est, quæ Hebraicæ Zaken respondet, & non solum ætate seniorem, qui propter ætatem venerandus est, significat, sed etiam eum qui in Republica dignitate & authoritate præstat: estque honoris vocabulum quo honoratiores & Magistratus in veteri testamento nuncupantur: & inde translatum est ut Rectores Ecclesiarum Christi in novo testamento significet.* Idem quòd *Episcopi nomen tunc*, id est Apostolorum ævo, *erat laboris & officii, Senioris erat honoris & dignitatis.* Presbyteri igitur vox imposita Pastoribus fatente Saravia non tam ætatis ratione quàm honoris, dignitatis & authoritatis: nam ea ratione tribuitur rectoribus in veteri testamento. Episcopi vox quidcunque significet, laborem, officium, inspectionem, regimen, presbyteris etiam tribuitur in novo testamento. *Et certe Episcopi nomen Censuram indicat, est enim* ἐπισκόπου *vox deducta ab* ἐπισκοπῇ *quæ non modo visitationem sed & animadversionem designat, quòd in sacris Literis occurrit:*

Saravia defens. cap. 9. sect. 19.

De gubern. ca. 10. p. 18.

In Tit. 1.

Defens. cap. 25. sect. 1.

Tract. de grad. ca. 9.

Def. cap. 23. sect. 1.

Bilsonus de Episcop. author. p. 13.

rit nonnunquam ut Eccleſiaſt. cap. 18. ἐν ἐπισκοπῇ *hora viſitationis ſeu caſtigationis dicitur ita apud Heſychium* ἐπισκοπὴ *exponitur* ἐκδίκησις *ultio & Syneſio* ἐπισκοπὴ θεοῦ *dei animadverſio in malos*. Quomodo uſurpatur vox epiſcopi in veteri teſtamento apud 70 interpretes & ſcriptores prophanos ſupra oſtendimus. Cum Presbyteri toties in ſcriptura vocentur Epiſcopi, regimen etiam & præfectura eodem nomine deſignata illis competit. Quodcunque & qualecunque fuit regimen Eccleſiaſticum, omne, privatum, publicum, elogiis ante dictis ornatur. Patet igitur penes Presbyteros in Eccleſia Apoſtolica fuiſſe juriſdictionis poteſtatem ordinariam.

Pag. 182.

Gratianus in Decreto citans Hieronymum in Epiſtolam ad Titũ habet hæc verba. *Olim idem erat Preſbyter, qui & Epiſcopus. Et antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi preſbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe non Chriſti, toto orbe decretum eſt, ut unus de preſbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur*: & paulò poſt. *Sicut ergo preſbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpenſationis Dominicæ veritate preſbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere.* Similia habet Hieronymus in epiſtola ad Evagrium quæ ſupra pag. 204. citata videat Lector. Tria diſtinguit tempora Hieronymus. *Primum, quo Eccleſiæ communi Preſbyterorum conſilio gubernabantur. Secundum, quo ſtudia in religione facta ſunt, ac dictum eſt in populis ac non Corinthi ſolum &c. Nam quum primum illa Corinthi dicerentur, adhuc communi preſbyterornm conſilio Eccleſiæ gubernabantur ut patet ex* 1 *Cor.* 5. & 2 *Cor.* 1. *tertium demum, quo unus de preſbyteris electus cæteris fuit ſuperpoſitus. Atque hæc ſingula tempora ſuum, ut cum vulgo loquar, latitudinem habuerunt.*

Diſt 95. *cap. olim.*

Iunius de Cleris ca. 15. *nota* 16.

Quod ad tempus primum tria dicit Downamus primò Hieronymi ſententiã falſam eſſe reſpectu Hieroſolymitanæ Eccleſiæ & probat ex ipſo Hieronymo, qui dicit in Catalogo ſcriptorum Iacobũ ſtatim poſt paſſionẽ Domini ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe ordinatum. At Catalogus ille ſcriptorum non eſt Hieronymi judice ipſo Bellarmino & ut ſupra obſervavimus pag. 140. ſed recentioris cujuſdam. De teſtimonio ipſo & Iacobi Epiſcopatu, vide quæ ſuprà à nobis allata ſunt: jam de Hieronymi mente & teſtimonio agimus. Dicit ſecundò, presbyteros ad tempus gubernaſſe Eccleſias, modo privato iis in commune attendendo, eaſque regendo quaſi in foro conſcientiæ, & paſcendo ſacramentis & verbi divini pabulo. At regimen iſtud nunquam fuit mutatum, nam poteſtatem hanc regendi in foro interno in hunc uſque diem retinent: Hieronymus loquitur de ea regiminis forma quod poſtea mutatum

Def. lib 4. *cap.* 5. *ſect.* 3.

Pa. 140. 141 142.

Defenſ. li. 4. *ca.* 3. *ſect.* 10

mutatum est, id est, de jurisdictione exteriore fori publici: Dicit tertio presbyteros ad tempus gubernasse Ecclesias cōmuni consilio, sed quasi sub Apostolis, qui sibi reservarunt Episcopalē potestatem ordinationis, nempe & jurisdictionis externæ & publicæ. Nomen Episcopi cum Presbytero confusum fuisse, officia Episcopi & Presbyteri non fuisse confusa, sed officium & authoritatem Episcopi adhuc in Apostolis fuisse, Presbyteris sub Apostolis tunc talibus existentibus, quales postea fuerunt sub Episcopis. Item presbyteros nunquam habuisse potestatem ordinationis & jurisdictionis publicæ. Sub Episcopis tantum consiliarios non judices fuisse passim dicit, nec adstrictos ipsorum consilio Episcopos. Sententiam suam sic illustrat. *Ponatur*, inquit, *rempublicam Iudæorum provinciam sub imperatore Romano gubernatam fuisse per synedrion ad tempus, aut communi consilio Seniorum, donec præficeret ipsis imperator regem, sicut præfecit Herodem, potest dici rempublicam illam gubernatam fuisse ad tempus communi Seniorum consilio, sed quasi sub Imperatore, qui in sua potestate retinuit authoritatem regalem. Hinc colligi non potest officia Senatorum & Regis fuisse confusa. Nam summa authoritas fuit in Imperatore, & Senatores tales erant sub Rege, quales prius sub Imperatore.* *Presbyteri Hieronymiani*, inquit Saravia, *omnia officia præstabant in Christi Ecclesia, quæ Episcopi, sola jurisdictionis potestate & ordinatione excepta.* Billonus similia passim habet. Tilenus, *Quod vero ex eodem Hieronymo objicitur nullos fuisse Apostolorum tempore qui iure suo Ecclesiarum presbyteriis præessent, sed unamquamque communi presbyterorum consilio gubernari consuevisse, id nos quidem haud gravatè concedimus, de illis scilicet temporibus, quibus superstites Apostoli nullis dum constitutis vicariis aut successoribus, Ecclesias ipsi subinde invisebant, tanquam generales & Catholici omnium & singularum Episcopi.* Respondeo, primò, si Presbyterorum consilio usi sunt Apostoli in externo regimine, non regebant tantum modo privato & quasi in foro conscientiæ. Nam si tales erant Presbyteri sub Apostolis quales Seniores Synedrii sub Imperatore nondum constituto rege non gubernabant solùm quasi in foro conscientiæ, sed etiam in foro publico licet superiores essent Apostoli. Et contra si excipias ordinationem & publicam jurisdictionem, quid restabit nisi singularis illa & privata cujusque pastoris cura & inspectio, & qualenam, quæso, regimen fingendum, quo presbyteri quasi sub Apostolis communi consilio Ecclesias gubernabant? Hieronymus dicit id regimen fuisse Presbyterorum absque Episcopo, cujus cura & solicitudo postea delata est Episcopo. At regiminis externi & fori publici, ordinationis & jurisdictionis publicæ post delata est solicitudo & cura Episcopo. Ergo ante præpositum Episcopum sentit Hieronymus Presbyteros per se communi consilio gubernasse Ecclesiam & ratione ordinationis & jurisdictionis publicæ. Non distinguit

Li. 4 p. 120.
Pag. 123.
Pag. 122.
D. f. cap. 23. sect. 7.
De guo. pag. 14. 272. 273.
Parænes. cap. 9.

Hieronymus, sed universum regimen Ecclesiasticum complectitur suis verbis cum dicit *Ecclesiæ communi Presbyterorum consilio gubernabantur*: ac si dixisset omne regimen Ecclesiæ in initio erat penes Presbyteros: De regimine publico loqui patet etiam ex locis scripturæ Act. 20. Heb. 13. ex quibus ostendit ibidem apud veteres eosdem fuisse prebyteros & Episcopos. Bellarminus licet de ordinatione neget, de jurisdictione tamen fatetur Hieronymum ita sensisse. *Videtur B. Hieronymus in ea sententia fuisse, ut existimarit Episcopos, si de iurisdictione agatur, esse quidem presbyteris maiores, sed iure Ecclesiastico non divino, quæ sententia falsa est.* Veram esse sententiam Hieronymi ante probavimus, nunc agitur tantum de sensu verborum Hieronymi. De jurisdictione fatetur, ordinationem alibi excipit quia Hieronymus in Epistola ad Evagrium sic ait. *Quid facit excepta ordinatione Episcopus quod non facit Presbyter.* At de sua ætate ut supra diximus, loquitur Hieronymus. Proprius igitur accedunt alii. *Ioan. Antoni Delphinus li. 2. de Ecclesia docet ex Hieronymi sententia, initio nascentis Ecclesiæ omnes Presbyteros fuisse Episcopos. Non quod idem sit Episcopatus & Presbyteratus, sed quod utraque dignitas omnibus sacerdotibus primo illo tempore daretur. Deinde autem ad schismata evitanda cœpisse aliquos solum presbyteros ordinare, & hoc modo ex Ecclesiæ consuetudine factum esse, ut Episcopi maiores presbyteris essent. Dicunt aliqui,* inquit Durandus, *quod tunc omnibus qui præferebantur plebibus conferebatur utraque potestas, ut plebes in promptu haberent principem Ecclesiasticum, qui posset omnia sacramenta ministrare, & ministros instituere.* Saniores isti Hierarchicis Anglicanis. *At hæc solutio non plene satisfacit,* Bellarmino, *S. enim Hieronymus tueri conatur Presbyterorum dignitatem, qualis erat suo tempore adversus insolentiam Diaconorum, ut patet ex Epistola ad Evagrium. Inde autem demonstrare nititur dignitatem presbyterorum esse maximam, quòd eadem sit cum Episcopatu. Nihil autem ad hoc probandum afferret, si solum doceret primos presbyteros ideo fuisse Episcopis pares, quod haberent etiam Episcopalem potestatem, nec essent simplices Presbyteri. Deinde, si ideo primi presbyteri fuissent pares Episcopis, quod essent etiam ipsi veri Episcopi distincto quæ ex Hieronymi sententia postea exorta est, inde accidisset quod aliqui simplicem Presbyteratum in ordinatione postea accepissent. At S. Hieronymus contrarium significat docet enim Episcopatum esse novum, & ex Ecclesiæ consuetudine, non simplicem presbyteratum: sic enim ipse ait Communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque erat.* Genuinus igitur sensus verborum Hieronymi est, Presbyteratum fuisse Episcopatum, unum idemque officium, & non duo diversa officia in uno subjecto compatibilia & presbyteros eadem potuisse facere vi sui ordinis & clavium sibi traditarum, quæ postea sunt reservata Episcopo. *Magis autem mirandum,* inquit Durandus, *quod Hieronymus per verba sua quæ ponit*

De pontific. li. 1. cap. 8.

De clericis cap. 15.

Bellar. de clericis cap. 15.

In 4. sent. dist. 24. q. 5.

De clericis cap. 15.

In 4. sent. dist. 24. q. 5.

ponit in fine illius capituli Olim, videtur æquare presbyteros Episcopis, non solum quo ad consecrationem, sed etiam quantum ad regimen Ecclesiæ, quod pertinet ad potestatem iurisdictionis. Multa possum hîc accumulare testimonia interpretantium Hieronymi sententiam de uno eodemque officio, sed brevitati studeo. Non pudet tamen Hierarchicos nostros dicere Hieronymum intelligendum respectu nominum disserere Episcopum & Presbyterum eundem esse, quorũ novus & imbellis hyperaspistes Tilenus noster non minori vel ignorantia vel impudentia sic scribit. *Qui animadvertunt parum præsidii repositum esse in promiscuo vocabulorum Episcopi & Presbyteri usu, quem in scriptura cernimus, ubi Apostoli quoque & Diaconi nomina quandoque ponuntur ἀδιακρίτως: in qua tamen nominum communione nemo ministeriorum æqualitatem aut graduum confusionem suspatus est, ii Hieronymi patrocinium advocant. Ait ille in epist. ad Tit. Episcopos magis consuetudine quam Dominicæ dispositionis veritate presbyteris esse maiores. Sed quid si indidem id est ex eadem nominum communione, etiam Hieronymo errandi occasio fuerit obiecta?* Non errasse Hieronymum pluribus testimoniis probando eundem fuisse & re & nomine Episcopum supra pag. 204. 205. 206 docuimus: jam sat est quod apertè non negat Hieronymum sensisse eundem non fuisse Episcopum & presbyterum, quandoquidem jam de sententia Hieronymi agitur. Parænes. c. 9

S. Hieronymi verba aliqui piè interpretari conantur, ut S. Thomas qui in 2. 2. q. 184. art. 6. scribit Hieronymum loqui solum de nominibus Episcopi & presbyteri, non de ipsa re. At certe verba illa citata: communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Et illa: Magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, &c. aliud significant quam solam cõmunitatem vocabulorum, inquit Bellarminus. De cler. c. 15

Hieronymus conatur tueri presbyterorum dignitatem adversus insolentiam Diaconorum in epistola ad Euagrium. Pueriliter & inepte disputasset Hieronymus, si solum argumentum a communione nominum duxisset, & non officii: Potuerunt enim Diaconi regerere, quod in scriptura Apostoli quoque & Diaconi nomina ponuntur ἀδιακρίτως ut supra dixit Tilenus. Dicit unum reliquis præpositum in schismatis remedium, & in celsiori gradu collocatum, & Episcopum nominatum. Si post excogitata erat simul cum nominũ distinctione graduum distinctio, sequitur prius cum communione nominum fuisse etiam graduum communionem id est, unum eundemque fuisse munere & officio Episcopum & Presbyterum. Si sola distinctio nominum non fuit excogitata in remedium schismatis, sed etiam graduum, sola communio nominum non erat causa schismatum, Quæ Episcopis in remedium schismatis delata sunt, ostendunt ante remedium communia fuisse presbyteris. Dicuntur maiores presbyteris, præpositi presbyteris; ante remedium ergo non erant maiores, nec præpositi. Præterea dicit

Hierony-

Hieronymus non modo presbyteros ante schismata, & schismatum remedia communi consilio gubernasse Ecclesias absque Episcopo sed etiam adhuc debere Ecclesiā regere, licet Ecclesiæ consuetudine presbyteris maiores sint. Secundum tempus de quo Hieronymus, est tempus schismatum, *Cum diceretur in populis, ego sum Pauli, &c.* At hoc accidisse suo tempore testatur Paulus 1 Cor. 1 dicunt Hierarchici, & ab eo tempore sensisse Hieronymum natum esse Episcoporū principatum. Hieronymus non tam Corinthiacam Ecclesiam, quam alias complures respexit, & ideo non dixit *Corinthi*, sed *in populis*, & *postquam unusquisque quos baptizaverat &c. Malum non Corinthi solum, sed Ecclesiarum malum in populis natum, atque prædicatum gloriose narrans, antequam ad illud consilium in toto orbe veniretur. Negat ipse Paulus, qui malum quidem Corinthiæ Ecclesiæ reprehendit, sed de Episcopo superponendo nullum verbum in ea epistola, nullum in secunda facit. Quod Paulus dicit, id de Ecclesia dicit Corinthiorum solum, at longè aliter Hieronymus, cum diceretur in populis, inquit: Item, in toto orbe decretum est. Diversa igitur est temporum ratio: licet ad malum singulare, quod in Corinthiis reprehendit Paulus, Hieronymus de malo ubique diffuso dicens alluserit.* Istud tempus quo conjicit Hieronymus schismata viguisse suam habuit latitudinem. Non uno eodemque anno dictum in populis, Ego sum Pauli &c. Grassabatur hoc malum per populos, & non in una aliqua particulari Ecclesia, priusquam in toto orbe decretum, ut unus superponeretur. Nimis enim iniquum fuisset propter schismata unius Ecclesiæ in omnibus alius mutasse ordinem divinitus institutum. Tertia periodus temporis sequitur cum præpositus erat Episcopus. *Non enim dicit Hieronymus cœpisse ab eo tempore*, quo dictum in populis, *sed post illud tempus. Postquam verò unusquisque quos baptizaverat suos esse non Christi putabat, in toto orbe decretum est ut unus de presbyteris electus cæteris superponeretur. Num hoc ab Apostolis factum decretum est? Hieronymus ipse respondeat: Sicut Presbyteri, inquit sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine episcopo sibi præposito esse subiectos. Ex Ecclesiæ consuetudine, ait Hieronymus, non Apostlorum decreto: Tum subnectit ita episcopi noverint se presbyteris maiores consuetudine magis quàm Dominicæ dispositionis veritate. At si illum ordinem mutassent Apostoli & presbyteris episcopos præfecissent, & communi presbyterorum consilio ecclesias regi vetuissent, ea sane Dominica dispositio fuisset, utpote à Christi Apostolis profecta, nisi forte quæ Apostoli decreverunt, ea consuetudini, non dispositioni Dominicæ ascribenda sunt. Sed vivis Apostolis nihil est in illo ordine mutatum. Nam illa ad Corinthios scripta epistola est, cum Paulus in Macedonia ageret: at post hoc tempus in Creta Titum reliquit, ut presbyteros oppidatum constitueret. Si mutandum ordinem Apostolus putasset, non præcepisset constitui in singulis oppidis presbyteros: nec Hieronymus ex Paulo, ex Petro, ex Actis, ex Iohanne*

Iunius de clericis c. 15. not. 16.

De pontific. lib. 1. cap. 8. not. 24.

Iunius de clericis c. 15. not. 17.

Whitak. de pontific. qu. 1. ca. 3. sect. 29.

banne testimonia attulisset. quibus presbyterum eundem esse cum Episcopo demonstraret. Paulus epistolas suas ad Philippenses, ad Timotheum, ad Titum, & Petrus suas, & Iohannes suas post scripserunt quam illud Corinthi natum schisma est: & lucas etiam Presbyteros Ephesinos post illud schisma à Paulo Miletum accersitos esse scribit. Cum Hieronymus his potissimum locis Philip 1.1. 1 Tim.3.2 Tit.1.5.7 1 Pet 5.1 Act. 20.17. contendat presbyterum parem esse Episcopo per omnia, non potuit tam esse immemor sui ut putaret ab Apostolis eam rationem mutatam esse. Sic alibi, cum scripturæ testimonia adduxisset, quibus Episcopum & Presbyterum non differre evinceret, subjicit, postea unum electum, qui cæteris præponeretur. Si postea electus unus est, qui presbyteris superior esset, non ergo Apostoli, sed Ecclesiastica quædam consuetudo aut constitutio differentiam illam introduxit. Imo in fine epistolæ indicat, hanc esse traditionem Apostolicam ut iidem sunt. Non ergo Apostoli contrarium decreverunt. Sed ipsa verba *toto orbe decretum* non innuunt decretum alicujus Concilii sive Apostolorum, sive post Apostolorum tempora. Nullum tale concilium viventibus Apostolis legimus celebratum vel in scripturis vel extra scripturas: & post Apostolorum tempora nullum, quod totius orbis concilium dici potest, ante Concilium Nicænum. Nec eadem sunt, *decretum toto orbe*, & *decretum Concilio totius orbis.* Nam decretum Concilii totius orbis non recte dicitur decretum toto orbe. Sensus igitur verborum est, quum diceretur in populis, toto orbe, id est in populis decretum est, hoc est in particularibus Ecclesiis, aut Conciliis provincialibus. *Toto orbe* distributivè id est totius orbis partibus, non repræsentativè in Concilio œcumenico totius orbis. Quis enim non videt hæc verba *toto orbe decretum* idem sonare, ac *decretum per totum orbem*, quòd distributive est capiendum. Præterea decretum Concilii generalis & repræsentativi totius orbis fit simul & semel, at Hieronymus ait *Paulatim ad unum omnem sollicitudinem esse delatam, & ex consuetudine Ecclesiæ* præpositum Episcopum Presbyteris, quæ verba non congruunt decreto Concilii generalis, sed decretis particularium Ecclesiarum, aut partium orbis, Ecclesiis aliis aliarum exempla sequutis, & idem, quod aliæ, decernentibus. Vnde infert Hieronymus Episcopos presbyteris maiores esse consuetudine Ecclesiæ magis quàm Dominicæ dispositionis veritate, id est magis consuetudine quæ irrepsit in Ecclesiam, quam authoritate scripturarum aut Domini per se aut per Apostolos institutione. Nam ante dixerat Hieronymus *putat aliquis nostram esse, non scripturarum sententiam Episcopum & Presbyterum unum esse.* Deinde adducit testimonia scripturæ; tandem infert magis consuetudine Ecclesiæ quam dispositionis Dominicæ veritate id est *quàm*, ut supra dixit, *scripturarum sententia.* Nec dicit scripturarum sententia Episcopum & presbyterum unum fuisse utpote in primordiis, sed unum

esse, ac si dixisset scripturarum sententia semper unum fuisse. Qui igitur fingunt Hieronymum per consuetudinem Ecclesiæ intellexisse institutum Apostolorum & dispositionem Dominicam ipsius Christi institutionem, præterquam quod ineptè loquutum fingunt Hieronymum vocando institutum Apostolorum consuetudinem Ecclesiæ, affingunt ipsi etiam multa absurda. Nam mutatis mutandis secundum istorum interpretationem sic capienda Hieronymi verba. *Vt ergo Presbyteri sciant se Apostolorum decreto Episcopo sibi præposito subjectos esse, ita Episcopi noverint se Apostolorum decreto magis quam Dominicæ dispositionis veritate presbyteris esse maiores; & in communi debere Ecclesiam regere*, ac si sub Apostolis schismata nata essent & ipsi Apostoli vitandi schismatis causa mutassent Dominicam dispositionem. *Quod perabsurdum mihi videtur dicere*, inquit Saravia. *Dominus noster qui est Dei sapientia, longe melius norat, quid utile & necessarium esset præcavendis schismatibus quàm Apostoli. Quorum ut non fuit plus sapere in hac re velle videri: ita non fuit ipsorum ob unius Ecclesiæ peccatum mutare Domini institutionem.* Item, *Institutionem Dominicam Paulum mutasse, & ut id voluisset, potuisse, non est probabile. Cæteri Apostoli, qui erant per varias nationes dispersi, ignorabant quid ageretur Corinthi, ut decreto Pauli addidisse credantur suum calculum. Sed ut demus schisma illud Corinthiacum ad eorum pervenisse notitiam, & ex diversis & maximè remotis orbis partibus miraculo aliquo simul convenisse; cui probabitur, vitandi schismatis causâ in mutationem Dominicæ institutionis consensisse?* Et alibi, *Absit ut tam leves Apostolos fuisse censeamus, ut divinitus institutam regiminis formam mutaverint, aut aliam ipsi observaverint, aliam observandam tradiderint.* Rectè elicit absurda ista ex interpretatione illa, sed quod putat eam fuisse Hieronymi mentem, fallitur. Apostoli ut supra ostendimus nec sustulerunt nec tollere potuerunt potestatem ordinis presbyteralis sic nec jurisdictionis quæ manat ab ordine & exercetur etiam in publico foro. Maneat igitur recta interpretatio verborum Hieronymi, nempe dispositionis dominicæ veritate id est scripturarum authoritate Episcopi non sunt maiores presbyteris. *Veritas enim*, inquit Bilsonus, *apud antiquos patres pro veritate scripta non raro accipitur Vide Tertullianum de Corona militis Cyprian. contra Stephan. Concil. Carthag. de baptizand. hæretic.* Veritatem istam supra Hieronymus vocavit sententiam scripturarum. Aliam igitur excogitant interpretationem sed à mente Hieronymi satis alienam, quam Tilenus sic exprimit. *Ille vero non erravit*, nempe Hieronymus, *sic hoc tantum sibi voluit, nempe quod quæ ex Dominicæ dispositionis veritate utrisque communia erant nomina, ex Ecclesiastica demum consuetudine fuerunt distincta. Sciendũ vero ea tempestate, qua id scripsit Hieronymus, presbytero neque concionari neque baptizare, aut cœnam Domini administrare licuisse, præsente Episcopo sine* ipsius

[Margin notes: Tractat. de grad. ca. 23. — Def. cap. 23. sect. 14. — De guberna. ca. 12 p. 284 — Parænes. ca. 8]

ipsius venia & permissu ut testatur Tertullian. de baptismo, atque ipse Hieronymus adversus Lucifer & Possidon. in vita Augustini, qui mos sola Ecclesiæ consuetudine nullo Christi mandato nitebatur. Non voluisse tantum nomina communia dispositionis dominicæ veritate postea Ecclesiæ consuetudine fuisse distincta ex verborum scopo & contextu evicimus. Et quod ad subjectionem illam temporis decursu introductam verum est non esse secundum dominicæ dispositionis veritatem, sed omnem omnino subjectioné, presbyterorum consuetudini Ecclesiæ tribuit, & paritaté dominicæ dispositioni ut patet ex argumentis quibus probat ex scripturarum sententia Episcopum & Presbyterū unum eundemque esse & nondum ullo modo vel in re minima Episcopum præpositum fuisse presbytero. Tandem quia vident nulla interpretatione depravata posse extorqueri alium sensum, dicunt Hieronymum non sibi constare & alibi contradicere, ut cum Iacobum dicit constitutum Episcopum Hierosolymorum ab Apostolis, & Marcum Alexandriæ in Catalogo, item traditionem esse Apostolicam ut Episcopi præponantur Presbyteris. De Iacobo, Marco, & traditione Apostolica supra egimus p. 140. 125. 189. 190 & Bellarminum negare catalogum illum esse Hieronymi. Rectè Hieronymus in cap.23. Matth. *Quod de scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et in cap.1. Aggæi *quæ absque auctoritate & testimoniis scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.* Concludo verbis Spalatensis. *Sunt qui Hieronymum in rectam sententiam vel invitum velint trahere. Ille tamen dum consuetudini soli Ecclesiasticæ, Ecclesiæque humano decreto tribuit, id quod ab Apostolis jure divino* (falsum) *est factitatum, aliquantulum certe deflexit, & exorbitavit neque in hoc aut excusari satis potest, aut in alium contrarium sensum trahi: verba illius neque aliam sententiam, neque defensionem, neque excusationem admittentia sunt hæc in Epist. ad Titum. In toto orbe decretum &c.* Et ipsius Tileni, *Quod ex horum pastorum seu presbyterorum collegio unus reliquis est præpositus, & Episcopi cognomento ornatus singulariter, ab humano ortum instituto, non à divino præcepto existimamus, non solùm cum Hieronymo, verum etiam cum Lombardo, Gratiano, Card. Cusano & aliis, Hieronym. in c. 1. Tit. & ad Evagr. Lombard. l. 4. dist. 24 Grat. dist 93. c. legimus & dist. 95. c. Olim & c. seq. Cusanus de concord. Catholica c. 13.* Et in speculo Antichristi ortum & incrementa aperiens citat Hieron. in c. 1. ad Tit. aphoris 87. Et aphor. 88. ait *Episcopos & Presbyteros re & munere eosdem fuisse, non Hieronymus solùm in 1 Tim. 3. sed etiam scriptura perspicue docet Tit. 1. Act. 20. Phil 1. ac proinde humani instituti sive positivi ut vocant juris est illa sub diversis nominibus munerum distinctio.* Atque Hæc de sententia Hieronymi.

De repub. li. 2 ca. 3. num. 46.

Syntag par. 2. disput. 20.

Quòd ad rem ipsam attinet, cum dicunt in ipsis primordiis non

fuisse Episcopos, nec opus fuisse, quia Apostoli ipsi invisebant Ecclesias, sed post institutos ab Apostolis & migrantes Apostolos reliquisse substitutos, obeuntes designasse successores, utraque parte falsissimum est. Nam Apostolorum generalis cura & inspectio non sustulit necessitatem ordinationis, & jurisdictionis exercendæ in quaque Ecclesia particulari. Quasi verò, presbyteri dispersionis nullam exercere poterant jurisdictionem, priusquam Petrus Babylone literas aut legatum misisset, aut ipse advenisset. Corinthios reprehendit Apostolus, quòd tam segnes fuissent in ejiciendo incestuoso & agnoscit eos potestatem habere judicandi de iis qui intus sunt. Non opus est repetere, quæ supra attulimus argumenta, quibus probavimus penes presbyteros fuisse potestatem ordinationis & jurisdictionis. Nec minus falsum est, absentes vicarios, decedentes verò aut vita defunctos successores designasse, neque ulla exempla proferunt, nisi Timothei Titi & similium, qui non pastores ordinarii ceu Episcopi fuerunt, sed Evangelistæ de quibus apud Bilsonum sic Chrysost. serm. 11. in Ephes. 4. *Pastores & Doctores eos vocat, quorum fidei totus populus erat creditus; & inferiores iis erant, qui Evangelizantes omnes ebibant regiones, quia erant in uno loco occupati.* Præterea in Ecclesiis constituendis constituerunt Presbyteros non Episcopos, & constitutas abeuntes commendarunt presbyteris, ut Paulus Act. 20. cum jam putaret se non amplius visurum faciem ipsorum, & in confinio mortis positi ut patet ex Epistola ad Philippenses. Presbyteri in constituendis primi instituti ab Apostolis & in constitutis postremi relicti sunt & proinde instituto divino genuini Apostolorum successores, non autem Episcopi qui Ecclesiæ consuetudine & instituto Humano presbyteris præpositi sunt. Sit certa Hieronymi conjectura tum non dubitamus asserere non fuisse consilium spiritus sancti ad tollenda schismata, sed Satanæ ad jacienda Antichristianismi fundamenta, & schismatum materiam. Antidotum versum fuisse in venenum, & remedium ipso morbo nocentius probavit eventus.

Cap. 11 pag. 150.

Non est existimandum statim post Apostolorum decessum introductum fuisse hunc de quo disserimus, Episcopatum. Aristocratia non est statim mutata in Monarchiam. Primi qui, post Apostolorum tempora, Episcopi, erant solummodo præsides perpetui in Presbyteriis, non principes. At inquit Bilsonus, *Hæc germana quidem est descriptio Majoris & Senatorum civitatis, aut præfecti & Decurionum oppiduli cujusdam apud nos. Episcopi verò qualem habuit aut habere debuit Christi Ecclesia, minimè.* Et Downamus *sub veterum Episcoporum nomine describunt nobis Decanos, qui archipresbyteri quandoque dicti sunt, quandoque* [illegible]. Calvinus dicit. *Neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet: sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sententias*

De gubern. Eccles. ca. 12 pag. 286. Def. lib. 3. pag. 9. Instit. l. 4 ca. 4. sect. 2.

tentias roget consulendo, monendo, hortando aliis praeeat, authoritate sua totam actionē regat, & quòd decretum fuerit communi consilio id exequatur, [illegible] *muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum coetu.* Sed ista repudiant. Non est Episcopus iste, sed Decanus. Quid ergo? Episcopos veteres in Presbyteriis, nolunt fuisse ut Consules in Senatu, sed ut Reges inter consiliarios, quorum consilio, non ex necessitate sed libera voluntate usi sunt. Vide quae supra citavimus pag. 113. 114. 115. Si nulli sunt Episcopi nisi tales, primi illi Episcopi erant nomine tenus tantùm Episcopi, revera tantùm perpetui praesides & πρωτοπρεσβύτεροι. Nonne author commentariorum, qui circumferuntur nomine Ambrosii, dicit, Episcopum nihil aliud fuisse, quam primùm presbyterum. Quid significat quaeso *primus presbyter* aliud quàm πρωτοπρεσβύτερος. *Primi presbyteri apellabantur Episcopi, ut recedente eo sequens ei succederet,* inquit author ille, Et *Hic enim est Episcopus, qui inter presbyteros primus est.* Et idem author in quaestionibus veteris & novi Testamenti (nam eundem fuisse authorem supra pag. 228. ex Bellarmino & aliis ostendimus.) *Quid est Episcopus,* inquit, *nisi primus presbyter, hoc est sūmus sacerdos.* Paulò infra. *Et turpe est judicem dicere primicerium. Nam in Alexandria, & per totam Egyptum, si desit Episcopus, consecrat presbyter.* Sic scripsit author ille Ambrosii coaetaneus, vel potiùs, ut volunt alii, paulò vetustior. Ex altera parte de Presbyteris Pseudoignatius in Epistola ad Trallianos dicit, *quod sunt* ὡς συνέδριον τοῦ θεοῦ, καὶ σύνδεσμος Ἀποστόλων χριστοῦ, *tanquam Senatus Dei, & colligatio* (vel coetus) *Apostolorum Christi.* Item, *quid vero presbyterium, quàm sacer coetus* σύστημα, *consiliarii* συμβουλοι, *& assessores Episcopi* συνεδρευταί. Et in Epistola ad Ephesios tale desiderat presbyterium Episcopo adunatum, *quomodo chordas in cithara colligatas cernimus.* Irenaeo Presbyteri dicuntur principes. In epistola quae de 7 Ecclesiae ordinibus inscribitur, & extat inter opera Hieronymi, dicuntur presbyteri judices. *Inde ab initio negotiorum judices esse mandati sunt Presbyteri, & interesse sacerdotum conciliis quoniam & ipsi presbyteri ut legimus, Episcopi nominantur, secundum quod scriptum est ad Titum &c.* Augustino *Patroni & rectores terrae.* Origeni libro tertio adversus Celsum *Ecclesiae* βουλευταί. Sedebat Episcopus in throno, sedebat etiam & Presbyter dixit Aerius, & non negavit Epiphanius. Nazianzenus narrat quomodo providentia divina Basilium τοῖς ἱεροῖς τοῦ πρεσβυτερίου θρόνοις *sacris presbyterii sedibus admoverit,* dicit à lectorum munere ad presbyterorum, exeunde ad Episcopi thronum pervenisse. *Presbyteri,* inquit Bilsonus, *Carthaginensis Ecclesiae à Clericorum erant ordine, qui unà cum Episcopo sedebant, & communae consilium de Ecclesiae negotiis capiebant.* adducit Cyprianum.

Ad Ephes. cap. 4.

1. Tim. 3.

quaest. 101.

Lib. 4. c. 44.

Serm. 36 ad fratres in Eremo.

in Laudem Basilii.

De gubern. cap. 11. pag. 224.

Li 4 ep 10. num. *Numidicus presbyter ascribatur presbyterorum Carthaginensium*
Iren. l. 4 c. 44 *numero, & nobiscum sedeat in clero.* Irenæus invehitur in *presbyteros*
principalis consessionis tumore elatos. Chrysostomus *sollicitè præsidere*
Hom. 53. in inter Presbyterorum quinque talenta numerat & parum interesse
cap. 25. in inter Presbyterum & Episcopum idem dicit καὶ γὰρ αὐτοὶ δι-
Mat. in cap. δασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας.
3. prior ad *Etenim & illi docendi munus susceperunt & præsidendi Ecclesiæ & quæ*
T.m. hom 11 *de Episcopis dixit eadem & de presbyteris convenit dici.* Origines di-
hom. 7. in Ios. cens. *Etsi videor tibi manus dextera esse, & presbyter nominor*, innuit
De gub. pag. presbyteros pro manu Ecclesiæ dextra habitos fuisse, interprete ip-
245. so Bilso. Censuræ non erant penes unicum Episcopum. *Cogimur*
In Apolo- *ad literarum divinarum commemorationē*, inquit Tertullianus, *ubi fidem*
get. *sanctis vocibus pascimus, spem erigimus fiduciam figimus, disciplinam*
præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam ex-
hortationes, castigationes, & censura divina. Nam & iudicatur magno
cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii
præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, &
conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique.
Li. 4. ca. 42. *Seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Esto, nihil
43. juvet Seniores quos vocant Laicos locus iste, Seniores docentes ta-
men docet præsedisse in castigationibus & censuris divinis, in ex-
communicatione etiam maiori, ut vocant. Particularem Eccle-
siam describit & tamen plures Seniores seu Presbyteros præsidere
dicit. Irenæus, *Presbyteris iis in Ecclesia obedire oportet, qui successio-*
nem ab Apostolis habent, & unà cum ordine presbyterii sanam doctri-
nam præbent ad informationem & correctionem aliorum. Tales presby-
De gubern. *teros nutrit Ecclesia.* De Presbyteris Pastoribus intelligendum lo-
pag. 244. cum fatetur Bilsonus, de correctione judiciali intelligendum osten-
dit contextus loci, ubi damnantur presbyteri injusti qui damnant
innocentes, & laudantur probi. Hieronymus, *Apud Deum non sen-*
in Mat. c. 16 *tentia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur, quomodo ergo ibi* id est in
lege *Leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, si & hic alligat*
Epist. ad He- *vel soluit Episcopus & presbyter.* Idem, *Mihi ante Presbyterum sedere*
liodorum. *non licet; illi si peccavero, licet me tradere Satanæ ad interitum carnis, ut*
Ambros. *salvus sit spiritus.* Siricius Episcopus Romæ epistola ad Ambrosium
epist. 80. narrat Iovinianū, Auxentium &c. Presbyterii sui examine & totius
Synod. contr. cleri consensu hæreseos damnatos fuisse. Accusatus Chrysostomus
Chrys. jur. ὅτι ἄνευ συνεδρίου καὶ παρὰ γνώμην τοῦ κλήρου ποιεῖ τὰς χειροτο-
græcorū 556 νίας. Gregorius, *Si quid de quocunq; Clerico ad aures tuas pervenerit, quod*
Lib. 11. *te justè posset offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat*
epist. 49. *incognita, sed præsentibus Senioribus Ecclesiæ tuæ diligenter est veritas*
perscrutanda, & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam
feriat delinquentis. Alibi presbyterium damnat negligentiæ, quod in

Hilarium

Hilarium quendam non animadverterunt. *Nec illud ad excusationem vestram creditis esse idoneum, quòd vobis quasi judicare volentibus frater & coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius uni à multis rationibiliter suaderi, quàm multi ab uno poterant differri.* In concilio Carthaginensi quarto decretum. *Vt Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium assensum & conniventiam & testimonium quærat. Vt Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur.* Canones hujus Concilii Baronius vocat Ecclesiasticæ promptuarium disciplinæ ab antiquioribus usu receptæ & ad pristinam consuetudinem revocatæ. Cypr. *Presbyteris & Diaconis non defuit Sacerdotii vigor, ut quidam minus disciplinæ memores, & temerariæ festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur.* Clemens, ut in fratrum controversiis non apud judices sæculares, *sed apud presbyteros Ecclesiæ quicquid illud est dirimatur.* Concilium Hispalense *Sacerdotibus ac ministris solus*, id est absque aliorum Episcoporum adminiculo, non autem absque Synedrio & Clero suo ut dictum *honorem dat potest*, *solus* id est absque aliis Episcopis, *auferre non potest Tales enim neque ab uno damnari, nec uno judicante poterant honoris sui privilegiis exui, sed præsentari synodali judicio, & quod canon de illis præciperet, oportet definiri.* Concilium Carthaginense tertium. *Si autem Presbyteri vel Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint id est, una secum in presbyteri nomine sex in Diaconi nomine tribus, ipsorum causas discutiat, eadem dierum & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum, inter accusatores, & eos qui accusantur, forma servata. Reliquorum autem clericorum causas etiam solus Episcopus loci agnoscat, & finiat.* Extat hic Canon in decreto Gratiani. additur nota. *Solus autem ad exclusionem aliorum Episcoporum, non suorum clericorum dicitur, sine quorum præsentia sententia ejus erit irrita.* Sicut cum dicitur Solus honorem dare posse, intelligitur, absque Episcopo, non tamen absque Synedrio & clero, ob quod accusatus Chrysostomus, & de quo cautum in Concilio Carthaginensi quarto, ut jamjam vidimus. Sic solus auferre non potest, nempe exclusis vicinis Episcopis. Presbyteros igitur & Diaconos Episcopus gradu dejicere non poterat absque coepiscopis secundum decretum Concilii Carthaginensis. In *cæteros* nempe clericos, inquit Bilsonus, *Episcopus solus judicium exercere poterat absque aliorum Episcoporum adminiculo, non tamen sine Cleri sui senioribus, ut recte Gregorius monet, & in Concilio Africano can. 20 scitum est* Sic etiã supra Fildus. Concilio Turonensi secundo decretum, *Quem* nempe Archipresbyterum aut abbatem, *negligentia ejicit, cum omnium Presbyterorum consilio*

Can. 22.
Can. 23.
an. 398. num. 14.
Cypr. lib. 3 epist. 5.
Ep 1. ad Iacob.
Con. 2 Hisp. can. 6.
c. 8.
Caus. 15. quest. 7. cap. 5.
De gubern. Eccles. c 11. pag. 219.
Can. 6.

consilio refutetur. Quid opus est ut immorer in particularibus, cum in genere omnia communi presbyterorum & Episcopi consilio & calculo gerebantur. *Presbyteri ac seniores isti* σύμβουλοι καὶ συνέδριοται *consiliarii & assessores Episcopi erant, ut memorat Ignatius; communi consilio Ecclesiam regebant, ut refert Hieronymus; eorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia ut asserit Ambrosius, nec defuit iis sacerdotii vigor, ut testis est nobis Cyprianus.* A primordio Episcopatus sui statuerat Cyprianus nihil sine Presbyteriorum consilio sua privatim sententia gerere, idcirco ait. *Omni actu ad me perlato placuit presbyterium contrahi.* Et alibi, negotium quod ad totius Presbyterii consilium ac sententiam spectabat, præjudicare se, & solum sibi rem communem vendicare ausum non fuisse. Se non pro arbitrio tantum sed ex debito & officii vinculo hoc fecisse testatur cū ad Presbyteros & Diaconos scribens ait. *Sed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel gesta sunt vel gerenda, sicut mutuus honor postulat, in commune tractabimus.* Mutuus honor postulat, ut in commune tractent negotia quæ ad omnium consilum & sententiam spectarent. Et Bilsonus dicit hunc esse germanum sensum verborum Hieronymi, quod Episcopi debent in communi cum presbyteris regere Ecclesiam secundum Dominicæ dispositionis veritatem, Episcoporum autem præfecturam exclusis presbyteris non Christi aut Apostolorum institutione aliqua sed temporis decursu introductam, & paulatim invaluisse. Ambiebant quidem ætate Hieronymi hanc singularem potestatem Episcopi quidam, sed nondum tamen eam Lege aliqua adepti sunt *Ecclesia habet Senatum cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachi agere licet. Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum, quia noluit audire presbyteros suos. Senatum quoque Romani habebant, cujus consilio cuncta agebant: & nos habemus Senatum nostrum cœtum presbyterorum,* inquit Hieronymus: vide Gratianum. Hieronymus dicit Episcopos debere in commune regere Ecclesiam cum Presbyteris, quia initio omnia communi Presbyterorum consilio gubernabantur, antequam præpositus fuit Episcopus. Inde est quod Cyprianus sibi soli rem omnem vendicare non audebat, quæ ad omnium consilium & sententiam spectabat, non quod sponte se obstrinxerat, cum Episcopatum susciperet, ut fingit Bellarminus. *Si præter officium hoc fecit, sponte peccavit, & quidem tanto gravius quanto maiore noxa & periculo Eccl siæ & Prælatorum, quàm Reipublicæ & principum iura imminui clamitant Pontificii,* inquit Tilenus. Ex dictis elicimus omnes causas & lites communi Presbyterorum & Episcopi consilio definitas, nec in controversiis aut censuris determinasse, aut decrevisse Episcopos, absque Presbyterio. Canones, verum, prohibent presbyteros etiam quid tentare sine Episcopo, nempe in iis quæ ad commune omnium consilium & sententiam spectabant, sicut Episcopi comprovinciales prohibiti

Bilsonus cap. 11. pa. 224.

Li. 3. ep. 10.

Li. 3. ep. 19.

Li. 3. ep. 10.

De gubern. cap. 12. pag. 284.

Caus. 16. qu. 1. cap. 7. Ecclesia.

De Pontif. li. 1. c. 6. not. 8. & c. 8. not. 19.

prohibiti absque Metropolitano agere quicquam in iis rebus quæ ad provinciam spectarent. Sicut igitur Metropolitanus coepiscopis ordine solum superior, non iurisdictione fuit purioribus sæculis, sic episcopus Presbyteris. Et sicut constituto semel Metropolitano præside concilij Provincialis non poterant Episcopi in unum coire neglecto & contempto Metropolitano nisi prius sublato ipso ordine & gradu Metropolitanorum, sic constituto semel perpetuo præside Presbyterii qui nominabatur Episcopus, eo neglecto & contempto nō poterant presbyteri aliquid tentare in iis quæ ad communem solicitudinē & cur āspectabant, nisi prius sublata ipsa perpetua prostasia. Illud est quod in Presbyteris suis culpans Cyprianus, ait qnod, *aliqui de Presbyteris, nec loci sui memores, nec præpositum sibi Episcopum cogitantes cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi vendicent.* Cum igitur dicti Presbyteri nihil egisse sine Episcopo, non intelligendum, ac si Episcopus habuisset vocem, ut vocant, negativam in Senatu Ecclesiastico quæ irrita redderet maioris partis Presbyterorum suffragia, sicut non ita intelligendum cum Episcopi dicti nihil potuisse in cōmunibus negotiis absque Metropolitano; Nam Metropolitanus plurium suffragiis adstrictus erat. Presbyteros fuisse judices negotiorum & causarum non simplices consiliarios patet ex testimoniis supra citatis, quę singula percurrere potest lector. Cum Bellarminus Episcopum Regi, presbyterium Senatui & consilio Regio comparasset, respondet Tilenus noster. *Longè diversa ratio ac comparatio Regis cum consiliariis & Episcopi cum Presbyteris: ille verè ac proprie est dominus consiliariorum suorum: iste tamen conservus est ac συμπρεσβύτερος presbyterorum.* Ex altera parte inquit Fildus, *non volumus potestatem Episcoporum instar potestatis principum fuisse, ut vult Bellarminus, sed paternam.* Sed certe si præsidet ut Rex in consilio, prostasia ejus est regia & non paterna. Episcopus & Presbyteri sunt collegæ; Presbyteri Episcoporum collegæ vocantur in concilio Carthaginensi quarto. Et Augustinus in Episcopum electus Presbyteros suos collegas vocat. Archiepiscopus Granatensis in Concilio Tridentino, ex eo quòd Pontifex appelletur Episcoporum collega in Epistolis veterum, argumentatur, *Esse contra collegii naturam, ut constet è diversi generis personis. Id sine naturam collegii admittere, ut in eo caput sit, atque ita de Episcopali evenire cujus Papa caput est: nempe ad ædificationem duntaxat, & quod dici solet, in beneficentem causam.* Sic si Presbyteri Episcoporum collegæ & fratres sunt, non sunt solùm consiliarii. Cum igitur dixit Hieronymus de Presbyteris Alexandrinis quòd unum ex se electum in celsiori gradu collocarunt, non de diverso ordine ministerii loquutus, (Nam illud instituere non est penes Ecclesiam ullam) sed de gradu ordinis & honoris, quem quilibet præses habet in quocanque collegio. Alii ipsum locum in quo sedebat Episcopus præ-

Lib. 3. ep. 14

De pontif. lib. 1. cap. 8.

De Eccles. li. c. 27. p. 137.

can. 35.

epist. 137 & 110.

Petri Suavis histor. Concilii Trident. l. 7. p. 679. edit. Francof.

ses interpretantur fuisse gradum illum de quo Hieronymus, quod locus esset celsior & sublimior, unde totum consessum Presbyterorum moderabatur. Huc alludit Canon 35 Concilii Carthaginensis quarti, Episcopus in Ecclesia & in consessu *Presbyterorum sublimior sedeat intra Domum verò collegam se presbyterorum cognoscat.* Sedebant etiam & Presbyteri, nam ejusdem Concilii can. 34. decretum *ut Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur.* Utcunque est, sive de gradu loci sive de gradu ordinis sive utriusque intelligendus Hieronymus, de gradu potestatis, præterquam quæ præsidi cuivis est necessaria, non est loquutus. Reservata sunt etiam Episcopo præsidi quædam peculiaria ob sacerdotii honorem, non ob legis necessitatem, ut pœnitentium reconciliatio, baptizatorum confirmatio, Ecclesiarum dedicatio, virginum consecratio, ritualis Presbyterorum & Diaconorum ordinatio, Chrismatis confectio: item quòd si præsens esset, ipse prædicaret, baptizaret, Eucharistiam consecraret. Sed hæc postrema non passim obtinuerunt, sic uttestatur author quidã vetus. *Nemo hinc Episcoporum diabolicæ tentationis invidia inflatus irascatur in templo, si presbyteri interdum exhortentur plebem, si in Ecclesiis prædicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant. Etenim abnuenti mihi ista sic dicam &c. quoniam & ipsi presbyteri, ut legimus, Episcopi nominantur secundum quod scriptum est &c. Sed oderunt hoc sacerdotes superbi in presbyteris nomen, qui nolunt esse quod Christus, qui discipulorum pedes lavit &c. Propterea hæc scribo, ut si præteriti temporis error non potest jam revocari, vel ad præsens in Ecclesiis servetur humilitas, ut presbyteri hoc in Ecclesiis suis faciant quod Romæ, sive quod in Oriente, quòd in Italia, quòd in Creta, quod in Cypro, quod in Africa quod in Illyrico quod in Hispania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quòd in omnibus locis, ubi humilitas perseverat.* Hieronymus, *Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui.* Ait in quibusdam Ecclesiis non in omnibus, vel passim & ubique. Pessima ista consuetudo quæ ætate Hieronymi in quibusdam Ecclesiis obtinebat, & reservationes istæ præteriti temporis errores, ut ad unius sacerdotis Episcopi nempe præsidis honorem multum adferebant, presbyterorum, qui sunt genuini Episcopi, authoritati & dignitati multũ detraxerunt. Sed missa faciamus ista quæ spectant ad actus ordinis, cũ jam de jurisdictione agitur. Dico igitur veteres Episcopos in exercitio jurisdictionis exterioris & publicæ, sive in controversiis definiendis, sive in legibus ferendis, sive censuris & pœnis irrogandis, omnia communi presbyterorum non modo consilio, sed etiã auxilio, judicio & concilio peregisse. Proinde cum legimus Episcopũ aliquem excõmunicasse aut gradu movisse semper intelligendũ est una cum Presbyterio & Senatu Ecclesiastico. Imò cũ additur vox (Solus) alios coepiscopos non Presbyteros aut clerum excludi

Ad Rustic. Narbon. de 7 gradib. dist. 95. cap. 6. Gratia.

Epist. 2. ad Nepot.

cludi fatentur ipsi Hierarchici ut supra ostendimus in explicatione Can. Concilii Hispalensis. Episcopi canonica sententia ut Synodus Carthaginensis græca vocat κανονικὴν ψῆφον, non erat absque concilio aut presbyterio, licet tyrannicam quidam & contra Canones potestatem arrogabant. Vnde in Concilio Hispalensi sic decretum. *Iuxta antiquorum Patrum decretum statuimus; ut nullus nostrum sine Concilii examine quemlibet Presbyterum & Diaconum dejicere audeat. Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non authoritate Canonica damnant.* Concilium tamen istud recentius est.

Can. 9. Conc. Hisp. 2. can. 6.

A presbyterorum suffragiis in Conciliis Provincialibus colligere non inepte, puto, possumus eorundem potestatem in Presbyteriis, nempe quod in eis non consiliarii tantùm sed etiam judices fuerant. *In omnibus Provincialibus & Nationalibus Synodis*, inquit Fildus, *presbyteri tulerunt suffragia, & subscripserunt eodem pacto quo Episcopi, sive ad Canones disciplinæ condendos congregati fuerant, sive ad causas cognoscendas, sive ad controversias in doctrina definiendas.* Interfuisse Conciliis Provincialibus probat ex Concilio Antisiodor. Can. 7. Tarraconens. can. 13 Tol. q. c. 3 Toletan. 1 & Gregorii li. 4. ep. c. 88. & suffragium tulisse decisivum ex subscriptionibus Conc. Eliberti-ni & Synodi sub Gregorio. Licet Pontificii quidam solis Episcopis suffragia in Conciliis esse contendant exempla tamen ab ultima antiquitatis memoria deesse non dicit Bilsonus, quibus contrarium doceatur. *In Synodo Romana à Cornelio anno Christi 225 adversus Novatum indicta Sexaginta Episcopi & plures Presbyteri atque Diaconi interfuerunt, ut refert Eusebius. A Synodo Antiochena, quæ Paulum Samosatenum Episcopatu dejecit anno domini 270 non Episcopum solum, sed Presbyteri & Diaconi, ut ex ipsorum literis constat, scripserunt. In Concilio Elibertino prope tempus primi Concilii Niceni præter Episcopos, 36 Presbyteri memorantur. In Arelatensi secundo eodem fere tempore 12 Presbyteri cum Diaconis aliisque Clericis subscripserunt. Idem videre est in Conciliis Romæ habitis sub Hilario & sub Gregorio, ubi post 22 Episcopos Presbyteri 34 & in primo sub Symmacho ubi post 72 Episcopos Presbyteri 67 subscripserunt. Similiter in 3, 5 & 6 sub eodem Symmacho. His addatur Concilium sub Felice Romano 43 Episcoporum & 74 Presbyterorum.* Adducit etiam ad firmandam suam sententiam Concil. Antisiodorens. can. 7 Tarracon. can. 13 Toletan. 4. In Synodis Provincialibus condiderunt Cannones & leges Ecclesiasticas. Qui provinciales condere poterant, statuta in Presbyteriis, scilicet, cōdere non poterant, Et qui leges constituere potuerunt in provincialibus & nationalibus Conciliis, in legum earundē transgressores censuras exercere unà cum Episcopis in Consistoriis non potuisse an verisimile est. *Hoc addi potest*, inquit Dounamus *dictæ, ministrorū authoritati quod inferendis legibus Ecclesiasticis ipsi suffragium habeant, vel per se, si missi fuerint ad Synodum, vel per eos quos ipsi elegebant.* Item,

De Eccles. li. 5. ca. 49. pa. 374. cap. 30. pag. 160. De gubern. cap. 86. pag. 468. 469. Euseb. li. 6. ca 43 & li. 7. cap. 30. Subst. Elib. Con. fol 282 Subst. Arela. conc. 2. f. 293 Tom. 1 Con. fol. 951. Gregor. lib. 4. ca. 88. Tom. 1. conc. fol. 1002. Defens. li. 1. cap. 2. sect. 11. p. 43. 44.

Maxima Ecclesiasticorum authoritas exercetur in Synodis, Synodorum autem maxima authoritas est in ferendis legibus Ecclesiasticis. Quibus maxima authoritas cóceditur in Synodis an minor neganda in presbyteriis. Præterea in Synodis non modò definierunt controversias de doctrina & damnarunt hæreticos, sed etiam Synodali sententia deiecerunt Episcopos; Presbyteros, Diaconos. Dicit Fildus in Synodis provincialibus tractatum de Episcoporum ordinationibus, depositionibus, & litibus ac causis, quæ per appellationem à particularibus Ecclesiis delatæ erant ad Concilia Provincialia, Qui jurisdictionem exercebant in ipsos Episcopos in Synodis, & de causis per appellationem delatis judicare poterant, in presbyteriis etiam judicasse existimandum est. Episcopi & Presbyteri in Concilio Antiocheno Samosatenum ejecerunt In Concilio Sinuessano presbyteri unà cum Episcopis damnarunt Marcellinum.

De Eccles. libro 30. pa. 160.

Ex dictis igitur patet Episcopos veteres fuisse solummodo præsides in Senatu Ecclesiastico & Presbyteros fuisse judices unà cum Episcopo. *Et ideo secundum veritatem, & intentionem Hieronymi, non aliud Episcopus quam Archipresbyter*, ut ait Marsilius Patavinus. *Et quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter*, dixit Hieronymus, Idem secundum ipsorum interpretationem dixit Chrysostomus, nempe *quod sola ordinatione Presbyteris superiores fuissent.* Iurisdictio igitur communis erat, quod vidit Bilsonus, cum ista scriberet, *Quæ Episcopis peculiaria & non committenda Presbyteris erant, hujusmodi sunt succedendi privilegium, & ordinandi prærogativa:* & in Præfatione ait ordinationem esse prope unicam Episcopi & Presbyteri distinctionem. Sed de ordinatione supra diximus, & nullam ne hîc quidem jure divino esse differentiam inter Episcopum & Presbyterum evicimus.

Def. pacis part. 2. c. 15.

De guberna. ca. 13. p. 291

page 15.

Presbyteri, qui erant in puriore Ecclesia negotiorum & causarum judices, tandem exclusi sunt à communi regimine & rerum gerendarum administratione, & paulaim Episcopus præses mutatus est in principem, imò principe omni deteriorem dominum. Nam cùm principes aliorum consiliis in republica administrandauti teneantur, Episcopi non tenentur uti consilio Senatus Ecclesiastici; imò ne vel ipsius præsentia necessariò requiritur ut volunt Hierarchici. Sic qui olim erant judices jam ne vel spectatores vel consiliarii sunt. Bilsonus dicit non esse necessariam presbyterii assistentiam vel ad consilium ut olim. *Nondum enim aliam dirigendi [illegible] rationem habebant, præterquam presbyteria sua. Postea crescente & florente Evangelio, cum Synodi cœperunt frequentius convocari, & multarum Ecclesiarum pastores, tunc literas ultrò citròque mittendo, tum conventus celebrando, de ordine & disciplina in Ecclesiis suis constituenda deliberarent, plus òtii & [illegible] à majoribus Ecclesiæ negotiis particularium locorum Presbyteris datum est, eo quod, quæ*

De gubern. c. 14. p. 356.

antea

antea presbyterorum curam requirere solerent, provincialia Concilia sibi asciscerent. Item, *Principio nec erant concilia, quæ Canones præscriberent, nec Christiani principes, qui leges ferrent, sed unusquisque locus propriæ ipsius in dirigendo prudentiæ & consilio relictus erat. Itaque ne sola Episcopi voluntas rerum omnium in Ecclesia gerendarum esset regula, administratio Ecclesiastica ita initio dispensata fuit, ut nec Presbyteris absque Episcopo suo quicquam agere nec Episcopo sine Presbyterio suo maiora negotia conficere liceret.* Similia habet Dounamus, qui dicit primis 300 à Christo annis maximè necessarium fuisse Episcopo uti consilio Presbyterorum cum Christiani nec haberent frequentes Synodos ad definiendas controversias, nec constitutiones Synodicas ad dirigendum Episcopos, nec authoritatem Magistratus ad reformandum enormitates in regimine Ecclesiæ, alioquin pro lege stetisset Episcopi voluntas, ejusque regimen expositum fuisset errori in seipso, injuriæ immedicabili in clerum & populum, obloquio & scandalo multorum: sed cum frequentius convocarentur Synodi provinciales ad definiendas controversias, injurias recognoscendas, canones condendos, quot viderentur sufficere dirigendis Episcopis, & accederet auxilium Christiani Magistratus, consilium & assistentia presbyterii non erant tantæ necessitatis, Presbyteris otium & scholasticam vacationem desiderantibus, Episcopis singulare regimen affectantibus. Sic interpretatur Ambrosii verba, vel authoris illius qui paulò vetustior erat Ambrosio. Ambrosius de Senioribus, quos ipsi vocant laicos, loquitur, ut suo loco ostendemus, non de Presbyteris tum docentibus tum regentibus. Nam non exolevisse usum Senatus Ecclesiastici diu post tempora illius authoris patet ex testimoniis quæ supra attulimus ex Hieronymo, Gregorio & aliis. Præterea Presbyteria sunt ordinarii conventus Ecclesiæ, Synodi sunt extraordinarii. Extraordinarii conventus non debent tollere ordinarios. Etiam ante annum 300 frequentiora erant concilia provincialia, non tamen sublata erant Presbyteria. Nec erat iste unicus Presbyteriorum usus, ut quoties dubium aliquod incideret, consilium præberent, sed etiam ut sua authoritate & potestate sibi tradita uterentur in corrigendis vitiis, ideo ut dixi erant judices causarum. Præterea semper occurrunt dubia, & emergunt novi casus, quibus præsenti remedio opus est præsertim hisce temporibus, cum non celebrantur Synodi Provinciales bis quotannis, ut apud veteres. Imò sæpius de jure controvertitur, & de interpretatione canonum antè conditorum in conciliis Provincialibus & Nationalibus? Præter Canones Conciliorum opus est etiam statutis particularibus pro ut poscit Ecclesiarum particularium in quaque civitate commoditas. Denique Canonum exequutio non minus necessaria est ad salutem Ecclesiæ, quàm Canonum præscriptio. *At*, inquit Bilsonus, *Cum rebera Conciliorum Canones & Christianorum*

Pag. 358.

Defens li. 1. cap. 8. p. 191 192.

cap. 14. pag. 349.

norum principum conſtitutiones moderando ac terminando eas omnes controverſias & quæſtiones, quæ in presbyteriis antea tractari ſolebant, effecerint, ut nec tanta eorum utilitas eſſet, nec tantus eis honos haberetur. Proinde ſoli Epiſcopo, nec conſciis nec conſultis Presbyteris legum omnium executionem mandarunt, majoribus Curiis minorum Decuriarum judiciis decreta ſua ſubmittere nolentibus. De canonibus conditis ad informandum Epiſcopum jam diximus, & de canonum exequutione quòd erat erat etiam penes Presbyterum. Frivolum igitur eſt quòd dicit Bilſonus maiores Curias decreta ſua minorum decuriarum judiciis ſubmittere noluiſſe. Non hoc volumus, ſed minores decurias decreta maiorum curiarum exequutas, id eſt Presbyteria Provincialium ſynodorum canones adminiſtraſſe non minus quàm Epiſcopum, alioquin ſententia Epiſcopi non erat Canonica. Poteſt Epiſcopus abripi affectibus tam in exequutione canonum, quàm eorundem præſcriptione. Monet Hieronymus etiam poſt conditos jam multos canones in Conciliis tum generalibus tum provincialibus, in commune cum Epiſcopo debere Preſbyteros regere Eccleſiam. Nam ſi antequam orirentur diſſidia communi conſilio regebant Eccleſiam, priùſquam ullus præponeretur Epiſcopus, non eſt præripienda ipſis omnis poteſtas regiminis ullo decreto aut conſuetudine Eccleſiæ, ſed propter honorem diſpoſitionis Dominicæ, qua perſe regebant Eccleſiam, in honore eos habere debent, & unà cum iis regere. An Apoſtoli ubi aderant in conſtitutis Eccleſiis, uſi ſunt Presbyterorum conſilio ad informationem, quia nondum conditi Canones, an auxilio potius & conſortio poteſtatis in adminiſtratione clavium. Largiamur jam Epiſcopos præpoſitos preſbyteris Apoſtolorum decreto; vel ita præpoſiti erant ut in communi Eccleſiam regerent, vel ut liberum eſſet Epiſcopo uti vel non uti ipſorum opera & auxilio. Si prius, ergo Apoſtolicæ inſtitutionis eſt ut in commune regant. Si poſterius, ergo Apoſtoli inſtituerunt Epiſcopum Monarcham & principem cum ſingulari regimine & poteſtate. At etiam poſt Apoſtolorum tempora Presbyteri erant judices tum in Conciliis tum in Presbyteriis. Præterea quomodo conſiſtant iſta quæ ſequuntur non video Bilſonus docens, qua occaſione Presbyteriorum poteſtas primum decrevit, dicit, *non quod Epiſcopi jura eorum uſurpaverint, aut dominium in eos arripuerint, ſed quæ anteà in ſingulis presbyteriis tractari ſolebant, tum demum in Synodis & magnis Epiſcoporum & paſtorū totius regni & provinciæ cōciliis agitari cæperunt.* Alibi tamen, *Non reprehendit, nempe Ambroſius quod Laicos Saniores à regimine Eccleſiæ depuliſſent, ſed quia fratres & conſervos, quibus aſſeſſoribus & conſiliariis in omnibus cum doctrinæ tum diſciplinæ cauſis uti ſolebant, nimia ſapientiæ affectatione à ſacris conſiliis removiſſent.* Et Dounamus dicit id eveniſſe Doctorum id eſt Epiſcoporum arrogantia & ſuperbia dum ſoli volebant aliquid videri

De gub. cap. 14. pa. 358.

Cap. 11. pa. 210.

Def l. 1. ca. 2. pag. 192.

deri

deri. Si non opus erat Presbyterorum consilio & parastasia, quia conditi tot canones, non erant, superbiæ & arrogantiæ damnandi Episcopi. Sed falsum etiam illud omnia agitata fuisse in Conciliis, quæ antea in singulis presbyteriis tractari solebant. Erat istud impossibile. Et, si verum, quid quæso relictum Episcopo, magis quàm Presbyterio. Dices executionem canonum. At canonum procuratio tractabatur etiam in Presbyterio. Vel agitabatur exequutio canonum particulariter in Conciliis vel non agitabatur. Si prius, non opus erat Episcopo, magis quam Presbyterio. Nam ibi non minus erat legum procuratio, quàm canonum præscriptio. Si posterius, tum non omnia agitata in Presbyteriis tractata sunt in conciliis: & non minus Presbyterio quàm Episcopo opus est in Canonum exequutione, ut legum exequutionem procurent, propter Episcoporum aut negligentiam, aut arrogantiam, aliosque pravos affectus. *Verum tamen*, inquit Billonus, *quò gubernationi eorum modum quendam et rationem præscriberent, ut Patriæ potestati similis cuiusmodi ab initio semper in Domo Dei fuerit, non Regiæ par esset, metu dominandi in hæreditatem Domini; Ecclesia Christi nihil Episcopo in quibusdam maioris momenti negotiis absque Synodo aut Presbyterorum suorum consensu aggredi permisit* Citat Conc. Carth. 4. c. 23. 32. Concil. Hispal. 2. can 6. deinde infert *Plura sunt huiusmodi, in quibus Episcopo sine Presbyterio suo, aut Synodo, minimè se interponere licebat, quorum alia legibus mutata sunt, alia in præsentia obtinent.* Dixit supra ex Ambrosio, quod nihil absque eorum consilio agebatur, & ex Hieronymo, quod omnia communi consilio gerebantur, jam dicit cautum esse de rebus maioris momenti. Sed cur saltem res omnes magni momenti non tractantur communi consilio & consensu presbyterii. An bonorum Ecclesiasticorum alienatio est res unica magni momenti. Idem certe obvenit presbyteriis quod Synodis. Metropolytanus Synodorum jura ut supra ostendimus, sustulit, sic presbyteriorum Episcopus, & jã progressus fit non à Presbyterio ad Synodum, sed ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Regis delegatos. Vestigia quidem non modo communis consilii, sed etiam regiminis manserunt quòd absque capitulo bona Ecclesiæ distrahere non potuit Episcopus, & *quod sede vacante custodia Episcopatus & jurium Episcopalium quodammodo refertur ad capitulum*, ut fatetur Downamus: & quod non penitus sublata sit potestas clavium à Presbyteris. *Ad nos quod attinet*, inquit Billonus, *etsi clavium potestatem omnibus Pastoribus animarum curam habentibus communem esse suo quodam gradu existimemus; ad evitandas tamen infinitas excommunicationum procellas, quæ in omnes Ecclesias parœciasque alioqui irruerent, redundarent, & intolerandus inde lis atque pugnas necessariò consecuturus, si cuivis presbytero pro arbitrio suo excommunicare liceret: Ecclesiæ Dei prudentiam in eo maxime laudamus, quòd*

De gub. cap. 14 pa. 362.

Cap. 11. pa. [illegible]

Def. li. 1. ca. 8. pa. 190.

De gub. cap. 14. p. 365.

nemini inferioris alicuius loci excommunicandi facultatem, nisi de consensu & authoritate Episcopi tribuerit. Nos nulli Presbytero singularem excomunicandi potestatem tribuimus, nec Episcopi consentum & authoritatem sufficere, sed presbyterii totius authoritate & consensu excommunicasse & in Ecclesia Apostolica & purioribus, quæ sequuta sunt, sæculis presbyteros diximus. Vnde proveniunt tot bruta excommunicationum fulmina nisi ex Episcoporum consistoriis, quæ ejaculantur ipsorum Cancellarii & officiales etiam ob rem pecuniariam & alias res levissimas. Dicit idem Bilsonus, *Non tamen omnem clavium potestatem Presbyteris ita prorsus abjudicamus, quin reis confitentibus præscribere possint, ut abstineant ad tempus à mensa Dominica; publicam verò earum administrationem, quæ in excludendo præfractos & obstinatos peccatores ab omni fidelium communione tam sacra quam civili versatur, nullo modo illis permittimus, quia hanc Ecclesia Christi semper, ac solis concessit Episcopis.* Quid metuit nuper Bilsonus, si Presbyteri habeant potestatem minoris solummodo excommunicationis, & non majoris. Nam si non possunt excommunicare excommunicatione maiori, non poterant tot excommunicationum procellæ in Ecclesias irruere. Sed ut Panicus erat terror ille, ita nec istud cuius presbytero concedimus excludere à sacra cœna pro arbitrio, sed authoritate & consensu presbyterii. Excommunicationem majorem fuisse penes Presbyterium & Senatum Ecclesiasticum non modo ex scriptura, sed etiam è patribus ut Tertulliano & aliis supra probavimus, adde & Theophilactum [illegible] inquit, ἐπὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας προέδρων δημοσιεύειν τὸ πλημμέλημα. Vni Ecclesiæ plures tribuit Antistites ceu prælatos coram quibus divulgandum peccatum, & qui ligandi & solvendi potestatem habebant. Dounamus dicit non omnem clavium potestatem ademptam esse presbyteris, *sed tantam exercent clavium potestatem per verbum & sacramenta, quanta de jure eis competit, tum ligando manifestò scandalosos & impenitentes contra eos denunciando judicia Dei in verbi prædicatione, & repellendo à sacramentis, tum solvendo fideles resipiscentes applicando gratuitas Evangelii promissiones, & addendo sacramenta ut sigilla.* Hic tantum minorem excommunicationem & quodam casu concedit Presbyteris, non autem maiorem in consistorio. An Christus aliis tradidit potestatem excommunicationis maioris, aliis minoris, aliis in peccata manifesta, aliis in peccata non manifesta. Sed quid si & in minori excommunicatione fallat nos Dounamus. *Extat quidem in Rubrica Leiturgiæ Anglicanæ canon quidam, quo pastori permittitur notorios arcere,* nempe à Cœna Dominica, *sed in deterius jam praxis Ecclesiæ nostræ prolapsa est, & eluditur hic Canon interpretamento Canonistarum, qui nullos pro notoriis à pastore habendos dicunt, nisi qui antea in foro Cathedralis Ecclesiæ pro notoriis condemnati sunt: quod coincidit cum hac sententia Whitgiftiana omnis quanquam notoriè cognitos in Ecclesia*

Cap. 14. pa. 366.

in Matt. 18.

Defens. li. 1. cap. 2. pag. [illegible]

Parkerus de Polit. l. 3. ca. 28. pa. 169.

Ecclesia esse, si ad sacramenta accedere velint, donec excommunicatione separentur. Bene est tamen, quod illud minutulum concedunt presbyteris ore tenus, nam vestigium est authoritatis & potestatis clavium, quam integram habuerunt. *In aliis,* inquit Durandus, *non est nisi derivata & limitata potestas prout Papæ placet inter quos gradum infimum tenent simplices sacerdotes, quibus de jure, cujus papa est conditor, aut nulla jurisdictio competit aut minima, ut excommunicare pro furtis notoriis: & hoc in modici in locis, ubi hoc de consuetudine obtinent.* Qui excommunicare possunt pro furtis notoriis, & pro aliis criminibus excommunicare possunt. Non enim distinxerunt veteres inter furta & alia peccata, multo minus Apostoli, aut Christus cum traderet claves, qui dixit quæcunque ligaveritis, non quæ furta ligaveritis. Et istud quod dicit Durandus vestigium est potestatis clavium quæ erat olim penes Presbyteros. Alexander 3 Florentino Episcopo. *Cum ab Ecclesiarum prælatis Ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet & firma consistere, & usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari. Quapropter mandamus, quatenus si quando Plebanus sancti P. in clericos vel laicos parœcianos suos interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari, & eam sine congrua satisfactione, atque ejusdem plebani conscientia non relaxes.* Hîc videmus Paroches & Plebanos in Laicos & Clericos Parochianos interdicti excommunicationisque sententiam ferre posse. Filesacus in commentario in Titulum istum, *Glossa in caput hoc nos docet prælatos, quo nomine etiam Parochi censentur, ex omnium consensu excommunicare posse.* Idem Alexander 3 Lingon. Episcopo scribit de eo qui furtivè ordinem Diaconatus suscepit, *si non fuit à te, vel ab aliquo Archidiaconorum aut Prælatorum tuorum sub Anathematis interminatione prohibitus &c.* Inde colligit Filesacus, *Parochi sub anathematis interminatione prohibere possunt eum qui furtivè ordinem suscepit, ne in suscepto ordine ministret.* In capitulis Caroli Magni & Ludovici imp. sic statuitur. *Placuit, ut fideles ne parvipendant excommunicationem sacerdotum illorum: quoniam si hoc fecerint, juste segregabuntur à cœtu Christianorum.* Filesacus, hîc apertius etiam *Sacerdotes inferioris ordinis sub ipsis Episcopis, quos Parochos dicimus, excommunicandi facultatem habere significatur.* In iisdem capitulis statutum, *Ut excommunicatus à Sacerdote, quandiu est in ipsa excommunicatione, maiores natu vel Episcopos accusare non præsumat. Quod si præsumpserit, non recipiatur sed aut maiori excommunicationi subjaceat aut ab Ecclesia pellatur.* Filesacus, *Non dubium est ex iis verbis Sacerdotes indicari alios ab Episcopis, & illos non alios existere quàm Parochos.* In Concilio Nannetensi statutum, ut Episcopi in omnibus conventibus, reliqui sacerdotes in Ecclesiis incestuosa contrahi matrimonia publicè prohiberent, eos quoque excommunicationi subjicerent, quicunque

In 4 sentent. dist. 24. qu. 5.

L. 1. decret. Titul de officio ordinar. cap. 3.

Pag 123.

Decretal. l 5. tit 30 ca. 1.

Page 123.

Li. 6. c. 224.

Page 124.

Li. 7. c. 128.

Pag. 124.

Epistol 65.

que post præsentis Synodi actionem inirent incestarum fœdera
Pag. 125. nuptiarum ut memorat Hildebertus Turonensis Archiepiscopus.
Filesacus, *Nemo sanus negaverit reliquos illos sacerdotes, quos nominat Paræcos intelligendos. Odo Parisiensis Episcopus*, inquit idem Filesa-
Pag. 125. cus, *in Synodicis constitutionibus ante annos 400 Capitulo de matrimonio, admonens Paræcos, habet. Prohibeant (Paræci) firmiter laicis per excommunicationem sacrilegis fieri. Prohibeat Sacerdos in Ecclesia, publicè sub excommunicatione, ne aliter conjugum transeat ad religionem, aut recipiatur, nisi per Episcopum. Capitulo de communibus præceptis Synodalibus numero 37 prohibeant Sacerdotes per excommunicationem & maximè tempore vindemiarum singulis diebus dominicis, ne aliquis Christianus retineat apud se marcham vindemiarum, quem Iudæi calcant aliquo modo propter illam horribilem immunditiam, quam in contemptum sacramenti Altaris faciunt, & si remanserit, detur porcis vel expendant ad opus pro fimo. Numero 30 prohibeant per excommunicationem sæpe, ne Carnifices permittant Iudæos laniare carnes suas, nisi totum detineant Iudæi. Numero 41. Sacerdotes sub pœna excommunicationis inhibeant Parochianis suis, ne ignotos concionatores audiant, propter pericula hæreseum & errorum, quos seminant.* Item, *Et quidem si ex sententia*
Pa. 127. *B. Thomæ à jure Parochis concessum est ob furtum, rapinam, & similes casus excommunicationem proferre, non sine causæ cognitione id fiet. Qui excommunicationem non nisi a iudicibus ferri dicunt, quidni parochos etiam Iudices existere credent. Nam titulus, quem nos interpretandum suscepimus, De officio judici Ordinarii, cum parochos complectatur, ut omnes concedunt, etiam juridicam potestatem innuit.* Objectioni, quòd excommunicatio propriè prælatorum est & ad jurisdictionem spectat, Parochis nec Prælatorum nomen nec jurisdictio competit, respondet. *Parochos ipsos prælatos appellare tam vulgare est, & toties repetitum in iure Canonico, ut nulla ratione hæc impropria appellatio censeri debeat. Capite isto id manifestum, ubi disertè Prælati vocantur ipsi Parochi, & in eam rem Parochi ceu Plebani S. Pancratii mentio fit. Et apud Bernardum Papiensem inscriptio est, de officio & Prælati & iudicis ordinarii. Et lib. 5 decretal. tit. 30 de eo qui furtiue ord. susc. cap. 1. ex Epistola Alexandri tertii ad Lingonensem Episcopum, memorat prælatos & ipsi Episcopo subjectos, qui nulli alii sunt nisi Abbates, Parochi & similes, & textus id demonstrat facilè. Eodem libro sequitur, Tit. 31 de excessibus Prælatorum quo nomine etiam Parochos comprehendi nemo etiam sanus negabit, & postrema capita satis iudicant, ac cap. 7. quòd repetitur ex Concil. Lateranens. sub Alexandrio 3 part. 1 cap. 4 & Lateranensi sub Innocentio 3. c. 33. ubi Decani rusticani, dum legitimum visitandarum Ecclesiarum sibi commissarum modum accipiunt, Prælatorum numero habentur. At ii Parochi. Lib. 3. decret. tit. 6 de Clerico ægrotante c. 4 prælationis officium nominatur, onus regendæ parœciæ. Glossa locis permultis, seu hoc ipso capite seu titul. de excessibus Prælat.*

ceu

seu 1 quæst.6. Nemo, verbo, Excommunicet, & aliis supra. Quod ad jurisdictionem attinet, addunt & causæ cognitionem, quæ cum illa conjuncta est. Glossa in illo verbo excommunicet, de qua nunc dictum, & de excessibus prælat.c.2. Iurisdictionem Parochis ipsis attribuit, & causæ cognitionem, non tamen talem qualem habet Episcopus. Causæ cognitionem colligit ex dicto loco Aquinatis in additione 3 partis q.22. artic.1. Vidimus igitur sæculis recentioribus, & sub Antichristo regnante Parochos excommunicare potuisse *licet non illo solenni ritu de quo 11 q.3.c. Debent, & Burchardus lib. 11 copiose.* Sed si ad puriora ascenderimus sæcula, deprehendemus ex ante dictis excommunicationē maxime solennem prolatam non nisi authoritate & consensu Presbyterii. Sed cum solennitates nihil addunt aut mutant essentiale, fatetur quod Parochis etiam corruptissimis sæculis essentialia excommunicationis permittebantur. Imo nimium erat, quod ipsis permissum, nempe ut absque ullius presbyterii aut Senatus Ecclesiastici authoritate & consensu excommunicare poterant: quod nos nec in Episcopo nec Parocho, nec prælato maiori nec minori ferre possumus. Vidimus supra Spalatensem asserentem potestaté excommunicandi non esse diversam ab ea quæ per claves exercetur in foro pœnitentiali & pœnitentiam secretissimam eandem esse penitus, quæ erat illa maxime publica, quam nostri moderni solennem vocant. Atque hanc secretam nunquam negarunt presbyteris. Denique Presbyteros potuisse reconciliare publice pœnitentes ipse Dounamus non negat, ut supra ostendimus. Atque hæc de potestate jurisdictionis. *Pag.126. Li.5. cap. 9. num. 2. Li.5. cap. 2. num. 48.*

Cum itaque presbytero competat utraque potestas & ordinis & jurisdictionis, non sunt Episcopus & Presbyter diversi ordinis & gradus ministerii. Spalatensis ad potestatem ordinis reducit actus, qui licet externi sint & visibiles, internum tamen effectum, & qui pertingat in animam, moliuntur. Potestatem jurisdictionis ponit in illis actibus Ecclesiasticis externis, in quibus Ecclesia externum etiam principaliter & directè intendit effectum. *Potestas vera & propria essentialis Ecclesiastica est tota spiritualis, & spiritualem solum ac internum effectum operatur quam ego propriè voco potestatem ordinis ceu ministerialem. Huic vero accessoria est potestas circa externa Ecclesiæ, ut circa ritus divini cultus, circa errantium correptiones & exclusiones, circa temporalium rectam administrationem, circa ministrorum electiones ac deputationes & similia, quæ per se & directè pacem Ecclesiæ, decorum, purgationem, debitumque in ea ordinem respiciunt, omnia tamen ad finem spiritualem, ut Deus rite colatur &c.* Dicit utramque potestatem, sive ordinis & jurisdictionis, directè & immediatè fluere ab ipso ordine, & dato ordine dari simul cum ordine sacro omnem sacram & Ecclesiasticam potestatem, quæ sit Ecclesiæ propria, sive illam voces ordinis sive jurisdictionis, ineptèque separari po- *Li.5. cap. 3. num. 5.*

testatem jurisdictionis quamcunque velis intelligere, modo sit propriè Ecclesiastica, *hoc est spiritualis sive ad spiritualia perse & essentialiter data*. Recedit à recepta explicatione Scholasticorum in distinguenda potestate ordinis & jurisdictionis. Sed annon cui potestas essentialis verè & proprie Ecclesiastica convenit, convenit etiam accessoria. Nonne absurdum est existimare Presbyteros idoneos esse ad actus spirituales & sacros, ad actus autem regiminis merè externi omnino ineptos esse.
Li. 5. cap. 3. num. 10. *Si regimen externum gubernativum & ministrorum ordinationem excipias, possunt vi sui ordinis Presbyteralis quicquid possunt Episcopi, etiam certarum rerum & personarum benedictiones & consecrationes & hoc sane jure divino, & ut dixi ex vi sui ordinis. Legitimè Ecclesiastica sunt Episcopis aliqua reservata*, inquit Spalatensis Ordinationem etiam esse reservatã lege Ecclesiastica non jure divino ostendimus, & cum potestaté jurisdictionis manare dicat à potestate ordinis, cur externum regimen gubernativũ negatis, quibus quod principale est concessit. Nam accessoriũ debet sequi principale Dicit idẽ
Lib 5. ca. 12. num. 28. *quod claves omnibus æque Apostolis sunt datæ, & non soli Petro: & ab Apostolis, ad omnes Episcopos & Presbyteros ex æquo transfierunt*. Et an alio atque alio modo transfierunt, alio ad Episcopos alio ad presbyteros, vel alio ad presbyteros, quã quo Apostolis traditę sunt. Non tamen tam iniquus est Spalatensis in commune regimen. Nam fatetur non decere Episcopos sine suis Presbyteris suas Ecclesias præsertim in gravioribus negotiis gubernare & quandoquidem jure divino sunt in ministeriis essentialibus Episcopi collegę & socii, adhuc communi consilio & labore in res Ecclesiasticas debere incumbere. Quid? an adhuc? etiam post tot canonum & constitutionum congestam farraginem. Facessant igitur alii Hierarchici cum canonum suorum prætextu.

Parænes. ca. 10. *Ecquis nescit*, inquit Tilenus, *Aerium discrimen hoc abolere conantem inter hæreticos ab Augustino relatum esse*. Addat & Epiphanium, quem sequuti sunt Augustinus & Philaster. Sed non erat hæreticus Aerius, licet ita judicaverit vel Augustinus vel Epiphanius.
In Chronograph. Argumenta Aerii, quem Theodorus Bibliander dicit fuisse virum doctissimum, plura fortè erant, quàm quæ refellenda selegit sibi Epiphanius. Aerea certe contra Aerium Epiphanii responsiones, quas singulas suis locis supra examinavimus. Epiphanius omnium primus qui Aerium inter hæreticos retulit, sua authoritate privata & nulla synodo damnatum. Epiphanii ingenium dignosci potest ex ipsius concertationibus cum Chrysostomo, & usurpata Diaconorum ordinatione in aliena Diœcesi, & altercatione cum Eudoxia Augusta pro & contra Monachos Origenistas. Adeat lector
Socrat. lib. 6. cap. 11. Sozom. li. 8. cap. 15. Socratem & Sozomenum. Nec tanti faciendum eorum judicium, qui Aerium etiam hæreticorum albo inscripserunt, quia mortuos non invocandos, pro mortuis non offerendum vel orandum, certos

jejunio.

jejuniorum dies non statuendos esse contendebat. Et si secessionem fecit, ut dicitur, ob has & multas alias corruptelas in Ecclesiam irrepentes, & *invalescentem* Episcoporum arrogantiam jura Presbyterorum & Ecclesiæ usurpantium, & dominationem affectantium, plerisque in locis, id fecisse probabile est. Quod Arrianus fuerat, verisimile non est, Quis enim infensior hostis Aerio, quàm Eustathius ipsius Episcopus Arrianus. Solus Epiphanius Aerio Arrianismum impingit, & qui post idem ex Epiphanio desumpserunt. Theodoretus, Socrates, Euagrius, Sozomenus nihil tale memoravit. *Sensit sine cum Aerio Hieronymus, quo minus curandum est toties nobis objici Aerium ab insulsis hominibus. Si fuit in hac re hæreticus Aerius socium hæreseos Hieronymum habuit, nec illum modo sed alios etiam veteres Patres græcos pariter & latinos, quemadmodum Medina confitetur. Non differre iure atque authoritate divina Presbyterum ab Episcopo Aerius sensit; hoc ipsum Hieronymus contendit, iisdemque Scripturarum testimoniis defendit quibus Aerius. Quàm autem de illis testimoniis inepte ac pueriliter Epiphanius responderit, omnes videre possunt.* Saravia Hieronymi opinionem cum Aerio consentaneam fuisse fatetur. *Quod Epiphanius inter hæreses hanc Episcoporum distinctionem annumeravisset erat privati hominis sententia, nec mala: Nam etiam Augustinus ei subscripsit: non tamen erat publica Ecclesiæ definitio.* Et *sicut Hieronymus recentissimum Epiphanii adhuc viventis librum de hæresibus legebat, in hac tamen Episcoporum & Presbyterorum paritate ab Epiphanio damnata dissentiebat, & Epiphanium immerito inter hæreses eam paritatem posuisse putabat*, ait Spalatensis. *Michael Medina*, inquit Bellarminus, *in lib. 1. de sacrorum hominum origine & continentia cap. 5. affirmat S. Hieronymum idem omnino cum Aerianis sensisse neque solum Hieronymum in ea hæresi fuisse, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum Theodoretum, Oecumenium, & Theophilactum. Atque ita*, inquit Medina, *isti viri alioqui sanctissimi, & sanctarum scripturarum consultissimi, quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo in Iohanne Wiclefo, damnavit Ecclesia.* Et infra. *Ergo in Hieronymo, & Græcis illis patribus olim propter eorum honorem, & reverentiam hæc sententia aut dissimulabatur aut tolerabatur in illis: contra in hæreticis, quod in aliis quoque multis ab Ecclesia declinarent, tanquam hæretica semper est damnata.* Refert Petrus Suavis in Historia Concilii Tridentini, cum adductus esset celebris locus Hieronymi & authoritas Augustini agnoscentium Episcopatum esse Ecclesiasticam constitutionem quod Michael Medina responderit, *non esse mirandum, si Hieronymus, Augustinus & si quis alius e patribus in eam hæresin incurrisset, re non satis usquequaque clara.* *Commovit haud parum auditores eius dicti audacia, quod Hieronymus & Augustinus hæretice sensissent. Verum doctor ille opinionis suæ hoc ipso retinentior, pro viribus eam*

Whitak. con. 4 qu. 1. cap. 3 sect. 30.

De gradib. cap. 23.

Spal. lib. 2. cap 3. nu. 47

De Cleric. cap. 15.

P. 664. edit. Francofurt.

sustentabat. Possem & alios plures citare qui Hieronymum & alios Patres cum Aerio consensisse contendunt. Cum Richardus Bancroftus, qui tandem ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectus est, pro concione habita Londini ad Crucem quam Pauli vocant anno 1588 9 Februarii, dum celebrarentur comitia ordinum regni, dixisset Aerium damnatum fuisse hæreseos universæ Ecclesiæ consensu, quod asseruisset jure divino nullam esse differentiam inter Episcopum & Presbyterum, & Puritanos in Aerio ab Ecclesia damnatos fuisse, rogatus per literas vir clarissimus Iohannes Raynoldus à viro illustrissimo Francisco Knollio, qui erat Reginæ à consiliis, ut de Bancrofti assertione sententiam ederet, rescripsit; Bellarminum Iesuitã agnoscentem infirmitatem responsionis Epiphanii ad argumentum Aerii producit. Probat ex Hieronymo aliisque scriptoribus qui Epiphanii contemporanei, aut post Epiphanium floruerunt. Augustinum existimasse assertionem istam Presbyterum, ab Episcopo nulla differentia debere discerni fuisse hæreticam, tantùm ut reperit relatam ab Epiphanio, cum ipse nesciret quousque hæreseos nomen extendendum esset, ut testatur in præfatione de hæresibus ad quodvult deum. Sed quod jure divino nulla sit inter Episcopum & Presbyterum differentia ipsum Augustinum reipsa dicere Epist. 19. Iuellum etiam contra Hardingum idem quod Bancroftus asserentem citat allegantem Chrysostomum Augustinum, Hieronymum, Ambrosium. Addit ex Michaele Medina, Theodoretum, Primasium, Sedulium, Theophylactum. Addit ipse Oecumenium in 1 Tim. 3. Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum in Epist. ad Titum & alium Anselmum. Collect. can. lib. 7 ca. 87 & 127. Gregorium P. & Gratianum dist. 39 & 95 & glossam in distinctiones illas. *Quibus addi potest*, inquit, *quod qui hos annos 500 navarunt operam in reformanda Ecclesia docuerunt, quod omnes pastores, sive Episcopi sive Presbyteri dicti, parem habent ex verbo Dei authoritatem & potestatem. Primo Waldenses,* Æneas Sylvius hist. Bohem cap. 35. & Pigh. Hierarch. Eccles. lib. 2. cap. 15 *deinde Marsilius Patavinus* (defens. pac. part. 2. cap. 15.) *Wiclefus & eius discipuli*, Thomas Waldensis doct. fidei Tom. 1 lib. 2 cap. 60 & Tom. 2. cap. 7 *Postea Hussus & Hussitæ*, Æneas Sylvius loco citato *Lutherus* adversus falsò nominat. ordin. epist. & adversus papat Rom. *Calvinus* (in Epist ad Philip. 1 & Tit. 1 *Brentius*, Apologia confessionis Wittenberg. cap. 21.) *Bullingerus* Decad 5. serm. 3 *Musculus* loc. com. titul. de Minister. *& alii qui maiore numero recenseri possunt apud nos tum Episcopi*, Iuellus loco citato & Pilkingtonus in tractatu de incendio Paulinæ Basilicæ, *tum professores Regii in Academiis nostris*, D. Humfredus in Campianum & Duræum Iesuitas par. 2. ratio 3 & D. Whitakerus ad rat. Campiani rat. 6 & confutatio Duræi Iesuitæ lib. 6 *aliique viri docti*, Bradfordus, Lambertus,

Cont. 5. li. 1. cap. 15.

tus, & alii de quibus Foxus in actis & monument. D. Fulko contr. Bristoi motivo 40 & contra Rhemistas Tit. 1.5 *in eo consentiunt, & apud exteras nationes, omnes quos legi, qui illud tractant argumentum, & absque dubio plures alii, quos nondum legi.* Et infrà subjicit communem sententiam reformatarum Ecclesiarum in Helvetia, Sabaudia Gallia, Germania, Belgio, Hungaria, Polonia. Puto ego Aerium hæc tria asseruisse. Primùm, nullam esse jure divino differentiam inter Episcopum & Presbyterum, quamobrem adduxit argumentum è scripturis Philip. 1. 2 Presbyterum ab Episcopo nulla differentia discerni debere nempe jure Ecclesiastico, id est Ecclesiam non posse constituere ullam essentialem differentiam inter Episcopum & Presbyterum; 3 nullam de facto hactenus ipsius ætate introductam differentiam essentialem Quod ad primum idem sensit Augustinus ipse cum scriberet ista, *Quamquam secundum honorum vocabula quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit Episcopatus Presbyterio maior sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Dicit Episcopatum esse honorem majorem Presbyteratu, & vocabulum honoris maioris quàm Presbyteratus ex usu Ecclesiæ, Non dicit se nudo Episcopi vocabulo Hieronymo maiorem esse, Ecclesiæ consuetudine. Nam hoc leve esset ad captandam Hieronymi benevolentiam, Dicit ergo etsi quatenus Episcopus sit adeptus majorem honorem ex usu jam obtinente in Ecclesia quàm Hieronymus quatenus est Presbyter, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est & inferior. Secundum retulit inter hæreses, quia ab Epiphanio ita relatum interpretatur non quod ipse determinaret esse hæresin. Nam fatetur se nescire quousque extendenda sit definitio hæreseos. Enumerat hæreses quas ab aliis scriptoribus notatas reperit, quibus tamen singulis definitionem hæreseos non applicat. Et certè si jure divino inter Episcopum & Presbyterum nulla sit differentia non est hæresis asserere nullam debere esse inter Episcopum & Presbyterum differentiam essentialem. Non enim jure potest Ecclesia mutare illud quod est de jure devino, imò ne Apostoli ipsi, ut supra diximus Quod ad tertium, id etiam tuebatur Aerius, ut patet ex argumentis quæ ducit à re præsenti & facto Ecclesiæ. *Imponit manus Episcopus, imponit & Presbyter. Sedet Episcopus in throno, sedet & Presbyter,* inquit Aerius, & hæc negare non potuit Epiphanius. Et procul dubio si exstarent scripta Aerii, pleniorem accepissemus enumerationem eorum quæ communia erant sua ætate Episcopis & Presbyteris etiam jure Ecclesiastico, & quæ protulit contra Episcopos maiorem affectantes potestatem quam quæ ipsis jure divino vel Ecclesiastico competebat, inter quos ipsius Episcopus Eustathius Sebastiensis Monachorum in Armenia auctor Aerii hostis infensus non minus quàm Epiphanius ex Monacho creatus Episcopus.

Epist. 19.

De

De Waldensibus & Albigensibus eorumque propagine Pauperibus de Lugduno, Rainerius Pisanus qui annum circa 1250 scripsit in hunc modum. *Inter omnes sectas, quæ sunt vel fuerunt, non est perniciosior, quam pauperum de Lugduno, tribus de causis. Prima, quia diuturnior: quidam dicunt quod duraverit à tempore Sylvestri: alii dicunt quòd à tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior, fere enim nulla est terra in qua hæc secta non serpat. Tertia, quòd omnes aliæ cum immanitate blasphemiarum in Deum horrorem inducant, hæc Leonistarum magnam habens speciem pietatis, eò quod coram hominibus iuste vivunt, & bene omnia de Deo credant, & omnes Articulos qui in symbolo continentur, solam Romanam Ecclesiam blasphemant, & oderunt.* Iacobus De Riberia in suis de Tolosa collectaneis ait fuisse doctrina & eruditione præcellentissimos, & Sacerdotes Waldensibus ingenio pares non fuisse. Vidit & audivit rusticum idiotam Rainerius, qui recitaret Iobum de verbo ad verbum, *& plures alios qui novum testamentum sciverunt perfecte.* Waldenses isti eorumque soboles docuerunt unum eundemque esse Presbyterum & Episcopū ut supra audivimus ex Thoma Waldensi: & gradus ministrorum esse imaginem bestiæ quæ describitur in Apocalypsi, ut refert Vsserius, & tamen Rainerius dicit sectam istam, (sic loquitur adversarius) latè & per omnes ferè regiones diffusam perdurasse, à temporibus Apostolorum ut volunt quidam. Michael Cesennas Minoritarum generalis, qui ante annos 230 floruit, & à Papa Iohanne 22 damnatus, & propria bulla & excommunicatus, asseruit, *Sacerdotes omnes cuiuscunque gradus existunt, esse æqualis authoritatis, potestatis & iurisdictionis ex institutione Christi*, ut refert Antoninus Florentinus in summa parte quarta. Idem tutatus est Petrus de Corbaria. Iohannes de Vesalia Wormatiensis, omnes Episcopos & presbyteros pares esse dixit. Vide Goldastum in Monarchia imperii. Videmus igitur in ipsis tenebris Cimmeriis & sub adulto Antichristo affulsisse hanc lucem non paucis. Recentiorum testimonia quid memorem, cum cuiuis obvia sunt pene innumera. *Convenit inter omnes*, inquit Cassander, *olim Apostolorum ætate inter Episcopos & Presbyteros discrimen nullum fuisse.* Et post Apostolorum tempora Episcopum iure Ecclesiastico cognovimus fuisse tantum Archipresbyterum, dum communi presbyterorum & Episcopi consilio, auxilio, & consensu gerebantur omnia, licet quidam affectabant singularem potestatem. Excluso Senatu Ecclesiæ à communi regimine mansisse tamen vestigia communis regiminis in Capitulo, & potestatis clavium in Parochis ceu Prælatis minoribus etiam in Ecclesia corrupta. Inter purioris autem doctrinæ & reformationis vindices semper agnitam Presbyterorum plenam & legimam potestatem etiam sæculis corruptissimis.

Catal. test. veritat. li. 15 pa. 1509.
Mornæ hist Papat. in 8. pag. 731.
pag 732.
pag. 733.
Quest. ca. 8. pag 257.
Catal. testi. verit. li. 18. pag. 1793.
Tom. 1.
Consult. art. 14.

De Epiſcopi poteſtate extenſiva.

SVblata Epiſcopi principis poteſtate intenſiva, tollitur extenſiva. Non enim poteſt extendere poteſtatem in plures Eccleſias, qui non habet in unam. De extenſiva tamen Epiſcopi poteſtate pauca pro ratione inſtituti hujus operis dicturus ſum. Eccleſiæ vox in ſacra Scriptura nunquam uſurpatur ad denotandam Nationis, Provinciæ, aut Diœceſeos fideles & Chriſtianos, ut jam uſurpatur cum dicimus, Eccleſia Gallicana, Anglicana, Scoticana. Non eſt iſta phraſis dictata à ſpiritu ſancto in ſcripturis. Poſſumus quidem ita dicere, ſi eo aut ſimili ſenſu, quo Eccleſiam univerſalem & Catholicam dicimus. Sed cum de Eccleſia particulari & propriè viſibili loquimur, non pro numero fidelium Nationis, Provinciæ, aut Diœceſeos uſurpatur, ſed pro numero fidelium in cultu divino & diſciplina communicantium. Legimus quidem Act. 7. 38 Eccleſiam Iudæorum numero ſingulari, ſed loquitur ibi Stephanus de natione Iudæorum quæ erat in deſerto, & tunc temporis unà congregati erant, & caſtrametabantur circa arcam. Imò cum pervenerunt in terrã Canaan, communicarunt ſimul in cultu divino tribus præcipue feſtis, quibus tenebantur aſcendere ad templum locum communem cultus publici. Et extra illa ſtata tempora, ſacerdotes & Levitæ miniſtrabant in templo non pro civitate Hieroſolymorum ſolummodò, ſed etiam pro tota gente, aſcenderuntque pii ad ſacrificia & cultum divinum, prout vel lege tenebantur, vel devotione impellebantur. Habuit civitas illa plures ſynagogas, ſed templum commune erat omnibus regionem incolentibus. Non ita vult coli Chriſtus in Eccleſia Chriſtiana, aut in ulla Natione, Provincia aut Diœceſi erigi locum communem publici cultus, in quo communicent fideles. Cum de ipſis Iudæis Chriſtianis loquitur Paulus, non dicit Eccleſia Iudæorum, vel Iudaica, ſed in plurali numero, Eccleſiæ Iudææ Galat. 1. 22 Eccleſiæ per Iudæam Act. 9. 31 ſic de aliis ſcriptura ut Eccleſiæ Galatiæ, Galat. 1. 2 1 Cor. 16. 1, Eccleſiæ Aſiæ 1 Cor. 16. 19, Eccleſiæ Macedonum 2 Cor 8. 1 Eccleſiæ Syriæ & Ciliciæ, Act. 15. 41 Eccleſiæ per Galilæam & Samariam Act. 9. 31. Et cum de Eccleſia particulari loquitur ſcriptura ſæpius etiam utitur præpoſitione ἐν ad denotandum locum illum particularem, ubi communicarunt memora unius Eccleſiæ, qui locus nec Provincia nec Diœceſis fuit, ut Eccleſia ἐν ἱεροσολύμοις Act 8 1 Act. 11 22 ἐν κορίνθῳ 1 Cor. 1. 2 2 Cor. 1. 1 ἐν Ἀντιοχείᾳ Act. 13. 1 ἐν περγάμῳ Apoc. 2. 12 ἐν θυατείροις Apoc. 2. 18 ἐν σάρδεσιν Apoc. 3. 1 ἐν φιλαδελφείᾳ Apoc. 3. 7. Non igitur porrigebantur Eccleſiæ per integras Diœceſes aut Provincias Apoſtolorum ſæculo. Inepta enim fuiſſet locutio, ſi Eccleſiæ erant

Def.l. 2. ca. 3. pag. 55. Diœcesanæ. Quis enim diceret Diœcesanam Ecclesiam esse in aliqua civitate, ut Antiochiæ, Londini, Eboraci.. Quidni, inquit Dounamus, ut anima dicitur habitare in capite, licet sit in toto corpore. Anima potest dici esse in capite, licet sit in reliquo corpore, quia est quiddam indivisibile & tota est in qualibet parte. Non est quid quantitativum, cujus pars una extra aliam. Non possunt fideles totius Diœceseos esse in civitate. Si fideles non possunt, Ecclesia Diœceseos dici non potest esse in civitate. Nam quid est Ecclesia nisi quid aggregativum multorum fidelium. Si Ecclesia est anima, civitas caput, quod nam erit corpus diversum ab anima. Cum igitur scriptura dicit Ecclesiam fuisse in civitate Hierosolymitana, Antiochena, Thyatirensi, Corinthiaca &c. perspicuum est Ecclesias particulares jurisdictione ordinaria & disciplinæ potestate instructas non fuisse Diœcesanas aut Provinciales. Tam exiguus erat in primis initiis fidelium numerus Ecclesiarum particularium etiam in amplis civitatibus, ut facilimè & commodè potuerint ἐπὶ τὸ αὐτὸ & in unum cœtum coire & in divino cultu communicare, Act. 2. 44. 46, Act. 5. 12. Act, 21. 22, 1 Cor. 5. 4, 1 Cor. 11, 17, 18, 20, 23 &c. Nec certis judiciis demonstrari posse puto Apostolorum ævo adeo crevisse fidelium numerum, ut non potuerint in unum locum & ἐπὶ τὸ αὐτὸ congregari. Sed largiamur propter numerum auctiorem pluribus in locis convenisse, nec potuisse in unum cœtum coire, tamen fatentur adversarii, non fuisse distinctos cœtus aut ut nos vulgari significato dicimus, parœcias Apostolorum sæculo, sed promiscuè in variis conventibus coiisse, & Presbyteros in promiscuo ministrasse & docuisse. Quandiu tamen numerus fidelium in quaque civitate non divisus erat in fixas, certas, & statas congregationes, licet indistinctè plures agitarent in una civitate conventus, numerus ille Ecclesiæ non Ecclesiarum nomine indigitatur. Vt Amstelredamensen Ecclesiam non Ecclesias dicimus, quia promiscuè concionantur pastores, & promiscuè in isto vel illo templo fideles coeunt. Sic dum scriberetur Apocalypsis, Ecclesiæ patticulares Ephesina, Thyatirensis, Laodicena, non dicuntur Ecclesiæ in plurali, sed Ecclesia in singulari licet ipsi conjiciant plures sed promiscuos fuisse in illis civitatibus conventus, dum scriberet Iohannes. Nam ut appositè Baynesius, aliud est, cum pascuntur oves in communi pascuo, licet non idem individuum gramen depascunt, aliud cum in diversis & distinctis pascuis. Præterea non solum promiscuè docebant presbyteri, sed etiam in commune regebant Ecclesiam quæ ipsorum curæ commendatæ erat, ut dixit Hieronymus, & proinde in commune Ecclesiam regere debent. Dicit Dounamus non sequi; presbyteros in commune toti gregi attentiorem operam dedisse, priusquam Ecclesiæ conventus promiscui in statas congregationes

In Conc. prope finem.

gationes

gationes digererētur & Presbyteri separatis parœciis affixi, sed postquam suis titulis assignati essent singuli singulis, Episcopum & Presbyteros quos apud se retinuit, quorumque consilio utebatur, regimen & curam omnium in se suscepisse. Sed quo jure. Num Apostolico. At ipse Dounamus fatetur Apostolorum ævo non divisam fuisse Ecclesiam unius civitatis in plures & distinctas congregationes ceu Parœcias. Excipit alicubi Ecclesiam Alexandrinam, quia dicit Eusebius Marcum Alexandriæ constituisse Ecclesias. Non dicit sibi certò constare Eusebius, tantùm, *aiunt* inquit Marcum primum in Ægyptum missum, primumque Ecclesias Alexandriæ constituisse. Præterea firmat suam conjecturam erronea Philonis interpretatione, qui de Essenis non Christianis loquitur, quam Eusebii hallucinationem observavit Iosephus Scaliger in elencho trihæresii, ut supra diximus. videat etiam lector, quæ supra notavimus de Eusebio & Marco. Præterea cum de distinctis in Ecclesia Alexandrina parœciis citat Epiphanium hæres. 69. Dounamus, dicit ante Constantini ætatem divisas fuisse. Nicetas Choniates distinctas parœcias Alexandriæ memorans non ad Marcum aut Apostolorum tempora ascendit, & quæ refert ex Epiphanio desumpsisse ait Filesacus. Nicephorus dicit tantum ex consuetudine antiqua unum præesse omnibus Presbyteris in Alexandrina Ecclesia Episcopum, Presbyteros autem ipsos suas regere Ecclesias & populum in eis congregatum docere, ut observat idem Filesacus. Duarenus dicit in singulis civitatibus fuisse Presbyterorum collegium quoddam, cui præerat Episcopus, in quorum locum successisse videntur Canonici. *Nondum enim Presbyteri separatas habebant Ecclesias, in quibus docerent & sacramenta administrarent. Quòd vel Sozomenus demonstrat, cum ait consuetudinem fuisse in Alexandria tempore suo, ut uno existente super omnes Episcopo Presbyteri seorsim Ecclesias obtinerent, & populus in eis collectus solemniter celebrarent, tripart. hist. lib.* 1 *cap.* 19. Ipsius Sozomeni verba sunt ista. *Arius mittit legatos ad Paulinum Episcopum Cyri & Eusebium cognomento Pamphium Ecclesiam Cæsareæ Palestinæ gubernantem & Patrophilum Episcopum Schythopolis, petitque ut potestas sibi utpote gradum Presbyteri antè adepto, unà cum suis permittatur populum sibi faventem ad conventus vocandi Nam consuetudinem fuisse Alexandriæ, sicut nunc est, ut licet unus omnibus præesset Episcopus, Presbyteri tamen separatim Ecclesias retinerent, populumque sibi commissum ad conventus cogerent.* Ait consuetudinem fuisse Alexandriæ, non Marci institutum. Cum igitur nulla sit ista exceptio Dounami manet firmum quod sæpius alibi dicit, non fuisse Ecclesias civitatum Apostolorum ævo divisas in distinctas Parœcias easque uni matrici & Cathedrali subordinatas. Dicunt quidam Euaristum anno Christi centesimo titulos id est Parœcias in urbe Roma Presbyteris divisisse. Onuphrius

Def. li. 2. *pa.* 124.
Hist. lib. 2. *cap.* 16.
Pag. 126.
Pag. 119. 125. 526.
Def. lib. 2. *pag.* 35.
Nicet. l. 5. *orthod. fid. cap.* 1.
De origine Parœciar. pag. 599.
Niceph. lib. 8. *cap.* 11.
De sacris Eccles. minister. lib. 1. *cap.* 7.
Hist. lib. 1. *cap.* 14. *lat. edit. Basil.* 1587.

Panuinius libello de Episcopatibus, titulis & Diaconiis Cardinalium, *Porro autem, ne Presbiterorum administratio in promiscuo esset, idem Evaristus, qui tertius post Beatum Petrum Apostolum Romanus Pontifex fuit, circa annum à Christo nato centesimum, titulos, vel, ut nunc dicimus, parœcias in urbe Roma ipsis Presbyteris divisit, ut singuli à se invicem secreti in sua urbis regione titulo vel Parœcia, confusionis tollendæ causâ, divina mysteria populum erudientes, sacramenta dei omnibus ad se venientibus exhiberet, singulosque Presbyteros in unoquoque titulo posuit. Sufficere enim tum visus est is numerus propter credentium paucitatem.* Seu Eremita iste non facilè, persuadebit vera esse quæ refert. Idem, fateor, Platina memorat, sed personatum Damasum sequutus, *ut ait Damasus*, inquit. *Sed liber iste*, nempe de vitis Pontificum, qui Damaso tribuitur, *est Anastasii Bibliothecarii non Damasi, ut notum est*, ait Bellarminus. At Anastasius Bibliothecarius Abbas Romanus floruit circa annum 858. Quid si ipse Damasus dixisset, an fides illi habenda, qui recentior est & prope finem centuriæ quartæ Pontifex. Personatus Platinæ Damasus, & tamen, *ut Damasus ait*, inquit. Ipse pro certo affirmare non audet. Præterea, *tituli*, inquit Onuphrius, *erant templa, vel ut nunc dicitur, Ecclesiæ sive loca sacra in sanctorum honorem aut memoriam erecta & per urbis regiones à Romanis Pontificibus antiquitus distincta in quibus animarum cura à Presbyteris in eis commorantibus, habebatur*, Dounamus *tituli*, nempe quos assignavit Presbyteris Euaristus, *erant ædes sacræ, vel loca conuentuum*: item *Evaristus divisit singulis Presbyteris titulos id est, stata conventuum loca, quæ nos Ecclesias Parœcianas vocamus, quibus ipsi intitulati erant, & dicti hujus aut illius tituli aut Paræciæ Presbyteri.* An verisimile est imperante Trajano qui persecutionem movit in Ecclesiam, & à persecutione immani tandem cessans atque inquirendis Christianis, oblatos tamen puniri jussit, in urbe Roma tot ædes sacras constructas fuisse? Nec quod de Higino dicitur idem Onuphrius probabile est, nempe quod *non longè post fidelium quotidie crescentium multitudinem permotus Higinus Romanus Pontifex, quum tot credentibus non sufficerent hi, plures in unoquoque titulo quum Clericos tum Presbyteros esse voluit. Hinc autem Presbyterorum Cardinalium nomen manasse crediderim, ut is videlicet esset Presbyter Cardinalis, id est principalis qui cæteris Presbyteris ejusdem tituli præesset.* Scribit Onuphrius de Cardinalibus ad Cardinalem Diaconum Alexandrum Farnesium; idcirco ab antiquissimis quàm potest temporibus eorum originem repetit. Sed Bellarminus Onuphrii *crediderim* de Cardinalium nomine errorem esse ostendit. Nec Onuphrio in cæteris ego crediderim. Platina dicit Higinum *clerum prudenter in ordinem redegisse & distribuisse*, sed ut alia nempe *instituisse ne templa sine celebratione dedicarentur, neve augerentur diminuerenturve sine arbitratu Metropolitani vel Episcopi: ne ligna reliquave materies*

Platina in Evaristo

Bellar. de scriptor. pa. 136.

Def. lib. 2. pag. 96.

Pag. 100.

De Cleric. li.1. c.16.

teries ad ædificanda templa congesta, in prophanos usus converteretur, posse tamen ad structuram alterius templi vel cœnobii concedente Episcopo transferri. Quid? an tempore Higini structa cœnobia & templa, & Higinus post Petrum, ut dicunt illi, nonus Pontifex erat patriarcha, qui haberet sibi subditos Metropolitanos, quibus etiam leges præscriberet? Alii Dionysium quem 25 post Petrum numerant, anno 290 primum divisisse paræcias, quia Epistola 2 ad Severum sic scribit, *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, Parochias & cœmiteritia eis divisimus.* Sed adhuc de fide Epistolarum, quæ tribuuntur Pontificibus Romanis illius & superioris ætatis controvertitur, & dubitant doctiores inter ipsos Pontificios. Vtcunque est, sive Evaristus sive Higinus, sive Dionysius sive Marcellus Parœcias singulas singulis Presbyteris in urbe Roma diviserit, tamen exacto Apostolorum sæculo id factum est, idque in urbe amplissima, non tamen statim in omnibus civitatibus. Præterea non damnamus divisionem maiorum & ampliorum Ecclesiarum in minores: sed ita dividere ut Ecclesiæ illæ distinctæ suo proprio spoliarentur Presbyterio & exercitio disciplinæ: saltem ita dividi ut particularium Ecclesiarum Presbyteri excludantur à communi regimine distinctarum Parœciarum. Nam ita vult Dounamus divisas fuisse, ut Presbyteri qui ante divisionem in commune regebant Ecclesiam, facta divisione suam solummodo parœciam regebant quasi in foro conscientiæ, relicta Episcopo & paucis quibusdam Presbyteris ipsius consiliariis in Cathedrali & matrice Ecclesia in distinctas Parœcias communi jurisdictione in foro exteriore. Sed quæritur quo jure possunt ita Parœciis distinctis affigi Presbyteri ut à communi regimine distinctarum abstineant, & consequenter à suæ Paroeciæ regimine externo & in foro causarum. Nam secundum veritatem dispositionis Dominicæ Presbyteri ut supra probavimus, Ecclesiam in commune regebant. Ius humanum divinum tollere non potest. Vt Presbyteri sunt omnes inter se pares, eorumque nullus à communi Ecclesiæ regimine excludendus, sic & Parœciæ distinctæ sunt inter se potestate pares, & una alteri non subordinatur. Dicit Dounamus Apostolos constituisse per civitates Presbyteros, ut eorum ministerio fermentaretur tota civitas. Dum massa tota jam fermentata non divisa erat in plures panes, concedit Presbyteros communi consilio gubernasse, at divisa jam massa in plures panes, præpositos suis singulis singulos presbyteros fuisse, & Episcopum cum paucis consiliariis in cathedrali sua Ecclesia jurisdictionem in omnes exercuisse. Sed illud est de quo quæritur, cur una pars massæ divisæ imperaret in alias. An pars illa prius fermentata quàm aliæ id est separata illa pars prius conversa & convertit alias. Non est verisimile unam civitatis plateam aut regionem urbis conversam ante alias, sed promiscuè per

varias civitatis regiones & partes conversos fuisse fideles, qui in unum aggregati cœtum, paulatim alios simili modo converterunt promiscuè per civitatis partes, & sic tota massa fermentata, non poterat in divisione seligi una quæ alias fermentasset, sed necessariò fideles qui in primum cœtum coiere, divisa integra massa, divisi etiam & ipsi, & suis titulis ac distinctis Parœciis ascripti, sicut ipsi Presbyteri. Præterea non sequeretur, una pars prius fermentata fermentavit aliam: ergo debent aliæ illi subordinari & subjici. Conuersa convertentem ut in Christo priorem & ob conversionis beneficium in honore habere potest. Sed Christus tantum potestatis concessit conversis Ecclesiis quam convertentibus. Nam si hæc ratio esset ullius momenti, Hierosolymitana Ecclesia omnibus aliis imperitasset, Antiochenæ, Romanæ, Alexandrinæ &c. *Suscepit à Græcis Romanus populus gratuitè non coactè leges quasdam vocatas decem tabularum, à quibus tanquam ab origine leges reliquæ Romani populi processerunt. Et tamen constat Romanum populum Græcis nulla jurisdictione vel autoritate subjectum*, inquit Marsilius Patavinus. Et an hæreditaria etiam ista potestas; Quid si convertens mater fiat meretrix vel defecerit à fide, & filia conversa in fide permanserit. Quid si pia mater exuerit maternum affectum, & satis pro imperio se gesserit. Sed redeamus. Vna pars massæ non est alia superior & authoritate maior. Pistor massam integram dividit in pares panes. Sed utcunque pistor diviserit massam suam, ita vult Christus dividi Ecclesias ampliores, quando jam non possunt commodè in unam coalescere Ecclesiam, sed mole sua laborant. Dicit Spalatensis universam Christanam multitudinem, quotquot per universum orbem sparsi inveniuntur, unum efficere magnum cœtum, unicamque rempublicam spiritualem. *Et hæc unitas est unius totius integralis in re quantitativa, homogenea, quæ habet partes duntaxat integrantes, sed homogeneas: sicut, si divideres unum magnum lapidem in plures partes, & particulas, ita lignum, aurum, terram, aquam &c. Ecclesia hæc una est, unicus magnus grex, cujus partes & particulæ non subjectivæ, non potentiales, non morales aut metaphysicæ; sed merè & purè integrantes, homogeneæ tamen & ejusdem rationis sunt particulares Ecclesiæ majores & minores. Vnitas itaque Ecclesiæ universalis militantis non est unitas generis, quod multiplicetur per species usque ad specialissimam: neque unitas per essentialem subordinationem, quia inter partes hujus magnæ Ecclesiæ integrantes duntaxat nulla est essentialis subordinatio, nulla dependentia & consequenter nulla subjectio, nulla prælatio*; hæc de particularibus Ecclesiis æquè affirmari possunt. Massa divisa in plures est sicut magnus lapis divisus in plures particulas. Massa ante divisionem totum integrale, parœciæ distinctæ partes integrantes sed homogeneæ; nulla hic essentialis subordinatio, nulla dependentia nulla subjectio, nulla

Defen. pacis 2 part. ca. 18 pa. 296.

De rep. Eccl. lib. 3. cap. 1. num. 10.

prælatio

prælatio. In ratione formali Ecclesiæ per quam Ecclesia est Ecclesia nempe fide & religione universa Ecclesia est una, inquit, & ex hac unitate tota est homogenea, nam ejusdem sunt rationis partes cujus est totum, sicut aquæ partes divisæ sunt aqua: & multæ partes aquæ conjunctæ simul nihil aliud faciunt, nisi magnam aquam: sic multæ Ecclesiæ per orbem positæ partiales constituunt unicam Ecclesiam totalem magnam. Sic & partiales hujus massæ Ecclesiæ sunt unius fidei & religiones participes, cur non ergo & communis regiminis. *Fallitur*, inquit, *Bellarminus, dum corpus Ecclesiæ facit unum heterogeneum, sicut una arbor est ex ramis & radice.* Falluntur certè vel fallere potiùs volunt Hierarchici, dum corpus Ecclesiæ ut civitatis aut Diœceseos faciunt unum Heterogeneum, ac si cathedralis mater esset cæteræ partiales, filiæ, vel potius illa domina, illæ ancillæ, &c, ut lepidè quidam dixit, ut campanaria turris Ecclesiæ cathedralis devoraret turricillas parœcianarum. Supereminet illa inter alias tantum, quantum lenta solent inter viburna cupressi, ad ostendandam reginæ Majestatem. Sed non tam de immani turrium structura, quàm de Domini Episcopi turrita potestate jam dissero. Olim dictum filia devoravit matrem, jam vice versa dici potest, mater devoravit multas filias. Cum igitur sunt Ecclesiæ partiales *sorores consanguineæ*, ut utar verbis Bedæi, *eodem semine incorrupto genitæ, in eadem familia Catholica educatæ, membra ejusdem capitis, palmites ejusdem vitis, cohæredes ejusdem hæreditatis, filiæ dominæ Saræ, non autem ancillæ Agar*, & in tot privilegiis pares an potestate regiminis impares esse debent? Ecclesiæ ergo pares, earumque Presbyteri pares, & nulli sunt à communi partialium unius massæ Ecclesiarum regimine excludendi. Ante divisionem pari consortio præditi erant honoris & potestatis. In concilio Hierosolimitano interfuerunt Presbyteri Ecclesiæ & Act. 21. 18 cum introjit Paulus ad Iacobum adfuerunt omnes presbyteri. Post divisam massam quo jure sunt secludendi. Certè si tale institutum obtinuisset in Ecclesiis sive secunda annorum centuria sive tertia imprudenter, ne quid gravius dicam, violatum ordinem divinum dicerem & post tot annorum centurias in Ecclesiis reformatis jure restitutum, in aliis summa cum Ecclesiarum injuria non instauratum. Sed negamus id factum esse primis illis sæculis. Non erant alii Presbyteri Romanæ Ecclesiæ aliis prælati per multa sæcula, vel ipso Bellarmino teste. Nam cum sunt tria Cardinalium Presbyterorum officia, unum commune cum omnibus aliis Presbyteris ut consecrare Eucharistiam, remittere & retinere peccata in foro pœnitentiæ, duo reliqua ipsis propria sunt officium eligendi summum Pontificem, & eidem perpetuo assistendi, eumque in regenda universa Ecclesia consilio & industria adjuvandi. Sed *non esse adeo antiquum, ut soli Cardinales duobus officiis*

De jure regum pa. 67.

posterio-

De Clericis cap. 16.

posterioribus funguntur, dicit Bellarminus. *Nam à tempore Apostolorum per multos annos, immò etiam per aliquot sæcula, quia pauci erant Presbyteri, & Diaconi omnes simul ad electionẽ Episcopi, & ad Concilia vocabantur, neq; opus erat tunc distinguere à Cardinalibus non Cardinales, sicut etiam in aliis Ecclesiis non distinguebantur Canonici à non Canonicis. Quare Cyprianus, cum aliquoties scribat ad Romanum Clerum, non scribit ad solos Cardinales, sed ad omnes Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Romanæ. Et similiter illi cum Cypriano respondent, Presbyteri & Diaconi omnes respondent. Vide lib 2 epist 7 & lib.3 epist.5 & 21.* Cum crevisset multitudo Cleri dicit vocatos quidem omnes ad electionem sed non ad Concilia, sed *aliquos principales, qui Romæ & aliis quibusdam in locis Cardinales dicebantur*. Sed nulla hujus mutationis monumenta profert ante tempora Gregorii. *Id constat*, inquit, *ex synodo Gregorii lib 4 registri c.88. Nam solum Concilio interfuerunt ex Presbyteris 34 & ii titulares omnes, id est, Cardinales. Certum autem est tunc Romæ fuisse multò plures Presbyteros, quam 34. Nam si tempore S. Cornelii circa annum Domini 250 in medio persecutionum regnantibus Idololatris tamen erant Romæ 46 Presbyteri, ut ex epistola ejusdem Cornelii refert Eusebius lib. 6 histor. ca. 33 certè multò plures erant tempore Gregorii circa annum Domini 600, quando nullus in urbe erat Paganus.* D. Fildus licet Hierarchicus eadem dicit, absque ullo discrimine Presbyteros omnes electioni & consultationibus Episcoporum interfuisse. Num omnes interfuerint consultationibus Gregorii ætate dubitat, electioni tamen Episcopi omnes interfuisse certò constare ait. *Denique postremis quingentis annis*, inquit Bellarminus, *neque ad Concilia neque ad electionem admissi sunt omnes Clerici, quod nimis multi essent, sed soli Cardinales.* Vera causa erat studium amplificandi dignitatem quorundam, ad conciliandam Romanæ sedi ampliorem majestatẽ. Nunquam tam multi, quin possent in unum coire consistorium: & quo jure postremis annis quingentis magis excludendi ab electione, quàm mille annis præcedentibus. *Non enim jus divinum definivit, ut hi potius quam illi ex clericis eligant*, ut fatetur ipse Bellarminus. Et à communibus consultationibus cur excluderentur temporibus Gregorii (si verum sed testimonia ex ipso Gregorio in contrarium supra attulimus) magis quàm tot annorum centuriis ante ipsius ætatem. Si in Romana igitur Ecclesia per aliquot sæcula, ut dicit Bellarminus, non distinguebantur Cardinales Presbyteri à non Cardinalibus, distributio in titulos seu Parœcias non sustulit Presbyterorum commune regimen. Si de Romana Ecclesia id verum, multò magis de aliis. Nam, ut ait Bellarminus, etiam in aliis Ecclesiis per aliquot sæcula non distinguebantur Canonici à non Canonicis: immò divisionem parœciarum in aliarum civitatum Ecclesiis statim ab Apostolorum temporibus introductamquis pro certo affirmare audet. Sicut Siricius Episcopus

De Ecclesia lib. 5. cap. 28. pa. 142. 143

De clericis cap. 8.

pus Romanus Epistola ad Ambrosium dixit *facto presbyterio*, ita Cyprianus, *placuit contrahi Presbyterium*. Cyprianum, qui statuit ab initio Episcopatus sui nihil inconsulta plebe agere, presbyteros aliquos exclusisse an verisimile est. Episcopus non solum regebat in commune cum Presbyteris, sed etiam docebat promiscuè, ut alii Presbyteri ante divisam massam in particulares Ecclesias, & post divisionem in sua separata Ecclesia, licet ut præses Presbyterii habuerit inspectionem in cæteras distinctas parœcias. Nam pro arbitrio in hac vel illa civitatis parœcia ministrasse verbum & sacramenta Episcopum pro suo arbitratu & tanquam communem omnium Pastorum non legimus. At ita fieri debuit, si Episcopus sit uniuersalis omnium distinctarum Parœciarum non inspector solùm, sed etiam pastor. Non debet in una parte hærere, si omnium sit Pastor. Nam si singulis Presbyteris singulæ assignatæ sunt Parœciæ, & partes gregis Dominici vel separatam habet partem gregis ut Presbyteri, cui & ipse addictus est, vel nullam. Si nullam, vel est Pastor absque grege, vel totum gregem ex æquo pascere debet. una pars non charior illi esset quàm alia. Templum Cathedrale si non sit illius parœciæ in quo situm est peculiare, sed commune omnibus idolum est. Nam si Parœciani singuli suis intersint Parœciis, ut per canones tenentur, sicut pluribus probat Filesacus ex Cathedra Episcopus concionabitur tanquam aerem, cædens & parietes verberans. Profert ex Onuphrio Fildus in singulis titulis fuisse Ecclesias quasdã principales, in quibus ministrabatur Baptismus, quæ propterea dictæ sunt baptismales, in his Ecclesiis Episcopum concionatum pro arbitratu, & secum duxisse catervam numerosam, & conventus istos stationes dictos, quia stabant inter orandum, & inde dictas Ecclesias istas Stationales vel Stationum. Sed cum probandum esset exemplis; nulla proferunt ante Gregorii ætatem, qui dicitur in Ecclesiis hisce concionatus esse. *Statio*, inquit Bellarminus, *nihil aliud erat, nisi vigilia diurna tempore solennis jejunii. Cum enim publicè & solenniter jejunabatur, vigilabant in orationibus, & ejusmodi vigiliæ & quasi excubiæ orantium & jejunantium stationes dicebantur vocabulo desumpto ex militia.* Item, *Porrò S. Gregorius stationibus certa loca attribuit in urbe Roma, & ipse ad ea loca veniens tempore stationum viginti homilias in variis Ecclesiis declamavit.* Non modo Gregorius ipse sed & alii Presbyteri ad stationum loca venerunt, nec solus Episcopus concionatus dicitur illis locis: alioquin cur diceret Iohannes Diaconus in vita Gregorii lib.2.cap.18. Gregorium declamasse viginti homilias in illis Ecclesiis, cum potius dicendum erat Gregorium ex officio in iis locis, quæ stationibus attribuit, homilias habuisse. Convenerunt ad Panegyricos illos conventus non modo populus sed etiam Presbyteri: & cum basilica ad quam statio indicta, tantam populi multitudinem

Epist. 80.
Cypr. li. 3. epist. 11.

Libro de origine Parœciarum.
Li 5. p.141.

De bonis operib. in par. l.2.cap.22.

tudinem capere non posset, & omnes tamen stationis participes esse cuperent, consuetudo introducta est, ut nunc isti, nunc illi locum stationis adirent, & sic à summo mare usque ad vesperam nunquam deessent, qui in Ecclesia Deum precarentur,& laudarent. Et Episcopus solus,scilicet, à summo mane ad vesperam in divino cultu conventibus hisce præfuit. Vt parœciæ distinctæ temporibus hisce solennioribus coierunt in unum, sic & Presbyteri earum & in commune pascebant & dirigebant ut ante divisam massam. Ecclesiæ totalis.

Concedatur Episcopum non modo inspectorem, sed etiam Pastorem distinctarum Paroeciarum in civitate & fuisse, & ex officio esse,an etiam in regione contermina & adjacente nunc videndum. Vox διοίκησις, ut refertur ad Episcopum ignota Eusebio & superioribus sæculis. In Concilio Africano eo sensu capitur. In Chalcedonensi & Constantinopolitano ditionem aut circuitum jurisdictionis Archiepiscopi maioris ceu Patriarchæ,de quo capite secundo diximus, significat. Eusebius utitur voce παροικίας & quidem variè. παροικία Eusebio significat Ecclesiam quæ civitatem & suburbia civitatis incolebat, quando relata est ista vox ad Episcopum vel ubi non distincta erat in partiales Ecclesias, etiam ad Presbyterum:non autem Ecclesias illas quæ erant in regione. Vtitur enim sæpius eadem phrasi qua scriptura,ut cum dicit Episcopus Paroeciæ in hac vel illa civitate. Quomodo quæso Ecclesiæ ἐν ταῖς χώραις possunt dici esse ἐν τῇ πόλει. Dicit Dounamus Eusebium uti quandoque etiam præpositione κατὰ, ut cum de Dyonysio loquitur τῆς προστασίας, τῶν κατ' Ἀλεξάνδρειαν ἐκκλησιῶν τὴν ἐπισκοπὴν ὑπολαμβάνει histor. lib.7.cap.35. At cum ipse interpretur κατὰ in vel circa Alexandriam, & eodem sensu dicit Eusebium quandoque usum κατὰ quo ἐν, nihil aliud vult Eusebius quàm Dionysium suscepisse Episcopatum προστασίας Ecclesiarum, quæ erant in civitate Alexandrina & suburbis circa civitatem. Et quod dicit *Ecclesiarum* non *Ecclesiæ* inde ortum, quòd Ecclesia Alexandrina erat divisa in distinctas paroecias & Ecclesias, ut supra ex Sozomeno didicimus, licet divisio ista ad Marci institutum, aut Apostolorum tempora non sit referenda. Idem ait Dounamus sentire Eusebium, cum dicit Episcopus παροικίας vel παροικιῶν,ἐκκλησίας vel ἐκκλησιῶν assumo. At Eusebius ait Demetrium fuisse Episcopum τῆς αὐτόθι παροικίας lib.6. ca.8. cum igitur dicit lib. 6 cap.1 Demetrium eundem suscepisse τῶν δὲ αὐτόθι παροικιῶν τὴν ἐπισκοπὴν nihil aliud vult quàm Paroeciarum distinctarum, quæ erant in Paroecia magna Ecclesiæ Alexandrinæ, non autem Paroeciarum per agros & regionem adjacentem ut Episcopum Dioecesanum,vel Paroeciarum Episcopalium per totam Ægyptum ut Metropolitanum. αὐτόθι illic, in vel intra non extra aut circa significat, Sic phrases istæ ἐν παροικίᾳ & αὐτόθι παροικίας

Def. lib. 2. cap 7. p. 125 pag. 105.

Lib 2. pa.11

Paroeciam

Paroeciam illam civitate & suburbiis comprehensam fuisse indicant. Sic Apostolus utitur κατὰ Rom. 16. 5. Salutate Priscillam & Aquilam καὶ τὴν κατ᾽ οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν Ecclesiam quæ domi eorum. Eusebius etiam alia phrasi utitur quæ idem exprimit, ut cum dicit lib. 6. cap. 26 Demetrium τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον Episcopum Ecclesiæ Alexandrinorum. Inepte quis loqueretur, puto, si Dioecesanam Ecclesiam Episcopi Londinensis vocaret Ecclesiam, Londinensium. Non enim sunt rurales Parœciæ in Diœcesi, Londinensium civium, sed Episcopi Londinensis. Utitur Parœciæ & Ecclesiæ vocibus in singulari numero, cum scribit de Episcopis Alexandrinis etiam post Demetrium & Dionysium. Ipsa etiam vox παροικία proprie significat accolatum eorum, qui ædes contiguas vel non longe à se invicem dissitas incolunt. Quod de civitate unà cum regione Diœcesana inepte dicitur. Tandem vox ista Parœcia & corrupte Parochia impropria loquutione imposita est integræ Diœcesi sed post Eusebii ætatem.

Sed extenderint alas suas ultra civitatē & suburbia Episcopi civitatū ante Eusebię ætatē & alia phrasi designatę sint ipsorū Ecclesię in agris ut ἐν ταῖς χώραις vel κατὰ χώραν, respondeo primū non sic fuisse ab initio. Nam ἐν ταῖς χώραις fuisse alios à civitatū Episcopis, quos Chorepiscopos vocabant, omnibus notum est. At repelicant Chorepiscopos fuisse Episcoporum tantum suffraganeos, eorumque vices supplevisse & hac ratione dictos Chorepiscopos. At oppositio usitata inter πόλιν καὶ χώραν ostendit alia ratione dictos Chorepiscopos, nempe quod ἐν ταῖς χώραις Episcopi essent, quod fatetur Dounamus. Cum decretum fuerit in Concilio Antiocheno can. 10 ut Chorepiscopi ordinentur in posterum ab uno Episcopo sicut Presbyteri, non autem ut ante à Metropolitano & tribus Episcopis ut Episcopi civitatum, sicut Balsamo interpretatur & ipse Dounamus, patet Chorepiscopos Episcopis civitatum subjectos non fuisse, sed potestate pares, ut qui Episcopalem manuum impositionē accepissent à Metropolitano sicut ipse Episcopus civitatis, & suo jure ordinasse Presbyteros & Diaconos quod etiam hac synodo vetitum in futurum, nisi permittente Episcopo, unde colligit Bellarminus Chorepiscopos illos fuisse veros Episcopos, cum etiam nonnisi permittente Episcopo civitatis poterant ordinare Presbyteros & Diaconos, quia ritu Pontificum sunt consecrati. Alios fuisse Chorepiscopos dicit, qui consecrationem Episcopalem acceperant, sed Chorepiscopi dicti sunt, quod non haberent propriam Ecclesiam, sed in aliena Diœcesi ministrarent,

Def. li. 2. pa. 27.

Li. 2 pa. 29.

De Clericis cap. 17.

quales sunt hoc tempore Episcopi quidam Titulares, qui & Suffraganei dici solent. Alios verò Chorepiscopos fuisse, qui nihil aliud, nisi Presbyteri essent, sed in pagis ac villis ceu etiam oppidulis Episcopum aliquo modo repræsentarent, quibus ne subdicaconos quidem ordinare licuisse Damasus epist. 3 affirmat. Verum quidem est Legem statuisse Concilium Antiochenum, ut deinceps Chorepiscopus ordinetur ab uno Episcopo, & proinde Presbyter sit non Episcopus: & de omnibus omnino Chorepiscopis hoc statuit. Nam vult Canon ille ut nulli omnino Chorepiscopi ordinentur, ut antea ordinati sunt à Metropolitano & aliis Episcopis, quia ordinatio illa erat signum paritatis, quam inter Episcopos civitatum & Chorepiscopos sublatam volebant. Nam spiritu superbiæ afflati jam & antè, non ferre poterant rivales Chorepiscopos, vel dignitatem suam vilescere, quod futurum putabant, si dignitas Episcopi communicaretur etiam ruralibus Chorepiscopi omnes suas habuerunt Ecclesias & ditiones, ut Episcopus civitatis, non erant titulares aut suffraganei. Nam cur ordinati ut Episcopus civitatis à Metropolitano, & non ab Episcopo, quorum dicuntur suffraganei fuisse, cur subscripserunt Concilio Nicæno, ut Episcopi civitatum, cur ordinarunt Presbyteros & Diaconos, donec canone interdictum fuit. Damasus verus an suppositius parum refert, vult Epist. 4 fuisse solummodo Presbyteros, & ne Subdiaconos quidem ordinare potuisse, Sed de fide decretalis illius Epistolæ dubitat ipse Dounamus. Ex Epistola tamen illa colligi potest Chorepiscopos Episcopalis authoritatis munia præstitisse, licet Damasus iste illos propterea arrogantiæ & ambitionis insimulet. Cur non irritæ eorum ordinationes, si non habuerint potestatẽ ordinandi. Concilio Ancyrano interdictum tantum ne id facerent in aliena Parœcia, ut supra ostendimus. Iam cœperant deprimi Chorepiscopi. Nã in Concilio Neocæsareinsi cui interfuerunt complures ex iis qui subscripserunt Ancyrano dicuntur esse ad instar 70 discipulorũ. Sed Canon Antiochenus, de quo supra, ostendit Concilii illius provincialis canonem (si genuinus) nihil movisse Chorepiscopos: sed functos fuisse nihilominus officio eodem quo Episcopi civitatum, donec cohibiti erant per Canones. Imo ex Damasi Epist. 4 & Leonis Epist. 86 constat graves rixas extitisse inter Episcopos civitatum & Chorepiscopos. Si Episcoporum solummodo suffraganei fuissent ex primo instituto, non autem Episcopi ejusdem juris & potestatis, non sustinuissent tam diu certamina cum Episcopis urbanis. Sed tandem gradu & dignitate cedere coacti sunt & ipso Chorepiscopi nomine. Ipsorum ditiones Dounamus dicit fuisse instar decanatuum ruralium in Anglia. Et Muskerus, *Decani rurales veteris Ecclesiæ Chorepiscopis & Archipresbyteris Regionariis haud absimiles*. Quod ad potestatem prorsus absimiles fuisse suo loco ostendemus, Quod ad

Lib. 2. pag. 29 30.

Can. 13.

Lib. 2. p. 17.

Cap. 9. pag. 339.

ad ditionis circuitum idem dicit cum Dounamo.

Quam augusti fuerint fines Diœceseon Episcopalium inde liquet, quod celebraverint Concilia provincialia Episcoporum quotannis, quòd jam non posse propter Diœceseon & provinciarũ latitudinem causantur Anglicani. Item ex eo, quòd ad examinandam causam Presbyteri accusati, sex Episcopi ex vicinis locis, ad causam Diaconi tres adjungerentur Episcopo, Conc. African. can. 20. Tam prope habitabant, ut in unum coire satis cõmodè potuerint. Narrat Cyprianus *Privatum veterem hæreticum, in Lambesitana colonia, ante multos fere annos, ob multa & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum.* Vides in una Synodo Lambesitana 90 Episcopos multos ferè annos ante scriptam à Cypriano epistolam istam. In Synodo Carthaginensi celebrata adversus Novatum de pace lapsis pœnitentibus danda interfuerunt 84 Episcopi ut auctor Synodici cap. 22 refert. Carthagine celebratum est circa annum 308 concilium Donatistarum Episcoporum 270 cujus meminit Augustinus Epist. 48 Concilium Carthaginense sextum celebratum est ab Episcopis 217. Si tot interfuerant in Conciliis quot erant per universam Africam. Augustinus contra Gaudentium, innumerabiles in Africa fuisse Episcopos orthodoxos memorat. Victor Vticensis in persecutione Vandalica 660 Episcopos fuga sibi consuluisse refert. In quibusdam Ecclesiis erant tantum duo Presbyteri vel unus, aliquando nullus ut probat ipse Bilsonus ex Ambrosio in 1 Tim. cap. 3, Concilio Carth. 3 can. 45 & Africano can. 56. Vbi tam pauci Presbyteri non lata Diœcesis. Cum eligeretur Episcopus, plebe præsente & universa fraternitate electus est, ut de Sabino refert Cyprianus. *Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidius imponeretur.* Ibidem ait de traditione divina & Apostolica observatione descendere, ut electio fiat plebe præsente. Non adeo numerosa plebs erat, quin ad eligendum Episcopum in unum convenire posset. Hæc & similia ostendunt Episcoporum ditiones non adeo latè fusas fuisse, ut nunc sunt, & Episcopos non modo in civitatibus, sed etiam oppidis pagis ac villis per agros & regionem constitutos fuisse. Et disertè apud scriptores dicitur Episcopos in oppidis & villis Episcopatum gessisse. *Gregorius autem Nazianzi urbis Cappadociæ perexiguæ* (in qua pater ejus ante rexerat Ecclesiam) Episcopus creatus πόλεως ἐυτελοῦς ut ait Socrates. Alexander quidam qui se Carbonarium finxit à Gregorio Thaumaturgo vico Comano præpositus est Episcopus, vide Baronium anno 233 num. 10 villam fuisse patet ex Eusebio l. 5 c. 16 ubi dicit Ζωτικὸν ἀπὸ κομάνης κώμης Zoticum a vico Cumano fuisse. Theodoritus

Lt. 1. Epist. 3.

Pag. 15.

De gubern. ca. 13. pag. 301. 302.

Lib. 1. ep. 4.

Lib. 4. c. 26.

ritus refert, quendam, qui nominatur Maris, ab Eusebio præponendum Dolichæ, quæ πολίχνη paruum oppidum ibi dicitur. Gennadius de viris illustribus dicit Asclepium vici non grandis Episcopum fuisse. Spiridion Trimithantis oppidi Episcopus ut refert Sozomenus, quem in Episcopatu positum etiam opilionem fuisse tradunt. Observat Cartwrightus non extare in tabulis Geographicis nomina 4 aut 5 oppidorum, quorum Episcopi memorantur interfuisse Concilio Carthaginensi Cypriani ætate celebrato. Hieronymus Epistola ad Euagrium confert frigida quædam oppidula cum Roma & Alexandria, ubi tamen Episcopi erant. Oppidum Triumtabernarum Velitris vicinum fuit, habuit tamen suum Episcopum, licet postea Gregorius papa reliquias vastatæ illius Ecclesiæ Episcopo Veliterno subjecit, Sic & plurium aliarum vicinis suis aggregavit & univit. Castrum Cumanum suum habuit Episcopum. Gregorius Benenato Episcopo, *Et temporis qualitas & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Misenatem unire debeamus Ecclesias, quoniam nec longo itineris spatio à se seiunctæ sunt, nec (peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum vitæ huius explevit, utrasque nos Ecclesias præsentis auctoritatis pagina uniisse, tibique commisisse cognosce, propriumque utrarumque Ecclesiarum scito te esse pontificem.* Olim igitur, antequam hostilis impietas, ut idem dicit epist. 35 desolasset Ecclesias illas Cumanam atque Misenatem, suos habuerunt Pontifices, licet non longo itineris spatio à se sejunctæ essent. *Remigius apud Laudunum Clavatum, quod erat castrum suæ Diœceseos constituit Episcopum, addit Hincmarus, dum hæc refert, B. Remigium & Canonum Africanorum & Apostolica authoritate fultum id peregisse*, inquit Filesacus in Commentario de Episcoporum authoritate. *Apud alias verò nationes reperius ubi & pagis Episcopi ordinantur, sicut apud Arabes ac Cypros ego comperi, & apud Novatianos ac Montanistas eos qui degunt in Phrygia*, ait Sozomenus. Esto, quod non ubique in pagis & villis ac oppidis per agros constituti sunt Episcopi, sed quòd Episcopi civitatem Parœcias illas rurales gubernarint in locis compluribus, tamen sequitur praxin Ecclesiæ non fuisse interpretem intentionis Apostolorum ut vult Dounamus. Nam vult Dounamus Apostolos intendisse ut Episcopi civitatum regerent regionem adjacentem & intentionem probat praxi Ecclesiarum post Apostolorum tempora. At post Apostolorum tempora varia erat praxis ut jam ostendimus concedendo quod statim in quibusdam provinciis constitutæ erant Ecclesiæ Diœcesanæ. Præterea negamus statim post Apostolorum tempora id factum, sed seriùs, & Episcoporum aut incuria aut ambitione dilatatos fines Ecclesiarum suarum, qui Presbyteros in villis & oppidis constituerunt, quos sibi & Presbyteriis suis in civitate

Lib. 5. cap. 4. — *Lib. 1. c. 10.* — *Repl. 1. part. pag. 535.* — *Lib. 2. ep. 35* — *Lib. 2. ep. 31* — *Epist. 35.* — *Pag. 300.* — *Hist. lib. 7. cap. 19.*

vitate obnoxios fecerunt, non autem Preſbyteria erigi aut Epiſcopos conſtitui curarunt. Nam cum ipſi eorumque Preſbyteri & Chriſtiani Eccleſiæ civitatis lucrifeciſſent primi eos, qui etiam erant in agris, priuſquam aliunde accederent alii qui eam operam navarent, non dederunt operam, ut Preſbyteriâ & Epiſcopatus creſcente fidelium numero per agros conſtituerentur, ſed ut paulatim converſi ſunt, paulatim ſub ſuam ditionem redegerunt. Quod cum aliarum civitatum Epiſcopi percepiſſent, ut dignitate aliarum civitatum Epiſcopis pares eſſent, Chorepiſcopos & Epiſcopos oppidorum & villarum deprimere cœperunt paulatim, donec tandem penitus ſubacti eſſent & ipſum nomen expungeretur. Hinc canones ſequentes conditi. *Non debere in villis Epiſcopos ordinari, ſed viſitatores, id eſt, qui circumeant conſtitui; hos autem, qui antehac ordinati ſunt nihil agere cenſemus ſine conſcientia Epiſcopi civitatis.* Balſamo in hunc Canonem, *Alii quidem Canones* ἐν ταῖς κώμαις καὶ ἐν τοῖς χωρίοις χωρεπισκόπους *in vicis & pagis Chorepiſcopos & Preſbyteros conſtituendos definierunt. Præſens autem Canon iubet fieri* περιοδευτὰς *& non Epiſcopos, ne dignitas Epiſcopalis vilis & contempta evadat, utpote cum non habeat pagus, in quo ordinatus eſt Epiſcopus, hominum multitudinem ad Dei & Epiſcopatus honorem. Si qui autem ante Canonem, inquit ſunt in his locis conſtituti Epiſcopi, ne eiiciantur, ſed omnia exerceant cum ſcientia Metroplitani, qui eos ordinavit.* Ex hoc canone & Balſamonis interpretatione patet in Oriente Epiſcopos in vicis & pagis conſtitutos fuiſſe non in civitatibus tantum: & qui hactenus conſtituti erant ante hunc Canonem omnia peregiſſe abſque conſcientia Epiſcopi civitatis; Sed quinam ſunt iſti periodeutæ viſitatores, ceu ut alii circumcurſatores, aut circuitores. *Sunt autem periodeutæ*, ait Balſamo, *qui hodie ab Epiſcopis promoventur exarchi. Hi enim circumcurſant, & delicta animæ obſervant, & fideles perficiunt. Periodeutæ*, inquit Zonaras in eundem Canonem, *ex eo dicti, quòd nullibi propriam ſedem Cathedramque habentes huc illuc fidelibus in officio continendis vagentur.* Fileſacus, *Si in eo ius Canonicum latinorum ſequi vellemus Periodeutas non alios ſignificare, quàm Archipreſbyteros ceu Decanos ruſticanos diceremus.* Iuſtellus in hunc Canonem, *Sunt igitur* περιοδευταὶ *in Eccleſia circuitores ſive viſitatores, qui veluti Epiſcoporum vicarii regiones civitatibus ſubiectas viſitant ac circumeunt nullamque propriam ſedem habent, ut ait Zonaras.* Hoc eſt, quod de Chorepiſcopis falſo ſupra dixit Dounamus, eos nullam propriam habuiſſe Eccleſiam. Nam Chorepiſcopi à Periodeutis diſtinguntur hîc apud Balſamonem & apud Iuſtinianum C. de Epiſcop. & Cleric. l. 41. ubi poſt Chorepiſcopum ponit περιοδευτήν. *Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus*

epiſtola.

Conc. Laod. cap. 57. vide Gratian. diſt. 80.

De Origin. Paræciarum. pag. 570.

epistola encyclica ad S. Leonem Magnum P. R. in enumerandis Ecclesiasticis dignitatibus & officiis post Chorepiscopum recenset περιοδευτὴν *ceu circuitorem, ceu visitatorem dicas. Et sub finem rogat Pontificem, ut huius epistolæ exemplaria transmittat Episcopis Occidentis &* περιοδευταῖς, *iis nimirum quorum munus Ecclesias circuire & visitare*, vide Filesacum. In quibusdam codicibus legitur ἢ περιοδευτάς; in aliis ἀλλά. Photius in Nomocanone Canonem Laodicenum sic interpretatur. *Ne sit omnino Episcopus* ἐν πόλει βραχείᾳ ἢ κώμῃ *in parva civitate vel vico.* Balsamo ex hujus legis æquitate, dixissem iniquitate, colligit pari ratione quòd *multò magis non est ad Dei honorem, si antistes propter paupertatem eat pedes, & privetur necessariis. Quocirca in Ecclesiis Orientalibus, in quibus non admodum multi inveniuntur Christiani, Episcopos eligi tutum non est.* Vergit ad Episcopatus dedecus, scilicet, si exiguo populo præsit, si pedes incedat. Celebratum est Concilium istud Provinciale Laodiceæ circa annum 364. Anacletus, *Episcopi non in Castellis, aut modicis civitatibus debent constitui*, & infra, *non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen Episcopi, sed ad honorabilem urbem titulandus & denominandus est.* Adulterinam esse epistolam illam decretalem qui tribuitur Anacleto lippis & tonsoribus notum est. In Concilio Sardicensi decretum *non licere simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago vel parva urbe, cui vel unus Presbyter sufficit Non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur. Sed provinciæ Episcopi debent in iis urbibus Episcopos constituere, ubi etiam prius Episcopi fuerint. Si autem inveniatur urbs aliqua tam populosa, ut ipsa Episcopatu digna indicetur, accipiat.* Balsamo in hunc Canonem, *Quia autem vilibus electis Episcopis in parvis vilibusque Parochiis, in quibus sæpe ne erant quidem Episcopi, qui & pedibus incedebant, & erant alioqui contempti, Episcopalis dignitatis contemptus habebatur, statuerunt Patres, ne constituatur Episcopus in vico, sive in pago, vel in exiguo oppidulo, in quo vel unus sacerdos sufficit, ne Episcopalis dignitas vilipendatur, sed in illis urbibus constituantur Episcopi, quæ hominibus abundant & quæ jam olim habent Episcopos. Tanquam autem dixisset quispiam, iniquum esse urbem populo frequentem non habere antistitem, eò quod iam olim Episcopus in ea non constituatur, adiecerunt Patres in huiusmodi civitate etiam de novo constitui posse Episcopum.* Ipse Sutlivius canones quosdam hujus Concilii pro suspectis habet. Bene est tamen, quod concedunt populi frequentiam requirere Episcopum. Vbicunque igitur est populi frequentia sive in urbe, sive in vicinis pagis & vicis, debet erigi Presbyterium. Nam Episcopum constitui alicubi absque Presbyterio non volebant Patres illi. Gregorius Iunio scribit Bonifacio Episcopo Epist. 1 in hunc

Pag. 571. tit. 1. ca. 19.

Dist. 80. c. 3

Can. 6.

De Pontific. pag. 256.

Caus. 16. qu. 1. c. 53.

hunc modum, *præcipimus ut juxta sacrorum Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeatis ordinare Episcopos. Pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatus.* Zacharias Papa ad Bonifacium Episcopum *Meminerimus, quod in sacris Canonibus præcipimur observare, ut minime in villulas vel in modicas civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi.* Eidem tamen permisit ut in castello quod dicebatur *Marseburg* Episcopalem Cathedram constitueret. Leo Papa ad Episcopos Africæ epist. 85 c. 2. *Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & ubi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur.* Infra *ne quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis & possessionibus vel obscuris & solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium.* Hæc patrum decreta in Concilio Laodiceno & Sardicensi non divinitus inspirata, sed à spiritu ambitionis. Nullam enim causam reddunt decreti vel patres illi vel pontifices Romani qui authoritate sua decreti exequutionem promovebant, quam ne nomen & auctoritas Episcopi vilesceret. Non Ecclesiæ ædificationem, & commodam gubernationem, sed splendorem & magnificentiam Episcopi sæcularem respexerunt. Ejusdem est meriti & sacerdotii Episcopus, ubicunque fuerit. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit, ut ait Hieronymus. Sol lucet in pagis & oppidis ruralibus æquè ac civitatibus, nec eo obscurior. Potuerunt hac ratione pagis & villis negasse Presbyteros, quos Apostolus duplici honore dignos ait, ne turba, aut locus ignobilis contemptibiles redderet. Vir honestat locum, non locus virum. Sed Satan his mediis promovebat mysterium iniquitatis & quia Episcopos minores volebat esse principes, aliorum spoliis caput unius exaltandum omnibus modis curavit ut rectè observavit vir ille clarissimus Thomas Cartwrightus. Ex vicis & pagis non tantum suppetebat quantum sufficeret ad pompam quam affectabant. Tandem Concilio Toletano 12 can. 4 ut ex Burchardo citat Dounamus, denunciatum anathema in eum qui curaverit Episcopum constituendum, ubi non ante erat Episcopus. Africanos ipsos eadem cupido amplificandæ dignitatis suæ, & extendendæ Diœceseos tandem incessit. *Nam & isti decreverunt, ut Diœceses quæ nunquam habuerunt Episcopum non habeant & illa Diœcesis quæ aliquando habuit, habeat proprium. Et si accedente tempore, crescente fide Dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, ejus videlicet voluntate in cujus potestate est constituta, habeat Episcopum.* Viden ut mutuo mulificabunt. Idem decretum Concilio Africano can. 20 ut extat apud Gratianum. Tantum aberat, ut permitterent erigi novos Episcopatus illi in quorum potestate erat ut populus etiam vicinorum

Tom. 2 Con epist. ult.

2 Repl. part. 1 pag. 525.

Li. 2. p. 26.

Car. 2. ca. 5.

Caus. 16 qu. 1. cap. 21 Multis.

cinorũ Diœceseos invadere conati sunt. Hinc certamina inter Episcopos de dilatatis Diœcesibus ut patet ex Concilio Africano can. 84 85 86. Hæc tamen omnia demonstrant consuetudinem Ecclesiæ veterem fuisse constituendi Episcopos & Presbyteria per agros & regionem in oppidis, vicis, pagis, castellis, municipiis, æque & in civitatibus amplioribus, & cum diu obluctatum fuisset, invalescente Poliepiscoporum ambitione, potentia & authoritate, tandem Monopolis istis cessisse integras regiones. Sic qui unius Parœciæ in civitate Episcopus fuit, tandem etiam regionis totius: & ipsum Parœciæ nomen quod à ταῖς χώραις distinctum, utriusque & Parœciæ civitatis & ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις impositum est easque una notione complexum est. *Quantum negotii credimus esse*, inquit Erasmus, *cum præter vicos & pagos, viginti frequentes & ampliæ civitates uni parent antistiti?* Item, *Multorum præsulum ditio tam latè patet, ut si quàm maximè forent expediti omnibus mundanis negotiis, non possent tamen in omnibus oppidis concionari, quum hodie una civitas complures requirat Ecclesiastas.* Musculus, *viderint Episcopi qui quum ne uni quidem Ecclesiæ legitime ministrent, Episcopatus sui potestatem non ad pauculas aliquot Ecclesias, sed ad integras etiam provincias extendunt.* Bernardus, *Quum præsideant*, inquit, *urbibus valde populosis, & totas, ut ita dicam, patrias propriæ Diœcesis ambitu circumcludant, occasione inventa ex quocunque veteri privilegio, satis agunt ut & vicinas sibi subdant civitates, quatenus duæ, quibus vix duo præsules sufficiebant, sub uno redigantur antistite.* Tanta est Episcoporũ impudentia, ut patentissimo rictu multas devorent civitates. *Atque certe, si jam vigeret antiquus ille erga populum amor, agnoscerent ipsi plus in una civitate negotii esse, quàm quod facilè ab optimis expediri possit. Satis norunt primitivam Ecclesiam nullos hujusmodi Episcopos habuisse ante tempora Sylvestri primi,* dixit Hooperus Episcopus. Dixit ibidem Episcopos & Presbyteros mutuo scabere. Episcopi Presbyteris permittunt plura beneficia, alioquin potuissent regerere Presbyteri Episcopis, quod Episcopus unius civitatis Episcopus esse debet. *Atque ita fieri debet: & dum Magistratus in hunc ordinem redegerint, tam impossibile erit Episcopo pie & sobriè in omni re religionis scripturam transcendere, quam Camelum adigi per foramen acus.* Epiphanius hæresi 68, *scribens de Alexandrina Ecclesia innuere videtur hunc morem illa ætate fuisse in multis Ecclesiis, ut duos simul haberent Episcopos, quando in Alexandrina Ecclesia hanc consuetudinem fuisse negat ut duos simul haberet Episcopos*; οὐ γὰρ πώποτε ἡ Ἀλεξάνδρεια δύο ἐπισκόπους ἔσχεν, ὡς αἱ ἄλλαι πόλεις. Non intendisse Apostolos ut Parœcia civitatis dominaretur in παροικίας ἀγροικὰς ceu ἐγχωρίους ut vocantur in Concilio Chalced. ca. 17 patet primum

Eccles iast. lib. 1.

Loc. cõmun. de minist. vero.

Epist. 82.

In 8 præcept.

Saran. de grad. cap. 24

ex

ex eo quod regimen cujusque Ecclesiæ particularis tale instituerint a quo nulli Presbyteri illius Ecclesiæ excluderentur, sed communi consilio & auxilio eandem regerent exercitio disciplinæ ordinario. At Presbyteri universæ Diœceseos non possunt coire in unum ad regimen ordinarium & continuum disciplinæ exercitium. Conventus Diœcesani sunt extraordinarii, & rarius occurrunt. Nos jam agimus de foro ordinario. Nam, ut ante dixi, Ecclesiæ Diœcesanæ partes omnes sunt homogeneæ, tum in civitate tum extra extra civitatem, & Ecclesiæ rurales æque sunt Ecclesiæ atque Ecclesiæ civitatis; quid dixi, Ecclesiæ civitatis? Episcopus ac Canonici Cathedralis basilicæ nullam volunt separatam parœciam, sed templum commune. At Presbyteri distinctarum Parœciarum sunt ejusdem meriti & sacerdotii cum Canonicis, & per multa sæcula non erat differentia inter Canonicos & non Canonicos ut supra audivimus ex Bellarmino. Non est igitur, Ecclesia totalis, in Diœcesi constituenda major aut amplior, quam quæ in tot tantum dividatur partiales, ut commodè earum Presbyteri in unum frequentiùs coire possint ad ordinarium disciplinæ exercitium. Nam quod Episcopus unus cum uno Presbyterio exerceret jurisdictionem in regionem adjacentem, & excluderent Ecclesias alias eorumque Presbyteros a communi regimine est contra institutum & intentionem Apostolorum. Nec ea lege Parœciis Presbyteri κατ' ἰδίαν ἐπιτεταγμένοι ut loquitur Epiphanius hæres. 69 de Presbyteris Alexandrinis, ut communi regimine secluderentur, cujus porticipes erant ante divisam massam. Præterea regimen Ecclesiarum particularium ex Apostolorum instituto fuit non merè Aristocraticum, sed Democratia temperatum pro jure plebis in electionibus & excommunicationibus. At populus latæ Diœceseos non potest suis partibus frui in communi regimine. Imò apud Hierarchicos nullę sunt populi partes vel in cõmuni regimine totalis totalis vel proprio suæ partialis Ecclesiæ. Apostolorum intentio etiam manifesta ex eo, quod Ecclesiã particularem in portu Corinthiaco Cenchreis cõstituerint, licet vicina esset Corinthiacę, nec Corinthiacæ subjectã, ideo & postea suum habuit Episcopũ nomine Lucium, si vera refert Clemens Constitutio- Apostoli l. 7. c. 48. Non igitur ea mens Apostolorũ ut Ecclesia civitatis sicut domina exerceret jurisdictionẽ in alias ut ancillas. Parœciæ distinctæ quasi coronamento unitę sub cõmuni Presbyterio habent cõmune regimen, sed in Hierarchicis Diœcesibus nec uniuntur pari jure cõmuni Presbyterio, nec uniri possunt, nedum Democraticã suam potestatẽ exercere. Si salvãdum regimen Aristocraticũ per Presbyteros, tunc tot haberemus Episcopos quot Decanatus urbanos & rurales ceu classica Presbyteria, si Democraticũ, tunc pro uno in una Diœcesi Episcopo cẽtum, ducentos aut trecentos. Sed latæ Episcoporum Diœceses non

modo spoliarunt particulares Ecclesias consistoriis, Decanatus classibus, sed etiam provincias Conciliis provincialibus. Singulæ unius provinciæ Diœceses tam latè protenduntur, ut non possint singulis annis bis celebrari Concilia Provincialia sicut olim. Imò nunquam in Anglia celebrantur stata vel singulis trienniis Concilia, sed raro, extraordinē, & more Hierarchico, forte semel 20 annorum spatio, si viderint Episcopi necesse esse novos condere Canones ad fulciendam dominationem suam in Ecclesiam. Si illud non viderint, non celebrant vel more suo Concilia provincialia. Sic dominantur soli Episcopi & Archiepiscopi, & appellationes fiunt ab Episcopis eorumque consistoriis ad Archiepiscopum. Gropperus in Concilio Tridentino cum cuperet restitui judicia Synodalia, sic disserebat. *Sicuti judicia primitus solus Episcopus non constituebat, sed Episcopus de concilio sacerdotum: Sic olim non ad unum aliquem, sed ad aliam congregationem universam appellatum. Verum Episcopis visum sublatis Synodis more judicum sæcularium forum & officiales instituere. Neque in hoc vestigio malum pedem fixisse, sed ad abusus mage majores quàm in foro sæculari gradum non cunctanter fecisse. Illic enim provocationem non fieri nisi ad judicem immediatè superiorem, tantum abesse, fas ut sit ad supremum primo saltu tendere. Neque licere in articulis causæ provocare à Decretis judicis, quæ vocantur interlocutoria, sed causæ finem, & decreta litis decisoria necessariò esse expectanda. At contra in judiciis Ecclesiasticis & appellari à singulis actis judicis, unde & causarum immensitas nascitur, & immediatè ad supremum.* Et infra. *Atque ut jus maiori fide ac sinceritate dicatur restituenda judicia Synodalia tot tantisque corruptelis non adeò obnoxia, profligandos cum suo foro Officiales, per quos in orbem tantum scandali est invectum, ut Germania eos diutius perferre non possit.* Castellus Bononiensis Papalinus dicebat *veterem regendæ Ecclesiæ formam conducibilem non fore, nisi Ecclesiæ quoque status antiquum obtineat. Ecclesias olim fuisse parvas, ethnicis circumseptas, & quia hosti vicinas, hoc inter se magis unitas: at nunc & amplas, & sine adversario, qui in via officii contineat.* Sed cur quæso ampliores jam quam olim? an ut sublatis Presbyteriis & Synodis solus regnet Episcopus? Præsules Itali *judiciorum Synodalium restitutionem prope omnes aversabantur, quod Episcopalem dignitatem imminutum iret, & populare quiddam saperet. Cum autem ventum est ad judicium contra ipsas personas Episcoporum, nemo unus facilem sui met judicio coercendi rationem expediebat; nemo de judiciis in Synodo provinciali, cujus olim erant propriæ, restituendis verba faciebat.* Quis inter Pontificios aut Anglicanos Episcopos petet, ut Diœceses dividi aut contrahi, Provincialia Concilia restitui possint? Certe nullus. Præterea non potest fungi Pastoris munere per distinctas omnes Diœceseos suæ Parœcias, quarum omnium tamen se Pastorem primarium universalem & proprie dictum venditat. Non est par huic

Petri Suavis hist. Conc. trid. Li. 4. p. 373. 374 edit. Francof.

Pag. 374.

Pag. 375.

huic oneri ferendo in Parœciis unius civitatis, multo magis impar erit, si per centum 200 aut 300 Parœcias Diœceseos eo munere fungendum sit. Sed statuerunt apud se se non præstituros officium illud pastorale quod sibi vendicant. In Concilio Triburiensi quod celebratum est anno anno 895 *relata est coram Sancta Synodo querimonia plebium, eo quod sunt quidam Episcopi nolentes ad prædicandum vel confirmandum suas per annum Parœcias circuire.* Si justa querimonia, totus orbis Christianus meritò querimoniis personare potest. Sed respondissent Anglicani, qui esuriunt aut sitiunt accurrant ad templa cathedralia, & si non nos, præbendarium unum aut alterum audient. Si dixerint se parœcias omnes pascere licet non per se, tamen per Presbyteros paræcos, respondimus supra pastoris munus esse officium personale, quo per se fungi oportet pastorem, non per alium. Nec alium agnoscit scriptura Pastorem. Atque hæ absurditates & injuriæ, hæc ut pleraque alia, incommoda extensivæ potestatis Episcoporum. *Filesacus de orig. paræc. pag. 537.*

De Episcopo Præside.

CVm omnia communi Presbyterorum consilio gerebantur aureo illo Apostolorum sæculo, ordinis tamen causa aliquis semper præfuit, qui nullam in collegas potestatem habebat, eo uno excepto quod in cœtu primus erat actionum moderator, qui res proponeret, suffragia colligeret, & alia perageret, quæ ad quemvis cujusvis collegii præsidem necessariò pertinent. Exacto Apostolorum ævo prostasia ista, quę fuit prius tēporaria, mutabilis, & ambulatoria, mutata est in προστασίαν ἀδιάδοχον, ceu perpetuam. Initium perpetua prostasia habuit in Alexandrina Ecclesia, si vera, quæ retulit Hieronymus. Ibi Presbyteri unum ex se electum in celsiori gradu collocarunt & Episcopum nominarunt. In Africa semper nascitur aliquid novi, monstrum aliquod. Non tamen ubique institutum Alexandrinorum statim obtinuit, sed pedetentim & paulatim, ut alia quæ non lege sed consuetudine introducta sunt. Non prævidebent mala inde oritura, ideo procliviores erant in hunc ordinem veteres. In omni regimine Aristocratico periculosa est perpetua præsidis prostasia, & metuendum semper ne primatus ordinis sensim mutetur in primatum potestatis. Nam præsidentia omnis etiam temporaria potestatem aliquam necessario annexam habet, ut conventus indicendi extraordinem, & in conventibus omnibus tum statis tum extra ordinem indictis de negotiis referendi, sententias rogandi, suffragia colligendi, sententiam ferendi, & Presbyterii nomine & auctoritate multa alia administrandi, & procurandi. Non expedit igitur ut perpetua sit & fixa prostasia ista. Eventus docuit ex perpetua prostasia ortum

Episcopatum potestatis, Archiepiscos, Patriarchas, & ipsum Antichristum, pontificem Babylonium, Episcopum Oecumenicum. Docti superiorum sæculorum experientia possumus cum venerabili Beza asserere, *fædum illum rivum ex humano Episcopatu paulatim corrupto deductum, vix aliter penitus arefieri posse, quam semel obstructo gradus illius Episcopalis fonte vix minùs ambitiosis futuris plerisque, qui ordinabuntur, quàm qui sunt superioribus sæculis ordinati.* Dicit alibi etiam ingenuè vir clarissimus. *Nisi sic illa Hieronymi verba accipiantur, sat mihi est dicere nulla cum Patrum injuria, paulatim sic, quamvis iis nihil minus cogitantibus, illi gradui Episcopali aditum humanitus apertum, per quem mox ingressa ambitio gradum istum initio quidem in oligarchiam, ac tandem in horrendam illam Antichristianam tyrannidem Oecumenicam evexit, haud satis scio an unquam abolendam, nisi semel sublatis quibus eò ascendit gradibus, in ordinem divinæ institutionis redigatur.* In Antichristo designando errarunt Patres, quia nondum agnitus & revelatus, ideo disciplinam imprudentes adulterarunt, & viam muniverunt ejus tyrannidi. Ex parvo semine sæpe oritur arbor procera. Si non adulterata fuisset disciplina æquè ac doctrina, nunquam vidisset Ecclesia magnum illum Antichristum. Hæreses & errores in doctrina fidei illum nunquam introduxissent, nisi etiam in regimine turpiter errassent Patres. Nam impia Antichristi Monarchia est pars regiminis Ecclesiastici sed corruptæ & fastigium Hierarchiæ cujus illi fundamenta jecerunt. Nec est quod quis objiciat nobis authoritatem Ecclesiæ primitivæ. Nullam enim aliam agnoscimus purè primitivã nisi Apolorum ætate. Tandiu virgo mansit, post eorum exitum mysterium iniquitatis, quod ipsorũ sęculo peragebatur, altius caput suum exerere cœpit. Liber Apocalypseos signatus erat 7 sigillis. Dixit Hieronymus Lombardellus Franciscanus. *Non minorem esse Ecclesiæ hujusce temporis authoritatẽ quàm fuerat primitivæ.* Quod verum est, si intelligatur, excepta illa prima quæ propter collegium Apostolorum majoris erat gratiæ & authoritatis, ut loquitur Driedo de variis dogmatibus lib. 4 cap. 4. Si detestamur igitur Antichristum jam revelatũ, detestemur & ovum ex quo ipse prognatus est. Quòd veteres illi & primi Episcopi tantum fuerant præsides & reipsa Archipresbyteri, licet nomine Episcopi, supra ostendimus.

De gradib. ca 23 sect. 35

sect. 31

In Concil. Tridentino. Petrus Suavis historia. Concilii Trident. pa. 201

De Episcopo Presbytero.

IN scriptura idem est Episcopus, qui Presbyter, ut supra probavimus.

Excrevit præter expectationem ultra justam Capitis mensuram, ut vides Lector, ista de Episcopatu dissertatio. Non tamen omnia quæ de isto argumento dicere paratus sum huc congesta sunt, nec erat illud institutum operis huius. Pergamus ad Episcopatum Anglicanum.

CAP.

CAP. V.

De Episcoporum in Ecclesia Anglicana Dignitate & Potestate.

DIcit Tilenus, Sosthenem, Sylvanum, Timotheum, Titum, Tychicum, Crescentem, Lucam, Io. Marcum, & si qui præterea tales, eumpse, quem ex germana illa antiquitate retinuerunt Angli, Episcopatum gessisse. Præterea *non minus infestus erat Pontifici Romano Lutherus, quàm Beza: ille tamen quamvis nullum non lapidem moveret in disturbanda Babylonis turre de gradu, quem legitimi, quales Anglia habet, Episcopi obtinent, litem movit nemini; compertumque habens rem sine Ecclesiæ pernicie abrogari non posse, quod unum potuit, nomen sustulit, inductoque & expuncto puriore vocabulo Græco parum latinum supposuit, pro Episcopis Superintendentes; pro Archiepiscopis Superintendentes generales appellans, quæ nomina ne illi quidem aspernantur, qui per Germaniam, Sarmatiam, finitimasque regiones excusso Pontificis jugo non omnia Lutheri dogmata probant.* Timotheum Titum & qui præterea tales Evangelistas fuisse non Pastores ordinarios superiori capite probavimus. Ne Apostoli quidem ipsi, nedum Evangelistæ talem gesserunt Episcopatum qualem Præsules Anglicani. Vbi constitutæ erant Ecclesiæ unà cum Presbyteris regebant Ecclesias. Tradiderunt authoritate Apostolica Ecclesiis soli, quæ spiritus revelavit, sed non judicarunt soli in foro exteriori. Sicut sacerdos summus per Vrim & Thummim revelatam renunciavit solus Dei voluntatem, non tamen judicabat in foro exteriore solus, sed in & una cum Synedrio. Et apud veteres post Apostolorum tempora Episcopi non soli præsidebant Ecclesiis, sed probati quique Seniores, & quæque Ecclesia Senatum habebat Presbyterorum, sine quorum consilio nihil agebatur, ut superiori capite ostendimus, nec negare possunt ipsi Hierarchici. At Episcopus Anglicanus seclusis Presbyteris, & spreto Senatus Ecclesiastici consilio, auxilio, & consortio, electionem, depositionem, excommunicationem, beneficiorum collationem, visitationem, & alia omnia Ecclesia jura sibi & suis Cancellariis, officialibus, Archidiaconis, qui Episcopo adhærent ut umbra corpori, vindicavit, ut solus singulari potestate dominetur in hæreditatem Domini, & evagando extra spheram jurisdictionis Ecclesiasticæ immiscet se negotiis reipublicæ, & regni. Non igitur eumpse gerit Episcopatum, quem veteres illi Episcopi, nedum quem Ministri illi extraordinarii Ecclesiæ verè primitivæ, Apostoli & Evangelistæ, (nam non alium agnovit Episcopatum ætas illa aurea quam indefinitum & extraordinarium Apostolorum & Evange-

Paranes. cap. 4.

Parænes. cap. 6.

Evangelistarum, si Episcopatus dicendus sit, aut definitum & ordinarium Presbyterorum) sed eumpse quem postremis quingentis annis gesserunt sub Antichristo. Si quis peragraverit Italiam, Galliam, Hispaniam, non aliam regiminis Episcopalis formam inveniet, quàm quæ in Anglia, præterquàm quòd respectu subordinationis ad Pontificem Romanum apud illos, in Anglicana Ecclesia novum erexerunt Papatum Romani Pontificis exuviis locupletatum, cui subordinantur Episcopi. Qua etiam subordinatione potentiores evaserunt quàm unquam sub Papa Romano fuerunt. Excepta illa subordinatione per omnia similes Episcopis Italis, Gallis, Hispanis, eadem regiminis forma, Consistoria & fora exteriora eadē, lites & causæ eædem, judiciorum strepitus idē, iidem præfecti angariis Cancellarii, officiales, Archidiaconi, Vicarii generales, & tota fœda illa colluvies eadem quæ in Pontificiorum Curiis. Episcopatus ergo Anglicanus nec est divinus, quem Apostoli instituerunt, nec humanus, quem veteres invexerunt, sed Satanicus, quem Antichristus adultus, filius perditionis, Satanæ organon nequissimum, & Antichristi asseclæ evexerunt in perniciem Ecclesiæ & ad vastationem vineæ Dominicæ. Lutherus Episcopum & Presbyterum jure divino eundem fuisse non dubitavit. Recitata alicubi Hieronymi sententia hæc habet verba. *Hieronymus non modo Episcopos æquat inter se, sed & Presbyteros Episcopis comparat, alterum ætatis alterum officii nomen esse pronuntians.* Item, *Apostolus Paulus Episcopos definivit Act.* 20 *per attendere gregi & regere Ecclesiam Dei. Attendite inquit vobis & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos &c. quum tamen ad Presbyteros loqueretur, ut ex textu colligit apertè Beatus Hieronymus.* Et in 1 Pet. 5 Episcopos non alios fuisse quàm Presbyteros. Audiamus & alios Germanicarum Ecclesiarum Theologos. In articulis Smalcaldicis de Primatu & Potestate Papæ, & de potestate & jurisdictione Episcoporum exhibitis principibus in conventu Smalkaldię celebrato idem Hieronymus introducitur, & eo colligitur *distinctos gradus Episcoporum & Presbyterorum sive Pastorum tantùm humana authoritate constitutos esse, idque res ipsa loquitur, quia officium & mandatum plane idem est & sola ordinatio postea discrimen inter Episcopos & Pastores fecit. Sic enim postea institutum fuit, ut unus Episcopus ordinaret ministros verbi in pluribus Ecclesiis. Quia autem jure divino nullum est discrimen inter Episcopum & Pastorem, non est dubium ordinationem idoneorum ministrorum à Pastore in Ecclesia sua factam jure divino ratam & probatam esse &c. Hactenus de ordinatione diximus, quæ una, ut Hieronymus ait, discernebat Episcopos à Presbyteris. Itaque nulla disputatione opus est de cæteris Episcoporum officiis, nisi fortasse de Confirmatione, Campanarum baptizatione, & similibus præstigiis dicendum esset, quæ propemodum sola Episcopi retinuerunt. Sed de jurisdictione aliquid dicendum restat.*

Resolut. in disput. Lips.

Commentar. in psal. 2.

Constat

Constat jurisdictionem illam communem excommunicandi reos manifestorum criminum pertinere ad omnes Pastores, & eam Episcopos tyrannicè ad se solos ad quæstum suum turpiter explendum attraxisse. Officiales enim licentiam suam intolerabilem exercuerunt, & ex avaritia vel aliis cupiditatibus homines afflixerunt nimiùm, & sine legitima & justa cognitione excommunicarunt. Quæ autem ista tyrannis est, qua officialis in civitate aliqua potestatem habet pro suo affectu pravo sine justa cognitione damnandi, vexandi, cogendi & excommunicandi homines? Cum igitur hanc jurisdictionem Episcopi tyrannicè ad se solos transtulerint, eaque turpiter abusi sunt, & præterea sufficientes causæ sint, cur ipsis non obediatur, certe licet hanc furto & vi ablatam jurisdictionem rursum ipsis adimere, & pastoribus ad quos ea de mandato Christi pertinet, restituere, & curare, ut legitimè exerceatur ad vitæ emendationem & ad illustrationem gloriæ Dei. Reliqua est jurisdictio in iis causis quæ Pontificio ceu Canonico jure ad forum Ecclesiasticum pertinet, ut imprimis sunt causæ matrimoniales. Hanc jurisdictionem Episcopi etiam humano tantum jure arripuerunt, & quidem non admodum veteri, ut ex Codice & novellis Iustiniani apparet causas matrimoniales à Magistratu politico dijudicandas fuisse, qui certe debet illas dijudicare, præsertim si Episcopi injuste pronuncient aut negligentes sunt, id quod & Canones testantur. Hîc singulis verbis pingunt suis coloribus, & pungunt Episcopum Anglicanum. Nam talis est Episcopatus Anglicanus qualem illi damnant in Germanicis Pontificiis. Approbarunt articulos hosce Iohannes Bugenhagius. Vrbanus Regius, Georgius Spalatinus, Andreas Osiander, Martinus Bucerus, Philippus Melanchton, Paulus Fagius, Iohannes Æpinus, Iohannes Fontanus, Iohannes Brentius, Antonius Corvinus, Dionysius Melander, & alii quorum nomina lector videre potest in centuria 16 Osiandri. Possem aliorum Germanorum testimonia quàm plurima citare, in eandem sententiam, sed sunt cuivis obvia. At Germanicæ Ecclesiæ *retenta re mutarunt nomina & pro Episcopis crearunt Superintendentes, & pro Archiepiscopis Generales aut Provinciales Superintendentes, quasi de nominibus, non autem de ipsa re ista sit controversia*, ait Saravia in prologo ante tractatum de gradibus, & Tilenus, ut modo audivimus qui nihil potest in hoc argumento sapere supra Saraviam. Non desunt ergo, dices, in Ecclesiis Germanicis reipsa Episcopi & Archiepiscopi quos mutatis bonis græcis nominibus in male latina vocant Superintendentes & generales Superintendentes. Mirarer certè, si sic desiperent, ut tantum græcas voces latinis commutarent, rem ipsam tamen illibatam & intactam retinerent. Verum quidem est quod scribit Augustinus Episcopatum esse nomen operis non honoris. *Græcum est enim atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens, ἐπὶ quippe super σκοπὸς verò intentio est. Ergo ἐπισκοπεῖν si* De civit. Dei lib. 19. c. 19.

Caus. 8. q. 1. cap. Qui Episcopatum. *velimus, latine superintendere possumus dicere.* Quæ verba Decreto Gratiani inserta sunt. Si respicias vocum significationem primariam, verum est Superintendentes posse appellari Episcopos. Sic Parœci omnes, qui habent curam animarum Episcopi appellari possunt, ut & in scriptura sic appellantur. Sic Ædiles Cereales, qui præerant pani & cæteris rebus venalibus, quæ civitatum populis quotidianum victum suggerunt, dicti Episcopi. Homerus Hectorem vocat Episcopum civitatis. Apud Athenienses adolescentes ab anno decimo-octavo usque ad vigesimum cogebantur oculis lustrare vicinas regiones, ut cum ingrueret necessitas, essent regionum, viarum & locorum periti, & dicti sunt ἐπίσκοποι τῆς χώρας regionis inspectores. Cicero lib. 7. epistolar. ad Atticum dicit se à Pompeio totius Campaniæ Episcopum constitutum. Ezechiel, qui cap. 33 dicitur *tsophe* speculator dici potest Episcopus. Vide plura pag. 182. Omnes qui quovis modo præsunt, ἐπίσκοποι, ἔφοροι, superintendentes, inspectores, inspectatores dici possunt. Rectè igitur Everardus ait, non esse firmum argumentum ductum à vocis etymo, quando est excessus verbi, ut cum significatio excedit rem signifi-

Legal. loc. 4. catam, & potest aliis rebus communicari, *ut Episcopi*, inquit *dicti sunt quasi Superintendents, sed sunt & alii Superintendentes.* Quod ad res ipsas attinet, officia Archiepiscoporum, Episcoporum Anglicanorum, & Superintendentium Ecclesiarum Germanicarum non sunt eadem. Inter eos, qui approbarunt articulos Smalcaldicos, de quibus supra, erant quidam Superintendentes, Vrbanus Regius Ecclesiarum in Ducatu Luneburgensi Superintendens, Æpinus Hamburgensis, Fontanus inferioris Hassiæ Superintendens. Saravia fatetur Superintendentes differre ab Episcopis Anglicanis.

Cap. 24. pa. 298. *Forma autem regiminis Ecclesiastici Anglicanæ Ecclesiæ in aliquibus ab illis* (nempe Germanicis) *discrepat.* Dixisset in multis, & longe aliam esse formam regiminis. Schultingius in Anacrysi Hierarchica

Li. 5. pa. 14. ait, *Tametsi Lutherani omnes & Calviniani etiam quidam, ut Zepperus Pastor Herbornensis in suæ politiæ libris & alii, Superintendentes constituant, tamen isti adeò inter se dissident, ut nemo alteri velit cedere, nemo alterius sententiam sequi, ideoque nullum etiam generale caput ferre possunt, sed quilibet in suo loco gallus in suo gallinaceo, & Episcopus & pontifex esse cupit.* Cupiunt esse Episcopi, non igitur existimat esse verè Episcopos. *A nulla officii pastoralis parte Episcopi vel inspectores Ecclesiarum* (quos etiam Decanos & Superintendentes vocat

De polit. l. 2 c. 14. p. 519. Zepperus initio capitis) *exempti aut immunes sunt. Gradum non potestatis, sed ordinis sustinent, eumque temporarium & definitum. Communi disciplinæ & censuris Ecclesiasticis subiacent. Nullas ipsi pro suo arbitrio leges condunt. Propria authoritate nihil agunt, sed communi omnia Synodi fratrum, & pii Magistratus consensu & decreto.* Item,

Pag. 522. *Quemadmodum Senatus consulem requirit, qui primariam reipublicæ curam*

curam gerat, oculatiſſimè, ne quid detrimenti ea capiat, obſervet, Senatum convocet, de proponendis cogitet, vota colligat, authoritate ſua totam actionem gubernet, contentioſos & exorbitantes compeſcat, conſulendo, monendo, hortando aliis præeat, communi conſilio decreta exequatur: ita miniſtrorum etiam collegium talem quempiam deſiderat, quem reliqui revereantur & obſervent in iis, de quibus ſecundum communia conventus ipſorum & pii Magiſtratus decreta, atque ſententiam ipſos monent & exhortentur. Item, *Vt ergo ſummam hactenus dictorum colligam, certis Eccleſiis, & miniſtrorum collegio præſidem & inſpectorem præfici oportet ordinis, politiæ, & pacis conſervandæ gratia, qui ſic dignitate alios antecedat, aliiſque præpoſitus ſit, ut à nullis tamen omnium miniſtrorum officii partibus immunis ipſe ſit: & ſic alios obſervet, ut ipſe tamen in verbi divini obedientia, & diſciplinæ ratione aliis etiam reciproca quadam obligatione & lege ſubiectus ſit.* Et quòd, ſicut ab omnibus ſimul Eccleſiarum miniſtris quibus præeſt, eligitur ſic convocatis omnium ſimul Eccleſiarum quibus præeſt ſenioribus & miniſtris deſtituatur, ſecundum formam Eccleſiæ peregrinorum Londini in Anglia per Eduardum ſextum inſtitutæ anno 50, approbat. Superintendens Zepperi gradum ordinis non poteſtatis obtinet, eumque temporarium & definitum, ut conſul in Senatu præeſt, & reciproca obligatione iis quibus ordinis cauſa præeſt, ſubjectus eſt. Si talis ſit etiam Superintendens Lutheranus vel ſi paulò majorem habet poteſtatem, & ſit præſes perpetuus in Synodis, claſſibus vel Conſiſtoriis multum tamen differt ab Epiſcopo Anglicano. Epiſcopus Anglicanus mandante rege eligitur à Capitulo & denuò conſecratur, quia Epiſcopatum à Preſbyteratu ordine diverſum profitetur. Eccleſiarum omnium ſuæ Diœceſeos non modo inſpector ſed etiam Paſtor eſt, non ullius particularis Eccleſiæ ceu parœciæ, & ſolus ſingulari poteſtate juriſdictionem exercet in omnes illas Eccleſias eorumque paſtores per ſe aut per Cancellarios, officiales, Commiſſarios & Archidiaconos ſuos, nec ulla obligatione reciproca ſubjicitur omnibus fortè 300 aut 500 miniſtris Eccleſiarum quibus præeſt. Mitto pompam, luxum, dignitatem ſæcularem, Baronias & ſimilia quæ ſunt acceſſoria ad Epiſcopatum Anglicanum. An talis eſt Superintendens Lutheranus? Nequaquam. Archiepiſcopus Anglicanus abſque Synodo & Epiſcopis exauctorare coepiſcopos poteſt, appellationes ab Epiſcopis ſuffraganeis recipere, eorumque conſiſtoriis, & quatenus Primates etiam omiſſo medio, leges etiam de Politeia Eccleſiaſtica condere unà cum principe & pleraque alia de quibus ſupra cap. 9 & Cantuarienſis habet Curias Facultatum & diſpenſationum, Curiam prærogativæ, Curiam Audientiæ, Curiam de Arcubus, Curiam peculiarium; Habent Archiepiſcopi præcedentiam ſupra omnes duces regni & ornantur titulo clementiæ. An tales Germanici Superintendentes Genera-

Pag. 524.
Pa. 529.

les aut Provinciales? Nullibi nisi in Romana Ecclesia habent Patres Patres Anglicani. Non tamen dissimulandum est Superintendentium prostasiam præsertim ubi perpetua, & qualemcunque, quam habent, potestatem, non esse probandam. Gualterus epistola ad Th. Bezam dicit Superintendentes Lutheranos in Germania nimia potestate armatos, adeo ut nihil non licere sibi putant. Extat epistola in Erasti confirmatione Thesium de excommunicatione.

Pag. 379.

Et alibi acrius invehitur, *At non inter Pontifices modò & Episcopos, dispensatores illi nequam inveniuntur, sed apud eos etiam, proh dolor, qui Evangelii doctrinam puriorem profitentur. Quam procul enim ab istorum moribus absunt Superintendentes quidam, qui in multas Ecclesias jus sibi sumunt, & non solum illis contra Christi præceptum, verum etiam earum ministris superbè dominantur. Et cum multorum corruptos mores facilè ferant, eos tamen ferre nequeunt, qui vetus illud papisticæ doctrinæ fermentum improbant, & simpliciter veteris Ecclesiæ sententiam tradunt. Quam primum enim istis verbulum aliquod excidit quo crassa ipsorum opinio perstringitur, mox ceu Catones quidam è Cœlo delapsi, eos ad suum quasi tribunal citant, nec rationem doctrinæ ab eis exigunt, sed ut nondum convicti errorem & culpam agnescant, petunt, & in hominum quorundam verba iurare cogunt, quorum authoritatem ipsi supra omnes primitivæ Ecclesiæ doctores atque Martyres eminere volunt. Quod si obedire detractent, ad amicum colloquium aut disputationem sese offerant, & ut rationes ipsorum audiantur, postulent, tunc novi isti omnium doctrinarum censores maiori rabie accensi apud principes eos accusant, & odiosis Sacramentariorum & Suermerorum nominibus gravatos ab Ecclesiarum ministerio deturbant, & cum uxoribus atque dulcissimis liberis in exilium ejiciunt. Annon hoc est conservos & ancillas in domo Dei percutere? Adde his, quod iidem illi amplissimis stipendiis ditati cum ebriosis aulicis comessantur & ludunt, fame interim tantumnon pereuntibus multis verbi administris, qui tenuissimo salario tanquam pecudum pastores conducti in diē victitant.* Superintendentis Lutherani tyrannide describenda depingit certè mores Episcoporum Britannicorum. Similes sunt moribus, licet potestate impares sint; Si pumiliones Germanici tantum sæviunt, quid censendum, putas, lector, de Gigantibus Britannicis. Nam illi ad istos sunt, ut pumiliones ad Gigantes. Brittanici etiam eo insolentiores, quod potestatem suam se ex jure divino habere jaccitant, Germanici tantùm jure humano & libera pastorum cessione suam niti profitentur.

In Lucam homil. 132. folio 344.

In Episcopatu Anglicano sunt hæc quatuor præcipuè observanda 1 derivatio potestatis ipsius 2 singulare illius exercitium 3 deputatio aliorum ad ejusdem exercitium 4 Extensiva potestas.

Quod ad primum attinet, jurisdictionem suam derivant à Rege immediatè ut à capite & fonte, sicut Pontificii à Summo Pontifice. Potestas jurisdictionis apud illos est tota in uno pontfice ut in

suo

ſuo fonte, in inferioribus non niſi derivata & limitata. Sic & apud Anglos poteſtas juriſdictionis omnimoda eſt unita coronæ regiæ & à corona Regia manat ad Commiſſarios celſæ commiſſionis, ad Epiſcopos alioſque ordinarios. Vir illuſtris Edwardus Cocus aſſertor ſtrenuus libertatum Patriæ, legum Anglicanarum peritiſſimus in Relationum parte quinta, nempe de jure Regis Eccleſiaſtico, hæc habet verba editione latina folio 8. *Quæ omnia* (nempe membra corporis politici) *lex bifariam in Clericos & laicos dividit, qui utrique proximè & immediatè ſub Deo ſuo capiti* (nempe Regi de quo paulo ante) *ſubjiciuntur & obſequuntur. Regium etiam politici hujus corporis caput plenaria & integra poteſtate, prærogativa & juriſdictione ad ſuum cuique hujus corporis membro diſtribuendum, cujuſcunque loci ac ordinis in omnibus cauſis Ecclaſiaſticis vel ſæcularibus inſtructum eſt & armatum, alias totius corporis caput non eſſet. Et perinde ac in ſæcularibus Rex in foris judicialibus cauſas temporales judicat & determinat juxta leges Angliæ temporales: ita in cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, ſcilicet Blaſphemia apoſtaſia, hæreſibus, ſchiſmatibus, Ordinibus conferendis, Clericorum admiſſionibus & inſtitutionibus, rerum divinarum celebratione, ritibus matrimonialibus, Divortiis, Baſtardiis generalibus, decimarum jure, & earundem ſubtractionibus, oblationibus, obventionibus, dilapidationibus, Eccleſiarum reparationibus, teſtamentorum probationibus, adminiſtrationibus, ſimoniis, inceſtibus, fornicationibus, adulteriis caſtitatis oppugnationibus, penſionibus, procurationibus, appellationibus Ecclaſiaſticis, pœnitentiæ commutatione, & aliis (quorum cognitio ad communes leges Angliæ non ſpectat) à judicibus Eccleſiaſticis determinandæ & decidendæ ſunt juxta hujus regni regias leges Eccleſiaſticas. Quemadmodum leges, quas Athenis Romani tranſtulerunt, cum ab ipſis comprobatæ & confirmatæ fuiſſent, eas nihilominus jus civile Romanorum nominarunt; ut etiam Normanni pleraſque ipſorum leges ex Anglia mutuo acceptas nomine legum vel conſuetudinum Normanniæ inſignierunt. Sic licet Angliæ Reges Eccleſiaſticas, quas habent, leges ab aliis deduxerunt, ex illis tamen quotquot hic generali omnium conſenſu approbatæ fuerunt, appoſitè & rectè Angliæ leges Regiæ Eccleſiaſticæ appellantur. Quod quicunque negaverit, idem denegat Regem plenariam habere poteſtatem, juſtitiam in omnibus cauſis ſuis ſubditis adminiſtrandi vel crimina & delicta infra hoc regnum puniendi. Quia, ut jam liquido conſtat, determinatio tot & tanti momenti cauſarum in cognitionem legum communium non cadit & conſequenter Rex non eſt abſolutus Monarcha, nec caput totius integri corporis huius regni.* Senſus eſt, ut Rex in foris judicialibus cauſas temporales judicat & determinat juxta leges Angliæ temporales, ita in foris Eccleſiaſticis cauſas Eccleſiaſticas & Spirituales judicat & determinat juxta leges Angliæ Eccleſiaſticas. Non diſputat vir illuſtris an jure divino ita fiat, tantum refert leges & infert quæ ſupra dixit. In eundem ſen-

sum Whitgiftus Episcopus Cantuariensis scribit. *Agnoscimus omnem jurisdictionem, quam habet aut exercet ulla Curia in Anglia, sive civilis sit sive Ecclesiastica exerceri nomine & authoritate Maiestatis Regiæ & ab ipsa ut suprema gubernatrice descendere.* Item, *Reginam exercere supremum suum reginen in omnibus causis, in civilibus per Cancellarium, in Ecclesiasticis per Archiepiscopos. Quamvis autem procedendi formulæ, & processus in Curiis Ecclesiasticis* inquit Vir illustris, *sint sub Episcoporum &c. nominibus, non sequitur Curias illas non esse Regis, vel legem iuxta quam procedunt non esse Regis legem. Sit hoc exemplum instar multorum. Quilibet Visus Franc. Pleg. à subdito in nomine Domini sui tenetur, & tamen Regis est Curia, & omnes in ea processus ad Regis leges diriguntur, subditique quamplurimi Curias ex Recordo, & alias in Anglia tenent, iuxta tamen Regis leges & Regni consuetudines in eis procedunt.* Relationum part. 5 fol. 39. Videat plura lector supra pag. 33. 34. Actus igitur jurisdictionis Ecclesiasticæ exercentur authoritate derivata à Rege. Si authoritatem illam Civilem appellare libet, tum actus spiritualis naturæ ut sunt excommunicare, officio destituere &c. civili authoritate peraguntur, quod absurdum est, Sed cum impossibile sit, ut elevetur supra naturam suam authoritas civilis ut fiat spiritualis, sequitur spiritualem potestatem coronæ regiæ unitam esse, & ab ista derivari Episcoporum jurisdictionem ordinariam. Potest etiam Rex Episcopos creare absque capitulo, quando libitum fuerit. Annesus Verementanus ex eo inter alia, quòd Pontifex Episcopos à plebe & Clero non electos Ecclesiis præficiat, aut præficere possit, colligit, Episcopalem potestatem in Romano Pontifice velut in fonte contineri & ad Episcopos derivari. *Libenter enim in Romanum pontificem, quod Episcopos à plebe & clero non electos Ecclesiis præficiat, velut in divini juris violatorem involares. Sed modum non invenis, hoc quo præstare possis, quin eadem opera in Regem Serenissimum Magnæ Britanniæ irruas. Is enim in regnis suis tanquam supremus Pontifex Ecclesiastica gubernat, quos placuerit Episcopos Ecclesiis præficit, nec eos Clero nedum populo eligendos permittit.* Hæc dicta in Spalatiensem à scriptore illo, quisquis est. De Episcoporum creatione, nominatione imaginaria capituli electione, & potestate regia creandi Episcopos absque imaginaria illa capituli electione, diximus supra capite primo, ut & de derivatione potestatis Episcoporum ab authoritate regia.

Repl. ſ. p. 680

Pag. 381.

Monarch. Eccl. lib. 2. pag. 402.

Quod ad secundum attinet audiamus censuram Francisci Baconi qui post creatus Cancellarius Angliæ. *Duæ sunt,* inquit, *circumstantiæ in Episcoporum administratione, in quibus nunquam mihi satis fuisse factum confiteor. Una est, singulare exercitium authoritatis; altera ejusdem deputatio. Quod ad Primam, Episcopus confert ordines solus, excommunicat solus, judicat solus. Hoc videtur esse absque omni*

fere

fere in regimine exemplo, & proinde verisimile est irrepsisse degenerantibus & corruptioribus seculis. Videmus summos Reges & Monarchas suum habere Consiliariorum Senatum. Nulla est Curia temporalis altioris naturæ ullibi, ubi authoritas in unius persona residet. Bancus regius, Bancus communis communium placitorum, & Scaccarium (utar juridicorum stilo forensi in translatione , sicut Camdenus in Brittannia) *sunt Banci* vel fora *plurium definito numero judicum. Cancellarius Angliæ habet parastasiam duodecim Magistrorum* Cancellariæ. *Magister generalis Curiæ Wardorum habet Curiæ suæ Senatum sic & Cancellarius Ducatus. In Scaccario Dominus Thesaurarius cum Cancellario & Baronibus conjunguntur. Magistri Requestarum semper uno plures. Assissarum justitiarii semper duo. Dominus præses in limitanea regione & plaga Septentrionali habet Senatum. Camera stellata est cœtus consiliariorum Regis Dominis spiritualibus & temporalibus aspersus. Ita ut in omnibus Curiis qui præcipuus, semper habet collegas aut Assessores. Simile reperiri potest in aliis ritè administratis apud exteros regnis ubi Jurisdictio adhuc magis distribuitur, ut in Curiis Parlamentorum Galliæ & aliis locis. Nemo negabit actus, qui exercentur per jurisdictionem Episcopi non minoris esse momenti, quam qui in civilibus curiis. Nam hominum animæ majoris pretii sunt quam corpora, sic etiam existimatio. Habent suas infirmitates Episcopi nec exempti sunt à communi illa maledictione in omnes viventes denunciata, Væ soli, nam si ceciderit &c. Imò authoritas causarum spiritualium primùm concessa, pluribus commendatur, Dic Ecclesiæ, quod non fit in temporalibus. Et in causis communibus Ecclesiastici regiminis , habentur totius Cleri conventus in Conciliis, æque ac Ordinum in Comitiis. Unde igitur singulare istud jurisdictionis exercitium ? Certe judico, & non absque ratione, ut arbitror, quod ab initio non fuit ita, & quod Decanus & Capitula erant concilia juxta Episcoporum sedes & Cathedras , erantque illis Presbyteria & Consistoria, & immiscuisse se non modo redituum & bonorum administrationi , sed etiam & multo magis jurisdictioni Ecclesiasticæ. Sed illud probabile est Decanum & Capitulum , in rebus quæ lucrum & mundum spectabant , pertinacius adhæsisse Episcopo , nec suum ius amittere voluisse. Sed quod ad jurisdictionem quia æstimabant rem laboris & assiduæ inspectionis plenam , permiserunt Episcopo irreptare, & usurpare idcirco durat unum, interiit alterum. Et videmus Pontificem Romanum , (fas est ab hoste doceri , & absque dubio prima illius Ecclesiæ instituta erant præstantissima) omnem Ecclesiasticam jurisdictionem exercere quasi in Consistorio. Et ex quibus consistit istud illius Consistorium, nonne Presbyteris Parœcianis Romæ, qui se Cardinales indigitant, à Cardinibus mundi, quia venditat se universalem totius orbis Episcopum. Atque iterum quasdam ejus umbras durare videmus in quantum Decanus & Capitulum Pro forma eligunt Episcopum quod in jurisdictione summum est. & quod, quando Episcopus confert ordines , si qui fortuito adsint Presbyteri ,*

In 8 pag. 107.

teri, advocat, ut una cum ipso manus imponant, & quædam alia particularia sunt. Idcirco id videtur mihi pium & æquum, & primæ institutioni consentaneum, ut Episcopi in causis gravioribus, & quæ spiritualem postulant dijudicationē, ut ordinatione, suspensione, de privatione ministrorum, excommunicatione ad genuinum & proprium usum restituta, ut post indicabitur, sententia ferenda in validitate matrimonii & legitimationibus, judicio causarum criminalium, ut Simoniæ, incestus, blasphemiæ & similium, non debet solus & absque assistentia procedere. Qui articulus reformationis talis est, ut institui possit sine strepitu, & res illius naturæ, quæ addet robur Episcopis, gratiam conciliabit inferiorum graduum Prælatis, & fæliciorem processum & determinationem causarum quæ agitabuntur. Et ut optarem robur illud addi Episcopis tuis in Senatu, ita non indignum est Majestatis vestræ Regiæ pensiculatione, num convenire judicaverit corroborandum generale Cleri Concilium domum Convocationis, cujus potestas tunc cum pars Regni suspecta erat ob hominium non multos abhinc annos præstitum Pontifici Romano, cohibita fuit, qui ordo nulli jam cedet in fide & obsequio erga Maiestatem vestram. Vbi hîc dicitur Decanum & Capitulum, primitùs fuisse Episcopo à Consiliis, intelligendum est cum primum constituerentur Decanus & Capitulum, non cum primum institueretur Episcopatus, multò minus cum communi omnia Presbyterorum consilio gerebantur absque Episcopo. Presbyteri erant ante Episcopum, & cum primum Episcopi Presbyteris præpositi sunt, simplices erant præsides, & quasi Decani. Non erat alius à Præside Episcopo Decanus, nec differentia erat inter Presbyteros Cardinales & non Cardinales, Canonicos & non Canonicos per multa sæcula, ut illi non isti essent Episcopo à consiliis, ut ostendimus ex ipso Bellarmino capite superiori, & ex Fildo Hierarchico, sed omnium totius civitatis Presbyterorum consilio omnia gerebantur, ut si jam Londini omnes ministri parœciani constituerent una cum Episcopo Senatum Ecclesiasticum, eumque pro totali civitatis parœcia, non pro Chorepiscoporum ditionibus. Tantum abest, ut instituta Romanæ Ecclesiæ prima fuerint præstantissima, licet respectu Monarchiæ Pontificiæ valde speciosa, ut ille delectus quorundam alios Pastores legitimos regimine suarum Ecclesiarum, quæ ipsis præ aliis chariores erant, spoliarit, à communi etiam regimine extruserit, & Cardinalium dignitatem amplificarit. Ex Babylone illa mystica sede Antichristi præstantissima regiminis instituta non expectanda, nec petenda sunt. Cardinales illi tamen erant Presbyteri Parœciani, & Diaconi civitatis Romæ, non ita Canonici ceu Præbendarii nostri in civitatibus Episcoporum sedibus: Sed & capituli istud commune regimen tandem etiam exolevit. Quàm periculosum igitur est recedere ab ea regiminis forma, quæ præscripta est in divinis tabulis, & peregrinas

alias

alias comminisci regiminis species; Quod dat politicus, accipimus, & cujus pudeat Episcopos Anglicanos, quòd Pontifex Romanus omnia administret quasi in Consistorio, quod habeat Senatum Cardinalium, quorum consilio utitur, illi nullum Senatus usum habent nisi cum agitur de distrahendis Ecclesiæ bonis, requiritur Capituli consensus Et qualis quæso illa regiminis forma quæ ne in republica bene constituta probatur. *Pœnæ, suspensiones, excommunicationes in consistorio Episcopi procedunt ab authoritate & judicio unius Episcopi, si adsit, vel à sententia & potestate Vicarii Generalis, aut unius Commissarii, si absit. Imò nonne omnes ejusmodi censuræ in Archidiaconi consistorio procedunt ab unius Archidiaconi authoritate, vel si abfuerit, à singulari Officialis ipsius authoritate.* Sed simile reperiri non potest in republica, ubi administratur justitia in causis criminalibus alicujus unius subditi ministerio. In foro juris quod Bancum Regium vocant, quòd Rex in eo præsidere solebat, Capitalis justitiarius Angliæ solus absque tribus vel quatuor assessoribus Iustitiariis legem aut statutum interpretari non potest, ubi oritur controversia de interpretatione legis aut statuti, sed possunt alii tres, si in aliam cesserint sententiam, forum trahere in suam interpretationem, nec potest solus in reum pœnam decernere, nisi prius confitentem, aut duodecim virorum, quos juratores vocant, inquisitione examinatum. In foro, quod Bancum communem vocant, quia communia placita inter subditos ex jure quod commune dicitur, in eo agitantur, Capitalis justitiarius similiter habet justitiarios assessores tres vel quatuor. *Et nonne satis constat*, inquit ipse Dounamus, *quòd judices in Banco Regio aut communium placitorum, qui sunt Iustitiariorum Capitalium parastatæ eorum cuilibet conjuncti sunt, ut ad auxiliandum in recte administrando judicium, ita etiam ad reprimendum, ne pro arbitratu solus judicet.* In curia Wardorum ceu pupillorum præter Magistrum Generalem habent Supervisorem liberationum, receptorem generalem. Attornatum ceu Advocatum generalem & alios. Sic in æquitatis foris, ut in Cancellaria & Curia requestarum ubi pauperum & regiorum famulorum causæ cognoscuntur, sunt plures. Percurrit singula juris & æqui fora usque ad infima in regno Anglicano Assertor politiæ Christianæ, & ostendit jus administrari in singulis per plures, non per unum. Aliunde igitur, Babylone nempe, advenit singulare Episcopi aut ejus Cancellarii, Archidiaconi ejusve officialis regimen. Nam non congruit cum regimine reipublicæ Anglicanæ. Non hæc dico, quòd regimen Ecclesiæ vellem conforme civili, sed quod puderet Ecclesiasticos ea regiminis forma uti quam bene constitutæ Respublicæ, quantum potest fieri, repudiant.

Assertio veræ Christianæ polit. pa. 367. 368.

Def. lib. 3. pag. 143.

Quantum ad tertium, nempe deputationem attinet, Episcopus Anglicanus spoliatis consistoriis & Decanatuum classicis Presbyterus

teriis sua potestate, etiam Capitulo, quod ipsius Senatum & Presbyterium vocant Hierarchici, omnem ipsorum potestatem sibi soli vendicavit, quam tamen solus exercere non potest. Sed quia oneri impar est necesse habet potestatem aliis communicare. Nec remittit ad Presbyteria & Ecclesias jura sua, sed transfert in novitiam quandam prolem puriotibus sæculis ignotam, Vicarios, Cancellarios, Archidiaconos, Officiales & Commissarios Decretalium Romani Pontificis excrementa. Pedum Pastorale à propriis pastoribus abstulit, & tradidit in manus extraneorũ, quibus ovium nulla cura. Sed pergat politicus in Censura sua. *Quod ad secundam circumstantiam, nempe deputationem authoritatis ipsorum, attinet, neque illius certum & firmum fundamentum video, ut quæ ab exemplis & regulis recti regiminis aliquantulum discrepet. Episcopus exercet jurisdictionem suam per Cancellarium, Commissarium, Officiales &c. Vidimus in omnibus per orbem legibus munera quæ requirunt peritiam & fidem non transferri aut exerceri per deputatum, nisi expresse contineatur in Originali & eo casu habetur legitimum. Nullus unquam iudex in ullo foro constituit Vicarium. Episcopus est iudex, & quidem naturæ sublimioris. Unde igitur provenit, quod alium surrogat, cum fiducia omnis, ut dictum, sit personalis & inhærens, nec in alium transferri possit. Certè quod ad istud etiam, Ab initio non fuit ita. Sed probabile est, cum Episcopi nimium se addicerent pompæ hujus sæculi, & evaderent Magnates in Regnis, Principum Consiliarii, delegasse jurisdictiones quæ magis propriæ erant, ut res conditionis longe inferioris quam quæ amplitudinem suam illustrarent & tunc instar Regum & Comitum Palatinorum volebant habere Cancellarios & judices. Sed exemplis Regum & Magnatum se tueri jure non possunt. Nam duæ sunt rationes, ob quas Reges administrant jus per judices suos, licet ipsi sint summi judices. Prima est, quia officia Regum sunt maxima ex parte hæreditaria Et est regula juris, quod officia hæreditaria sunt res, quæ magis interesse quam fiduciam sonent, quippe quæ mulieribus, infantibus, lunaticis, idiotis, aliisque, qui inepti sunt ad jurisdictionem per semetipsos exercendam, deferri possint, & proinde secundum omnes leges talia per delegatos administrari possunt. Secunda ratio est propter jurisdictionis suæ amplitudinem quæ tanta est, quantam vel Natalium à majoribus aut à Deo gladii jus effecerit. Ideirco Moses, qui gubernator erat populi non adeo numerosi ejusque congregati unà in castra non per provincias & civitates dispersi, & ipse spiritu extra ordinem instructus, non tamen par erat solus regendo per se populo, & judicium ministrando sed consilio soceri sui Jethronis à Deo probato substituit Seniores & judices: multò magis id possunt alii Reges & Principes. Est & alia tertia ratio à præsenti instituto non valde aliena, nempe quod Reges vel Rerumpubl. suarum respectu, vel patrimoniorum suorum amplitudinis ratione sunt plerumque in causis partes, & tunc judices stant medii inter eos eorumque subditos.*

subditos. Sed in Episcopo nihil horum firmum est. Nam primum munus est electivum & ad vitam, non patrimoniale, nec hæreditarium munus peritia, fiducia, & donis idoneis dignum. Quod ad secundam rationē, verum est, jurisdictionem ipsorum esse latam & amplam, & quod horæ ipsis dividendæ sunt secundum operam navandam tam in verbo & doctrina, quàm in jurisdictione & regimine: Non tamen capio, posito, quod judicia in Curiis administrentur sincere & absque artibus obliquis excogitatis ad multiplicandas causas ob feodorum ceu salariorum *quæstum, quin tamen Episcopus in causis majoris momenti per se judiciali munere fungi possit. Nam oculis nostris cernimus Cancellarium Angliæ expedire causas æquitatis totius regni, quod non provenit à præstantia personæ honoratissimæ, illius, qui nunc locum illum possidet, sed semper ita fuit, quamvis magis aut munus onerosum litiganti, quò magis vel minùs valebat ille causas expediendi facultate. Si, quod ante dictum, oportere Episcopum laborando in sermone & doctrina horas, ut plurimum, collocare, retorqueatur, regero, & Cancellarium negotiis Regni maxima ex parte otium suppeditasse, quippe qui plerumque tales erant, ut in ipsorum consilia à Reges nostri maximè recumberent. At Episcopus, cujus ditio non tam ampla nec lites adeo multiplices, ubi referendi beneficium & certiorem reddendi per libellos ultro citroque missos inter viros delectos & idoneos ad actionum processus maturandos, aliaque adjumenta, quæ ordinarie occurrunt in jurisdictione, obvia sunt, ipse munus suum obire potest. Est & aliud adminiculum. Causæ ad eum delatæ sunt de decimis, legatis, bonorum administratione aliisque rebus testamentariis, item matrimonialibus, ministrorum accusationibus ad suspensionem, deprivationem, aut degradationem tendentibus, simonia, incontinentia, hæresi, prophanatione Sabbati, & id genus aliis, quæ aliis offendiculo sunt. Harum duæ primæ, meo judicio, cæteris absimiles sunt nempe de decimis, & testamentariis. Sunt enim res natura sua temporales & emolumentum afferunt, licet temporalium judicum benignitate & venia permissum fuerit Curiis Ecclesiasticis iis se immiscere. Prioribus, ut Clerici possent contendere coram judicibus suis pro eo quod ad sublevandæ vitæ subsidium datum erat Posterioribus, quia defunctorum testamenta exequutioni mandanda curare opus pium habebatur. Sed quod ad illas duas attinet, potest Episcopus absque graviore ullo periculo deonerare in judices ipsius ordinarios. Existimo etiam sic futurum ut lites illæ majorem numerum conficerent. Quod cæteras attinet, quæ peritiam & dijudicationem spiritualem desiderant, ratione naturæ ipsarum, aut offendiculi quod ex eis oritur, æquum est, meo judicio ut Audientia (* sic Canonistæ de judicio Episcopali loquuntur *) non nisi per Episcopum ipsum concedatur, adhibitis, ut ante subindicatum, parastatis. Necessarium etiam esset, ut Cancellarius, aut alius qui simili sub Episcopo fungitur munere, juris civilis peritus, ipsi vacaret ad eum erudiendum in formulis juris & praxi forensi Curiæ: quod si fieret minùs necessaria esset Officialis Curia, de qua tot iam excitantur querelæ.*

Si causæ illius generis ante dictæ ad Episcopalem Audientiam deferrentur, nugatoriæ lites reprimerentur, & causæ competentes majori gravitate & sinceritate disceptarentur. Politicus iste absque dubio plura dixisset in deputationem istam, si non cavendum sibi potius duxisset, ne nimia libertate sibi crearet periculum. Dixisset dividendas & contrahendas esse Diœceses, ut Episcopi facilius per se munere fungi possint unà cum aliis ut in Senatu. Diœceses ampliores sunt quàm ut eas brachiis suis circumplecti possint, pertinaciter tamen retinent, ne quid desit ad luxum & pompā, Dicit Duarenus, *Sed nec ea jurisdictio ab Episcopis ipsis nunc exercetur, quod olim non solum magna cum gravitate & decore, sed etiam lenitate ac simplicitate fiebat, sed à Vicariis quibusdam juridicis, qui officiales vulgo dicuntur. Quorum auditoria calumniis, impostituris, ac strophis forensibus, quæcunque regia, ac prophana tribunalia longè superant.* Non dubito tamen, quin, si Episcopi ipsi in consistoriis suis exercerent jurisdictionem sub larvata gravitate gravior grassaretur tyrannis. Episcopi Pontificii & nunc & superioribus sæculis personata gravitate Anglicanis nostris non inferiores, & tamen crudeles tyranni, de quibus Lutherus. *Perinde habet in Episcopis malis & impiis, ac si Satanas ipse mitratus & annulatus in Cathedra sedens populo imperaret.* Possunt igitur Episcopi Anglicani majori cum gravitate sedere in consistoriis & Curiis suis quam ipsorum Cancellarii aut Vicarii, quia majori cum pompa & habitu Pharisaico, sed non minori tyrannide, quod, quando & ubi ipsi exercent jurisdictionem, ostendunt, nec majori sinceritate, quia fortè denarius Cancellarii non competit dignitati Episcopi. Major & magis genuina gravitas, majorque sinceritas esset si præsideret Senatus Ecclesiasticus. Quod item consulit politicus ut Episcopus utatur consultore Cancellario aut officiali juris civilis perito ad erudiendum Episcopum, & ut ita fiat, necessarium esse asserit, idem est quod Billsonus olim respondit. *Quæ hæc dementia est*, inquit, *Presbyteriis vestris earum legum administrationem tribuere quas nunquam possunt vel legere vel intelligere. Primum eos scholis edocendos tradite, deinde, cum legendi eas scientiam nacti fuerint ad Academias deducite, postremo ubi tantum studio profecerint ut jus secundum eas dicere possint, postulationem pro iis interponite ut civilis curiæ loco in qualibet Parœcia substituantur.* Fingit retlicantem, *Quasi vero Episcopi vestri tantam juris scientiam haberent.* Respondet, *Eo magis Cancellariis aliisque jurisperitis opus habent.* Regero, Eo magis Presbyteria Cancellariis aliisque jurisperitis opus habent. Nam eodem jure possunt Presbyteria uti Cancellario consultore quo Episcopus. Imo Episcopus non modo utitur eo ut consultore sed etiam judice. Nam etiam absente Episcopo judicat Cancellarius, absente Archidiacono officialis. Præterea non instituitur comparatio solum inter consistoriū Episcopi & consistorium Parœcianū, sed

De minist. & benefic. lib. 1. ca. 4.

Adversus falso nominatum ordinē Episcopor. tom. 2. 310.

De gubern. cap. 14. pag. 364. 365.

sed etiam inter consistorium Episcopi & classica Presbyteria, inter consistorium Episcopi & totius dioeceseos commune Presbyterium, quod concilium potius vocandum. An non ista uti possunt consultore Cancellario aut alio jurisperito. Sed nugatur Bilsonus. Removeantur à foro Ecclesiastico Decimarum, testamentorum, legatorum, & similium causarum judicia, & tunc non opus erit Presbyteriis vel Parœcianis vel classicis jurisperitorum consilio. Canones de ordine Ecclesiastico & præsertim de offendiculis removendis & purganda Ecclesia pauci sunt, quorum periti pastores omnes, etiam Seniores, facile esse possunt. Quales quæso sunt Canones regiminis Ecclesiastici, quorum ipsi Episcopi ignari sunt, qui sibi solis vendicant gubernationem Ecclesiæ & proinde quibus opus est consultoribus jurisperitis. *In eodem articulo occurrit dubium,* inquit Cajetanus, *An Episcopus debeat esse doctus & doctor Theologiæ an juris Canonici. Ad hoc quidam dicunt, quod licet priscis Episcopis magis scientia Theologica conveniebat, quàm scientia juris, quia opus erat contra hæreticos Theologiæ gladio percutere, hodie tamen quia magis accidunt quæstiones spectantes ad jus quam ad fidem, convenit magis, quod Episcopi sint in jure periti. Sed hi longe aberrant, tum quia officium Episcoporum, quod eis in consecratione imponitur est prædicare, materia autem prædicationis non est jus, sed Evangelium, dicente Domino, prædicate Evangelium, sub quo sacra Scriptura comprehenditur, quæ est verè & propria scientia theologiæ. Nec minus tenentur hodie quàm olim Episcopi ad prædicandum, quia non minus hodie quàm olim hoc imponitur, quamvis hodie tanta est abusio, quod non sit qui faciat fere usque ad unum. Tum quia magis tenetur Episcopus ad docendum populum servare ea quæ ad bonos mores spectant, quæ Iesus Christus mandavit servari, quam docere homines Canones sacros, quos non ipse Dominus sed homines ediderunt.* Et infra, *Et propterea dato quod hodie cessassent quæstiones fidei maxima tamen necessitas est doctrinæ morum.* Sed cum Episcopi sint Rectores, & sedent ad gubernacula Ecclesiæ expedit ut non modo theologiæ sed etiam juris Ecclesiastici periti sunt (jus stercoreum Decretalium ablegamus Romam) ut pedo Pastorali possit regere oves ipsi commendatas. Alioquin cur auferretur pedum aliis Pastoribus & traderetur Episcopo, qui eo uti nescit nisi adhibitis consultoribus juris Canonici aut civilis peritis. Non est Episcopatus regnum hæreditarium, ut propterea non sit necessaria illi juris Ecclesiastici peritia sicut in regnis hæreditariis imperat quandoque mas, quandoque fœmina, quandoque puer, & ideo juris peritia non requiritur necessario, sed in eligendo Episcopo eligitur personæ industria & peritia. Raro concionantur Episcopi Anglicani, & *quidem ab hac opere destiterunt, quia nullum aut minimum sui muneris partem existimant*, ut refert Replicator in secunda Replica contra Doun. Redeamus eò unde digressi sumus. Episcopi Anglicani non modo

In 2. 2. qu. 85. art. 3.

Part. 1 pag. 26.

modo utuntur Cancellariis & jurisperitis ut consultoribus, sed etiã surrogarunt ut judices. Atque hæc de deputatione jurisdictionis.

Quod ad quartum attinet, extensivam nempe Episcoporum potestatem, Diœceses Anglicanæ latius fusæ sunt, quam ut in iis conservari possit vel legitimũ & ordinarium particularis ullius Ecclesiæ regimen (nam omnes Parœcias Diœceseos unam constituere Ecclesiam particularem dicunt Hierarchici) per commune Presbyterium, vel extaordinarium totius provinciæ per Concilia Provincialia. *Constat hinc*, inquit Parkerus, *ne ipsas quidem Provincias veterum Metropolitanorum, quæ multos tamen sub sese Episcopatus habuerunt adeo latas fuisse, vt nunc Episcoporum Anglicanorum Diœceses sunt. Quis enim non molestum putaret vel totam Diœcesin Anglicanam bis in anno convocari?* Idem, *Quorum*, nempe Archiepiscoporum & Episcoporum Anglicanorum, *circuitus immoderatus est, ut qui ad 40 plus Anglicana millaria nonnunquam porrigatur.* De Eboracensi hæc refert Camdenus. *Iam inde Ecclesiastica dignitas in hac vrbe convaluit, pallioque ab Honorio P. P. misso facta est civitas Metropolitana, quæ præter duodecim in Anglia Episcopatus, in omnes Scotiæ Episcopos primatis jure fungeretur: sed ante quingentos annos defecitâ sua Metropoli Scotia, & ipsa Metropolis alios vicinos Episcopatus, tenues illos quidẽ & fere umbratiles ita devoravit ut jam 4 solũ in sua Diœcesi habeat Dunelmensem scilicet, Cestrensẽ, Carliolensẽ, & Mannensem sive Sodorensẽ in Mannia insula.* Vnus igitur Episcopatus, Eboracensis devoravit alios 7 tenues quidẽ, si conferantur cum Episcopatibus, qui jam sunt in Anglia, non tamen tenues, si respicias regimen Ecclesiæ. *Fœliciores essent res humanæ, si omnia regna essent parva & concordi vicinitate lætantia*, ait Augustinus. Sic & Ecclesiæ res fœliciores essent, si divideretur unus Episcopatus in plures. Apostoli non alias particulares Ecclesias instituerunt, quàm parvas, angustis finibus conclusas & concordi vicinitate lætantes. De Lincolniensi Diœcesi sic scribit Camdenus *Horum Diœcesis non contenta angustis illis finibus, quibus in primitiva Saxonum Ecclesia contenti erant Episcopi Sidnacestrenses, qui huic agro præfuerunt, tot regiones complexa est vt sua magnitudine laborarit. Et licet Henricus secundus Eliensem Provinciam & Henricus 8 Petroburgensem detraxerit, jurisdictione tamen & comitatuum numero, totius Angliæ longè maxima etiamnum censetur, & Parochiales Ecclesias 1247 in sua Diœcesi habet.* Et Linduodius, *Vbi enim conficitur Chrisma in Ecclesia Cathedrali quæ distat à loco Baptismi forsan per centum milliaria vel amplius, ut est ponere exemplum in Diœcesi Lincolniensi, non est imputandum Presbytero sive Curato, si in ipso sabbato sancto non habeat novum chrisma, cum esset impossibile & ad impossibile nemo obligatur.* Vides non posse observari statutum Iohannis Peccham, *quod Presbyteri per se aut per Diaconos aut subdiaconos à locorum Episcopis annis singulis ante Paschæ solennitatem vel*

De Politeia Eccl. li. 3 ca. 19. sect. 26. pag 293. sect. 23. pag. 287.

Caml. Brit. edit. Francof. in 8 pa. 570.

De civit. Dei lib. 4 cap. 15

Britann. pa. 430.

Provinciale Lyndewode l. 1. titulo de sacra unct. cap. Cum sacri verb. vel quanto citius

citius fieri poterit, ſacrum chriſma ſingulis Eccleſiis petere teneantur, propter Diœceſeon quarundam amplitudinem. An etiam inſtituta Chriſti & Apoſtolorum, quibus omnes Preſbyteri communis regiminis participes eſſe debent, violanda ſunt potius, quàm ditiones Epiſcoporum minuendæ. Gregorius Auguſtino Anglorum Epiſcopo, reſponſo octavo, *Fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi Epiſcopi longo intervallo non disjungantur: quatenus nulla ſit neceſſitas, ut in ordinatione alicujus Epiſcopi convenire non poſſint. Nam Epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus vel quatuor Epiſcopis geri non debet.* Addendum erat & ut veteres alii Eccleſiæ canones, ſi non Apoſtolorum inſtituta, conſervari poſſint. Dist. 80. ca. 6.

Duas habet Anglia Provincias, Archiepiſcopatus item duos Cantuarienſem, nimirum totius Angliæ Primatem & Metropolitanum; & Eboracenſem, cui ſubſunt 25 Epiſcopi: Cantuarienſi 22, Eboracenſi tres reliqui, ſi Camdenus in Britannia. Epiſcopatuum Anglicanorum plerique plures comitatus obtinent, Licolnienſem omnium maximũ ſex terminant Comitatus. Franciſcus Godwinus Epiſcopus Landavenſis in Commentario ſuo de præſulibus Angliæ, in Iudice Epiſcopatuum veterum numerat 52, modernorum 26. Vide etiam l. & c. quæ ex Musketo attulimus ſupra p. 30 32. De incommodis & injuriis extenſivæ poteſtatis egimus capite ſuperiori. pag. 100.

Sunt & alia præter quatuor iſta obſervanda in Epiſcopatu Anglicano ut pompa & dignitas aliaque quæ in ſequentibus nobis occurrent. Hactenus de Archiepiſcopis, qui ſic dicti cum additione, ſequuntur.

Epiſcopi ſimpliciter. Quorum in Anglia 24. Quorum conſiderandus ſtatus in Republica, in Eccleſia. In Republica, Quòd titulum habent Dominorum ratione Baroniæ Epiſcopatui annexæ; Præcedentiam coram aliis Baronibus in Conventu trium Ordinum, Cæteriſque congreſſibus.

De titulo *Dominorum, my Lords*, diximus ſupra pag. 74 75 76. Hîc dicitur Epiſcopos iſto titulo ornatos ratione Baroniæ Epiſcopatui annexæ. Prædiorum Domini non ſunt Epiſcopi, ſed ſolummodo uſufructuarii. Non enim poteſt vendere, alienare, donare, permutare pro ſuo arbitrio. Quæcunque olim donabantur Eccleſiæ ad pium uſum donabantur. Prædia & poſſeſſiones vendebant Domini, & pretia poſuerunt ante pedes Apoſtolorum. *Poſtquam retinere cœpit Eccleſia hujuſmodi poſſeſſiones, negare non poſſum Eccleſiæ Dominium, quorum Dominium verum transferri video donantium voluntate in ipſam Eccleſiam. Et dum dico in Eccleſiam, intelligo cum Auguſtino, non Epiſcopos, non prælatos alios, non ſacerdotum collegii,* De Republ. lib. 9. cap. 6. num. 10.

legia, non Ecclesiasticos solos, sed totum cœtum fidelium: primum quidem & immediatè particularium Ecclesiarum. At profectò à dominis donantibus dominium in totam Ecclesiam aliquam particularem, hoc est in ipsum totum fidelium cœtum illius Ecclesiæ transferri planum est, quia intentio eorum omnium est, ut bona hæc vsui communissimo Ecclesiastico inseruiant: & in Ecclesiasticis hominibus Ecclesia ipsa nunquam cognovit aliam potestatem, quàm meræ & simplicis administrationis, ait Spalatensis. Bona itaque Ecclesiastica sunt bona cōmunitatis, & dominium ipsorum est penes totam communitatem illam particularem, quatenus est communitas spiritualis & Ecclesiastica non temporalis, quæ tota communitas est prima & immediata Domina suorum bonorum, & licet totus fidelium cœtus sit horum bonorum Dominus quoad possessionem, quoad usum tamen illa pars sola huius cœtus his bonis fruitur, quæ indiget & ex Evangelio vivere debet ut pauperes & ministri, quorum unus est Episcopus. Nec est absolutum ipsius Ecclesiæ dominium in illa bona, sed aliqua ex parte conditionatum, ut loquitur idem Spalatensis, nam non potest Ecclesia hæc bona distrahere extra usum pium & Ecclesiasticum, quia intentio Domini quando Ecclesiæ donavit fuit transferre in

Num. 21. Ecclesiam Dominium conditionatū ad pios solum usus. *Dominium itaque plenū (non tamen ad prophana) rerum omnium Ecclesiasticarū sive immobilium, sive etiā mobiliū subsistentium, & quarū subsistantia perseverat, vsuque statim non consumuntur, secundum Spalat. est penes Ecclesiam, & in tota fidelium communitate.* Commendata quidem fuit bonorum Ecclesiæ administratio quibusdam præsertim Ecclesiasticis, sed non administranda arbitrio solius Episcopi, ut ministrentur & dividantur pro eius arbitrio per Diaconos vel œconomos, licet paulatim sibi singularem hanc potestatem arrogarit. Et si communitas fidelium viderit Ecclesiasticos administratores malè dividere aut administrare bona illa potest administrationem illam corrigere ex iure divino. Sed facta bonorum divisione mobilium & immobilium e assignata cuiq sua portione & inter alios Episcopo sed maiore quàm par erat, invalescente iam avaritia & ambitione non tamen erant Episcopi Domini prædiorum ipsis assignatorum sed administratores vel usufructuarii solummodo. At non ea ratione qua sint usufructuarii Prædiorum ornantur titulo Dominorum *my Lords* Episcopi Anglicani. Nam sic omnes alii usufructuarii, quia sunt Domini fructuum eodem titulo idiomate Anglicano ornandi essent, Imò, ait Spalatensis, *& Nobiles sive Theologi sive*

Lib. 9. cap. 7. num. 46. *Canonistæ Episcopos faciunt vsuarios tantum, & non propriè vsufructuarios quia neque de fructibus ipsis, solo excepto vsu pio, possunt prolibitu suæ voluntatis disponere.* Vtcunque est, fundi Dominus non est. Præterea non quicunque Dominus est fundi aut prædii alicuius, eo ipso ornatur apud Anglos Domini *my Lord* titulo. Est tamen vitium

sæculi

sęculorum recentiorũ ut & temporalia Episcopatus prędia Baronię nomine,& Episcopi ipsi *Baronium* titulo & consequenter *Dominorũ* ornentur. *Barones autem in Anglia ultimum locum inter nobiles majores obtinent*, ait Camdenus. Et Smithius in Repub. Anglicana dicit titulũ istum *my Lord* memini Baronis ordine inferiori cõpetere, nisi iis qui muneris alicujus ratione eo cohonestantur. Christus interdixit Apostolis suis non modo jurisdictionem, & imperium civile, sed etiam splendidos titulos quibus Magnates, Principes & in dignitatibus sæcularibus positi condecorantur. Et corpus & umbram, dignitates mundanas, earumque titulos, omnemque strepitum gloriæ mundi ab Ecclesia sua facessere jussit. Sed de hisce supra pag. 76. 77 satis dictum. Tantum addam Iohannis Bedæi sententiam. *Vnde colligere est, quanta sit malitia atque asinina imperitia eorum, qui Episcopum dicunt Dominum Parisiensem, Dominum Carnutensem &c. Solus enim Rex illorum locorum Dominus est. Verum quidem est in aliquibus Provinciis Episcopos territorii dominos esse, qualis est Episcopus Romanus, & aliquot Episcopi in Germania, quibus adversatur dictum Papæ Nicolai epistola* 8 *dicentis eos, qui sub Evangelio Reges sunt & sacerdotes esse membra Diaboli. Quicquid ergo prætexant Ecclesiastici, certum est eos neque territorium, neque jurisdictionem habere vlla juris authoritate, neque partem vllam imperii meri aut mixti, quale est jurisdictio.*

Brit. ædit. F. anc. p. 104

Pag. 29.

Ius Regum pag. 45.

Eadem est præcedentiæ quæ titulorum ratio. Eodem interdicto Christi prohibentur. Nam sedere à dextris & sinistris Christi, quem somniabant discipuli fore Monarcham, ejusdem est generis cum præcedentia ante alios. De ordine considendi in publicis conventibus & præcedentia egimus p. 77. 78.

Non solum ab imperio, jurisdictione, dignitatibus, titulis, & præcedentia discipulos suos cavere voluit Christus, sed etiam ab omni alia pompæ & luxus ostentatione in vestitu, famulitio, victu, ædium magnificentia, & similibus, in quibus peccant etiam Episcopi Anglicani ut dictum p. 79. 80. 81. Spalatensis Gersonem istam pompam & luxum improbantem in tractatu de temperantia in cibis, potu & vestibus prælatorum adducens, ait. *Deinde disputationem reducit ad tria capita. Vel enim, inquit, pompam in vestibus, in ferculis, in servitoribus quærunt Ecclesiastici ad placendum Deo, vel vt proficiant proximo: vel ad Ecclesiæ honestatem & authoritatem. Non primum, inquit, quia ex Hieronymo non tenera vestis, sed munditia mentis facit ornatum Clericorum. Et quia plus placent Deo opera pietatis, in quibus possent expendi ea, quæ talis pompa requirit. Non secundum, quia, inquit, plus scandalizat laicos pompa hæc Clericorum quàm ædificet; plus ad indignationem, & murmur, & invidiam eos excitat, quam ad amorem: & plus auget in eis avaritiam & superbiam quam extinguat: neque potest sacerdos pompaticus verbo & exemplo humilitatem, frugalitatem, & sobrietatem*

De rep. lib. 9 cap. 5. 44.

brietatem aliis persuadere. Et infra, *Dum objiciunt, inquit, isti pompatici sacerdotes, non ad superbiam non ad excellentiam hoc facinus, sed ut Ecclesia per hoc cum suis servitoribus honoretur, & sic honorata crescat in sua autoritate, Respondet, Honor debet dari in testimonium virtutis, non propter exteriores divitias vel ornatum. Sicque populum inducunt in errorem, dum ille ab eis discit honorare Ecclesiam propter temporalia ista & non propter bona futura & spiritualia. Alioquin Christus & ejus Apostoli non sufficienter ornassent Ecclesiam & honorassent, quando talia in se cotempserunt & aliis spernenda suaserunt.* Ipse Spalatensis cum multa in Episcoporum pompam & luxam protulisset, tandem ait. *Atque vt ego aliquid mihi indulgeam, non sum adeo rigidus vt Episcopum velim instar meri servi aut vilis mercenarii mendici plane vitam agere. Volo itaque Episcopum tantum sumere & seponere, vt ipse præter victum circa crapulam, vestimenta habeat honesta, non pomposa, neque nimium pretiosa, juxta temporum varietatem commoda & opportuna. Famulos necessarios tantum, non ad pompam & nudam clientelam, sed qui hospitibus recipiendis & bene tractandis sint oportuni.* Et alibi, *Reverentia, quam nobis populus exhibet ob solum splendorem externum, est reverentia etiam extrema, popularis, plausibilis, tota vana & spiritui nihil proficua, & splendor hic, vt dicebat Barnardus, admirationem non devotionem excitat. Si itaque collapsa jam reverentia spirituali quæ ad spiritualem populi profectum plurimum valet, dum mihi bona prædicanti credit, meque cum reverentia & devotione libenter audit: quid ad spiritum, quem solum Ecclesia respicit. si populus me tanquam divitem & in mundo potentem ac honoratum mundano solo honore revereatur? Pereat & hæc reverentia, ne ex illa & per illam populus etiam in errorem inducatur, vt ex carnali etiam carnalior fiat.* Ammianus Marcellinus, cujus verba vide supra pag. 9. 10. licet ethnicus, beatos prædicat non Episcopos Romanos, sed Provinciales quosdam *quos tenuitas edendi potandique parcissimè, indumentorum vilitas, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini, verisque ejus cultoribus, vt puros commendat & verecundos.* Non externo splendore, rerum urbanarum ostentatione, epulis profusis, numeroso famulitio, ædium magnificentia concilianda est Pastori reverentia, sed ornamentis virtutum. *Quique splendorem hunc eximium in prælatis & Ecclesiis necessarium, aut saltem vtilem & expedientem arbitrantur, falluntur plurimum, & id docentes nihil aliud efficiunt, nisi pallia quædam proferunt, quibus nos miseri turpidudinem nostram quoquo modo obtegamus. Qui nobis prælatis,* inquit Spalatensis, *nimium applaudunt & nostras cupiunt fovere pompas, avaritiam nutrire, ambitioni arridere, & luxum, obducta larva cujusdam decentiæ & honestatis obumbrare.* Marcellus secundus Pontifex Romanus cum reformationem instituendam diceret, & metum illum extenuandæ auctoritatis Pontificiæ, quem decessores ipsius objiciebant, inanem fuisse. *Ea enim,* nempe reformatione, *solidum nil tolli, sed*

De rep. l. 9. cap. 7. nu. 48

Lib. 9. cap 5 num. 39.

Spalat. li. 9. cap. 5. num. 40.

Lib. 9. ca. 7. num. 31.

ſed vana tantùm ſpecioſa, imo quæ ſumptuoſa & gravia, præſulum luxum & pompam, & comitatus frequentiam, ſumptus immodicos & ſupervacaneos, aliaque quibus Pontificis dignitas vileſcit potius, quam majorem parit venerationem. Hiſce ineptiis amputatis haud dubiè veram auctoritatem, potentiam, exiſtimationem, auctum iri apud omnes. Meritò Lutherus falsò nominatum ordinem Epiſcoporum vocat *equeſtre & heroicum genus ſacerdotum quod ſe principes Eccleſiarum nominare audet.* Cum probaſſet ex Act. 20 omnes Preſbyteros, & qui noſtra ætate Parochi & Concionatores communi nomenclatura vocari Epiſcopos, & jure poſſidere titulum & nomen Epiſcopi, ait. *Sed Paulus forſan Papiſtarum libellos & apologias illas miſerè conſutas non legit. Quinam aliàs auſus fuiſſet vni vrbi plures præficere Epiſcopos & omnes Preſbyteros vnius vrbis appellare Epiſcopos, cum non fuerint omnes principes neque ſatellitium, neque caballos aluerint, ſed vix plebei quidam & infimæ ſortis homines? Nam ignoravit forſan paulus (quod noſtro ſæculo inolevit) neminem vere magnum Epiſcopum eſſe poſſe, qui non centum equos (vt ille inquit) alat in præſepibus altis, cujus domus non regali ſplendida luxu perſtrepat, qui non regiis titulis dominationem præfulgeat.* Gratianus ex Concilio Triburienſi hæc habet. *Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria calices ſunt & pateuæ, de quibus Bonifacius Martyr & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramenta conficere: reſpondit, quondam ſacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc è contrario lignei ſacerdotes aureis utuntur calicibus.* Ferrerius Orator Gallus in Concilio Tridentino dixit Epiſcopis, *Si prius ſe in Ambroſios, Auguſtinos & Chryſoſtomos formaverint & Eccleſiam purgaverint, effecturos, vt principes etiam evadant Theodoſii, Honorii, Arcadii Valentiniani & Gratiani.* Non opus eſt ut immorer in re tam perſpicua. *Interrogetur experientia, & magna voce clamabit. Ita eſt: Nihil verius eſt. Nam unde fuit tanta principum & Sæcularium devotio apud antiquos Eccleſiaſticos pauperes & pannoſos? Vnde tantus honos? tanta reverentia? tantus cultus? vtique quia pompas tales nihili pendebant. Idcirco tanquam apud bonos & fideles diſpenſatores copioſiſſimæ eis miniſtrabantur divitiæ. Sed poſtquam inſoleſcere & eis abuti cæperunt, in contraria verſa eſt prior largitio,* inquit Gerſon in tractatu de temperantia in cibis, potu & veſtibus prælatorum. *Res ipſa loquitur immenſam quorundam principum, vtcunque pius eſſet affectus eorum, tantum virus in Eccleſiam ſparſiſſe, vt ex Pixide illa Pandoræ à Poetis decantata, non plus malorum inter homines & calamitatum exiliiſſe videatur.* ait Duaremus.

Petri Suavis hiſt. Conc. Trid. l. 5. p. 438. edit. Francof.

Tom. 2. pag. 250 de abrog miſſ. privat.

Tom. 2 pag. 322. Adverſ. falſo nominatum ordinem. Epiſcopor.

De conſecr. diſt. 1. cap. Vaſa.

Petrus Suavis in hiſtor. Con. trid. li 8 p. 863. edit. Francof.

De benef. & miniſterius l. 2. c. 4.

In Eccleſia ratione Vocationis aut Functionis. Ratione Vocationis externæ ad Epiſcopatum in qua quædam reſpiciunt principem, quędam Epiſcopos. Principem

pem idque Ante electionem, Nominare, Facultatem eligendi concedere, Post electionem, Regium assensum adhibere, Mandare Archiepiscopo ut confirmet, Ipsi duobusque aliis consecrare, Homagii jusjurandum ab Episcopo novo exigere, possessiones Episcopatus restituere. Episcopos, Archiepiscopum qui confirmet electionem; Ipsum duosque alios qui consecrent ad præscriptum libri Ordinationum.

De Polit. Pag. 313.

Muckerus sic, *Postquam Regis licentia & mandato Episcopi in Anglia à Decano & Capitulo Cathedralium Ecclesiarum infra Diœceses quibus præficiendi sunt, eliguntur, illius assensu electi comprobantur, confirmati consecrantur, & tum consecrati homagii juramentum Regi præstiterint, Rex illis vicissim suorum Episcopatuum possessiones restituit.* Assertor politiæ Ecclesiasticæ veræ & Christianæ sic describit ordinem procedendi. Cum vacat Ecclesia aliqua ut Cantariensis Wintoniensis &c. Decanus & Capitulum significant Regi se orbatos esse Episcopo, & supplices rogant Regiam Majestatem, ut concedat ipsis facultatem eligendi alium, Rex diplomate suo obsignato concedit facultatem, monens, *ut talem eligant in Episcopum & Pastorē, qui Deo devotus, & Ecclesiæ suæ necessarius, nobisque & regno nostro utilis & fidelis existat*. Sed una cum diplomate mittit literas commendatitias, quibus nominatur Episcopus eligendus. Peracta electione iterum rogant, ut assensum Regium adhibeat Domino electo, *to the Lord elected*. Deinde mittit aliud diploma ad Archiepiscopum, vel alium quem delegerit Episcopum, ut comprobatum suo assensu confirmet & consecret secundum ordinem præscriptum. Peracta confirmatione & consecratione, & præstito homagio ac juramento fidelitatis Breve Regium mittitur è Cancellaria ad eum qui refert bona publicata ad Scaccarium ceu Fiscum principis, mandans, ut illi restituantur temporalia Episcopatus. Potest etiam Episcopus, si libitum fuerit, aliud Breve à Cancellaria obtinere præcipiens clientibus & villicis, ut eum agnoscant suum Dominum. Imaginaria ista electionis forma Ecclesiæ ipsius libertatem in eligendo omnino sustulit. Nihil hîc de consensu, nedum suffragiis populi & honoratorum civium, aut Presbyterorum Diœceseos. Cum in Concilio Tridentino ageretur de Episcoporum qualitatibus nulla erat controversia, omnibus in vitia & enormitates præsulū, atque Ordinis Ecclesiastici uno ore declamitantibus. Verum Iohannes Salazar Episcopus Lancianensis culpam omnem in Aulam Romanam tanquam mali fontem conjecit, quæ in Episcopatuum distributione, non personarum promerita sed operam

Pag 274. 275.

Petri Suavis histor. Conc. Trid. pa. 277 edit. Francofurt.

tam ſibi præſtitam contemplatur. *Quem Epiſcopus Bitontinus excipiens prudenter admodum reſpondit, immeritò in Curiam Romanam crimen illud conferri, quod aliò ſit transferendum: Cùm in Germania Epiſcopatus per electionem, in Gallia, Hiſpania, Hungaria, per nominationem Regiam deferantur; in Italia plerique ſint de jure Patronatus, & in his qui ſunt liberi, deferendis, principum commendationibus, quorum preces ſunt armatæ, plurimum ſit tribuendum, qui cum excuſationem non admittant, Pontifici eorum pro merito conferendorum libertatem adimunt.* Cardinalis Lotharingius de Epiſcoporum electione in alia illius Concilii congregatione ſententiam dicturus, *Concordata palam damnavit, dicens inter papam Leonem & Regem Franciſcum collationem beneficiorum Regni diſtributam fuiſſe, quæ capitulorum eſſe debebat: & parùm abfuit, ut diceret ſicuti præda dividi ſolet inter venatores.* Paulus 4 dicebat, *decretum ſibi, ubi aulam ſuam ab hoc fermento* nempe Simoniæ *perpurgarit in eum modum ut ei nemo objectare poſſit illud, Medice cura teipſum, & Principibus ipſis oſtendere Simoniæ malum in ipſorum aulis graſſari vehementius, & ejuſdem auferendi non deeſſe ſtudium ſibi, qui principibus æque ac præſulibus antiſtet.* De hoc malo Simoniæ in promovendis Epiſcopis Anglicanis vide quæ ſupra pag. 95 tranſcripſi ex Brightmanno. Galli in ſuis Synodis vertunt ſe ad planctum & preces. In Synodo Rhotomagenſ. 1581 dicunt, *Optamus omnes à Deo atque à Chriſtianiſſimo noſtro Rege ſupplices precamur, electiones reſtitui cum veteri & ſincera eligendi forma. Sed quoniam impetrandi ſpes nondum oſtenditur, cum contigerit ſedem vacare, preces & ſolennes ſupplicationes ad Deum ut gregi paſtorem det idoneum, fieri mandamus.* Item in Concil. Bitur. 1584 decretum *ut vacante ſede Epiſcopali fiant preces publicæ, & ſupplicationes capitulis indicantur.* Optant autem jus electionum reſtitui Clero, ut patet ex Concilio Rhemenſ. 1583. Fœliciores quidem eſſent res Eccleſiæ, ſi Clero permitteretur libera electio, quàm cum eam totam aut integram ſibi arrogant principes, aut nominationem & comprobationem ſolummodo relicta Capitulo umbratili quadam nominati electione, quæ propriè electio dicenda non eſt. Nam electio omnis propriè comparativa eſt, qua à pluribus unus eligitur maxime idoneus. Neque eſt iſta electio per Capitulum probanda, licet integra eſſet, nec eſt adeo antiqua. Supra vidimus ex Bellarmino & Fildo per multa ſæcula non agnitam fuiſſe differentiam inter Canonicos & non Canonicos, Cardinales & non Cardinales Presbyteros, & ætate Gregorii omnes Clericos interfuiſſe electioni. Sed *poſtremis 500 annis, neque ad Concilia, neque ad electionem admiſſi ſunt omnes Clerici,* inquit Bellarminus, *quod nimis multi eſſent, ſed ſoli Cardinales.* Et tamen ætate Gregorii erant multi Presbyteri in Romana Eccleſia. Nam ſi tempore Cornelii circa annum 250 in medio perſequutionum regnantibus Idololatris erant 46 Presbyteri Romæ, multò

Pag. 730.

Pag. 447.

Bochellus in decretis Eccleſ. Gallicanæ. pag 771.

De clericis cap. 16.

plures erant tempore Gregorii, quando nullus erat in urbe paganus; Sic conjicit ibidem ipse Bellarminus. Nec est numerosa Presbyterorum turba justa excludendi aliquem à jure electionis causa. Nam eadem ratione pauci Episcopi evocandi erant ad Concilia generalia: & ordinum Comitia minori quam par est consistent numero. Debent igitur omnes ministri Londinenses convocari ad eligendum Episcopum & non illi soli qui sunt membra Capituli. Ista electionis forma, licet esset integra in Anglia, nempe per Capitum est recentior & nonnisi post invectam istam Canonicorum & Capituli institutionem. *Ad Canonicos solos*, inquit Calvinus, *integra potestas* nempe eligendi Episcopos, *translata est. Illi in quem volunt conferunt Episcopatum eum mox in conspectum plebis producunt, non examinandum sed adorandum.* In Germania Episcopi à sex tantum aut octo interdum hominibus eliguntur fatente Bellarmino. Cum dico omnes Presbyteros habere jus electionis intelligo non civitatis solummodo, sed totius etiam Diœceseos. Nam si ante divisam massam totius particularis Ecclesiæ Diœcesanæ in partiales ceu paroecias, Presbyteri omnes eligebant, non est æquum, ut facta massę distributione, ita affigerentur suis particularibus parœciis, ut à communibus negotiis excludantur, nec ut una Ecclesiæ pars sit potior jure electionis quàm alia. Sed est & alia electionis forma antiquior nempe per Clerum & populum. De Cornelio Episcopo Ecclesiæ Romanæ sic Cyprianus. *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio*, quidam codices *consensu*. De quo etiam narrat, quòd *Episcopatum ipsum nec postulavit nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus susciperet.* Nullam vim patiuntur Brittannici ut Episcopatum suscipiant, sed pluribus artibus ambiunt. Et de Sabino etiam narrat Cyprianus, quod *de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum qui aderant judicio Episcopatus ei delatus erat.* Cum eligendus erat successor Anteri refert Eusebius fratres omnes in Ecclesia congregatos, & cum multi de compluribus illustribus viris eligendis cogitarent, populum Fabianum Episcopatu dignum proclamasse. In Epistola Concilii Nicæni ad Alexandrinos & fratres qui in Ægypto, Lybia & Pentapoli, quæ extat apud Theodoritum, decretum, ut quia à Meleto creati fuissent, sacratiori ordinatione confirmarentur. *Quod si quis forte Ecclesiæ præsul obdormierit jus esto paulò antè receptis succedere in locum demortui* εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο. *modò*

Institu. lib. 4. cap. 1. sect. 2.

De cler. ca. 7

Lib. 4. ep. 2.

Lib. 1. ep. 2.

Euseb. lib. 6 cap. 29.

Hist. l. 1. c. 9.

modò digni viderentur & populus eos eligeret, Mortuo Auxentio Ariano contendunt Mediolanenses, propterea quod non unum omnes ad Episcopatũ Mediolanensis Ecclesiæ capessendum deligebant ἢ τὸν αὐτὸν αἱρούμενοι, tandem communibus suffragiis ad Ambrosium Episcopatum deferunt ut refert Sozomenus. Refert etiam Chrysostomum successisse Nectario ψηφισαμένων δὲ τούτο τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, *Postquam in hoc Clerus & populus suffragia sua contulissent*. Et ipsum Nectarium electum narrat Theodoritus παντὸς τε κλήρου καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως cum omnium clericorũ & *totius civitatis approbatione*. Mortuo Eudoxio Constantinopolitano *Ariani in locum ejus Demophilum sufficiunt: sed qui fidei Consubstantialis favebant, se tempus opportunum nactos arbitrati Evagrium quendam ipsorum fidei fautorem* προεβάλλοντο *designabant*, ait Socrates: Et Sozomenus *Evagrium quendam* ψηφίζοντο *suffragiis suis eligunt*. Homousiani Paulum quendam ad Episcopatum Constantinopolitanum προχειρίζονται deligunt ait Socrates Post abdicatum Nestorium multi Constantinopolitani Philippum plures etiam Proclum ἐπιλέγοντο elegerunt. *Itaque in prima Ecclesia populus proponebat nominabat eligebat atque decernebat perinde ac Clerus: & licet Presbyteri in discernendo plus judicio vollebant, in eligendo tamen Pastores suos populus facultatem habebat, adeo ut si major pars eorum consentiret etiam contra Clerum vota plurium obtinerent dummodo electi ii essent, quos Canones paterentur, nec ordinantes justam improbandi causam haberent*. Augustinus astante & Clero & frequenti populo dixit *Presbyterum Eradium mihi successorem volo*. Et cum populum probare ipsius nominationem perspiceret. *Rogo ut dignemini gestis subscribere quotquot potestis*. Et cum sileret populus, urget, *hic mihi vestra assensione opus est, de hac assensione aliquid acclamate. A populo acclamatum est fiat, fiat, dictum vicies quinquies*. Albinus Flaccus Alcuinus, *Cum Episcopus civitatis fuerit defunctus eligitur alius à Clero seu populo fitque decretum ab illis & veniunt ad Apostolicum cum suo electo, deferentes secum suggestionem i. est rogatorias literas, ut eis consecret Episcopum*. Plura accumulare testimonia quid opus est, cum adversarii idipsum fateantur. *Hic modus*, inquit Bellarminus, ut eligeret Clerus & populus civitatis, *fuit in usu tempore Chrysostomi, Augustini, Leonis, Gregorii*. Sed non tam candidè Pamelius. *Non negamus itaque*, inquit, *veterem electionis Episcoporum ritum, quo plebe præsente, imo & suffragiis plebis eligi solent, verum plebi sola suffragia concessa non electionẽ, quæ per subscriptionem fieri solet*. Quum Leo distinguit officia singulorum in electione, & civibus vota, populis testimonia, honoratis arbitrium, clericis

Sozomenus li. 6. c. 24.

Lib. 8. cap. 2.

Th. li. 5. c. 9.

Soc. l. 4. c. 14

Soc. l. 6. c. 23

Soc. li. 2. c. 6.

Soc. l. 7. c. 35

Bilson. de gubernat. ca. 15. p. 434.

Epist. 110.

Lib. de divinis officiis.

De Cleric. ca. 9.

In Cyprian. ep. 68. not. 16

Leo epist. 87

cis electionem vel sic, Clericis subscriptionem, honoratis testimonium, ordini & plebi consensum tribuit, rhetorice potius more suo loquitur, quàm dialecticè distinguit. Nam testimonium modò populis, modò honoratis tribuit. Præterea de more sui fortè sæculi loquitur. Nam ex supra allatis testimoniis patet populum proposuisse, nominasse, elegisse, decrevisse, designasse. Ipsam προβολὴν primam nominationem fuisse penes populum supra audivimus. Si quando aliqui ad Episcopatum capessendum designati essent vel à Clero vel à Concilio, tamen populi suffragiis vel assensu unus erat electus. Sic nominatio erat aliorum, electio erat populi, & contra, si nominatio erat populi, consensus & electio erat aliorum. Vtrum acclamatione, manuum elevatione, an subscriptione assensum suum testati fuerint, perinde est, populus conjunctis passibus cum Clero incedebat, ut loquitur Bilsonus. *Hoc enim tunc potissimum agebatur*, inquit Pamelius, *ut invitæ plebi non daretur Episcopus, non tamen sic vt cogerentur Episcopi admittere quemcunque plebs postulisset utipatet ex Can. 1 & 2 Græcarum Syno. à Martino Bracarensi collectarum & ex dict. Celestini epist. & Stephan Papæ decreto 63 dist. 2 c. nosse. Sed si quam petiisset contra statuta Canonum denuo & sæpius convocari solitos Clerum & plebem donec concordarent in quempiam idoneum, colligere licet ex epistol. Gelasii Papæ ad Philippum & Gerontium citata à Gratiano dist. 63 c. Plebs. Si qua autem contradictio quorundam oboriretur, discutiebantur primò personæ contradicentes, & tum denum, si vera non essent, quæ objicerentur ordinabatur Episcopus vt constat ex can. 40. Concilii Carthag. 3.* Nec coactus est populus recipere quemcunque Clerus aut alii Episcopi nominassent. Nec Clerus nec populus potuerunt cogere alios præter Canones. Qui Proclum elegerunt destiterunt, cum docuissent quidam Canonibus vetitum Episcopum alicujus civitatis nominatum ad aliam civitatem transferri. Sat est quod concedit Pamelius invitæ plebi non datum Episcopum & absque populi suffragiis inutilis erat ista subscriptio quam memorat Leo. Et iste modus eligendi nempe cum testimonio & consensu populi duravit satis diu ait Bellarminus. Pamelius fatetur ad Gregorium usque, imo ad tempora Caroli & Ludovici imperatorum durasse. Baronius usurpatam à Caroli prædecessoribus electionem Episcoporum in pristinam libertatem restitutam refert sancita lege una cum Ludovico Imperii consorte, quæ extat inter capitula sive leges Ecclesiasticas & civiles Caroli & Ludovici lib. 1 cap. 84 & inseritur Decreto Gratiani dist. 63 cap. 34. At eo capitulo tribuitur electio à Clero & populo & secundum statuta sacrorum Canonum. Habes lector verba capituli supra p. 8 Populi electionem à divina authoritate descendere dicit Cyprianus. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis & Deum metuens à peccatore Præposito separare se debet nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere,*

De gubern. c. 15 p. 434.

Socrates lib. 7. cap. 35.

De Cler. c. 8.

Ann. 813. nu. 7.

Li. 1. ep. 4.

miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. Hic plebs potestatem habet eligendi dignos & recusandi indignos. Atque hæc epistola non est unius Cypriani, sed Synodi Africanæ, & complurium Episcoporum. Exempla afferunt ab electione Matthiæ Act. 1. 23 & Diaconorum Act. 6. 5 ubi multitudini fidelium dispiciendi viros idoneos & eligendi partes tribuuntur. Quibus addi potest aliud ex Act. 14. 23, ubi Paulus & Barnabas dicuntur per suffragia creasse Presbyteros in singulis Ecclesiis. Nam χειροτονέω significat propriè manum porrigo, aut protendo aut attollo, quasi τὴν χεῖρα τείνω, quod fiebat in ferendis suffragiis, & proinde significat, non modò manum protendere in ferendo suffragio, sed etiam per suffragia creare Magistratum, cum construitur cum accusativo. Ut apud Athenienses rogante in foro præcone cives suffragium per manus elevationem significabant, ita in Ecclesia fideles rogante præside actionis. Sed manus imponere ordinando aut inaugurando nunquam significat, vel apud Prophanos scriptores, vel alibi in scripturis. Nam 2 Cor. 8. 19 proprie sumitur pro suffragiis electo. aliis locis metaphorice pro decernere aut designare quovis modo, ut Act. 41 nam Deus non delegit Apostolos ulla manus porrectione nec imponendo manus ordinavit. Septuaginta interpretes impositionem manuum inauguralem exprimunt alia voce nempe ἐπίθεσις τῶν χειρῶν. Lucas ab usitatis 70 interpretatum vocibus & phrasibus quoad fieri potest non recedit, usurpatæ enim erant Septuaginta interpretum phrases inter Hellenistas. Nec novam affinxisse significationem, qua ante eum Græci authores nunquam usi sunt, credendum est. Et quidem significationem, quam ipse mos ferendi suffragia per manus porrectionem repudiat. Elevabant enim manus, dum significarent suffragium. Præco enim dicebat cui hoc vel illud non place αἰρέτω τὴν χεῖρα. Quis enim aptè manuum impositionem & proinde depositionem super caput ordinandi manuum elevationem diceret. Abusi tamen sunt istius vocis genuina significatione Patres & ipsam manus impositionem in ordinatione χειροτονίαν appellarunt. Interdum tamen propriam retinent significationem, ut Pseudoignatius in Epist. ad Philadelphienses. Sic Concilium Laodicenum interprete Balsamone. Canon est *Non opportere* τὰς χειροτονίας *fieri in præsentia audientium.* χειροτονίας, inquit, *hic nominat* τὰς ψήφους *id est suffragia vel electionem*; Quia in electionibus dicuntur nonnulla indigna de iis, qui eliguntur, audientes Synodus non vult interesse, sic ille. Eandem interpretationem sequitur Zonaras, & in Can. 1 Apostol. hæc habet, *Nunc quidem* χειροτονία *vocatur perfectio precum, & sancti spiritus invocatio, dum*

Can. 5.

Zonaras in Can. 1. Apost.

sacerdotii quo initiatur, & consecrationem sortitur. Ex eo dicta, quod Pontifex manum extendat, benedicens homini ad sacra deligendo. (At illa manus extensio non est ritus consecrationis à quo ordinatio denominanda, sed antecedit tantum, & præterea illa extensio non fit porrigendo in altum, ut solebat fieri in ferendis suffragiis.) *Sed quondam* αὐτὴ ἡ ψῆφος χειροτονία ὀνομάζεται *ipsum suffragium nominatum est Chirotonia. Nam quum populis civitatum liceret eligere sacrorum præfectos, conveniebat populus & alii quidem hunc, alii vero deligebant illum. Quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos extendere manus. Et per manus ita porrectas numerabantur, qui vel hunc vel illum delegissent. Plurium vero calculis electum summo sacerdotio præfecerunt. Chirotoniæ nomen hinc desumptum, quo sic etiam Synodorum Patres inveniuntur usi, suffragium* ψῆφον *nominantes Chirotoniam.* Potestas in eligendis ad alia munia, Ecclesiam in pastoribus eligendis jus habuisse indicat. *Socius peregrinationis Pauli* χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν *suffragiis delectus ab Ecclesiis* ad munera collata in subsidium Ecclesiæ Hierosolymitanæ perferenda 2 Cor. 8. 19. Et Act. 15. 22. *Tunc visum est Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba* ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν *delectos ex sese viros Iudam & Silam* cum Epistola Synodi. *In electionibus vero ministrorum etiam Apostolorum tempore, & ipsorum instituto plebem & totam multitudinem magnam habuisse partem, qui est primus & fortasse præcipuus Democratiæ effectus, ut ipsa multitudo eligat sibi Magistratus & gubernatores,* ait Spalatensis. Ibidem, *Habet Ecclesia suo modo in se nonnihil formæ democraticæ: non in eo tantum, quod etiam ex infima plebe assumi possint & soleant homines ad Ecclesiastica officia, & ministeria, etiam Episcopatus si sint idonei: quod tamen vix redolet minimum quid Democratiæ: & hoc in plebe est aliquid passivum duntaxat, ipsa vero hinc nihil habet potestatis & auctoritatis.* Active igitur & executive suo modo concurrere ait ad excommunicandum & in electionibus activum quid habuisse ex instituto Apostolorum asserit, & pluribus docet libro tertio & probat multis exemplis fuisse morem veteris Ecclesiæ, eumque morem durasse ad nostra pene tempora. *Jam vero post Concilium Nicenum in electionibus eundem prorsus veterem morem perpetuo Ecclesiam, ad nostra pene tempora servasse, ut à Clero & populo fieret, ex patribus, ac rebus gestis, & Conciliis, & juribus: ex Romanorum Pontificum attestationibus, & Decretis jam sumo comprobandum.* Populi partes fuisse non modo testimonium reddere de vita & moribus eligendi, sed etiam decernere, eligere, proponere, postulare, & quandoque postulato assensum adhibere supra exemplis Eradii, Ambrosii, Flaviani, Nectarii, Euagrii, Procli & Alcuini testimonio probavimus. Si plebs aliquem indignum, aut contra Canones posceret, docendam non privandam jure suo docuit Cœlestinus epist. ad Episcopos

De rep. li. 1. c. 12 num 10

Cap. 2.

De Rep. Eccl. l. 3. c. 3. n. 12

Dist. 62. c. 2.

pos Calabriæ & Apuliæ. Atque hunc non alium esse sensum Canonis Concilii Laodiceni asserit Spalatensis, nempe *non esse permittendum, ut plebs absolutè suam expleat voluntatem circa personarum electiones, ubi videlicet contra Canones personas etiam inhabiles eligit. In quo sensu Canonem hunc intellexit Martinus Bratarensis. In sua enim collectione c.1 hoc pacto eum ponit dist. 63. Non licet. Non licet populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promoveuntur: sed in judicio Episcoporum sit, ut ipsi eum probent si in sermone & fide, & spirituali vita edoctus sit. Per electionem itaque intelligit etiam approbationem. Simplex itaque electio relinquitur jure communimissimo plebi: dummodo electi approbatio vel reprobatio non spectet ad plebem sed ad Episcopos ordinatores.* Praxis Ecclesiæ ante & post conditum canonem illum ostendit quis sit genuinus sensus. Clerum multitudinem sequi aut ejus erroribus abripi debere nullus adeo desipit, ut suadeat. Invitis autem Ecclesiis populum non obtrudendum communis sensus docet, *ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religiosa, quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluerit.* In Concilio Parisiensi quod celebratum anno 559 decretum in hunc modum. *Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit, ut juxta antiquam consuetudinem canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, Episcoporum comprovincialium ingeratur.* Iam cœperant principes paulatim invadere jura Ecclesiæ, cum viderent Episcopos evasisse rerum potentes in sæculo, & Magnatum æmulos plerisque in locis. Primo consentientium tantum numero haberi volebant, & electionem jam factam ratam habentium, & initio ne hoc quidem, sed tandem arrogarunt sibi omnem potestatem relicta quibusdam in locis Capitulo umbratili quadam nominati electione vel potius approbatione. Si quis dixerit translatam esse in regem populi potestatem consensu populi. Nam in comitiis ordinum cives omnes regni per legatos suos consentiunt in legem latam de isto modo eligendi. Sic respondet Whitgiftus Cantuariensis. Sed replicat Cartwrightus. Hoc illud est de quo quæritur, num jure hoc fecerint. Num ovum istud electionis Papisticæ amiserit naturam suam venenosam, quod incubuerit ipsi Parliamentum. Consensus civium in Comitiis semel, nempe cum fertur Lex, præbetur, at quoties eligendus pastor, requiritur particularis consensus. Conventus ordinum in Comitiis non est conventus Ecclesiæ. Conventus nationalis Ecclesiæ, id est legitimum & liberum Concilium nationale, præsertim ubi est reformata Ecclesia, debet definire hunc electionis modum esse legitimum, prius quàm quid de eo statuatur in Comitiis ordinum, id est sanciri potest in Comitiis hæc forma electi-

Laod. Conc. can. 13.
Spalat. de Rep. l.3.c.3. num.50.

electionis, si prius instituta à Concilio Ecclesiæ, ubi repræsentatio habetur Ecclesiæ, quatenus est communitas Ecclesiastica & spiritualis, & non in Comitiis ordinum. Hoc inquam, posito, quod particulares Ecclesiæ possint cedere jure suo, non nisi præeunte decreto Synodi generalis id possint. Sed non possunt transferre jus illud, & præsertim jus perpetuum & quasi hæreditarium electionis in Concilium Nationale, multò minus in principem. Est enim, ut ait Cartwrightus, jus electionis libertatum illarum pars, quam Christus acquisivit sanguine suo, quamque in alium transferre non licet, aut alienare, magis quàm hæreditatem regni cœlorum, cui annexa est. Nam de omnibus mediis salutis sollicita esse debet Ecclesia. Debet ergo eligere Pastorem unum ex mille, ut loquitur Iobus, præstantissimum, sanctissimum, eruditissimum, & quem potest, vigilantissimum, non ab aliorum pendere arbitrio, præsertim principũ aut potius aulicorum. Dimicant inter se Canonistę & Imperialistę, illi pro Pontifice, isti pro Imperatore. Vtrinque adulatio, Pauci pro Ecclesia. Non quia Pontifices hac libertate spoliarunt Ecclesias, eam sibi vendicare debuerunt Imperatores & Principes, sed ut nutritii & advocati Ecclesiæ, siquidem his elogiis gaudent, Ecclesiis restituere. Tributa exigant, Regalia aut jurisdictiones alias civiles temporalibus Episcopatuum annexas etiam infimarum Curiarum recipiant, electionem pastorum, libertatum Ecclesiæ non minimam & ex qua salus Ecclesię pendet, Ecclesiis relinquant, alioquin majoris sacrilegii postulabantur, quàm si mille Episcopatuum prædia diriperent. Experientia ipsa elata voce clamat magis aut minus florentes esse Ecclesias, prout magis aut minus libera electio, & florentissimas illas, ubi docente & ducente Presbyterio honorati cives, & inferioris ordinis plebei fideles una postulant, eligunt, aut dignos recipiendi, & indignos recusandi, ut loquitur Cypr. potestatem habent. Sed cum dormientibus & invitis, gementibus, sed hiscere non audentibus, præponitur Episcopus, quem aula vel Pontificis vel Principis emiserit, hinc Epicureismum illinc Papatum, vel etiam hinc Papatum & illinc Epicureismum invehi in Ecclesiam, cœcus est, qui non perspicit. De Episcoporum electione videat plura lector supra p. 6.7.8.9.

2 Repl. 1 part p. 126.

De assensu Regio diximus pag. 21. Non damnamus simpliciter assensum Regium. Non enim ignoramus Imperatores & Principes electioni liberæ Cleri & populi assensum suum quandoque adhibuisse. Sed ita pendere ab assensu principis electionem, ut denegato assensu vel omnis electio irrita redderetur, vel illa sola vim habeat, quam assensu suo roborarit, pernegamus. Nam prius tribuit Principi potestatem privativam in iis quæ Christus concessit Ecclesiæ primariò & immediatè, & sic nullos haberet Ecclesia Pastores, si ita Principi placuerit. At Princeps habet tantum potesta-

tem cumulativam in libertatibus, quas Chriſtus tradidit Eccleſiæ, non privativam. Poſterius etiam, ſi non omnem, liberam ſaltem electionem tollit, & perinde erit ſive antecedenter elegerit, ſive conſequenter aſſenſum ahhibuerit, nam in idem recidunt. Si populus aliquem poſtulaſſet vel elegiſſet contra Canones, ſæpius convocari ſolitos Clerum & plebem, donec conſentirent in idoneum quempiam, dixit ſupra Pamelius. Sed ſi canonicè quis electus à Clero & populo, inutilem tamen reddi poſſe electionem per Principem pro mero ipſius arbitrio iniquum eſſet. Non ita pendet à ſummi Magiſtratus arbitrio Magiſtratuum in civitatibus electio. Præterea quid opus eſt particulari aſſenſu principes in qualibet electione, ubi legum authoritate id eſt Principis & ordinum in Comitiis conſenſu legitima electionis forma ab Eccleſia prius recepta ſanciri poteſtas.

De Epiſcoporum confirmatione per Metropolitanum egimus pag. 50 & 54.

In Epiſcoporum conſecrationibus tria ſunt expendenda 1 conſecratio ipſa, 2 conſecrator, 3 ritus Conſecrationis. Quod ad primum attinet, oſtendimus Epiſcopi & Preſbyteri unam eademque eſſe ordinationem nec ullam hactenus differentiam eſſentialem introductam in Eccleſiam, ne quidem ſub ipſo Papatu. Ejuſdem ordinis Epiiſcopum & Preſbyterum eſſe probavimus, & pro inde non opus eſt Epiſcopo nova ordinatione, ceu ut vocant, conſecratione. Bonaventura, *Non ita propriè dicitur aliquis ordinari, cum promovetur in Epiſcopum, ſicut cum promovetur in ſacerdotem, ſed magis propriè conſecrari*, quia ut paulo ante dixit, *ſicut non recipit alias claves, ita nec alium ordinem*; & infra, *Sacerdos non inungitur ad ordinis neceſſitatem, ſed magis ad ſolennitatem, ut digne poſſit corpus Chriſti ſacratiſſimum conſecrare*. Item, *Unde ſicut collatio pallii non dat novum ordinem Archiepiſcopo ultra Epiſcopum, ſic nec collatio baculi annuli, aut mitræ, aut alicujus conſimilis ultra ſacerdotem. Talia enim ſunt ſacramentalia potius quam ſacramenta. Non enim ſacramentalia tantum præcedunt ſacramentum, ſed etiam ſequi poſſunt*. Accepit igitur Epiſcopus ſacramentum Ordinis, vel Ordinationis cum erat ordinatus Preſbyter, quid jam ultra accipit, niſi ludicra quædam ſacramentalia non à Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtituta. Nulla erat primo poſt Apoſtolorum ætatem ſæculo alia ad Epiſcopatum promotio quam per electionem, idque etiam colligit Willetus ex Ambroſii & Hieronymi teſtimoniis: Ambroſii cum dicit *Epiſcopi & Preſbyteri una eſt & eadem ordinatio* & Hieronymi, cum ait *Alexandriæ Preſbyteri unum ex ſe electum in celſiori gradu collocatum Epiſcopum nominarunt*. Albinus Flaccus Alcuinus ex iiſdem Hieronymi verbis colligit non aliam fuiſſe Epiſcopi conſecrationem, quàm electionem. *Qualis autem eſſet antiquitus Conſecratio Epiſcoporum oſtendit Hieronymus*

In lib. 4 diſt. 25. qu. 3.

Synop. pag. 241.

Libro de Divinis officiis cap 36. vel pag 63.

mus in epistola ad Evagrium, Alexandriæ, inquiens, à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu constitutum vel collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, & Diaconi eligant de se, quem industrium noverint & Archidiaconum vocent. Archidiaconus eandem consecrationem habet, quam cæteri Diaconi, sed electione fratrum præponitur. Item Hieronymus super epistolam ad Titum. Antequam schismata in religione fierent & diceretur in populis &c. in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris. Vt ergo Archidiaconus eandem quam cæteri Diaconi consecrationem habens electione fratrum præponitur, sic Episcopus eandem consecrationem habens quam cæteri Episcopi id est Presbyteri quos scriptura Episcopos nominat, electione fratrum præpositus fuit. Floruit iste Albinus Alcuinus Bedæ discipulus circa annum 780. Quod ad secundum, nempe Ordinatorem ceu Consecratorem attinet, dato sed non concesso quod nova fieri debeat consecratio, tum dicemus quemcunque Episcopum à quocunque Episcopo posse consecrari, nec Metropolitano proprium esse, idque probavimus supra pag. 54. 55 imò & Presbyteros consecrasse Episcopos ex Beda ibidem ostendimus. Et certe, si largiendum esset Hierarchicis Timotheum fuisse ordinarium Episcopum, tunc locus ille 2 Tim. 4. probaret etiam Presbyteros imposuisse manus ordinandis Episcopis. Nam per *Presbyterium* intelligi cætum Presbyterorũ capite superiori docuimus. Fatentur etiam Rhemistę ex hoc Pauli loco deductum Canonẽ illum Concilii Carth. 4 quo Presbyteris in ordinatione Presbyteri permittitur apponere manus juxta manus Episcopi. Quod igitur aiunt, minus à majori benedicendum nullius momenti est. Et quomodo consecrat Episcopus Episcopum imo & Archiepiscopum & Hostiensis Papã. Respondeat Bonaventura Episcopus benedicit Episcopum, dicendum quod hoc *nullum est inconveniens, quia non benedicitur nisi in quantum caret ordine sive dignitate Episcopali.* Presbyteri consecrantes sunt majores Presbytero consecrando in Episcopum. Et Altisiodorensis in summa lib. 4 ait. *Si essent in mundo tantum tres simplices Sacerdotes oporteret quod aliquis, illorum consecraret alium in Episcopum alium in Archiepiscopum. Presbyteri sicut & Archiepiscopi in sua ordinatione claves regni cælorum accipiunt, sunt enim etiam Apostolorum successores.* At nullo casu id facere possunt Presbyteri, nisi eam consecrationis potestatem haberent vi ordinis sui Presbyteralis: sed de hisce satis dictum superiori capite. Quod ad numerum Episcoporum consecrantium, hîc trium requiritur. Sed non ita apud veteres. *In Conciliis etiam Episcoporum ordinationes & depositiones faciendas esse dixerunt. Si quid autem horum alibi factum esset, hoc illi pro nullo habuerunt. De traditione divina, inquit Cyprianus, & Apostolica ordinatione servandum est*

In 4 sentent. Dist 25. q. 1.

Sutclivius de Pontif. lib. 1 cap. 5. pa. 62

&

& tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant. Ejusdem etiam moris vestigia in multarum synodorum actis apparent, inquit Sutlivius. *Cum autem* inquit *consuetudo illa paulatim antiquari cæpisset, mansit tamen mos iste, ut Episcopi singuli non ab uno Episcopo Romano sed à duobus aut tribus Episcopis ordinarentur; & hoc canones Apostolorum servandum præceperunt.* Canones illos suppositititios esse lippis & tonsoribus notum. Canone quidem Concilii Nicæni quarto decretum, ut si omnes Episcopi Provinciæ convenire non possint propter urgentem necessitatem vel viæ longitudinem, à tribus ordinandum, absentibus tamen suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus. Balsamo electionem intelligit in hoc canone per χειροτονίαν non autem καθιέρωσιν consecrationem. Utcunque est sive ad electionem, sive ad ordinationem, præmonendi erant omnes ut convenirent, & qui non poterant, consensum suum literis significabant, electionemque & consecrationem una eademque actione conficiebant. Sed Episcoporum Anglicanorum latæ Diœceses impediunt, quo minus in Episcoporum comprovincialium Synodo ordinationes fieri possint, de quo supra diximus pag. 54. 55. De ritibus etiam consecrationis diximus pag. 56 & 58. In libro priori editione ordinationum, cui subscribere oportet, ut 36 articulum interpretantur ministri Lincolnienses, imperatur, ut in consecratione & ordinatione utantur Alba, capa, superpelliceo & baculo pastorali; Author petitionis ad Reginam refert, eos uti quidem superpelliceo, rarius capa nunquam baculo Pastorali, Lincolnienses tamen dicunt fieri posse quod quidam his omnibus utantur. Utcunque est libro illo ordinationum omnibus uti præcipitur. Item ut codex Evangeliorum ponatur super caput consecrandi, & baculus Pastoralis tradatur in manum ejus, ut refert idem Author petitionis, licet jam tradant in manuum consecrati biblia: & tamen regit pedo magis quàm pascit pabulo, & baculo non abigit canes & lupos, sed percutit conservos Pastores & extrudit. Verum quidem est Concilium Carthaginense 4 can. 2 habere, ut *cum Episcopus ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Sed Concilium illud est suppositititium, ut sæpius diximus. Fulco dicit Canones illos ex Pontificum Romanorum decretis consarcinatos esse. Illud vero, inquit Albinus Alcuinus, *Quod duo Episcopi teneant codicem Evangeliorum super caput ejus, & uno fundente super eum benedictionem, reliqui qui adsunt Episcopi manibus suis super caput ejus tangunt, non reperitur in auctoritate veteri neque nova, sed neque in Romana traditione.* Videat igitur lector, quid judicandum si de 4

Lincol. epitome pa. 102.

Petit. p. 66.

Petitio p. 5

Contra Rhemist. in 1 Tim. 3. sect 7

Lib. de divinis officiis p. 62. 63.

Carthag.

Carthag. Extat quidem in Ordine Romano pag 72 sed vel conscriptum vel interpolatum post Alcuini tempora ex dictis patet. Amalarius Fortunatus Episcopus Treverensis hæc habet. *Dicit libellus secundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo Episcopi teneant Evangelium super caput ejus, quod neque vetus auctoritas intimat neque Apostolica traditio, neque Canonica auctoritas.* Dicit Durandus hoc ritu moneri Episcopum, *quod Pondus Evangelicæ prædicationis circum quaque ferre pigere eum non debeat.* Baculi benedictionem & videat lector in eodem Ordine Romano. Quando datur baculus dicitur in Ordine Romano, *Accipe baculum pastoralis officii, potestatem ligandi atque solvendi, & sis in corrigendis vitiis perseverans, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquilitate severitatis censuram non deserens.* Pontifex tamen Romanus Pastorali virga non utitur, *tum propter historiam*, ait Durandus, si credere fas est, *tum propter rationem* sed ridiculam, videat lector. Nam piget transcribere. Baculi sicut & annuli collationem inter consecrationis ritus irrepsisse puto, cum mos ille investiendi Episcopos & quasi inducendi in possessionem temporalium per baculum & annulum introductus, quem investituræ ritum unà cum feudorum jure à Longobardis ortum quidam existimant. In consecratione Episcoporum est signum sacramentale. Sed de sacramentatibus & symbolicis signis in cultu divino (nam consecrationem sacramentum esse volunt, nos actionem relligiosam) post suo loco tractabitur, & de litaniis, collectis, lectionibus & id genus aliis. De vestibus etiam sacerdotatibus in genere dicemus loco magis opportuno. Observandum est obiter quod Albinus Alcuinus inter alia refert electum Dalmatica indutum introduci ab Archidiacono, tum Pontificem dicere. *Clerus universus & plebs consentiens civitatis cum adjacentiis suis eligerunt sibi illum Presbyterum vel Diaconum Episcopum sibi consecrari.* Ait *cum adjacentiis*, & proinde non solius civitatis consensum, sed etiam adjacentis regionis, saltem suburbanæ consensum adhibitum fuisse in electione.

De Ecclesiast. offic. lib. 2 cap. 14.
Durand. in Rational. lib 1. c. 11 n. 8.
Ration. lib. 3 c. 15. num. 14

De jurejurando homagii sive hominii dictum supra pag. 11. 12.

Ratione functionis, in rebus spectantibus, vel Ordini Episcopali, vel jurisdictioni. Ordini Episcopali, ut
1 Ordinare Diaconos & Ministros ad præscriptum Libri Ordinationum.

Potestatem ordinationis non esse peculiare Episcoporum jus, sed commune cum Presbyteris capite superiori probavimus. De præscriptaformula ordinandi Presbyteros & Diaconos, & an Diaconatus sit ordo infra suis locis differemus. Vnicum hîc observandum ejusdem esse juris & instituti nempe humani hæc omnia, quæ hic recensentur,

recensentur nempe quod Episcoporum sit ordines conferre, Ecclesias dedicare, pueros confirmare, & quod magis ob honorem sacerdotii quàm ob legis necessitatem reservata sunt Episcopo. Concilium Aquisgranense quod celebratum sub Ludivico Imperatore ann. 816 ordinationem reservatam Episcopo solum propter auctoritatem dicit *Presbyterij autem interpretantur Seniores: quia Seniores ætate Græci Presbyteros vocant. His enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione Dominici corporis & sanguinis consortes sunt cum Episcopis: similiter & in doctrina populorum & in officio prædicandi: ac solùm propter auctoritatem summo sacerdoti Clericorum ordinatio & consecratio reservata est.* Eadem habentur apud Isidorum libro secundo de Ecclesiasticis officiis. *Sciendum est præterea post hanc Ecclesiarum partitionem & distributionem*, inquit Duarenus, *Episcopi in magna illa Diœcesi sua & Presbyterorum in suis Ecclesiis parem non fuisse potestatem atque authoritatem: cum ordinatio Presbyterorum, cæterorumque ministrorum Ecclesiæ, basilicarum consecratio & quædam alia Episcopo tantum permissa sint, non etiam Presbyteris inferioribus.* Ac si dixisset, ante Parœciarum distributionem & divisionem hæc munia erant Episcopo & Presbyteris communia. Distributionis parœciarum per civitates & pagos authorem accipit Dionysium Romanum ex relatione epistolæ secundæ Dionysii papæ ad Severinum Episcopum. *Sed & hoc ipsum quod ex Dionysio Papa profertur confictum est multis temporibus post Dionysium. Epistola enim illa Apocrypha est & nullius authoritatis*, ait Spalatensis. *Cum Romani Pontifices ecclesias singulas singulis Presbyteris designassent, & parochias eis divisissent, Honorius Archiepiscopus Cantuariensis circa annum à salute reparata 636 Angliam primus in parochias, vt legitur in historia Cantuariensi, distribuere cœpit*, vt refert Camdenus. Vtcunque est, sive ante sive post divisionem, ordinationem eodem modo & jure reservatam, dicit Episcopo Duarenus, quo basilicarum consecrationem, & citat verba Isidori, quæ extant apud Gratianum, dist. 25. cap. perlectus. Sic Leo, ut supra vidimus pag. 232 ordinationem & basilicarum consecrationem canonibus & regulis ecclesiasticis reservatam Episcopis dixit.

Cap. 8.

Cap. 7.

De Benef. & minist. l. 1. c. 7.

L. 9. c. 7. num. 34.

Brit. p. 100. edit. Francof.

2 Ecclesias, & loca sepulturæ dedicare.

Mucketus sic, *Verbo & gratiarum actione ecclesias, & sepulturæ loca sacris vsibus dedicare: quod*, inquit, *teste Eusebio libro* 10. *cap.* 3. *in templis à Constantino magnificè extructis veteres Episcopi magna cum solennitate præstiterunt.* Et cur quæso ante Constantinum non proferunt dedicationum exempla. Nam etiam ante Constantinum habuerunt Christiani sua, vt vocat Isidorus Pelusiota l. 2. Epist. 247. ἐκκλησιαστήρια, ceu loca ecclesiæ congregandæ destinata; quæ & εὐκτήρια

De polit. ca. 5. p 319.

Euseb Hist. l.8.cap.1. εὐκτήρια & προσευκτήρια id est, oratoria vocabant. Ante persecutionem sub Diocletiano motam refert Eusebius tam numerosas fuisse aggregationes & insignes concursus ad oratoria, vt priscis ædificijs non contenti in singulis civitatibus ampliores & spatiosas ex ipsis fundamentis extruxerint ecclesias. De ecclesiarum dedicatione ante Constantini ætatem quidem legimus in suppositittijs Clementis Evaristi, aut similium Epistolis, quorum sæculo Christiani nulla habuerunt templa nedum consecrata, sed in privatis ædibus, quandoque in speluncis & criptis subterraneis sæviente nimirum persecutione conveniebant. Constantinus vnà cum luxu & magnificentia templorum & basilicarum dedicationes invexit. Ædificia impiorum tyrannorum machinis destructa & solo æquata, rediviva constructione clariora, & celsiora consurgere sub Constantino cœpere. *Optatum et tempestate, & desideratum nobis spectaculum exhibetur celebrationes videlicet encœniorum per civitates, & oratoriorum recens* L.10.cap.3. *structorum consecrationes*, inquit Eusebius. Levia primùm & humilia ædificia struebantur, & quandiu levia & humilia, nulla dignati sunt ea consecratione. Sed cum aulas regias, splendore, magnitudine & ornatu superarent, tunc dedicare cœperunt. Ac si religio esset in illis ratione ornatus & splendoris. Ritus tamen dedicationis & cõsecrationis Histrionici illi, nempe, qui extant in Pontificali & ordine Romano ætate Constantini nondum introducti in Ecclesiam. Quibus ritibus Anglicani dedicent Ecclesias, nondum mihi liquet. Habent haud dubio formam præscriptam & officium consecrationis. Nam licet Mackerus dicat verbo & gratiarum actione dedicari apud eos ecclesias & cœmiteria, non tamen absque peculiari officio id fieri arbitror, præscriptis (nimirum lectionum, precum, litaniarum, canticorum numero & forma atque alijs ceremonijs. Quod si consecrationis officium vllibi descriptum reperissem, multa haud dubio deprehendissem Pontificali Romano De Polit. lib. 5. sect. 12. consentanea. Hookerus negat positionem primarij lapidis per Episcopum vsurpari inter ritus dedicationis Anglicanæ. Nec opus est: Nam vt Piacesius observat ex gloss. in cap. Nemo Ecclesiam Dist. 1. in consecration. *Hunc actum nempe positionem primarij lapidis potest alteri subdelegare.* Alios ritus dedicationis silentio tegit Prax. episc. part. 1. c. 5. Hookerus. Esto: nec pingantur cruces in parietibus. nec accendantur lampades ante cruces, nec pulsetur ostium & aperiatur nec baculo pastorali describatur alphabetum in pavimento, nec aspergatur templum mixtura ex aqua vino sale & cineribus, nec inungatur Chrismate, supersunt tamen multæ aliæ ineptiæ & ritus superstitiosi. Sed missis particularibus, quia nullibi, vt dixi, descriptum inveni officium dedicationis Anglicanæ, videamus, quid sibi velit ista Ecclesiarum & Cœmiteriorum per verbum & gratiarum actionem dedicatio & consecratio. Nul-

lum

lum habemus præceptum in novo teſtamento vel determinandi ſtatum & certum locum in unaquaque parœcia pro convertibus eccleſiaſticis, vel erigendi ædificia. Licitum eſt fidelibus coire in vnum ad publicum cultum, vbicunque commodè poſſunt, & ſub dio etiam celebrare conventus, ſi libitum fuerit. Sed ob commoditatem tamen, expediebat, vt ſtatum frequentarent locum, ne loca conventuum aut abſque vlla neceſſitate multiplicarentur, aut incerta redderentur, ijs qui extra eccleſiam & alliciendi ſunt in gremium eccleſiæ. Et licet interdum ſub dio conventus celebrari poſſunt, non tamen ſemper id fieri commodè poteſt, ideo ædificia extrui ad depellendas aeris & cœli injurias expediebat. Neceſſitate igitur flagitante & commoditate ſuadente erecta & erigenda ſunt ædificia in vſum civilem, nempe ad propulſandas cœli injurias à cœtu, & miniſtrandas ſedes commodas, non ad colendum Deum templis & ædificijs. Swarez dicit locum ſacrum dupliciter ſpectari poſſe, vel ſub ratione loci dicati ad continendum Dei populum ad divinum cultum congregatum, & ſic peculiarem habere rationem ſanctitatis, vel quatenus eſt res quædam conſecrata & deſtinata ad cultum divinum, ſub qua habet convenientiam cum alijs rebus ſacris, vt vaſis & veſtibus. Ratione priore nullam, poſteriore ſuperſtitioſam habet ſanctitatem, & ſi hoc ſenſu fabricæ illæ dictæ à veteribus κυριακαὶ non probarem. Templum Hieroſolymitanum erat pars cultus divini, non ita templa in eccleſia Chriſtiana. Alioqui inſtituiſſet templa exſtruenda in eum finem. Nam nullum alium vult cultum, quàm quem nobis præſcribit. Ædificia eccleſiaſtica ſunt annexa ſpiritualibus, nempe prædicationi verbi, ſacramentorum celebrationi orationi & alijs publicis pietatis exercitijs, ſicut & alia bona eccleſiaſtica. Annexa autem ſunt ſpiritualibus materialia ædificia ad protegendum cœtum fidelium ab aeris injuria, & vt commodè poſſint vacare cultui divino & ſpiritualibus exercitiis. Nec arctius eſt connexionis vinculum inter ædificia illa & cultum divinum, quam inter bona alia eccleſiaſtica, & eundem cultum. Nam ſeparari poſſunt ædificia iſta à publico cultu, imo Chriſtiani ſæpe deſeruerunt ſplendida illa ædificia, vt purum retinerent cultum publicum, cum tamen difficulter poſſit ſuſtentari cultus divinus abſque alijs bonis eccleſiaſticis. Vbicunque coierit in vnum cœtus piorum Chriſtus pollicetur præſentiam ſuam, ſive in æde conſecrata, ſive in ſolitudine, ſive in monte. *Primò & per ſe promittit nobis præſentiam ſuam, vt templis ſuis in omni loco; locis verò, in quæ convenimus, ſive aris ſive templis promittit per accidens & ſecundariò propter nos: imo verò non promittit eis, ſed nobis in eis* Et certe neſcio an locus vllus dicendus ſanctus etiam præſente eccleſia. Nam templum Hieroſolymitanum ſanctum erat propter typum, propter aſpectabilem Dei præſentiam & quia dicatum ipſi Deo immediate, & propter

De relig. tom. 1. lib. 3.

Jun de cultu ſanct. cap. 4. not. 35.

terea sanctum erat etiã extra tẽpus divini cultus non ita synagogæ Iudæorum nec templa nostra materialia. Vtcunque est, cur, quæso, dedicantur, verbo & precibus. Mitto jam nugas alias, & ritus histronicos. Annon ut separentur ab omni usu profano, & dicarentur actionibus solummodo sacris. Nam benedictio duplex est, inquit Suarez alia constitutiva rei sacræ, nempe quæ permanentem producit effectum & constituit rem permanenter sacram, ut consecratio Ecclesiæ, aut calicis, benedictio aquæ aut vestimenti, res autem sacras quæ per benedictionem constituuntur appellari sacramentalia permanentia. Alia benedictio est invocativa, sive privata, ut benedictio mensæ, benedictio paterna & quam senex dat juveni *Aliæ vero sunt,* inquit, *benedictiones, quæ licet rem propriè non consecrent, nec separent illam à communibus & prophanis usibus, nihilominus fiunt speciali ritu à ministris Ecclesiæ, & ex speciali ejus institutione, ut habeant specialem effectum, saltem per modum impetrationis in nomine totius Ecclesiæ, & ideo merito inter sacramentalia numerantur. Et tales sunt benedictiones nuptiarum, item benedictio navis vel domus aut aliquorum ciborum, prout in Missali vel Pontificali habentur.* Et has benedictiones vocat sacramentalia transeuntia. Benedictio in consecratione Ecclesiæ est benedictio constitutiva rei sacræ, sicut in consecratione altaris, calicis, patinæ & similium. Non jam distinguo more Pontificio benedictionem sive verbalem, sive cum aqua benedicta à consecratione per unctionem, siquidem eadem vis est benedictionis simplicis secundum adversarios etiam absque illa mixtura aquæ, signo crucis, & unctione Chrismatis, quæ cum illis, nempe constituere in esse sacro. Et qua ratione sic consecrant Ecclesias, consecrare etiam debent poculum Eucharistum, mensam Eucharisticam & similia. Christus certè cum celebravit cœnam, consecravit panem & vinum, non materialem mensam, mappas, calices, catinos, parietes imo nec panem & vinum consecravit, ut permanerent res sacræ extra usum, sed in usum præsentem. Dicunt se sacrare templa verbo & precibus, sed ubi oratio fidei, ubi promissio Christi, ubi verbum institutionis, unde ergo authoritas constituendi res sacras & sacramentalia permanentia tẽpla, altaria, calices, patinas, & similia. Addicere bona mobilia & immobilia Ecclesiæ pium & laudabile est, sed sacrare ea, adeo ut nefas sit eis uti, cum non utitur Ecclesia, etiam ad res licitas sed prophanas, ac si eis pollueretur Ecclesia, vel mensa, vel calix, & similia, execranda est superstitio. Et certè hæc est benedictionis & consecrationis eorum vis, nempe ut constituant res illas in esse sacro, quam vim non promisit Dominus precibus & orationibus nostris, nisi in consecrandis iis, quæ ipse consecranda instituit, ut pane & vino in Eucharistia, aqua in baptismo. Parietes, calices, patinas, mensas consecrari non instituit. Possunt & muscariis id est flabellis ad evẽtilandas

Suarez. de virtute & statu religionis tom. 1. lib. 4. cap. 14 sect. 1, 2.

tilandas muscas à vino in poculo comparatis eadem ratione eandem operam impendere. Ordinantur enim, ut vides, ad abigendas muscas à vino. Tantam tamen inesse putant vim suis consecrationibus, ut si quis de re prophana, licet licita, in sacrata æde tractaverit, rem sanctam & sacram prophanasse existiment. Ecclesiæ vox 1 Cor. 11 propriè & simpliciter cœtum notat, locum vero illius connotat, qui forte fuit in privatis ædibus. In constitutionibus Ecclesiasticis provinciæ Cantuariensis anno 1604 Canone de *Ecclesiarum religione prophanis usibus non polluenda*, statuerunt, ut Ecclesiarum Oeconomi & inquisitores non patiantur *curias sæculares, Visus Franci plegii* Leets, *juratus laicos* Layjuries, *lustrationes militum, vel prophanum ullum usum sive ritum in Ecclesiis, capellis, aut cœmiteriis suis fieri, aut celebrari.* ac si templa & cœmiteria hisce curiis & aliis rebus licitis polluerentur. *Tanta est Ecclesiarum religio & reverentia, ut nedum illicita in Ecclesiis prohibeantur, verum etiam quæcunque prophana, etsi alibi legitimè exerceantur,* inquit Durantus, *Quare judicia & arbitria in Ecclesiis exerceri vetitum est in Concilio Lugdunensi.* Abutuntur verbis Christi *Domus mea, domus orationis*, quæ de Hierosolymitano templo dicta sunt. Non sinebat Christus, ut vas deportaret quisquam per templum Marc. 11. 16 quod etiam fieri audio in Anglia præsertim per Cathedrales basilicas. Sed à templo Hierosolymitano argumentum duci non post ad tuendam basilicarum nostrarum dedicationem, religionem, & immunitatem, ut supra diximus. Non polluitur Ecclesia Curiis aut arbitriis. Vnum idemque ædificium indifferens esse potest, & ad cultum divinum, & ad curias sæculares, modò non impediatur exercitium cultus divini, ob quem primariò addictus est locus Ecclesiæ. Vnum idemque poculum indifferens esse potest ad communem & sacram potationem, non tamen polluitur, nec opus est execratione ulla, ut loquuntur, ut licitè id fieri possit. Non sunt enim vasa Ecclesiæ sacra ut fuerunt vasa templi Hierosolymitani quæ deportata Babylonem, & prophanata in convivio Belschatzaris. Nam ut templum illud sanctum, sic sancta erant & eius vasa. Qui templi Hierosolymitani exemplo suas consecrationes & immunitates tuentur, etiam sacramenta extra Ecclesias celebrata damnare debent. Nam sacrificia nullibi oblata, nisi in templo voluit Dominus. Inutilis est consecratio templi, si extra templum consecratum consecrare quis potest panem Eucharisticum sicut inutilis fuisset consecratio templi Hierosolymitani, si extra illud templum ubique licitum fuisset offerre sacrificia. An sanctior Eucharistia quæ celebratur in æde consecrata, quàm quæ extra, quàm quæ à Christo celebrata, quàm quæ administrata ab Athanasio in Ecclesia nondum dedicata Apolog 2 ad Constantinum. Hookerus Anglus tamen dicit *quodammodo videri Ecclesias consecratas lugere, quasi suo jure fraudatas, cum præferuntur* eis:

Can. 88.

De ritibus Ecclesiæ catholici 1 cap. 26 num. 7.

De politia lib. 5. sect. 16.

eis alia loca non consecrata ad exercitium cultus publici absque ulla necessitate: cultum divinum non eam gratiæ & decoris perfectionem habere, quam haberet, si concurreret dignitas loci quem desiderat, majestatem & sanctitatem loci esse ratione nostri magnæ virtutis & efficaciæ, inservire, ut adminiculum sensibile ad excitandam devotionem, eaque ratione præstantiores efficere actiones nostras etiam sanctissimas & præstantissimas. Nonne eadem dicit quæ Pontificii. *In Ecclesia sunt omnia accomodata ad excitandam devotionem, quæ orationi maxime necessaria est. Nam altaria, cruces imagines, reliquiæ, ipsi etiam parietes Deo dicati movent ad pietatem; quæ certe alibi non inveniuntur* inquit Bellarminus. Vnde infert, *Ecclesiæ Christianorum rectè ad orandum oratione etiam privata, instituuntur.* Idem certè sequitur ex dictis Hookeri verbis. Et sic frequentanda erunt templa privatæ orationis causa, quia majestas & sanctitas loci excitant devotionem, & ipsi parietes Deo dicati movent ad pietatem. In cœtibus Ecclesiasticis, verum, omnia fieri debent ordine & decenter. Sed annon ordine & decenter possunt sacramenta ministrari, verbum prædicari extra locum consecratum, in aliis locis æquè commodis, ubi nihil deest nisi parietum consecratio. Parietes consecrati movere fortè possunt superstiosum, veram devotionem excitare non possunt; Nam parietum & locorum consecrationem non mandavit Dominus: & figmentis cerebri nostri non benedicit, nec ut mediis utitur ad devotionem excitandã vel augendam. *Quid supplicaturus Deo locum sanctum requiris? volens in templo orare in te ora, & ita age semper, ut Dei templum sis, ibi enim Deus exaudit, ubi habitat,* ait Augustinus. Non est sacratior & commendatior nobis Dei præsentia in templis quã alibi: & Christus monet ut oraturus intret εἰς τὸ ταμεῖον in conclave & oret ἐν τῷ κρυπτῷ in occulto, quando orationes privatas concipit; non ablegat ad consecratos parietes. Et in publicis cœtibus major erat fervor, cum nullas habuerunt consecratas Ecclesias. Dedicationem id est deputationem loci in usum Ecclesiæ per tabulas donationis aut aliis modis, quibus rerum dominia transferuntur vel fiunt juris publici, probamus. Suarez. dicit oratorium per simplicem voluntatem ad sacra ministeria destinari posse tom. 3. disput. 81 sect. 2, Cur non etiam Ecclesia. Ex Ecclesiarum consecratione natæ sunt earum immunitates & libertates, execrationes, reconciliationes, reconsecrationes, aliaque absurda, quæ omnia per se corrunt sublato isto consecrationum principio.

De cultu sanctor. c. 4.

Lib. sententiarum.

Sublata Ecclesiarum consecratione cœmiteriorum tollitur etiam benedictio & dedicatio. Nam si templa non sunt consecranda, multo minus cæmiteria. Vsus sepulchrorum, est usus civilis ad excipienda defunctorum corpora Iudæi in suis prædiis sepulchra habebant judic. cap. 2 9 Iosu. cap. 24. 30 32 Gen. 23, 19. Si quis locum sepulchrorum sanctum dixerit eo sensu, quo leges & jura ma-

gistratuum

gistratuum, muros & portas civitatum, valla propugnaculorum & arcium, speculas excubitorum, & legatos sanctos & sacrosanctos dicimus, nempe quia res hæ non violandæ sunt, & ab injuria Magistratus authoritate, legis sanctione, & pœnæ irrogatione muniuntur, & defenduntur, non contradicimus. Sed nulla hîc opus erit benedictione constitutiva terræ sanctæ, ac si sanctior esset terra illa ad excipienda defunctorum corpora, quàm alia. Nam naturaliter videtur ad mortuum pertinere locus in quem ipse infertur *locus in quo sepelitur corpus efficitur religiosus* Codi. lib. 3. tit. 43. l. 2. Cadaveris igitur ipsius præsentia efficit locum dicto sensu sacrosanctũ & religiosum absque ulla benedictione Pontificali. Et propterea qui sepulchrum violat vel diruit, vel inhabitat, cadavera mortuorum sine permissu in alium locum transfert, saxa, marmora aliaque ornamenta aufert, defunctorum reliquias contrectat, puniatur. Sed armilustria, curias sæculares, juratus laicos, non pati in Cœmiteriis, ut supra vidimus in Canone Anglicano, ac si iis locus aliquis sanctus pollueretur & prophanaretur, est superstitionis pollutio non levis. Quiescunt cadavera in locis subterraneis in orbe illo invisibili, nec polluuntur negotiationibus, judiciis, arbitriis, magis quàm deambulationibus. Descenderunt ad inferiora terræ, relicta superiora viventibus in usus licitos. Mynsingerus in Iustiniani institutiones in locum illum *Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum*, sic commentatur, *Ex hoc igitur textu notandum est, religiosum locum eum dici, in quem illatum est hominis mortui corpus vel totum, vel quod in eo principale est, idest caput. Tametsi enim sacrum*, ut ædes sacra, *nonnisi publica authoritate constituebatur: religiosum tamen locum cuilibet privata authoritate olim facere permissum erat, hodie vero secus est propter jus pontificium de cæmiteriis consecrandis proditum, quo non fit locus religiosus, nisi per Pontificis consecrationem.* Lib. 2. tit. 1. sect. religiosum.

Vides igitur sepulchrorũ dedicationem a iure solummodo pontificio introductam, cum tamen ædium sacrarum consecratio partim κακοζηλία Iudaismi & dedicationis templi illius unici & typici nempe Hierosolymitani, partim paganismi imitatione introducta sit. *Nam fiebat olim consecratio eiusmodi à consule jussu populi: translato verò in principem imperio per Cæsarem ipsum, aut illius authoritate per Pontifices, qui concione advocata & ritu quodam singulari adhibito capite velati focculum accendebant, in quo carmen præfabantur, & tibicine præeunte, concepta quædam verba enunciabant: idque ritè & usque adeo religiosè, ut ne quidem verbo aut syllaba caderent. Hodie verò apud nos per solos religionis nostræ antistites, & Episcopos fit rerum locorumve sacrorum consecratio, certis tamen & solennibus præfatis verbis, ac ritu quodam singulari, quos pontificia lex præscripsit.* Distinguit Iustinianus res sacras a religiosis & sanctis prout lege civili distinguebantur & sepulchrorum Mynsing. ib. Parag. Sacræ res.

pulchrorum locum propriè religiosum dicit. Sed nulla est propriè loci illius religio alia, quàm rerum aliarum, quòd inviolabilis sit vt supra diximus de rebus, quæ in jure civili sanctæ dicuntur. *Patet autem ex Ciceronis 2 de legibus ea loca, in quæ mortuus illatus erat, neque arari neque coli ius fuisse, vnde religio à relinquendo dicta putatur à Ser. Sulpitio & Mass. Sabino. Nam in arando locus ille sepulturæ relinquebatur. Itaque si Pontifices purum esse locum aliquem decernebant, exarari iubebant.* Purus locus erat, qui nec sacer, nec sanctus, nec religiosus habebatur. Exarari cœmiteria, aut violari sepulchra inhumanum ducimus, sed immunitates à curijs sæcularibus cœmiterijs tribuere imò & templis est ex preceptorum pseudoapostolicorum genere, quæ damnat Paulus, Coloss. 2. 21. *Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris.* Templorum consecratio nonnihil augebat vicini Cœmiterij religionem: adeo vt extra cœmiterium sepeliri habebatur non leve periculum animæ. Inde etiam est, quod alij in templo potius quàm in cœmiterio, alij in Cancello potius quàm navi templi sepulchri locum eligerent, & quo propius altare primarium eò beatiores sese judicabant. Vtilius tamen fuisset cœmiteria à templis sejuncta fuisse ad superstitionis omnis ansam tollendam, & extra civitates & vrbes in agris designata & deputata in hunc vsum loca certa, si commodè fieri potuit ad evitandum aeris insalubrioris periculum. *Lege autem decemvirali non licuit aliter, quàm extra civitatem sepelire mortuum. Nam in vrbe locove publico sepulchrum facere duodecim tabulis alijsque legibus vetitum est, & statuta est D. Adriani rescripto, in contemptores quadraginta solidorum pœna,* inquit Mynsingerus ubi supra. *Vt autem appropinquavit* Christus *portæ civitatis* quæ vocabatur Nain, *tum ecce defunctus efferebatur,* Luc. 7. 12. Chrysost. sermone de lege & fide ait: omnem civitatem & omne castellum ante ingressum habere sepulchra. Refert Plutarchus Lycurgum legem tulisse vt sepelirentur mortuorum cadavera in civitatibus & circa templa. A Lycurgo fortè mors iste manavit in ecclesiam. De cœmiteriorum dedicatione & benedictione habemus multa in Pontificali Romano. Cœmiterij benedictionem pontificale Romanum necessariam esse non asserit, sed tantum non supervacaneam. *Quanquam plerique asserant cœmiterij benedictionem necessariam non esse, dicentes circuitus extra ecclesiam, & cœmiterij aspersiones quæ fiunt, quando ecclesia dedicatur, sufficere: supervacaneum tamen non est benedictionem huiusmodi fieri.* Quibus ritibus vtuntur Pontificij in benedictione cœmiterij potest Lector ex eodem pontificali discere.

Calvin in lexico voce Religiosus.

In vita Lycurgi.

Folio 147

De ministro consecrationis ceu dedicationis ecclesiarum & cœmiteriorum nulla est fere inter nos & adversarios controversia. Nam ipsi fatentur hanc consecrationem episcopo reservatam solummodo instituto ecclesiæ, & ad honorem sacerdotij magis quàm

ob

ob legis neceſſitatem. Et certè, ſi admittendæ iſtæ conſecrationes eſſent, Presbyter non minus conſecrare poteſt, quàm epiſcopus. Nam qui panem & vinum in Euchariſtia conſecrare poteſt, vaſa & templa conſecrare poteſt vi ordinis presbyteralis. Ex Leone, Iſidoro, Duareno ſupra audivimus regulis eccleſiaſticis & inſtituto eccleſiæ reſervatam epiſcopo hanc conſecrationem. Azorius etiam ait,quod *Pontificis Romani authoritate poteſt committi ſimplici ſacerdoti eccleſiæ conſecratio.* Non opus eſt pluribus in re tam perſpicua & nullius momenti. Si quis quæſierit, quis repræſentabit eccleſiam, cum transfertur Dominum areæ & ædificii ſolenni juris formula,aliud eſt, & reſpondeo, quemvis poſſe,quem elegerit in hunc finem cœtus fidelium, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus,ſive ex plebe aliquis ſive conſiſtorium. Nam communitas fidelium eſt domina ædificij & adjacentis cœmiterij,non autem Dominus Epiſcopus aut Presbyter vllus. *Inſtit.moral. tom.1.lib. 10.cap.26.*

Pergerem ad ſequentia,ſi non templorum etiam ornatum ſumptuoſum,& formam Iudaicam probarent adverſarij. Ornatum templorum exemplo templi Hieroſolymitani tuetur Hookerus; Sic Bellarminus & alii Pontificij a magnificentiſſima ædificatione templi & tabernaculi inſanas iſtas templorum ſubſtructiones opera ex ſuo genere pia eſſe colligunt. Sed *ad vtrunque fuit mandatum Dei : ad magnificentiam tabernaculi, mandatum legale & extraordinarium; ad magnificentiam templi mandatum ſingulare ex analogia legis, & extraordinarium per prophetas ejus. Hæc autem magnificentia fuit legalis, & figurativæ, ſive typicæ inſtitutionis, qua externus ornatus in teſtamento vetere tabernaculi & templi internam gloriam Dei & Chriſti in eccleſia, & eccleſiæ in Chriſto figurabat. Inconſequens igitur eſt ex diſpari argumentatio.* Synagogarum fabricæ non certarunt cum templo de magnificentia. Adducit deinde Hookerus exempla veterum, qui conceſſa pace eccleſiæ magnifica exttuxerunt templa. Non ſunt probanda quæcunque veterum κακοζηλία. Non probarunt prudentiores inter ipſos veteres. Munditiem, ornatum ſimplicem & modeſtum, amplitudinem cœtui cuiq; convenientem non damnamus, ſed ornatus exceſſum & redundantiam. Non conciliat ornatus iſte majeſtatem,prout ſupra voluit Hookerus, divino cultui. *Aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur,* ait Ambroſius. vide Gratianum. Perſius licet Ethnicus, *Dicite Pontifices in ſancto quid facit aurum. Domum Dei decet ſanctitudo,* ait Bernardus, *quæ non tam politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur,& puras magis diligit mentes,quàm ſuperauratos parietes.* Idẽ Apologia ad Guilielmum Abb. *Omitto oratoriorum immenſas altitudines, immoderatas longitudines,ſupervacuas latitudines, ſumptuoſas depolitiones, curioſas depictiones, quæ dum orantium in ſe retorquent aſpectum, impediunt & affectum, & mihi quodam modo repræſentant antiquum*

De polit. l.5 ſect.15.

Iunius de cultu ſanct. cap.6.not.4.

Cauſ.12. qu.2.cap.70

Bern.ad milites templi cap.5.

Epi. ad Nepotian. *ritum Iudæorum. Multi,* ait Hieronymus, *ædificant parietes & columnas ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. Neque mihi aliquis opponat dives in Iudea templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, schyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & divitias lutum putabimus. Malè vos parietum amor cepit,* inquit Hilarius, *malè ecclesiam Dei in tectis ædificijsque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi & sylvæ, & lacus, & carceres & voragines sunt tutiores. In his enim prophetæ aut manentes, aut demersi spiritu Dei prophetabant.* Olim erant aurei sacerdotes cum calices erant lignei: nunc contra lignei sacerdotes cum calices aurei sunt. Dicit Bellarminus templa magnifica esse maguo splendori civitatibus. Esto: at ista magnificentia nec convenit ecclesiæ, nec vtilis est: Ornatum istum sacramenta, vt dictum, non quærunt. Præterea non sunt fraudandi pauperes, qui sunt templa viva & egent non modo otnatu sed etiam necessarijs & pauperes semper habebimus. *O vanitas vanitatum, sed non vanior quam insanior, fulget ecclesia in parietibus & in pauperibus eget, suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit.* Palatia, prætoria & alia loca publica magnificentia & ornatu splendori civitatibus esse possunt, & propter infirmitatem humanam opus est ad tuendam dignitatem potestatum sæcularium & civitatnm externis hisce medijs. Quod ad ecclesiam attinet, ornatus simplex & modestus ædificiorum, sustentatio ministrorum sacerdotum aureorum, suppeditatio rerum necessariarum ad cultum divinum promovendum, & ornatus pauperum sunt ornamento & splendori ecclesiæ, non templorum insanæ substructiones.

Contra Auxentium.

Bern. Apol. ad Guiliem. Abbat.

Quod ad formam attinet, tribus partibus constare dicunt ecclesias Pontificij, & ad similitudinem templi Salomonis, in quo erat atrium, sancta & sancta sanctorum. Prima pars est porticus ante ingressum in templum, secunda navis, tertia sacrarium sive sanctuarium pars interior templi, vbi erat altare, quæque divisa erat a reliquo templo gradibus, cancellis, & velis sive aulæis, neque eò penetrabant alij, quam sacerdotes cum suis ministris clericis. Hookerus respondet. Esto, & cur non possunt Ecclesiæ extrui ad similitudinem templi Salomonis, sicut palatia regum possunt ad similitudinem palatij Salomonis. Respondeo, non par ratio, non eadem libertas in ecclesiasticis quæ in civilibus. Partitiones templi Hierosolymitani erant exemplaria & typi rerum cœlestium. Duo sunt vitanda in ecclesiarum materialium forma, vnum superstitio, ne vmbra vmbrarum veteris testamenti, adhuc manere videatur, alterum,

Bellarm. de cult. sanct. cap. 3.

De Polit. l. 5. sect. 14.

alterum, ne impedimento sit ædificationi populi, vt fit per partitiones istas in pontificiorum ecclesijs, vbi populus auribus percipere verba sacerdotis è sanctuario prolata vix potest, quod etiam evenit in Anglicanis dum dant operam liturgicis, vt infra ostendemus. Bellarminus ait ecclesias Christianorum vt plurimum ad Orientem conversas fuisse, quia Iudæi orabant & orant ad occidentem, vt significemus eorum esse literam occidentem nostrum autem spiritum vivificantem. At contra ethnici orabant ad Orientem: & Iudæi vbicunque locorum erant prospectabant versus templum, sive orientem sive occidentem versus. Nec idololatrarum more convertendi sumus inter orandum versus orientem Ezechiel. 8. 17. nec Iudæorum versus occidentem, ceu potius versus templum aut templi locum, sed vt ait Augustinus, *Cum quis quærit orationem collocet membra, sicut ei occurrit*. Sed detur eo solummodo intuitu orasse orientem versus, quod falsum, nam alias affert rationes Bellarminus, sequitur nec Iudaizandum in forma & partitionibus templi. Nolebant veteres celebrare pascha 14 lunæ, sed die dominica proxima lunæ quartæ decimæ post æquinoctium vernum, ne viderentur Iudaizare & qui contra faciebant, Quartodecimanos vocabant. Refert Epiphanius Iudæum quendam pseudoprophetam scelestissimum nomine El Xai (vel vt rectius Scaliger in Elencho trihæresij cap. 27. Essenus quidam qui addito articulo El Arabicè κατ' ἐξοχὴν ita vocatus fuit) prohibuisse *Orare ad orientē asserentē non oportere sic intendere, verum faciem Hierosolymam convertere ex omnibus partibus, ita vt hi qui in oriente sunt in occasum Hierosolymis intendunt*. vide Baronij Annales. Id damnat Epiphanius. Omnes omnino formas probamus, quæ ex contingente decoro ad ædificationem populi aptæ sunt. Partitiones nullas quæ sunt impedimento ædificationi populi, probamus, omnium minimè illas quæ fiunt de industria & studio imitandi templum Salomonis, sicut faciunt pontificij, qui templa præcipuè propter sacrificium Missæ extructa docent, sicut templum Salomonis propter sacrificia Deo oblata, & ideo oportet sacrificulum in loco sacratiore & separato sacrificare.

De cultu sanct. c. 3.

Ad Simplicianum lib. 2. quæst. 4.

Epiph. hæres. lib. 1.

Anno 105. num. 3.

3 Pueros confirmare.

Mucketus sic *Confirmare precibus & manuum impositione pueros Catechismum edoctos*. Tilenus, *De baptizatorum confirmatione minor institutam à vestris vitiligationem, cum ipse Calvinus ritum illum non modo puriori antiquitati probatum fuisse fateatur, sed etiam probet ipse, ac restitutum velit, institutionum lib. 4. c. 19. sect. 4.* Sed optat potius quàm sperat simplicem usum impositionis manuum restituendum. Rem ipsam nempe erudiendos pueros in doctrina catechetica, priusquam admittantur ad cœnæ participationem, proque iis orandum

De Polit. p. 319.

Parænes. cap. 15.

dum probamus quod & singulis vicibus, cum examinantur facimus. Sed ritum impositionis manuum natura sua indifferentem censemus; Quid enim est, nisi gestus orantis, ut postea audiemus. Et quandoquidem degeneravit ritus iste in spurium confirmationis sacramentum, meritò omiserunt Ecclesiæ reformatæ. Nos verò, ejusdem restitutioni obsistimus, partim ad asserendam libertatem Christianam in ritibus adjaphoris, partim ad amoliendum ab Ecclesia nostra Confirmationis Anglicanæ sacramentum.

Impositio manuum est ritus simplicissimus, communis Ecclesiæ sub veteri & novo testamento, gestus nempe orantis vel benedicentis, quo manu imposita indicatur persona pro qua preces & benedictiones funduntur. Iacob benedicens filiis Iosephi manus imposuit Gen. 48 Moses Iosuæ Num. 27. Impositæ etiam manus iis, qui cooptati erant in numerum Senatorum Synedrii Magni, & qui ad Magisterium promovebantur à Rabbinis. Vsus itaque istius ritus erat vulgaris, & in sacris & civilibus, patriarcharum benedictionibus, senatorum, Doctorum, Ducum inaugurationibus. In novo testamento legimus Christum, cum oblati essent ei pueruli; ut manus eis imponeret, & precaretur, imposuisse eis manus Mat. 19 13 15. Ipsi Pontificii fatentur Christum hîc non instituisse sacramentum Confirmationis. *Ibi enim nulla promissio, nullum præceptum, nulla materiæ aut formæ designatio legitur, sine quibus sacramenti institutio esse non potest: item verisimile non est Christum pueros illos confirmasse, quia ut diximus cum D. Thoma, decuit hoc sacramentum ante Christi glorificationem non ministrari: & alioqui illi pueri nondum erant baptizati, neque ad hunc finem Christo offerebantur, sed ut ab eo benedicerentur, ut Hieronymus dicit: vel ut curarentur, ut significat Anselmus.* In ministrorum ordinationibus manus impositæ 1 Tim. 4. 14, Paulo item & Barnabæ emissis ab Ecclesia Antiochena Act. 13 3 Paulo cum curaretur ipsius cæcitas, & impleretur spiritu sancto Act. 9 17. Item in curandis ægrotis & infirmis impositæ manus Matth. 4 18 Marc. 5 23 Marc. 16 18 Act. 28 8. In conferendis etiam donis extraordinariis spiritus sancti Apostoli imposuerunt manus dum orabant Act. 8 15 17. Erat igitur gestus apud Iudæos familiaris manuum impositio, quoties solennis erat precatio aliqua aut benedictio, præsertim ubi persona singularis erat, cui benedicendum erat. Nam si numerosior esset cœtus, tum attollebantur manus. *Tum attollens Aaron manus suas versus populum benedixit eis* Lu. 9 22. E Christus sublatis manibus suis benedixit discipulis Luc. 24 50. Observat Drusius, Sacerdotes cum populo benedicerent, si in urbe essent, levasse manus suas versus scapulas. Veteres etiam in Ecclesia Christiana variè hoc gestu usi sunt in ministris ordinandis, in Catechumenis admittendis, in conversis hæreticis amplectendis, in lapsis reconciliandis, ut supra diximus pag. 238. Cum tam

Swarez. in 3 part. Sum. disput. 32. sect. 2.

Commentar. in loca difficiliora pentateuchi pag. 370.

tam variè usurpatus hic ritus sit tam in veteri quàm in nouo Testamento, & apud veteres, & nihil aliud sit quàm gestus orantis indicans personam pro qua orat quis nomine Ecclesiæ ut impetretur gratia, non significans multo minus obsignans & exhibens gratiam quam petit orans vel benedicens, sacramentum dici propriè non potest. Nulla est analogia inter gestum istum & gratiam quam petit Ecclesia vel baptizato vel reconciliando, vel ordinando, vel ad Eucharistiæ sacramentum admittendo adulto. Et si analogiam quandam comminisci possimus, tamen deerit Christi institutum & promissio, nihil obsignabit. Nam Christi solius est, qui potestatem habet excellentiæ instituere sacramenta. Sed, ut dixi, usurpatus hic ritus ad indicandam personam illam singularē pro qua gratiam petimus, non ad significandum gratiam ipsam eamque obsignandam.

Pontificii excogitarunt materiam sensibilem hujus sacramenti, chrisma ex oleo olivarum & balsamo compositum, tanquam materiam remotam & unctionem ex chrismate factam in figura ceu signo crucis, tanquam materiam proximam nec aliam manuum impositionem agnoscunt Pontificii essentialem huic confirmationis sacramento, quàm quæ includitur intrinsecè in ipsa unctione. *Dicendum est*, inquit Swarez. *nullam manus impositionem distinctam ab unctione Chrismatis manu Episcopi facta esse de essentia hujus sacramenti ipsam verò unctionem esse essentialem & utrunque satis constare ex dictis, & ex usu Ecclesiæ, neque huic veritati obstare Apostolicum factum nempe Act. 8 quia illud non fuit juxta legem & institutionem sacramentorum, sed præter illam ex speciali omissione vel dispensatione, & consequenter signum illud simplicis impositionis manus non fuisse verum sacramentum Confirmationis quoad substantiam, fuisse vero quoad effectum.* Item, *Simplicem manuum impositionem, qua usi sunt Apostoli Act. 8 & 9 revera non fuisse sacramentum Confirmationis quod nunc habemus, quia in ritu sensibili valde differebat, imo nec simpliciter sacramentum fuisse, quia non erat ceremonia firma & stabili lege instituta.* Bellarminus, etsi capite secundo de Confirmatione dicat non rejectam esse manus impositionem. *Bis enim Episcopus manus imponit confirmandis, ut ex Pontificali Romano intelligi potest, semel cum super eos manus extendit atque orat; & rursum cum signat in fronte atque ungit: ipsa enim unctio & signatio cùm manu fiat, manus impositio rectissimè dicitur.* Capite tamen nono, *idem esse unctionem Chrismatis & manus impositionem qui enim ungit, manus imponit, & idcirco utrumque significari, etiamsi alterum tantum exprimi videatur. Nam Constat Apostolos in Confirmatione usos esse Chrismate.* Ad primum locum Bellarmini sic Spalatensis. *Atqui illa extensio manuum valdè impropriè dicitur impositio, & si sit impositio, non est tamen sacramentalis sed purè deprecatoria: neque in ea quisquam nostrum posuit*

Swarez. tom. 3. disp. ut. 33 sect. 4.

De repub. l. 5. ca. 5. n. 29.

vim sacramenti: non ergo illa extensio aut impositio est materia proxima sacramenti. Pollice vero duntaxat frontem tangere esse manum imponere nimis coactum est, nimisque violentum. cum manus imposita semper intelligatur expansa, & desuper applicata. Pontifex autem tantummodo tangit uno digito adversam frontem hominis confirmandi, idque non ut ei manum imponat, sed ut crucem imprimat. Ad posteriorem sic, Num. 30. Mira certe sacræ scripturæ decl ratio an detorsio? Manus imponebant, hoc est, unguento ungebant. Quæro ex duabus actionibus ad unum effectum concurrentibus, ut sunt adhibitio manus & unctio tali adhibitione per manum facta, quæ sit præcipua & Sacramentalis propriè? Certe si manus adhibetur non sui gratia sed gratia ungendi, tunc manus adhibitio erit instrumentalis, unctio vero erit actio principalis, & principaliter intenta. Ineptè scilicet Lucas, ubi debuit exprimere actionem principalem cui effectus deberetur, nempe unctionem, solam posuit instrumentalem, & sive generalem, incertam ac indefinitam: quia manu multa fieri possunt circa hominem: potest ille aliena manu lavari, potest ungi, potest percuti, potest pingi &c. Cum igitur solam manus impositionem, eam profecto ut principalem actionem & per se intentam, non ut instrumentalem expressit. Ex Cypriano & Tertulliano patet propriam manus impositionem adhibitam fuisse præter eam manus actionem, quæ includitur in unctione chrismatis. Caro ungitur, inquit Tertullianus, ut anima consecretur, caro signatur ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur. Et libro de baptismo Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione, & paulo post, Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans spiritum sanctum. Cyprianus epistola ad Iubaianum de baptizandis hæreticis. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur per præpositos (sic Bellarminus legit cap. 6. de confirmatione non præpositis) Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem spiritum sanctum consequantur, & in signaculo Dominico consummentur. Similia passim reperiuntur apud patres de manuum impositione, unde à quibusdam manus impositio, ab Eusebio Emisseno, vel quicunque fuit auctor, Sacramentum impositionis manuum dicitur in sermone de Pentecoste. Unctio Chrismatis baptismo haud aliter ferè atque calix sanguinis Domini corporis Dominici sacramento conjungebatur, ait Cassander in Liturgicis. Et quemadmodum baptizati, Chrismate, ab Episcopo confirmari, ita quoque qui corpus Domini acceperant, ab Episcopo Presbytero vel Diacono calice sanguinis Domini confirmari dicebantur. Probat ex libro Romani Ordinis. Itaque verbum confirmandi utrique actioni, id est unctioni Chrismatis & dispensitioni sanguinis commune erat. Quanquam confirmationis nomen huic actioni qua baptizati Chrismate inunguntur, hodie tantùm accommodatur. Spalatensis docet in veteri ecclesia per plura sæcula ceremoniam confirmandi ceu consignandi fuisse ceremoni-

Lib. de resur. carnis.

Pag. 218.

alem

alem ritum baptismi non peculiare per se sacramentum, idque patere ex dictis Clementis in constitutionibus, Dionysij Areopagitæ, Tertulliani, Cypriani, Concilij Elibertini, Optati Milevitani, authoris quæstionum apud Iustinum, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Theodoreti, Severi Patriarchæ Alexandrini, Damasceni, Alcuini, Rabani, demonstrat. Ex quibus colligit ista, ex Melchiade & Fabiano. *Confirmatio ergo non est nomen absolutum unum per se sacramentum significans, sed relativum, ut unctio Chrismatis sit baptismi confirmatio, hoc est ultima ceremonia ultimusque ritus, quo totus baptismi ritus absolvitur & consummatur.* Ex Tertulliano. *Igitur ad ipsam Baptismi religionem spectarunt & unctiones & manuum impositiones ad spiritum sanctum invocandum.* Ex Cypriano, *Manus impositionem fuisse in vero eccclesiastico baptismo partem ceremonialem, & ultimum ritum, quo baptismi sacramentum consummaretur, ultimumque acciperet complementum.* Ex Hieronymo adversis luciferianos. *Ulterius innuit imò & explicat Hieronymus Confirmationem per manus Episcopalis impositionem esse quidem ceremoniam ad baptismum pertinentem, ita tamen, ut neque necessaria sit, neque quicquam illa per se spiritualiter efficiat, sed quod ei à quibusdam tribuit solet, ut det spiritum sanctum, id totum perfectissimè haberi in solo baptismo, lege tamen Ecclesiastica eam adhiberi propter solum honorem quendam externum Episcopalis dignitatis.* Ex Augustino *Confirmationem esse partem Ceremonialem & Ecclesiasticam baptismi, quia baptizatos ungit Ecclesia.* Ex Alcuino, *Non est igitur hæc consignatio Sacramentū confirmationis, sed est confirmatio sacramēti nempe baptismi, & consequenter etiam secundum Alcuinum ad baptismum spectat.* Deinde in genere, *Atque ex his omnibus testimoniis confirmatum maneat primum argumentum, quo ego confirmationem à numero propriè sumptorum sacramentorum excludebam, quia à Christo non erat instituta sed ab Ecclesia ad ritus baptismales complendos.* Supra audivi ex Tertulliano statim egressos ex lavacro perunctos fuisse: dehinc manus impositas. Unctio igitur & manus impositio claudebant baptismi ministrationem. Non erant duæ unctiones post baptismum una in vertice per Presbyterum, alia in fronte per Episcopū, sed una usque ad tempora Sylvestri. Ante Sylvestri tempora facile poterant baptizatos chrismate signare Episcopi, quandiu non habebant latè fusas Diœceses, sed angustis finibus conclusas, & duraret mos ille celebrandi baptismum statis temporibus paschæ & pentecostes & in uno eodemque loco nempe civitate. Sed cum latius extenderentur Diœceses, & obsolescere cæperat mos ille, & non uno in loco ut puta civitate baptizarentur infantes, nec potuit Episcopus, qui in honorem sacerdotii non ob legis necessitatem istam ungendi chrismate & imponendi manus prærogativam jam acquisiverat, ad singulos baptizatos in pagis & villis excurrere, ne tamen omnino chrismate destituti essent baptizati & ex hac vita

De repub. lib. 5. cap. 5. num. 10. & sequ. ad 26.

Num. 25.

migrarent ante adventum Episcopi, institutum est ut Chrisma quo baptizati in vertice à Presbytero inunguntur, in omni ordinario baptismo adhiberetur, reservata nihilominus Episcopo unctione chrismatis in fronte, quam tamen non distulit ad septennium aut decennium ætatis baptizati, ut nunc apud pontificios sed statim data occasione opportuna. Augustinus ait *Quando imposuimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur.* Et alibi dicit quando parvuli confirmantur, eos qui illos offerunt pro ipsis respondere sicut in baptismo. Vides non expectasse Episcopum, donec per se Psittacorum instar recitare possent pauca quædam capita brevis catechismi. *Hoc autem institutum vt baptizati chrismate à Presbytero in vertice linirentur, Sylvestro attribuunt*, inquit Cassander. Beda, cum duarum unctionum meminisset, unius ante baptismũ, alterius, quæ statim fit post baptismum ait. *Sciendũ autem, quod illa unctio, quæ fit per manuum impositionem ab Episcopis quasi alia à duabus prædictis & vulgo cõfirmatio dicitur, eadem est cum secunda, propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus sicut & multa alia.* Vnica igitur vnctio post baptismum erat olim *neque separatæ chrismatio in vertice & chrismatio in fronte*, ait Spalatensis, sed propter arrogantiam Episcopi qui antè solebat vngere, & prærogativum illam sibi delatam amittere non voluit, & ne omnino tamen baptizati decederent ex hac vita absque Chrismate, excogitata est duplex Chrismatis unctio post baptismum quarum hæc altera propter arrogantiam reservata est Episcopo, vt & multa alia propter arrogantiam reservata sunt, inquit Beda. *Ante tempora Tertulliani nullam Chrismationum memoriam authenticam invenio & scriptores Ecclesiastici ante Tertullianum de vnctione confirmationis nihil dixerunt Iustinus præsertim Apol 2. in fine qui exactè recenset totos ritus baptismi & eucharistiæ, de consecratione ne verbum quidem.* Spalat. num. 31. Iustinus nec vnctionis nec impositionis manuum meminit, tum tamen profitetur si nihil omissurũ, *ne*, inquit, *maligne quicquã, & dissimulanter agere in hac narratione videamur.* Hic igitur videtur fuisse ortus & origo Confirmationis. Concludentes baptismi ministrationem orabant pro baptisato, sicut nos in ecclesijs reformatis statim post ipsam aspersionem concipimus brevem precatiunculum pro baptizato, nempe vt eum Dominus tueatur, vt gratia illa quæ obsignatur in baptismo se exerat cum ad adultiorem pervenerit ætatem, & indies crescat ad extremum halitum, & similia. Dum ita orabant concludentes baptismum imponebant manus, additum Chrisma & signum crucis. Nos rem ipsam tenemus nempe precatiunculum pro baptizato, vt dictum, ritum autem impositionis manuum non vsurpamus nec quæ addita sunt Chrisma & signum crucis, quia inde error natus est spiritum sanctum non datum in ipso baptismo, nisi ad remissionem

Tractat. 6. in 1 Canonicã Iohan.

De Eccles. dogmat. cap. 52.

Tom. 8 in Psal. 26.

Lib. 5. ca. 5. num. 31

nem peccatorum. Si nuda mansisset impositio manuum absque Chrismate & signo crucis, dum clauderent baptismi celebrationem vt simplex gestus orantis & benedicentis baptizato, sicut variè vsurpatus erat in personalibus benedictionis gestus ille in veteri & nova lege, & ad alias etiam personales benedictiones adhiberetur, ut cum recipiuntur conversi, aut reconciliantur pœnitentes, tolerabilis esset mos ille. Hic & non alius est locus impositionis manuum, si servandus sit mos veterum licet postea divulsa fuerat una cum unctione frontis à baptismo, & tandem dilata in feptennium aut decennium, sicut jam fit in Anglia, ubi rejecto chrismate signum crucis reliquerunt in clausula baptismi, & impositionem manuum distulerunt ad septimum vel octavum annum.

Ecclesia Anglicana non observat morem veterum imponendi manus infantibus baptizatis, vel priorem in baptismi clausula vel posteriorem statim à baptismo data prima occasione. Sed quid si Ecclesiæ primitivæ Apostolicæ exemplum se imitari potius dicant. Impositio illa manuum de qua Heb.6 erat adhibita adultioribus qui statim ad sacram cœnam admittendi erant, qui in Ecclesiam adultorum recipiendi erant, qui recipiebant se disciplinæ Ecclesiasticæ sese subjecturos. Interpretantur quidam locum illum de impositione manuum extraordinaria qua Apostoli conferebant dona illa extraordinaria, alii de impositione ordinatoria ceu consecratoria, qua inaugurantur Ministri ad munus ministerii obeundum. alii de Catechumenorũ admissione in Ecclesiam adultorum, vel liberorum fidelium adultorum qui hactenus erant in Ecclesia fœderatorum, vel conversorum à paganismo aut hæresi, qui utrique probè tenebant capita doctrinæ catecheticæ, ut de fide in Deum, resipiscentia ab operibus mortuis, resurrectione mortuorum, & judicio æterno. Admitto jam interpretationem istam tertiam, & tamen dico non favere Pontificiæ aut Anglicanæ Confirmationi, sed potius Ecclesiis reformatis illis, quæ ad rem ipsam proprius accedunt, nempe neminem admittentes extraneum in gremiũ Ecclesiæ, aut ad sacram Cœnam, absque fidei professione solenni, examinatione, fœderis pactione, & precibus Ecclesiæ, & ubi quid desideratur, restitui optamus, licet ritum adiaphorum impositionis manuum sua natura liberum, est enim tantum gestus orantis, & tam fœdè conspurcatum superioribus & hisce sæculis, tum à Pontificiis, tum ab Anglis, ut statim videbimus, non usurpent. Si usurparetur, non tamen propterea confirmatoriam diceremus ratione spiritus sancti confirmantis, sed Ecclesiæ approbantis & confirmantis sua approbatione examinatũ & ad verum illud ac genuinum Confirmationis sacramentum admittentis. Proprie quidem & primariò esset gestus orantis tempore precum, ex consequenti autem Ecclesiæ confirmantis & approbantis. Et sic quod personatus Clemens

Apostolicar. constitut. lib.3.cap. 17. tribuit vnguento suo, nempe quod sit βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας confirmatio confessionis scilicet fidei, impositionis ritui, prout est signum ecclesiæ confirmantis & approbantis confessionem Catechumeni, tribueremus, non vim sacramentalem confirmandi. Sed quia vt dixi, ritus ipse est indifferens & fœdè conspurcatus, meritò omissus in ecclesijs reformatis, tum in clausula baptismi, vbi eam veteres vsurpabant temporibus Cypriani & Tertulliani, tum in admissione catechumenorum in ecclesiam adultorum, cum jam sunt futuri participes sacræ cœnæ, & disciplinæ ecclesiasticæ subjiciendi. Angli sicut pontificij, nec in clausula baptismi imponunt manus, nec expectant tempus maturum, quo Catechumeni catecheticam doctrinam probè edocti ad sacram cœnam admitti possunt, sed sat erit, si exegerint annum septimum vel octavum, & memoria teneant symbolum, orationem Dominicam, & paucula quædam capita Catechismi. *Quid ergo sibi vult*, inquit Parkerus, *quòd in privatis ædibus administretur? quod sæpe tenelli confirmentur, priusquam ad perfectam ætatem per Canonem Aurelianensem debitam pervenerint? quod confirmentur quicunque Catechesin Anglicanam verbotenus recitare possunt, quam vel triennalis quisque discere poterit, & Martini Buceri judicio imperfectior est? quòd & si lege Anglicana, ni fallor, capax cœnæ Dominicæ sit, qui confirmatur, confirmentur tamen, qui modò Catechesin recitare possint, qui sese examinare non possunt, vel ritè sese ad mensam Domini præparare, ad quam etiam non nisi multos post annos accedere solent?* Martinus Bucerus in censura sua in librum Sacrorum ecclesiæ Anglicanæ, ait. *Quibus conferri pueris debeat confirmatio, definiuntur in libro esse ij, qui possint recitare Articulos fidei, precem Dominicam, & decem præcepta, & hinc commodè respondere ad quæstiones brevioris Catechismi. Istud autem diligentem profectò postulat ponderationem. Aut enim id quæritur, vt ad confirmationem pueri faciant seriam fidei suæ confessionem, & ejusmodi confessionem, quam ecclesia meritò ratam habeat, ijs quibus baptisma impertit in ætate adulta: aut satis existimatur, si verba modò ejus confessionis recitent.* Non sat ait esse recitare verba Catechismi, *sed requirenda est ejusmodi fidei confessio quæ judicari possit non esse nata in ore aut ex humana tantùm parata doctrina: sed ea quoque signa habeat in vita & moribus, vt recipi debeat ab Ecclesijs tanquam profecta ex corde Evangelio verè credente & doctrinæ spiritus sancti. Vnde olim ij qui petebant baptizari adulti quos Competentes vocabant, explorabantur multo tempore, qui ex fructibus fidei scilicet qui in vita & moribus credentium proferuntur, cognoscerentur.* Et infra. *In quibus itaq; hæc novi hominis veræq; in Christum fidei signa necessaria non appareant, horum nescio qua bona conscientia possit recipi fidei confessio illa maximè publica & solennis in Ecclesijs, sunt enim hæ columnæ & firmamenta veritatis. Et constat non paucos pueros huiusmodi facere confessionem,*

De polit. lib. 3. c. 16. sect. 11.

Cap. 17.

sionem, haud maiore fidei sensu, quàm psittacus aliquis suum effert χαῖρε. Et capite 18. *At quis dubitat Catechismo opus esse iuvenibus, donec scientiam religionis plenam fuerint consequuti? Iam confirmari debent, qui verba modo catechismi recitare possunt. Tollendam igitur optarim istam parenthesin* (*which are not confirmed*) qui nondum sunt confirmati, *& pro eo adjici huic præcepto, vt adsint Catechismo adolescentes ac juvenes omnes mares & fœminæ, vsque dum eò in doctrina Christi profecerint, vt à pastore ipso remissionem huius præcepti accipiant. Nec ea paucula tantum verba tradenda & exigenda sunt pro toto Christi Catechismo quæ in libro sunt præscripta: sed debent catechumeni in classes distribui, omnique Christi mysteria, eaque ratione diligentia atque copia explicari & elucidari, commendari & infigi, qua & citius & pleniùs quisque poterit proficere.* Est quidem aliquantulùm prolixior Catechismus quem pueri ad confirmationem adducendi memoriter ediscerent, quàm fuit, dum ista scriberet Bucerus, sed vt Parkerus dicit, quem vel triennalis quilque tamen discere potest. Dicitur in libro precum ceu sacrorum se confirmationem puerorum administrare, cum ad maturiorem ætatem pervenerint, *quod non alienum sit à consuetudine primitivæ ecclesiæ, qua præceptum erat, vt confirmatio adhiberetur illis, qui ad ætatem maturiorem pervenissent, vt ipsi jam in religione Christiana instituti suam ipsorum fidem publicè profiterentur, & promitterent se divinæ voluntati & mandatis eius obtemperaturos.* Quam vera sunt ista, ex jam dictis patet. Mucket. p. 245.

Dicitur ibidem, quòd confirmatio administratur cum ad maturiorem ætatem pervenerint. *Quoniam confirmatio illis adhibetur qui iam baptizati sunt, vt per impositionem manuum & orationem vires & defensionem accipiant contra omnes insultus peccati, mundi, & Diaboli, commodissime administratur cum pueri eam ætatem attigerint, qua tum per suam carnis infirmitatem, cum per varios huius mundi & Diaboli insultus in maximo periculo constituuntur, ne in gravissima peccata prolabantur.* Hackwillus in concione habita de confirmatione dicit administrari, vt tum præsertim cum illucescente *vsu rationis, incipiunt labi in peccata varia, & nondum sat virium habent ad resistendum defectu experientiæ, per impositionem manuum & preces accipiant vires & defensionem contra tentationes mundi, carnis & Diaboli.* Sic Swarez, *Magis expedit non confirmari infantes ante vsum rationis. Quanquam rationis vsu illucescente etiam expediat non admodum illam differre, sed præ venire infantem innocentem prius quàm graviter peccare incipiat.* At Aquinas, Bonaventura, & alij plerique Theologi censent expedire magis infantiæ tempore, quia ætas infantilis non est capax fictionis, qua effectus sacramenti impediatur, & huic sententiæ favet antiquus vsus Ecclesiæ, ait ibidem Swarez. Sed interim quomodo congruant ista duo non video, nempe quod expectanda ætas maturior ob publicam professionem fidei secundum consuetudinem Tom. 3 disput. 35. sect. 2.

ecclesiæ primitivæ, & tamen statim confirmandos illuscente vsu rationis. Nam non erat consuetudo ecclesiæ primitivæ exigere à pueris 7 aut 8 annos natis professionem publicam fidei, sed ab adultis. Non consistunt ista duo tempora illuscentis vsus rationis, & publicæ professionis fidei. Imo vix norunt pueruli confirmandi, quid sit profiteri fidem, licet norunt recitare verba catechismi. *At publicam facere fidei confessionem in Ecclesia Christi illam qua iam à scientibus & volentibus fœdus salutis cum Deo constabiliendum sit, vt in libro est propositum, & eam confessionem ratam haberi publice in Christi ecclesijs, id certè non video quomodo liceat, quamdiu adeo nullo probabili argumento datur credere esse confessionem fidei quæ insit confitenti, sitque cognitionis veræ evangelij, & non vana quædam verborum imitatio, quæ verba pueri tandem ediderunt, vt ea modo memoriter recitarent, etiamsi nihil eorum animis sentiant.* Constabiliendum fœdus hac professione puerorum colligit Bucerus ex his verbis libri sacrorum. *Quis cum pueri ad maturiorem ætatem pervenerint & didicerint, quæ & quanta susceptores ipsorum nomine in Baptismo promiserint, ipsi proprio ore, proprio consensu, publicè in conspectu ecclesiæ eadem agnoscant & confirment, profiteanturque se divina gratia adiuvante conaturos ea omnia fideliter observare, quibus jam suis verbis, sua confessione assenserint.* Septennes scilicet apti sunt ad constabiliendum fœdus. Observandum etiam non necessariò differendam esse confirmationem ad septennium aut decennium ætatis, sed *vt confirmatio maiore cum puerorum ædificatione administretur,* sicut dicitur in libro Sacrorum. Rata igitur erit confirmatio infantium licet minore cum puerorum ædificatione administretur. Sic Swarez *ob aliquam gravem causam conveniens esse posse interdum prævenire, & infantem ante vsum rationis confirmare, vt si diuturna absentia episcopi timeretur, aut si infans esset in periculo mortis. Quin potius addo non videri in hoc tantam esse tamque vrgentem ecclesiæ consuetudinem, vt præceptum inducat Vnde si Episcopus ex sola benevolentia vel alia simili causa infantem confirmaret ante vsum rationis absque scandalo,* nempe ob violatam ecclesiæ consuetudinem jam obtinentem, ***non admodum peccaret.*** Vel confirmatio est administranda baptizatis iure divino statim à baptismo, vel jus divinum aliud determinavit tempus. Si prius, vt fuit praxis veterum, tum non differenda ad septennium, tum non instituta ob Catechismum, tum non expectanda ætas maturior prætextu majoris ædificationis, alioquin eadem ratione possunt differre baptismum, vt maiori cum fructu & reverentia percipiatur ab adultis. Si aliud determinavit tempus jus divinum, quod quæso, an septennium aut decennium à baptismo, an potius adultiorem ætatem, illam scilicet qua Ethnici conversi admissi ad baptismum & sacram cœnam, nam ad vtramque simul admissi fuerunt. *Et hoc tempore cum baptizantur adulti, eodem die datur Baptismus, Confirmatio & Eucharistia*

Bucer censura cap. 17.

Tom. 3. disp. 35. sect. 2.

ristia, vt veteres faciebant, ait Bellarminus. Non erant admissi septennes catechumeni. Duo fuerunt Catechumenorum genera, vnum eorum qui audiebant conciones & volebant fieri Christiani, sed nondum petierunt baptismum, & ij dicti sunt Auditores seu Audientes: alij petebant baptismum & dicti sunt competentes, seu electi. Distinguit Swarez Catechismum adultorum in substantialem & ceremonialem. Substantialem vocat eum, qui per se & ex natura rei supposita institutione & fine baptismi necessarius erat ad convenientem vsum baptismi & *consistebat in sufficienti instructione & doctrina rerum fidei ac morum. Atque ita semper in ecclesia servatum est, vt ante baptismum sufficiens catechismus praecederet.* Alterum ceremonialem vocat, qui ad priorem ordinabatur, & illum includebat, solumque addebat specialem quendam modum & ordinem ab Ecclesia institutum & observatum in catechumenorum instructione & præparatione ad baptismum. Post petitum baptismum à competentibus inchoabatur iste catechismus. In quo catechismo fiebat scrutinium, quo nomine significatur, inquit Bellarminus, *propriè examen & exploratio quædam, an competentes firmiter crederent. Et vt certiùs exploraretur, an vera esset catechumenorum conversio ad fidem, fiebant ab Ecclesia septem scrutinia infra illos 25 dies à die quo dabant nomina vsque ad diem baptismatis.* Substantialem catechismum reliquerunt ecclesijs reformatis, ceremonialem retinuerunt non adultorum illum, de quo modo dixi, cum scrutinio, sed psittacorum puerorũ qui ad fœdus initum in baptismo constabiliendũ omnino inepti sunt, Recitando memoritur catechismũ scilicet cõfirmant fœdus. Hîc habemus duas confirmationes vnam cõfessionis fidei confirmantis fœdus, alteram spiritus sancti collati per impositionẽ manuum & preces ad confirmandũ & corroborandum puerum in gratia. Ab ista posteriori denominatur iste ritus confirmatio apud Anglos, quicquid dicant de priori ad fallendum. Est etiam hîc obiter notandam dici in libro Sacrorum, vt supra audivimus, pueros cum ad maturiorem ætatem pervenerint publicè & in conspectu ecclesiæ confirmare ea quæ susceptores ipsorum nomine in baptismo promiserunt. Quòd quàm verum sit discere ex Parkero possumus. *Sæpe non in publico loco exercetur, sed in privatis Episcopi ædibus: & quando publicè administratur, administratur tamen in eo loco, qui multis miliaribus ab ecclesia distat de cuius membro agitur: & si quando in eadem ecclesia, ea tamen non consulta quidẽ, vel ad consensum requisita.*

De confirm. cap. 7.

Tom. 3 in quæst. 81. art. 1.

De baptism. cap. 25.

De polit. l. 3. cap 16. sect. 11.

In catechismo jam aucto post tempora Buceri dicitur, Christum duo tantum instituisse sacramenta in genere ad salutem necessaria, baptismum scilicet & sacrã cœnam. Quid? sunt igitur alia sacramenta quæ non sunt generalia & omnibus communia vt sacramentum ordinationis, alia generalia sed non ad salutem necessaria vt sacramentum Confirmationis? Ipsi Pontificij non asserunt esse necessa-

In lib. 4. dist 7. sect. 18.

necessarium ad salutem. *Etsi nulla alia suppeteret huius rei probatio, sola ecclesiæ vniversalis consuetudo satis magnum vim ad probandum haberet, vtpote quæ baptizatis seu parvulis seu adultis in mortis necessitate constitutis, nec adhuc confirmatis sacramentum hoc adhibere non curat*, ait Estius.

Gratiam quæ confertur in confirmatione liber sacrorum vocat *vires & defensionem contra omnes insultus peccati mundi & Diaboli*: Illud est quod pontificij dicunt, in baptismo accipi gratiam in remissionem peccatorum, in confirmatione ad animam corroborandam & viribus instruendam ad spiritualem pugnam, præcipuè ad confitendum fidem tempore prosequutionis. Hookerus ait in Baptismo infantes admitti in Dei familiam vt ibi vivant, sed in confirmatione efficiuntur apti ad militandum in exercitu Dei & proferendum fructus spiritus sancti. Hacwillus ait in baptismo nos credere remissionem peccatorum ad justificationem; in confirmatione animari nos ad profitendum fidem istam ad salutem. Pontificij dicunt paracletum, quem promisit Christus accipi in sacramento confirmationis & septiformem gratiam spiritus sancti. Idcirco sic orant ante confirmationem: *Emitte in eum spiritum sanctum septiformis gratiæ tuæ paracletum de cœlis, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, adimple eum spiritu timoris Domini, & consigna eum signo crucis, in vitam propitiatus æternam.* Angli dicunt, *Omnipotens æterne Deus, qui hos servos tuos per aquam & spiritum sanctum regenerare dignatus es, omniaque ijs peccata condonare, confirma eos quæsumus Domine, Spiritu paracleto, muneraque Divinæ gratiæ in illis auge, spiritum Sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & veræ pietatis. Denique spiritu sancti timoris tui animos eorum reple. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.* Hæc verba *consigno eum signo crucis* omittunt quia signant signo crucis claudentes ministerium baptismi. *Sacerdos cum vngit Neophytum ait Deus omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse linit te Chrismate salutis in vitam æternam. Episcopus verò transilit verba, Ipse te linit Chrismate salutis, quasi ditior non solum vt salvare possit, sed etiam ditare ideo dicit: Emitte in eum septiformem spiritum sanctum tuum, &c.* Hackwillus ait gratiam spiritus in baptismo inchoatam confirmari & perfici in confirmatione. Dicuntne idem pontificij non esse perfectum & plenè Christianum qui non est confirmatus, vnctionem confirmatoriam esse vnctionem perficientem, Novatum non fuisse plenè Christianum quia non Confirmatus. Derogant ne ista omnia veris sacramentis? In baptismo accipimus gratiam spiritus ad vitam & sanctificationem, cuius tantum pars est robur & fortitudo ad resistendum insultibus carnis, mundi, & Diaboli,

Pol. lib. 5. p. 354.

Amalarius de eccles. off. l. 1. c. 27.

&

& ad profitendum fidem. Dona quæ conferuntur post baptismum promittuntur in baptismo, & promissio assistentiæ & auxilij divini obsignatur nobis per sacramentum baptismi, atque indies præstat fideliter Dominus promissa sua suppeditando robur & vires ad militandum contra Diabolum, mundum, & carnem, quibus nos ex parte nostra polliciti sumus nos abrenuntiaturos. In baptismo induimus Christum, & arma spiritualia quibus armamur ad pugnam. Concilium Milevitanum, *Qui dicit Baptismum in remissionem peccatorum dari tantùm, non etiam in adiutorium gratiæ anathema sit.*

Signum sensibile constans ex rebus & verbis quibus applicatur promissio gratiæ in hoc sacramento, *fuit manus impositio cum oratione*, inquit Bellarminus. In libro sacrorum Ecclesiæ Anglicanæ dicitur *Confirmatio illis adhibetur, qui jam baptisati sunt, ut per impositionem manuum & orationem vires & defensionem accipiant contra omnes insultus peccati.* Et in precatiuncula post impositas manus ait Episcopus, *Supplices tibi preces fundimus pro his pueris super quos ad exemplum Apostolorum tuorum manus imposuimus, ut certiores eos hoc signo redderemus tuæ in ipsos benignæ voluntatis.* Dounamus ait ad *potestatem ordinis Episcopalis pertinere per impositionem manuum conferre gratiam ut ordinarium spiritus Sancti instrumentum vel baptizatis ad confirmationem, vel pænitentibus ad reconciliationem, vel designatis ad ministerium ad ordinationem. Precatio vim præcipuam habet*, inquit Huttonus teste Parkero, *manus impositio minus præcipuam, aliquam tamen, alioqui Petrus & Iohannes niminè opus habuissent tantum laborem sumere, ut ab Hierosolymis ad Samariam itinerarentur. Nam precari adæque Hierosolymis potuerint.* De Petro & Iohanne statim dicemus. Interim vides lector impositionem manuum esse Anglis signum benignæ voluntatis divinæ obsignatorium, esse instrumentum per quod gratia confertur, & inesse ipsi vim & efficaciam. Est igitur Confirmatio Anglicana sacramentum, & impositio, manuum pars signi sensibilis necessaria sine qua non confertur spiritus sancti gratia ad robur & fortitudinem, sine qua non confirmatur baptizatus, sine qua non perficitur gratia baptismi. *Impositio illa manuum Apostolicarum non erat nisi temporaria & ad effectum sensibilem, & quæ erat cessatura, non erat sacramentum Ecclesiæ statum & perpetuum: nec illa impositio manuum erat propriè sacramentalis.* Imò licet per impositionem manuum Apostolorum ad Apostolatum authoritate condecorandum ut per instrumentum Dominus dona illa extraordinaria ut linguarum & Prophetiæ contulerit, non sequitur hanc prærogatiivam dedisse aliis ad conferendum per impositionem manuum gratiam spiritus sancti ordinariam. Quàm variè adhibita fuerat tum in veteri tum in novo testamento manuum impositio supra ostendimus. Fuit ritus & gestus orantis & indicantis personam pro qua impetrat Ecclesia gratiam, non autem

De confirmat. cap. 2.

Defens. lib. 3 cap. 4. sect. 6

De polit. lib. 3. cap. 16. sect. 12.

Spalat. lib. 5 cap. 5. num. 33.

tem ſimbolum ſignificans multo minùs obſignans gratiam ipſam. Ideo Auguſtinus dixit repeti poſſe. *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt, quid enim eſt aliud niſi oratio ſuper hominem*, inquit Auguſtinus. *Cum itaque ex Auguſtino conſtet Spiritum ſanctum non datum per manus impoſitionem tanquam per ſacramentum ex opere operato, ſed tanquam per preces & orationem Eccleſiæ, quis iam in tali manus impoſitione agnoſcet rem ſacramentalem, vel ſacramentum*, ait Spalatenſis. Schiſmatici & hæretici qui ab Arrianis converſi ad Eccleſiam per impoſitionem manuum recipiebantur, etſi per impoſitionem manuum confirmabantur in ſua ſecta. Sed Eccleſia Anglicana *nullam fides profeſſionem exigit à Papiſtis quando ad Eccleſiam redeunt*. Confirmationem Pontificiam exiſtmant eſſe verum Confirmationis ſacramentum eoque accipi ſpiritum ſanctum, ideoque converſis pontificiis manus non imponunt. Nec puto utuntur mauuum impoſitione in pænitentium reconciliatione. Vtcunque eſt impoſitionem manuum confirmatoriam nunquam repetunt, licet nova egeant confirmatione, præſertim cum ingruit perſecutio aliqua in fideles. Hocne etiam ex veteri illo errore ortum Confirmationem imprimere Characterem indelebilem. In articulis Doctrinæ Chriſtianæ Eccleſiæ Anglicanæ hæc habentur verba. *Sacramenta à Chriſto inſtituta non tantum ſunt notæ profeſſionis Chriſtianorum, ſed certa quædam potius teſtimonia & efficacia ſigna gratiæ atq; bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ inviſibiliter in nobis operatur, noſtramque fidem in ſe non ſolum excitat, ſed etiam confirmat. Quinque illa vulgò nominata ſacramenta ſcilicet Confirmatio, pænitentia, ordo, Matrimonium, & extrema vnctio pro ſacramentis Evangelicis habenda non ſunt, ut quæ partim à prava Apoſtolorum imitatione profluxerint partim vitæ ſtatus ſunt in ſcripturis quidem probati: ſed ſacramentorum eandem cum baptiſmo & cœna Domini rationem non habentes, vt quæ ſignum aliquod ſenſibile ceu ceremoniam à Deo inſtitutam non habeant.* Articuli hi approbati erant ab Epiſcopis & Archiepiſcopis in convocatione habita Londini anno 1562. Non erant ſui memores cum in articulum iſtum conſentirent. Nam in libro ſacrorum quid ſentiant jam vidimus. *Nonne articulus hic 25 vim omnem ad corroborandam impoſitioni manuum denegat, non ſolum ex opere operato (quod nec ſignis ipſis ſacramentalibus Anglicana tribuit Eccleſia) ſed etiam ex opere operantis? Certè teipſo fatente doctiſſimus ille Iohannes Raynoldus ſecundo die Hamptonienſis colloquii rubricam liturgiæ per quam miniſtratur confirmatio ad corroborandum manifeſtam huic articulo contradictionem continere affirmavit.* Sed nec articulum illum explanari, nec verba in libro ſacrorum emendari in colloquio paſſi ſunt.

Lib. 3. de bapt. cap. 16

De rep. Eccleſ. l. 5. c. 5. num. 42.

Parkerus de Pol. li. 3. cap. 16. ſect. 10.

Articul. 25.

Parkerus de Politia lib 3 ca. 16. ſ 12.

Habent etiam ſuſceptores in Confirmatione pueri ſicut in baptiſmo, per quos ad Epiſcopum confirmandi adducuntur ut in libro

sacrorum dicitur, & hoc etiam more Pontificio. Rationem bellam commentus est Aquinas. *Sicut aliquis de novo natus indiget instructore in his quæ pertinent ad consecrationem vitæ, ita illi qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus à quibus instruantur, de his quæ pertineat ad modum certaminis Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces & Centuriones per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur quasi per alium in pugna spirituali erudiendus.* Sed annon obligatus est susceptor, patrinus, ceu sponsor in baptismo ad hanc operam præstandam. Quid igitur jam opus novo & alio susceptore in confirmatione. *Hic monendum superest nullam penitus spiritualem cognationem ex hac sola confirmationis ceremonia resultare. Cum enim sacramentum illa non sit, sed baptismi complementum, neque novam inducere potest cognitionem. Nam neque novis indiget susceptoribus, si illa ut nunc fit, à baptismo separetur. Inde enim susceptores in chrismatione prodierunt, quòd olim chrismatio esset ceremonia baptismum complens, & illi iidem susceptores, qui baptizandum offerebant, offerebant etiam chrismandum & sic unicam non duas spirituales cognationes & compaternitates contrahebant* ait Spalatensis. De patrinis baptismi dicetur suo loco.

Part. 3 q 72 art. 10.

De rep. eccl. l. 5. c. 5. nu. 53

Ministrum confirmationis volunt esse solum Episcopum non quemlibet Presbyterum. *Id nempe vos urit quod negotium hoc curet Episcopus*, inquit Tilenus. *Illi Pastori ex vestra sententia mandandum, qui confirmandos antea baptizavit & instituit, & quod non alius eorum ordinarius sit pastor. At enimvero qui Episcoporum ordinem divina institutione niti didicerunt, iidem Episcopum uniuscujusque Ecclesiæ ad suam diœcesin pertinentis pastorem ordinarium ἐξοχῶς dicendum norunt.* Potest nugator ex supra dictis perspicere esse alia quæ reformatione indigent in confirmatione Anglicana propter quæ adeo exosa nobis est. Sed nostrarum rerum ignarus iste ut cæcus & quasi mentis impos præ adulandi libidine in viros bonos inani strepitu verborum irruit. Episcopum non esse ordinarium pastorem omnium parœciarum diœceseos ex divina institutione capite superiori ostendimus. Et proinde quæ infert, falsa sunt, *ejus partes esse universum ovile suum lustrare, atque etiam singulas oves quoad ejus fieri potest, noscere & explorare; vicissim ipse noscendus omnique honore ac reverentia prosequendus est ab istis. Proinde hoc confirmandi officium nemini alii rectius & convenientius tribui potest; si quidem is hoc pacto non modo ovium suarum in fidei doctrina captum & profectum cognoscat verum etiam pastorum particularibus illis gregibus præpositorum in illis pascendis sedulitatem & industriam perspicit, ut si quis non ea qua par est fide ac studio versatur, eo remoto succenturietur alius Spartam hanc diligentius ornaturus.* Hæc pastoribus singulis parœcianis rectius tribuuntur, qui etiam facilius agnoscere vultum gregis sui possunt, quàm Episcopus, qui centena millia animarum plerumque habet

Parænes. c. 5.

in Diœcesi, quarum se pastorem ordinarium jactitat Pastor stultus. Et hocne est Pastorem agere, pascere per alium, instruere in doctrina catechetica per Presbyteros, sicut etiam ipsos pascit verbo nempe per Presbyteros concionando, cum pastoris munus sit personale, ut medici & Doctoris. Imo magis obligatur per se pascere, quàm Medicus curare per se. Et ovium suarum captum & profectum in doctrina fidei cognoscit, scilicet, Episcopus, qui pueros psittacorum more catechismum recitantes audierit, & numquam reviset, quid agant. Imo ipse Episcopus non tenetur proponere quæstiones Catecheseos, quas ante absque ipsius opera edocti sunt, sed alius quicunq; pro ipsius arbitrio, ut dicitur in libro sacrorum. *Nec hoc quidem negari potest, inquit, hanc in obeundo toto ovili curam à superioris ordinis ac gradus pastore susceptam illis qui examini se sistendos norunt, quibus Episcopus bene precatur, impositisque manibus fidei & aliorum charismatum incrementa & in gratioso Dei fœdere perseverantiam conceptis precibus expetit, non leve calcar ut promissum Deo in baptismo per susceptores ac compatres obsequium se ratum ac gratum habere alacrius testentur, perdiscendisque catecheticis fidei rudimentis incumbant studiosius.* Ceremonialem catechismum ediscunt, quem oretenus adventante Episcopo tenent & statim dediscunt quem non intellexerunt. Lustra oculis Ecclesias omnes. Vbi major regnat ignorantia quàm ubi viget Confirmationis istius ritus, & contra in Ecclesiis reformatis, vbi catechismus substantialis, plenior inter ipsos plebeios cognitio, ubi gradum non sistunt in principiis sed ad altiora perducuntur. Quod orandum sit pro incremento fidei & aliorum charismatum & perseverantia in fœdere, nullus dubitat, & semper ista precibus expetit in conventibus suis quæque Ecclesia pro omnibus & singulis membris tam pueris quàm adultis in publicis precibus. Sed quod una vice & solus Episcopus impositis manibus ista expetit imo per modum sacramenti impertit baptizatis, ac si paracletum dare ipsius non Presbyteri esset, ac si spiritus sancti gratiam ad resistendum insultibus peccati in baptismo non accepissent, ferre non possumus. Quod additur baptizatos sic se ratum ac gratum habere promissum Deo obsequium in baptismo per susceptores, testari, quomodo fiat & quomodo fieri debeat paulo antè diximus. Et hoc absque Episcopo commodè fieri non potest? Presbyter aliquis aut quicunque alius pro arbitrio Episcopi proposuit questiones catecheseos forte in ædibus Episcopi aut in Ecclesia aliena non confirmãdorum propria. O præclarum testimonium, præclara fœderis confirmatio. Episcopus fide implicita examinatos ab aliis confirmat. Post acceptum spiritum per impositionem manuum Episcopi tanquam instrumentũ ordinarium jam ingreditur actu in prælium spirituale, ac si nunquam ingressus, nec ingressurus esset ante adventum Episcopi. *Cæterum postquam omnia quæ vestri demagogi*, audite nebulonem, *hac in parte arrodere consueverunt*

verunt mecum perpendi, non aliam ob causam eos obstrigilare animadverto, quàm quòd Episcopatus gradus, quem vos quantovis pretio sublatum cuperetis, etiam hac in parte suam ex germana antiquitate originem demonstrat: semper enim illa has partes Episcopo nunquam Presbytero, nisi de consensu Episcopi mandavit. Quis adhibet tibi fidem os impudens, non alias potuisse multa perpendenti causas occurrere, quàm odium germanæ antiquitatis. Homines sumus, errare possumus, humani nihil à nobis alienum putamus, sed mero antiquitatis odio & non aliam ob causam Episcoporum hac ex parte gradum damnare esset diabolicum non humanum. Sed dic mihi, quænam sit germana antiquitas, an illa quæ ad honorem sacerdotii detulit hanc prærogativam Episcopo? Annon illa eadem chrismatis unctionem etiam addidit, Eucharistiam infantibus baptizatis dedit, cujus jam pudet ipsos Pontifices. Ante chrismatis unctionem invectam demonstra, si potes, reservatam Episcopo istam prærogativam. Nobisne liberum est, ut respuere chrisma & ineptias alias antiquitatis, sic & tollere reservationē istam, & tamen absque odio antiquitatis. Miseret nos antiquitatis ridiculos ritus introducentis, non tamen antiquitatis nomine, sed errorū eos omnes damnamus. Nullam agnoscere debet Ecclesia Christiana germanam antiquitatem post Apostolorum sæculum. Possem hic excurrere in latum campum, sed digrediendum non est in rem tam perspicuam. Amici veteres, sed magis amica veritas. Etiam post institutam istam reservationem potuerunt Presbyteri confirmare absque consensu Episcopi, si modo tantùm abesset. Nam, ut refert author ille commentariorum in Epistolas qui circumferuntur nomine Ambrosii, in Ægypto, absente Presbytero, consignabat Presbyter, & idem forte author in quæstionibus ex veteri & novo testamento mixtim ait *Nam in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.* *quest. 101.* Ex his duobus locis absente Episcopo, Presbyteros confirmasse colligit Downamus. *Def. lib 3. ca. 4 p. 108* Si vel absente Episcopo & illo inconsulto poterant confirmare Presbyteri, non tam superstitiosè mansit hic ritus penes Episcopos, quin Presbyteri etiam consignare possent. Quod si alii illis consultis vel consentientibus confirmare possint, ut fatetur Tilenus, quomodo cognoscit ipse captum & profectum ovium suarum in doctrina fidei, sicut hac ratione modo voluit Tilenus hoc officium nemini alii tribui nisi Episcopo, quomodo cognoscet ipse vultum gregis sui. Quàm bellè congruant ista quis non videt. De ministro Sacramenti confirmationis alibi tamen sic scribit Tilenus. *Ac ne quis dubitet hunc esse characterem Antichristi supra Christum & omne numen sese efferentis.* *Syntagm. part 2 disput. 58.* *Cum baptismus à gregariis sacerdotibus ac diaconis imo etiam a mulierculis rite dari existimetur, hoc unguentum non nisi ab Episcopis tractari fas est. Nempe ut tanto præstantius habeatur Antichristi excrementum, Christi*

sacramento, quanto Episcopus Sacerdote & quovis laico; Pontifex ipso Christo major esse conatur. Hoc postremum non obscurè innuit Bellarminus, *ubi hanc rationem adfert, cur non nisi ab Episcopo legitimè dari possit confirmatio: quia cum ea sit complementum & perfectio baptismi, ultima hec forma nonnisi à primo agente imprimi possit: & quia adscribere ad militiam non nisi Ducum & Imperatorum sit, quorum majestatem cum Episcopis asserat, non obscurum est quasnam Christo in Ecclesiastica militia partes relinquat.* Ibidem, *Quasi verò qui in baptismo Christum induunt, non etiam robur ab eo accipiant ad retundendos Diaboli impetus, nec militiæ Christi adscribantur, qui in fœdus & familiam ejus asciscuntur.* Omnes ministri paræciani sunt duces in Christiano exercitu, omnes sunt ovium sibi commendatarum pastores, easque consignare possunt, si consignandæ essent. Fatetur igitur Bonaventura quod *in talibus* nempe rationibus & convenientiis quas excogitarunt Scholastici, *magis locum habet congruitas, quàm necessitas, quia institutio necessitatem facit præcipuè.* Imo nec ulla est in iis congruitas, quia nituntur falso principio nempe Episcopum esse Presbytero superiorē, deinde multa inde oriuntur incommoda. Nam si confirmationis sacramentum vtile & commodum esset, pastores omnes illud ministrare debent, alioqui lugendi essent qui in viculis & pagis à presbyteris baptizati ante moriuntur quàm ab Episcopis invisantur. Vbi non conservatur fructus & vtilitas nulla est vera congruitas. Hic vides, Tilene, aliam subesse causam, ob quam Episcopos huius sacramenti ministros proprios esse noluimus, quàm odium antiquitatis. Sed redeamus. Congruitatem & necessitatem in sola institutione quærimus. Vbi est institutio? Conantur tamen se tueri exemplo Apostolorum Act. 8. vbi Petrus & Iohannes mittuntur Samariam ad imponendum manus baptizatis, vt acciperent spiritum sanctum? Si Philippus potuit idem præstare, non opus fuisset mitti Petrum & Iohannem. Apostoli soli manus imposuerunt & imponendo spiritus sancti gratiam contulerunt. Episcopi autem Apostolorum successores sunt. Largiamur jam Episcopos esse Apostolorum successores, negari tamen non potest Presbyteros esse etiam eorum successores, vt capite superiori ostendimus. Deinde non succedunt vel Episcopi vel presbyteri Apostolis in extraordinaria eorum auctoritate. Quod impositis manibus poterant Apostoli conferre dona prophetiæ & linguarum erat extraordinarium quod solis fere datum Apostolis. Legimus etiam Ananiam, Act. 9. imposuisse manus Paulo, vt impleretur spiritu sancto. Hanc potestatem extraordinariam non habuit Philippus licet Euangelista: & Episcopi scilicet vendicabunt, quod Evangelista non potuit. Ordinariam spiritus sancti gratiam collatā in baptismo fuisse non dubitat Hieron. *Nisi forte Eunuchus à Philippo Diacono sine spiritu sancto baptizatus fuisse credendus est.*

In l. 4. dist. 7 num. 17.

Diaconum

Diaconum tantum fuiſſe putat, & tamen ſine ſpiritu ſancto baptizaſſe non credit. Sed ponatur fuiſſe ordinariam illam manus impoſitionem. Durandus tamen ait, *Ex illo textu non eſt clarum an Apoſtoli confirmaverint, tanquam Epiſcopi vel tanquam ſacerdotes : ſacri etiam canones hoc clarè non determinant* Author quæſtionum veteris & novi Teſtamenti, ait eos confirmaſſe vt ſacerdotes. Sed nos nullam ibi confirmationem ſacramentalem fuiſſe dicimus, ſed extraordinariam doctrinæ confirmationem de qua Apoſtolus, Heb. 2. 3. 4 Nam effectus impoſitionis manuum erant viſibiles & dona illa, quæ ſcholaſtici vocant gratias gratis datas, ad ædificationem eccleſiæ. Nec ſolum ad dona illa conferenda miſſi ſunt ſed etiam ad conſtituendam eccleſiam. Hæc igitur ſit prima ratio, nempe quod & inſtitutione & exemplo ſint deſtituti. 2. ratio ſic, Epiſcopus & Preſbyter ſunt eiuſdem ordinis. Cum igitur confirmare ſit actus ordinis ſecundum adverſariorum doctrinam ſequitur Preſbyteros vi ſui ordinis confirmare poſſe. Si dixerint differre tamen exercitio poteſtatis ordinis, reſpondendum erit, Chriſto aut ſpiritui ſancto tantam imprudentiam non aſcribendam, vt concederet poteſtatem cuius exercitium nunquam permitteret. *Si Preſbyteri ex vi ſuæ ordinationis haberent ſufficientem poteſtatem ordinis ad hoc ſacramentum miniſtrandum ſine cauſa in vniverſum probiberentur illud conferre*, ait Swarez Aſſumo at vi ſuæ ordinationis habent ſufficientem poteſtatem ordinis ad hoc ſacramentum conferendum. Ergo ſine cauſa in vniverſum prohibentur illud conferre. Tilenus cum preſbyteros ordinare poſſe probaſſet, veterem morem exercitium poteſtatis illius ſupprimentem improbat. *Quod Deus inſtituit, nulla eccleſia id prohibere poteſt. At Deus inſtituit vt preſbyterio eccleſiæ ius faſque ſit alios vocare et ordinare. Ergo nulla eccleſia id prohibere poteſt ac multo minus papi.* Eadem de confirmatione dici poſſunt. Si ex vi ordinis presbyteralis Presbyteri confirmare non poſſunt, ex diſpenſatione papæ vel licentia Epiſcopi id etiam non poſſent, & ſi quid tentarent nihil efficerent. *Sicut ſi Epiſcopus vel Papa darent licentiam laico Eucbariſtiam conſecrandi, & in Preſbyterum illum non ordinarent. Concedere autem licentiam alicui ut aliquid faciat, ſupponit illum habere jam remotam & quieſcentem poteſtatem illud faciendi, ſed aliquo præcepto ligatam ne exeat in actum. Si tamen exit in actum, factum tenet*, ait Spalatenſis. Quàm iniquum ſit præceptum quo ligatur poteſtas, jam dictum. Preſbyteros diſpenſatione Papæ poſſe confirmare, concedunt Pontificii præſertim Canoniſtæ. Gregorius lib. 3, epiſt. 26 Ianuario Epiſcopo Carolitano ſic ſcribit. *Pervenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd Preſbyteros chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt prohibuimus. Et nos quidem ſecundum uſum veterem eccleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Preſbyteri etiam in frontibus baptizatos*

In l. 4. diſt. 7. quæſt. 3.

quæſt. 101.

In Aquinat. 3 part. qu. 27.

Syntag. part. 2. diſput. 25.

De rep. eccl. l. 5 c. 12. num 23.

Vide Gratianum diſt. 95. cap. 1.

chrismate tangere debeant, concedimus. Prius interdixisse dicit, non quia insti utũ divinum nec quia mos universalis Ecclesiæ, sed quia mos vetus Ecclesiæ Romanæ, posterius permittere, quia contristabantur aliqui, & certe si tanta sit virtus Episcopalis confirmationis meritò contristantur, qui ea fraudantur. Tilenus, *Græca Ecclesia perpetuo servavit & servat indifferenter, ut tam Presbyteri quàm Episcopi chrismate confirment, qua in re Photius Patriarcha Constantinopolitanus apud Baronium tom. 10 ann. 863 nu 41 acriter Romanam Ecclesiam perstringit, & ostendit privilegium hoc Episcoporum, neque ex scripturis, neque ex divina institutione usquam haberi, imò vix humana. Atque idem jus fuisse Presbyterorum etiam in latina Ecclesia, satis colligitur ex eò quod Gregorius l. 3 indic. 12 ep. 9. data nova inhibitione ne Presbyteri chrismate in fronte tangerent baptizatos, multos scandalizatos ait fuisse, dicitque l. 4 ind. 13 epist. 33 id se ex veteri usu Ecclesiæ Ro*manæ verùm *fecisse.* Ex decretali Innocentii tertii patet simplices sacerdotes constantinopoli ex consuetudine confirmasse. In Concilio Arausicano sub Leone primo papa sic statutum. *Nullus ministrorum qui baptizandi recipit officium sine chrismate unquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem, qui in baptismate quacunque necessitate faciente chrismatus non fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est.* Testimonia pro ministro chrismatis valent etiam pro ministro impositionis manuũ Abbates ex privilegio confirmare potuerunt, qui tamen erant Presbyteri. 3 ratio, qui possunt imponere manus in conferendis ordinibus, possunt etiam in confirmatione. Sic argumentatur Armachanus lib. 11. Armenicarum questionum cap. 4 ex 1 Timoth. 4 teste Bellarmino libro de sacramento confirmationis cap. 12. Probat inde Episcopis & Presbyteris commune fuisse munus confirmandi. 4 ratio est authoris epistolæ ad Rusticum Narbonensem de septem gradibus Ecclesiæ. *Sed quia scriptum est, Presbyteri duplici bonore honorentur, maximè qui laborant in verbo Domini, prædicare eos decet, utile est benedicere, congruum confirmare, convenit reddere communionẽ, necesse est visitare infirmos, orare pro invalidis, atque omnia Dei sacramenta complere &c.* A consecratione Eucharistica infert etiam benedicere populo posse. Imo non modo congruum est, ut presbyter confirmet, sed etiam utile, si tanta utilitas sit hujus sacramenti, quantam illi prædicant. Hieronymus adversus Luciferianos ait, si ad Episcopi tantum imprecationem spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis aut castellis aut remotioribus locis per Presbyteros aut Diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur. Multis locis id factitatum esse reperit, nempe ut per manus Episcopi accipiant spiritum sanctum ad honorem potius sacerdotii, quàm ob legis necessitatem. Ait *multis in locis* non *ubique*, & ad honorem sacerdotii.

Spalat de repub. 5 c. 12. num. 22.

Decretalum lib. 1. tit. 4. cap. 4. can. 1.

Gratian. dist. 95 cap. 6.

dotii.

dotii, non ob legis necessitatem. Beda apertius in Psalm. 36 arrogantiæ id tribuit, ut supra audivimus. *Verum ut taceam, abunde se ipsi refellunt,* inquit Calvinus. *Quotam enim populi sui partem post baptismum ungunt. Cur igitur patiuntur in suo grege tales semichristianos, quorum imperfectioni mederi facile erat: cur tam supina negligentia omittere eos sinunt, quod omitti sine gravi piaculo non licebat? cur non severius exigunt rem adeo necessariam, & sine qua salus obtineri non potest? nisi forte quis subita morte praereptus fuerit. Scilicet dum ita licenter cõtemni patiuntur, tacite fatẽtur, non tanti esse quanti venditant.* Spalatensis, *Cur etiam Episcopi tam rigidi sunt, ut suis parochis facultatem confirmandi non permittant, quando præsertim ad eas parochias visitandas, non nisi admodum rarò ipsi accedunt. Et sine Episcopi illi, qui amplas habent in Turcica ditione Christianorum Diœceses, ut meus habet Archiepiscopatus Spalatensis, ad quas ipsis Episcopis accessus non datur tutus, deberent, si ceremonia hæc magni momenti existimetur, suis parochis ibi degentibus facultatem confirmãdi liberam concedere. Imo negantibus etiam id episcopis possunt & debent illi parochi hanc ceremoniam propria authoritate exercere. Fateor tamen me potuisse, sed noluisse meis Presbyteris inter Turcas cum Christianis suis degentibus facultatem hanc concedere; quia nullam videbam huius ceremoniæ nunc necessitatem, quam sacramenti nomine insigniri æquum non erat. Et jam illa quoque apud nostros ad lucrum & avaritiam est conversa. Honestius ergo omittitur quam exercetur.* Et dictis patet quam vera sit Tileni observatio. *Primum mali labes,* inquit, *ac* πρῶτον ψεῦδος *Catharorũ est Episcoporum* κατάλυσις. *Episcopum qui salvum vult de confirmationis ritu litem ei non movebit, nec vanos horrebit strepitus, quos illi excitatis, quasi periculum sit, ne in Papanum transeat sacramentum. Non migrabit sede sua hic ritus, quamdiu per sana ac salva manebit fidei doctrina.* Ineptè nobis tribuis, Arminiane, Catharorum nomen, cum Cathari suos habuerint episcopos, quos nos omnes sublatos ex omnibus ecclesijs optamus. Episcopum salvum voluerunt Photius, Armachanus, Spalatensis, episcopi, qui tamen ritum volebant communem Episcopo & Presbytero. Esse revera Papanum sacramentum, licet chrismate non vtantur loco impositionis manuum, sed ipsa impositione manuum in Anglicana ecclesia, supra ostendimus, & corruptam esse doctrinam confirmationis, vt plerunque fieri solet, vbi ritus externi sunt corrupti. Nec vanos horremus strepitus, qui certò novimus Anglicana nobis indies obtrudi.

Ad potestatem ordinis spectant duo alia quæ hic omissa sunt annumeravit tamen Mucketus. *Diligenter docere evangelium, non tantùm in cathedralibus ecclesijs, quibus præsunt, sed etiam passim per omnes ecclesias suæ diœceseos, vbi maximè putabunt expedire. In iisdem Cathedralibus ecclesiis festis solennibus Capa decenti amictu sacram cœnam administrare,* audendum erat, si ausint, vt dicitur in constitutionibus

Instit l. 4. c. 19. sect. 9.

De rep. eccl. l. 5. c. 12. num. 24.

De poli. eccl. 5 p. 1. 5.

Can. 24. nibus, anni 1604. *Per Cathedrales omnes & collegiatas ecclesias sacram cœnam in festis solennibus administrari volumus, nonnunquam per Episcopum, siquidem præsens extiterit, nonnunquam verò Decanum, quandoque etiam per Canonicum vel præbendarium (ministrum ibidem maximè eminentem) eundemque decente Capa amictum, ac adiutum ab Evangelij & Epistolæ lectoribus.* De diebus festis & vestibus sacris dicemus suis locis. Diligentia & sinceritas in prædicando desideratur in episcopis Anglicanis. Nam quidam rarò concionantur, alij omnino cessant, ac si esset muneris ipsorum pars minima, vt refert Replicator contra Downamum. Latimerus in concionibus invehitur in prælatos non docentes, episcopos Dominos episcopos desides, quorum conciones rariores, vt fragia semel singulis annis redeunt. Munus docendi est præcipuum munus episcopi. *Tametsi plerique eorum nempe Pontificum Romanorum*, inquit Bellarminus, *non concionantur, tamen alios multos exercent actus pastorales, dum ligant, solvunt, dispensant, controversias iudicant, episcopos creant.* Sic probe defuncti se putant præcipua muneris sui parte Anglicani, licet istorum pleraque alijs etiam commendent. De Pontificibus Romanis sic Tilenus, *Ligant sanè, sed potius tanquam lictores & tortores non vt doctores. Concionandi munus tanquam suo fastigio indignum in sordidissimorum monachorum mendicabula rejiciunt, non linguæ vitio aut senio impediti, sed fastu fastidioq; verbi divini correpti ac corrupti.* De Anglicanis in genere & gradu suo hæc eadem dici possunt. Tindallus Martyr in libro de obedientia de episcopis, hæc habet: *Postquam desierunt episcopi prædicare verbum, commenti sunt mutam istam confirmationis ceremoniam, vt aliquid saltem retinerent, quod in diœcesi suæ potestatis signum esset. Reservarunt sibi etiam campanarum baptizationem, ecclesiarum, cœmiteriorum & altarium dedicationem & conjurationem, calicum consecrationes, quas confirmationes vt & alias conjurationes nunc commiserunt Suffraganeis, quia talibus ministrandis ipsi vacare non datur, partim quia libidine, delitijs & rerum omnium affluentia, partim quia Regis & Regni negotijs impediti sunt. Vnus est custos privati, alius Magni sigilli, alius est Confessarius, id est privatus proditor, aut occultus Iudas: Ille præses Senatus sanctioris, alius est Legatus, tertius est Regi à Consiliis. Væ regnis illis vbi illi à consiliis. Æquè vtiles sunt illi regno consilio suo, ac ovibus lupi vel anseribus vulpeculæ.*

Contra præfac. p. 26.

De Pont. l. 1. c. 15.

Ibidem.

Pag. 152.

Ratione functionis in rebus spectantibus ad iurisdictionem, quæque est vel delegata vel Ordinaria lege tributa, Delegata ei nonnunquam à principe, non quatenus episcopus, sed civis & subditus, vt si constituatur Eizenarcha, Si a secretiori consilio

conſilio Principis, Legatus mittatur ad externum aliquem principem. Vel quodvis aliud honeſtum civile munus demandatum habeat.

Quatenus Eirenarchæ epiſcopi poſſunt in carcerem & vincula conjicere, quem furti, rapinæ, homicidij reum ſuſpicantur, aut pacis & otii communis violatorem, & aſſervandum curare, donec convenerint cæteri Eirenarchæ. Inter Eirenarchas, qui in quoque comitatu ſunt numero triginta aut quadraginta, quidam ſunt primarii, Iuſtitiarii Quorum dicti, quibus præcipuè in hac cura innititur princeps. Inter primarios hoſce ſæpius cooptantur epiſcopi. Habent Eirenarchæ conventus trimeſtres, in quibus inquiritur in ſuſpectos & reos. Deinde denuò inquiritur & animadvertitur in foro Aſſiſarum. *Aſſiſa quas dicimus*, inquit Camdenus, *in quolibet Comitatu bis anno habentur in quibus duo aſſiſarum Iuſtitiarij ad hoc deputati cum Eirenarchis ſive pacis Iuſtitiarijs comitati, & de civilibus & criminalibus cognoſcunt*. Atque ita epiſcopi quatenus Eirenarchæ cum alijs Eirenarchis ceu pacis Iuſtitiarijs debent celebrare ſex conventus; Concilia tamen ipſorum diœceſana ſunt rariora. Sunt & quidam epiſcopi à ſecretiori conſilio principis. Non ſolum Eirenarchæ, conſiliarij, & legati munere fungi poſſunt, ſed etiam quodvis aliud honeſtum munus civile exequi, vt hîc dicitur & à Muckero p. 314. Supra audivimus Archiepiſcopos & Epiſcopos in conventu trium ordinum, cæteriſque congreſſibus præcedentiam habere. Conſtituunt in comitijs maioribus, ceu conventu trium ordinum ordinem unum. Suprema & abſoluta poteſtas regni, vt ait Smithius in Republica, reſidet in comitiis maioribus ceu Parlamento. *Parlamentum*, ait Smithius, *abrogat leges antiquas, fert novas, iura & poſſeſſiones privatorum, pondera & menſuras mutat, præſcribit modum ſuccedendi in regno, tributa, vectigalia, & capitationes; controverſias, vbi non antè lata lex, dijudicat, famæ & ordini reſtituit, damnat aut abſolvit quem princeps ipſorum examini & judicio ſubjicit*; Denique, *quicquid fieri potuit à populo Romano in Comitiis Centuriatis aut Tributis id à parlamento Anglicano fieri poteſt, quod repræſentat, & poteſtatem habet totius regni, tum capitis tum corporis*. Iudices, ait idem Smithius, ſunt Princeps, Domini temporales & Spirituales, Legati comitatuum & civitatum. Quid poſſunt epiſcopi quatenus Domini parlamentarii ex dictis patet. Sunt autem omnes Epiſcopi Anglicani Domini parlamentarij & membra Senatus ſuperioris, ſicut Nobiles & Barones alii qui eiuſdem Senatus membra ſunt. Legati autem comitatuum & civitatum numero 300 aut 400 conſtituunt Senatum inferiorem parlamenti.

Brit. p. 108. edit. Francofurt.

Pag. 45.

Pag. 46.

Supra etiam audivimus ex Cancellario Francisco Baccone Cameram Stellatam consistere personis tum ecclesiasticis tum saecularibus, vt loquuntur. *In camera verò Stellata tractantur criminalia perjurii, imposturae, dolus malus, &c.* ait Camdenus. *Iudices sunt Dominus Cancellarius Angliae D. Thesaurarius Angliae, D. Praeses Consilij privati, D. Custos privati sigilli, D. Senescallus hospitij, Secretarius Regius, Capitalis Iustitiarius Angliae, Magister Rotulorum, Magister Iustitiarius communis Banci, & omnes Consiliarii status, tam ecclesiastici quàm Laici, & ex Parlamenti Baronibus illi quos princeps advocabit.* Causae huius fori numerantur à Smithio, Raptus, imposturae, aut crimen falsi, libelli famosi, conventicula illicita & similia. Poenae sunt carcer, mulcta, collistrigium. Denique quodcunque munus publicum civile quo ecclesiastici fungebantur sub papatu hîc nomine honesti muneris civilis intelligitur, eodemque fungi nunc possunt Episcopi Anglicani. Functi sunt autem munere D. Cancellarij, D. Thesaurarij, Secretarij, Custodis privati sigilli, Capitalis Iustitiarij, Custodis magni sigilli & similium. Iohannes Mortonus episcopus Eliensis, Warhamus Cantuariensis, Nevilius Cicestrensis, Burnellus Bathonensis & Wellensis, Edendonus Wintoniensis, Edmundus Stafford Exoniensis, Iohannes Salmon Norwicensis erant Angliae Cancellarij. Iohannes Hotham, alijs Hothun, Episcopus Eliensis, Academiae Oxoniensis, fisci Regij, & Angliae Cancellarius, triplici Cancellariatu functus est, vt refert Godwinus in commentario de Praesulibus Angliae. *Hubertum Walterum Archiepiscopum Cantuariensem Cancellarium creavit* Richardus 1. *& summum Angliae Iudicem sive Iustitiarium, omniumque ditionum tam in Anglia quàm alibi se absente praesidem atque gubernatorem, ac praeter alia multa nobilium pupillorum regni (munus quaestiosissimum) illius fidei commisit.* Petrus de Rupibus episcopus Wintoniensis *anno* 1214 *factus est Angliae summus iudex sive capitalis Iustitiarius.* Iohannes de Kirkby Eliensis, Angliae thesaurarius, *à tempore*, inquit Osneiensis, *quo nactus est praesulatus celsitudinem, continuò vsque ad finem vitae fallibilis, officio Thesaurariae Scaccarii D. Regis non segniter incumbebat; adeo vt de animarum sibi commissarum cura penitus non curaret. Quinetiam praetextu officii sui vltra modum praedecessorum suorum se extulit supra se, vt nomen Thesaurarii nomen Pontificis totaliter adumbraret.* Nicolaus Bubwich episcopus Londinensis fuit Angliae Thesaurarius. Thomas Brentingham episcopus Exoniensis anno 2. Richardi 2. Thesaurarius Angliae constitutus est. Richardus Sampson Episcopus Coventriensis & Lichfeldensis Walliae factus est praeses, eoque functus est munere ad secundum Edwardi sexti. *Iohannes Whitgift episcopus Wigorniensis Walliae propraeses designatus eam rexit provinciam mensibus 30, quandiu nimirum Sidnaeus prorex Hiberniae praefuit.* Iste Iohannes Whitgift aetate nostra ad episcopatum Cantuariensem

Brit. p. 107. edit. Francofurt.

P. 119.

Pag. 274.

Pag. 316.

Pag. 223.

tuarienſem evectus eſt. Decani & Archidiaconi etiam hiſce publicis muneribus gaudebant olim in papatu. Iohannes Stafford, *Henrico quinto ſatagente factus eſt Decanus Wellenſis, Prebendarius Sariſburienſis, & ſigilli privati cuſtos, ac dein Angliæ Theſaurarius.* P. 182 Tho. Becketus a Theobaldo Cantuarienſi donatus Archidiaconatu Cătuarienſi à Rege ad honoratiſſimū ſummū Angliæ Cancellarij munus provectus eſt; quatuor aut quinque annos Cencellariatus munere functus eſt, antequam Theobaldo in Archiepiſcopatu ſuccederet. *Iohannes de Chiſhul eccleſiæ D. Pauli Decanus, & Londinenſis quandoq; Archidiaconus, poſtquam magni ſigilli cuſtos fuiſſet, ac deinde Angliæ Theſaurarius, in Epiſcopum Londinenſem conſecratus eſt.* P. 242. *Rogerus Waldenus ex ſumma pauperie tenuiſſimaq; fortuna parvo temporis ſpacio Decanus evaſit Eboracenſis, & vrbis Caletenſis Theſaurarius, tum Secretarius Regius ac inde ſummus Angliæ Theſaurarius.* P. 246. Wolſæus poſtea Cardinalis antè vero Eleemoſinarius Regius Lincolnienſis Decanus. *Lancelotus Andrews, cum ciceſtrenſis eſſet Epiſcopus & Iacobo Regi ab eleemoſynis, hûc,* P. 193. P. 335. nempe ad Epiſcopatum Elienſem, *tranſlatus eſt.* Hic eſt auctor ille Torturæ Torti. Videmus jam quænam alia ſunt honeſta illa munera civilia, quæ Epiſcopis Anglicanis demandari poſſunt a principe, nempe Cancellarij, Secretarij, Theſaurarij, Capitalis Iuſtitiarij, Cuſtodis magni & privati ſigilli, præſidis & propræſidis Walliæ, Eleemoſynarij & ſimilium. *Vnde & nonnulli* (inquit vir pius & eruditus Guilielmus Traverſus in Tractatn de Diſciplina Eccleſiaſtica Rupellæ excuſo anno 1574. *Eboracenſis provinciæ præfecturam & ſimilium munerum authoritatem, quibus non ita pridem fungebantur, viris politicis omni dignitate præſtantibus delatam eſſe, tanquam de illata iniuria conqueruntur.* Fol 59. Et certe qui legati, Eirenarchæ, conſiliarij, Domini Parlamentarij, judicis in Camera Stellata, propræſidis Walliæ, cuſtodis magni ſigilli (quo munere jam fungitur Epiſcopus Lincolnienſis) eleemoſynarij Regii perſonam ſuſtinere poſſunt, Cancellarii, etiam Theſaurarii, Secretarii, Capitalis iuſtitiarii munera avidè amplecterentur, ſi oblata eſſent, & a politicis ea ſibi præripi haud dubiò indignantur. Habent etiam epiſcopatibus ſuis annexas Baronias & Baroniarum ratione curias quas Baronis Curias vocant, in quibus Beneficiarii iurati iuratam conſtituunt, qui ſtatuta ſibi peculiaria condunt, quorum mulcta in Domini vſum cedit Anglicanorum feuda annexam habeant etiam clientelam militarem. Saravia ait, quòd *Feuda in Anglia quæ dantur Epiſcopis aliiſq; eccleſiaſticis nullam plerumq; exigunt militiam, ſed dantur in puram, vt vocant, eleemoſynam: nihilominus tamen veteres omnes epiſcopatus plurimos fundos, &c. clientibus ſuis in feudo militari tenendos conceſſerunt, qui hac ratione militaria, aliaque obſeqnia debita, vice Epiſcoporum Regibus Angliæ præſtant, ab eiſque epiſcopos ſic immunes reddunt.* Tract. de honor. præſul. debit. cap. 8. Camdenus in Britanniæ editione Anglicana refert Guiliel- Pag. 270.

mum primum instituisse, vt Episcopatus & Abbatiæ, quæ Baronias tenebant in pura & perpetua eleemosyna, & hactenus libera erant ab omni obsequio sæculari, in posterum subjicerentur servitio militari, & præscripsisse quot quisque episcopatus & Abbatia quæque ipsi & successoribus milites tempore militiæ suppeditaret. Hoc igitur sensu annexa habent feuda episcoporum clientelam militarem, nempe vt si non ipsi, saltem alij ipsorum vice militarem operam præbeant. In consessu Parlamentario dixit Thomas Arundellus Cantuariensis, *quanquam ipsi non militarent, clientes tamen & famulos ipsorum Regi nunquam ita defuisse, quin auxilia tulerint in omnibus bellis pro rata portione laicis multo copiosiora.* Rex Guilielmus 2 *reversus ab expeditione Wallica expostulare cœpit cum illo* nempe Anselmo Cantuariensi *de militibus ab eo ad id bellum missis, vt & paucis & inertibus, & tamen non optimè instructis.* Prima feudorum causa, ut observat Saravia, fuit militia equestris, ut princeps equitatum & capitaneos semper haberet paratos ad reipub. defensionem: & feuda nihil aliud fuerunt in principio, quàm militiæ stipendia non hæreditaria, sed annuis pensionibus similia. Leges clericum non idoneum tunc censebant, qui feudum teneat, nempe militare, sed pari ratione mulieres & impuberes excludebant aliosque omnes ad militandum ineptos, hodie tamen admittuntur, quia possunt debitum militiæ obsequium, si quod debeatur, æquè ac mulieres & impuberes, per alium præstare. Sed quod datur Ecclesiæ & accipitur purè simpliciterque dandum & accipiendum est, non cum conditione talis obsequii. Nam Ecclesiasticorum non est milites ad bellum mittere, licet per se non militent. Vide de isto argumento plura supra pag. 11. 12. An sint verò qui inter Episcopos Anglicanos per se militare teneantur, nondum mihi constat. Certum est Spencerum Norwicensem fuisse virum bellicosum, *qui* ut ait Walsingamius, erat *antistes belliger, velut aper frendens dentibus nec sibi nec hostibus parcens.* Sed ex animi libidine potius quàm pro obsequio se bello immiscuit. Dumelmensem tamen Comitem Palatinum, cui libertates & jura omnia regnante Maria restituta fuisse refert Camdenus, Sancti Cuthberti vexillum in acie sua, ut arbitror, contra Scotos ferendum curare tenetur. Vtcunque est *arma viri bellumque gerant quîs arma ferenda.* Habent & Episcopi jurisdictionem ordinariam ratione officii in civilibus, utpote causis de decimis & rebus testamentariis, quæ abusivè Ecclesiastica dicuntur. Sed missa jurisdictione ordinaria, quam habent ratione officii, de qua postea, nos de delegata jurisdictione civili solummodo nunc disserimus.

Godwinus in commentario de præsulibus p. 178.

Pag. 90. Cap. 18.

Godwinus pag. 494.

Britann. pa. 601 edit. Francof.

Ante legem latam utramque jurisdictionem Ecclesiasticam & politicam ab uno eodemque administrari potuisse patet exemplo Melchisedeci, Iobi & aliorum. Vnde & conjunctionis harum jurisdictionum

dictionum monumentum eſt vox *Cohen*, quæ quandoque ſacerdotem quandoque principem & præſidem politicum ſignificat. Sed quum rempub. Iſraeliticam in eaque rite ordinatam Eccleſiam conſtituturus erat Dominus, poteſtates natura ſua diverſas diverſis adminiſtratoribus committi voluit: nec poſtea ordinariè & regulariter in una coaluere perſona. Ordinariè dico, quia extra ordinem quandoque collapſo reipub. & Eccleſiæ ſtatu Dominus excitavit ſacerdotes & Levitas, ut eundem inſtaurarent. Sic Heli & ſummus pontifex & judex politicus fuit, Samuel Levita, propheta & judex. Si corporis naturalis membrum aliquod adeo debile fuerit, ut officio ſuo fungi non poſſit, aliud opem feret. Vt ſi quis pedibus incedere non poteſt, manibus ambulabit & manibus truncus dentibus cibum accipiet. Vbi non ſunt milites mercenarii, ipſi cives poſſunt & debent armis civitatem defendere. *Sic Clerici, non niſi deficientibus laicis, ſe debent ſecularibus negotiis immiſcere*, inquit Occamus. Fortuitus caſus non evertit regulam. Dico etiam regulariter, quia quæ contra legem veniunt, in exemplum non ſunt trahenda. Vt confuſio illa invecta Levitarum & Sacerdotum ambitione & avaritia poſt victorias partas per Maccabeos. Vt iſta ſeparatio ſatis perſpicua erat in ſingularibus perſonis, ſic etiam in ſynedriis tum majoribus, tum minoribus. Synedrium majus civile diſtinctam erat ab Eccleſiaſtico, Cauſis ceu rebus, perſonis & pœnis ac cenſuris. Summus judex judicabat de ſanguine, id eſt cæde & cauſis capitalibus, & de lite, id eſt cauſis civilibus rerum ad vitæ commoda pertinentium. Sacerdotes de plaga, id eſt lepra & morbis ſive incommodis, quæ ratione Eccleſiſtica & ceremoniali ſecundum legem diſtingui oportet, ut optimè interpretatur Franc. Iunius in Deut. 17. Nam reſpectivè verba eſſe intelligenda diximus ſupra pag. 24. Amarias Sacerdos primarius præerat in ſynedrio Eccleſiaſtico in omni negotio Iehovæ id eſt cauſis ſacris, Zebadias filius Iiſmaelis anteceſſor in domo Iehudæ id eſt in regno, in omni negotio regio id eſt in politicis regni cauſis 2 Chron. 19 11. *In Thalmudico tractatu de ſynedrio, & in ultimo libro Iad Moſis Ægyptii, qui eſt de eodem argumento, legimus deferri ſolitum principem in ſynedrio locum, ſapientiſſimo è ſeptuaginta ſynedris Auctor illum appellat Roſh haieſchiba caput ſynedrii. Nam ieſchiba hoc loco idem eſt ac beth din domus judicii Curia aut conſeſſus judicum. Addit vero Maimonides hunc præſidem illius conſeſſus, qui Moſis perſonam referebat à Sapientibus appellatum fuiſſe Naſi principem: habuiſſe illum quaſi vicarium, ad dexteram ipſi adſidentem, qui diceretur Ab Beth Din Pater domus judicii. Quod autem hic Naſi fuerit Pontifex Maximus dictus neque ullo teſtimonio probari poteſt, & ratio certa confutat.* Summus pontifex erat præſes ordinarius ſynedrii Eccleſiaſtici non autem politici. Diſtinctorum ſynedriorum exemplum habemus

De poteſt Pont. qu. 8. cap. 5.

Caſaub. exercit. 13. ann. 31. num. 10. p. 243. 244.

Ierem. 26 8 9 & seqq. Synedria similiter inferiora & minora alia erant Ecclesiastica quæ in synagogis exercebant censuras Ecclesiasticas, alia politica quorum consessus habebatur in portis civitatum. Postquam verò sacerdotes qui Maccabæos sequuti sunt, potestatem politicam sibi arrogassent, actionum confusio totam Ecclesiam & rempublicam Iudæorum occupavit. *Etsi autem illius administrationis maxima fuit posterioribus illis temporibus corruptio, tamen vestigia non obscura & quasi rudera colligi ex novo testamento possunt, ex quibus fuisse adhuc per illud tempus distincta consilia, quamvis retusa auctoritate ipsorum, demonstremus*, inquit Iunius; vide Locum. At dices, etiamsi distincta fuerint synedria, cum majora tum minora, in politicis tamen interfuisse etiam Levitas & Sacerdotes. Respondeo vt de jure responsa darent. *Iudiciales Iudæorum leges ab ipso Deo latæ sunt: & jus civile judaicum pars Theologiæ fuit, unde factum est, vt in populo Dei iidem fuerint Theologi & Iurisconsulti*, ait Saravia. Si, ut de facto etiam suffragia ferrent, respondendum, incorrupta manente administratione in Ecclesia & politia non eosdem Levitas & Sacerdotes utriusque synedrii membra & judices fuisse. Cum enim numerosa esset tribus Levitica, & tot millia distributa in classes quot sufficerent cultui divino, supernumerarii constituti sunt Iudices, moderatores, *schoterim* baculifiri id est apparitores, qui res judicatas exequebantur & baculo ac loro populum ad præcepta observanda cogebant. Præterea à Iudæorum politia necessariam non posse trahi consequentiam fatetur Bilsonus, cujus verba videat supra lector pag. 25. Et concesso unico synedrio, illius exemplum non imitandum ostendimus pag. 26. nam sequeretur ordinariam potestatem vitæ & necis posse habere Ecclesiasticos ex Dei instituto absque ulla principis delegatione. Nec mirum, si talis fuisset administratio populi Israelitici: nam leges eorum judiciales fere omnes erant mixtæ & partim ceremoniales. Nã ceremoniales observantias habebant in cibis, vestibus, aratione, agrorum redemptione. Imò ipsa terra erat typica. *Omnia*, ut ait Apostolus 1 Cor. 10 *contingebant illis in figura: & totus status illius populi*, ut ait Aquinas, *figuralis erat*. Denique spritualia temporalibus adumbrabantur. *Auctoritas Pontificalis in nova lege spiritualior est & magis à terrenis negotiis elongata, quàm fuerat auctoritas Pontificalis in veteri lege, quemadmodum lex nova est magis spiritualis quàm vetus*, inquit Occamus. Bellarminus Regem sacerdotis officium invadere in veteri testamento non potuisse cum probasset, ait munera sacerdotum in novo testamento esse longè augustiora quam fuerant in veteri. Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem quæ incipit, *Proposueramus*, ait. *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul & sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedech fuisse sancta prodit historia, quodque in membris suis diabolus imi-*

[Margin notes: in Deut. 17. — Defens. de gradib. ca. 11 — 12 qu. 104 art. 2. — De potest. Pontif. qu. 1. cap. 12. — De pontif. li. 1 ca. 7.]

imitatus (utpote qui semper, quæ divino cultui conveniunt sibimet tyranco spiritu vindicare contendit) ut Pagani Imperatores iidē & maximi pontifices. *Sed cum ad verum ventum est eundem Regem, dicerentur atque Pontificem ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit: quoniam idem Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in infernum demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur qui esset negotiis sæcularibus implicatus.* Quæramus igitur veritatem in veritate novi, non in umbra veteris testamenti. Christus exemplo suo docuit quid facere debeant ministri Evangelii; fuit enim ipse minister Evangelii: hereditatis tamen herciscundę potestatē recusavit, ut à munere suo alienam Luc. 12 24 Bellarminus ipse ait *Dominū in hoc mundo suscepisse personam Pontificis, non principis temporalis, & illis verbis monuisse simplices Pontifices, ne se misceant alienis negotiis. Nec judex dignatur esse litium, nec arbiter facultatū,* inquit Ambr. Iohannis 8 in adulterā ferre sententiā renuit & Ioh. 6 15 *cū nosset venturos, & se abrepturos, ut facerent se regem, secessit rursus in montem solus ipse.* Inde Bell. observat quod sequitur, *Apparet ergo eum noluisse acceptare electionē suam in Regem.* Nec invasit politica, nec oblata arripuit. Regnum Christi non erat ex hoc mundo Ioh. 18. Venit in hunc modum absque armorum strepitu, observatione & pompa, & ut ros cæli descendens in vellus Gedeonis. Ejecit è templo ementes boves & oves Iohan. 2 sed *sciendum Christum non ejecisse illos homines ex templo, quasi pontificia vel regia potestate, sed more prophetarum, zelo quodam divino, quo Phinees occidit scortatores & Helias prophetas Baal,* ait Bellarminus. Imo extraordinario modo exeruit vim divinæ potestatis. Sicut exemplo suo præmonstravit quid Apostoli & omnes deinceps pastores facerent, sic etiam verbis docuit. Non permittit discipulo quem vocabat ad annunciandum evangelium, vt prius sepeliret patrem, sed statim sequi iubet. *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu vero profectus annuncia regnum Dei.* Luc. 9. 60. Noluit illum retardari officio pietatis in parentes, quod iure naturæ debetur, de muneribus ciuilibus quid igitur sentiendum. Non tulit leges civiles secundum quas iudicaret ecclesia, nec cōmisit Apostolis pœnarū temporaliū sed spiritualium censurarum potestatem. *Censuram ecclesiæ suæ diversam constituit ab ea quæ fuit tempore legis sub Mose: nihil enim eam habere voluit, quod esset civilis imperij, ne eius prætextu leges iuraque gentium civilesque administrationes, Apostoli aliiq; ecclesiarum pastores perturbarent,*

De pontif. li. 5 cap. 10.

ibidem.

Defens. c. 11 sect. 16.

turbarent, aut sibi adsumerent, ait Saravia. Claves non gladios commisit Apostolis eorumque successoribus. Clavigeros non ensiferos eos constituit dominus. *Turba adversus Dominum gladiis armata processerat, & ipse recondi gladium præcepit, significans quia eos non humano, sed oris sui gladio esset pertempturus.* inquit Anselmus. *Quid tu vsurpare gladium tentas, quem Petrus iussus ponere in vaginam*, ait Bernardus. *Membrum Christi Rex, Membrum Christi Sacerdos, gladius Regis censura Curiæ, gladius sacerdotalis ecclesiasticæ rigor disciplinæ*, inquit Hildebertus. Quibus nec leges civiles, nec potestatem coactivam tradidit, politicos Dominos non constituit. *Apostolis interdicitur Dominatus: I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Forma Apostolica hæc est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio*, inquit Bernardus. Filii Zebedei secundum opinionem, quæ iamdiu insederat animis Iudæorum, somniabant regnum Christi fore terrenum, & Christum Monarcham potentissimum, ambiebant propterea locum à dextra & sinistra Christi, id est secundas partes in imperio. Christus docet illos fore ministros non Dominos & principes. *Reges gentium dominantur in eas, & qui auctoritatem habent in eas, benefici vocantur, Vos autem non ita: Luc.* 22.25.26. Et ne quis regiam solummodo potestatem interdictam putet, Matthæus ait, οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν principes gentium, & οἱ μεγάλοι Magnates. Dicunt non prohiberi illis verbis episcopis Dominatum, qualis esse potest Regum & principum piorum, sed qualis est Regum ignorantium Deum, qui tyranni sunt potiùs quàm Reges, & probant ex verborum proprietate. Nam Matthæus ait, κατακυριεύουσιν, id est violenter dominantur: Sed κατὰ in compositione non solum significat contrà, vt in καταχρᾶσθαι καταγινώσκειν *aut de vt in* κατηγορεῖν *aut deorsum vt in* καταφέρειν καταβῆναι *& similibus, sed etiam intendit duntaxat significationem, vt in* καταφαγεῖν κατανοῆσαι, *&c. ita est verbum* κατακυριεύειν, *vt Gen.* 1.28. *& Psal.* 72.8. *& similia multa. Quapropter hic disputator & linguæ Græcæ, & locis scripturæ iniuriam facit. Postremo confutat Lucas* 22. 25. *qui eadem verba repetens Christi interpretatur secus. Reges*, inquit, *gentium dominantur eis, & qui habent eas in potestate vocantur benefici. Videtisne Christum simpliciter de dominatu agere, non de violento solum.* Lucas vtitur verbo simplici κυριεύουσι. *Sicut* κυρεῖν *&* κατακυρεῖν *idem significant Græcis; ita &* κυριεύειν *&* κατακυριεύειν *sive vsum spectes sive analogiam*, ait Tilenns noster. Vel cum Spalatensi dicamus includi verbo Græco violentiam, sed non iniustam vt puta tyrannidem, sed legitimam propter vim coactivam, quam habent principes omnes etiam iusti & legitimi in suos subditos, qui ita dominantur, vt eis etiam invitis dominentur, lib. 5. cap. 2. num. 6. Non erant adeo impudentes discipuli vt peterent tyrannidem sub Christo, nec tam rudes vt tyrannos illos constiturum crederent Christum. Denique Reges

In Mat. 27.

De considerat. l. 4.

Epist. 40.

De considerat. l. 2.

Iunius de Pontif. lib. 5. *ca.* 10. *not.* 6.

Ibidem.

Reges gentium plerique gubernarunt gentes maiori cum laude quàm plerique Reges Iudæorum & Israelitarum. Regia potestas etiam inter gentes & ethnicos est à Deo ordinata. *Dominatiuum igitur modum regendi, & potestatibus sæculi obseruandum Apostolis interdixit*, vt ait Occamus. *Et præceptoriè & consultoriè inhibuit*, ait idem. Aliud effugium quærunt & dicunt Christum interdixisse, ne potestatem & dominatiuum regendi modum sibi vendicarent ratione muneris proprij Apostolatus, non autem ne oblatam potestatem amplecterentur, sic episcopos non quatenus sunt episcopi vi & virtute muneris episcopalis posse sibi vendicare dominium publicum, tamen quatenus sunt cives regni ceu Reipublicæ posse munera civilia obire vt Eirenarchæ, Consiliarii, Cancellarij & similium. At non ita limitat verba Christus, *vos autem quatenus Apostoli non sic*, sed simpliciter ait, *Vos autem non sic*. Removet omne dominium civile non modo à natura Apostolatus, sed etiam à personis Apostolorũ, & vult incompatibiles, vt loquuntur, esse has duas potestates in vno eodemque subiecto. Alioquin facile potuissent regerere discipuli. Non quatenus pastores & doctores cupimus dominatum vllum politicum, sed quatenus cives regni & membra primaria ceu principes imperij quod arbitramur fore potentissimum & patentissimum. Sic hodie Episcopi Germaniæ qui sub imperatore sunt etiam principes Imperii; & sic tuetur Pontificum principatum Bellarminus. *Sicut iisdem ouibus, vt sunt cives Reipublicæ dominatur princeps politicus, ita iisdem potest dominari eadem ratione Pontifex, si sit eorum princeps politicus*. Sed revocant nostri ad interdictum Christi. Interdicitur dominatio, indicitur ministerium. Petro Iacobo & Iohanni indicitur ministerium, & interdicitur dominatio non solum quà erant Apostoli, sed quia erant Apostoli. Duæ sunt autem causæ cur dominationem & principatum politicum interdixit Christus; Vna est, quia ipsorum officium erat nudum & merum ministerium, nihil eos ideo voluit habere meri aut mixti imperii aut ex iure Apostolico aut aliunde collatum, ne potentia evangelii armis carnalibus potius quàm spiritualibus & virtute spiritus inniti videretur. *Nunc autem duæ virgæ sunt, altera Regum gentium, alia discipulorum Christi: virga Regum gentium virga dominationis; virga discipulorum Christi virga directionis; virga pastoralis officij supra curam animarũ solicitè vigilantis: illa virga quæ dominationis est, non est concessa ministris evangelij pacis*, ait Rupertus Abbas Tuitiensis. *In criminibus non in possessionibus est potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves regni cœlorum prævaricatores exclusuri non possessores. Quænam tibi maior videtur potestas peccata remittendi an prædia dividendi? Habent hæc terrena & infima iudices suos, Reges & Principes terræ: quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Cur maior vis esse domino, qui*

De potestate Pontif. qu. 1. c. 7.

De pont. lib. 5. cap. 10.

In Mat. c. 10

De consid. l. 1. c. 6.

interpellatus à quodam dicente, Dic fratri meo, vt dividat mecum haereditatem, respondit, Quis me constituit iudicem inter vos, inquit Bernardus. Alia autem ratio fuit ne distraherentur à munere suo, cui totos vacare oportebat. Idcirco Paulus Apostolus dicit se esse ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ Rom. 1. 1. Quod praecepit Christus Apostoli observarunt diligentissimè. Elymae excaecatio, Ananiae & Sapphirae exanimatio erant res extraordinariae & miraculosae, non à temporali Magistratuum potestate, sed temporaria illa Apostolorum quae δυναμις dicitur, procedentes. Dum adhuc commorarentur vnà Hierosolymis Apostoli, licet donis extraordinariis instructi, sentiebant tamen se non pares fuisse vtrique oneri & ministrandi mensis & prędicandi verbum, propterea diaconos instituerunt. *Non est aequum nos derelicto sermone Dei ministrare mensis.* Erant vtraque haec munia ecclesiastica, vtraque simul tamen obire renuerunt Apostoli. Episcopis tamen Anglicanis derelicto grege aulam sectari & Regi ab eleemosynis esse satis aequum videtur. De Wintoniensi sic olim Gualterus Mapezius in libello qui inscribitur Planctus super episcopis haec habet. *Wintoniensis armiger Praesidet ad scaccarium, Adcomputandum impiger, Piger ad Evangelium, Regis revolvens rotulum, Sic lucrum Lucam superat, Marco marcam praeponderat, Et librae librum subiicit.* Ad aliud mensarum ministerium se recepit Wintoniensis, nempe ad tabulam illam quadrangularem Scaccarii Regii, vbi causae quae ad fiscum pertinent, audiuntur. Gregorius, cuius verba extant in Gratiani decreto, sic scribit: *Singuli ecclesiastici iuris officia singulis quibusq; personis singulatim committi iubemus. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in ecclesiae corpore secundum veridicam Pauli sententiam in vno eodemq; spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: neq; vni quantumlibet exercitatae personae vno tempore duarum officia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus vbi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia & robur corporis servat, & pulchritudinem repraesentat: ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa & fortitudinem & venustatem sanctae Dei ecclesiae manifestat. Et sicut indecorum est, vt in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimirum noxium simulq; turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.* Ex loco Apostoli ad Romanos cap. 12. 6. 7. 8. argumentum promit Gregorius, quo probat duo officia ecclesiastica vni non committenda esse, sicut iam vidimus in Diaconatu & Apostolatu. Si duo ecclesiastica officia non sunt vni committenda, multo minùs ecclesiasticum & civile. *Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atq; huic nostro officio decerpitur,* ait Ambrosius. Natura ipsa ἓν πρὸς ἓν vnum instrumentum

Ad Maxentium.

Dist. 89. cap. Singula.

De fuga saeculi. c. 2.

mentum vnius rei vſui aptavit: nec in corpore politico probandum eſt ὀβελισκολύχνιον aut δορυδρέπανον multo minus in Ecclesia. Nam ſpirituale debet eſſe ordinatius quam temporale. *Nemo qui militat implicatur hujus vitæ negotijs, vt ei placeat à quo delectus eſt miles*, 2. Tim. 2. 4. Ad clangorem tubæ & ſonitum tympani ſemper paratus eſt miles relicta vxore & familia ſequi ducem & imperatorem quocunque vocarit. Nolunt regimen politicum hîc vocari negotia ſæculi ceu hujus vitæ Bellarminus, & alij adverſarij, ſed curam parandi victus, & proinde negotiationes, mercimonia, & ſimilia. *Sed negatur diſtinctio: nam id vniverſè ſimpliciterque dicitur. Deinde ſi minus impedimentum vetatur; annon vetatur maius? eſt autem maius impedimentum principis & regiminis politici, ſi quis bene defungi volet.* Apoſtolus Act. 18. 3. manſit apud Aquilam & Priſcillam & operabatur, quia eiuſdem erat artificij: erat autem ars illorum conficere tabernacula. Alibi ait. *Laboramus operantes proprijs manibus*, 1. Cor. 4. 12. Item *nocte ac die operando, ne cui veſtrum oneri eſſemus, prædicavimus apud vos evangelium*, 1. Theſſ. 2 9. ſic 2. Theſſ. 3. 8. Licet igitur parare victum artificio aliquo, ſi aliunde non ſuppetit vnde vivamus. Rectè, nolunt compedibus ferreis, aureis tamen libenter implicari volunt epiſcopi; licet graviùs onerent aurei quàm ferrei. Vbi iam illa limitatio per *quatenus*. Annon epiſcopus implicatur negotijs huius vitæ, quando vt civis regiminis politici cura diſtrahitur. Ridicula eſt igitur illa diſtinctio, & indigna alia refutatione quàm bubulci illius, qui Archiepiſcopo Colonienſi eodemque Duce per pagum quendam incedente, eumque proſequente caterva militum, a riſu temperare ſibi non potuit. Interrogatus quæ cauſa riſus, reſpondit valde ſibi ridiculum videri, quod Petrus Apoſtolus ſacerdotalis ordinis princeps in tanta inopia vitam egiſſet, vt eius ſucceſſores adeo locupletarentur, & regibus Satrapiſq; pares fierent. Objiciente Archiepiſcopo perſonam ſe duplicem ſuſtinere ducis ſcilicet & Epiſcopi, maiorem multo cachinnum ſuſtulit, velim, inquit, hoc vnum abs te doceri cum hunc ducem, cuius perſonam geris, iam fato functum cacodæmones ad inferos rapient, quonam iturum epiſcopum exiſtimas. Vide Duarenum de beneficijs & miniſt. l. 1. cap. 4. vbi hæc refert ex libro 6 collectaneorum Fulgoſij. Sed redeamus. Quemadmodum ſæculi militibus non concedebatur procurationem alienorum negotiorum ſuſcipere, & poſſeſſiones conducere, ne a ſignis ſuis avocentur milites C de locato ſic & clericis id non indulgetur, vt infra videbimus. Cautum erat lege civili in hunc modum, *Militem nec pro patre, vel matre, vel etiam vxore, nec ex ſacro reſcripto procuratorio nomine experiri oportet, cum neq; defenſionem alienam ſuſcipere, vel redimere negotia, vel quaſi ſuffragatorem accedere vtilitate publica permittatur.* Milites cœleſtis militiæ ſunt ſemper quaſi in procinctu vel in expeditione, multo

Jur. de pont. l. 5. c. 1 2 not. 15.

Co l. 2. tit 13. l. 7.

magis igitur non sunt negotijs huius vitæ implicandi. Sacrum munus ministerij assimilatur militiæ, Num. 4.3. & 8. 24. 25. 1.Cor.9. 7.Philip.2.25. Hieronymus hunc locum Pauli explicans ait, *Multo magis nos liberos esse debere à negotiis sæcularibus vt Christo placeamus* Ambrosius, *Ecclesiasticus autem idcirco se Deo probet, vt huic deuotus officium impleat, quod spopondit in Dei rebus sollicitus, à sæculari negotio alienus. Non enim conuenit vnum duplicem habere professionem.* Apostolus 1. Cor. 6. cum fratres à fratribus in ius vocari, eorumque lites disceptari coram Magistratu infideli cerneret, atque ita Christianismum exponi iudicum profanorum ludibrio, ad arbitros & cognitores domesticos membra ecclesiæ retrahit. Nec tamen constituit pastores iudices aut arbitros harũ disceptationum, qui suis functionibus occupati erant, sed ait, *Itane non est inter vos sapiens, ne vnus quidem, qui possit decernere inter fratres suos*, 1.Cor.6. 5. Imo potius quàm iudicio experiri coram iniustis oporteat, *Si iudicia habetis de ijs quæ ad huius vitæ vsum pertinent* κριτήρια βιωτικα, *eos qui nullo loco habẽtur in ecclesia* τὸς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ *eos in subselliis collocate*, 1. Cor.6.4. Latimerus episcopus Wigorniensis de Episcopis qui erant in Anglia regnante Edwardo 6. in concione de aratro hæc habet verba: *Ocupati sunt quidam in negotiis Regis, quidam sunt Legati, quidam principi à secretiori consilio, quidam in aula, alii domini Parlamentarii, alii præsides, & officinæ monetariæ præpositi. Bene, Bene? Hoccine munus vestrum. Si Apostoli nolebant derelicto sermone Dei fieri Diaconi, an debet quis propter curam officinæ monetariæ derelinquere. Audi patria mea Anglia, quid dicat Apostolus*, 1.Cor.6. *Itane non est inter vos sapiens, ne vnus quidem, qui possit inter fratres suos decernere. Ad erubescentiam vestram dico, &c. Sic Anglia ad pudorem tibi incutiendum dico. Estne nobilis apud vos, qui præsidis munus obeat, sed oportet Prælatum eo fungi? Estne quis sapiens in regno, qui præponatur monetariæ officinæ. Ad incutiendum vobis pudorem loquor, atq; iterum, ad incutiendum vobis pudorem loquor. Si non sit inter vos sapiens, ne vnus quidem, constituite lixam ceu aquæ Bajulum, sutorem ærarium, sutorem veteramentarium, mancipium, pedissequum, præfectum monetarij. Præsidem create generosum fortunæ tenuioris aliquẽ cubicularium, ingenuum vel* stilo forensi *legalem hominem, mendicum.* Item, *Est opprobrium nobilibus ac si prudentiæ & eruditionis expertes omnino inepti essent ad talia munera, & omni religione soluti.* Apostolus vocat judicia de disceptationibus istis ἐλαχίστα κριτήρια id est de rebus minimi pretii, cujusmodi sunt τὰ βιωτικά: & proinde indigna quibus distrahantur pastores, sed committenda potiùs iis, qui nullo loco habentur in Ecclesia. *Oculum, qui prævidendus summis præeminet, cura pulveris non obscuret*, ait Gregorius. *Quibus datum est judicium in majora, quidni contemnat judicare de terrenis possessiunculis*

De cura Pastorali.

funiculis hominum, qui in cœlestibus & angelos judicabunt, ait Bernardus. Clemens epist. 1 ad Iacobum fratrem Domini. *Neque enim judicem aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus: ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis. Ista namque opera quæ tibi minùs congruere superius exposuimus, exhibeant sibi invicem vacantes Laice: & te nemo occupet ab his studiis, per quæ salus omnibus datur.* Vide Gratianum. Gregorius Romano defensori, *perlatum est ad nos reverendissimum fratem nostrum Basilium Episcopum, velut unum de laicis in causis sæcularibus occupari, & prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit & reverentiam sacerdotalem annihilat: statim ut reverentia tua hoc præceptum susceperit. &c.* Extant verba apud Gratianũ. *Proh dolor*, ait Rabanus, *multi inveniuntur hujus temporis viri inter Ecclesiasticos, qui relicto prædicandi officio & spirituali jurisdictione eò se magnos æstimant, si terrenis negotiis præponantur, & disceptationibus sæcularium sæpe intersint ita ut in eorum conventibus quasi arbitri sedeant, & eorum conflictuum judices fiant.* Testimonia hæc omnia illustrant dictũ locum 1 Cor. 6. *Hæc illa est igitur Apostolica doctrina ipsius Christi & mandato & exemplo plurimis locis confirmata, nedum ut utrunque gladium ceu Petro ceu aliis à Petro ullis Pastoribus concesserit. Quod si attente ut oportuit, à veteribus illis Episcopis ab ambitione fateor quæ mox illos sequuta est, procul remotis, sed tamen ab Apostolica regula deficientibus fuisset consideratum, neque seipsos tot laboribus fatigassent, de quibus alicubi conqueritur Augustinus, & Gregorius quoque Romanus: neque posteris invadendæ Magistratuum potestati aditum certo cum humani generis exitio tandem sequuturo patefecissent.*

De considerat. l. 1.
Caus. 11. qu. 1. c. 29. Te quidem.
Distinct. 88. cap. perlatũ.
Epist. ad Hemnonem.
Bezæ Annot. in 1 Cor. 6 1.

Doctrinæ Christi & Apostolorum subjiciam è veterum scriptis paucula quædam in eandem sententiam. Canonum, qui Apostolorum inscribuntur, unus sic habet, *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus* κοσμικὰς φροντίδας *seculares curas non suscipiat; alioqui deponatur.* Can. 81 *diximus non oportere Episcopum vel Presbyterũ seipsum* εἰς δημοσίας διοικήσεις *ad publicas administrationes demittere*, ἀλλὰ προσευκαιρεῖν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρείαις *sed in Ecclesiasticis negotiis versari.* Can. 83. *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtinere volens* ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν *Romanum scilicet Magistratum & sacerdotalem administrationem deponatur.* Cyprianus Presbyteris & Diaconis & plebi Furnis consistentibus, de Victore, qui Faustinum Presbyterum tutorem nominavit. *Cum jampridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati,*

Can. 6.
Lib. 1. ep. 9.

norati, & in clerico ministerio constituti nonnisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est, enim nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui divinis rebus & spiritualibus occupati ab Ecclesia recedere & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt. Pamelius in hunc locum. *Hoc autem Concilii statutum, ne quis Clericum tutorem vel Curatorem testamento constituat, denuo renovatum est per Concilium Chalcedonens. can. 3. exceptis tutelis miserabilium personarum, & legitimis tutelis, ad quæ per leges compelli poterant, sed & his legibus postea liberati sunt Episcopi Presbyteri Diaconi, subdiaconi, Monachi Constitut. Iustin. Imperato. L. Generaliter Cod. de Episcopis & Clericis quam Leoni Augusto perperam Gratianus ascribit 16 quest. 1 Generaliter. Hodie itaque nemo illorum ad legitimas tutelas tenetur, multo minus ad testamentarias aut dativas.* Si tam rigidi erant Africani in opera pietatis, quid putas de aliis negotiis magis alienis sentiebant. Synesius *Memetipsum sciens vix ad alterum pertingere posse admiror eos, qui utraque possunt; mihi vires non sunt ut possim duobus dominis servire, Si qui vero sunt qui rerum diversarum aggressione non læduntur, illi possunt simul & sacerdotio fungi & civilibus præesse.* *Epist. 57.* Gregorius, *Dei causam relinquimus, & ad terrena negotia festinamus, locum sanctitatis accipimus, & terrenus actibus implicamur.* Item, *Dum nobis competentia relinquimus, & nobis non competentia cogitamus, peccata nostra barbaricis viribus sociamus.* *Hom. 17.* Hilarius ad Auxentium, *Quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt, quibus adjuti potestatibus Christum prædicarunt, gentesque omnes fere ex Idolis ad Deum transtulerunt. Anne aliquam sibi ad palatio dignitatem sumpserunt hymnum Deo in carcere inter catenas & post flagella cantantes. At nunc proh dolor divinam fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur arguitur.* Bernardus De consideratione ad Eugenium lib. 2. *Non monstrabunt puto qui hoc dicunt ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum aut divisor terminorum aut distributor terrarum. Stetisse denique lege Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego.* Idem, *perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani non Domini. Qua mente obsecro sustines coram te semper silere istas garrire illas.* Extat titulus in decretalibus lib. 1 de obligatis ad ratiocinia. Est autem illa obligatio vinculum quoddam reddens hominem impeditum ad Ecclesiastica ministeria, propter administrationes publicas forenses & privatas pupillorum, Duobus modis obligantur primo ad tales actiones ceu ministeria peragenda ad quæ obligantur ratione talis muneris, deinde ad reddendam rationem peracti muneris. Durante priore obligatione irregulares erant ad ordines suscipiendos procuratores, Actores, executores ceu Curatores

ratores

ratores pupillorum ceu tutores. Quia ratione Curiales qui actu ſunt membra Curiæ inepti ſunt, ut ad clericatum aſſumantur, ſic è converſo qui jam actu ad ordinem miniſterii promoti ſunt, non debent iiſdem adminiſtrationibus forenſibus ſe immiſcere aut aliorum ſæcularium aut temporalium, quæ irregularitatem inducunt. Gratianus in Decreto. *Generaliter ſancimus omnes viros reverendiſſimos Epiſcopos, necnon Preſbyteros ſive Diaconos & Subdiaconos, & præcipuè monachos, licet non ſint clerici, immunitatem ipſo jure omnes habere tutelæ, ſive teſtamenentariæ, ſive dativæ ſive legitimæ, & non tutelæ ſolum eos expertes, ſed etiam curæ: non ſolum pupillorum & adultorum ſed & furioſi & ſurdi & muti, & aliarum perſonarum, quibus tutores vel curatores à veteribus legibus dantur. Eos tamen Clericos & monachos hujuſmodi habere beneficium ſancimus, qui apud ſacroſanctas Eccleſias vel monaſteria permanent, non divagantes neque circa divina miniſteria deſides: cum propter hoc ipſum beneficium eis indulgemus ut aliis omnibus derelictis Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant.* In decretalium libro tertio titulus habetur. Ne clerici vel monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant, ubi capite primò prohibentur eſſe conductores ſæcularium rerum, aut procuratores. Capite 2 ne miniſtriū laicor fiant, nec in rebus eorum procuratores exiſtant: & cap. 4. *Sed nec procurationes villarum aut juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus principibus & ſæcularibus viris, ut juſtiarius eorum fiat, clericorum quiſquam exercere præſumat. Si quis autem adverſus hæc venire tentaverit, quia contra doctrinam Apoſtolici dicentis, Nemo militans Deo implicet ſe ſæcularibus negotiis, ſæculariter agit, ab Eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus: pro eo quod officio clericali neglecto, fluctibus ſæculi, ut poteſtatibus placeat, ſe immergit.* Epiſcopi tamen Anglicani, cum ſunt pacis juſtitiarii, aut judices in camera ſtellata, aliave munera obeunt, quæ juriſdictionis ſæculares exercitium poſtulant, fluctibus ſæculi, ut poteſtatibus vel ſibi potius placeant, ſe immergunt. Capite 8 Innocentius tertius, *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus clericis in ſacris ordinibus conſtitutis tabellionatus officium per beneficiorum ſubtractionem appellatione poſtpoſita interdicas.* Capite 6 Alexander 3 Londinenſi Epiſcopo *Secundum inſtituta prædeceſſorum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici lucri cauſa negotientur.* Idem Alexander 3 Cantuarienſi Archiepiſcopo capite 5. *Clericis in ſacris ordinibus conſtutis ex Concilio Toletano judicium ſanguinis agitare non licet Vnde prohibemus, ne aut per ſe truncationes membrorum faciant aut judicent inferendas. Quod ſi quis tale quid fecerit, honore privetur & loco. Iubemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis ſacerdos officium habeat Vicecomitis aut præpoſiti ſæcularis. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubjaceat.* Guilielmus Courtnejus Epiſcopus Cantuarienſis, cum proceres nonnullos qui ſeditionis inter-

16 qu. 1. cap. 40.

ter regem & optimates authores ferebantur, ad supplicium poposcissent; priusquam ea de re quicquam decerneretur, Archiepiscopus quem Canones prohibebant adesse, cum de sanguine ageretur, abductis secum suffraganeis suis è Parlamento discessit protestatione prius facta, quam vide supra pag. 78. Capite nono ejusdem tituli ab Innocentio tertio statutum, ut sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut vbi exerceatur intersit, nec quisquam clericus literas dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas. Nullus quoque clericus ruptariis vel balistariis aut hujusmodi viris sanguinum præponatur. Non solum judices in causis sanguinis, sed etiam curiales seu ministri justitiæ ut tabelliones, procuratores, sollicitatores, & inferiores etiam ministri qui vel denuntiant vel scribunt sententiam, vel aliquod simile munus exhibent, aut quomodocunque ad causas sanguinis cooperantes, per Canones erant irregulares. Sed ridiculum est, quod Bonifacius 8 in Sexto Decretalium decrevit. *Episcopus*, inquit, *seu quicunque alius prælatus vel clericus jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua commisso, ballivo suo aut alii cuicunque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet, quamvis ipse ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit justitia mediante. Nam licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt metu irregularitatis cessante alijs delegare.* Bozius ad istam

De temporali Monarch. li. 3. ca. 7. objectionem *Papa & Episcopi qui habent præpositos sanguinis videntur occidere*, Respondet verbis Alensis. Est auctoritas jubendi, est & auctoritas innuendi, gladium exeri non ad jussum sed ad nutum sacerdotis. Quàm frivola sunt ista? nam si ad ejus nutum præpositus sanguinis vel balliivus ad pœnam sanguinis processerit, nonne ad causam sanguinis efficacius & potentius cooperatur in causa sanguinis, quàm tabelliones aut alii curiales. Præterea an non idem est ad jussum & ad nutum occidere? quomodo possunt quæso jussum à nutu distinguere, nisi nutum mutum finxerint. Denique an non derivatur potestas præpositi vel ballivi ab Episcopo, qui habet temporalem jurisdictionem? Duces & comites, qui habent temporalem jurisdictionem & regalia non per se sed per alios præpositos sanguinis procedunt ad pœnam sanguins, cõmunicata nimirum potestate gladii quam habent, inferioribus iudicibus. Non igitur pudeat Episcopos, qui talem habent potestatem, insignia sua cum baculo pastorali tùm gladio decorare, sicut fecit Luderus Monasteriensis. Dignum notatu est quod de Burggraviis habetur in Chronico Carionis. *Designabantur Burggravii judicio & arbitrio Im-*

Li. 5. p. 715. *peratorum. Munus eorum erat, vt essent ceu custodes pacis publicæ, constituerent & gubernarent judicia publica, & omnem vniversim exercerent*

rent potestatem politicam loco Imperatorum, & eorundem authoritate in certis ac destinatis terris & regionibus, quæ attributa erant Ecclesiæ & Episcopis, concessione & beneficio Imperatorum. Episcopis enim quibus sola rerum sacrarum administratio, & Ecclesiasticæ disciplinæ procuratio incumbebat, quæ verbo peragitur, & his commendata est divinitus, aut occupari sollicitudine curandarum & conficiendarum opum aut versari & conspici in foro aut jus gladii usurpare nefas erat. Sed *Vetera Burggraviorum Jura multis in locis paulatim fregerunt Episcopi, cum impatientia alieni imperii potestatem politicæ gubernationis rapuerunt, usi occasionibus superstitionis, qua fascinatæ tenebantur mentes omnium ordinum. Postea Episcoporum exemplo idem fecerunt alii, donec attenuatis publicis imperii viribus opibus & possessionibus parem comitibus Palatinis & Burggravis in suis ditionibus singuli Principes & Episcopi consensu Imperatorum potestatem usurpare cœperunt.* Pag. 714.

Objiciunt imperatores & principes, qui donaverunt Episcopis principatus temporales, fuisse viros pios, & plerosque eorum, qui ejusmodi opes & principatum receperunt. Sed *non sequitur pii fecerunt, ergò piè. Nam & pii quoque non infrequenter zelo sine scientia traducuntur. In omnibus autem hisce donationibus tria videnda sunt zelus pietatis, quem in illis agnoscimus, scientia veritatis & prudentia administrationis. Hæc duo desideramus plurimum. Nam etsi res suas alienare potuerunt, tamen nec veri judicii nec prudentis fuit civilem administrationem in Ecclesiasticos transmittere.* Petrus Ferrariensis non dubitavit veteres imperatores vocare *stultos cæsares* propter tales donationes. De Episcopis Simon Schardius, *Diabolica superbia atque dominandi cupiditate elatios contra divinum præceptum secularibus negotiis sese implicare falcem protervam in messem non suam temere porrigere, utramque personam gerere.* De origine & progressu hujus corruptelæ pauca dicenda sunt. Petrus Suavis in historia Concilii Tridentini sic habet. *Constantinus Imperator explorato hujus judicii,* nempe Ecclesiastici, *in controversiis terminandis fructu, quantumque posset vis religionis capturis ac fraudibus actionum detegendis, quas judices deprehendere non poterant, legem sanxit, ut à sententiis Episcoporũ provocatio non esset, easque judices exequerentur. Quinimo lite coram judice sæculari pendente, quicunque esset causæ status, si alterutra pars, altera licet obluctante, Episcopum sibi judicem deposceret, ilico ad ejus cognitionem lis uti referretur. Exinde judicium Episcopi cœpit esse forense, & cum Magistratum haberet sententiæ exequutorem Iurisdictionis Episcopalis, item Audientiæ Episcopalis, & similium titulorum nomina sibi vendicare. Etiam Valens Imperator forum illud ampliandum censuit anno 365 inspectione in pretia rerum promercalium ei attributa. Quæ forensis negotiatio bonis moderatisq; Antistibus parum placebat. Refert enim Possidonius Augustinum huic cognitioni interdum adusque prandii horam, nonnunquam usque ad vesperam vacantem, solitum eam Angariam dice-*

Junius de pontif. lib. 5. cap. 9 nota 12 13.

Catalogus test um veritat p. 856.

L. 4 p. 369. 370 edit. Francofur.

 vitiles

re, quæ animum à rebus ad se propriè spectantibus avocabat, per eam res utiles omitti, ut perplexis ac tumultuosis incumberetur. Neq; D. Paulum id sibi muneris sumpsisse, quod Prædicatori minus conveniebat, sed ad alios ablegasse. Episcoporum verò non nemine, authoritate per Constantini legem concessa abutente, eadem lex 70 post annis ab Arcadio & Honorio revocata, statutumque ut religionis modo causas dijudicarent, civiles autem non aliter, nisi de partium voluntate & consensu, simul declaratum, nullum illis forum deberi. Quæ quidem lex, cum Romæ propter summam Episcopi potestatem parum attenderetur, Valentinianus anno 452 in ea ipsa urbe degens legem restauravit, & exequutioni curavit mandandam. Verùm à principibus insequentibus potestatis antea ademptæ bona pars reddita, Iustiniano etiam forum stabiliente & Audientiam, iisque unà cum causis religionis, delicta Clericorum Ecclesiastica & in laicos varias jurisdictiones spontaneas assignante. Videtur confundere Ecclesiasticum consistorium, ubi unà cum Senatu Presbyterorum judicabat Episcopus de Ecclesiasticis, cum cognitione rerum civilium ipsi absque Senatu permissa. Et quod de foro dicit, negant alii. Audiamus igitur jurisperitos. Constantinus Magnus legem sanxit qua permittebat alteri parti litigantium, sive actori sive defensori quicunque esset causæ status, in quacunque causa, sive antè sive post contestationem causæ & quidem instante judicio, evocare causam ad Episcopum etiam adversa parte obluctante, & ab eo sententiam judicii accipere sine appellatione. Lex inserta est decretis Gratiani Causa 11 qu. 1 can. 35. Quicunque, & can. 38. Omnes. Ratio redditur, *Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Videndum itaque an unquam fuerat observata. Negatur, & non potuisse observari sine totius ordinis judiciarii corruptione dicitur. Nam quum judicia redduntur in invitum, & potestas illa sive facultas judicandi, quam nos jurisdictionem dicimus, consistat in eo potissimum, ut vi legum & authoritate Magistratus quisque in officio retineatur, quam porro vim habuisset lex, quam potestatem Magistratus, si liberum cuique fuisset aut eum Judicem admittere, aut ejus jurisdictionem pro arbitrio declinare. Quare lex illa interpretanda est de bono & salutari consilio, quod pius ille imperator dabat ei, qui ab Episcopo evocabatur, ne judicium ipsius recusaret, tanquam prudentis arbitri, & sic Paulus Corinthios arguebat, quod judicio experirentur sub judicibus infidelibus: neque tamen vel Paulo vel Imperatori propositum fuit necessitatem imponere, qua judiciorum ordo everteretur. Probetur eam legem unquam observatam fuisse, ut nimirum laica persona de re merà prophana unquam fuerit ad Episcopum evocata, nisi forte juramenti prætextus fuerit, aut similis alicujus facti spiritualis, & manus dabo*, ait Benignus Milletotus in Divionensi Curia Consiliarius in Tractatu de Delicto communi & casu privilegiato. Nec alio sensu intelligendam probat ex lege Arcadii & Honorii. *Si qui*

Pag. 74. 75.

ex consensu apud sacræ legis antistitem litigare voluerint non vetabuntur: sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri sponte residentis judicium Codic. lib. 1 titulo de Episcopali audientia Lege 7. Hîc tres notabiles observat adstrictiones Milletotus. 1 ut adsit consensus partium 2 ut in civili duntaxat negotio, non in causis criminalibus 3 more arbitri sponte residentis. *Deinde lex illa bene intellecta magis tendebat in favorem laicorum, quibus permittebatur Episcoporum jurisdictionem subire, quàm Ecclesiasticorum ad jurisdictionem ampliandam. Nam ut jubebantur omnes hujus vitæ occupationes abjicere ne in ulla prorsus occupatione invenirentur mundani negotii occasione, ne præfocati præsentibus hominum curis non possent verbo Dei vacare 11 quest. 1. Canon Te quidem. meritò etiam dubitari possit, an liceret ipsis sedere arbitris ad componendas Christianorum lites: quod ipsis quidem istæ leges permittunt, sed nunquam imponere tamen necessitatem voluerunt ad eos confugiendi.* Imperatores Valens Gratianus & Valentinianus statuerunt, ut causæ civiles Ecclesiasticorū tractarentur in synodis Diœcesanis more controversiarum de rebus Ecclesiasticis l. 23. *Qui mos est C. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* Imperatores Valentinianus 2. Theodosius & Arcadius pro synodis Episcopos constituerunt, sed nullam aliam cognitionem illis tribuerunt, quàm rerum Ecclesiasticarum *L. 3 graviter quæ est ult. C. Theodosii. de episc. judi.* ex hac lege extractus Canon ille, *Continua* 11 quest. 1 sed adeo truncatus ut legislatorum intentio prorsus evertatur. Eandem legem confirmarunt Arcadius & Honorius *Leg. 1 Cod. Theod. de relig. Quoties de religione agitur Episcopos convenit agitare, cæteras verò causas quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinet legibus oportet audiri.* Et magis perspicuè Valentinianus tertius lib. Novel. Valent. 3 tit. 12 de Episc. judic. & divinf. negot. *De Episcopali judicio diversorum sæpe causatio est, ne ulterius querela procedat, necesse est præsenti lege sanciri. Itaque, quum inter Clericos jurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit, habeat Episcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromissi, quod & de laicis si consentiant, authoritas nostra permittit: aliter eos judices esse non patimur, nisi voluntas jurgantium interposita, sicut dictum est, conditione præcedat: quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadii & Honorii divalia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit, præter religionem posse cognoscere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & jure communi.* Unde colligit Milletotus iis temporibus jus commune attribuisse judibus sæcularibus cognitionem omnium causarum etiam Ecclesiasticorum exceptis rebus spiritualibus, & ad religionem pertinentibus, ac per consequens jurisdictionem judicum sæcularium in Ecclesiasticos fundamentum habuisse jus commune. Martianus Imperator l. 25 cum Cler. C. de Episc. & Cler. & l. 14

Pag. 76.

Pag. 78.

Decernimus C. de Episc. audientia istas constitutiones confirmans, addidit, si pro rebus prophanis actor laicus nollet coram Episcopo litigare adversus Ecclesiasticum defensorem cognitio deferretur pro Clericis, qui suberant Archiepiscopo Constantinopolitano, ad præfectum prætorio. Leo & Anthemius ad alias etiam ditiones & provincias istam legem extenderunt, statueruntque non admittentibus partibus judicium Episcoporum sponte sua, ut judices ordinarii judicarent *apud suos judices ordinarios id est Provinciarum rectores omnium contra se agentium excipiant actiones l 32 Omnes qui vbique & leg. 36 jubemus sect. vlt. C. de episc. & Cleric.* Sic videmus ad Iustiniani usque tempora non potuisse Ecclesiasticos de aliis causis quàm spiritualibus cognoscere, & de aliis tantum ex compromisso & more sedentis arbitri. Soli Imperatores Honorius & Theodosius videbantur multum auxisse potestatem Episcoporum, *leg. 41. Clericos C. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* sed explicata fuit & restri-
Pag. 79. cta per Valentiniani 3 Martiani, Leonis & Anthemii constitutiones, ut dictum. *De delictis porro & criminibus* etiam *Ecclesiasticorum non concernentibus spiritualia nunquam reperias temporibus dictorum Imperatorum ad Iustinianum vsque Episcopos cognovisse*, inquit Milletotus. Authentica, *Vt Clerici apud proprios Episcopos primum conveniantur, & post hoc apud civiles judices*, pro civilibus causis, in quibus defensores erant Ecclesiastici, statuit, ut coram Episcopo tractentur, modo sit compendiaria disceptatio, & deplano, & *ex non scripto examinetur negotium sine damnis, & accipiat formam etiam scriptam, si hoc partes quoque voluerint & poposcerint, & liberentur alterutro certamine. Si verò aut propter causæ naturam*, id est si controversia non pertinet ad Episcopi cognitionem, *aut quandam forte dif-*
Pag. 81. *ficultatem* id est si non vacet decidere negotium quod ad suam cognitioné pertinet, ut interpretatur Milletotus *non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotiũ, tunc licentiam esse ad judices civiles pergere.* In criminalibus distinguens inter crimina civilia & Ecclesiastica ait, *Si Ecclesiasticũ sit delictũ egens castigatione Ecclesiastica, & mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat nihil cõmunicantibus charissimis provinciæ Iudicibus. In criminibus autem civilibus provinciarum præsides sint judices.* Crimina ecclesiastica appellat commissa in disciplinã ecclesiasticam, alia civilia quæ etiam communia dici possunt, quia iure cõmuni vel legibus publicis vindicantur. In ecclesiasticis castigationem & mulctam Ecclesiasticam tantum concedit. Repetit & confirmat novella 123 eandem distinctionem, quam fecerat Novella 83 adjiciens se permittere, ei qui actionem criminis habet adversus ecclesiasticum pro delicto civili aut communi coram episcopo agere si volet. Non descendam ad corruptiora secula & impuros Canones. Nã Canones extant in Decretis quibus edicitur vt non modo inter clericos, sed quælibet inter Christianos ortæ controversiæ deferantur

ferantur eccleſiæ iudicio, & ab Eccleſiaſticis decidantur. Cauſ. 11. quæſt. 1. Canon Quæcunque & Canon ſi qui ex fratribus. *Nihilominus tamen certum eſt*, ait Milletotus, p. 26. *quo tempore eccleſia ſine controverſia fuit maximè pura, nihil tam ſeverè probibitum fuiſſe eccleſiaſticis, quàm temporalibus negotijs ſe immiſcere, quæ interdictio verbis Apoſtoli nititur, Nemo militans, &c. Cuius inſequutus veſtigia S. Clemens diſcipulus & ſucceſſor S. Petri inter Canones Apoſtolicos ab ipſo collectos hunc recenſet, Epiſcopus aut presbyter, aut diaconus ſeculares curas ne ſuſcipito, alioqui deponatur. Quod ipſum Concilijs Carthag. 1. & 4. Chalcedonenſi, Moguntino & alijs confirmatur & ratum habetur. At ſane tunc temporis nullam contentioſam iuriſdictionem habebant, nullum forum legibus, ſed audientiam & notionem duntaxat. Neque tamen in omnes perſonas neq; indifferenter in omnibus caſibus ſed in eccleſiaſticas tantùm perſonas. In reliquis omnibus contentioſa omnis iuriſdictio & omnis mundana negotiatio tam seriò illis prohibita, vt Iuſtinus Imperator in quadam conſtitutione, nempe leg. 40. Cod. l. 1. tit. 3. de Epiſcopis & clericis dicat abſurdum eſſe, imo etiam opprobrioſum, ſi peritos ſe diſceptationum forenſium velint oſtendere, eiſq; multam impoſuerit quinquaginta librarum auri, ſi teſtamentorum reſignationi & publicationi ſe immiſcerent lege 23. conſulta divalia Cod. lib. 6. tit. 23. de teſtamentis. Cuius prohibitionis origo poteſt ad concilium Carthaginenſe 4 referri, in quo Canon extat his verbis, Epiſcopus teſtamentorum tuitionem non ſuſcipiat.* Iohannes Bedæus Advocatus in Parlamento Pariſienſi in tractatu de Iure Regum hæc habet. *Vnde colligere promptum eſt, quanta ſit malitia atq; aſinina imperitia eorum, qui epiſcopum dicunt Dominũ Pariſienſem, Dominum Carnutenſem, &c. Solus enim Rex locorum illorum Dominus eſt. Verum quidem eſt in aliquibus provincijs epiſcopos territorij Dominos eſſe, qualis eſt epiſcopus Romanus, & aliquot epiſcopi in Germania, quibus adverſatur dictum Papæ Nicolai epiſtola 8 dicentis, eos qui ſub Evangelio reges ſunt & ſacerdotes eſſe membra Diaboli. Quicquid ergo prætexant eccleſiaſtici, certum eſt, eos neque territorium neque iuriſdictionem habere vlla iuris authoritate, neq; partem vllam imperij meri aut mixti, quale eſt iuriſdictio, vel titulo teſte De Epiſcopali audientia, qui differt à titulo de iuriſdictione omnium iudicum, in quem ſcribens doctus Cuiacius, ſic ait, Epiſcopi iuriſdictionem non habent, nec forum nec apparitionem nec excutionem.* Pag. 45.

Vtcunque ab imperatoribus acceperint epiſcopi poteſtatem & juriſdictionem temporalem ſive delegatam, ſive epiſcopatibus annexam vt fuit ſæculis hiſce poſterioribus, & poſt feudorum leges introductas graviter peccatum eſt. Nec ea probitas & charitas emicuit in eccleſiaſticorum judicijs, quam expectabant Imperatores & principes. Nec mirum: nam quibus religio non eſt ſuum munus negligere, & ἀλλοτριοεπισκόπους eſſe, in alieno munere ſe nequiter gerere ſcelus non eſt. *Id vtinam ſaltem illi veteres tam prob[i] cogno-*

cognovissent & tam prudenter cavissent, quam Sylvanus ille Troados tunc
Beza annot. in 1. Cor. 6. 1. *Episcopus, quum iam in immensum Tyrannis episcopalis sub Arcadio & Theodosio iuniore excrevisset, de quo libet exscribere quæ Nicephorus recitat lib. 14. cap. 39. Quoniam, inquit, is vir optimus erat, quum ij qui sub eo erant Clerici in causis, vt nugis vndecunque inter eos qui iudicio contenderent, provenientibus veluti nundinationem instituerent, ne quis ex clero posthac causam iudicaret, constituit, sed supplicantium libellos acceptos (en gradus episcopalis fructum) vni ex fidelibus laicis, quem precipue iusti & æqui studiosum esse sciebat accito dedit, eique iudicio causarum commisso de iure contendentium nugamenta ad eum reiecit.* An saniores ipsi episcopi? nihil minus. *Episcoporum non nemine authoritate per Constantini legem concessa abutente eadem lex 70 post annis ab Arcadio & Honoria revocata,* supra dixit Petrus Suavis. & Pontificem Romanum parum attendisse ad legem Arcadij & Honorij, propterea à Valentiniano restauratam. De episcopis Romanis & Alexandrinis sic Socrates. *Verum gravis tum invidiæ flamma contra*
L. 7. c. 11. *eos* nempe Novatianos *incensa fuit, cum Episcopatus Romanus non aliter atque Alexandrinus, quasi extra sacerdotii fines egressus ad sæcularem principatum erat iam ante delapsus.* Cum episcopus Romanus Solis instar fulgeret, oportebat episcopos coruscare vt minora sidera, alioquin fuisset instar vlulæ vlulantis in deserto absq; grege concolorũ avium. Vt igitur ipse princeps erat in patrimonio Petri, curavit vt alii episcopi crearentur Duces, Comites, Palatini, Barones, Cancellarij, Secretarij, Thesaurarij, Eirenarchæ, id est, [illegible] & [illegible], adeo vt Antimus Trapezuntij Episcopus diceret, *Magnitudinem & dignitatem sacerdotii non spiritualem esse animarum curam, sed quendam civilem principatum,* Constant 5. Act. 1. Pius 4.
Pet. Suavis hist. Conc. Trid. l. 8. p. 812. edit. Francof. Pontifex cogitabat *de constitutione sancienda, ne episcopi Romæ & in statu ecclesiastico functionis sæcularis procurationem suscipiant. Sed ab Legato Simoneta aliisque suis prælatis monitus est, id magno ecclesiasticorum præiudicio cessurum in Gallia, Polonia & aliis regnis, in quibus Regibus sunt a consiliis, & alia regni munera amplissima sustinent, quæ facile fuerit eis abrogare. Principibus exemplum sanctitatis suæ imitantibus & nobilitate sæculari vtilitatum propriarum aspectu ad id procurandum excitata. Quo circa si ita constitutum haberet, exequi quæ destinasset, rebus id ipsis faceret, non lege scripta; ne ordini ecclesiastico aliis in regnis tam grave præiudicium afferret.* Cum Iohannes Baptista de Bernardis episcopus Adiacensis de Episcoporum absentiæ causa tollenda disserens dixisset in Concilio Tridentino. *Absentiæ non aliam esse causam,*
P. 549. *nisi quòd episcopi in aulis Principum secularibus negotijs administrandis impliciti tenerentur, iudicum, Cancellariorum, Secretariorum, Consiliariorum, & Quæstorum munia obeuntes: adeo vt vix fere munus aliquod publicum reperiatur, in quod episcopus aliquis adlectus non sit. Hanc alieni muneris vsurpationem prohibitam à D. Paulo necessarium ducente, vt*

qu

qui ecclesiæ militat sæcularibus abstineat negotijs. In summa vrgebat, vti synodi declaratione innotesceret cunctis, neq; episcopis neq; alijs, quibus animarum cura incumbit, fas esse, sæculare aliquod munus aut officium exercere. Sed episcopus Quinqueecclesiensis Orator Cæsaris refragatus est, asserens, sic ecclesiam vniversam & Principes omnes ab anno octingentesimo ad hunc vsque diem damnandos, eo nomine quod iurisdictiones temporales donarint episcopis, Episcopos quòd acceperint: ecclesiæ amplitudinem & singularem qua apud omnes est, existimationem, non aliunde magis provenire; quàm quod dignitates ecclesiasticæ viris illustribus & sanguinis nobilitate conspicuis deferantur, & amplissima in administratione publica munia præsulibus demandentur, quorum si ecclesiastici essent incapaces, tunc neminem è nobilitate ad sacrum ordinem aspiraturum; nullum præsulem aliquo loco ac nomine futurum; imo ecclesiam, quæ solis plebeijs & plebeio more viventibus sic consisteret, in omnium opprobrium & contemptum ituram. Hæc & similia nullius momenti attulit. Sed *hæc sententia communi omnium Præsulum applausu fuit accepta, etiam eorum qui residentiam de iure divino esse putabant, adeo potentes sunt in hominibus affectus,* inquit Petrus Suavis, *ad iudicium, ne contradictiones possit discernere, corrumpendum.* Omnia quæ supra diximus de residentia & Non residẽtibus hûc afferri possunt, videat Lector. Tantum addam Caietani sententiam de episcopo legato. *Quocirca cum officium episcopi præcipuè circa spiritualia versetur, & spirituale est magis necessarium ecclesiæ quàm temporale, non licitè episcopus propter temporale negotium alterius personæ vel ecclesiæ privaret ecclesiam suam spirituali pastu, ad quem personæ suæ præsentia tenetur. Sed è contra optimè faceret, si in temporalibus damnum sustineret suæ ecclesiæ, vt alteri in spiritualibus subveniret. Similiter cum vnum sit magis bonum necessarium quàm aliud: puta negotium fidei vel pacis, quàm ministratio sacramentorum, & huiusmodi, laudabiliter episcopus pro negotio fidei vel pacis in aliena moratur ecclesia. Et hac ratione episcopi licitè sunt legati ad pacem inter reges Christianos componendam. Si enim cuiusquam, inquit Ambrosius, officium pacem facere, sacerdotis maxime officium est. Quod autem legati eant promiscuè ad temporalia negotia abusionis est. Scriptum est enim nemo militans Deo, &c.* Quod episcopi legati eant promiscuè ad temporalia negotia damnat Caietanus, nec tamen omnino probandum est vt propter negotium pacis mittantur, ac si oratores Cæsarei ad pacem impetrandam argumentis destituti essent; nec propter negotium fidei magis aptus est episcopus quàm presbyter. Neuter autem Legati pompam & magnificentiam ostentare debet, sed oratoris simplicis, & Legati divini personam gerere. Quod de episcopo ob munera sæcularia non residente dicitur, idem etiam de residente occupato ijsdem muneribus dici potest, quia *episcopus ad vtrumq; simul tenetur ad residentiam.*

P. 550.

2. 2. quæst. 185. art. 5.

tiam & opus, vt objicienti respondet ibidem Caietanus. Albertus Duimius episcopus Vegliensis in Concilio Tridentino, *multum immoratus est in illo Christi dicto Bonus Pastor ante oves vadit, proprias oves vocat nominatim, currit per desertum vt vnam perditam quærat, vitam pro ipsis ponit: quæ accipienda censet de omnibus ijs, quos Christus pastores instituit id est de omnibus ijs, qui habent curam animarum; Episcopis maximè, sicut D. Paulus dixit & scripsit. Quodsi quis se minime reputabit Christi decreto ad hæc officia obligatum, aut semetipsum deprehendet Regnorum & Rerũ publicarum negotijs vtiliorem, abjiciendũ pastoris munus & secularibus tantum negotijs invigilandum: opus esse bene magnum vno officio rectè fungi, duobus contrarijs sane impossibile.*

Pet. Suavis in hist. concil. Trid. lib. 7. p. 723. edit. Francofurt.

Proponit difficultatem practicam Suarez, Videmus in Curijs principum & Regum Clericos esse ordinarios iudices causarum civilium, & huic muneri esse deputatos, nec propterea censeri irregulares, vel ad vsum ordinum, vel ad promotionem ad superiores, etiam durante tale muneri: & tamen ministerium illud non minus implicat negotijs sæcularibus, quàm officium advocati & similia. Nullam potest excogitare solutionem in qua acquiescat nisi istam. *Nihilominus* inquit *vsu receptum est sive ex concessione Pontificum, sive quia consuetudo ita interpretata est ipsa iura, vt Clerici absque nota irregularitatis, vel alterius impedimenti canonici possint esse consiliarii Regum in huiusmodi iudiciis ceu tribunalibus, in quibus de convenienti regni gubernatione & providentia, vel ad summum de causis civilibus agitur. Aut enim hoc ministerium non est iudicatum adeo repugnans officio Clericali præsertim quando clericus curam animarum aut aliam specialem obligationem ratione beneficii non habet, vel certè propter commune bonum regni aliquid de rigore juris in hac parte remissum est: ideoq; hoc non est extendendum, sed quoad fieri possit limitandum.* Sed concessio Pontificum jus divinum violare potest, nec contra illud præscribere consuetudo centingentorum annorum. Et cum Canones ipsi in hunc sensum torqueri non possunt, pravam esse oportet interpretationem, quæ à consuetudine & Pontificum concessione deducitur. Fatendum erat ingenuè contra ipsos Canones hac in re peccatum esse. Quod de cõmuni bono regni obtenditur, quam frivolum sit iam vidimus in Caietano & Vegliensi. Cõmune istud quod dicitur bonum regni fingitur ad detrimentum ecclesiæ. Non sunt ministri evangelij quales Persarum Magi aut Gallorum Druides. Si senserit se aptiorem ad Regni & Reipublicæ negotia administranda, nec sit vllus aptior inter sæculares ex ordine equestri aut nobilium, imo ex infimo ordine vt dixit supra Latimerus, tunc abdicet se ministerio, vt episcopatum eius accipiat alius magis idoneus. Nam nisi penitus collapso vtriusque & Republicæ & ecclesiæ statu adeo vt nec in ecclesia ad sacrum ministerium, nec in republica ad rerum sæcularium administrationem vllus sit aptior, ferenda non sunt animalia

De censuris disput. 51. sect. 3. num. 19.

ἀμφίβια

ἀμφιβίη mixtumque genus prolesque biformis. Sed contrà cernimus in florentissimis regnis, in quibus unus ex mille inter sæculares magis aptus est ad sæcularia administrandum, quàm Episcopus; tamen rudes & ineptos Episcopos ad maxima Regni munia evehi non absq; gravissimo præjudicio in sæculares. Dicit præterea Suarez judicatum fuisse non adeo repugnans officio Clericali, & quare quæso ita judicatum, nisi quod compedibus aureis ut supra dixi non autem ferreis implicari voluerunt. Sic dicit Bellarminus quod potestas Ecclesiastica & Politica non sunt contrariæ sed utraque bona, utraque laudabilis, & una alteri servit, ergo non pugnant inter se; imò magis diversa sunt pax & bellum quàm bona temporalia & spiritualia, tamen unus & idem Rex simul præest Senatui & exercitui, togatis & armatis. *Datur prosyllogismus, non pugnare inter se: nam res coordinatæ sunt in societate humana, sed negatur consequens, ergo simul in eodem homine esse posse utrumque principatum sive administrationem illius. Non enim id solum videri opus est, ne inter se pugnent: verumetiam ut idem subjectum sit utriusque capax, atque ferendo par, ut Deo probetur vocatio, ut expediat publico. Neminem ordinariè à Deo vocatum ad sacerdotium & ad principatus temporalis administrationem ordinariè vocari concedimus 2 Tim. 2 negamus publico expedire, sive administrationem spiritualem, sive temporalem respexeris. Pacis & belli genus unum & finis communis est, licet modus differens: administrationi vero temporali & spirituali non item.* Respondeat etiam Tilenus. *Elenchus παρὰ τὸ ἑπόμενον. Non pugnant inter se, non sunt contrariæ quotquot sunt artes ac disciplinæ aut legitimæ vocationes. Num propterea unus idemque homo par omnibus? puta, ut simul sit agricola & nauta, & medicus & Episcopus & miles & Rex & Agaso &c. Exclamemus hic cum Apostolo: Ad hæc quis idoneus? 2 Cor. 2 16.* Item. *Ineptum consequens; quasi res terrenæ sive temporales & spirituales non magis inter se differant quàm toga & arma. Interim si ne id quidem fieri solet aut aptè commodèque fieri potest, ut unus idemque sive Senator sive Tribunus aut miles, simul sit togatus & sagatus sive armatus, quanto minus aptum & appositum, ut unus idemque Episcopus, & materialem tractet gladium & spiritualem? id est armis a militia sua toto genere diversis utatur 2 Cor. 10. 4.* Objici prætearea potest; quid si quis Ecclesiasticus sit dominio princeps, puta si dominium ad ipsum directè pervenerit ortu, donatione, & similibus modis, & ad hæredes transierit non successores Ecclesiasticos, & è cõverso princeps dominio fiat Ecclesiasticus dono & vocatione Dei. Respondet Iunius oportere utrumque politicę administrationi renuntiare. *Statuo simpliciter duas illas procurationes vel administrationes non esse conjungendas ab homine, qui ad utramuis liber est. Sic statuit Christus Matth. 20 sic docet ratio 2 Cor. 2. Ad hæc quis idoneus? Deus Zelotes est: cujus qui administer est, si principatum politicum in se receperit, nec*

Junius de pont. l. 5 ca. 9. not 7. 8.

Ibidem not. 10. 11.

De Pont. f. l. 5. ca 9. not. 1.

gravitatem suæ administrationis, nec vim divinæ zelotypiæ censendus est cognoscere. Sic qui est dominio princeps, si dono & vocatione Dei Ecclesiasticus fieret, politicæ procurationi & administrationi renuntiare debet. Nam eadem est via Athenis Thebas, quæ Thebis Athenas. Renuntiarunt quidam & dominio & procurationi, & claustris se abdiderunt. Absurdum esset, si quis gestaret gladium ad vindictam, & simul sacerdotio fungeretur in templo, sicut Malabarum Reges in India Orientali qui simul & Reges sunt & Sacerdotes atque Brachmanes. Multo magis debet Ecclesiasticus ad quem dominium indirectè pervenit nempe respectu Ecclesiæ, renuntiare procurationi politicæ. Et talia dominia non debent donari Ecclesiæ, multo minus administrari ab Ecclesiasticis dominiorũ illorum principatus. Quod de principatu summo dicimus, idem de inferioribus administrationibus sentiendum est. Sed an non quatenus cives Regni & membra reipublicæ possunt interesse Comitiis ordinum, ordinemque unum constituere, siquidem lex fundamentalis est ut Ecclesiastici constituant tertium ordinem. Respondeo non possunt; nam eadem ratione quatenus cives possent omnia subire munia quorum capaces sunt cives, atque se implicare quibuslibet negotiis sæcularibus ut supra dictum. Sic fierent Ecclesiastici Cancellarii, secretarii, Custodes sigilli, præfecti limitanei, vicomites, capitanei &c. Parliamentum est suprema Curia in qua leges feruntur & judicatur cum de civilibus tum de criminalibus potestas autem utraque & aliena est à munere ministri Evangelii. Deinde quatenus cives repræsentantur in comitiis per alios cives regni, ut legatos civitatum & comitatuum; Non debet Ecclesia duplici modo repræsentari in comitiis regni, uno quatenns Ecclesia & communitas fidelium, alio quatenus communitas civium. Nam priori modo universa fidelium totius regni communitas coagmentativè in unum congregata non potest nec debet ferre leges aut judicare de civilibus & criminalibus, multo minus repræsentativè per legatos suos. Nam licet eadem sit cum republica materialiter, & eadem sint utriusque membra, tamen quatenus est formaliter Ecclesia est communitas spiritualis. Quatenus autem formaliter est communitas sæcularis ceu temporalis, repræsentatur ut dixi per sæculares, legatos nempe civitatum & comitatuum. Si universa fidelium communitas quatenus est communitas spiritualis non potest se immiscere negotiis sæcularibus multò minùs Clerici ceu Ecclesiasticorum natio, qui sibi solis Ecclesiæ nomen vendicarunt ut eo nomine corpus per se constituant. Sed certè corpus illud multò magis amovendum est à potestate sæculari. Et quota quæso civium pars illi, ut separatum per se ordinem constituant quatenus cives. Sedaudiamus Gentiletum in examine Concilii Tridentini *Hujus ordinis Hierarchici constitutio (magnum præ se ferens splendoris fucum) privilegiorumque ab ipsis coacervatorum cumulus ingens effecerunt, ut tandem*

Lib. 4. sess. 23. sect. 2.

tandem Ecclesiastici à Nobilitate & popularibus distincti sint, statusque publici ordinem Ecclesiasticum origine ultimum & ordine primum obtinuerint. Antea enim unusquisque eorum natalitio suo ordini jungebatur, Nobiles nempe Sacerdotes Nobilium ordini, & populares populari: neque unquam à suis gregibus separabantur, quinimo hoc vinculo arctissimè colligabantur. Ast ubi separatum ab aliis ordinem obtinuerunt, & innumerabili privilegiorum congerie (quam hodie multi Mare magnum vocitant) partim à quorundam principum indulgentia, partim vero maximè à Romani Pontificis profusa liberalitate sese munierunt, cœpit prisca illa, quæ inter Pastores & greges intercedebat unio, paulatim frigescere & obliterari. Præterea falsum est lege fundamentali Episcopos & Abbates (nam hi sunt domini parlomentarii) constituere ordinem tertium, corpus regni non esse integrum absque isto ordine, leges ferri absque eorum sententiis non posse. Willetus in Synopsi Papismi ait nondum elapsos annos 400 à quibus dignitas ista à Regibus Angliæ collata Episcopis ut fierent Barones & Domini Parlamentarii. Author Abstracti pag. 216 sentit Henric. 2 concessisse hanc dignitatem Episcopis ut sint Domini parlamentarii & sedeant in Camera stellata, quod colligit ex verbis Matthæi Paris. *Archiepiscopi, Episcopi, & universæ personæ regni, qui de Rege tenent in capite, habeant possessiones de Rege sicut Baroniam, & inde respondeant justitiariis & ministris Regis, & sequantur & faciant omnes consuetudines regias: & sicut cæteri Barones debent interesse judiciis curiæ Regis cum Baronibus, quousque perveniatur ad diminutionem membrorũ, vel mortẽ.* Nõ dicitur ibi *Inspeximus*, nẽpe libertates & privilegia eis concessa à maioribus nostris vt fieri solet in confirmationibus & repetitionibus antiquarũ libertatum. Sed quia potest quis respondere ibidem ante enumeratas libertates in genere dici, *Facta est recognitio sive recordatio cuiusdam partis consuetudinum & libertatum antecessorum suorum Regis videlicet Henrici avi sui & aliorum, quæ observari debeant in regno & ab omnibus teneri propter dissensiones & discordias sæpe emergentes inter Clerum & Iustitiarios Domini Regis & Magnatum Regni, Henricum alterum huius Henrici 2 annum hanc dignitatem ijs concessisse potiùs existimandum est.* Facta autem est ista recognitio apud Clarendonam anno 1164. februarij 80. Sed ascendant ad ipsum Guilielmum Normanniæ ducem, si velint, quingentorum circiter annorum dignitas erit. Assertor politiæ ecclesiasticæ pluribus exemplis probat leges latas absque prælatorum assensu & authoritate, imò & absque præsentia, quandoque etiam excluso Clero, vt in statutis Edwardi primi dicitur. *Habito Rex cum Baronibus Parlamento & Clero excluso statutũ est.* Si prælati interesse non debuerunt, cum ad statuta de diminutione membrorum, aut morte perveniretur, quid opus erat eorum præsentia aut suffragijs, cum leges ferendæ de possessionibus, &c. Multo magis desideratur eorum sen-

Contr. 5. qu. 3. pa. 242.

edit. Tig. anni 1589 pa. 97.

Pag. 96.

Pag. 167. & seqq.

tentia, cum de capite quàm cum de bonis & fortunis agitur, quia bonis & fortunis vita charior est. Denique quomodo quæso repręsentant illi ecclesiam cum non sunt legati ecclesiarum, sicut alij sunt ciuitatum & comitatuum, exceptis nobilibus. Sed quid si Baroniarum ratione & quatenus Barones habent ius suffragij in Comitiis? Certe si episcopi essent quales olim fuerunt, si de primitijs & decimis viverent, si feuda & Baronias non possiderent, à dextera principis in maioribus comitiis non sederent; Non pietate vlla in ecclęsiam moti igitur hanc dignitatem & potestatem prælatis concedunt principes, nec propter Christum. Nam Christus pauper & inops nullum ibi inveniret locum. Imò vt Hilarius ait ad Constantium, efficiunt episcopos ne sint Episcopi. Et servum illud pecus episcopi in comitiis primi ferunt suffragia ad imponendum onera subditis. Væ illi regno, ut ait Tyndallus, vbi illi sunt à Consilio vel regis vel ordinum regni. Superest vna quæstiuncula. Quandoquidem ferunt sententiam deliberativam non decisivam, quid prohibet quin possint interesse Comitijs. Falsum est ferre sententiam deliberativam solummodo: nam numerantur non ponderantur ipsorum sententiæ sicut aliorum qui habent ius suffragii, & ius suffragii quod habent Ordines non est deliberatiuum tantum, sed etiam decisivum, & licet principi, quo iure nescio, concedatur suffragium negativum, non tamen potest absque eorum suffragiis statutum aliquod sceptro tangere. Parlamentum, vt ait Smithius, est suprema Curia, & membra sunt Iudices. In superiori Senatu in medio super laneis saccis sedent Iudices regni, Magister Rotulorum & Secretarius: nullum tamen ferunt suffragium, sed adsunt solummodo vt consulti de iure respondeant, si difficultas aliqua orta fuerit, ait idem Smithius in Republica Anglicana. Non sic intersunt episcopi, vt de iure divino consulti respondeant, sed numerantur eorum sententiæ. Imò si controversia aliqua aut difficultas orta fuerit in re religionis, consulitur convocatio Cleri, quę semper celebratur comitiorum tempore: Hic & non alius, si vllus, est locus Episcoporum. In hoc cœtu repręsentatur ordo Ecclesiasticus licet more Pontificio non libera electione. Suntne peritiores iuris divini & humani Pręsules Anglicani equitando a Basilica Pauli ad Westmonasterium, quam Clerus Pedestris Domus Convocationis? Quid opus est duplici episcoporum consultatione ac consensu & in superiori senatu, & in convocatione Cleri? Non sumus adeo rigidi, vt nullum locum demus ecclesiasticis comitiorum tempore. Si opus sit Theologorum consilio in re dubia & casu aliquo, vt dicunt, conscientiæ advocentur, ut exverbo Dei respondeant. Episcopis qui sæpius indocti sunt, consilium istud non alligamus. Debet etiā ecclesia legatos suos mittere fidos & probos, qui postulata Ecclesiæ exhibeant Ordinibus & curent ne quid Ec-

Pag. 48.

clesia

clesia detrimenti capiat, & nihil præterea sibi arrogent. Hic fuit mos Ecclesiæ Scoticanæ comitiorum tempore celebrare Concilium Nationale, ubi delecti legati plures aut pauciores prout opus erat. Imo ipsa synodus observabat, si quid tentaretur in jura & libertates Ecclesiæ. Non tamen synodus aut Synodi legati in legibus ferendis aut judiciis exercendis suffragia tulerunt: imo nec legati semper interfuerunt dum ferrentur sententiæ, nec si aderant suffragia ferebant. Episcopi autem quasi legati nati invita Ecclesia Ecclesiam repræsentare se dicunt, & procuratores Dei & Ecclesiæ se jactitant, cum tamen sæpius sint proditores libertatum & Patriæ & Ecclesiæ, ut Creatori suo, qui donat ipsos Episcopatibus, & quando libitum fuerit auferre potest, placeant.

Minister Evangelii propter simplicitatem ministerii non debet dignitates sæculares amplecti: propter ejus dignitatem non debet se ad negotia terræ demittere & judicia ista minima ut Paulus vocat: propter ejus gravitatem non potest, *Intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinæ. Hæc meditare in his esto: intentus esto tibipsi & doctrinæ & permaneni istis* 1 *Tim.* 4 13 15 16 *insta tempestivè intempestivè* 2 *Tim* 4 2. Psalterium semper haberet in manibus. Ignis altaris continuo ardet, quem continuò fovere debet. Et propter decorum; *Absurdum namque est, si promiscuis actibus rerum turbentur officia & alii creditum alius subtrahat.* Cod. de testamentis leg. Consulta Divalia. In Ecclesia indecorum ut unum membrum fungatur officio plurium. Sic & in republica. Non est dubitandum, quin Navicularii non debent decuriones creari: quia utrunque officium gerere non possunt.

Iurisdictio ordinaria lege tributa in Diœcesi propria estque vel jurisdictionis exercendæ nervus, vel jurisdictio ipsa. Iurisdictionis exercendæ nervus ut censuræ Ecclesiasticæ, eæque sunt vel quæ & Laicis & Ecclesiasticis possunt infligi, vel peculiaris in Ecclesiasticos. Quæ laicis & Ecclesiasticis possunt infligi, ut Interdictio divinorum, Monitio, Suspensio vel ab ingressu Ecclesiæ vel perceptione sacramentorum, Excommunicatio, Anathematismus contra hæreticum pertinacem, Peculiar in Ecclesiasticos, ut Sequestratio fructuum Ecclesiæ, Suspensio ab officio, ab officio & beneficio, Deprivatio, Depositio, eaque vel verbalis per sententiam, vel realis quæ

Degradatio dicitur. Quarum nempe Censurarum Vna videlicet excommunicatio infligitur pro contumacia sola vel non se sistendo in judicio vel non parendo mandatis Ecclesiasticis, Reliqua tam pro contumacia quam pro actualibus delictis.

De polit. pag. 315. *Monitio*, inquit Mucketus, *omnes fere censuras Ecclesiasticas praecedit & illarum vi nemo censetur Ethnicus & publicanus, nisi prius Ecclesiam non audierit sub excommunicationis comminatione praecipientem.* Excommunicatio Canonistis est duplex minor & major. *Minor est suspensio ab ingressu Ecclesiæ aut à sola Sacramentorum susceptione quam Cyprianus vocat abstensionem: & propter contumaciam & alia delicta adhibetur, sed præcipue propter contumaciam in non comparendo in Curiis Ecclesiasticis, aut non parendo illarum mandatis, quæ quandoque in rebus infimis potest esse summa*, ait Mucketus. Pag. 316. Suspensio ab ingressu Ecclesiæ privat precum publicarum & prædicationis verbi beneficio, ideoque non ad ædificationem sed destructionem introducta est. Hanc esse hujus suspensionis efficaciam patet ex 5 quest. 2 Can. præsenti. Ad conciones audiendas admittendi sunt omnes excommunicati etiam excommunicatione majori. Nam verbi prædicatio est ordinarium spiritus sancti instrumentum quo & convertuntur infideles & lapsi ad vitæ emendationem & obedientiam revocantur. Non probanda est graduum distinctio quos vetus Ecclesia in admittendis lapsis ad sacram cænam servavit. Quinque loca pœnæ obire oportebat, antequam ad sacram communionem pervenirent: quorum primus & ab altari remotissimus extra portas Ecclesiæ constitutus erat, qui πρόσκλαυσις dicebatur, quia qui in hoc loco consistebant non permittebantur ingredi in Ecclesiā sed pro foribus flebant, & orationes fidelium postulabant, non solum à fidelibus sed etiam Catechumenis separati tres ut plurimùm annos. Proximus gradus sive locus dicebatur ἀκρόασις, intra portas erat, unde audire verbum Dei cum Catechumenis poterant, sed non fas fuit iis ut Competentibus Ecclesiæ precibus interesse. Tertio loco qui ὑπόπτωσις, dictus quasi dicas humiliatio, quo precum participes non tamen admissi ad cœnam sed unà cum Catechumenis exibant. Quartus locus σύστασις dictus ubi stabant unà cum fidelibus, sed Eucharistiæ participes nondum erant. Quintus μέθεξις jus communicandi, cum jam pœnitentiam absoluissent & solùm expectabant tempus reconciliationes & participationis Eucharistiæ. D. Fildus De Eccles. lib. 1 cap. 15 ait excommunicationem minorem excludere solùm à Sacramentis & dici excommunicationem quando peccator est contumax nec vult subjicere se disciplinæ Ecclesiæ, sed si se submiserit, esse actum disciplinæ pænitentialis, quam præscribit Ecclesia resipiscentibus.

Excom-

Excommunicatio major est, inquit Muckerus, *qua peccator non solùm à perceptione sacramentorum vel ingressu Ecclesiæ, sed toto fidelium consortio excluditur*. Privatur precum publicarum beneficio, sacramentorum participatione, & privato fidelium consortio ac communione politica. Infertur excommunicatio vel à jure vel ab homine ait Canisius in summa juris Canonici. A jure cum quis ipso facto absque judicis ministerio excõmunicationi subditur, quæ & idcircò latæ sententiæ excommunicatio nominatur. Quando excommunicatio fertur ab homine ferendo legem stabilem ac permanentem obligantem sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant transgressores, dicitur fieri ab ipso Iure. Quando fertur ab homine proferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilitur jus aut statutum permanens sed transitorium mandatum, dicitur per antonomasiam ferri ab homine. *Hæc mihi divisio in ea parte videtur jamdiu intolerabilis, in qua ponitur aliqua excommunicatio sive à jure sive ab homine in quam quis propter aliquod factum ex seipso incurrat, & non sit ipse nominatim per particularem actum ligandi excommunicatus. Video in hac excommunicatione juris & ipso facto ceu latæ sententiæ magnum Papatus arcanum latere, cui rudes & imperiti Canonistæ ceu potius Decretistæ spiritum & robur addere sunt conati. Excommunicationem tamen hanc ipso facto & latæ sententiæ nullam penitus esse nec in animam operari mihi stat indubitatum.* Dicit absurdissimum esse vt quis se excommunicaret, *etiam ubi pœna juris est notissima, & factum similiter sit notorium, quod anticipata excommunicatione puniri videatur, in quo casu adhuc necessitatem declaratoriæ requirunt Canonistæ. Sed tales declaratoriæ semper semper sunt falsæ & nullæ, quia hic nunquam fuit ligatus & excommunicatio requirat speciale ligamentum. Hæc enim sunt vincula quæ sine ligante, & sine præsentia eius qui ligandus sit, non ligant. Quando ferebatur talis excommunicatio tunc erat ligans & vinculum sed ligandus nemo aderat: quando vero affuit ligandus, tum ligans non aderat; vinculum fortasse aderat, quod tamen sine ligante nemo potest constringere. Nisi igitur quando iste commisit factum, cui annexa erat iuris excommunicatio, latæ sententiæ, tunc specialiter & nominatim excommunicetur, profectò excommunicatio illa iuris latæ sententiæ nihil penitus nocebit.* Item. *Excommunicare etinim est actu aliquem ligare non potentia: non enim ligatur qui potest aut debet ligari, sed qui reipsa ligatur. Quomodo autem reipsa ligatur qui liganti est ignotus.* Quod igitur excõmunicationis censura ita imponeretur per legem ceu constitutionem, vt statim per transgressionem legis contrahatur ante sententiam judicis tam condemnatoriam quàm declaratoriam, damnat Spalatensis, & merito, nam si lex aut constitutio per se excommunicationem infligeret, obligaretur ipse reus ad eius executionem quia non intervenit ibi persona alia, à qua possit executioni mandari

De politeia Eccles. Angl. c. 5. p. 316.

Li. 3. tit. 23.

Spalat. de repub. Eccles. l. 5. c. 9 numer. 22.

num. 23.

num. 24.

num. 23.

ri & præterea nemo puniendus, nisi auditus aut contumax, vt juxta levitatem vel gravitatem delicti puniatur. Excommunicatio latæ sententiæ non solum à iure sed ab homine, ut fertur in generali sub conditione peccati committendi, Si quis commiserit tale peccatum excommunicatus sit ipso facto, vbi eædem rationes quæ in antedictis militant. Nullam igitur vim habent verba illa *ipso iure* vel facto ante sententiam condemnatoriam nec statim posito delicto inducunt effectum excommunicationis. Isto tamen modo ferendi sententiam excommunicationis crepant constitutiones Anglicanæ: vt in constitutionibus anni 1604 Regii in ecclesiam Anglicanam primatus impugnatores excommunicandi ipso facto, nec nisi per Archiepiscopum restituendi, can. 2. *Quicunq; in posterum affirmabit liturgiæ formam in Ecclesia Anglicana legibus stabilitam, & in libro precum publicarum ac administrationis sacramentorum comprehensam, corruptum superstitiosum aut illicitum esse Dei cultum, vel quicquam in se continere, quod scripturarum Canoni sit contrarium, excommunicetur ipso facto, non nisi per Episcopum Diœcesanum vel Archiepiscopum restituendus*, can. 4. *Quicunq; in posterum affirmabit Ecclesiæ Anglicanæ ritus ac ceremonias legibus constitutas, impias Antichristianas aut superstitiosas esse, vel denique eius generis, vt homines pij ac religiosi, quamvis legitima authoritate iussi, non possunt integra conscientia eas approbare aut observare, vel etiam (prout occasio tulerit) eisdem subscribere, excommunicetur ipso facto*, Can. 6. *Quicunque in posterum affirmabit Ecclesiæ Anglicanæ sub Regia Majestate regimen & disciplinam per Archiepiscopos Episcopos, Decanos, Archidiaconos & reliquos ad ejusdem gubernaculum constitutos, Antichristianum esse ac divino verbo contrarium excommunicetur ipso facto* can. 7. *Quicunque in posterum affirmabit aut docebit formam & ritum Episcopos Presbyteros & Diaconos ordinandi & inaugurandi quicquam in se continere, quod pugnet cum verbo divino, illosque omnes quotquot ad eum modum Episcopi Presbyteri & Diaconi ordinantur, non esse rite ordinatos, neque vel à seipsis vel ab aliis pro Episcopis Presbyteris aut Diaconis habendos, priusquam ad sacra illa officia aliam ordinationem fuerint adepti, excommunicetur ipso facto*. can. 8. Sic quotquot apud ipsos viri boni sunt purioris cultus & Disciplinæ vindices, assertores & defensores sunt excommunicati ipso facto, more Pontificio. Sic imaginariis istis vinculis & terriculamentis ordini suo reverentiam & obedientiam comparare se posse putant Episcopi. In excommunicatione deinde consideranda est persona excomunicantis ceu minister excommunicationis. Mucketus sic, *Hujus minoris excommunicationis sententiam pro contumacia in non comparendo in judiciis Ecclesiasticis aliquis eruditus Presbyter (quamvis enim solus Episcopus ordinaria, delegata tamen potestate vt in supplemento ad tertiam partem recte observavit Aquinas, presbyter excommunicare potest) ab Episcopo authoritate*

De politia Ecclesiæ Anglicanæ ca. 3. pa. 316

authoritate sufficienti munitus denuntiat, idq́ ex præscripto iudicis, quem vocamus episcopi Cancellarium, qui per ecclesiæ nostræ constitutiones eum ad hanc censuram ferendam tenetur accersere & sibi associare. Item, *Secundum ecclesiæ nostræ canones quotiescunque maior excommunicatio in immediatam pœnam cuiusvis notoriæ hæreseos, schismatis, simoniæ, periurij, vsuræ, incestus aut gravioris alicuius criminis venerit infligenda per episcopũ in propria persona pronuntiatur, vnà cum eiusmodi frequentia & assistentia quæ ad maiorem rei authoritatem conciliandam conducere videbitur.*

Pag. 317. 318.

Quod ait in propria persona episcopum pronuntiare sententiam excommunicationis majoris in pœnam hæreseos aut alicuius gravioris criminis, potest interdum fieri, sed non semper fit: & cur graviora à lenioribus distinguit crimina. Tria damnamus in ministro excommunicationis, quod episcopus sibi vt ordinariam excommunicandi potestatem arroget, quod singulari authoritate eam exerceat, quod laicis eam deleget. Excommunicationis ministrum ordinarium esse quemvis Presbyterum & ordinaria non delegata potestate excommunicare posse capite superiori probavimus. Singulari potestate eam exercere notum est. Quod de assistentia refert Mucketus, non de assistentia iudicum aliorum intelligendum est. Nam ipse Episcopus est solus & vnicus iudex. Cancellarius et si qui alij adsunt nullum habent suffragium decisivum: sed sunt mera mancipia episcopi cui adhærent vt vmbra corpori. Non adest hîc Ecclesiasticus Senatus ceu Presbyterium vetus, nec capitulum quod recentius. Si causas vt vocant instantiæ & lites civiles ad judices civiles ablegaret; & causas quas vocant officij tractaret solummodo non opus esset illi Cancellarij au jurisconsulti consilio. In causis officij peritiores sunt Presbyteri quam cancellarij. Singularem Episcopi potestatem in excommunicando capite etiam superiori refutavimus. Delegant etiam alijs excommunicandi potestatem. Sed si solis episcopis excommunicare liceat non potest eam potestatem transferre in alium etiam presbyterum hanc potestatem. Nam potestas clavium est potestas spiritualis. Apud Anglos tamen iuris civilis Doctores quales sunt Cancellarij & officiales ne in sacris quidem ordinibus constituti hanc potestatem vsurpant. Respondet Bilsonus, *Nequaquam sibi clavium potestatem Apostolis eorumque successoribus peculiari iure traditam assumunt, sed pœnam ob contumaciam infligunt, qua omnes illæ animadversiones continentur quæ legibus in eos sancitæ sunt, qui claves ecclesiæ temere contemnunt, quocunq́ nomine appellentur; sive suspensio sit sive condemnatio aut excommunicatio nihil refert, dummodo ne potestatem hanc divino sed humano sibi iure vendicent. Quanquam si sententia Canonis nullum non eiusmodi contemptum excommunicationis vinculo involvat, nihil causæ est quin judices civiles delinquentem in pœnam Canonis incidisse declarent. Nihil enim aliud est, quam si eum præfractè obstinatum adeoque excommunicationis*

Pag. 245. 246. 247. 248. 262. 263. 271. 272. 273.

Pag. 245. 246. 247. 262. 263. 271. 272. 273.

De guber. eccles. cap. 14. p. 369.

municationis reum decreto Canonis esse pronunciarent. Hæc sunt folia ficulnea quibus ecclesiæ suæ nuditatem tegere studet Bilsonus. Pœna ista est pœna spiritualis qua reus privatur precum publicarum beneficio, sacramentorum perceptione, & fidelium consortio, quæ infligitur potestate clavium qua ejicitur peccator extra ecclesiam & exponitur Satanæ. De excommunicatione canonis ceu latæ sententiæ, quòd imaginaria & nulla sit ante ostendimus. Sed nec singuli canones continent latam sententiam excommunicationis. Et non solum declaratoriam, sed etiam condemnatoriam excommunicationis sententiam; & hanc quidem sæpius quam illam ferunt. Sic se res habet. Sub papatu potestas excommunicandi delegari potuit cuivis clerico etiam extra ordines sacros constituto. Necessaria erat tantum prima tonsura per quam quis constituebatur in clericorum ordine. Laico autem non delegata fuit ista potestas. Et *dicuntur laici non solùm illiterati, sed etiam literati dum tamen primam tonsuram non acceperint*, ait Linvodius. *De cætero vero cavendum à fraternitate vestra est*, inquit Gregorius, lib. 7. epist 66. *ne sæcularibus viris atque non sub regula nostra degentibus, res ecclesiasticæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis.* Extant verba apud Gratianum, dist. 89. capit. Iudicatum. Concilium Hispal. 2. c. 9. *Indecorum est vicarium episcopi laicum esse & sæculares in ecclesia iudicare.* Hæc potestas delegandi excommunicationem cuivis clerico, retinetur apud Anglos, nisi quòd absurdiùs quàm Pontificii hanc potestatem delegarunt Cancellarijs & officialibus, qui iam non in clericorum ordine, nedum ullo ordine sacro constituti sunt, nec primam tonsuram accipiunt, vt in clericorum ordine constituantur. Atque ita deteriùs se res habet in ecclesia Anglicana quàm Romana ceu Papana, nec tam bene inter se conveniunt, quæ ex Babylone transumpserunt. Author abstracti refert etiam alios laicos qui non erant iuris civilis Doctores excommunicasse, vt Bedellum, Chippindalum, Glasierum, Talentinum & alios, quorum quidam erant Diaconi & proinde in sacro ordine constituti, alij tamen non erant Diaconi. Non tamen Diaconis concedimus excommunicandi potestatem delegatam. Aliud effugium quærunt & dicunt Cancellarios, officiales, commissarios decernere excommunicationem, sed teneri accersère & sibi associare eruditum aliquem presbyterum ab Episcopo authoritate sufficienti munitum qui sententiam excommunicationis denuntiet. Siccine novo commento illuderent ecclesijs. Verum quidem est inter articulos pro clerico, qui per Archiepiscopum, episcopos, & reliquum clerum Cantuariensis provinciæ in Synodo anno 1584 approbati, habentur verba ista. *Denique quod unusquisque vicarius Generalis, officialis, seu commissarius, qui ordines ecclesiasticos non susceperit, eruditum aliquem Presbyterum sibi accerset & associabit, qui sufficienti authoritate vel ab ipso in iuris-*

Provincial. Lindewod l. 3. tit. de Clericis coniugatis cap. Cum ex eo.

iurisdictione sua, vel ab Archidiacono Presbytero existente in iurisdictione sua munitus, idque ex præscripto ipsius iudicis tunc præsentis excommunicationis sententiam pro contumacia denunciabit. Vides hic sufficere, si vicarius generalis, officialis aut Commissarius ecclesiasticos ordines susceperint, vt puta, si sunt Diaconi, tunc non est accersendus Presbyter. Vides etiam obiter Archidiaconum si sit etiam Presbyter, posse Presbyterum munire potestate denuntiandi sententiam. Sed ad rem ipsam accedamus. Cancellarius, officialis aut commissarius etsi nullos ordines susceperunt, decernere tamen excommunicationem possunt: ex præscripto judicis cancellarij nempe vt supra dixit Muckeeus, officialis aut commissarij, denuntiat sententiam, presbyter. Cancellarius est Iudex item officialis ceu commissarius, non autem Presbyter ille quem tenetur accersere, & qui denunciat. Ille citat reum, cognoscit, iudicat & decernit, & format sententiam, presbyter est tantum minister vel potius carnifex qui verba ex scriptis recitat. Illustre exemplum habemus in assertione politiæ Christianæ vt sequitur. *Iohannes Hone Legum Doctor Officialis venerabilis Domini Archidiaconi Surr. omnibus & singulis Rectoribus &c. salutem. Cum nos rite & legitimè procedentes omnes & singulos quorum nomina &c. in non comparendo coram nobis, &c. seu saltem in non satisfaciendo mandatis nostris, &c. pronuntiaverimus contumaces ipsosque &c. excommunicandos fore decreverimus. Cumq; discretus vir Magister Roul. Allen Presbyter, eosdem omnes & singulos subscriptos, ex officio nostro excommunicaverit in scriptis justitia id exigente, vobis igitur committimus, &c. quatenus eos omnes &c. sicut præfertur ex officio nostro mero excommunicatos fuisse, & esse, &c. palam denuntietis, &c. Datum sub sigillo officialitatis nostræ 19 die Decembris, anno Domini 1587.* Miser ille curio Roulandus Alanus ex scripturis protulit verba sententiæ, sed excommunicati sunt tamen ex officio & decreto iudicis nempe Doctoris Hone officialis, qui etiam rectoribus & parochis committit, vt denuntient excommunicatos fuisse. Tria hic sunt distinguenda, decretum Doctoris Hone officialis, Presbyter proferens sententiam, & denuntiatio sententiæ per Rectores & Parochos. Nam post sententiam illatam mittunt ad parochos excommunicatorum nomina, vt cunctis convenientibus innotescat qui fuerant excommunicati, & sic excommunicatis vbique occludatur aditus ecclesiasticus, & hoc propriè denuntiatio sententiæ dicitur. Quod ad primum, decretum nempe, non competit Officiali aut Cancellario laico, & probatur ex constitutione Henrici Chichele Archiepiscopi Cantuariensis. *Cum ex eo quod Clerici coniugati, bigami, necnon laici jurisdictionem ecclesiasticam exercere ac de criminibus & excessibus ad forum & coercitionem ecclesiæ pertinentibus interdum suo interdum sub alieni nominis vmbra ceu velamine investigare, & inquirere eaque punire & corrigere, ac excommunicationum literas & suspensio-*

Pag. 388.

Lind. provin. l. 3. titul. de cleric. coniugatis cap. cum eo.

suspensio-

suspensionum decernere præsumant ac negotiorum correctionum huiusmodi scribæ & registrarij ac registrorum eorundem custodes existunt non modicum patiatur ecclesia scandalum, ac ecclesiastica vilescat auctoritas & censura. Nos igitur huiusmodi scandalis occurrere, & ecclesiæ honestati & decori providere volentes. Linduodius in glossa in verbum *decernere.* Non dicit excommunicare vel suspendere & forsan legislator ex certa scientia sic scripsit, vt innueret quod personis prædictis etiam decernendo non licet se intromittere de rebus spiritualibus. Extra de judicijs, cap. Decernimus. Vbi etiam prohibetur ne prælati laicis talia committant. Quod ad secundum, presbyterum nempe proferentem verba sciendum est in ferenda excommunicationis censura quod primùm sententia scribitur, deinde ex scriptis profertur. Non est autem necessarium vt ipse judex proferat verba legendo per scriptum. *Quare probabile est,* inquit Swarez, *necessarium non esse vt iudex ecclesiasticus per seipsum proferat censuram, quia & consuetudine magis receptum esse videtur & ad finem intentum in illo cap. 1. hoc non est necessarium. Nec verba eius in omni proprietate sumpta id continent: dicitur enim judex proferre, sive per se sive per ministrum proferat: alias oporteret etiam per seipsum talem sententiam scribere, quod nemo dicet: & hoc certius est in Episcopis, quos etiam dicti auctores excipiunt propter ipsius dignitatem.* Quod igitur Cancellarius vel officialis in nullo ordine sacro constitutus presbyterum authoritate ab Episcopo munitum accersit, vt verba ex scriptis legat, fucus est ad fallendum simpliciores, vel potius illudendum ecclesijs. Quod ad tertium attinet nempe denuntiationem, oportet pachum excommunicati, qui non accersitus & ordinis antecedentis ferendam sententiam, aut in ferenda sententia ignarus est, parœcianos suos certiores facere N. excommunicatum esse Et Roulandus Alanus curio triobolaris, eruditus scilicet Presbyter profert ex scriptis sententiam excommunicationis in parœcianos aliorum parochorum. Officialis & Curatus associati vt bos & asinus arant in agro Dominico. Nam presbyter ille quem associat sibi Cancellarius, est plerunque omnium infimus, & imperitissimus vt refert Author defensionis Petitionis, p. 175. Sciendum præterea non Episcopum modò, sed etiam Decanos Canonicos & prebendarios in omnibus prope Angliæ ecclesijs Cathedralibus & collegiatis habere exemptas quasdam parœcias in quibus omnes censuras spirituales ferunt vel per se vel per vicarios suos, imò quod maius est in regione Septentrionali integros Decanatus exemptos esse à iurisdictione episcopali, in quibus Diaconi eorumve Vicarij non solum testamenta probare administrationem bonorum concedere possunt, sed etiam de criminibus ecclesiasticis cognoscere, & censuras spirituales ferre vt refert Assertor Politiæ Christianæ. Falsum est igitur quod supra duxit Mucketus Episcopum solum ordinaria.

De censuris disp. 5 sect. 13.

Pag. 419. 420.

ordinaria. Presbyterum delegata tantum potestate excommunicare posse. Nam dicti omnes Decani & Canonici sunt tantùm Presbyteri. Et ordinaria potestate excommunicare in Ecclesia Papana Pontificis legatum à latere, Vicarium Episcopi, Vicarium electum à Capitulo sede vacante dicit Swarcz. *Denique omnes qui ex aliquo ordinario munere & statuto Ecclesiæ hanc jurisdictionem habent, dici possunt illam vt ordinariam habere vt Cardinales in propriis Ecclesiis, in quibus suos titulos habent, item superiores Religionum. Denique multi sunt in Ecclesia Abbates, Archidiaconi, & Archipresbyteri quibus quoad hanc partem Episcopalis jurisdictio cõmunicata est, qui proinde illam ut ordinarium habebant.* Si Episcopus solus habet excõmunicandi ordinariã potestatem, cur eandem Archidiaconis & Decanis ceu Archipresbyteris permittnnt Episcopi Anglicani. An Pontificis Romani exemptio, aut temporis præscriptio contra jus divinum valere debent. *Nullum* ut dicunt *tempus currit Regi nullum tempus currit Reipublicæ.* Similiter *Nullum tempus currit Ecclesiæ, Nullum tempus currit Domino.* Videmus igitur morem veterem qui fuit sub papatu retentum in Ecclesia Anglicana: Interim Presbyteri Parochi hac potestate tum ordinaria tum delegata privati ubique, & in eorum greges dominantur alieni. In articulis pro Clero in capite de excessibus circa excommunicationem reformandis habentur hæc verba. *Nihilominus vt excõmunicatio, quæ authoritatis ac disciplinæ Ecclesiasticæ quasi nervus quidam ac vinculum habenda est, ad pristinum suum decus ac dignitatem reducatur: Cautum est vt quotiescunque censura ista in immediatam pænam cujusvis notoriæ hæreseos, schismatis simoniæ, perjurii, vsuræ, incestus, adulterii, ceu gravioris alicujus criminis venerit infligenda, sententia ipsa vel per Archiepiscopum Episcopum, Decanum, Archidiaconum vel Præbendarium (modo sacris ordinibus & Ecclesiastica jurisdictione præditus fuerit) in propria persona pronunciabitur, vnà cum ejusmodi frequentia & assistentia quæ ad majorem authoritatem conciliandam conducere videbitur.* Falsum est ergo quod supra dixit Mucketus Episcopum solum pronuntiare sententiam excommunicationis, quando censura ista infligenda est in immediatam pœnam gravioris criminis. Nam Præbendarii in sacris ordinibus constituti aut Ecclesiastica jurisdictione præditi sicut ubique fere sunt, idem præstare possunt. Præterea hîc sola pronnntiatio sententiæ reservatur, quam judicem ipsum proferre non est necesse. Sic de gravioribus criminibus ut adulterio incestu &c. Cancellarius Episcopi judicare & censuram decernere nihilominus potest, etiamsi non sit in sacris ordinibus constitutus. Eadem cautio adhibetur in constitutionibus anni 1597 & iisdem verbis. Audiamus censuram Brightmani. *Quis est hic pristinus usus pronnntiandi sententiam per eos quorum nomina dempto solo Episcopo, ne audita quidem erant in Ecclesia: qua diu verum decus & dignitas excommunicationis mansit?*

De Censuris disp. 2. sect. 2

In Apocal. cap 3. fol. 69 in 8.

mansit? Quare nullus locus relinquitur Pastori cujusque cœtus, cujus olim erat sententiam pronunciare? forsan hujus nihil refert quid fit suis ovibus vel fieri potest ut minus sit idoneus, nec satis judicio & sapientia præditus. Revera nonnihil valere potuit hic metus jam olim: & nunc non debuit cum eo tu nos liberasti primo capite Constitutionum tuarum. Non est enim dubitandum, quin ille qui præsentatione, Certificatorio & reliquis instructus fuerit, quibus illicem eum instruxisti, satis superque idoneus sit ad quamlibet partem sui muneris: vel si serio tecum agendum sit, quid impediet quo minus Pastor adhibito aliorum consilio, diligentique disquisitione facta, non tam pronuntiet sententiam, quam vel Episcopus vel præbendarius vel quivis alius? At inquies, nolumus lancem agi communi consilio, sed unius tantum stare arbitrio. Hæccine mens est tuæ reformationis, atque tamen audeas, pristini usus, decori, & dignitatis meminisse, Christus jussit dicere Ecclesiæ. An unus aliquis hujus vicem sustinebit? Unus quidem ordinis gratia olim pronuntiabat sententiam, sed res judicata fuit non ejus unius, sed totius concilii arbitrio. Neque Paulus Incestuosum excommunicari voluit, nisi congregatis & consentientibus fratribus 1 Cor. 5 1. Atque sic Ecclesia per aliquot sæcula post ut liquet ex Origene, Tertulliano, Cypriano & aliis. Idcirco mirarer te de pristina dignitate tam audacter polliceri, nisi cæcos scirem hominum ora non timere. Sed quid si hæc tua quam præfers emendatio, viam etiam aperiat graviorum criminum impunitati? Commissarius quandiu ejus intererat, bis saltem quotannis æditous virtute juramenti compellebat, ut sceleratos deferrent: nunc quorsum id agat nihil forsan est, cum associatus sibi Presbyter sententiam in hujusmodi denuntiare non possit Nec sane sperandum est, ut æditui sponte ad Episcopos Archidiaconos, Præbendarios advolent, quos nesciunt ubi loci inveniant vel longius forte absint, nec iter sine sumptu fieri potest, cum præsentes, iique alienis sumptibus, vix sacramento possint adigi, ut reos indicent: Hæc cogitasse te oportuit, nec adhibuisse remedium pejus ipso morbo. Habes hic luculentam Brightmanni censuram in constitutionem istam. Sed videtur in posteriori parte non omnia examinasse. Scripserat ista forte post nuper editam constitutionem cum nondum perspecta fallacia. Nam nihill prorsus video in illa constitutione reservatum Episcopo, Decano, Archidiacono, aut Prębendario, pręter sententię pronuntiationem. Possunt iidem qui ante judices citare, judicare, decernere & Swarez ait non esse necessarium ut ipse judex legendo ex scriptis verba sententiæ proferat. Excommunicant in Ecclesia Anglicana ob res leviculas valoris 12 forte denariorum, aut non persoluta feoda ut vocant sive salaria juris Ecclesiastici administris debita, ut refert author Petitionis; Crimina & delicta non debita pecuniaria sunt materia sive objectum excommunicationis. In Concilio Aurelianensi quinto sic statutum, *Nullus sacerdotum quenquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus caussis à*

communione

communione suspendit, praeter eas culpas quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri jusserunt committentes. Idem habetur in Wormatiensi c.13. & meritò quum tot damna & incomoda excommunicationem sequantur In Ecclesia Anglicana, *his excommunicationum vinculis constricti non possunt esse in Curiis sive Civilibus sive Ecclesiasticis Actores aut testes: & si ultra 40 dies obstinati persistunt per rescriptum Regium ex Cancellariae Curia manans illud Episcopo postulante, carceri à Comitatus in quo degunt Vicecomite mandantur, donec Episcopo dederint sufficientem cautionem pignoratitiam, fidejussoriam aut juratoriam se ejus mandatis & decretis obtēperaturos.* An permittendū cujuis igitur officiali excōmunicare ob non persoluta quae debentur feoda curiae administris, aut debita quae ipsi decreverint actori solvenda. Monitio autē excommunicationē antecedens persaepe non est canonica. Apparitor, etsi non convenerit citandum domi, significat uxori aut famulis: si non dicto die comparuerit, ob contumaciam excommunicatur, sicut refert Defensor petitionis pag. 181. Vt excommunicantur ob causas leves, sic etiam eadem facilitate absolvuntur, nempe persolutis feodis administris curiae aut debitis actori. Non excommunicantur, neque absoluuntur praesente coetu Ecclesiae sed in curia Officialis aut Cancellarii. Ideo in articulis pro Clero sic statutum. *Volumus etiam ut sicut constitutum est ejusdem excommunicationem per ministrum Ecclesiae denuntiari: ita ipse judex de absolutione ipsius Rei post satisfactionem suam peractam, eundem ministrum certiorem faciet, qui eandem absolutionem populo publicè denuntiat. Ac interim quod bene licebit dicto ministro Reum à sacris arcere & repellere tanquam in Ecclesiam minime recipiendum donec ejusmodi, Certificatorium ab ipso Iudice exhibuerit.* Vides sententiam ferri in Consistorio Episcopi per Episcopum aut ejus Cancellarium in Consistorio Archidiaconi per Archidiaconum aut ejus Officialem, Parocho autem relinqui puram excommunicationis & absolutionis denunciationem, quam nostri intimationem vocant. Notandum etiam quod verba quibus fertur sententia, concipiuntur lingua Latina. *Anathematismus*, inquit Mucketus, *tantùm in pertinacem haereticum exeritur, quo iste tanquam publicus Dei hostis rejectus, maledictus, execratus, aeterno judicio & damnationi devovetur. Anathema enim, ut notat Hieronymus in cap. primum ad Galatas nomen est execrationis & maledictionis.* Suarez tomo quinto in 3 partem Summae Aquinatis ait anathema substantialiter non differre ab excommunicatione majori, atque adeò omnem excommunicationem quoad essentiam esse quoddam anathema, *accidi autem interdum, ut diversa secundum aliquam accidentalem solennitatem vel gravitatem, quia excommunicari quis dicitur, quoties talis censura in eum fertur: anathematizari autem (praesertim cum fit ab homine) addere videtur publicam denunciationem, cum quibusdam exterioribus signis ac ceremoniis terrorem & dam-*

Mucketus de Potest. Eccl. Angl. cap. 8 pag. 318.

Pag. 318.

Disp 8. sect. 8

dam-

damnationem majorem judicantibus. Quando verò in excommunicationibus à jure latis adjungitur verbum illud, judicatur major gravitas delicti, & præsertim judicari solet peccatum hæresis aut schismatis, vel aliud æquivalens : Et proinde distinctionem esse tantùm accidentariam in gravitate delicti,& in ceremoniis & in publica acclamatione. Non tamen potest se expedire difficultatibus quæ oriuntur ex decretis. *Engeltrudam vxorem Bosonis noveris non solum excommunicatione quæ à fraterna societate separat, sed etiam anathemate quod ab ipso Christi corpore quod est Ecclesia recidit, crebrò percussam esse*, Inquit Iohannes 8 scribens cuidam Episcopo. Excommunicatio minor non separabat à fraterna societate,erat igitur in eam prius lata sententia excommunicationis majoris, sed crescentibus pertinacia,& flagitiis anethemate percussa ut acriori & maxima, quæ in Ecclesia est pœna. In concilio Meldensi cap.56 statutum, ut *Nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione privet Ecclesiastica. Sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi aut coepiscoporum nullum præsumat ponere, nisi vnde Canonica docet authoritas: quia anathema est æternæ mortis damnatio & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* Sylverius Papa de Guilisario vel ut alii legunt Bellisario. *Ego tamen propterea non dimisi nec dimitto officium meum: sed cum Episcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt anathematizavi, & una cum illis Apostolica & synodali auctoritate statui, nullum vnquam realiter decipiendum, sicut deceptus sum & si aliquis deinceps vllum vnquam episcoporum totaliter deceperit Anathema maranatha fieret in conspectu Dei & sanctorum Angelorum.* Ex his decretis colligi posse videtur anathema quoddam fuisse reipsa distinctum à majori excommunicatione, & non solennitate tantum aut accidentaliter diversum. Habuit ecclesia Iudæorum tres gradus excommunicationis, *Nidduí, Cherem*, & *Schamatha*. *Nidduí* vox sumpta à verbo, quod in eo sensu Esaias vsurpat cap.66.5.vt Drusius interpretatur quæstiorum lib.1.quæst.9. significat proprie separationem. Qui excommunicatus erat per *Nidduí*, dicebatur *Menuddeh*, qui excommunicabant eum *Menaddim* vocabantur. In templo Salomonis erat (inquit Drusius in Ioh. 9 22.) porta lugentium & separatorum per quam lugentes & separati ingressi in templum. Si labrum superiùs velaverant sciebant fuisse lugentes, si non fuerat velatum,separatos ceu cœtu motos Templum ingredi licebat non item synagogam vt conjicit Drusius in Iohan.9.22. Nam destructo templo lugentes & sponsi intrarunt synagogas secundum R. Iuda. Separatorum autem nulla apud eum mentio. Separatis ingredientibus templum dicebant: *Qui habitat in hac æde indat cordi tuo vt audiamus verba sociorum tuorum.* Qui sic excommunicatus absque resipiscentia obijt, lapidabant vrnam eius. Hæc species excommunicationi non multum

Caus.3. qu. 4. ca. Engeltrudam.

Caus.11. qu. 3. ca. nemo.

Caus.23 qu. 24. ca. Gulisarius.

tum diſſimilis excommunicationi minori. Cherem, cum vox propriè ſumitur, nam quandoque omnes excommunicationis ſpecies ſignificabat, erat ſecunda ſpecies excommunicationis qua, qui priori ſpecie non revocati, exterminati ſunt ex Iſraele & pro incircuncisis habiti, cui reſpondet excommunicatio maior & exponere Satanæ. Tertia dicitur *Schammatha*, vel eodem ſenſu *Maranatha*, id eſt Dominus venit. *Maran* Dominus, & *atha* venit, ſic *Schem*, id eſt nomen pro nomine tetragrammato per antonomaſiam, id eſt Domino vſurpatur. Hæc fuit vltima devotio & execratio, qua Domini judicio & adventui permittebatur is, qui tentatis omnibus remedijs & officijs deploratæ ſpei ſe peccatorem oſtendit. Beza presbyter venerabilis in 1. Cor. 16. 22. diſtribuit excommunicationem in duas ſpecies Nidui & Cherem, id eſt, anathema & anathema in ſimplex & Maranatha. Nam res ideo devotæ, quæ etſi redimi non poterant, tamen non peribant, ſed ſacerdotibus cedebant, vt Num. 18. 14 Cherem nomine indigitantur. Cum Apoſtolus ait Anathema Maranatha, coniungit genus Anathema cum ſpecie vna Maranatha. Iſta ſpecie anathematis parciſſimè & raro vtendum dicunt Theologi. Sed neſcio an vnquam vtendum, niſi extra ordinem revelatum fuerit iſto anathemate percutiendum peccaſſe in ſpiritum ſanctum. Chryſoſtomus tertiam ſpeciem anathematis nomine videtur intellexiſſe in tractatu quo contendit non eſſe anathemate vtendum in eccleſia Chriſtiana. Ab excommunicatis excommunicatione etiam majore ædificandis, & ad frugem revocandis non abſtinet eccleſia, ſed ab anathemate Maranatha percuſſo abſtinet. Sylverij Papæ anathematis Maranatha vibratio in Guiliſarium erat ſacerdotis rabidi inane terriculamentum.

Interdictum ſequitur, *quo vniverſitas ceu communitas (homo enim inquit noſter Lindvodus proprie excommunicatur & proprie locus interdicitur) ob publicum aliquod delictum divinis officijs, ſepultura, adminiſtratione & perceptione ſacramentorum prohibetur.* Swarez abſtrahit propriam definitionem interdicti & a loco & perſonis, ab vſu & activo & paſſivo, quia interdictum in genere ab hoc etiam præſcindit, & interdum vtroque modo, interdum altero ferri poteſt, & definit in hunc modum. Interdictum eſt *cenſura eccleſiaſtica prohibens vſum quarundam rerum divinarum, & fidelibus communem, quatenus talis eſt.* Dictum *quatenus talis eſt, vt ſeparetur hæc cenſura ab excommunicatione. Nam excommunicatio privat quidem vſu talium rerum ſacrarum: non tamen quatenus eſt vſus rei ſacræ, ſed quatenus eſt communicatio cum alijs fidelibus. Interdictum vero formaliter privat vſu talis rei ſacræ per ſe ac independenter à communicatione cum alijs.* Excommunicatio privat non ſolum communicatione in divinis ſed etiam humanis: interdictum vero ſolum privat uſu rerum ſacrarum, nec privat uſu omnium rerum ſacrarum ſed quarundam. Deinde divi-

Macketar de Pont. Eccleſ. Angl. p. 318.

ditur interdictum in locale & personale. Locale directè fertur ad locum, quia in eo directè fieri divina officia interdicuntur. Hoc interdictum dicitur locale, *quia prohibitio ejus proximè versatur circa locum & intra illum continetur, tamen illam prohibitionem ad homines dirigi, qui in eo loco prohibentur divina audire, facere, aut recipere, quamvis non prohibeantur simpliciter seu extra talem locum. Atque hæc censura semper est pœna alicujus vel aliquorum hominum, propriè quidem illius ob cujus culpam interdictum ponitur, latè vero & quasi per communicationem etiam illorum quibus talis locus interdicitur. Non ergo dicitur interdictum locale, quia non sit pœna & gravamen personarum: sed quia directè cadit in locum, & per illum in personas redundat. Interdictum personale immediatè dirigitur ad personam eique interdicit certum quendam usum divinarum rerum, differtque à præcedenti, quod non terminatur ad certum locum. Nam si persona interdicta est simpliciter, prohibita est ne alicubi talibus officiis divinis uti valeat.* Interdictum quod simul locale & personale est, interdictum complexum vocant. Interdictum quod deambulatorium dicitur, est locale vel certe plura localia successivè continet prout talis persona successivè mutat loca, & includit etiam personale vel formaliter vel virtute,ferturque hoc modo. Vbicunque Petrus fuerit ille locus interdictus sit. Vtrumque interdictum & locale & personale dividunt in generale & speciale. Generale locale est quod in aliquem locum quasi generalem & plura partialia loca complectentem dirigitur. Speciale, quo specialis locus nimirum hæc vel illa Ecclesia interdicitur. Speciale personale est quoties in singularem personam fertur, sive illa sit una sive plures, & sive certa sive incerta. Generale respicit aliquod corpus politicum collectivum plurium personarum, & personas singulas solum prout sunt partes talis communitatis. Omnes interdicti effectus ad tria capita revocantur quæ sunt privatio activa & passiva sacramentorum quorundam, privatio activa & passiva divinorum officiorum, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. *Non tamen interdicti tempore omnia sacramenta & divina officia interdicta sunt, sed permittitur baptismus, Confirmatio, pœnitentia, Eucharistia, sed duo posteriora duntaxt morientibus, item missæ aliorumque divinorum officiorum celebratio, dummodo submissa voce januis clausis, & campanis non pulsatis dicantur: præterquam in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & assumptionis D. Virginis, quibus divinorum officiorum celebratio etiam pulsatis campanis, apertis januis, altaque voce admittitur: sicut latius constitutione Bonifacij 8 continetur.* Interdictum personale, inquit Spalatensis, pars quædam est pœnalis excommunicationis. *Interdictum locale & generale prout nunc propria esse censura asseritur & usurpatur, novum est & priscæ Ecclesiæ inauditum. Subtile sane, sed tamen parum pium, ne dicam impium inventum hoc prodiit post millesimum jam à Christo annum, cui primam manum licet imperfectam*

De censuris disp. 32. s. 1.

Canisius in summa juris Canonici lib. 3. titul. 23. p. 357.

De republ. Eccl. l. 5. ca 9. num. 38.

perfectam admovit ille Hildebrandus, qui longe major Jove fuit fulminum jaculator. Successores Hildebrandi pro exemplari arripuisse putat interdictum cujusdam Abbatis nomine Odelrici, atque interdictum, quale nunc est integrum & completum peperisse. *Quodnam Evangelium, quæ scriptura docet devianti à recta via homini per generalem divini cultus subtractionem esse succurrendum? Plebs tota fidelis alicujus magnæ civitatis aut Provinciæ aut Regni vel ipsa in aliqua re peccavit graviter vel nihil. Si ipsa peccavit, Sacerdotum est pro illa orare, illam docere, arguere, increpare, obsecrare, expiare, 2 Tim. 4. 2. Sed certè rarò admodum inveniemus interdictum fuisse populum pro ipsius populi delicto: & quando delictum est universale, censura locum non habent. Si autem populus erit innocens, sed propter peccatum principis populo ipsi divina omnia externa publica auferuntur, & tamen in judicio divino filius non portabit iniquitatem patris.* Et infra. *An vero pro privato homine excommunicato ferri solitum fuit interdictum? Quæro, vel plebs ei consentit in delicto, pro quo quis excommunicatus est, nec vult se ab eo separare vel contra. Si consentit, non expellet neque tenetur ei vim adhibere: patietur etiam interdictum: si non consentit, illa non habet potestatem quenquam expellendi: & satis ei est, cum illo non communicare. Ecclesia tamen potest semper recurrere ad auxillium brachii sæcularis, & sic reus expelletur. Sed quorsum hæ expulsiones? quorsum turbæ? postquam Ecclesia excommunicavit, nihil aliud quod agat in illum habet, ut est communissimum omnium Sanctorum dictum. Si autem interdictum adhuc superesset, tunc excommunicatio non esset ultima pœna Ecclesiastica. Non ergo legitima est, sed spuria hæc censura, ac penitus abominanda, quam Ecclesia pro sua non agnoscit. Restat igitur ut propter principes interdictum hoc fuerit excogitatum.* Cum viderent Pontifices excommunicatis principibus populum nihilominus adhærere & principes excommunicationem floccipendere, experiri volebant an Odelrici inventum principum excommunicationibus vim addere posset, ideo populum cœlesti pabulo, divino cultu, & rebus sacris privarunt, ut populum in principem concitarent, ut ait Spalatensis. *Si interdictum justum in se esset, cum tamen multò plura & certiora mala producat, quàm bona, quæ vixilla unquam etiam levissima consequuntur, inde adhuc iniquius redditur & abominabilius. Si præterea ex injusta causa feratur, quod jam, ut plurimum contingit, erit profectò interdictum maximè abominandum.* Linduodius ait interdictum habere similitudinem cum excommunicatione minore, quæ à sacramentis tantùm separat, non à communione fidelium. *Unde* inquit *cum excommunicatio minor ab aula recesserit, interdictum videtur quodammodo in ejus locum mutato nomine surrexisse.*

Num. 39. Num. 41. Provincial. l. 2. tit. de jurejurando cap. evenit verò. interdicti.

Interdictum *excipit*, inquit Mucketus, *corporalis pœnitentia sic dicta quia non solum interiori, sed etiam exteriori homine luenda, quæ publicæ in Ecclesia primum pœnitentiæ, quam Cyprianus epistol. 10. Exa-*

De politia Eccles. Anglic. 4. c. 6. pag. 328.

mologesin vocat, *est quam similima*. De ritibus solennis pœnitentiæ in Ecclesia Anglicana sic habet. *Eique* nempe reo qui compurgatores comparare non potuit, & ad tempus excommunicatur, *per excommunicationem humiliato* (*Vt Ecclesiæ sat fiat & palam constet illum resipuisse*) *infligitur publica pœnitentia, quæ cum magis fuerit solennis his ritibus peragitur. Die aliquo dominico initio matutinarum precum pœnitentiam acturus capite & pedibus nudus, linteo velamine candido à collo ad crura demisso indutus, albamque virgam manibus gestans, stat mœrens & lachrymabundus in porticu Ecclesiæ, illamque intrantium ardentes apud deum, vt sibi ignoscat preces humillime petit, & cum hoc modo paululum in porticu substiterit, ipsam Ecclesiam ingressurus, se humi prosternit, terramque deosculatur, & inde elevatus recta adit templi meditullium, vbi in loco eminentiori, vnde à tota congregatione possit conspici, & è regione Ministri sacra celebrantis erectus stans admonetur, quàm tremendum scelus commiserit, quàm Deo exosum & Ecclesiæ scandalosum, quòd offenso Deo nullo alio modo satisfiat, quàm per cruentum Christi sacrificium, sibi viva fide applicandum, nec Ecclesiæ, quam per humilimam peccati sui agnitionem, sinceram testificationem suæ pœnitentiæ, doloris, angoris pro illo perpetrato, non modo verbis & voce, sed lachrymis quàm potest vberrime fusis; sanctè promittendo tanquam in Dei & Angelorum conspectu, se divina gratia auxiliante per jugem Dei invocationem, verbi Divini meditationem, assidua pietatis & sanctimoniæ opera, contra mundi tentationes carnis illecebras, & Satanæ insidias diligentias in posterum vigilaturum. Et hæc pœnitens cum perfecerit magna cum adstantium commiseratione, illique minister peccator remissionem annuntiaverit, ipse totam congregationem per viscera Iesu Christi suppliciter & obnixè rogat, vt sibi gravissimum scandalum quo illam affecit, condonare, in suam sanctam communionem illum quo illam affecit, condonare in suam sanctam communionem illum recipere, pro vero Ecclesiæ membro reputare, & in horum testimonium vnà cum eo dominicam orationem alta voce recensere ex Christiana sua charitate dignentur.* In scriptis Anglicanis plura non reperio de forma & ritibus solennis pœnitentiæ. Nec quæ jam retulit Mucketus de lachrymis pœnitentis, de admonitione ministri pia & gravi, aliter quàm perfunctoriè ut pleraque alia geri arbitror. Quæ de pedibus nudis, alba virga, deosculatione terræ, confusa orationis Dominicæ recitatione refert, non modo superstitiosa, sed ridicula & absurda sunt. Linteum etiam velamen candidum à collo ad crura dimissum non probo Corporales pœnitentiæ & opera pœnalia quæ vocarunt veteres satisfactiones, quomodo degeneraruut in satisfactiones pro peccatis, omnibus notum est. Ipsa prima institutio harum satisfactionum non erat per se laudabilis. Nam nec Deo satisfit, nec Ecclesiæ satisfieri debet operibus pœnalibus, aut pœnitentiis hisce corporalibus. Spiritualibus mediis uti debet Ecclesia, comminationibus

legis,

legis, ſeparatione à ſacra communione , publica redargutione, & ſimilibus, & ad domandum contumaciam, ſi aliter corrigi nequeat peccator, à fidelium conſortio excludendus eſt , nec antè recipiendus quam ſatiſfecerit Eccleſiæ non operibus pœnalibus aut corporalibus his pœnitentiis quas injungunt reis, & quas ſubire & obire ſilent etiam pro forma hypocritæ abſque interna & vera reſipiſcentia, ſed perſuadendo Eccleſię, quoad humanitus fieri poteſt ſe seriò reſipiſcere, & quidē publicè pro publicis criminibus. Perſuadebit autem efficaciùs naturalibus ſignis reſipiſcentiæ teſtimoniis, quàm injunctis, quas vocant, pœnitentiis. Nā vera reſipiſcentia interna facile & ſponte prorumpet in naturalia ſigna, dejectū vultum, lachrymas, pectoris tunſionē, corporis humiliationē, ingenuam confeſſionē, importunam fidelium & totius cœtus obteſtationē, ut ſcandalum condonare, & una ſecum à Deo ipſi veniā deprecari, & in gremium ſuū recipere velint. Mutos ſtare pœnitentes ad tēpus præſcriptum loco publico non probo. Hæc & ſimilia ſigna naturalia poſtulat publica reſipiſcentia, non tamen in omnibus omnia, Nā non omnibus datur lachrymas effundere. Et cū ſic inſtanter inſtantius inſtantiſſimè, vt dicunt, reconciliationem petierit, & jam ſatis explorata ſit eccleſiæ ipſius reſipiſcentia, repiciendus eſt, nec obſervāda ſuperſtitioſè ſunt tempora præſctipta, ſed contrahenda aut protrahenda prout conſtiterit de ſeria illius reſipiſcentia, & ſemper rejiciendus donec eccleſiæ iudicio ſatisfecerit (alias ſatisfactiones non agnoſco) id eſt, donec eccleſiæ ſatis perſuaſum fuerit eum ſerio reſipiſcere. Nam vt dicitur in ſynodo Cabilonenſi, ſub Carolo, *Non eſt penſanda pœnitentiæ quantitate temporis, ſed ardore mentis.* Item, *Multi quod ſine dolore dicendum non eſt, in pœnitentia non tam peccati remiſſionem quàm temporis conſtituti expectant expletionem.* Tempus quidem maxime oportunum edendi publicæ reſipiſcentiæ indicia eſt, dum fit conventus fidelium totius eccleſiæ. Locus debet eſſe certus, & paulò eminentior, ſaltem talis, vt inde ab omnibus & audiri & conſpici poſſit. Conſiſtorialem exomologeſin, quæ publicam ex eccleſia proſcribit, & vbi jam ſcandalem per eccleſiam aliquam latius propagatum eſt, miror, ſi qui ſunt, qui tueri velint. *Quando ita cuiuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ,* inquit Auguſtinus. Sed redeamus ad Anglicana. Solennis pœnitentiæ Anglicanæ ineptias ſupra vidimus, ſed an ſæpius ita ineptiunt? Ne quis forte putet rigidiores eſſe præſules Anglicanos, ſciendum eſt rariora eſſe apud eos exempla publicæ pœnitentiæ licet graſſentur ſcandala. Apud eos commutatio pœnitentiæ tollit fere omnem publicam pœnitentiam. *Anglicanæ eccleſiæ Canones ſtatuerunt,* inquit Muckerus, *ſi crimen non fuerit notorium & publicum ſolennem pœnitentiam poſſe commutari in mulctam*

Cap. 34.
Cap. 35.
Li. 3. contrà parmen. epiſ. cap. 2.

mulctam pecuniariam in levamen pauperum eiusdem parœciæ, vel in alios pios vsus erogandam modo constiterit eam esse ad reum reformandum saniorem & tutiorem rationem. Habetur quidem Canon in articulis pro Clero anni 1584. & in capitulis seu constitutionibus anni 1597 cuius titulus *De moderanda solennis pœnitentiæ commutatione*, vbi hæc eadem fere verba, de quo sic Brightmannus, *Præterea commutationem pœnitentiæ, feoda officiariorum, appaitorum excessus, de quibus tollendis potius quam moderandis agi debuisset, & Registra.* Sed quando est crimen notorium & publicum? Parkerus supra pag. 272 dixit Canonistarum interpretamento nullos pro notorijs habendos, nisi qui antea in foro cathedralis ecclesiæ condemnati sunt. Vtrum sit notorium publicum delictum necne ipsi in consistorijs judicant Vtrum vero commutanda sit pœnitentia in mulctam pecuniariam oportet prius consuli episcopum. *Ne qua posthac solennis pœnitentiæ commutatio nisi rarioribus gravioribusque de causis, atque adeo cum ipsi episcopo constiterit eam esse ad reum reconciliandum & reformandum saniorem & tutiorem. Quicunque vero absque Episcopi Diœcesani notitia pœnitentiam commutaverit, aut pecuniam ratione commutationis huiusmodi solutam, in alios vsus quàm supra est expressum*, nempe relevamen pauperum eiusdem parœciæ vel alios pios vsus, *converterit vel aliter præsentem hanc constitutionem volaverit: is ab executione officii per eundem Diœcesanum per integros tres menses suspendetur.* Capitulum istud habetur in constitutionibus anni 1597. Sic Episcopum videmus judicare de gravitate causæ, ob quam commutanda sit pœnitentia corporalis in pecuniariam, & Cancellarios & Officales an delictum sit notorium necne, & publicum. Pœnam pecuniariam non debent infligere viri Ecclesiastici. Nam pœna civilis est. Alexander 3 Cantuariensi Archiepiscopo sic scribit. *Accepimus quod Archidiac. Coventrens. Episcopatus pro corrigendis excessibus & criminibus puniendis, à Clericis Laicis pœnam pecuniariam exigunt, & pro annua pecuniæ exactione personas quandoque suspendunt, Ecclesias interdicunt, à vicariis denarios, vt eos in Ecclesiis cantare permittant, exigere non formident & alia agunt, quæ Canonum obvient institutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur.* Ecclesia non habet fiscum, & propterea Episcopo non licet nummarias pœnas suis loculis quasi fiscis addicere, quum fiscum non habeat, nec purè & simpliciter reis mulctas irrogare nullo adjecto usu vel causa pia, in quam talis pecunia insumatur, nam tunc sibi Episcopus aut officialis mulctatitiam pecuniam adjudicare videbitur. Gregorius 9 statuit contra linguam in blasphemiam se relaxantem publicè contra Deum, vel aliquem sanctorum suorum & maxime beatam virginem, vt per temporalem potestatem *blasphemus si dives fuerit quadraginta solidorum, alioquin triginta sive viginti, & si ad id non sufficiat, quinque solidorum vsualis monetæ pœna mulctetur.* Vbi agnoscit Gregorius

In Apocalyps. cap 3. fol. 69. in 8.

Decretal. l. 5 tit. 37. cap. licet,

gorius ad temporalem potestatem pertinere, purè simpliciterque mulctam pecuniariam irrogare. Sicut purè & simpliciter irrogare non potest, ita nec mulctam dicere debet judex Ecclesiasticus, etiamsi in pium quendam usum judicans destinarit. Nam pius ille usus non mutat naturam pœnæ, manet nihilominus natura sua pœna civilis. Sed dices hic non infligitur pœna pecuniaria à judice, sed eligitur à reo, qui corporalem pœnitentiam hac pœna pecuniaria redimit. Vnde in articulis Cleri decernitur, inquiunt. *Si Prælatus imponat pœnam pecuniariam alicui peccato & petat illam, Regia prohibitio habet locum. Verum tamen, si Prælati imponant pœnas corporales, & illi sic puniendi velint hujusmodis poenas per pecuniam redimere; non habet locum regia prohibitio, si coram prælatis pecunia exigatur.* Sed licet directè non infligitur pœna pecuniaria, tamen indirectè infligitur, cum tam graves pœnitentiæ injunguntur, ut cogantur redimere suas poenitentias. Ideo statutum fuit à Iohanne Stratfort Cantuariensi Archiepiscopo. *In commutationibus etiam poenitentiarum corporalium pro pecunia, quas absque magna & urgente causa fieri prohibemus, locorum ordinarii taliter moderentur, quod delinquentibus poenitentias corporales graves & publicas non imponant adeo excessivas, ut causativè & per obliquum cogantur redimere suas poenitentias pecuniaria gravi summa.* Vrgentem causum ibi dicit Luduodius esse cum *persona est nobilis, vel talis cuius opinio ex inde multum læderetur & generaret grave Ecclesiæ scandalum, pro quo vitando quandoque omittitur veritas iustitiæ.* Si crimen fuerit publicum & notorium, ipsi non audent asserere commutandam solennem pœnitentiam cum mulcta pecuniaria. Nam sic divites & nobiles publicam & solennem pœnitentiam quovis pretio redimerent & sic pergerent in perpetrandis flagitiis, & recidivo continuando. Et illa pecunia à judicibus Ecclesiasticis, licet in sacros usus erogata, non esset pœna sed merces scorti in Domum Dei non introducenda. Nam licet non datur voti aut eleemosynæ nomine, cum tamen redimitur liberè pœna scortationis, emitur scortum & datur merces scorti Deuter 23. Si crimen non fuerit notorium & publicum nullus est locus publicæ & solenni pœnitentiæ. Non est enim secundum regulas charitatis reus adigendus ad publicam exomologesin propter delictum, quod non est notorium & publicum. Et ipse Mucketus ait, *Quandoque enim fit ut Cyrillus lib. 3. in Levit. piè & prudenter monet, ubi servari suum peccatum secretum viderit ille qui peccat, servabit & ipse emendationis pudorem. Si vero viderit peccatum suum per exomologhesin proclamari, & sese (pravo suo judicio) defamari, illico ad impudentiam convertetur.* Vnde & Iohannes Peccham Cantuariensis statuit olim in hunc modum. *Præterea cum juxta sacros canones peccata graviora ut incestus & similia quæ quasi vulgatissima suo scandalo totam commovent canitatem sunt solenni poetentia castiganda*

Mucket. de polit. p. 318.

Lindwood in provinciali l. 5. tit. de pœnis cap. Quoniam rem.

De Polit. pa. 318.

ganda: quorundam tamen negligentia agente &c. Si crimen non sit notoriũ & publicum debet reum. Senatus Ecclesiasticus non Cancellarii aut Officiales, ad seriam resipiscentiam hortari non imponendo opera pœnalia & corporis afflictiva quæ postea cogantur redimere pecunia, sed mediis illis salutaribus de quibus supra diximus. Nam quorsum quæso opera pœnalia commutarentur cum pœna pecuniaria, an ut adduceretur reus ad veram resipiscentiam & dolorem secundum deum pœna pecuniaria, qui non potuit operibus pœnalibus & pœnitentiis privatis. Verum est quod dixit facetò Petrus Marcútius in Concilio Tridentino *ab Episcopis Ecclesiasticam censuram in censum & aurifodinas conversam, dum homines levissimis de causis à sacra communione expellunt, ut postea ab eisdem absolutionis precium extorqueant.* Et Spalatensis, *Claves regni cœlorum in claves arcarum & scriniorum commutavimus.* Refert Barrous in Defectione pag. 232 penes Episcopum aut ejus commissarium esse censuras Ecclesiasticas, & exerceri non ob contumaciam errori aut delicto conjunctam, sed ob contemptum, aut non comparendo in curiis Ecclesiasticis, aut non parendo illarum mandatis, utpote in diebus festis, aut cruce in baptismo &c. *Nec,* inquit, *alia novi ego delicta de quibus inquirunt præter adulterium & fornicationem. Si non pro equæ magistri Commissarii solea ferrea nummos expenderit, fieri potest quod oporteat reum publicam agere pœnitentiam in linteo candido coram omnibus paroeciæ Sodomitis, interim dum Rector legit librum precum aut homiliam. Sed si suggesserit verbulum in aurem Commissarii, & dixerit se purgationem Canonicam sustinere velle, tum oportet, ut comparet sibi compurgatores sui similes, qui super librum Magistri Commissarii jurent se credere ut sunt corrupta conscientia, insontem illum esse. Quo facto, & persolvis feodis ceu impensis Curiæ licet tota vita adeo egregius fuisset scortator ut nihil supra, & sæpius detectus ac deprehensus in ipso crimine, nulla tamen fides adhibenda probationibus, ob juramenta, quæ sodales Sodomitæ præstiterunt, & hæc dicitur ipsius purgatio. Me pudet, & horret animus vel cogitare ea, quæ illi postulant ad probationem adulterii, absque quibus omnis intentata querimonia aut accusatio eluditur. Sic sancti illi patres Episcopi adulterium vel risus vel rei pecuniariæ materiam efficiunt perjurio aut risu expiantes.* Quorum authoritate rei ejici & resipiscentes rursum ad exomologhesin publicam admitti Ecclesiæque reconciliari debeant, ex iis quæ capite superiori dicta sunt de potestate jurisdictionis, manifestum est. Nam si Presbyter excommunicare potest, reconciliare etiam potest. Reconciliationem pœnitentium adversarii fatentur reservatam Episcopo ob honorem sacerdotii tantum non ob legis necessitatem. Bellarminus dicit pœnitentiam publicam solennem à solo Episcopo indici, & ab eodem pacem reddi pœnitentibus, Presbyteris tamen id licere in absentia Episcopi & urgente necessitate. *At*

Gentiletus in examine sess. 22. p. 213.

De Republ. Eccl. li 5 ca. 7. num. 86.

pœnitentia

pœnitentiam non solennem, inquit, *Presbyteri quoque injungere poterant & pœnitentes reconciliare.* Descripsit supra Mucketus pœnitentiam publicam solennem. Sed an aliam habent, quæ simpliciter & proprie publica dicitur quæ à solenni distincta? Puto nullam. *Sed propriè dicitur publica illa quæ fit in facie Ecclesiæ sine solennitate, de qua dicitur 50 distinct. ca. In Capite, scilicet, cum injungitur peregrinatio per mundum cum baculo & pera benedictis.* Et *hanc potest imponere quilibet sacerdos suo Parochiano secundum Raymundum. Unde multo fortius potest hoc facere poenitentiarius* Episcopi *generalis secundũ glossam Wil. super Raymundum, nisi consuetudo sit contraria,* inquit Lindwodius. Ex Tertulliano capite superiori audivimus probatos quosque Seniores præsedisse, judicasse, castigasse, & omnes censuras exercuisse. Provincial. l.5. titul. de pœnitentiis cap. praeterea.

Postrema Ecclesiastica poena Laicis & Clericis communis est denegatio Christianæ sepulturæ in locis sacratis, inquit Mucketus. *Omnes autem excommunicati, perjuri, feloniæ crimine strangulati, insignes foeneratores, hæretici, apostatæ, mortem sibi asciscentes (nisi de extraordinaria illorum poenitentia certior factus fuerit Episcopus, qui tum licentiam concedit eos in locis sacratis inhumandi) hoc ultimo pietatis officio orbantur.* Diximus supra locum sepulturæ esse solummodo locum civilem non sacrum; & quandoquidem jam non habent familiæ loca hæreditaria separata à loco communi sepulturæ, iniquum est ut ob singularia quorundã cadavera oporteat loca religiosa multiplicare, vel potius in pura ut juriscõsulti loquuntur & injuriis exposita exponere. Quando mixti erant cum ethnicis Christiani, & distincta habebant cœmiteria locũ habere potuit sepultura in Christiano cœmiterio denegata; Sed cum jam cives omnes sint Christiani nec distincta habeant cœmiteria, aliud quatenus cives, aliud quatenus Christiani nec fit locus religiosus ullus nisi per Pontificis consecrationem, ut ait Mynsingerus, secundum jus pontificium, sed manet purus, excludere cives communi cœmiterio & omni omnino loco religioso & sacrato est exponere cadaver in locum arationi, fossioni, inhabitationi & id genus aliis sepulchri violationibus obnoxium. Sed illud alias omnes absurditates superat quod excommunicatos absolvunt etiam post obitum ut participes fiant Christianæ sepulturæ, sicut refert Franciscus Ihonsonus in dissertatione cum Henrico Iakobo pag. 65 & alii. De politia p. 319. Ibidem. Instit. lib. 2. tit. 1. parag. religiosum.

Sequuntur Ecclesiasticæ censuræ in Ecclesiasticos peculiares. *Harum prima fuit Sequestratio à jure Civili (Ut videre est in Digestis & Codice) in jus Canonicum derivata, quæ est fructuum Ecclesiæ ad tempus apud alium depositio ad jus alicujus tuendum, aut onus declinandum, vel ejus qui fructuum Dominus est contumaciam castigandum: quam si quis post legitimam ejus publicationem in locis ubi facienda est, violaverit juxta antiquos, Ecclesiæ Anglicanæ Canones majorem excommunica-* De polit. pag. 319.

tionem ipso facto incurrit, inquit Mucketus. Canonem intelligit Iohannis Stradford Archiepiscopi Cantuariensis. *Præsentis statuimus deliberatione Concilii, quod in Provincia nostra violatores sequestrorum per Episcopos aut vicarios suos generales ipsorumve Officiales Principales ex causis justis & veris, in bonis Ecclesiasticis aut aliis in casibus à jure permissis interpositorum, post & contra publicationem debitè factam in locis, in quibus bona sic sequestrata consistunt, majoris excommunicationis sententiam ipso facto incurrant. Si tamen à sequestro fuerit appellatum & appellatione legitime prosecuta, ea pendente possessores bonorum sequestratorum & alii liberè & impune utantur eisdem.* Fuit autem Iohannes Stratford Episcopus Cantuariensis anno 1333. Linduodus interpretatur constitutionem istam de sequestratione quæ fit judicis potestate, non autem ex partium conventione. Sed cum judicia ipsa sint de causis civilibus, sequestrationis pœna quæ inde oritur est pœna civilis & proinde aliena à judicio Ecclesiastico.

Provin. Lindwod. lib. 2. tit. de Sequestrationibus.

Proxima censura est suspensio, qua monitione præcedente in scripto & causa expressa personæ Ecclesiasticæ interdicitur exercitium sui officii vel beneficii vel utriusque simul, in toto vel in parte, ad certum tempus vel in perpetuum. Tertia censura est Deprivatio, qua Ecclesiastica persona ob grave aliquod crimen ab Ecclesiastico beneficio amovetur. Ultima est Depositio poena in primæva Ecclesia usitata. Et hæc secundum jus Canonicum vim adbuc in Ecclesia Anglicana obtinens est vel verbalis per judicis sententiam, vel realis, quæ fit degradatione, cum scilicet personæ Ecclesiasticæ propter hæresin vestes & insignia ordinis sui per Episcopos detrahuntur in præsentia civili Magistratus, cui post degradationem coercendus relinquitur. Quotiescunque suspensio imponitur solùm, ut delictum puniatur, & non ut à contumacia recedatur, non habet rationem censuræ, sed solius pœnæ, ait Swarez. Suspensio quæ est censura non habet absolutam durationem, sed tantùm durante contumacia. Suspensionem autem vindicativam dividunt in temporalé & aliquomodo perpetuam. Temporalis dicitur quæ ad certum & limitatum tempus fertur, ut cum dicitur in lege vel sententia, Sit per annum vel duos menses suspensus. Perpetua vero aliquo modo dicitur, quæ pro delicto commisso sine ulla temporis limitatione fertur vel indefinite suspendendo nullo adjuncto signo expressè significante perpetuitatem, vel addendo illud. Sed illa prior nempe suspensio perpetua negativè vel indefinita potest retinere nomen suspensionis ait Swarez, posterior vero quæ positivè & simpliciter perpetua magis dicenda videtur depositio. Sic aliquam dicunt esse suspensionem ab officio aliam à beneficio, aliquam esse suspensionem ab ordine & non à jurisdictione aliam à jurisdictione & non ab ordine, aliam ab utroque. Mira certe ista varietas suspensionum. Suspenditur quis ab una parte officii & non ab alia. Suspenditur quis à beneficio cum tamen non suspenditur ab officio.

Mucketus de politia pag. 320.

cio. Nam beneficium datur propter officium & accessorium debet sequi principale. Sic deprivatio à beneficio sequi debet depositionem ab officio. Depositionem faciunt aliam verbalem, aliam realem quæ degradatio dicitur. Depositio verbalis est duplex, quædam est quæ absolute & per se fit sine ordine ad aliud; alia quæ fit in ordine ad degradationem realem. *Ad tollendas verborum æquivocationes vocamus priorem depositionem absolutam, aliam respectivam, seu illam tantum depositionem, hanc depositionem verbalem, alia vero aut non vocetur depositio sed degradatio aut dicatur depositio realis seu actualis. Quando ergo depositio dicitur nihil aliud esse, quam quædam suspensio positivè perpetuà & irremissibilis intelligendum id est de depositione absoluta.* Depositus absolutè non potest sine nova sententia degradari. Vna depositio est pœna in qua sistitur, alia est quasi via ad degradationem. Ad illam quæ ordinatur ad degradationem requiritur specialis solennitas, quæ ad aliam absolutam depositionem necessaria non est. Depositio quæ ad degradationem ordinatur, nunquam imponitur ipso jure, neque incurritur ipso facto, quia requirit solennitatem, quæ non potest nisi mediante hominis sententia adhiberi. At depositio absoluta interdum imponitur ipso jure. Vnde licet aliquis ipso jure depositus sit, ad realem degradationem non proceditur, donec ab homine sit depositus verbaliter cum solennitate. Comparantur depositio quæ ordinatur ad degradationem & degradatio, sicut sententia & sententiæ executio. Nam per verbalem depositionem profertur sententia, per degradationem mandatur executioni quoad aliquas actiones vel effectus, qui per ipsammet sententiam absque hominis actione perfici non possunt. Pro iisdem criminibus imponuntur, quia vnam integram pœnam complent sicut sententia & executio idē crimen respiciunt. Degradatio differt à depositione qualibet in solennitate. Nam licet illam specialem solennitatem non requirat, quam ejus verbalis depositio, aliam tamen propriam postulat. Specialis solennitas degradationis ejusmodi est secundum Swarezium. *Degradandus indutus sacris vestibus & portans instrumenta sacra id est, vasa aut librum sive quæ pertinent ad illum ordinem, à quo degradatur, ad Episcopi præsentiam adducatur, & ab eo publicè illis exuatur ac tandem radatur, vel tondeatur caput illius cum aliqua forma & terrore verborum, quæ effectum hujus degradationis declarant. Per quam ceremoniam, quoad privationem ordinis aut beneficiorum nihil de novo fit. Nam per prolationem sententiæ depositionis erat jam factum, sed illud ipsum quasi solenniter promulgatur, & repræsentatur ad majorem ignominiam & terrorem, & vt persona illa veluti disponatur ad vltimum effectum, quem addit hæc pœna vltra depositionem verbalem.* Degradatio privat privilegio clericali & privilegio fori, non item depositio. *Veteri Ecclesiæ consuetudine cum Ecclesiastico cuivis ad statum secularem erat redeundum, ne Ecclesiæ*

Suarez de censuris disp. 30. sect. 1.

De censuris disp. 30. sect. 2.

Petri Suavis hist. Conc. Trident. l. 4. p. 375. edit. Francof.

ministerio designati sæcularia tractare conspicerentur, Episcopi gradum Ecclesiasticum demebant (unde degradationis nomen) ad exemplum militiæ armatæ, quæ ad tuendam professionis ejus dignitatem non permittebat militi munus castrense deserere, aut judici civili subjici, nisi prius exauctorato & ordine militari privato, cingulo scilicet & armis militaris Pag. 373. *privilegii insignibus ei detractis.* Iuxta præsentem consuetudinem degradationis usus est tantùm cum quis statim tradendus est brachio sæculari, à quo pœna mortis mulctetur. *Ad eam vero modo solenni perficiundam tot circumstantiis requisitis factum rei difficultate ut rarissime eo sit perventum. Imo ad augendam ordinis Clericalis reverentiam valere plurimum putabatur, quod Iudex ne justo quidem justicio Clerici sanguinem fundere poterat nisi multa solennitatum serie præcedente.* Sed cum Degradatio non auferat characterẽ quem dicunt ordinis magis quam depositio, quicquid porro agitur est mera ceremonia. Et tales adhuc ineptias, ut vides retinent Angli, ac si depositio absoluta non sufficeret, si ulla depositione opus esset, ut quis tradatur brachio sæculari morte mulctandus, & ac si Iudex ne justo quidem judicio Clerici sanguinem fundere poterit nisi depositione & solenni degradatione præcedente. Depositionis potestatem sibi soli arrogat Episcopus Anglicanus quod vetitum fuit canonibus apud veteres vide pag. 263. In constitutionibus anni 164 habetur hic Canon. *Quotiescunque in Curia aliqua Ecclesiastica ad quemlibet huius Provinciæ Episcopum spectante contra ministrum accusatio instituetur, Cancellarius, Commissarius, Officialis vel quivis alius Ecclesiasticam ju-* Can. 122. *risdictionem obtinens (cujus incererit) causam omnem per processus, aliasque vias & modos adversus eum expediet, ejusque in non comparendo contumaciam primo suspensionis, eandem vero continuatam excommunicationis poena ulciscetur. Sin autem debitè comparens legitimo juris processui se submiserit, tunc ubi causæ maturitas sententiam postularit, si forte delicti meritum vel deprivationem vel depositionem à sacris Ordinibus ex decreto juris exigat; nullam ejusmodi sententiam per quamlibet personam pronuntiari volumus præterquam per Episcopum, adhibitis ipsius Cancellario & Decano, si commode id fieri potest, & aliquot præbendariis, si prope Ecclesiam Cathedralem dicta Curia teneatur, vel Archidiacono, modo ejus facultas detur, aliisque duobus ad minus gravibus ministris ac eisdem concionatoribus per Episcopum advocandis, quando Curiam aliis in locis haberi contigerit.* Non est penes Decanum vel Præbendarios suffragium decisivum in tali sententia, imo nec requiruntur ut consultores, sed ad quandam actus solennitatem vel potius ad fallendum simpliciores ac si ibi esset judicum senatus. Eorum præsentia requiritur, idque tantum si commodè fieri poterit, non autem cooperatio in pronuntianda sententia. Non sunt igitur veri judices assessores. Præterea Episcopus solus sententiam solummodo pronunciat, judicat Cancellarius, officialis aut Commissairus,

miſſarius, & cauſam omnem per proceſſus aliaſque vias & modos adverſus miniſtrum expedit, donec cauſæ maturitas ſententiam poſtularit. Miniſter, qui juris proceſſui ſe ſubmittit ſtat interim capite aperto coram Cancellario, officiali aut Commiſſario. Si quis omiſerit crucem in baptiſmo, geniculationem in cœna, ſuperpelliceum aut ſimile quid, non evadet impunè. Sed ebrios, ſcortatores, adulteros, non reſidentes, &c. nuſquam in his curiis damnatos invenies.

Eſt & alia pœna, ſed temporalis nempe Carceris, Clericorum propria. Exſtat apud Lindvodium ſtatutum Bonifacij Archiepiſcopi Cantuarienſis de carcere epiſcopi. *Item ſtatuimus quod quilibet Epiſcopus habeat in ſuo epiſcopatu vnum vel duos carceres ad clericos flagitioſos deprehenſos in crimine vel convictos iuxta cenſuram Canonicam detinendos. Et ſi clericus aliquis adeo malitioſus & incorrigibilis fuerit, & conſuetus ad flagitia committenda, pro quibus etiam ſi laicus eſſet ſecundum leges ſæculi vltimum debet pati ſupplicium, talis clericus perpetuo carceri adjudicetur.* (*Provincia. lib. 5. tit. de pœnis cap. item ſtatuimus.*) Secundum diœceſeos amplitudinem ſtatutum, vt epiſcopus haberet vnum aut duos carceres ad detinendos clericos flagitioſos. In cauſa hæreſeos licebat etiam etiam judici eccleſiaſtico laicum in carcerem conjicere, ait Lindvodius. Habent adhuc epiſcopi carceres ſuos. Hinc forte ortum quod in foro Aſſiſarum damatus aliquis furti prima vice admittitur ad clericatum. Et in hunc finem ad forum Aſſiſarum mittit epiſcopus judicem ſub ſigillo authoritate munitum, vt de clericatu judicet. Exhibet damnato pſalterium vt pauca verba legat. Rogatus à judice in foro Aſſiſarum commiſſarius epiſcopi *Legit vt clericus*? ſi reſponderit *legit* traditur Epiſcopi commiſſario, vt committatur carceri epiſcopi cuſtodiendus ad inquiſitionem aliam clericorum, vt refert Smithius in Republica Anglicana. (*Pag. 106.*) *Eugenius 2 Papa instituiſſe carceres fertur cuſtodiaſq́ primus ad clericorum delicta cohibenda* ait Choppinus. (*De ſacra politia lib. 2. p. 243.*) Fuit autem Eugenius pontifex circa annum 824. Repertum eſt igitur iſtud ſtatutum primùm in cauda Draconis. Non eſt enim iſta pœna ſpiritualis ſed purè temporalis quæ non conceſſa eſt à Chriſto miniſtris Evangelij. Dicit Whitgiſtus Cantuarienſis poſſe eodem jure epiſcopum conjicere in carcerem, quo Petrus Ananiam & Sapphiram morte mulctavit. Sic Pighius contra Marſilium Patavinum. Sed non accepit inquis coactivam poteſtatem à Chriſto in preceptionum ſuarum tranſgreſſores. Credo negarent hoc tibi Ananias cum uxore Sapphira, qui ob fraudatā exiguam partem pretij ſui agri divenditi, quod ad pedes Apoſtolorum depoſuerant ad incutiendum *terrorem cæteris vita mulctati ſunt, & in ſe experti authoritatis Petri coactivam aut punitivam efficaciam*. (*Hierarch. lib. 5. cap. 2.*) Sed Cartwrightus replicat, iſtud feciſſe Petrum non ordinaria poteſtate conceſſa eccleſiæ, ſed extraordinaria, nempe vi illius poteſtatis quam Paulus *Nomi-*

pus vocat, 1. Cor. 12. quam etiam civilis Magistratus non habet, nec erat peccatum manifestum, sed occultum dissimulatio Ananiæ & Sapphiræ de quo judicare non poterat civilis Magistratus. Cum Paulus ait, Quid vultis in verga veniam ad vos 1. Cor. 4.21. *non aliquam ordinariam forensem temporalem punitivam, sed extraordinariam in signis ac miraculosis punitionibus* interpretatur Chrysostomus & exemplum Petri Act. 5. 10. & Pauli Act. 13. 11. adducit. Vide Spalatensem. Habent Episcopi etiam quatenus Commissarij Regij in celsa commissione, eirenarchæ, aut simili jurisdictione civili delegata potestatẽ conjiciendi in carceres Regios & comunes.

De Repub. lib. 5. cap. 2. exm. 42.

Iurisdictio ipsa, quæ est vel voluntaria vel contentiosa.

Voluntaria est, *ad quam exercendam Episcopus à nullo pro suo interesse aut publica vindicta actore cogitur. Contentiosa est, ad lites inter Actorem & Reum dirimendas instituta.*

Muckellus p. 320.

Voluntaria stabilitur vel Statuto vel Iure municipali, vel Iure municipali & confirmatur Ecclesiastico vel Iure ecclesiastico & confirmatur iure municipali.

Statuto vt 1 Facultatem ad tempus aliquod concedere vescendi carnibus diebus alioqui vetitis, 2 Ut quis approbatus possit facere medicinam vel chirurgiam in illa diœcesi, aut pueros erudire, 3 Vnire & consolidare ecclesias minores juxta statutum in ea parte editum, 4 Assistere civilibus judicibus in exequendis aliquot statutis causas ecclesiasticas concernentibus, 5 Decimas & subsidia Principi ab ecclesiasticis cogere, idque vel pignoribus captis vel per censuras ecclesiasticas.

Nulla hîc opus explicatione: nec in refutatione multum laborandum est. De primo, quod superstitiosum, dictum est supra pag. 87. Vt quis approbatus possit exercere medicinam aut Chirurgiam ad Ecclesiam iurisdictionem non attinet. Non vni sive episcopo sive loci ordinario committenda est Pædagogorum sive Ludimagistrorũ examinatio & approbatio. Condiderunt Canonem episcopi de pædagogis sive ludimagistris quo sibi & suæ Hierarchiæ cavent. *Nemo sive in schola aliqua publica sive in privatis ædibus pueros docebit aut erudiet, nisi qui ab episcopo Diœcesano vel loci ordinario licentiam eiusdem manu & sigillo roboratam obtinuerit*; & sub finem & *denique qui primo & tertio articulis (supra memoratis) integris ac secundi duobus prioribus membris subscripserit*, nempe articulo de primatu Regio.

Can. 77. ann. 1604.

gio, de libro articulorum religionis composito anno 1562. & de libro publicæ liturgiæ, & libro ordinandi Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, Canone 79. inter Ludimagistrorum officia referunt die festivo discipulos suos ad ecclesiam adducere, catechismum vel ampliorem vel breviorem publica authoritate hactenus editum latine aut Anglicè pro captu puerorum pueros edocere. Si quis privatus officio ministerij fuerit, quod ritibus Anglicanis conformare se nolit, non potest pueros erudire, Chirurgiam aut medicinam exercere absque facultate concessa ab episcopo. Sic aditus omnes occludunt, unde periculum metuunt. Refert author petitionis ad Reginam facultatem istam non concedi ludimagistris absque pretio. Cum tamen Alexander 3 Episcopo Wintoniensi aliud præceperat. *Prohibeas, ne in Parœcia tua pro licentia docendi exigatur aliquid aut etiam promittatur. Si quid vero postea solutum fuerit vel promissum remitti promissum facias & restitui appellatione cessante solutum sciens quòd scriptum est: Gratis accepistis, gratis date.* Chassanæus in hunc titulum ait, hunc titulum esse partem tituli de simonia. *Hi enim prope ad simoniæ crimen accedunt, qui avara cupiditate ab his aliquid extorquent, qui ad scientiarum, bonorumque disciplinarum cognitionem aditum patefaciunt & muniunt quos decet potius præmijs & muneribus ad docendum invitari.* De ecclesiarum vnione diximus pag. 30. Iudices civiles non cognoscunt de causis merè ecclesiasticis nisi civiliter, non modo ecclesiastico, & proinde episcopi assistentia non opus est: & cur episcopus magis quam ex ordine presbyterorum delectus aliquis alius? Quod ad vltimum & res ipsa est ab episcopi munere aliena, & modus exigendi decimas & subsidia pignoribus captis. Per censuras ecclesiasticas exigere est censuris abuti. Huc etiam refert Mucketus, quod exigunt quandoque *à nonnullis iuramentum regij primatus, & iuramentum fidelitatis infra diœceses suas episcopales.* Item, *quod ex speciali aliqua causa iudices civiles reddunt certiores de pontificijs qui abiurata sua superstitione accedunt ad nostra sacra aut obstinatis penitus se subducunt.* Quomodo contra fiat testatur indies auctus pontificiorum numerus.

Pag. 61. Decret. lib. tit. 6.

Iure municipali vt 1 ad rescriptum regium certiores facere civiles iudices de legitimis vel illegitimis natalibus, 2 Item certificare de de legitimis vel illegitimis nuptijs. 3 Regium rescriptum requirere de hæretico pertinaci antea condemnato, comburendo. 4 Item requirere rescriptum Regium pro carceri mandando corpore illius, qui vltra 40 dies obstinato animo excommunicatus persistit.

Primum

Primum & secundum habent ex eo, quod iudicant de causis matrimonialibus, de quo postea. Tertium pars est legis illius quam tulit Henricus 4. *Per antiquas ecclesiasticas huius regni leges nemo hæreticæ pravitatis quæ crimen est læse maiestatis contra divinum Numen convinci poterat, nisi ab Archiepiscopo & universo eiusdem provinciæ clero, & inde abjuratus, & postea de integro convictus & condemnatus à clero eiusdem provinciæ in synodo generali: Sed statutum 2. Henr. 4. cap. 15. authoritatem episcopo Diœceseos hæreticos condemnandi tribuit. Quodq; ante statutum illud hæreticus seculari brachio ad concremandum committi non poterat, donec semel ab iurasset & in eandem vel aliam hæresin relapsus fuisset.* Sic vir illustris D. Edwardus Cocus in Relationum parte quinta.

fol. 23

Episcopus citabat, examinabat, iudicabat, damnabat, Magistratus vt carnifex exequebatur, imo Episcopus rescriptum regium requirebat ad comburendum antea condemnatum, & quomodo quæso hoc agere poterat absque periculo irregularitatis.

33. qu. 3. c. 23.

Perniciose se decipiunt qui existimant eos tantum homicidas esse qui manibus hominem occidunt & non potius eos, per quorum consilium & fraudē & exhortationē homines extinguuntur. Nam Iudæi Dominū nequaquam propriis manibus occiderunt sicut scriptum est. Nobis non licet interficere quenquam. Sed tamen illis mors Domini imputatur dicentes crucifige, crucifige eum.

De censuris disp. 47. sect. 2.

Swarez multum sudat, vt Inquisitores tradentes reos mortis & de crimine convictos brachio sæculari ab omni irregularitatis periculo eximat, sed frustra. *Primus omnium Thomas Arundell in Wiclevianos vivicomburio sevit*, vt refert Godwinus in commentario de præsulibus Angliæ. Fuit ille Episcopus Cantuariensis eiusdem Henrici 4. contemporaneus. Quod ad vltimum attinet, hic ordo servatur. Si excommunicatus perstiterit obstinatus 40 dies, defertur nomen ejus ad Cancellariam per episcopum.

Provin. lib. 5 tit. de senten. excom. cap. Præterea verb. Prælatorum.

Lindvodius ait, quod *ad rogatum inferiorum prælatorum Rex non consuevit scribere pro captione excommunicatorum. Unde si aliquis excommunicatus fuerit ab inferiori episcopo, vt puta Decano vel Archidiacono invocatio regiæ maiestatis fieri debet per episcopum. Nam inferiores episcopis non possunt invocare brachium sæculare, sed episcopi exequentur eorum sententias, quod si Episcopi hoc facere noluerint, compelli possunt per Archiepiscopum.* Cosinus tamen ait in Apologia ordinis procedendi in curiis ecclesiasticis, alios hanc authoritatem in quibusdam casibus habere nempe *Cancellarium Oxoniensem, custodem spiritualitatis sedis vacantis, officialem & vicarium generalem episcopi, ipso in remotis agente.*

Part. 2 pag. 8.

Oportet expresse dicatur excommunicatum fuisse excommunicatione maiori & quidem nominatim non autem indefinitè aut generaliter. Nec semper necesse est exprimi causam excommunicationis nisi in 10 criminibus quorum mentio 5. Elizab. cap. 23, at in alijs criminibus ecclesiasticis aut in causis testamentarijs, matrimonialibus, de decimis &c. sat est, si dicatur *propter suam manifestam*

festam contumaciam vel *propter suam manifestam contumaciam in non parendo certis mandatis licitis sibi factis*, vel *propter manifestas offensas suas*. Deinde obtinetur rescriptum regium ex Cancellariæ curia *De excommunicato capiendo*. Cum obtinuit Episcopus suum *Significavit*, si negligentior fuerit Vicecomes per Breve ad eandem Cancellariæ curiam citandus est. Cum significaverit Episcopus Cancellariæ excommunicationem, non potest deinceps excommunicatus esse actor aut testis in vllis Curiis civilibus aut ecclesiasticis. Captus et in carcerem coniectus non inde liberabitur, nisi prius præstita cautione pignoratitia, fidejussoria aut juratoria *de parendo mandatis Ecclesiæ in forma juris, & de satisfaciendo tam de contemptu quam de injuria Ecclesiæ illata*. Præstita cautione absolvitur excommunicatus, & mandat Episcopus vicecomiti, ut liberet è carcere. Si ab excommunicationis sententia appellaverat, eique adhæreat, è carcere etiam liberabitur. Habent ut vides vilissima illa Officialium, Cancellariorum, cōmissariorum decreta & sententiæ latæ pro rebus etiam vilissimis auxilium brachii sæcularis. In quodam veteri rescripto Regio de excommunicato capiendo habentur hæc verba quod *potestas Regia sacrosanctæ Ecclesiæ in suis querelis deesse non debet*. In alio, *Iura & libertates Ecclesiasticas illæsa volentes in omnibus observari*. Vbi originalis causa excommunicationis est delictum violans jura & libertates Ecclesiæ damno aut illata injuria, fateor implorari potest auxilium brachii sæcularis & reus cogi ad resarciendum damnum, & civilem satisfactionem, vel etiam si jam excommunicatus interturbare vellet sacra, aut violare jura & libertates Ecclesiæ. Sed vbi ex delicto vel contumacia non damnum aut injuria infertur in jura & libertates Ecclesiæ, sed solummodo scandalum oritur, nescio an ullus implorato brachii sæcularis auxilio cogendus sit ad satisfactionem quam vocant pœnitentialem. Nam ut Ecclesia in se non habet vim coactivam sic nec per obliquum uti debet ad extorquendum coactas & proinde fictas exomologeseis. Hæc salvo aliorum judicio dicta à me accipiat lector & donec meliora edoctus fuero. Dicit Cosinus hoc Rescriptum Regium de excommunicato capiendo & carceri committendo esse peculiarem Ecclesiæ Anglicanæ libertatem, non communem, quod sciat, aliis Ecclesiis. Ad caput istud de jure Municipali refert Mucketus, *ad rescriptum regium certiores facere Judices civiles non modo de legitimis ac illegitimis nuptiis & natalibus*, sed etiam *de excommunicatis & in aliis causis Ecclesiasticis, quarum aliquando in curiis civilibus est incidens cognitio, ratione temporalium causarum, quarum sunt appendices. Quædam Regis brevia à civilibus ejus curiis manantia pro beneficiis legitimè præsentato restituendis, personis Ecclesiasticis nullum habentibus sæculare feudum judicio civili quandoque sistendis exequi*.

Ibid. pag. 8

Ibid. pag. 8

Iure municipali & confirmatur Ecclesiastico ut 1 Defunctorum testamenta probari & insinuari facere 2 ab intestato decedentium bona proximo agnato vel cognato administranda concedere. 3 Bona caduca (cum nullus hæreditatem adire velit) tuto custodienda & colligenda mandare. 4 Rationes administrationis hujusmodi reddi facere, easque vel approbare vel rejicere, prout jus postulaverit.

Eadem habet Muckętus; tertium sic, *Bona caduca (cum nullus hæreditatem adire velit) mandant tuto custodienda & colligenda, donec secundum juris præscriptum distribuantur.* Causæ testamentariæ sunt natura sua civiles, abusivè tantum dicuntur Ecclesiasticæ, & proinde abusivè referuntur ad jurisdictionem ordinariam Episcoporum, cum ne delegata quidem jurisdictione res testamentarias tractare debeant. De jurisdictione civili in genere supra diximus & de causis testamentariis in specie, pag. 72.

Iure Ecclesiastico & confirmatur jure municipali ut 1 conferre beneficia ad præsentationem aliorum. 2 Institutos inducendos mandare. 3 Beneficiorum vacantium fructus sub tuto sequestro ad usum proximi successoris colligendos & custodiendos mandare. 4 Congruam portionem Vicario assignare. 5 Literas dimissorias vel testimoniales concedere. 6 Quolibet triennio Diœcesin visitare & inquirere.

Muckętus de potest. pag. 321. Inter beneficii collationem & ad illud institutionem, *hoc tantum discrimen quidam Canonum periti statuerunt; ut hæc sit concessio Ecclesiastici beneficii limitata, nempe Clerico à patrono nominato & oblato: illa libera, clerico cui ipse Episcopus voluerit.* De collatione, institutione, inductione alio loco plura dicturi sumus. *Ibidem.* *Porro ejusdem juris Ecclesiastici vi, admittunt resignationes beneficiorum, quorum vacantium fructus, sub tuto sequestro ad usum proximi successoris colligendos & custodiendos mandant;* sed verba 3 membri sunt magis generalia. Assertor politiæ Christianæ refert Episcopum eo nomine quo sibi vendicat, quod sit custos Ecclesiarum, vacante Ecclesia, statim *mittere literas sequestrationis ad sequestrandum fructus in usum proximi incumbentis, quem pro cura adhibita ad conservandum fructus in ipsius usum oportet solvere 12 plus minus asses pro literis sequestrationis, & tantundem pro literis quas dicunt Relaxationis, priusquam realem*

possessionem

possessionē obtinere poterit, & præterea 3 aut 4 denarios Apparitori in singuli milliaria. Unde fit injuria Patrono, qui statuto 25 Edw. 3, est Dominus & advocatus beneficii & proinde quā diu vacat, penes eum custodia & possessio illius esse debet. Quartum ut alia omnia sibi soli vendicat Episcopus. De portione ipsa definienda sic statuit Stephanus Cantuariensis in Concilio Cantuariensi. *Statuimus ut vicario perpetuo ad minus redditus quinque marcarum assignetur, qui scilicet pro quinque marcis solet dari ad firmam nisi forte in illis partibus Walliæ sit in quibus propter tenuitatem Ecclesiarum minori stipendio vicarii sunt contenti. Provideat quoque Diœcesanus Episcopus pensata Ecclesiæ facultate utrum vicarius onera Ecclesiastica subire debeat aut persona:* i Rector, the Parson, *an ad ea simul debeat conferre, utrique proviso tamen quod Archidiaconus loci sive ab illis aut altero eorum debeat procurari una tantum procuratione sit contentus.* In definienda igitur portione congrua Vicario pensanda sunt onera & facultates Ecclesiæ. Hæc *summa* nempe quinque marcarum, *quo ad habentes curam animarum etiam licet solum fuerint vicarii temporales videlicet presbyteri sub rectoribus vel Vicarii Parochiales limitata fuit ad sex marchas . demum vero sub Simone Sudbury Archiepiscopo Cantuariensi extensa fuit etiam quo ad tales vicarios temporales ad octo marcas vel alias ad quatuor marcas cum ciboriis, sicut de prædictis patet & legitur infra de celebrati miss. c. effrenata. Unde si in vicariis temporalibus considerata temporum qualitate hæc summa à quinque marcis ad octo marcas sit augmentata & nihilominus tali salario ipsi sacerdotes non contentantur in pluribus locis his diebus nisi decem ad minus marcas pro salario acceperint, multo magis igitur apparet quod ista summa si quinque marcarum non erit hodie sufficiens tali vicario perpetuo de quo hic loquitur maxime attentis & consideratis oneribus ei si quæ sunt incumbentibus ratione residentiæ utputa hospitalitatis &c.* Tertium igitur quod pensandum est in definienda portione congrua est temporis circumstantia. *Vicarios autem perpetuos habent Monachi vel Canonici: qui titulis vel præbendis annexas habent parochiales Ecclesias & his vicariis assignari debet pars redituum aut proventuum, nomine portionis congruentis sive* μέρους τὸν ἱκανὸν καὶ ἐπιτήδειον. De quinto sic Mucketus, *Literas Dimissorias seu testimoniales concedunt initiandis in sacris ordinibus, vel jam initiatis ad animarum curam admittendis ab alterius Diœcesis Episcopo. Si Ministri & Curati ex una Diœcesi in alteram transierint, nequaquam ad curam ullam exercendam admittentur, nisi Episcopi ejus Diœceseos unde advenerint, vel loci ordinarii litteris testimonialibus de ipsorum honesta conversatione, sufficientia, conformitate ad Ecclesiasticas regni Anglicani leges* (jam rem acu tetigit) *muniti accesserint. Hic Canon imitatur canonem 12 qui dicitur Apostolorum, Non recipiendus si, apud alium sine commendatitiis litteris receptus fuerit.* Huic enim Canoni Harmenopulus in epitome *sacro. canon. tit. 3. hoc Scholion subjicit. Commendatitiæ*

Provinc. Lindewode de officio Vicarii cap. Statuimus.

Lindewode ibidem cap. Quoniam.

Chassanæus in paratit. in decretal. tit. de officio Vicarii.

Pag 321.

 datitiæ

Provinc. tit. de Cleric. peregri. cap. Cũ quanta.

datitiæ sic dictæ quia continent testimonium sive commendationem de vita honestate & moribus ordinandorum. Hæ tamen literæ dicuntur alias formatæ de quarum forma habetur 73 distinct. per totum & has non possunt concedere inferiores Episcopis, nisi hoc habeant de consuetudine sive privilegio: & hoc æstimo verum quo ad ordines suscipiendos; secus quo ad recipiendum hujusmodi clericum ad divina in ordinibus susceptis, dum tamen ipse qui has literas commendatitias concedit notus sit & persona credibilis. Nam non solus Episcopus, sed quicunque bonus Prælatus tales literas commendatitias concedere potest. Dimissoriæ dicuntur per quas aliquis dimittitur à jurisdictione sive potestate prælati sui, & dicuntur quandoque licentiales quoniam videlicet licentia datur ad aliquid faciendum utputa ordines ab alieno Episcopo suscipiendos. Has literas ad ordines non potest concedere prælatus non exemptus inferior Episcopo, nisi sibi hoc competeret de consuetudine præscripta. Chassanæus ait constitutum pridem clericos qui de suis civitatibus quacunque de causa proficiscuntur Episcoporum literis debere muniri, neque alias recipi posse ab extraneis Episcopis. Hæ literæ Græcis dictæ *γράμματα συστατικὰ* quia conciliant animum ejus ad quem scribuntur, Latinis commendatitiæ item formatæ & dimissoriæ. Has tamen à commendatitiis aliqua ratione dicit separare Cujacium. Ordinem ipsum probamus, sed quod ab Episcopo pendeat, & illius stet cadatve arbitrio, damnamus; qua autem fide dignæ sint eorum literæ dimissoriales, norunt Ecclesiæ Anglicanæ. De membro sexto statim videbimus. Addit Mucketus, *Dant licentiam collocandi sedile in Ecclesia, diruendæ veteris fabricæ Ecclesiæ & novæ extruendæ, ex humandi cadaver & alio transferendi: assignant Rectori Ecclesiæ morbo ita impedito, ut muneri suo superesse non possit, coadjutorem ad explendum ejus officium.* Solus omnia.

In titulum de Clericis peregrinis.

De polit. pag. 321.

Pars præcipua voluntariæ jurisdictionis est quolibet triennio Diœcesin visitare & inquirere per Oeconomos aut per testes Synodales de excessibus & defectibus vel ipsius ministri vel Oeconomorum ipsorum, vel reliquorum Parochianorum.

Ipsius Ministri quatenus minister, aut quilibet alius. Quatenus minister vel respectu publicæ suæ functionis idque vel committendo quod non oportuit, vel omittendo quod debuit, vel respectu vitæ privatæ, quia plurima tolerantur in laicis quæ ministros dedecent.

Occo-

Oeconomorum ipſorum idque ſecundum eorum munus vel in Eccleſia ſive templo vel extra.

Reliquorum Parochianorum, vel quatenus erga peculiarem habentes aliquam functionem vel quatenus erga alios quoſlibet Chriſtianos delinquentes.

Quatenus erga peculiarem habentes aliquam functionem, ut medicos, chirurgos, ludimagiſtros, Obſtetrices, idque ſi exerceant vel non probati vel adminiſtrent Sortilegium, aut aliquid ſuperſtitioſum, Hoſpitalium cuſtodes, ubi ex ipſorum fundatione vel ipſe Epiſcopus viſitator ſtatuitur aut nullus alius omnino.

Quatenus erga alios quoſlibet Chriſtianos delinquentes, in cauſis vel contra pietatem, Iuſtitiam, aut Sobrietatem.

Contra pietatem, qualis eſt Blaſphemia in ipſum Deum Contumelioſi, aut Iurantis per Nomen Dei temere veluti non in judicio, juſtitia, veritate, Per alia quam per nomen ipſius idque vel per creaturas, Idola aut fictitia quævis; aut blaſphemia in ſacram ſcripturam, idque vel authoritatem ejus minuendo vel profanè eam uſurpando: Idololatria, Superſtitio, Sortilegium modo hujuſmodi ſit quod legibus civilibus regni vel non omnino coerceatur, vel ipſarum legum diſpoſitione Eccleſiaſticis cenſuris etiam ſubjicitur, Læſio fidei coram Eccleſiaſtico judice, privato alicui voluntarie præſtitæ, Hæreſis, Error contra articulos religionis editos in naturali Synodo habita 1562 & regia authoritate confirmatos, Schiſma, Conventicula illicita, Abſentia a divinis in propria parochia celebratis diebus dominicis, feſtis, ubi legitimum non ſubeſt impedimentum, Abſentia illegitima a ſacræ coenæ perceptione, quæ ter

quotannis ad minimum percipienda pręcipitur.

Contra justitiam qualis est circa causam aliquam Ecclesiasticam calumnia, contumelia, convitium, Simoniacus ambitus vel in consequendo sacro Ordine sive gradu aut Beneficio, Usura vltra ratam 10 in centenis per annum, Temeraria administratio bonorum defuncti, subornatio perjurij, Falsum circa aliquem actum Ecclesiasticum commissum, Contemptus erga ministrum, Detentio Legatorum ad vsum vel pauperum vel quemlibet alium pium destinatorum aut bonorum debitorum ad publicos vsus Ecclesię, Administrationis rationem non referre, Dilapidationes Ecclesiasticorum Bonorum edificiorum.

Contra sobrietatem qualis est Incontinentia quęvis, Eaque est vel incestus cum consanguinea aut affini intra quartum gradum exclusive sive juxta iuris civilis computationem vel Adulterium tam secundum jus civile cum aliena vxor violatur quam canonicum vbi maritus etiam cum soluta mœchatur, vel Stuprum cum vidua corrumpitur, vel Fornicatio, cum solutus solutam violat, Spurci sermones, Sollicitatio alienæ pudicitię, Ebrietas, Matrimonium clandestinum vel ratione Consensus Parentum vel Tutorum non adhibiti aut loci privati, aut Testium vltra duos non adhibitorum, aut Trinundinæ denunciationis, sive Bannorum editionis non adhibitæ per tres dies vtiles videlicet Dominicales vel festos alios.

Addam ex Mucketo plura capita de quibus inquiritur, alia etiam pleniora et planiora ex eodem dabo. Exploratio de excessibus et defectibus ministrorum verbi est, *an iugiter & sincere evangelium contionentur, religiose & reverenter administrent sacramenta,* dixisset superstitiose, *inventutem & rudiorem plebem in Catechismo instruant,* quod

quod ratum nisi præparando ad confirmationem episcopalem, *ægrotantes sedulò visitent*, more quem infra videbimus, *vitam piè & sobriè instituant*, scilicet, *vestimentis gravitati suæ consentaneis induantur & reliqua faciant ab ecclesiæ canonibus præscripta*, de quibus suis locis videmus. *De delictis Oeconomorum vtrum invigilent, vt omnes parochiani ecclesias suas diebus dominicis debitè frequentent, ædes sacræ absq; sordibus ab æditius ceu ostiarijs mundè conserventur, pecuniarum à se in ecclesiæ vsum expensarum rationem fideliter reddant, in mores hominum inquirant & scandalosos ordinario bis in anno denuntient, ac alia sua munera sincere peragant. De delictis ludimagistrorum an suos discipulos catechismum publica authoritate hunc in finem Latinè & Anglicè impressum edoceant, ad ecclesiam sacro quolibet & festivo die adducant, curent vt ibi se quiete & modeste gerant, quid ex concione quoties haberi contigerit didicerint, prælegant suis discipulis aliam grammaticam quam quæ publica authoritate fuerit approbata. Posterior inquisitio de erratis quorum libet Christianorum est. Et primo an delinquant in pietatem per blasphemiam, quæ est in ipsum Deum & sacram scripturam vel Dei sanctos convitium aut maledictum, temeraria iuramenta, &c. idololatriam concedentem creaturæ honorem debitum creatori, superstitionem tribuentem certis rebus & verborum aut gestuum observationibus effectus qui neque rationibus physicis aut politicis neque Dei verbo nituntur: an per sortilegium, divinationes, incantationes, veneficia legibus regni civilibus non coercita; Sepultorum in sacratis locis exhumationes, aut ipsorum sepulchrorum violationes: periurium sive læsionem fidei coram iudice ecclesiastico, vel privato alicui in causis ecclesiasticis præstitæ an per hæresin, &c. schismata aut conventicula illicita ad schismata tendentia, absentiam, &c. an per contemptum baptismi, quem Miscreancie appellamus, dilationem baptismi in articulo mortis; contemptum confirmationis episcopalis; sacrilegium quando non est felonia, negligentiam (si patres aut matresfamilias sint) in non mittendis liberis & famulis suis diebus dominicis & festis, vt à ministris in Catechismo erudiantur donec eundem perdidicerint; contemptum & desidiam, si liberi & famuli à patribus & matribus-familias missi ad ecclesiam vt illic catechizentur, tempore constituto non compareant: an per incuriam in non subserviendo clara voce ministro confessionem orationem dominicam, & symbolum (corpore tunc erecto) recitanti, in non subiiciendo responsa quæ in libro communium precum præcipiuntur, non inclinando genua quando confessio, litania, & reliquæ preces recitantur, nomen Domini Iesu quoties inter divina inciderit, non congrua & humili reverentia excipiendo, in capite quando divina celebrantur, contegendo, nisi ex infirmitatis causa contegatur pileolo aut rica; an per immodestos gestus in templo, obambulationes, pulsitiones campanarum, risum, garritum, quemvis strepitum tempore divini cultus eum quoquo modo perturbantem; demum quascunq; in alijs rebus tunc temporis occupationes quam in verbo diligenter audiendo, &*

precibus

precibus devote effundendis: an per venditionem edulierum à cauponibus & tabernarijs, & quorumvis ab illis receptionem in suas caupenas & tabernas: otiosas ambulationes in cæmiterijs & porticibus ecclesiarum quando sacra fiunt; temerariam & otiosam ratiocinationem de scripturis & rebus sacris; profanationem dierum sacrorum & dominicarum in publicis nundinis & mercatibus celebrandis, servilibus & manualibus operibus faciendis, officinis venditioni & emptioni destinatis aperiendis: an per convitia aut contumelias in regimen ecclesiasticum, liturgiam, ritus sacros, formam ordinandi in Ecclesia Anglicana; communem vitæ vsum & consuetudinem cum excommunicatis dum in vivis sunt; & præsentiam in cohonestanda eorum cum mortui fuerint sepultura. Denique an per prophanationem rerum divinis vsibus dicatarum vt sacri calicis, suggesti, patinæ, mensæ eucharisticæ, baptisterij, & in particulari per prophanationem templi aut cœmiterij, quæ fit pugnis, rixis, lictorum violentijs (quas vulgo dicimus Arrests) ludis scenicis, spectaculis, convivijs, tripudiis, lusitationibus militum, mercium venditionibus, & alijs negotijs sæcularibus. Secundo inquisitio fit an delinquant in justitiam per calumniam seu mendacem infamationem, fœnerationem, contumeliam qua malum culpæ, convitium quo malum pœnæ alicui objicitur in causa aliqua Ecclesiastica, an per Simoniacum ambitum, & in eo intercessum ad sacrum ordinem vel beneficium consequendum; temerariam administrationem bonorum defuncti, perjurium in spiritualibus causis & curiis Ecclesiasticis, subornationem perjurii in eisdem, crimen falsi circa aliquem actum Ecclesiasticum (vt in literis vt loquuntur testimonialibus, & sacrarum ordinationum & institutionum instrumentis) commissum, an per contemptum erga verbi ministrum, violentas manus ei injiciendo, quibuscunque calumniis, contumeliis, & convitiis eum impetendo, fotum dissidiorum inter maritum & vxorem, patrem & filium aut quosvis alios, detentionem legatorum ad vsum pauperum, vel quemlibet alium pium vsum destinatorum aut detentionem bonorum ad publicos vsus Ecclesiæ destinatorum, dilapidationem Ecclesiasticorum bonorum & ædificiorum, defectum vtensilium in Ecclesia vt librorum sacrorum, baptisterii, mensæ sacræ, tapetis sericæ vel alterius materiæ decoræ pro ea contegenda, cistæ ad eleemosynarum custodiam, pulpiti &c. denique an per defectum commodi nitoris & ornatus in his omnibus quæ parochianorum expensis sunt comparanda. Tertio quæritur an delinquunt in sobrietatem per incestum cum consanguinea vel affini infra gradus Levit. 17. prohibitos, adulterium &c. spurcos sermones, cantilenas rithmos à musicis vel aliis recitatos, lenocinium & sollicitationem alienæ pudicitiæ, ebritatem; an per matrimonium initum ante ætatem Ecclesiæ canonibus constitutam, nempe quando mas est infra annum 14 fœmina 12 & priusquam contrahentes rudimenta religionis didicerint, matrimonium clandestinum vel ratione consensus parentum aut tutorū non adhibiti, testium vltra duos non adhibitorum, trinundinæ denunciationis non adhibitæ per tres dies Domini-

cales vel festos, temporis & loci si non in parochiali Ecclesiæ inconspectu congregationis, inter horas octavam & duodecimam solennizetur, Possent & plura enumerari quæ habentur in articulis, de quibus inquirebatur in Diœcesi Glocestrensi & Bristoliensi anno 1594 Londinensi anno 1589 & anno 1601 Wintoniensi anno 1603. Sciendum est primum non omnia delicta canonica supra enumerata esse aut in articulis illis. Sunt multo plura, quæ ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectant, ut furtum, homicidium, Sodomia, polygamia &c. Nam licet de iis judicet Magistratus, nihil prohibet Ecclesiam etiam suo fungi officio præsertim cessante aut remittente Magistratu. Nam quandiu magistratus non procedit ad pœnam mortis, exilii, relegationis, aut similem pœnam quæ impediat reum, ne coram senatu Ecclesiastico compareat, debet reus censuris Ecclesiasticis castigari, & ad veram resipiscentiam, si fieri possit, revocari. Idem delictum potest esse utriusque fori, civilis nempe & Ecclesiastici objectum, nec tamen unum detrahet jurisdictioni alterius. Etsi fur in foro civili cogatur ad restituendum quadruplum non tamen absque explorata resipiscentia admittendus ad sacramentorum perceptionem, sed ejiciendus donec resipuerit, ne Ecclesia fiat spelunca furum & latronum. Distinctio delictorũ in Ecclesiastica & Laica efficit, etiam ut negligentiores sint magistratus in castigandis quibusdam criminibus, quæ lege divina capitalia esse debebant, ut adulterii, incantationum &c. Enumerantur hîc quædam delicta de quibus raro aut nunquam formantur articuli ad œconomorum informationẽ, & ostenditur in supra dictis potius quod sint hæc omnia Ecclesiæ jurisdictioni subjecta, quàm quod de iis omnibus inquirant in visitationibus suis Episcopi. Plures aut pauciores pro ipsorum arbitrio formantur articuli de delictis, quæ ab œcconomis & testibus Synodalibus detegenda sunt & denuncianda, prout patet ex collatione articulorum in visitatione diœcesis Glocestrensis, Londinensis, Wintoniensis, quorum supra memini. Articulos formant plerosque de delictis contra canones de cõformitate, ut detegant & denuntient, si minister celebraverit sacram cœnam absque genuflexione, baptizaverit absque signo crucis, mutet aut omittat quid in libro precum publicarum, dum celebrat divina, num recitarit litaniam diebus Mercurii & Veneris, num inter liturgiæ publicæ celebrationem Superpelliciis utantur, num diebus Dominicis tempore divinorum festos, vigilias, dies carnisprivıales in sequentem septimanam incidentes populo denunciarit, num excommunicatos aut absolutos in ipsorum curiis denunciarit, num in publicis precibus memoret omnes titulos principis. Num admiserit ad sacram cœnam excommunicatum immeritò in ipsorum curiis, num precetur pro Archiepiscopis &

episcopis, num Rogationum diebus peragraverit limites Parœciæ & cantaverit Psalmos 103 & 104 cum suffragiis, letania, & homilia præscriptis in hunc usum de quibus omnibus & plerisque aliis videbimus infra in officio Presbyterorum & Diaconorum. Item si ex populo aliquis diebus Dominicis relicta parœcia ubi est mutus & miser Curio profectus fuerit in aliam parœciam auditurus concionatorem, si non subservierit clara voce ministro confessionem, orationem Dominicam, & symbolum (corpore tunc erecto) recitanti, non subjiciendo responsa quæ in libro communium precum præcipiuntur, si non inclinarit genua, quando confessio, litania, & reliquæ preces recensentur, si nomen Domini Iesu, quoties inter divina inciderit, non congrua & humili reverentia exceperit, si dies festos operibus manualibus & servilibus aut apertis tabernis prophanarit, an prophanarit cœmiterium, an convitia aut contumelias effutiverit in regimen ecclesiasticum, liturgiam, ritus sacros, formam ordinandi in Ecclesia Anglicana, an ineat societatem cum excommunicatis in ipsorum curiis, an non communicarit geniculans. Denique in quacunque re se læsos fore existimant, aut Hierarchiæ suæ dignitatem imminui, de ea diligenter inquiri volunt. Adulterij, & incestus, aut scortationis & similium delictorum reos etiam, fateor, detegendos curant, & quidem seriò, non tamen sincere, nempe vt citentur, & res clam transigatur adhibita quandoque *pro forma purgatione canonica, aut commutata pœnitentia, nam ad publicam & solennem pœnitentiam rarò adiguntur. Quod ad blasphemiam in Deum, in scripturam, prophanationem sabbathi, simoniam, & alia multa, dicis causa tantum supra enumerata sunt. *Graviora peccata vel omnino non castigantur, vt blasphemia, vsura, ebrietas, &c. vel leviusculè ut puta lodice lanea aut linteo velamine vt adulterium, scortatio & quæ non sunt vera delicta, vt si quis non fuerit conformis ritibus pontificijs, si non comparuerit ad sibilum cancellarij officialis & id genus hominum, qui nullam habent citandi authoritatem, severiùs coerceretur, non solum excommunicatione, suspensione, deprivatione, atque alijs spiritualibus, quas dicunt coercitionibus sed etiam exilio, carcere, opprobrijs, dicterijs, &c* Vbi magis grassatur simonia, vbi magis execrandæ blasphemi in Deum, vbi maior prophanatio scripturarum quàm etiam in concionibus publicis formalistarum, præsertim in Aula. Et episcopis cordi aut curæ est scilicet sanctificatio diei dominicæ, *qui cum in strictiorem illius observationem, vterque Senatus parlamenti superior & inferior consensisset 27 Elizabethæ, reluctatum est à nullis magis quam Episcopis qui etiam authores fuerunt, ne Regina legem de ea re ferret.* Possem addere & recentiora de eadem re exempla. Si singula quæ supra enumerata sunt percurrerem, videret lector non aliter hîc recenseri delicta, quam apud Canonistas & Summistas pôtificios vbi plenior.

Admonit. ad Parl.

Assertor politiæ ecclesiast. verè Christianæ p. 187.

plenior est enumeratio, ad ostentationẽ nempe, & fucũ. Duo sunt genera delictorum quæ non negligunt, nempe quæ Hierarchiam lædunt, aut reliquias papatus violant vel quæ lucrum sibi & curijs suis afferunt. *Sed cum hæc constitutio*, inquit Lindvodius, *nihil lucri temporalis importare valeat in bursis prælatorum, pauci sunt vel nulli qui eam exequantur, cum tamen & communiter prælati circa observantiam illarum constitutionum multum invigilent, quarum prætextu pœnæ aliquæ pecuniariæ à subditis levari possunt, prout alias notatur in constitutione Othoni, &c.* In indice sic habet, *Vigilare non curant prælati quamplures, vt observentur statuta nullam vtilitatem bursalem inducentia.* Provin. l. 3. tit. de vita & hon. stat. cleric. ca. Vt clerici alis verbi vigilanter.

D. Genevensium disciplina contra testimonium præbet Bodinus in Methodo histor. *Quorum illud*, inquit, *laudabile est, si quid vspiam gentium, quodq́ rempublicam efficit, si non opibus & imperij magnitudine, certe virtute ac pietate florentem: illa nempe Pontificum censura, qua nihil maius aut divinius cogitari potuit ad coercendas hominum cupiditates, & ea vitia quæ legibus humanis & judicijs emendari nullo modo possunt. Hæc tamen coercitio ad Christi normam dirigitur, latenter primum & amicè deinde paulò acerbius, tunc nisi pareas sequitur interdictio sacrorum gravis & efficax, interdictionem animadversio Magistratus. Ita fit vt quæ legibus nusquam vindicantur, illic sine vi ac tumultu coerceantur. Igitur nulla meretricia, nullæ ebrietates, nullæ saltationes, nulli mendici, nulli otiosi in illa civitate reperiuntur.*

Hactenus vidimus capita de quibus iuxta Canones suos visitatores episcopi in triennalibus Diœceseon suarum visitationibus instituunt explorationem, jam videndum quo ordine progrediuntur, vt illa si fuerint contra Canones perpetrata, detegunt aut quibus medijs exquirunt. *Primum Episcopus per sua scripta significat omnibus verbi Ministris, Oeconomis, testibus Synodalibus trium vel quatuor decanatuum (tota enim Diœcesis plures Decanatus complectens adeo ampla est vt omnes omnium Decanatuum ministri, oeconomi, synodales testes commodè vno loco & simul interesse nequeant) vt statuto die & hora in aliqua primaria horum Decanatuum ecclesia compareant. Cum autem tempore & loco indictis episcopus cum suo cancellario seu Vicario & Archidiacono suo assistentibus ac reliqui ad comparendũ moniti convenerint post effusas apud Deum preces, & concionem ab ipso Episcopo aut exercitato aliquo Theologo habitam*, qualis formalista ille qui in visitatione quadam Dunelmensis Diœceseos, dixerat Papam esse legitimum Petri successorem, &c. *de mutuis pastoris in gregem & gregis in pastorem officijs omnes coram episcopo in eminentiori ecclesiæ parte sedenti se sistunt. Tum Episcopus brevi commemorat Oeconomis & testibus Synodalibus quinam sint præcipui defectus & quæ crimina quibus detegendis debent sedulò & fideliter operam suam navare, quam arctum sit coram Deo conscientiæ vinculum, solenne illud juramentum quo sacro codice manu apprehenso & ore deosculato sancte spondent se tanquam Deum con-* Muket. de pol. p. 325.

tinuè præ oculis habentes absque odio, favore, spe, metu, omnique pravo affectu cum ardenti zelo ad promovendum pietatem, (dixisset ad explendam sitim curiæ) *& impietatem extirpandam*, dixisset sinceritatem & puritatem religionis exterminandam, *omnes infra suas parœcias delictorum supra enumeratorum*, non nisi in articulis ipsis oblatis digestorum, *aut facti evidentiâ, vel probabilibus indicijs, & vehementi suspi ione aut publica fama reos Ordinario suo detecturos & denuntiaturos.* Iuratos habent Corycæos & exploratores Oeconomos & testes Synodales, vt duo illa delictorum genera de quibus supra dixi per eos exquirant, sæpissimè tamen perjuros, vt fatetur ipse Mucketus cum ait Presbyteros ab Eucharistæ perceptione repellere debere
P.344. donec resipuerint, *Oeconomos & testes Synodales in criminibus Ordinario retegendis nefariè perjurios.* Ordinariorum appellatione comprehenduntur non modo Episcopi, sed etiam alij inferiores prælati, ceu quilibet habens jurisdictionem ordinariam. Pergo. *Deinde alloquitur verbi ministros vt cum Oeconomis & testibus synodalibus in criminibus retegendis operas suas velint communicare, & si hi in suo officio præstando præ timore potentium aut incuria fuerint remissiores ipsi illa deferant castiganda.* Poscit opem & subsidiariam operam ministri ad denuncianda sed non ad castiganda delicta; imo præcipua denunciationum cura incumbit Oeconomis & testibus Synodalibus non ministro, qui, sicut illi, non adstringitur juramenti vinculo: imo sæpius œconomi ipsius ministri delicta contra impios & impuros ipsorum canones & ritus denunciant. Hortatur præterea & monet ministros vt officio suo fideliter fungantur, ignaros instruendo, immorigeros redarguendo, hortando segnes, reducendo errantes, confirmando infirmos, consolando afflictos, &c. Cum tamen eorum plerique ad hæc munera tam apti sint quam bos ad volandum, miseri Curiones qui vix intelligunt quæ legunt ex præscripta liturgia. *Atque his, ita summa* affectata, & vix quidem affectata *cum pietate & gravitate peractis & certo die præstituto, quo verbi ministri, œconomi, testes synodales, suas delictorũ detectiones episcopo vel eius vicario monentur deferre, solvitur hic sacer* (quia auri sacra fames) *consessus. Postquam autem tempore designato delinquentium nomina & habitationes secundum juris formulas Episcopo delatæ fuerint illos accersit & quorum erratorum accusantur indicat. Quæ si agnoscantur & leviora sunt, delinquentes ab eo animo sedato* (qui nunquam commotus) *& ex charitatis* in seipsum magis quam errantem *affectu tantum increpantur, redarguuntur, admonentur* quasi per ludum & iocum *vt resipiscant & in posterum fiant cautiores* si non castiores: *sin graviora sint* prout *ipsi* eorumque cancellarij gravitatem pensant, *nec agnoscantur, exigit ab accusatis si fide digni & verisimile est eos non pejuraturos*, si non transegerint cum Episcopo aut Cancellario, *vt suam innocentiam præstituto iuramento testentur. Quod si interposito juramento*

ramento

ramento quidpiam asserere vel negare recusaverint, & ad hoc faciendum trinis vicibus solenniter rogati pervicaces perstiterint, sua taciturnitate tanquam propria confessione rei pronunciantur. Et tametsi juramento obstricti intentatum sibi crimen repulerint, tamen non dimittuntur insontes priusquam sustinuerint canonicam sui purgationem. Purgatio Canonica introducta est ad abolendam purgationem vulgarem. Purgatio vulgaris dicta, quæ fiebat per duellum, per candens ferrum & iudiciũ aquæ frigidæ vel ferventis, quæ quia passim recepta erat, vulgaris dicta est, Canonicæ purgationis ordinem sic describit Mucketus. *Episcopus seu ejus Vicarius imperat reo ab Oeconomis denunciato, ut ad purgandum se à crimine sibi objecto die statuto ad Iudicij locum redeat & secum afferat compurgatores quatuor, sex vel octo, secundum judicis arbitrium pro loci distantia & delicti aut personæ qualitate eorum numerum æstimantis, spectatæ probitatis viros sibi vicinos, suamque vitam exploratam habentes, qui illum ab hoc delicto immunem esse juramento suo confirmeant. Interea Episcopus ministro Parochiæ, cujus reus est incola, præcipit, ut per sex ad minimum dies ante tempus purgationi destinatum, hoc suum mandatum publicè in Ecclesia, dum sacra celebrantur, notum faciat omnibus suis parochianis, indicans iis tum compurgatorum, tum rei nomina, diemque purgationis, ut si aliqui sint contra hunc exceptiones prolaturi, illas Episcopo ejusve Vicario, tempore constituto, exhibeant. Tandem cum compurgatores unà cum reo comparuerint & iis Oeconomorũ detectiones cum singulis illarũ circumstantiis clarè fuerint patefactæ, & reus forti animo & constanti Juramentum veritatis præstiterit se non commisisse crimen sibi intentatum, compurgatores etiam juramentum credulitatis apposuerint, quod conscientia sua persuasissimum habeant, eum verum jurasse, subinde habetur insons. Verum si reus nullos compurgatores queat comparare, aut duntaxat legitimis exceptionibus expositos, sententia judicis reus decernitur, & ad tempus, si crimen ejus fuerit publicũ totamq; Ecclesiã offenderit excõmunicatur, eique per excõmunicationẽ humiliato (ut Ecclesiæ satisfiat & palam constet illum resipuisse) infligitur publica pœnitentia, quæ cum magis fuerit solennis his ritibus peragitur.* v. de supra ritus solennis pœnitentiæ. Obtinuit olim, ut ait Ivo Episcopus Carnotensis epist. 206 ut fieret purgatio Canonica ejus tantum juramento, qui pravæ alicujus suspicionis macula laboraret. Postea illud in usũ cœpit esse, ut & compurgatores eidem adhiberentur, qui jurati testimonium dicerent de innocentia rei & exceptiones ejus affirmarent, Id fieri dicitur adsumpta manu tertia, quarta vel septima ordinis sui, id est, ut qui ad purgationem cum reo admittuntur, ejusdem gradus sint, ordinis, & conditionis. *Manus vero mentio fit* [illegible] *quia tactis sacrosanctis Evangeliis, quasi manu juratur.* Quando reus purgationem Canonicam sustinere velit quales sibi comparet compurgatores vidimus supra in Barroi testimonio. Sed

De politia pag. 327.

Chass. in. pa-ratit. in de-cret. l. 5. tit. 34.

de purgatione Canonica dicendi occasio recurret prope finem capitis.

Episcopi Anglicani non visitant singulas Ecclesias particulares seu parœcias, sed ut supra dixit Muckecus, convocatis trium aut quatuor decanatum Oeconomis, testibus synodalibus, & ministris generali in delicta inquisitione utitur, & quidem singulis tantum trienniis. At Episcopi Gallicani visitant singulas quotannis. *Præcipuum hoc Episcopalis officii munus est, vultum pecoris sui agnoscere, & super greges suos considerare. Quotannis itaque singulas & sibi subditas & alias etiam exemptas, quarum visitatio facultate sibi à sacris Canonibus concessa, eorum curæ incumbit, Ecclesias Episcopi visitent. Quæ anno perfici non poterit, in sequentem visitatio prorogetur.* Sic decretum in Concilio Tholosano anno 1590. In Burdegalensi anno 1582 decretum. *Quod si eam totam propter ejus latitudinem peragrare non possint, saltem majorem ejus partem lustrare curent, ita tamen vt biennio compleatur.* Idem Decretum in Concilio Rhem. anno 1583. In Concil. Trident. sess. 24. c. 3. de reform. ut quotannis visitent & intra biennium sui diœceseos visitationem absolvant. Præterea Episcopi licet opima habeant beneficia, & amplos reditus, quibus sustinere possunt onera sui muneris, tamen visitationibus annexum habent salarium quoddam, quod procurationem vocant, quia scilicet, *Nemo tenetur beneficium facere de proprio vel propriis stipendiis militare.* Sic milites isti mercenarii stipendio plusquam liberali conducti non militabunt, nisi numerato pro singulis fere militiæ actibus stipendio. Primum quidem institutum est, vt visitatori ejusque comitibus annonæ, cibaria & pabulum jumentorum præberentur ab Ecclesia quam visitabat procurationis nomine die illo quo visitabat, & canonibus cautum est ne graviori essent oneri Ecclesiis eas obeundo. *Grave nimis esse dignoscitur, quod quidam prælatorum ita in procurationibus graves existant, vt interdum Ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora consumat. Quocirca statuimus, quod Archiepiscopi parœcias visitantes, pro diversitate provinciarum & facultatibus Ecclesiarum 40 vel 50 evectionum numerum, Episcopi autem 20 vel 30, cardinales 25 nunquam excedant, Archidiaconi vero 5 vel 7, Decani constituti sub Episcopis duobus equis contenti existant. Nec cum canibus venatoriis & avibus procedant, sed ita procedant, vt non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere videantur. Nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè & competenter illis fuerit ministratum.* Sic decretum in Concilio Lateranensi. In Concilio Tholosano anno 1590 decretum in hunc modum. *Episcopi in visitatione sint modesto equitatu, famulatuque contenti. Qui plures quam qui pro dignitate Episcopi sufficiunt, equos hominesve secum duxerint, eos illi propriis sumptibus alant. Duo tantum mensæ fercula etiam jubeant apponi. Inferiorem*

Bochelli Decret. Eccles. Gallic. Pag. 864.

Pag 853.

Decret li. 3. tit. 39. cap. Cum Apost.

Bochellus Pag. 864.

ſeriorum viſitatorum comitatum, pro temporum, locorum, perſonarumque ratione definiant. Poſtea pleriſque locis cibariorum & annonæ vice data pecunia procurationis nomine. *Fælicis recordationis Gregorius papa 10 prædeceſſor noſter*, inquit Bonifacius 8 *prohibuit in Concilio Lugdunenſi, ne aliqui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam præſumerent, vel etiam recipere à volente. Verum quoniam rerum experientia nos inſtruxit ex tam perſonis viſitantibus quam locis Eccleſiis viſitatis multa incommodorum diſpendia provenire, concedimus vt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii quibus ex officio competit viſitare, à volentibus Eccleſiarum & locorum viſitatorum rectoribus ceu perſonis pecuniam licitè recipere valeant pro ſumptibus moderatis faciendis in victualibus diebus quibus viſitationes perſonaliter exercebunt: adjicientes quod non liceat viſitanti, niſi vnam procurationem recipere vna die, ſive vnum locum viſitaverit ſive plura, etiamſi locus quilibet viſitatus ab illo ſufficeret ad procurationem integram perſolvendam, cum eidem ſufficere debeat, vt temporalia metat à locis perſonaliter viſitatis pro diebus quibus eis ſpiritualia ſubminiſtrat.* Decret. li. 3. tit 20. cap. 3 *Ratio autem*, inquit Linduodius, *quare viſitans plures Eccleſias vno die non recipiet niſi vnam procurationē eſt, quia viſitatio eſt principale procuratio acceſſoriū ſ leo viſitationi vnius diei nō debet accedere procuratio pluriū, nec convenit, quod acceſſoriū ſit majus ſuo principali.* Provinc. lib. 3. tit de cenſib cap. quāvis ve.6. Epiſcopi Anglicani plures imo circiter quadraginta Eccleſias viſitant uno die, uno loco, & tamen non unius, ſed omnium & ſingularum procurationes exigunt. Canones. *In Anglia communis vſus habet*, inquit Liuduodius, *vt nomine procurationis Archidiaconus recipiat in pecunia 7 ſolidos & 6 denarios, hoc eſt pro ſeipſo & equo ſuo 18 denarios, & pro qualibet alia evectione cum ſuo ſeſſore 12 denarios, vbi vero conſuctudo ſummam procurationis non limitat, recurrendum eſt ad ea quæ habentur in extrauaganti Benedicti quæ incipit Vas electionis.* Ibidem. Piaceſius in praxi Epiſcopali ait, quod *munera qualiacunque, & quomodocunque illa offerantur, recipere non poteſt, ne quidem comeſtibilia, vt ſecum aſportet. Neque Cancellarius, auditor, vel notarius Epiſcopi recipere quicquam poteſt à viſitatis pro ſcriptura proceſſus viſitationis. Neque tenentur viſitati præſtare vecturas equorum neque ferraturas pro equis viſitatoris. Procurationem tamen ſive alimenta illius diei quo viſitat pro ipſo & ſuo comitatu viſitati providere obligentur. Non epulæ autem ſumptuoſe, ſed victus frugalis pro temporis neceſſitate quo viſitatio expeditur, & non amplius dari debet. Et non niſi pro moderato comitatu qui viginti vel triginta evectiones excedere non debet. Et quidem hic numerus comitatus in locis abundantibus reditibus ſuſtineri poſſet, aliæ autem Eccleſiæ pauperes quæ tanto numero ſuſtentando ſufficere non poſſent, vltra ſuas vires gravari non debent cap. Illud te 10 queſt. 3 ſed ſi una non ſufficiat ad ſuſtentationem duæ vel tres vel etiam plures vnam procurationem componant cap. Procurationes, De cenſibus Liberum eſt etiam viſitatis, ſi velint pecunia redimere procurationem. Viſitator tene-*
Part. 2. cap 3 p. 255 256

tur

De polit.l. 3.cap.12. *tur recipere in ea specie quæ oblata cap. Fœlicis de Censibus.*

Visitationum vtilitatem & necessitatem pene incredibilem cum Zeppero agnoscimus, & gradus illos qui Synodorum vel conventuum gradibus respondent, domesticas per consistorium eiusve deputatos visitatores, consistorij per classes eorumve deputatos, Classium per Synodum particularem seu provincialem eiusve deputatos, Synodi particularis per nationalem eiusve deputatos, modo ne pauci deputati vltra inquisitionem excessuum & defectuum procedant ad correctionem & censuras, sed renuntient deputantibus. Nam illud esset emittere temporarios quosdam episcopos. Sed in Ecclesia Anglicana nulla talis conventuum subordinatio & proinde nec quæ ei respondeat visitationum Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi hanc omnem potestatem sibi vendicant. Non visitant singulas ecclesias prout secundum veteres canones debent nisi necessitatis coegerit duas tresve aut plures vnà vel duo die visitare, sed 40 vno die vno loco per Oeconomos & testes Synodales. Non singulis annis, sed singulis triennijs, non vt inquirant tantum & referant ad senatum ecclesiasticum, sed vt ipsi corrigant per se aut suos officiales: nec tam vt corrigant quam vt varijs artibus nummos corrodant, proinde, vt audio, apud Anglos vsurpatur istud dicterium in visitantem, venit episcopus ad comparandum sibi aurum. *Quis mihi det vt videam ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis quando Apostoli laxabant retia in capturam non auri sed animarum*, dicit alicubi Bernardus De considerat. ad Eugenium. Denique non est necesse vt per se visitent, possunt per alios. *Vt quod quidam ait, A bove majori discat arare minor, Minores non tantum Episcopi sed & Archidiaconi, eorumq; male officiosi (absit verbo invidia, non de malis loquor, quæ plurima turba est, non de bonis quorum vtinam maior esset multitudo) eorum inquam Officiales & Vicarij plerunque, dum diœceses & parœcias obequitant, non tam facinorosos & criminum reos pœnis & correctionibus à vitijs deterrent, quo fine peregrinationes huiusmodi olim fuerunt iure Canonico ordinatæ quam pecunia præsenti & numerata titulo procurationis, ne dicam fictitiæ jurisdictionis emungunt, & exigunt tum clericos tum laicos*, inquit Espencæus in Epist. ad Titum. Visitantium retia declinare non possunt Ludimagistri. Oportet omnes singulis visitationibus ostendere facultatem concessam erudiendi pueros; & licet nihil inerit vitij, oportet novo salario redimere, *Inspeximus* illud ceu *approbamus*.

Hæ sunt publicæ & magis generales per totam diœcesin inquisitiones, sunt, & *Episcopales* in Ecclesia Anglicana *visitationes Cathedralium ecclesiarum & Hospitalium, quæ sunt tanquam privatæ*, inquit Muckerus. De ecclesiarum Cathedralium visitatione licet nihil legimus, facile tamen conjici potest eundem servari ordinem qui apud Pontificios; Inquirunt apud Pontificios an quilibet officium

Mucket. p.322.

um ſuæ præbendæ annexum exerceat, num prælati & Canonici ad pulſum campanæ ſoleant congregari, num in admiſſione ad poſſeſſionem Canonicatuum præbendarum vel diſtributionum accipiant deductiones aliquas ex fructibus, ſolutiones, donativa, ſeu iucundos ingreſſus vel ſi quo alio nomine vocentur profeſſionem fidei num exigant à recipiendis, num diſtributiones quotidianæ ſint ſufficientes, an ita tenues ut veriſimiliter negligantur, an juxta præſcriptum iuris dividantur, & ſimilia, vide Piaceſium, & his ſimilia Anglicani, de quibus infra videbimus. Hoſpitalium & Curiarum viſitatio etiam ſimilis eſt. Sed ne Viſitator ſubditis exhibere medicamenta ſalutis ſe velle præ ſe ferens præbeat mortis exempla, prius familiam ſuam reformare, mores ſuos & domeſticorum ad præſcripta puriorum canonum componere debet. Nam ipſius familia eſt quaſi in ſpeculo poſita ut ſit magiſtra publicæ diſciplinæ. Legant præſules Anglicani caput primum de Retione ſeſſ. 25 Concil. Trident. *Optandum*.

Sequitur Epiſcoporum contentioſa circa cauſas Eccleſiaſticas juriſdictio, ubi judicium redditur in invitum. Non enim ſponte comparet Reus, nec libenter expectat judicis ſententiam, ideo dicitur Reus *pars fugiens*. Sunt autem cauſæ vel civiles vel criminales.

Contentioſa juriſdictio, in qua conſiderantur vel perſonæ, vel res judicatæ, vel judicia ipſa.

Perſonæ in judicio verſantes, Iudex, iſque vel Ordinarius ipſe vel ſurrogatus ipſius, aut Partes, Actor & Reus, hique litigant vel per ſeipſos, vel aliorum, Conſilium ut Advocatorum, Operam ut procuratorum.

Res judicatæ eæque ſunt vel Publici, vel privati intereſſe.

Publici vel Intereſſe, vel vindictæ, Intereſſe ut pro contributione ad Reparationes in Eccleſiæ fabricam, aut cœmiterii maceriam inſumendas, vel acquiſitionem alicuius rei, quæ deſideraturin Eccleſia. Vindictæ pro delicto vel contumelia Eccleſiaſticis puniendis.

Robertus Winchelſee ſtatuit, ut parœciani ſuis ſumptibus compararent *legendam, antiphonarium, graduale pſalterium troperium*, librum

Lindwode provinc. tit. de ædificand. Eccleſ.

librum sequentiarum, *Ordinale, missale, manuale, calicem &c.* item repararent, *clausuram cœmiterii, & navim Ecclesiæ tam interius quam exterius, tam in imaginibus quam in fenestris vitreis, item libros & vestimenta, quando opus erat reparatione.* Sic in constitutionibus anni 1604 statutum, ut Ecclesiarum & Capellarum omnium œconomi & Inquisitores sumptibus parochianorum comparent librum publicarum precum, Biblia amplissimi voluminis, Homiliarum libros publica authoritate approbatos; ut baptisterium ex lapide in loco antiquitus usitato statuatur; ut mensæ in usum sacræ cœnæ conserventur, & subinde reficiantur, & tempore divini cultus operiantur tapete ex serico, sive ex alia quæ per loci Ordinarium decora & congrua judicabitur materia, ut decalogus pingatur in orientali parte Ecclesiæ, ut Ecclesiæ sartæ tectæ conserventur. Ecclesiæ fabricam reficiendam, sarta tecta conservanda, necessaria & commoda utensilia comparanda probamus, sed ubi quarta bonorum Ecclesiasticorum pars, quæ fabricis reficiendis destinata erat; primum & navi & cancello, jam ne quidem cancello reficiendo plerisque in locis reservata. *Hæc reparatio,* nempe cancelli *de jure communi pertinet ad eum, qui recepit quartam illam, quæ ab antiquo assignata erat fabricæ Ecclesiæ 12 q 2 quatuor, & sic de jure communi pertinet ad Rectorem, qui habet ipsam quartam, non autem parochiano 10 q. 3 c. vnio, consuetudo tamen transfert onus reparationis saltem navis Ecclesiæ in Parochianos, & similiter cancelli quandoque, sicut satis constat in civitate Londinensi in multis Ecclesiis, & hanc consuetudinem servare debent compelli Parochiani Secundo concludit, quod in casu dictæ consuetudinis parochiani debent contribuere ad fabricam secundum portionem terræ quam possident & numerum animalium quæ tenent & nutriunt infra parochiam,* inquit Linduodius. Sed unde orta consuetudo, nisi ab Ecclesiasticorum & præsertim Episcoporum inexplebili avaritia ad luxum & splendorem omnia bona Ecclesiæ absorbentiũ, & populũ novis oneribus prementium.

De officio Archidiacon. c. Archidia.

Privati interesse, versaturque in causis vel matrimonii vel successionis in bona vel Ecclesiasticorum jurium.

Matrimonii, vel per Actionem, directam aut Contrariam, directam estque Matrimonii conciliandi, veluti quando agitur, ut juxta contractum celebretur & consummetur matrimonium; post celebrationem præstentur obsequia mutua conjugalia: Contrariam, veluti quando intendimus actionem iactitationis matrimonii contra eum, qui falso jactitat contractum matrimonialem intercessisse in prejudicium nostrum:

nostrum: 2 Supportandi, veluti quando post nuptias agitur pro pecunia in dotem cum sponsa promissa: 3 Dissolvendi ob 1 præcontractum alterutrius cum altero matrimonialem 2 frigiditatem perpetuam & incurabilem 3 consanguinitatem vel affinitatem vel per concubitum licitum vel illicitum. 4 Adulterium cum quis violat thorum alienum aut suum, 5 Nimiam sævitiam, in quo casu fit a thoro & mensa non a vinculo separatio.

Ad actionem directam refert Mucketus jus, quo petitur ut *post celebrationem, quando alter conjugum alteri vi vel dolo aufertur, ut restituatur, & humanius tractetur, & ei præstentur obsequia conjugalia.* Ad matrimonium supportandum, *quando post nuptias agitur de legitimis vel illegitimis natalibus &c. Ad matrimonium dissolvendum quoad præsuppositum vinculum ob defectum consensus ex metu, ex ætate infra 14 maris & 12 fœminæ annos, vel ex personæ ignorantia, ob præcontractum alterutrius cum altero matrimonium, frigiditatem perpetuam & incurabilem, consanguinitatem vel affinitatem contractam per concubitum licitum aut illicitum. Vltimo ad matrimonium separandum secundum thorum & mensam vel propter adulterium vel propter nimiam sævitiam: & in separatione ex hac posteriori causa peracta agitur ad comparandum alimoniæ sumptus, quibus uxor in quam sævitum est, se sustentet.* Contractus mixtus est, partim divinus, partim politicus, qui non ut alii contractus, sola contrahentium voluntate sed imprimis dei ipsius interventu & authoritate sancitur, & proinde non est locus dissolutioni ex sola contrahentium voluntate, sicut in aliis contractibus. Cum igitur sit partim divinus causæ etiam matrimoniales ex parte ad forum Ecclesiasticum pertinent. Nam in conciliando matrimonio cavendum ne contrahatur inter gradus prohibitos jure divino alioqui incestuosis pollueretur Ecclesia. Licet igitur cessaret Magistratus aut etiam permitteret matrimonia intra gradus prohibitos jure divino, non debet connivere Ecclesia aut ferre in suo cœtu talia membra. Fungantur judices Ecclesiastici officio suo; ejiciant ex Ecclesia quos non possunt ex republica. Quod de conciliando & contrahendo matrimonio idē de dissolvendo dicimus. Nam absque legitima causa in verbo præscripta non sunt approbanda divortia. *Sed quorsum hoc ad officiales, promotores, procuratores, totam denique illam porcorum colluviem quæ Ecclesiam Dei jampridem devastat? quorsum hoc ad illa non Ecclesiæ tantummodo Christianæ, verum etiam universi mundi*

De politia Eccl. Angl. pag. 331.

Beza de Repudiis & divortiis prope finem.

mundi dedecora? Quatenus autem hic contractus ad societatem humanam spectat, civilis est. *Sed rursus quum contractus iste, ut paulo ante dixi, vel maxime ad societatem humanam pertineat, plurimaque merè civilia in controversiis conjugalibus incidunt, ut quæ ad jus dotium, ad donationes mutuas, & plurima eiusmodi spectent: atque adeo plurimum intersit reipublicæ rite aut minus ritè ex verbo Dei coniunctos aut postea separatos, auctoritate quoque magistratus divinarum etiam legum custodis vindicisque cognosci: iure certe suo non tantum prophani verumetiam Christiani & religiosi principes leges de coniugiis posuerunt passim extantes & ex eis civiliter iudicarunt.* Apud Anglos eadem jurisdictio in causis matrimonialibus quæ apud Pontificios, confusa & mixta partim civilis partim Ecclesiastica. Cosinus de rebus datis vel promissis ob causam matrimonii affirmat, quod ad Ecclesiasticam jurisdictionem spectant. Citat Bractonem idipsum asserentem. *Sic de rebus datis vel promissis ob causam matrimonii principaliter: & sic de rebus quæ accidunt matrimonio ut si pecunia promissa fuerit ob causam matrimonii, quia eiusdem iuris id est iurisdictionis esse debet accessorium cuius est principale.* Ac si jurisdictio de causa principali nullo modo spectaret ad Ecclesiasticum magistratum; aut separari non possint accessorium & principale. *His exceptis conditionibus,* nempe Monogamia, insolubilitate, & erga proprium sanguinem cognationisque gradum aliquem reverentia, *iam contractus matrimonii ut contractus est & sane humanus, corporeus & totus in genere rerum temporalium, civilis est, & civili omnino subiectus potestati: ac proinde in multis aliis conditionibus & circumstantiis per ipsam civilem potestatem est regulabilis,* ait Spalatensis. Ex matrimoniis bonorum & hæreditatum, imo etiam regnorum dominia & successiones pendent. Excludendinè igitur Magistratus à causa principali, & solis officialibus Episcoporum vilissimis mancipiis committenda? *Quæcunque igitur sive pontificii, sive Episcopales canones civiliter de coniugiis, ut & de rebus fere omnibus statuerunt, ea Christianorum omnium principum munus est, vel suo nomine edere, si iusta sunt vel ut ab illegitimis legislatoribus sancita abolere: nedum ut ubi instaurata est pura religio, ullo modo ferri tam turpis tam manifesta, tam denique intolerabilis ἀταξία debeat, quam Episcoporum ambitio extorsit, avaritia eorundem confirmavit, utraque aboleri iam non sinit.* Præterea judicant officiales secundum jus canonicum; ex eoque divortium etiam ob adulterium non esse cum solutione vinculi, sed separatione quoad thorum & mensam statuunt, unde sequitur, separatos non posse contrahere novum matrimonium. *In & de republica Iudaica loquebatur Christus in qua tam viri quam fœmanæ adulterium morte expiabatur, & sic coniunx innocens ab illo coniugio penitus liber erat.* Cum ergo, ait Spalatensis, *quantum ex parte legis mortua sit adultera, etiamsi ex misericordia vivat,*

Beza ibidem

Apologia part. 1 p. 26

De rep. l. 5. ca. 11 num. 1

Beza de repudiis ibid.

L. 5 ca. 11. num. 10.

vir

vir tamen eius ita liber eſt, ac ſi facto ipſo mortua illa eſſet. Queſtio propoſita erat de repudio etiam ubi nulla ſuberat pœnamortis quo tamen & dimittens & dimiſſa liberi erant ad nova matrimonia, Chriſtus tantum cauſam improbat omnem excepta fornicationis, libertatem illam non tollit. Qui de matrimonialibus cauſis iuſtum tractatum & plenam diſſertationem deſiderat, adeat Bezæ tractatum de polygamia, repudiis & divortiis & reſponſum ad Neocomenſium literas epiſtola 10, ubi tractatur quæſtio. *An propter lepram fieri poſſit divortium.* Non enim datur impræſentiarum immorari in ſingulis. Tantum addam pauca ex Aſſertione politiæ Chriſtianæ. *Totius controverſiæ cardo vertitur præcipue in eo, num contractus conceptus fuerat per verba de futuro, cum iuramento an abſque iuramento. Multum ſudant revolvendo & replicando ingentia volumina ad probandum vel confutandum accipio & accipiam. Quandoque dimicant de literis & accentibus. Quantus labor in diſcutiendis locutionum formulis, ſi quis dixerit. Te volo, te accipiam, mihi perplacet te accipere, nullam niſi ſe volo, ſi vnquam duxero vxorem te ducam, & non directe reſponderit, te accipio in vxorem. Et vtcunque in ſcripturis determinatum ſit, & iure civili de conſenſu parentum, in Eccleſiaſticis tamen curiis obtinet ius papale canonicum, quo definitur conſenſus parentum eſſe tantum de honeſtate non de neceſſitate, & quod matrimonia debent eſſe libera, & non pendere ex alieno arbitrio. Quod ſi matrimonium non contrahendum abſque conſenſu parentum nec celebrandum abſque legitima promulgatione non obſtante ſola facultate conceſſa, veriſimile eſt multorum hæreditates ob legitimorum aut illegitimorum natalium controverſiam ex iure canonico definiendam non diu, vt nunc plerumque fit, incertas fore. Non tot & tam durabiles lites orirentur inter poſteros vnius de iure hæreditatis & patrimonii, nec multi ex ordine equeſtri & generoſi lugerent quaſi furto ſurreptas filias, neptes, pupillas. Nec foret poſſibile, vt vlla impetraret quatuor aut quinque diverſas facultates nubendi quatuor aut quinque maritis, nec in Eccleſiaſtica Curia concederetur facultas indefinita relicto loco puro & vacuo quo quodlibet nomen inſcribi poſſit, qua poteſt impetrans matrimonium contrahere cum nupta aut ſorore: nec poſt ſolenniter celebratum matrimonium, & cohabitationem quatuor aut ſex annorum orto diſſidio aut faſtidio prætextu alicuius præcontractus probandi per teſtes ſuppoſititios nullum decerneretur: nec cuivis poſt matrimoniū ſolenni more celebratum & ratione divortii ob allegatum præcontractum rurſus diſſolutum, & contractum cum eo matrimonium pro quo ſententia præcontractus lata eſt, idque coactè per cenſuras Eccleſiaſticas permittente eodem conſiſtorio, liceret poſt divortium 10 aut 12 annorum priorem quam habuit vxorem repetere iam etiam nuptam quæque poſſet oſtendere libellum teſtimonialem divortii ex eodem conſiſtorio multos ante annos emanantem.* Quibus indiciis & argumentis adul-

Pag. 109 & ſeqq.

terium evinci volunt absque quibus opera perditur, horret animus vel cogitare ait Barrous. Possent hîc multa alia referri, sed quid opus est, cum à Pontificiis consistoriis Anglicana quis discere potest. nam qui illa nôrit & ista noverit.

Detectio. p. 133.

Successionis in bona defuncti testamento condito, vel ab intestato demortui; Defuncti testamento condito, Universalis veluti quando agitur ad probandum vel improbandum testamentum exhibitum; Particularis veluti cum agitur ad legatum aliquod consequendum: Ab intestato demortui, idque vel proprie cum nullum conditur testamentum, vel per viam intestati, cum nullus est qui onus executionis testamenti in se suscipere velit. Agiturque, vel ad consequendam administrationem, vel contra temerarium administratorem; Ad consequendam administrationem, vel simpliciter, vel cum voluntate ultima annexa, ut compleatur, vel cum tutela & ad usum Minoris: Contra temerarium administratorem, qui nulla munitus authoritate sese defuncti bonis immiscet.

De causis testamentariis egimus supra pag. 72 73, vide etiam pag. 389 Causas omnes testamentarias esse propriè civiles non negant adversarii.

Ecclesiasticorum jurium qualia sunt, Decimę prædiales personales Mixtæ, Oblationęs debitæ pro consuetudine, vel Qualibet anni quarta, in baptismis, Matrimoniorũ benedictionibus, in gratiarum actione a puerperio, Sepulturis, Mortuaria, Impensæ ob dilapidationes ædificiorũ Ecclesiasticorum per prędecessorem factas, Pensiones indemnitatis, procurationes visitationis plerumque pręstandæ, Synodalia, Salaria quædam debita ex causis judicialibus, vel judici vel advocato, vel procuratori, vel scribæ; Extrajudicialibus, ut Curatis, Aedituis.

Denique,

Denique ait Mucketus, *jura beneficii vel acquirendi, cum præsentatum Ordinarius absque legitima causa rejicere videtur; vel retinendi contra Ordinarium aliumve quemlibet, qui beneficio ejusve possessione absque legitima causa nos spoliatos volunt; vel recuperandi contra Ordinarium, qui minus juste nos spoliasse beneficio ejusve fructibus videtur, & contra quemlibet alium qui in nostrum beneficium intrusit se propria authoritate aut prætensa Ordinarii admissione.* Decimæ personales soluuntur ratione personæ; puta ex lucro negotiationis, venationis, militiæ, vel alterius muneris sive artificii: prædiales ex proventibus prædiorum, veluti ex frugibus, fœno, vino, fructibus arborum, ex obventionibus molendinorum, locatarum ædium, & similium. Nam hæc omnia ex præscripto sacrorum canonum decimarum functioni subjecta sunt ait Canisius in summa juris Canonici. *Sunt qui his tertium genus decimarum interjiciunt, quas mixtas appellant, id est partim prædiales partim personales; quales sunt, quæ ex fructibus pecorum, aliorumque animalium, veluti ex fœtu, lana, lacte, colliguntur. Sed commodius hæc revocantur,* inquit, *ad prædiales decimas, ubi animalia in prædiis pascuntur: at si domi porrecto pastu, ad personales referuntur, nisi forte utrinque æque pascerentur, qua specie mixtum genus constituerent.* Ius naturæ docet non obligandum esse os bovi triburanti, & æquum est, ut qui serunt spiritualia metant temporalia & carnalia. Quis enim militat suis stipendiis. Ex puro discursu rationis ceu puro jure naturali non sequitur tamen obligatio soluendi decimas. *Ratio naturalis dictat, ut iis qui pro populo laborant populus alimenta præbeat: unde enim deducimus deberi Regibus tributa, & militibus stipendia & judicibus aliisque ministris publicis salaria, inde etiam deducere possumus deberi sacerdotibus decimas vel aliquid earum loco,* ait Bellarminus. *Decimas,* ait, *vel aliquid illarum loco.* Ergo decimæ non sunt determinata materia stipendii ministrorum de jure naturæ. Præterea determinatio quantitatis multò minus est de jure naturæ. Et materia & materiæ determinatio erat imperata à Domino in lege veteri. Ante legem scriptam nullum legimus præceptum de soluendis decimis. *Lex autem de decimis non fuit ante tempora Mosis, nec ratio dictat, ut sacerdoti dentur decem partes, sed ut detur quantum satis est ad ejus sustentationem,* inquit Bellarminus. Modus offerendi ex voto Gen. 28 ostendit non fuisse ex obligatione, sed ex devotione & spontanea promissione ait Swarez. Ex gratitudine, reverentia, gratiarum actione, non ex obligatione ait Abrahamum dedisse decimas Melchisedeco. Erat igitur præceptum de decimis non divinum morale, nam sic etiam obligasset ante legem; nec divinum ceremoniale: nam quid mysterii quæso aut significationis latet in denario numero. Si esset divinum ceremoniale omnino cessisset nec renovari potuisset per legem humanam

De politia Eccles. Angl. p. 332.

Lib. 2 tit. 26

De Clericis cap. 25.

Tom. 1 de virtute & statu religionis.

manam. Reliquum igitur est, quod fuerit divinum judiciale quoad determinationem decimæ partis, *Unde in rigore & proprietate sermonis decimarum solutio non potest dici proprie ceremonia. Nam sustentatio ministrorum non est ceremonia, ut per se patet*, inquit Swarez. Determinatio quantitatis nullam omnino ceremoniam continet sed instituta est ad constituendam & servandam æquitatem, & proportionem inter partes populi, inter tribum Leviticam & alias tribus. Erat igitur præceptum in lege veteri de decimis divinum positivum non divinum morale, & proinde non obligat Ecclesiam Christianam, id est, ex vi illius præcepti quod populo Israelitico datum, non tenentur Christiani dare decimas pastoribus. In novo testamento nullum de decimis extat præceptum, & proinde nec jure divino novi testamenti obligantur vel ad materiam vel ad determinationem materiæ, sed ad legis æquitatem nempe congruam sustentationem. Sequitur igitur quod præceptum istud sit de jure Ecclesiastico vel politico ad exemplum tantummodo & similitudinem juris divini positivi in lege veteri. Quod ad jus Ecclesiasticum nego Ecclesiam posse determinare vel materiam vel quantitatem materiæ. Obligantur quidem dare temporalia qui accipiunt spiritualia non tamen debet Ecclesia præscribere singulis & singulorum posteris & materiam & quantitatem materiæ sive sextam sive decimam sine duodecimam partem. Hæc determinatio est actus civilis potestatis si de præcepto loquimur. Voluntariam unius aut communi consensu plurium vel omnium determinationem agnosco, & dedicationem bonorum sive mobilium sive immobilium, sed non absque multiplici cautione, nempe ne posteri aut respublica gravius detrimentũ patiantur ob donationes nimium profusas, aut inde superstitiosus aliquis cultus foveatur. Cum quidam civis Carthaginensis ἄτεκνος donasset Ecclesiæ omnia quæ habuit bona reservato, durante vita, usufructu, & postea liberis præter spem à deo donatus esset *reddidit Episcopus*, nempe Aurelius *nec opinanti ea quæ donaverat*, ait Author ille sermonum de tempore apud Augustinum. Tot artibus emunxit Ecclesiasticorum natio sub papatu populum argento, & bona traxit in suum korban, ut dementes & stulti putarent se liberos debita & in parentes & liberos charitate dum modo facultates suas donarent Ecclesiæ. Merito igitur Imperatores populi donationibus limites constituerunt ut patet Cod. lib. 1 tit. 5 leg. 16 & ex statuto quod vocant *manus mortuæ*. Sed non absque gravissimo scelere tamen Magistratus ministros scholas, pauperes, privabit congrua & competenti sustentatione quam vel fideles dicarunt in eum usum aut ipsorum majores ratam habuerunt, quod tamen fit in quibusdam Ecclesiis reformatis, ubi pastor præsertim ruralis vix alere familiam suam possit. Sed missa faciamus ista omnia & de

Ibidem p. 73

Ad fratres in Eremo serm. 52.

de eo quod præcipuum hîc caput eſt, nempe de foro cauſarum agamus. Certum eſt non poſſe parochum ſua authoritate per vim decimas accipere etiamſi ſubditus injuſte detineat, vel ſolutionem differat, ait Swarez, & parochum non poſſe parochiano negare ſacramenta donec decimas ſoluerit, quia hoc eſſet propria authoritate illum cogere & bonis ſuis vel poſſeſſione & uſu eorum privare. Item quia illa coactio vel eſſet per juridictionem forenſem & coactivam ceu punitivam in foro externo quam non habet parochus: vel eſſet per facultatem quaſi intrinſecam non dandi ſacramentum indignis, & hac non uti poteſt parochus, niſi quando eſt publicum & indubitabile delictum: hîc autem peccatum non eſt publicum, quia non eſt per ſententiam declaratum, nec eſt ita indubitabile, ut ſit publicum evidentia facti quia poteſt quis jus aliquod prætendere. Ergo per publicam poteſtatem cogendi ſunt ſoluere decimas, qui detinent aut non ſoluunt. Sed adhuc manet dubium in quo foro, non in Eccleſiaſtico; nam Eccleſia non poteſt authoritate ſua determinare quantitatem bonorum ſoluendam. Ergo nec in foro ſuo recuperare, nam quæ civili authoritate imperantur ejuſdem auxilio recuperantur. Præterea imperari poſſunt decimæ magiſtratus authoritate etiam hæreticis & excommunicatis, aliiſque qui extra Eccleſiam ſunt, de quibus tamen in foro ſuo non judicat Eccleſia. Controvertitur inter leguleios Anglicanos teſte Coſino in Apologia, de tempore quo cœperint cauſæ de decimis à foro ſæculari ad Eccleſiaſticum transferri. Sed de tempore non litigabimus, ſiquidem de reipſa conſtiterit nempe ab initio non fuiſſe has cauſas fori Eccleſiaſtici. Bella ſcilicet eſſent litigia in Presbyterio Eccleſiæ de *decimis lactis, de proventibus boſcorum, pannagiis ſilvarum & cæterarum arborum ſi vendantur, viveriorum piſcariorum fluviorum, ſtagnorum, arborum, pecorum, columbarum, ſeminum, fructuum, & beſtiarum guarennarum, ancupitii hortorum, curtilagiorum, lanæ, lini, vini & grani, turbarum in locis quibus fabricantur & fodiuntur, cignorum, caponum, aucarum & anatum, ovorum, thenitii agrorum, apum mellis & ceræ: molendinorum, venationum, artificiorum & negotiationum, nec non equorum, vitulorum, pullorum equorum ſecundum eorum valorem, & omnium proventuum rerum,* ſcilicet quas producit terra. Hæc enim omnia enumerat Robertus Winchelſee Epiſcopus Cantuarienſis in ſua conſtitutione. Quot hîc oriuntur lites? Vt quot oboli ſoluendi pro ſex agnis aut intra, quomodo dividendæ ſunt decimæ, quando oves alibi hyeme alibi æſtate paſcuntur, de paſcuis communibus & non communibus, de ſylva cædua, de arboribus thenitii id eſt creſcentibus circa agros eoſque claudentibus, quot denarios valeat vitulus, quot pullus equinus ut ex denariorum numero pars decima abſtrahatur & innumera alia de quibus litigatur in curiis Eccleſiaſticis. Nam

Part. p. 8.

Lindwode provincial. tit. de decimis cap. ſancta.

curiæ illæ vindicant sibi locum Presbyteriorum. Si igitur lites istæ non conveniunt Presbyteriis certe nec curiis illis quæ ipsorum locum & authoritatem sibi arrogant, Statutum 32 Hier. 8 quod Rectores & Curiones quinque parœciarum Roystoni eorumque successores possint recuperare decimas in Curia Cancellariæ. Sunt ne illarum parœciarum decimæ magis temporalia bona quàm aliarum omnium parœciarum, vel an non similiter decimæ aliarum parœciarum in curiis sæcularibus recuperandæ sunt. Cum sextuplicem Ecclesiasticam potestatem esse contendit Cameracensis, Sextam esse ait potestatem exigendi necessaria vitæ ab iis quibus ministrantur spiritualia, Respondet Spalatensis, *Sexta vero neque est potestas neque Ecclesiastica potestas inquam non est, quia concionator nullam habet vim coactivã ut compellat laicos sibi alimenta necessaria ministrare, neque talem potestatẽ Christus unquã concessit Apostolis. Quando enim dixit, Dignus est operarius mercede sua, ius naturæ explicavit, æquū esse, ac omnino iustum, ut qui spiritualia populis impertit, ab iis accipiat corporalia ad vitæ sustentationem necessaria. Igitur neque potestas talis potestas est, multo minùs Ecclesiastica. Nam si ministri rerum spiritualium pro alimentis suis habent aliquam actionem, eam coram principe rerum temporalium tractant, & ad potestatem recurrunt temporalem.* Quod ad oblationes attinet earum natura est, ut spontaneæ sint & voluntariæ, præterea superfluæ sunt ubi ex decimis aut aliunde ministri Ecclesiæ commodam habeant sustentationem. Nam, ut ait Suarez, *nullus iustè cogitur ut duplicatam mercedem solvat pro eadem opera, sed Parochiani illi solvendo decimas dant stipendium & sustentationem ministris, non tantum sufficientem sed etiam ordinariè abundantem; ergo titulo sustentationis non possunt iustè obligari ad novas oblationes. Unde in eo casu qui recipit decimarum fructus, tenetur sufficienter Ecclesiæ & ministris eius providere & prælati tenentur solicitè curare, ut ita fiat, & ne pauperes ac fideles nimium graventur.* Denique quid sibi vult oblatio ad altare præsertim festo ascensionis Christi, & cur magis in puerperiis, matrimoniorum benedictionibus, & exequiis & baptismis quam in aliis actibus & officiis ministerii exercendis, nisi vel ut ritus Iudaicus stabiliant, aut fucatæ simoniæ reatum incurrant. Hæ oblationes sunt potius operum & actuum pretia, quam stipendium sustentationis, quicquid dicis causa de salario ceu stipendio dixerint. *Anno* 1119 *habito Rhemis Galliæ Concilio ex omnibus Christiani orbis provinciis a* Calixto 2 *Pontifice præsente inter alia sancitum est ut refert Andericus Vitalis Anglus S. Ebrulfi Lexoviorum Cœnobita, in historico suorum temporum Codice autographo, Ne in baptismatis sacri & sepulturæ acceptione & infirmorum visitatione vel unctione ullum pretium exigant*, ut refert Renatus Choppinus libro secundo de sacra politia p. 339. Statutum de Mortuariis editum per Robertum Winchelsee sic interpretatus est Simon Langham Archiepiscopus Cantuariensis. *Ut videlicet*

Assertio potest. p. 99.

De rep. l. 5. c. 1 nu. 10.

De virtute & statu religion. tom 1 pag. 61.

licet si decedens tria vel plura cuiuscunq; generis in bonis suis habuerit animalia, optimo cui de iure fuerit debitum reservato, Ecclesiæ suæ à qua sacramenta recepit dum viveret sine dolo, fraude seu contradictione qualibet pro recompensatione subtractionis decimarum personalium necnon & oblationum secundum melius animal reservetur post obitum pro salute animæ suæ Ecclesiæ suæ huiusmodi liberandum. Quod si duo tantum in bonis decedentis extiterint animalia de mansuetudine Ecclesiæ exactio quælibet nomine mortuarii remittatur. Sic ergo, inquit Linduodius, *ad effectum quod debeatur mortuarium sufficit quod sint tria animalia unius & eiusdem generis, puta tres equi vel tres vaccæ, vel etiam quod sint duo eiusdem generis, ut duo equi & tertium alterius generis, ut una vacca. Et idem erit si tria illa animalia fuerint trium diversorum generum* viz. *unus equus, unus bos, & una ovis.* Et in illa verba *pro salute animæ suæ, quæ* inquit, *consistit in peccati remissione, quod non remittitur nisi substractum restituatur*, de subtractione ex negligentia vel ignorantia intelligendum statutum non de voluntaria. Hæc sunt Mortuaria illa de quorum jure agi potest in curiis Ecclesiasticis, quorum institutum & usum videtis; quæ autem lites & controversiæ possunt agitari in causis mortuariorum ex eadem constitutione declarativa Simonis Langham colligi potest. De Synodalibus sic Duarenus. *Postquam reditus Ecclesiæ, qui antiquitus erant communes & ab Episcopo*, sed una cum Presbyterio, *distribuebantur, divisi sunt, & singulis ministeriis attributi, Episcopis singulis vectigal quoddam ab inferioribus Ecclesiis pendi cœptum est. Huiusmodi inprimis illud est quod in synodo à singulis curionibus & inferiorum Ecclesiarum gubernatoribus exigunt. Nam duos solidos singuli Episcopo dare iubentur* 10 *quest.* 3 *cap. Illud: diciturque hoc ius vulgo Cathedraticum quod Cathedræ id est honori Episcopali debeatur.* Dicit Fildus ministros inferiores Episcopo nunc procurationes tantummodo solvere. Choppinus etiam dicit istud vectigal Francicis moribus non pensitari nisi vel indotatæ Ecclesiæ præfectis, vel aliis ex continuæ possessionis usu honorarium hoc Episcopale corrogantibus. *Ob id Ninervensiam præsule nuper* 25 *asses æris deposcente à parocho in specie Cathedraticæ erogationis, his Senatum appellavit Abusus nomine. Tales enim indictiones nummarias intendebat Curio à patria consuetudine pendere, ac ita demum probandas, si ex prisco regionis ritu ab Hierarchi perciperentur.* Cathedraticum quandoque Synodaticum appellatur ait ibidem Choppinis, & citat cap. *Olim* titul. *de censibus* lib. 3 decretal. De procurationibus supra diximus, ubi de visitatione diœceseos egimus. *Hoc autem munus ideo procuratio vocatur, quia Ecclesias Episcopi procurant, id est curant, id est alunt ac tuentur: sicut pueri dicuntur procurari à nutricibus, & equus à Domino apud Plautum & alios authores latinos, qui proprie ac emendatè locuti sunt,* inquit Duarenus. Sed quàm verè ista de Episcopis dici possunt

De consuetudine [illegible]. Statutum

De Ecclesiæ ministeriis lib. 7 ca. 5.

De Eccl. l. 5 cap. ult.

Chop. de sacra politia lib. 2 cap. tit. 7.

De sacris ministeriis lib. 7 cap. 5.

testantur Ecclesiæ. Salaria quæ feoda vocant, habent quam plurima, ut refert assertor politiæ. Feoda pro excommunicatione, absolutione, institutione, inductione, potestate concionandi, facultate celebrandi matrimonium absque trinundina bannorum, ut vocant, denunciatione, commutatione pœnitentiæ, relaxatione sequestrationis &c. Iohannis Stratford Cantuariensis constitutio talis habetur apud Linduodium, *Sæva & miserabilis cupiditas adinvenit, vt pro literis institutionum clericorum ad beneficia Ecclesiastica admissorum, & literis ordinum pro scripturarum labore ac sigillis fiant multotiens exactiones immensæ id reprobante canone, dicente quod sicut non decet Episcopum manus impositionem vendere, ita nec ministrum calamum venundare. Archidiaconorum quoque & suorum officialium, necnon & aliorum clerici* scilicet scribentes in ipsorum officiis, inquit Linduodius, *certificatorias* literas *inquisitionum*, quæ nempe præcedere debent admissiones ad beneficia, *super beneficiis vacantibus factas tradere renuunt nisi prius excessivam nimis summam pecuniæ habeant pro scriptura: Nos igitur hunc abusum abolere volentes præsentis deliberatione concilii duximus ordinandum, quod pro scriptura literarum inquisitionum, institutionum, vel collationum, & commissionum ad inducendum, vel certificatoriis*, ipsarum nempe inductionum, *in beneficiis vltra 12 denarios, pro literis vero cuiuslibet sacri ordinis vltra sex denarios dicti clerici per se vel per alios non recipiant quovis modo. In cæteris* nempe quæ renumeratione digna essent ultra scripturam *vt puta conceptione literarum huiusmodi & aliis ipsorum laboribus*, inquit Linduodius, *Ordinarii suis teneantur ministris stipendia constituere, pro sigillatione vero literarum huiusmodi, aut mariscallis.* i qui regunt aulas Episcoporum & interiora, inquit Linduodius, *pro introitu ceu Ianitoribus, hostiariis, vel barbitonsoribus* (*quorum officium est ordinandorum coronas aptare vt in conspectu sui ordinatoris deferant tonsuram congruentem*, ait Linduodius) *Episcoporum à clericis minoribus vel maioribus ordinibus decoratis nihil omnino exigi volumus vel persolui.* Cautum quidem in Constitutionibus anni 1597 *quod neque alia neque maiora feoda ab Episcopo, Ordinario, Archidiacono, vel eorum ministris deinceps vlla de causa percipiantur quam ea quæ incunte hoc regnum regiæ nunc Maiestate percipi solebant: quodque tabula quædam singulorum huiusmodi feodorum summas continens in quolibet consistorio ante festum sancti Iohannis Baptistæ proximè venturum figatur, cuius exemplar manu ipsius ordinarii subsignatum intra tempus prædictum ad Archiepiscopum transmitettur.* Item decretum, *vt citra vltimum diem mensis Maii proxime sequentem Episcopus quilibet, vel sede aliqua Episcopali vacante, custos spiritualitatis ibidem, curet tabulam manu ius dicentis eiusque Registrarii subscriptam publicè figi, vel in loco quolibet, ubi ius ab illo dicetur, vel alias publicè in eiusdem iurisdictionis archivo ita vt quivis eiusdem tabulæ inspiciendæ facultatem habeat; Quæ quidem tabula in se continebit separatas summas singulorum feodorum,*

Pag. 73 79

Lindwode de censibus cap. Sæva.

quæ

quæ tam à iudice quam à ſingulis aliis officiariis ac miniſtris eiuſdem Curiæ frequentius ac vſitatius ab initio regni dictæ Sereniſſimæ Reginæ vſque ad 18 maieſtatis ſuæ annum percipi conſueverunt. Refert tamen Defenſor petitionis aucta mirum in modum eſſe ſalaria pro ſententia judicis abſque ulla pauperum habita ratione : pro teſtamentorum probatione duplum exigitur ſupra ſummam ſtatuti : pro apochis executores 10 aut 20 forte poſt annis coguntur ſoluere quidã quadraginta quidam quinquaginta ſolidos. Initio regni Elizabethæ pro literis inſtitutionum ſumma feodi una libra, jam quatuor aut quinque libræ Anglicanæ, & pleriſque locis eadem ſumma feodi pro literis ordinum. Archiadiaconi quandoque in viſitationibus ſuis exigunt pro libello articulorum 12 aut 16 quandoque 24 denarios, qui tamẽ vix tribus æſtimandus denariis. Denique, inquit, non citò nec facile enumerari poſſunt exceſſus curiarum Eccleſiaſticarum poſt annum illum 1597. Nec mirum, nam *pœna cuiuſque Ordinarii ac Miniſtri maiora feoda , quàm quæ in huiuſmodi tabulis reſpectivè exprimentur , percipientis, ſuſpenſio erit per ſex menſes ab executione officii ſui per Ordinarium ſuum infligenda, vel Ordinario negligente aut id facere omittente , per Archiepiſcopum, qui alium delinquentis loco interim deputabit,* ut habetur in Conſtitutione anni 1597. Rigidi ſcilicet cenſores in Officiarios & Miniſtros ſuos ſunt Ordinarii. De beneficio acquirendo, retinendo, & recuperando agitur etiam in Curiis Eccleſiaſticis. Atque hæc de materia litium in foro Eccleſiaſtico, ſequuntur. Pag. 213. 214.

Judicia ipſa in quibus conſiderantur, in jus vocatio , litis conteſtatio, Cauſæ cognitio, Sententia, Quæ poſt ſententiam ſunt.

In jus vocatio, Monitione facta præſenti in judicio per judicem, Citatione eaque vel Perſonaliter , vel Viis & modis facta idque vel denuntiatione vel affixione ad locum ſolitæ habitationis. Denunciatione vel uxori citati , vel publice in Eccleſia parochiali.

Litis conteſtatio, quæ fit Generaliter & minus propriè licet magis uſitate cum narrata prout narrantur negantur eſſe vera, ideoque petita prout petuntur fieri non debere aſſeritur, Particulariter & proprie quando tandem certum aliquid in quo ſtatus totius cauſæ vertitur ab uno affirmatur, ab alio negatur, unde naſcitur ſtatus controverſiæ vel facti vel juris.

Causæ cognitio, quæ emergit partim ex probatione per Testes, Instrumenta authentica vel privata, authentica originalia aut transcripta; Indicia, hæcque sunt vel levia vel probabilia vel violenta, partim ex Exceptione contra testium personas aut dicta, partim ex horum reprobatione per alios vel majoris numeri vel fidei, partim ex Advocatorum disceptatione de tota causa.

Sententia vel Interlocutoria; quarum alia in meris terminis interlocutoriæ remanet, alia habet vim definitivæ, Definitiva vel Absolutoria vel Condemnatoria, vel partim Absolutoria partim Condemnatoria.

Quæ post sententiam sunt vel ejusdem executio vel ab eadem appellatio, Ejusdem executio vel de reipsa principali de qua controvertebatur, vel de expensis. Ab eadem appellatio ad superiorem, quæ fit vel proprie & dicitur simpliciter Appellatio vel minus proprie, & fit vel per viam querelæ extraordinariæ ad principem vel per remissionem totius causæ vel ad ipsum principem vel ad ejus delegatos.

Processũ in causis civilibus dijudicandis, qualis hîc ponitur, non damnamus tantum si tria ista observarentur: nempe si non in Ecclesiastico, sed civili foro causæ civiles disceptarentur, si spiritualibus censuris non abuterentur in castigandis non comparentibus, mandatis curiæ non parentibus etiam ubi causæ sunt mere civiles, si denique lites non nimium protraherentur. De primo sic Spalatensis. *Quod vero nunc Ecclesia in suis Rectoribus tota pene facta terrena, posthabitis sanctis antiquis Canonibus spiritnale regimen dirigentibus ad temporalia deflexit, & ex strepitoso sæculi foro ad se terrenas attraxit tricas, legibusque mere terrenis sua implevit volumina*: Item, *Cur quæso Iustinus Imperator in quadam lege C. De Episc. & Cleric. l. 41 absurdum esse asserit, imo etiam opprobrium, si Ecclesiastici peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium, nisi quia sciebat valde indecens esse, vt Clerici, quæ ad forum spectant, agitent, aut profiteantur. Improbat igitur acmerito in Ecclesiasticis studium legum civilium. Si enim solis rebus divinis debent esse intenti, verè absurdum & opprobriosum est, vt humana iura sciant, quibus temporalia agitantur, quæ à professione*

De repub. l. 5 c. 2. num. 28.

Num. 26.

professione Ecclesiastica tota spirituali, & omnis iurisdictionis veræ experte sunt remotissima. Cum absurdum sit, si Ecclesiastici peritos se velint ostendere disceptationum forensium, disceptationes ipsæ forenses ab Ecclesia debent etiam esse remotissimæ. Nam nullas alias disceptationes aut causas tractari voluit Christus in foro Ecclesiastico nisi eas de quibus judicare possint Ecclesiastici. Non jussit Christus juris cæsarei Doctores constitui in Ecclesia ad discutiendas causas civiles aut Menochii, Farinachii, Mascardi aliorumque jurisperitorum decisiones de præsumptionibus, probationibus, & exceptionibus examinandis afferri, sed causas civiles earumque decisiones judicibus sæcularibus reliquit. Nihil jam dicam quomodo non modo divina sed & humana jura pervertunt Cæsareum nimirum & Canonicum Officiales qui sunt harum causarum judices; de quibus capite sequenti agemus. De secundo supra diximus, ubi de censuris egimus. Excommunicant pro rebus levissimis, & re pecuniaria 12 fortè denariis. De tertio inter alios querimoniam edidit Defensor petitionis in confutatione Oxoniensium. Nunc inquit, *iudex, Registrarius, Advocatus, procurator conspirarunt ad protelandum lites quæstus causa*, & ut ait propheta, Mich. 7 3, *contorquent ærumnam.* Pag. 213.

Atque hæc de causis Ecclesiasticis, quas appellant civiles, criminales sequuntur. Crimina & delicta, de quibus judicatur, enumerata sunt superius in tabula visitationis, & in eandem observationibus. De causis criminalibus judicium variè instituitur ordinaria Episcoporum authoritate, per viam Accusationis, Denunciationis, Inquisitionis. Per viam Accusationis, quando quis suscipit se crimen contra accusatum probaturum, & in hunc finem testes producit à judice citandos & examinandos. Per viam denunciationis, cum œconomi qualibet triennali Episcopi visitatione, & per binas vices annuatim judici Ecclesiastico delicta detegunt, sed probationis onus minime subeunt. Per viam specialis Inquisitionis contra certam personam Episcopus vel alius judex Eccclesiasticus ex officio suo inquirit in ejus delictum vel interrogando vicinos Rei de ejus crimine & delicto, eorumque testimonia contra eum assumendo, vel sciscitando ipsum reum de suo delicto, ut illud in judicio detegatur, & detectum censuris Ecclesiasticis castigetur. Ipsum reum interposito ad veritatem declarandam juramento de suo delicto sciscitatur: Hæc omnia habet Mucketus. Dixi per viam specialis inquisitionis, quia inquisitio triplex est, *alia dicitur generalissima, quæ fit mero judicis officio in generali vel in provinciali Concilio. Alia est generalis quæ fit de statu Ecclesiæ, civitatis castri vel loci, præsertim dum prælatus visitat. hoc etiam fit mero judicis officio, & quandoque aliquo impetrante. Generalis fit tribus modis, prima quoad personas & quoad delicta v. g. inquirit Ordinarius, si sit* in

De polit. Eccl. Anglic.

Lindwode de const. provinciali. tit. de constitutionib. cap exterioris, verb. inquirunt.

in loco suæ Jurisdictionis aliquis Clericus, vel Laicus, qui sit vitiosus, aut malæ conversationis. Secundo modo est generalis, quo ad personas sed quoad delictum singularis, ut puta si inquiratur, an aliquis sit infra jurisdictionem ipsius inquirentis qui commisit tale certum crimen. Tertio modo est generalis quoad delicta sed specialis quoad personas, videlicet quando inquiritur contra certam personam crimine non expresso. Specialis igitur inquisitio erit singularis, quoad certam personam & certum delictum. Inquisitio igitur visitationis est generalis, Inquisitio judicis in Consistorio est specialis. Illa est ad istam præparatoria. *Absoluto visitationis processu, si accusatus fatetur delictum puniendus est, non pœna ordinaria, sed arbitraria: hæc enim est propria pœna judicii inquisitionis. Tanto magis, quod visitatio fit potius per modum fori poenitentialis quàm contentiosi, nec in ea præcisè puniendi finis intendendus est sed corrigendi & salutaris pœnitentiæ injungendæ. Quod si accusatus in negatione persistat, & fuit depositum contra ipsum de fama & credulitate tantum, nec adsit modus quo probari possit facti veritas, adsit tamen infamatio ceu scandalum, & non levis præsumptio iniungenda est Canonica purgatio, quod si in purgatione defecerit pro confesso haberi debet. Si autem negat accusatus, & fuit depositum de certitudine facti, & gravis sit orta infamia vel scandalum, ceu agatur de præjudicio tertii, reservandus est ad judicium ordinarium, & contra illum per modum accusationis ab Advocato fisci Episcopalis procedi debet. Et tum demum deveniri potest ad inquisitionem specialem, in qua & iurare testes, & non nisi legitimi admitti debent. Nam tunc potest, si velit, accusatus excipere contra testes, potest petere probationum copias, & omnibus defensionum remediis uti, pœna etiam ordinaria, & à iure statuta hoc casu puniri debet delinquens.* Hæc Piacesius in praxi Episcopali. An idem ordo servatur in Ecclesia Anglicana, nondum mihi constat. Sed redeamus. Accusatio ut strictè sumitur & propriè ἔγκλημα dicitur, est criminis delatio apud judicem publicæ vindictæ causa interveniente legitima inscriptione. Hujus formula hæc extat apud Paulum I.C. *Ego Lucius Titius profiteor me Mæviam lege Iulia de adulteriis reum deferre, quod cum Caio Seio in illo loco N. in tali domo N. mense illo N. consulibus illis N. N. adulterium commiserit, cuius professionis causa subscribo, vel alius meo nomine, quia literas nescio.* Inscriptio instituta ad injiciendum accusatori terrorem ne temere calumnietur. Denunciatio autem triplex est. Alia Civilis, alia Canonica, alia Evangelica. Civilis est, quæ à jure civili introducta est, ait Canisius, veluti quæ fit per ministrũ publicum ad hoc constitutum, ut delicta commissa renunciet magistratui, eorumque actores prodat, in quos deinde inquisito fiat: & hîc in curiis Ecclesiasticis est, quæ fit judici per œconomos. Alii publicam judicialem denunciationem vocant, Anglicè *presentment*. Canonica denunciatio, inquit Canisius e SS. canonibus prodita est contra

prælatos

prælatos Eccleſiarum & Monaſteriorum, quos ſubditi clerici vel Monachi delinquentes, ſi monitioni non acquieverint, deferre poſſunt ad ſuperiorem ſuum; cum eorum interſit habere bonum prælatum. Denunciatio verò Evangelica, inducta eſt ex lege Evangelica, in qua hic ordo ſervatur, ut delinquens primùm privatim corripiatur, deinde ſi correptioni non paruerit, iterum moneatur, adhibito uno vel duobus teſtibus, demum ſi contumax perſtiterit, denuncietur Eccleſiæ Mat. 18. Civilem ceu publicam judicialem denunciationem non habent Eccleſiæ reformatæ, quæ habent in ſingulis parœciis conſiſtoria. Nam quid opus eſt juratis œconomis ad denunciandum delicta ubi ipſi Paſtores & Seniores ſunt vigiles iidem & cenſores morum. Excluſis igitur Senioribus inſtituti ſunt iſti Oeconomi ad denunciandum delicta, non de delictis judicandum, Eccleſiæ Apoſtolicæ, aut quæ poſt ſequuta eſt primitivæ nunquã noti. Dicit Mucketus probationis onus eos non ſubire, quia præſumuntur quicquid in hac re faciunt, non odii & malevolentiæ, ſed fidei ſuæ liberandæ cauſa facere, notum tamen eſt & perjurii & malevolentię ſæpiſſime reos eſſe. Perjurii non detegendo prout metuunt aut favẽt, & malevolentiæ calumniando in vindictã.

Ad ſpecialem inquiſitionem non debet deſcendere judex, niſi priùs crimen fuerit, ut dicunt, notorium, aut criminis perpetrati fama, indicia, ex quibus fama ſtatim eſt ſequutura, aliave legitima ejus retegendi media per clamoſam inſinuationem id eſt frequentes hominum fide dignorum ſermones, ad ejus aures delata præceſſerint, ut agnoſcit Mucketus, ne temere in aliquem cum periculo exiſtimationis ſuæ graſſetur, ait Caniſius. *Quare reus contra inquirentem judicem rectè prius excipit de publica delicti fama, quod ea non reſperſus ſit. Si enim hanc exceptionem omiſerit reus, ſuſtinebitur contra eum inquiſitio tanquam huic exceptioni ipſe tacite renunciaverit.* Sed cum ad comprobandam famam duos tantum requirant teſtes, quis non videt, quam facile judex malevolus duos teſtes ſibi comparare poſſit, ut ſic aditum aperiat ſpeciali inquiſitioni. Ex officio non modo mercenario id eſt ad inſtantiam alicujus, ſed etiam mero permoventur judices Eccleſiaſtici in Eccleſiis reformatis. Sed quod reus juramentum cogitur interponere ad veritatem enarrandam, ut fit in Eccleſiis Anglicanis non probamus. Reſpondent id fieri tantùm quando delicti fama, manifeſta indicia, & reliqua illud detegendi media duobus teſtibus fuerint comprobata. Audiamus cenſuram D. Franciſci Baconi, qui poſt creatus Angliæ Cancellarius. *Eſt & tertium quid non tam in juriſdictione ipſi quam in modo procedendi, quod reformatione indiget, eòque magis, quòd contrarius ſit legibus & conſuetudinibus regni, quæ etſi hunc ordinem procedendi non regunt, tamen ad dirigendum conſuli poſſunt, eſtque juramentum ex officio, quo quis cogitur accuſare ſemetipſum, & quod*

P. 334.

Summa juris Can. l. 4 tit. 19.

 majus

majus est, Juramentum indicitur, ubi nullæ accusationes declarantur. Per leges Angliæ nemo tenetur seipsum accusare. In causis summis læsæ majestatis quæstio fit ad detectionem per tormenta non ad indicium. In capitalibus causis, nullius delinquentis responsio præstito juramento postulatur, imo nec permittitur. In criminalibus non capitalibus, quæ in Camera stellata, aut causis conscientiæ ceu æqui & boni quæ in Cancellaria tractantur, iuramentum partis requiritur. Sed quomodo? ubi est accusatio, id est, ut nos dicimus, libellus querimoniæ ceu denunciationis, (à quo deflectere non potest denunciator, & extra cuius cancellos examinari non potest reus) curiæ exhibitus, & reo per processum editus. Sed quemvis examinare præstito prius iuramento, ex insinuatione solius famæ, aut accusationibus secretis & nondum editis utcunque à iure civili speciem aliquam habere videatur, ex diametro tamen ita opponitur sensui iuris communis, ut meritò aliquam admittere possit limitationem. Vides hîc tyrannidem quam exercent in Curiis suis Anglicani, præsertim quando conjiciunt viros pios impegisse in canones de Hierarchia & ritibus suis. *In speciali inquisitione reo edendi sunt articuli de quibus inquirendum est; item nomina & dicta testium necnon exceptiones & replicationes illi permittendæ*, ait Canisius. Cum nec propria confessione nec testibus, nec facti ipsius evidentia de crimine convinci possit, si oneratus fuerit forte ex invidia aut odio suspicione aliqua indicunt illi purgationem Canonicam & nondum editis articulis, de quibus inquirendum, cogunt præstare juramentum.

ibid.

CHAP. VI.

De Vicariis generalibus, Officialibus & Archidiaconis.

HActenus de Episcopis qui ut ordinarii judices minus amplam habentes administrationem judicialé lege constitutam, eam sub principe exercent nomine proprio sequuntur qui alieno.

Nomine alieno ut Episcoporum surrogati, videlicet Vicarius generalis ad universitatem causarum jurisdictionis voluntariæ, Officialis principalis ad universitatem causarum contentiosæ jurisdictionis, Commissarius ad certas causas, & intra aliquam partem Dioeceseos.

Minus amplam habentes administrationem judicialem

lem lege minime introductam, ſed vel Regali compoſitione vel privi legio, vel præſcriptione temporis, vt exemptarum juriſdictionum nonnulli, item Archidiaconi, quorum Officium lege conſtitutum eſt, ut Inquirant de Eccleſiarũ ſartis tectis, ſuppellectile &c. & de exceſſibus Eccleſiaſticis mulctandis, Referant ad ordinarium graviora quęque, Inducant in beneficia: Iuriſdictio, ut præſcripſerint: exercetur autem vel per ſeipſos vel per Officiales.

De deputatione juriſdictionis Epiſcopalis ad judices ſurrogatos habes ſupra cenſuram Cancellarii Baconi pag. 313 314 315.

Vicarius generalis conſtituitur ad univerſitatem cauſarum juriſdictionis voluntariæ & proinde viſitare poteſt vice Epiſcopi, & alia omnia expedire, quæ ſpectant ad juriſdictionem voluntariam cujus capita enumerata habes capite ſuperiori. Dicit Fildus Vicarios generales potuiſſe omnia fere agere ad juriſdictionem ſpectantia, quæ ipſi Epiſcopi potuerunt, & citat teſtem Linduodium. Habet quidem Linduodius in conſtitutionem Iohannis Stratford Archiepiſcopi Cantuarienſis, titulo de ſequeſtrationibus cap. Frequens hæc verba, *Horum nempe Vicariorum generalium, potestas differt ab officialium principalium poteſtate. Nam Officiales dicuntur, quibus cauſarum cognitio generaliter per habentes iuriſdictionem Eccleſiaſticam committitur, & in tales transfunditur cognitio cauſarum totius diœceſeos, non tamen inquiſitio nec correctio ſive punitio criminum, vt legitur in c. licet de officio Vicarii l. 6 nec poſſint aliquos amovere à beneficiis, nec conferre beneficia niſi ſpecialiter fuerint talia eis commiſſa. Sed vicarii generales omnia prædicta facere poſſunt virtute officii, excepta collatione beneficiorum, vt patet de Officio Vicarii c. vlt. l. 6.* In articulis pro clero editis anno 1584 ſtatuitur, quod unuſquiſque, *Vicarius generalis, Officialis ſeu Commiſſarius, qui ordines Eccleſiaſticos non ſuſceperit, eruditum aliquem Preſbyterum ſibi accerſet & aſſociabit qui ſufficienti authoritate vel ab ipſo Epiſcopo in iuriſdictione ſua, vel Archidiacono (Preſbytero exiſtente) in iuriſdictione ſua munitus, idque ex præſcripto ipſius iudicis tunc præſentis excommunicationis ſententiam pro contumacia denunciabit.* His verbis vides Vicarium Generalem poſſe excommunicare, & ſi ordines ſacros ſuſceperit, poſſe per ſe denunciare ſententiam, ſi non, per Preſbyterum auctoritate munitum, quod reipſa idem eſt, ut ſupra obſervavimus. Et licet ex generali commiſſione Vicarius generalis aut officialis

Episcopi beneficia conferre non possunt, possunt tamen, si beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa, ut habetur in 6 decretal. titul. de officio Vicarii cap. cum in generali. Et Canisius ait. *Quæ autem concernunt jurisdictionem rerum spiritualium veluti sunt inquirere, punire, corrigere excessus subditorum, conferre beneficia & officia Ecclesiastica vel adimere, aliaque huiusmodi, ea rectè alteri committuntur, sed speciali mandato, quem licet vocare Vicarium in spiritualibus.*

Summa iuris Canonici l. 1 tit. 22.

Officialis principalis Episcopi dicitur in Ecclesia Anglicana Cancellarius & Officialis foraneus dicitur Commissarius. Sic enim distinguit Cowellus in Interprete. *Officialis inquit, in jure Canonico sumitur pro eo cui Episcopus generaliter committit spiritualis jurisdictionis provinciam. Et hoc sensu unus est in quaque Diœcesi Officialis principalis, quem statuta & leges hujus regni Cancellarium vocant Anno 32 Henr. 8 c. 15 cæteri, si sunt plures alii, jure Canonico Officiales foranei appellantur gloss. in Clement. 2 de rescriptis, sed apud nos Commissarii, ut in statuto Henr. 8 quandoque Commissarii foranei, Discrimen istud legere potes apud Linduodium tit. de sequestrationibus cap. 1. Sed vox hæc Officialis in statutis nostris & jure communi significat eum quem surrogat Archidiaconus in exercitium iurisdictionis, ut liquet ex dicto statuto & aliis locis pluribus. Commissarii vox titulus est Ecclesiasticæ iurisdictionis (saltem quousque commissio permittit) in partibus Diœceseos à primaria civitate tam longe dissitis, ut Cancellarius subditos ad principale consistorium Episcopi citare non posset absque magna eis molestia. Iste Commissarius à Canonistis dicitur Commissarius vel Officialis foraneus Lindw. de accusat. c. 1 verb. mandat. Archiepisc. in glossa. & in hunc usum institutus est, ut suppleat vices Episcopi in iurisdictione & officio in remotis diœceseos partibus, vel in parœciis Episcopo peculiaribus, & ab Archidiaconi iurisdictione exemptis. Nam ubi sunt Archidiaconi qui præscriptione aut compositione habent in archidiaconatu suo iurisdictionem, ut plerisque locis habent, ibi Commissarii opera est supervacanea, & plerumque divexat & obturbat populum ob lucrum potius quam delinquentium mores corrigere conatur. Proinde Episcopus ab Archidiacono quotannis præstationis nummos accipiens pro exteriori iurisdictione ut vulgo dicitur, onerando ipsius circuitum Commissario, non modo iniuria afficit Archidiaconum, sed etiam & multo magis tenuiores ex plebe, ut communis praxis docet, magno ipsorum malo.* Episcopi Cancellarii & Commissarii, & Archidiaconi Officiales, à Canonistis communi appellatione Officialum indigitantur, sed distinguuntur in Officiales principales, Officiales foraneos, & Officiales Archidiaconi. In legibus & statutis Angliæ Officialis principalis dicitur Cancellarius (quorum unus erat Gulielmus Linduodius glossator in provinciales constitutiones), Officialis foraneus Commissarius, Officialis Archidiaconi simplici appellatione Officialis

cialis. Non adeo vetusta est Cancellarii dicto sensu appellatio ac Officialis, ut observat Fildus de Ecclesia lib. 5 p.1‹3, de qua voce vide Onuphrium in interpretatione vocum Ecclesiasticarum voce Cancellarius.

Archidiaconi habent in ditione sibi subdita jurisdictionem. *Singulæ propemodum diœceses præsertim quæ maiores in Archidiaconatus quibus Archidiaconi Episcoporum oculi invigilant quandoque quartam, sæpe quarta minus aut magis amplam diœcesis partem complectentes: Minores enim aliquot unum tantum habent Archidiaconatum, ut Cantuariensis, Roffensis, Wigorniensis, Glossicestrensis, Bristoliensis & aliæ.* Officium Archidiaconorum (qui post Episcopum potiorem locum obtinent) est inquirere in visitationibus suis de Ecclesiarum sartis tectis, suppellectile & utensilibus Ecclesiæ & de excessibus Ecclesiasticis mulctandis, & referre ad Episcopum graviora quæque. *Visitationem per modum scrutationis simplicis tanquam Vicarius Episcopi habet Archidiaconus de iure communi,* (inquit Linduodius) *sed in tali scrutatione ut nomine suo correctiones faciat, præterquam in levioribus, nisi consuetudo hoc sibi tribuat munus non habet.* Ex privilegio & consuetudine præscripta tamen possunt corrigere etiam graviora, *Initio Archidiaconi missi solummodo ab Episcopo ad visitandū & referendum, non ad ferendum sententiam in ullius causa, aut ut correctioni ac reformationi ullius rei se immiscerent, sed postea progressu temporis authoritate muniti sunt ad iudicandum & corrigendum ac reformandum leviora. Unde in Concilio Lateranensi sub Alexandro 3 statutum, ne Archidiaconus ferat sententiam in aliquem. At in Concilio Rhotomagensi* (*apud Poverum 2 class. sect. 2 ex Burchard. lib. 1 cap. 90*) *constitutum, ut Archidiaconi & Archipresbyteri sint præcursores Episcopi, & corrigant ac reforment, quæ sunt leviora & minoris momenti. Inde evenit, quod Archidiaconi quorum opera multum usus est, & qui Episcopum in visitationibus ut plurimum comitabantur, & leviora delicta corrigebant, tandem etiam gravioribus coercendis se immiscebant, & postea præscriptionis titulo graviorum delictorum correctionem sibi vendicarunt. Atque ita Diaconi saltem primarii, scilicet Archidiaconi* (*quibus initio non licebat sedere coram Presbytero, nisi iubente*) *ratione demandatæ illis ab Episcopo operæ, tandem non modo Presbyteris vulgaribus, sed etiam ipsis Archipresbyteris maiores evaserunt. Idcirco ab omnibus conceditur Archidiaconos nullam iurisdictionis authoritatem & potestatem habere vi gradus aut ordinis sui, sed solummodo præscriptione, nec maiorem, quam ut præscripserant, cui tamen præscriptioni æquitas inesse videtur, quia existimatur Episcopum consensisse eorum exercitio in iis regiminis partibus, quas præscriptione sibi asserere possint,* ait Fildus Hierarchicus. Concilio Toletano quarto quod celebratum fuit sub Honorio

Provinc. tit. de officio Archidiaconi cap. Ut Arch.

De Eccles. lib. 5. c. 29

Can. 35 vide Gratianum 10. qu. 1 ca. Episcopum.

decretum erat in hunc modum. *Episcopum per cunctas Diœceses parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat quo unaquæque basilica in reparatione sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequit, Presbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui in reditus basilicarum, & reparationes, & vitam ministrantium inquirant.* Episcopus autem, ait Fildus misit plerumque Diaconos præsertim Archidiaconos, qui erant inter Diaconos primarii, & tantum ministri Ecclesiæ & Episcopo magis vacabant quam Presbyteri, expectantes mandata, & ad expediendum negotia parati. Habes hîc lector ortum & progressum authoritatis Archidiaconi. Sed quod ait Fildus existimari nihil hic absurdi esse, quia videtur Episcopum consensisse, quatenus præscripserint, an quid absurdius? Sic consuetudine præscripta tueri potest suam jurisdictionem omnimodam pontifex Romanus; sic turpitudo omnium fere errorum ac abusum in Ecclesia Papana velari potest. *Consuetudo quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est,* ait Cyprianus in epistola ad Pompeium contra epistolam Stephani, vide locum in Gratiani decreto dist.8 cap.8. Vbi etiam Nicolaus Papa habet hæc verba ca.4. *Mala consuetudo quæ non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari,* & Augustinus l. 3 de baptismo contra Donatistas cap. 6. *Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Audiamus Hieronymum invehentem contra Diaconorum supercilium Epistola ad Evagrium. *Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius orbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas? Omne quod rarum est plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles Presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterum etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent & stant Diaconi licet paulatim increbrescentibus vitiis inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaconum viderim, & in domesticis benedictionibus benedictionem coram Presbyteris dare. Discant qui hoc faciunt, non se rectè facere, & audiant Apostolos. Non est dignum, ut relinquentes verbum Dei ministremus mensis. Sciant quare diaconi constituti sunt, legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suæ.* Et eadem epistola. *Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?* Autor Quæstionum veteris & Novi testamenti quæ extant apud Augustinum to-

me

mo quarto quest. 101. habet similia. *Quidam qui nomen habet Falcidii duce stultitia & civitatis Romanæ iactantia Levitas sacerdotibus, & diaconos Presbyteris coæquare contendit, non dicam præferre, quia stultius est & forte incredibile videtur, & nos non emendatores sed calumniatores babeamur. Qua igitur lege, quave consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum scire arbitror, vt istos quibus consessus in Ecclesia datus est, minime iis coæquet, qui propter quod antistites Dei sunt in domo Dei & in honore Christi cum dignitate consistunt. Quæ audacia est Presbyteris ministris ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumptio sacerdotibus baiulos tabernaculi & omnium vasorum eius & lignorum concisores & portitores aquæ conferre.* Et infra. *Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur, quam apud cæteras Ecclesias propter magnificentiam vrbis Romanæ, quæ caput esse videtur omnium civitatum. Si itaque sic est hoc, debeat & sacerdotibus suis vendicare quia si ii qui inferiores sunt, crescunt propter magnificentiam civitatis, quantò magis qui potiores, sublimandi sunt. Quicquid enim Officialibus præstatur, augmentum fit potestati, sicut honor servi ad laudem proficit Domini.* Et prope finem. *Et iterum quo inflentur, & putent sibi multum deberi à nobis: Perducuntur enim, inquiunt, qui ordinandi sunt, vt dum lateri illorum septi sunt honore digni videantur. Fateor facti eorum esse, sed quasi officialis, Ab Episcopo enim mittitur, vt obsequium præbeat ordinando.* Tota quæstio illa insumitur in isto argumento, *Quomodo contra Levitas Romanos disceptandum sit, qui contendunt levitas sacerdotibus & diaconos Presbyteris coæquare.* Videmus ubi cœperit Archidiaconorum authoritas vel potius supercilium & insolentia, Babylone occidentali unde omne malum, & quousque provecti sunt. Presbyteris in Ecclesia Anglicana non pares sed multis gradibus superiores sunt, & vt refert Cartwrightus *dedignantur pastores probatissimos Ecclesiæ agnoscere sibi æquales.* Archiepiscopi *Reverendissimi*, Episcopi *Reverendi*, Archidiaconi *Venerabilis* elogio cohonestantur; Presbyterorum turba nullo ornatur honoris cognomento. Archidiaconi per totam fere Angliam vi solus præscriptionis ceu consuedinis sub Papatu præscriptæ in Archidiaconatu suo jurisdictionem exercent, visitant, scedulas detectionum quas Anglice *Bills of Presentments* vocant, accipiunt, consistoria habent, ubi vel per se vel officiales quos surrogant, jurisdictionem exercent in ministros aut laicos. Quàm gravis & molesta subditis fuerat utriusque Episcopi simul & Archidiaconi jurisdictio in visitationibus, & in curiis Ecclesiasticis patet ex Canone 121 Constitutionum anni 1604. *In partibus iis, vbi Episcopus & Archidiaconus sive ex præscriptione, sive ex compositione ad diversa vnius & ejusdem anni tempora visitationes suas obire consueverunt, ne Maiestatis suæ subditi in pluribus Curiis Ecclesiasticis super vno & eodem crimine, non sive gravi ipsorum molestia) postulatur*

1 *Repl. p. 73*

postulentur, statuimus & ordinamus ut quilibet Archidiaconus vel eius Officialis infra unum mensem, post peractam eo anno visitationem, & præsentationes acceptas, Episcopum vel eius Cancellarium sub sua manu & sigillo instruat ac informet de omnibus, & delictis eorum omnium qui in visitatione sua fuerint detecti & præsentati, quo is super ulla causa aut crimine ad Archidiaconum prius delato aliquem convenire deinceps abstineat. Pari ratione decernimus ut Cancellarius, infra idem tempus post finitam Episcopi visitationem, & detectiones receptas eorum sontium nomina & delicta, quos in proxima ipsius visitatione præsentari contigerit, sua subscriptione & sigillo verificata, ad Archidiaconum vel eius Officialem in prædictum finem transmittat. Quod si dicti Officiarii vel se invicem (sicut præfertur) instituere aut informare omiserint, vel post factam eiusmodi informationem, personas aut culpas in aliena visitatione detectas & præsentatas attigerint, tunc eorum quilibet sic delinquens ab omni iurisdictionis suæ exercitio per Episcopum Diœcesanum eatenus suspendetur, donec expensas omnes per hanc molestiam susceptas personæ gravatæ restituerit. Puto tamen subditos hoc gravi onere non esse levatos. Vtcunque est, hac transactione prædam inter se dividunt Archidiaconus & Episcopus, Cancellarius & Officialis Archidiaconi. *Et nota quod Archidiaconus, etiamsi non subsit causa, potest semel in anno visitare: sed si subsit causa sæpius visitandi, potest etiam sæpius in anno visitare. Nec obstat extra e.c. 1. ubi dicit quod debet visitare de triennio in trienniũ, quia hoc debet intelligi sic, scilicet de triennio in triennium visitet de necessitate, sed quolibet anno potest visitare si velit,* inquit Linduodius. De procuratione visitationis tum Episcopi tum Archidiaconi, supra diximus. In constitutione quæ adscribitur Iohann. Stratford sic statutum. *Sacro approbante Concilio statuimus ut hi qui admissos ad beneficia Ecclesiastica ad mandata superioris tenentur inducere, pro inductione huiusmodi facienda sumptibus contententur moderatis, videlicet si Archidiaconus inducat, 40 denariis, si suus officialis, duorum solidorum perceptione pro singulis suis & suorum expensis pro dieta penitus sit contentus.* De 40 denariis, ait Linduodius, *Quæ summa sufficere videtur pro quatuor personis & totidem equis cum uno summario.* Ad objectionem ex titulo de Censibus cap. *Cum Apostolus*, ubi conceditur Archidiacono visitanti accipere procurationem pro 7 equis, respondet, alternativè ibi dici 7 vel quinque. *Vnde considerato minori numero bene sufficiet hæc summa, maxime cum in inductione facienda non oporteat Archidiaconum tot equitaturis stipari, sicut in sua visitatione, ubi opus est ut plures habeat ministros, videlicet Officialem suum & Registrarium, præter alios suos familiares & servientes pro tunc sibi & suis necessarios, quos tamen secum habere omnes non oportet in hoc actu* nempe inductionis. Vide quò equestre genus Archidiaconorum evectum est supra pedestre Presbyterorum, quibus præsentibus non licebat

Tit. de institutionib. 1ª quia.

licebat olim sedere Diaconos. Ad fucandum istum fastum & Archidiaconorum authoritatem & eminentiam supra Presbyteros, dicit Fildus Canonibus Ecclesiæ Anglicanæ cautum esse, ne quis Archidiaconi officio fungatur nisi qui Presbyteri ordinem susceperit. Esto; non tamen officio Archidiaconi fungitur quatenus Presbyteri, sed quatenus Archidiaconorum locum occupantes, & quam consuetudine præscripta acquisiverunt jurisdictionem eandem eodemq; nomine exercentes. Quis docuit conferre utrumque munus in unam eademque personam, cum disertè sejunxerint Apostoli istas duas functiones Presbyteri & Diaconi Act. 6, ut Presbyteri possint vacare sermoni & doctrinæ. Præterea unde habet Presbyter unus magis quàm alius jurisdictionem in plures Presbyteros eorumque greges. Denique falsum est omnes Archidiaconos Anglicanos esse etiam Presbyteros. Nam quid sibi volunt verba illa *Archidiacono Presbytero existente* vel non existente in Articulis Cleri anni 1584, & in constitutionibus anni 1597. Lib. 5. ca. 29

De officialibus Episcoporum principalibus & foraneis, & Archidiaconorum qui simpliciter Anglis Officiales dicuntur pauca dicenda sunt. Hi sunt judices illi surrogati, qui Episcoporum & Archidiaconorum nomine jurisdictionem exercent in eorum consistoriis, & sunt plerique Doctores juris civilis in nullo sacro ordine constituti, ut supra ostendi. Choppinus de sacra politia lib. 2 p. 240 refert oportere Officiales Episcoporum & Archiepiscoporum Ecclesiæ Gallicanæ gradum aliquem suscepisse & in ordine Presbyteratus constitutos esse. *Les Officiaux des Evesques & Archevesques doivent estre graduez & constituez en ordre de prestrise, & ne peuuent tenir de l'Evesque le seau à ferme ne autre chose. Par L'art 45 de l' Edict de Blois Can. omnis Oppressus 2 quæst. 6 parlant de clericorum causis sacerdotali tantum judicio disceptandis.* Anglicani licet non sint in ordine Presbyteratus constituti non secus tamen de causis Ecclesiasticis judicant quam si ipsi Episcopi & Archidiaconi interessent consistorio & judicarent. *Officiales nempe Episcopi habent idem auditorium cum Episcopo de appell. c. Romana in princ. l. 6. Nec ab eis appellatur ad Episcopos, sed ad eos ad quos appellaretur ab ipsis Episcopis, ut ibi patet. Non tamen sic est in aliis, qui non sunt Officiales principales, quales sunt officiales foranei etiam ad universitatem causarum in certa parte Diœceseos deputati* & idem, *si duo sint deputati æqualiter, tamen unus eorum residet in loco principaliore nam ille censebitur Officialis principalis*, inquit Linduodius. Dixit supra Linduodius in officiales principales transfundi cognitionem causarum totius Diœceseos non tamen inquisitionem, nec correctionem criminum: & dicto capite ait, *horum Officium maximè consistit in causarum cognitione, quæ per commissionem eis etiam generaliter factam in eos virtute ipsius officii transfunduntur. Cessat tamen eorum potestas in cri-* De sequestr. cap. frequens v. Officiales.

minum correctione, excessuum punitione, & à beneficiis vel administrationibus amotione: nec etiam conferre possunt beneficia absque speciali commissione. De sui sæculi consuetudine scribit Linduodius. Sed quanta sit nostro sæculo ipsorum authoritas patebit ex sequentibus. In constitutionibus anni 1571 habetur hic canon. *Nullus horum, nec Cancellarius, nec Commissarius, nec Officialis in cognitione causarum procedet vsque ad ferendam sententiam excommunicationis, nisi tantum in causis instantiarum. In correctionis negotiis alia quidem facient omnia, quæ de jure possunt & solent fieri. Excommunicationis autem sententiam deferent tantum ad Episcopum: eamque aut ipse per se pronunciabit, aut gravi alicui viro in sacro ministerio constituto pronunciandam committet.* Hîc vides Cancellarios, Officiales, & Commissarios iudicare de causis non modo instantiarum sed etiam correctionis. Ibidem; *Cancellarii, Officiales, Commissarii omnem adhibebunt diligentiam, vt cæteri omnes qui ipsorum jurisdictioni subjiciuntur, officium faciant. Imprimis verò, vt Rectores, Vicarii, & ministri Ecclesiarum studiosè versentur in sacris literis, & sibi libros ordine & professioni suæ congruentes comparent, vt quicunque ad Magisterium Artium non accesserit, emat sibi duos libros Novi Testamenti, alterum latinè translatum, alterum Anglicè, vt illorum quisque memoriter ediscat ea pensa scripturarum, quæ illi vel ab Ecclesiastico iudice Ordinario, vel ab alio cujus fidem & industriam, Episcopus eligere maluerit, fuerit imposita: vt observet ordines & ritus descriptos in libro publicarum precum, tam in legendis sacris scripturis, & precibus dicendis quàm etiam in administratione sacramentorum, vt neve detrahant aliquid, nevè addant, nevè de materia nevè de forma: vt honestè se gerant & in gravi vestitu in libello admonitionum proposito,* in the book of Advertisements, *modestè & decenter ambulent &c.* Item, *Videbunt etiam ne Rector Vicarius aut Parochus vspiam inserviat vel in capella vel in Oratorio, aut publicas preces dicat in cuiusquam privatis ædibus, nisi Episcopus autographo suo, & manus suæ subscriptione eius rei potestatem fecerit.* In Canonibus anni 1604 statutum, ut delicta Cancellariiis Commissariis & Officialibus detegantur. Canone 112 statutum, *Vt quotiescunque in Curia aliqua Ecclesiastica ad quemlibet provinciæ Episcopum spectante, contra ministrum accusatio instituetur, Cancellarius, Commissarius, Officialis vel quivis alius Ecclesiasticam jurisdictionem obtinens (cuius intererit) causam omnem per processus aliasque vias & modos adversus eum expediet, eiusque in non comparendo contumaciam primò suspensionis, eandem vero continuatam excommunicationis pœna vlciscetur. Sin autem debitè comparens legitimo iuris processui se submiserit, tunc, vbi causæ maturitas sententiam postularit, si fortè delicti meritum vel deprivationem vel depositionem à sacris ordinibus ex decreto iuris exigat, nullam eiusmodi sententiam pronunciari volumus, præterquam per Episcopum adhibitis &c.* vide reliqua

supra

ſupra pag. Vides Commiſſarium, Officialem, vel Cancellarium poſſe ſuſpenſionis, deinde excommunicationis ſententia miniſtri contumaciam in non comparendo ulciſci; & ſi comparuerit, & juris proceſſui ſe ſubmiſerit, cauſam maturare uſque ad ſententiam, quam etiam pronunciare nulla religio vetat, ſi licet excommunicare. Sed pronunciatio ſententiæ reſervata Epiſcopo & ejus Cancellario Decano & aliquot præbendariis fallacia eſt ut ſupra oſtendimus pa.404. Meritò igitur Cartwrightus de hac ſeruitute queritur. *Perſpicere poteſt lector*, inquit, *quam indignis modis Eccleſiam tractent Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Archidiaconi, quibus non ſufficit per ſe tyrannidem in eam exercere & quæ ſibi non competunt privata authoritate ſua ſibi arrogare, ſed etiam in ſervitutem redegerunt ſub ipſorum ſervos & ſervorum ſervos, intelligo Cancellarios, Commiſſarios*, &c. Illud etiam quod Cancellarius vel Officialis non cunſtitutus in ſacris ordinibus nempe nec Preſbyter nec Diaconus adjunget ſibi Preſbyterum qui pronunciet ſententiam excommunicationibus, quàm ridiculum ſit oſtendimus etiam ſupra pag.404. Præterea dicit Cartwrightus excommunicationes & abſolutiones in eorum Curiis non eſſe gratuitas, ſed à miniſtris curiæ, quotquot inciderint in ipſorum manus, argento emungi, qui hoc quæſtu vberrimo cum omni ſplendore & feſtivitate vitam tranſigunt: imo & abſoluere unum pro alio. *Curia Commiſſarii* inquiunt admonitores in Admonitioue ad Comitia anno 1570 *quid aliud eſt quàm fœtida lacuna. In hac Curia vnus ſolus excommunicat, vnus ſolus ſedet iudex, & qui pro arbitrio quam tulit ſententiam revocare poteſt etiam invocato jam nomine Dei & quidem pro pecunia, quod dicitur commutatio pœnitentiæ. In hac Curia excommunicabitur quis ob non ſolutos duos denarios, vel ſi non comparuerit citatus. Hæc Curia expilat parœcias, cruciat pauperes Sacradotulos, Oeconomos onerat manifeſtis periuriis, adulterium & fornicationem caſtigat ridiculis cenſuris, remittit abſque ſatisfactione Eccleſiæ præſtita, & id genus mille abominatioues perpetrat, vbi iudices, Advocati, Procuratores plerique ſunt Pontificii. Quod ad Scribas & Notarios ſunt avidi belluones. Quod ſi fortè viderint ſcriptum iſtud, exacerbarentur vt veſpæ, & pungerent vt Crabrones. Tres eorum ſufficerent vt ad mortem quemvis fodicarent quippe quod ſunt Commiſſarii celſæ commiſſionis.* Item, *qui ſunt eorum Cancellarii, niſi ſuſpecti papatus. De nemine audio qui non ſit dorodocus? Qui eorum Apparitores niſi ſervi viliſſimi. Quid Canoniſtæ niſi ſuſpecti pontificii? Apud quos magis pollent exiſtimatione quam Epiſcopos? vt ſint eorum præcipui adiutores & commiſſarii celſæ commiſſionis, vt vna cum iis fratres obtorqueant, ſi ſunt viri pii, & pontificios libertate donent, vel levius caſtigent? Quomodo tractantur cauſæ in eorum Curiis, nonne pro arbitrio Reginæ pecuniæ? Quanto oneri ſunt Clero; Quantam ſummam corradunt quotannis, cui alioqui parci*

2 Repl. part. 2 p.69.

Ibidem.

 poteſt?

potest? Non est minutulum quid quod sustentat eorum Curias. Item, *Offendere: castas aures audire obscœna litigia in eorum Curiis. Apparitores imo Registrarii ipsi, Archidiaconus, & Magister Cancellarius sæpe sibi temperare nequeunt, quin oporteat in risum solvi.* Vides ubi comparare possunt socios vel commilitones in celsa commissione Episcopi ad exercendam tyrannidem in Ecclesiam, ex ipsorum Curiis officiales Cancellarios & Commissarios, servum pecus. Quod hîc dicitur de Cancellariis & Officialibus suspectæ fidei, Episcopi postea in Canonibus provincialibus simulabant se emendaturos. Sed quid boni hîc expectandum ab iis qui ipsi eodem morbo laborant. Et quid miri si munera captent, *cum quidam Cancellarii & Officiales pendant 20 quidam 30 quidam 50 libras. Registrarii quidam 100 quidam 200. Quomodo igitur caveri potest, ne extorqueant ab aliis, & iniquis & non ferendis exactionibus resarciant reditus*, inquit defensor Petitionis contra Oxonienses. Qui charè emit chariùs vendit. In decretalium libro quinto habetur titulus, *Ne prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.* cap. 1, sic Alex. 3 in Concil. Lateran. *Præterea quoniam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Episcopalem jurisdictionem exercent: Præsenti decreto statuimus, ut qui de cætero hoc præsumpserit, officio suo privetur: & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.* Et in glossa ibidem dicitur *Si Episcopus committat vices suas alicui, potest & debet constituere salarium de camera sua, cum ille ad hoc non teneatur.* cap. 2 eiusdem tituli. *Quoniam in quibusdam partibus Decani quidam vel Archipresbyteri ad agendas vices Episcoporum seu Archidiaconorum & terminandas causas Ecclesiasticas sub annuo pretio statuuntur, quod ad sacerdotum gravamen & subversionem iudiciorum non est dubium redundare, id ulterius fieri prohibemus.* Quæ his capitibus de decanis ruralibus jurisdictionem spiritualem habentibus dicuntur, de Cancellariis & Officialibus etiam dici possunt. Idem titulus habetur etiam apud Linduodium provin. lib. 5 *ubi extat constitutio Stephani Cantuariensis, ut Archidiaconatus vel Decanatus vel aliquod officium quod in spiritualibus mere consistit nulli detur ad firmam.* Choppinus etiam ut supra vidimus, refert non oportere Officialibus ab Episcopo sigillum locari in firmā vel annuum censum. Dicit Suarez posse summum pontificem vendere clericatum Cameræ & auditoratum Cameræ, quæ sunt munia constituta ad Ecclesiasticā jurisdictionem exercendam vice pontificis. Nam quia emolumentum temporale magnum erat, partem ejus sibi reservavit, eamque simul à principio redimi voluit, & ita sine simonia, *aut venditione jurisdictionis spiritualis illud emolumentum exigit in prædictis officiis conferendis. Inferiores vero prælati non habent tantam potestatem, & ideo non extenditur hæc licentia.* De potestate pontificis

Pag. 213.

Tom. de virtute & statu religion &c. tom. 1 de simonia cap. 20.

tificis Romani non nunc disceptandum est; sed eandem potestatem negat inferioribus prælatis. Vices suas aliis concedere Episcopis non licet, si modo jure divino claves & jurisdictio fori exterioris iis committuntur. At vices sub annuo censu addicere & quasi auctionari fœdæ pactionis speciem præ se fert, quam Canones non probant. Sed Redeamus. Muckerus Cancellarios Ecdicorum, quorum mentio Canone 2 Concilii Chalcedonensis, munus administrare asserit. *Etenim Cancellarii, inquit, utriusque juris periti Episcopis in audiendis Ecclesiasticis causis contentiosæ iurisdictionis præcipuè sunt adiumento: eiusmodi officio antiquitus fungebantur Ecclesiædici seu Episcoporum Ecdici.* Dicto Canone medii locantur inter œconomos & paramonarios vel ut alii, mansionarios. *Paramonarii autem erant è genere eorum qui res Ecclesiasticas administrabant id est villici sive actores possessionum*, inquit Doctissimus Cuiacius in titulum codicis de Episcopis & Clericis. Gentianus Hervetus & alii interpretes reddunt ἔκδικον canone illo Defensorem. Erant Ecdici alii politici alii Ecclesiastici. Ecdici dicti civitatum defensores item ἐκδικηταὶ, quorum munus erat judicio experiri contra eos, qui aurum vel argentum vel pecuniam Reip. debebant. Ecdici Ciceroni epist. ad Familiares l. 13 ep. 56, videntur dicti illi, quibus à civitatibus cura mandata erat, de his quæ deberent, cum privatis transigendi. Quænam igitur similitudo inter Ecdicorum politicorum & Cancellàriorum officia? In synodo Carthaginensi can. 57 videtur Ecdicorum munus fuisse pauperes adversus ditiorum & potentiorum tyrannidem defendere. *Quia autem nonnulli, ut verisimile est Episcopi, cum de pauperibus & afflictis dicerent, non exaudiebantur, statuerunt patres ut imperatores admonerentur, ut cum Episcoporum electione ab eis darentur* ἐκδίκοι *defensores pro reprimenda divitum tyrannide: ut sic cesset assidua Ecclesiarum perturbatio qua ab eis afficiuntur, qui ad eas accedunt, quod à potentioribus injuria affecti sunt*, ait Balsamo ibidem. Ibidem Zonaras, *Episcopi non tantum populos ipsorum curæ commissos docere sed eorum quoque patrocinium, si injustè lædantur suscipere, ac illos pro viribus tueri debent. Quoniam verò aliqui pollentes opibus Episcoporum quoque auctoritatem contemnebant, postulant ab Imperatore huius synodi patres* δοθῆναι τινὰς ἐκδίκους, *ut Defensores aliqui constituantur qui simul cum Episcopis potentiorum tyrannidem reprimant, ne pauperum oppressionibs, hoc est gravibus iniuriis, quæ ipsis inferuntur, assidue Ecclesia perturbetur, hoc est ob pauperes ad ipsam confugientes, atque ab ea sibi opem implorantes, assiduis perturbationibus implicetur.* Vides Ecdicorum ceu Ecclesiecdicorum (non autem Episcoporum Ecdici dicti sunt apud veteres, quod memini)

Ab Anglis accepi apud Anglos eundem esse Vicarium generalem in spiritualibus & Cancellarium Dioceseos, quod de quibusdam dioecesi. vere dici potest non tamen de omnibus, ut videtur quia canones Anglicani distinguunt Cancellarios a Vicariis.

In eo ibi hallucinatur quod verba novel 15 Ecdicis Ecclesiasticis accommodat.

ni) munus, quorum auxilium adhibitum, quia despectui habita Episcoporum authoritas. An quis Cancellarii dicto audiens erit, qui Episcopum spreverit? Quod autem imponit Zonaras Episcopo patrocinium populi ex Episcopo facit ἀλλοτριοεπίσκοπον, si præter fines vocationis velit suscipere causarum civilium cognitionem & judicium. Nec id volunt verba Canonis, sed tantum defensorem pauperum Ecclesiæ opem implorantium μετὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων προνοίας ἐπιλεχθῆναι *cum Episcoporum providentia* ceu provisione *deligi*. Horum Ecdicorũ primus dicebatur πρωτέκδικος, qui in Ecclesia Constantinopolitana ampliorem habebat potestatem ut & alii Ecdici quam in aliis. Sed quis fastum & dignitatum & officiorum sedis illius cum ipsa Babylone de prærogativa certantis, cuius Patriarcha Antichristi præcursor, non fastidiret. Πρωτέκδικος idem ut arbitror, qui Onuphrio primicerius defensorum in Ecclesia Romana. *Gregorius ut auctor est Johannes Diaconus remotis à suo cubiculo sæcularibus, Clericos sibi prudentissimos consiliarios, familiaresque delegit. Nemo laicorum quodlibet palatii ministerium, vel Ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici iuris munia Ecclesiastici viri subibant: ob quod nonnulli procerum se sub obtentu religionis tonsurare cœperunt.* Proceres igitur antè erant Primicerii Defensorum. Esto, aucta fuerit Ecdicorum potestas post Chalcedonensem & Carthaginensem synodos, & causis merè Ecclesiasticis se immiscuerint, sive in Cõstantinopolitana sive in Romana sive in utraque Ecclesia, non tamen erunt Cancellarii Ecdiccorum illorum Chalcedonensis & Carthaginensis synodi successores. Sed undecunque originem traxerint, à Satana invecti sunt ad excludendum Presbyterorum Senatum. Sivetus quod evincere non possuit quid inde? nonne & Satanas vetus veterator est. Ne quis fortè putet plus nimio invectum esse in Officiales audiat Petrum Blesensem in epistola ad amicum quendam, qua eum hortatus est, ut desinat esse Episcopi Officialis. *Quia te affectuosissimè deligo*, inquit, *in visceribus Jesu Christi, proposui te salutaribus monitis adhortari, ut de Vr Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestivus exeas, & ministerium damnatissimæ villicationis omittas. Scio quia cupiditas subvertit cor tuum, ut fieres officialis Episcopi. Credo huiusmodi Officiales non ab Officio nomine sed ab Officio verbo mutuasse vocabulum. Tota Officialis intentio est, ut ad opus Episcopi suæ iurisdictioni commissas miseras oves, quasi vice illius tondeat, emungat, excoriet. Isti enim sunt Episcoporum sanguisugæ, evomentes aliorum sanguinem quem biberunt. Quod aggregant per oppressionem pauperum, Episcopis quidem ad delicias cedit, officialibus ad tormentum. Episcopus quasi longa manu bona aliena diripit, & notam criminis à se removens, suis officialibus culpæ & infamiæ discrimen impingit.*

Interpretat. vocum Eccles.

Epist. 25.

pingit. Ideo quasi sub umbra Episcopi, & obtentu iustitiæ palliatæ subditos opprimunt, Ecclesias gravant, redditus alienos violenter inuadunt, oculos habent ad munera, pupillæ & viduæ non intendunt. Hanc administrationem quam tibi damnabiliter vsurpasti, patientius ferrem, nisi sacrarum literarum scientia præemineres. Causæ & judicia quibus te imprudenter, ne dicam impudenter immisces, potius consuetudinario & sæculari jure deciduntur. Virum literatum & Ecclesiasticum non sic decebat secularibus negotiis implicari. Apostolus ad Corinthios scribens dicit, sæcularia negotia si habueritis eos qui contemptibiles sunt inter vos, constituite ad iudicandum. Officium officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est iura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concinnare. Isti sunt qui hospites suos gravant superflua evectione & multitudine clientelæ: quærunt delicatos & superfluos cibos, cum scriptum sit Luc.10 7 comedentes & bibentes quæ apud illos sunt. De alieno enim prodigi, de proprio sunt avari, verborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, jura interpretantur ad libitum & ea pro voluntate sua nunc abdicant, nunc admittunt; bene dicta depravant, prudenter allegata pervertunt, rumpunt foedera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fovent. Calvinus officialem à pietate non alienum admonet epist.248 ut munere illo se abdicet. *Quam difficile sit purum atque integrum deo obsequium præstare quisque pro se experitur. Tua vero peculiaris ratio, qui iniustæ illius & sacrilegæ dominationis satelles esse cogeris, ac minister Disciplinæ quidem præesse honorificum est: sed vide quam strenue in purgandis flagitiis labores, quæ pueris quoque ipsis nota sunt. Tantum est vt de ebrietate aliisque vitiis taceam, scortandi licentiam in clero cohibere: nunc tecum reputa quam in hac crassa quæ omnibus nota est, obscœnitate, tolerabilis sit tua dissimulatio. Atque vt severissimus sis in hac parte, nempe hoc erit operæ tuæ pretium, vt idolis maneat integer cultus, vt sua sacrilegia exerceant vestri sacerdotes. Præcipuam enim jurisdictionis tuæ partem in hoc sitam esse non negabis, vt salva sit & intacta Papatus religio quam scis innumeris corruptelis scatere.* Sic Officiales Anglicani satellites sunt Episcoporum, Archiepiscoporum, & Archidiaconorum, eorumque præcipua jurisdictionis pars in hoc sita est, ut salva & intacta sit Hierarchia & liturgia Anglicana, id est Papatus Anglicani religio. Et infra, *Vt dicam vno verbo, etiamsi reipsa Christo tuum obsequium offerre coneris, titulus ipse Antichristi vexilliferum esse docet. Ad tam exitiale fædumque exemplum res ipsa accedit: quia si furtim nescio quid boni admisces, nunquam tamen à tribunali surgis quin multa officia præstiteri, impiæ dominationi cui mancipatus es. Reliqua iurisdictio in causis civilibus consumitur, vbi vtcunque summam æquitatem colere studeas, fines tamen à Domino*

præfixos

præfixos evertis, dum sub fallaci regiminis prætextu alienam provinciam usurpas. Et institut. l.4 cap. 11 sect. 6. *Fuit igitur facinus nimis improbum, quod unus homo nempe Episcopus translata ad se communi potestate & tyrannicæ libidini patefecit aditum, & Ecclesiæ, quod suum erat eripuit, & consessum à spiritu Christi ordinatum suppressit & abdicavit, sect. 7. Verum (ut aliud malum semper ex alio nascitur) Episcopi veluti rem sua cura indignam fastidientes ad alios ablegarunt. Inde creati Officiales qui locum illum sustinerent, nondum dico quale genus hominum, hoc tantum dico nihil differre à prophanis iudicibus. Et tamen spiritualem iurisdictionem adhuc vocant, ubi nonnisi de rebus terrenis litigatur. Ut nihil sit illud mali, forum litigiosum, qua fronte vocare audent judicium Ecclesiæ? At illic sunt monitiones, est excommunicatio. Scilicet ita cum Deo luditur, debet pauperculus aliquis pecuniam, Citatur, si comparet, damnatur &c.* Quid opus est multis? *De hoc vocabulo Officialis dicit Wil. in Clement. & si principalis de rescrip. quod hic dicitur ab officio, cis, quod idem est quod nocere, quia tales ut plurimum nocent maximè subditis quibus præsunt.*

Lindewode tit. de sequestrat. v. Officiales.

Procuratorum in Curiis Ecclesiasticis clamores importunos ipsis etiam judicibus & Advocatis molestos & Registrariorum ac Apparitorum, qui sunt Curiarum canes venatici, excessus quid memorem? Ex fœda illa colluvie Cancellariorum, Commissariorum, Officialium, Registrariorum, Procuratorum, Advocatorum, Apparitorum ecquid boni sperare possumus.

Curiæ istæ Ecclesiasticorum Senatuum jura invaserunt, & causarum civilium simul & Ecclesiasticarum Babylonicum chaos in forum suum invexerunt. *Denique si de causarum Ecclesiasticarum disceptatione quæritur, ac præsertim de correctionis disciplina, ubi quæso in papatu invenias Presbyterorum collegium? ubi legitima judiciorum forma, quibus erudiantur indocti & peccatores ad resipiscentiam adducant, ubi Dei verbum? ubi veteres Synodi & Canones ad convincendos hæreticos? Penes quos est excommunicandi potestas, & quibus de causis? quæ absolutionum & satisfactionum Ecclesiasticarum formula?* quærit Venerabilis Beza in Antithesi Papatus & Christianismi. Hæc omnia pungunt etiam Ecclesiam Anglicanam.

Sunt & quidam Decani ac Præbendarii qui jurisdictionem exercent, sicut supra dictum est. Præterea in singulis, *fere Diœcesibus Episcopalibus sunt Ecclesiasticæ jurisdictiones exemptæ,* ait Mucketus, *aut ab Archidiaconatibus & Diœcesi Episcopali: aut à Diœcesi Episcopali & provinciæ Archiepiscopali, vel denique à provincia Archiepiscopali & Regiæ Maiestati ratione Appellationum, immediatè sunt subditæ.*

De politia pag. 294.

P

CHAP. VII.

De Suffraganeis & Decanis ruralibus.

HActenus de personis habentibus administrationem minus amplam eamque judicialem, sequuntur habentes,

Minime judicialem, Iique sunt vel Ecclesiastici vel Laici, Ecclesiastici, Diaconus, & Minister. Iique functionem habent vel absque titulo perpetuo ut Curati, vel cum titulo, iique habent præter communem peculiarem functionem vel minime peculiarem.

Præter communem peculiarem functionem, vel per totam aliquam Diœcesin, ut Episcopi titulares, qui olim Chorepiscopi nunc Episcopi Suffraganei vocantur, veniuntque considerandi secundum locum quem tenent, In Republica proximum post Barones, vel in Ecclesia ut pote qui Episcopi sunt vocatione & ordine, sed carent jurisdictione, Coadjutores aliorum Episcoporum quorum vice nonnunquam ordinant ministros & Diacanos, Dedicant Ecclesias, Confirmant pueros ante informatos Rudimentis Christianismi, in Diœcesi ipsis attributa.

In parte aliqua Diœceseos ut Archipresbyteri quos Decanos rurales vocant, atque nunc plerumque adhibentur, Ad convocandum suam classem, ad significandum iis nonnihil ab Ordinario ut fit per literas, Ad inducendum in beneficia vice Archidiaconi remotiùs agentis.

Dicitur hîc Suffraganeos Episcoporum olim Chorepiscopos fuisse dictos, sed Mucketus Decanos rurales potiùs Chorepiscopis successisse existimat, *Decani rurales*, inquit, *veteris Ecclesiæ Chorepiscopis & Archipresbyteris Regionariis haud absimiles ab Episcopis qui* *De polit. p. 339.*

Ppp illos

illos adhibent, plerumque adhibentur ad convocandum Clerum ad significandum Presbyteris & Diaconis infra suos Decanatus nonnihil ut fit, per literas, ad inducendum in beneficia vice Archidiaconi remotiùs agentis. Chorepiscopi initio Episcopis urbanis potestate pares, eorumque rivales eandem omnino jurisdictionem exercebant quam Episcopi urbani, postea diminuta est eorum potestas retento tamen nomine. Sed & Episcopi in Chorepiscopi titulo vocem oderunt *Episcopi*, quia metuebant ne forte antiqua jura repeterent, & ablato Chorepiscopi nomine Archipresbyteros rurales, tandem Decanos rurales appellarunt, & in gradum Archidiaconatu inferiorem detruserunt, Vel *etiam dici potest*, inquit Bleynianus, *hoc fuisse factum, nempe ut Archipresbyteri Archidiaconis cedant imo etiam subsint, ne propter subrogationem in locum Chorepiscoporum superbirent Archipresbyteri, & idem sibi, quod antea Chorepiscopi arrogarent, si immediatè Episcopis supponerentur.* Et jure quidem vendicare sibi possunt Archipresbyteri ratione ordinis sui, quod Archidiaconi non possunt. Nam Episcopus & Presbyter jure divino sunt ejusdem ordinis & gradus, non autem Episcopus & Diaconus. Vides igitur ex odio & metu Episcoporum non modo violatum jus divinum, sed etiam turbatum ordinem veteris Ecclesiæ, effectumque ut Archipresbyteri ordine maiores dignitate tamen minores essent Archidiaconis. Cum dico Decanos successisse Chorepiscopis non intelligo in omnem eorum potestatem, sed tantum in eorum locum & ditionem. Inde est quod ait Schultingius in Anacrysi Hierarchiæ. *In sublati Chorepiscopi vicem successit quidem ex parte Archipresbyter ruralis vel Decanus Christianitatis ad quem Gregorius 9 cap. Dudum, de privilegiis rescripsit.* Nam quod ad potestatem, Episcopus exuto omni potestate Chorepiscopo, eam omnem sibi vendicavit, eamque communicavit Cancellariis, Commissariis, Suffraganeis, Vicariis generalibus, partem aliquam reliquit Decanis ruralibus, sed minime judicialem nisi consuetudine præscripta eandem recuperarint. Sed ad Suffraganeos nostros redeamus, quibus committunt vices suas in conferendis ordinibus. Quod Episcopo maxime proprium clamitant, nempe Presbyterorum & Diaconorum Ordinationem aliis tamen titulo tantum tenus Episcopis, communicant, nempe Suffraganeis suis. Episcopi posterioribus hisce & corruptioribus sæculis, ut otio diffluerent, vel civilibus & publicis reipublicæ negotiis vacare possint, Suffraganeis ea quæ sunt ordinis, Cancellariis ea quæ sunt jurisdictionis commiserunt. Nihil quod Episcopale exercebant ipsi, ne implicarentur boni milites negotiis Ecclesiæ & rebus spiritualibus. Episcopus Guadicensis in Concilio Tridentino invectus est in Episcoporum titularium ordinationem. *Affirmabat eorum ordinationem esse Curiæ Romanæ inventum etiam hoc ipso verbo usus figmentum humanum:*

Introductio in praxin & theoriam benef. p. 422.

L. 16. p. 150

ejus apud antiquos nullum cerni vestigium. Nam si Episcopus olim Episcopatu exutus esset aut Episcopatum renunciasset, id sic acceptum quasi non amplius esset Episcopus, sicut cui uxor deest non est amplus maritus. Itaque legi apud antiquissimos Doctores Canonistas invalidas esse ordinationes habitas ab eo qui Episcopatum renunciavit. Simonias & ineptias quibus causam dant istiusmodi episcopi, alisque disciplinæ corruptelas nihil esse præ hoc abusu concedendi nomen episcopi iis, qui verè non sunt, & institutionem Christi & Apostoli immutandi. Fildus ex Melchiore Cano hæc habet de Suffraganeis. *Tales episcopi Melchior Canus disserens de Conciliis, & personis quibus Concilia consistunt, ait tantum abesse, quod habeant locum ullum aut suffragium in Conciliis, ut nec habent nec habere debeant locum ullum in Ecclesia. Episcopos de quibus illic sermo est, vocat annulares Episcopos, forte quod Episcopi qui completè sunt episcopi habeant & baculum & annulum, cum ad jurisdictionem suam tum matrimonium cum Ecclesia significandum, isti annulum solummodo haberent.* Si Episcopus potest uni communicare titulum & ordinem Episcopi, & sic potestatem ordinandi Presbyteros & Diaconos, potest & pluribus, omnibus Decanis sive Cathedralibus sive ruralibus, & ruralibus omnem veterem Chorepiscoporum jurisdictionem restituere. *Imo si vult Episcopus, & Canones non prohiberent, potest suos parochos plenè episcopos facere, & ordinare ut omnes sui ordinis actus plene possint explere: & simul ac in solidum cum ipso Ecclesiam gubernare,* inquit Spalatensis. Maledicant juri Canonico Parochi quod omnem ademerit ipsis jurisdictionem fori exterioris, & potestatem ordinationis absque ulla spe restitutionis. De Suffraganeis dicit Fildus, quicquid obtendant esse tantum Presbyteros, de Eccles l. 3 cap. 59. In constitutionibus anni 1604 can. 35 habentur hæc verba. *Quod si quis Episcopus vel Suffraganeus in sacros ordines quempiam sine prædictis qualitatibus aut justo, ut supra, examine, cooptarit, per Provinciæ suæ Archiepiscopum ea de re certiorem factum (assidente uno alio Episcopo) ab omni ordines conferendi potestate in integrum biennium secludetur.* Hic vides suffraganeum posse cooptare in sacros ordines. Et can. 60. *Cumque in triennali Episcoporum visitatione mos sanctissimi istius operis,* nempe Confirmationis, *peragendi in Ecclesia per multas ætates obtinuerit; volumus & ordinamus, ut quilibet Episcopus vel ejus Suffraganeus in consueta visitatione sua morem & ritum illum in propria persona diligenter observet.* Hic vides Suffraganeum posse confirmationis solemnitatem celebrare. De Suffraganeis vide plura pag. 31 32, de differentia inter Episcopos suffraganeos Archiepiscoporum & Episcopos titulares Episcoporum Suffraganeos, pag. 60 61 & de Chorepiscopis pag. 201 202.

Petri Suavi histor. Conc. Trident l. 8. pag. 803. edit. Francof.

De Eccles. l. 5. pag. 158

De repub. l. 2. cap 9. num. 15.

De Eccl. lib. 3. p. 159.

Decani rurales ante dicti Archipresbyteri vicani ceu rurales. Sunt autem, *Archipresbyterorum duo genera,* inquit Duarenus, *quo-*

De sacris minist. l. 1. cap. 8.

rum Vrbani quidam dicuntur, qui in vrbe & maiore Ecclesia officio suo funguntur. Cum enim Episcopus propter absentiam fortè vel occupationes suas (ab officio, puto, alienas) *non possit omnia Episcopi munia vel solus vel vnà cum Presbyteris obire, sed curas suas cum eis partiri necesse habeat: vtilius visum est, ex Presbyteris vnum cæteris præponere, qui ea quæ ad Presbyterorum officium pertinent, partim ipse exequatur, partim aliis facienda præscribat, quam omnibus simul Presbyteris id committere, ne contentio aliqua inter ipsos ex communione administrationis oriretur. Itaque Archipresbyter Vrbanus eam potestatem habet in maiore Ecclesia, quam quivis Presbyter in Ecclesia sibi assignata habere dicitur. Sed & cæteris quoque eiusdem eiusdem Ecclesiæ Presbyteris, qui Cardinales id est primarii & præcipui dicuntur, ad differentiam eorum qui in inferioribus Ecclesiis sunt constituti, haud dubie præest. Archiepresbyteri Vicani nullam in vrbe potestatem, nullum ministerium habent sed in maioribus, celebrioribusque pagis constituuntur. Ac singulis præter Ecclesiæ propriæ curationem, certarum Ecclesiarum, certorumque Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, inspectio, obseruatioque committitur.* De Decani appellatione hæc habet Scaliger in Opusculis. *De scholis militiarum hoc certò scias, quod in artificiis erat collegium, id in militiis fuisse scholam. Schola autem erat proprie corpus militum quod ad caput certum referebatur. Itaque in centuria militum erant decem decuriæ, quæ olim tabernacula dicebantur. Vnaquaque decuria, quæ ex decem militibus constabat, referebatur ad suum caput, quem Decanum vocabant, aliter autem caput scholæ. Hodie eius vestigia existunt in collegiis Ecclesiasticis seu, vt vocant Canonicis. Nam decimum collegii vocant alii Decanum, alii caput scholæ. Itaque in tota provincia Narbonensi ac meliori parte Italiæ Decanum vocant Capischol, hoc est, caput scholæ.* Decani rurales exiguam habent veterum Chorepiscoporum potestatem nempe convocandi Presbyteros suæ classis, & significandi nonnihil ab Ordinario per literas. Presbyteri classis sunt qui initio constituerunt Presbyterium Chorepiscopi. Non enim existimandum est Chorepiscopum, dum etiam Episcopo par erat, omnia gubernasse absque Presbyterio singulari aliqua potestate: nondum enim poliepiscopi illam Monarchiam sibi arrogarunt. Sed invalescente paulatim Episcopi urbani authoritate sensim decrevit Chorepiscoporum potestas; donec tandem devenerint ad Decanorum ruralium, vt vides infima subsellia. Non numeratur hîc ut vides inter personas judicialem administrationem, sed inter neminè judicialem habentes. In quolibet Decanatu continentur 9 10 aut 12 parœciæ. *Decanatus quibus præficiuntur rurales Decani antiquis Archipresbyteris non multū dissimiles, & cōprehendentes aliquando decē parœcias, quas Conc. Chalcedonense Rurales & Regionales vocat,* inquit Mucketus. Assertor politiæ Christianæ p. 268. refert quemque Archidiaconatum

Pag. 393.

De politia p. 254.

natum dividi in decanatus, & Rectorem vel Vicarium antiquissimæ Ecclesiæ, quæ dicitur Matrix ecclesia Decanatus, esse præsidem cum conueniunt, nisi commnni ministrorum consensu alius eligatur. De Archipresbyteris ruralibus habetur Decretum. Decet Gregorij 9. ex Synodo habita Ravennæ. l. 1. tit. 25. *Vt singulæ plebes Archipresbyterum habeant, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, sed etiam Presbyterorum qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, qua quisq; industria divinum opus exerceat, episcopo enunciet. Nec contendat Episcopus non egere plebem Archipresbytero quasi ipse eam gubernare valeat; quia et si valde idoneus sit, decet tamen vt sua onera partiatur, vt sicut ipse matrici ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint plebibus, vt in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo; cuncta tamen referant ad Episcopum nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.* Refert Fildus Archipresbyteros rurales electos fuisse à Clero, & Episcopum ratam habuisse electionem, nec potuisse Episcopum gradu submovere Archipresbyterum absque consensu Cleri. *Vt Episcopus nec Abbatem nec Archipresbyterum sine omnium suorum compresbyterorum & Abbatum consilio de loco suo præsumat ejicere, neque per præmium alium ordinare, nisi facto consilio tam Abbatum quam Presbyterorum suorum* : Concil. Turon. 2. can. 6. Admonebant delinquentes. *Si quis ex sæcularibus institutionem aut commonitionem Archipresbyteri sui contumacia faciente audire distulerit, tandiu à limitibus sanctæ Ecclesiæ habeatur extraneus, quandiu tam salubrem institutionem adimplere studuerit.* Preterea, ait Fildus, bis singulis annis visitabant Ecclesias sibi subjectas, & si quid reformatione, confirmatione, aut reparatione indigebat, vt id fieret, curabant, & citat Synodum Augustanam. Decani ruralis officium erat *in causis Ecclesiasticis citationes ei transmissas* nempe ab Episcopo aut eius surrogato, *exequi, cuius sigillum in talibus est authenticum*, inquit Lindvodius titulo de judicijs in constitutionem Iohannis peccham Cantuariensis. Constitutionis verba sunt ista. *Ssatuimus, vt nulli traditur certificatorium, vel aliàs conceedatur sub sigillo alicuius Decani ruralis consignatum, nisi prius in aliquo die solenni intra missarum solennia in Ecclesia, vbi citatus fovet larem, vel amplius conversatur, publicè recitetur* certificatorium : *hoc adiuncto moderamine, vt citatus sufficientes habeat inducias, vt die & loco sibi præfixis competenter valeat comparere. Hic deciditur*, inquit Lindvodius, *quomodo Decani rurales pecunia corrupti sigillabant multotiens falsa certificoria, & alijs malitijs circa ea vsi sunt in præjudicium multorum.* Certificatorium inquit ibidem erat, *litera responsiva directa judici super mandato quod ab eo emanavit ad aliquem citandum.* Statuitur, vt certificatorium publicè recitetur *Non enim intelligas quod citatio debeat sic fieri, sed solum citationis recitatio vt per hoc constare possit, quod deponens apponens sigillum non est in dolo vel frau-*

De Eccles. l. 5. c. 29.

Conc. Antisiodorens. can. 44.

Cap. Quidam verbi Decani ruralibus.

Verb. certificatorium.

Verb. Recitetur.

de sigillando forsan fictum vel falsum certificatorium. In fine illius constitutionis habentur hæc verba. *Et hoc jurent Decani rurales se facturos in episcopali Synodo omni anno.* Lindvodius ibidem in glossa. *De his nominatim & specialiter istud ordinatur, quia per eos potius quàm per alios qui habent sigilla authentica multæ fiebant fraudes.* In illa verba, *Omni anno. Hoc ideo dicit fortassis, quia quolibet anno mutantur Decani, & fiunt novi, alias post quam semel jurati essent non oporteret hujusmodi juramentum requiri, nisi subesset causa suspicionis.* Quarto, ait Fildus, habebant stata capitula quatuor singulis annis, & extra ordinem sæpius pro re nata, & anno transacto ab inductione in beneficia parochi tenebantur præstare juramentum Decano, & sic admissi ad considendum in capitulo, & tenebantur interesse annuis capitulis, alijsque data occasione habendis, & oneris partem subire. Iuramentum admittendorum in capitulum non erat simplex sed cum limitatione ista, *Salvis juribus Capituli*, & citat Synod. Trevir. de Decanis Christianitatis, non tamen fuisse illud vbique receptum arbitror. Lindvodius de capitulis ruralibus sic scribit. *Quandoq; vero capitulum ponitur pro collectione plurium, & non communiter viventium, sed ob tractatus communes inter se habendos ad aliquem locum confluentium. Exemplum patet in capitulis generalibus Monachorum & Regularium, secundum quem modum collectio Rectorum, Vicariorum, & aliorum virorum Ecclesiasticorum ob huiusmodi tractatus communes inter se habendos dicitur etiam Capitulum. Et quia vt communiter huiusmodi capitula celebrantur in locis minus insignibus videlicet in rure constitutis, hinc est quod capitula ruralia dicantur, vt hic apparet: & hæc capitula quandoq; appellantur conventus in constitutione Othonis. Et horum capitulorum quædam tenentur de tribus hebdomadis in tres, quædam semel in quarta anni & hæc dicuntur capitula principalia propter maiorem confluentiam Cleri.* Hæc capitula erant quasi vestigia ceu reliquiæ presbyteriorum Chorepiscopalium. Hæc capitula habent ecclesiæ reformatæ in Belgio quæ Classes vocant, & de tribus in tres hebdomadas habent, & Ecclesiæ Scoticanæ, quæ Presbyteria vocant (nam parœciana consistoria alio nomine nempe Sessiones appellant) & quæque singulis hebdomadis in vnum coeunt, quorum potestas antea Synodis provincialibus tantum subordinata & Concilio nationali, jam enervata est Episcoporum potentia vi & tyrannide omnia jura & libertates ecclesiæ nostræ conculcantium. In capitulis illis Archipresbyteri ceu Decani rurales, ait Fildus, statuta Synodorum Episcopalium & provincialium recitabant exclusis laicis, si spectarent ad clerum, qui alioqui interesse poterant, dum promulgarentur constitutiones vtrisque communes. Sic quidem constitutio Iohannis Peccham lata est de promulganda constitutione contra concubinarios exclusis laicis. Statuitur vt Episcopi *constitutionem prædictam faciant in quatuor anni principalibus*

De constitut. cap. Quia in contin. verb. Capitulis ruralibus.

cipalibus capitulis ruralibus per se, vel eorum officiales, vel saltem per Decanos rurales, vel gerentes eorum vices distinctè & apertè coram toto capitulo, excusis laicis, recitari. Et cur quæso non simpliciter per se, sed vel per alios, nempe officiales suos aut Decanos rurales? *Per se*, inquit Lindvodius, *si forsan præsentes sint alias autem sufficiet, vt per suas literas fieri præcipiant vel per nuntium præsertim cum non doceat statum Pontificalem in singulis capitulis hujusmodi personaliter interesse.* Vides fastum; capitalia ruralia etiam principalia non dignantur vel præsentia sua decorare episcopi. Deinde ait Fildus, non solum promulgarunt statuta in capitulis suis, sed etiam eorundem executionem procurabant, inquirebant in ecclesias vacantes, qua occasione & cuius culpa vacarent; si quis ingessit se in ministerium; in investituras eorum qui recens ministerij munus inierunt, & qua authoritate surrogati aliorum vices supplerent, præterea admonituri erant quos visitatione aliave informatione reprehensibiles deprehenderant, quod si ne sic quidem lucrifacere possent, laicos suspendebant à sacramentorum perceptione, & clericos à functionis exercitio. Si tamen ad huc pertinaces pergerent, detulerunt episcopo, si res ipsa non posset moram ferre, vel sequenti Synodo Episcopali denuntiarunt. Hæc postrema de admonitione, suspensione, denuntiatione confirmat citatis statutis Synodalibus Episcopi Hildesemensis. Extant statuta cap. 2. vbi etiam habentur hæc verba. *Considerantes quod Archipresbyteri rurales pro eo constituuntur, vt Clericorum honestatem & confratrum vtilitatem procurent, excessus eorum referant, mandata nostri Vicarij & officialium nostrorum debitè, exequantur, & singula quæ à superioribus mandantur, ad notitiam confratrum suorum deducant, quæ tamen ab Archipresbyteratibus suis absentes nequeant adimplere: statuimus, &c.* Quantulacunque Archipresbyterorum potestas vel fuit vel adhuc remanet quibusdam locis, exigua est præ illa quam initio habebant Chorepiscopi, hodieque sunt tantum servi Episcoporum. In Anglia hæc sunt Decanorum ruralium egregia scilicet munia, vt convocent Classem quod tamen raro aut nunquam fit, ac significent Presbyteris & Diaconis infra suos Decanatus nonnihil vt fit per literas, & inducant quempiam in beneficia vice Archidiaconi remotiùs agentes. Sunt quidē, quidam rurales Decani in regione Septentrionali, vt in Comitatu Eboracensi, Lancastrensi, Richmōdensi, Cestrēsi, &c. qui non modo testamentorū probationes, administrationumque potestatē habent, sed etiam cognitionem ecclesiasticorum delictorum cum potestate censurarum vt refert Assertor politiæ Christianæ. Sed isti Decani rurales exempti sunt à iurisdictione Episcopi & Decanatum habent per modum tituli ac quasi Episcopalem iurisdictionem exercent. Ne quis forte putet rurales Decanatus Classicorum Presbyteriorum umbras & veterum reliquias ceu vestigia vnius Angliæ solum

verb. per se.

Pag. 412.

solum fuisse, sciat etiam vbique ferè adhuc apud Pontificios haberi. Extat titulus in libro 2. Decretalium de Archipresbyteris, vbi quæ habentur cap. vltimo de ruralibus ex Synodo Ravennæ habita supra videas. Et statutis Synodalibus episcopi Hildesemensis ista statuta de Archipresbyteris colligit Sceltingius in Anacrisi.

Lib. 1. p. 27. *1. Vt bis Synodos capitula, sive vt illi vocant, Classes celebrent, 2. vt cogant omnes ad ostendendos suos titulos & investituras. 3. vt resideat personaliter. 4. est hic mentio Camerarij, quem ignorant Calvinistæ. Is est perpetuò assistens Archipresbytero, tanquam Consiliarius ab eodem proximus. 5. Archipresbyteri de scandalosis excessibus, quales hic octo species numerantur, Archidiaconum vel Episcopum, faciet certiorem. 6. Archipresbyter non potest suum officium exercere, nisi sit à Vicario in spiritualibus, vel ipso Archiepiscopo confirmatus. 7. in confirmatione juramentum præstabit.* Et ad interrogationem 106 Synodi Middelburgensis, vbi dicitur, *Classicæ congregationes non in vno loco semper*

Lib. 11. p. 165. *servabuntur, sed circulariter & orbiculariter per vices, quoad possibile est.* Respondet. *Contrarium observatur in Capitulis ruralibus, hoc est Classicis conventibus nostris quæ semper in templo vno loco servantur, licet Benedictinorum Capitula, (vnde illi proculdubio hoc hauserunt) sint orbicularia, nunc in hac nunc in alia Abbatia.* Sed perinde est sive orbicularia sint sive fixa. Nam de loco statuere possunt, prout commodum viderint. In confutatione Synodi Nationalis Belgicæ, Grmanicæ, Gallicæ, Artic. 25. *Adeo frequentes conuentus Classicos*

Lib. 13 p. 8. *non improbarem, si non essent contra Antiquitatem. Canones enim ordinarunt id bis in anno tantum fieri oportere, toties scilicet, quoties servantur Concilia Diœcesana.* Sed supra ostendimus ex Lindvodio sub ipso Papatu frequentiores fuisse conventus classicos. Ipse Sceltingius alibi cum dixisset, *Observa fervorem sectæ in frequentibus classicis conventibus annuatim instituendis,* subjicit *Non improbant Canones*

Lib. 11. p. 120. *antiqui frequentes conventus classicos & Synodos particulares, quoniam sic facilius extirpantur & citius vitia singulis annis.* Præsidem Classis Decanum foraneum ceu Christianitatis ibidem vocat, sed mutabilem non vult, lib. 13. p. 9. Nos contra mutabilem non perpetuum præsidem volumus propter tyrannidis periculum, & ne mutetur in Classicum Episcopum. Bochellus in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ habet etiam Titulum de Decanis ruralibus ceu Vicarijs foraneis,

Lib. 5. vbi ex Synodo Aquensi 1585. affert ista. *Vt Episcopus in vrbe etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri & curare possit, deligat aliquot probatos sacerdotes, qui literarum scientia, morumq; integritate & rerum agendarum vsu præstantiores sint, quibus singulis imposito Vicarii foranei nomine tribuat certas regiones Diœcesis suæ, octo vel decem parochiales Ecclesias continentes, constituto tamen vicariatu in aliquo loco insigniori & frequentiori: illis tamen eam facultatem tribuere poterit Episcopus, quam ipse & pro illorum conditione, & pro locorum*

temporumve

temporumve ratione tribuendum censuerit. Hi autem Vicarij regioni sibi per Episcopum commissæ Presbyteros cuiuscunque conditionis, curam animarum habentes semel singulis mensibus modò in vnum modò in aliam ejus regionis parochialem ecclesiam congregent: idq; in orbem eodem ordine semper faciant. Iidem autem Vicarij libellum de casibus conscientiæ Apostolicæ sedi & Episcopis reservatis Metropolitani cura edendum reliquis sacerdotibus legent, & aliquot capita tum harum constitutionum, tum earum, quæ in Synodis Diœcesanis fiunt, simulq; aliquid ex probata aliqua summa de casibus conscientiæ explicabunt. Præcipuè autem de Presbyterorum vita & moribus quærant, & quales se in pastorali præbeant cura: & an eorum culpa in ecclesia divinus cultus desideretur: an re ipsa præstentur ea quæ Episcopi vel alij eorum nomine in Ecclesiarum necessitatem eorumve reparationem impendi iusserint: an libros habeant, quos præsertim ex Synodi decreto habere debent, &c. Hi autem Vicarij voluntate Episcopi ab officio amoveri semper possint, ac si malè id administraverint pœnas dent ejusdem episcopi judicio. Ex Concilio Rhemensi, 1583. *In Synodis Decani rurales reddant rationē eorum quæ in suis Calendis & visitationibus egerint, & compererint.* Sunt & plura alia eodem titulo decreta de Decanis ruralibus ecclesiæ Gallicanæ quæ lubens omitto, quia sat est ostendisse classium ceu Presbyteriorum classicorum vmbram adhuc manere sub Papatu, eorumque originem pervetustam esse, & quamvis apud Pontificios sub Episcopis servitutem serviunt, tamen frequentius in vnum coeunt, quam apud Anglos, vbi nescio nescio an vnquam habeant Capitula ista ruralia. Manent nomina Decanatuum & fines ceu limites sed conventus, ut audio, nullos celebrant, per se singuli. Ipsorum Decanorum servilia, quæ sint munia, supra vidimus.

CAP. VIII.

De Ecclesiis & Decanis Cathedralibus

HActenus de ijs qui præter communem peculiarem habent functionem, sequuntur qui

Minime peculiarem, ijque collocantur, vel in Cathedrali ecclesia vel Parochiali.

In Cathedrali aliqua aut collegiata ecclesia, cujus sunt vel membra vel minime membra; Membra quorum, præcipuum Decanus. In Ecclesiæ antiquæ fundationibus aliæ etiam dignitates, vt Subdecanus, Cancellarius, Præcentor, Thesaurarius Ecclesiæ,

In omnibus Canonici sive præbendarij, quorum in antiquioribus Ecclesijs alij sunt Residentiarij maiores qui omnia cum Decano administrant & regunt in illa Ecclesia, habentque sedile in Choro, jus suffragij in Capitulo; Non Residentiarij, habentque sedile in Choro, sed non suffragium in Capitulo,

Minime membra, atque inserviunt, Administrationi publicæ liturgiæ & sacramentorum vt Subcanonici sive Vicarij Chorales, vel Assistendo celebrantibus, vt Epistolæ, Evangelij Lector.

De Polit. Eccl. Angl. p.336. Mucketus sic. *Nam in hisce Ecclesijs plura sunt membra, 1. Lectores Epistolæ & Evangelij, 2. Pueri & viri Symphoniaci, qui Regijs injunctionibus tenentur hymnos in Dei Omnipotentis laudes cantare ijs modulationibus, vt ipsæ hymnorum sententiæ vna intelligantur,* non tamen observatur iniunctio ista sicut nec pleræque aliæ, 3 *sunt Subcanonici ceu Vicarij Chorales, Matutinis & vespertinis precibus publicè in Choro quolibet die celebrandis, frequenti Euchristiæ administrationi servientes & per Canones ne ignavi in otio vitam ducant, studio scripturarum incumbentes, 4. sunt Canonici ceu Prebendarij, quorum in antiquioribus ecclesijs aliqui sunt non Residentiarij sedes habentes in Choro, sed non suffragium in Capitulo, & secundum Ecclesiarum suarum consuetudines statis vicibus concionantes: alij Residentiarij qui tum sedent in Choro, tum ferunt suffragium in Capitulo, ac quibus toto necessariæ suæ Residentiæ tempore incumbit, vt sint Hospitales & non modo in Cathedrali Ecclesia cujus sunt Canonici, sed in alijs etiam Ecclesijs eiusdem Diœceseos, vnde ipsi vel ipsorum Ecclesiæ aliquod vectigal ceu annuos reditus percipiunt, Evangelium diligenter annuncient: Postremo in Cathedralibus ecclesijs antiquæ fundationis sunt Officiarij, vt Thesaurarius, Præcentor, Cancellarius, Subdecanus, quorum varia sunt juxta diversarum Ecclesiarum statuta munera. Et his omnibus præest Decanus, qui 90 dies ad minimum singulis annis in Ecclesia collegiata residere, per totum hoc tempus verbum divinum sedulò prædicare, hospitalitatem exercere, festis solennibus (si ad hoc peragendum præsens non fuerit Episcopus) decenti capa amictus sacram cœnam administrare canonibus obstringitur.* Wicleffus capite *De speciebus Ministrorum,* hæc habet, *In istis autem est maior deceptio, cum Antichristus habeat sub specie Cleri procuratores duodecim contra Ecclesiam Christi machinantes, cujusmodi communiter ponuntur Papæ, & Cardinales, Patriachæ, Archipræsules, Episcopi, Archiepiscopi, Archidiaconi, Officiales, Decani, Monachi, & Canonici bifurcati, Pseudofratres introducti jam vltimo & Quæstores.* [Dial. l. 4. cap. 26.]

Omnes

Omnes autem isti duodecim, & specialiter prælati Cæsarei, & fratres infundabiliter introducti sunt manifesti discipuli Antichristi, quia libertatem Christi tollunt, & onerant sanctam Ecclesiam, & impediunt, ne currat lex Evangelij sicut olim. Canonici dicti sunt a canone sive regula, qui communem quandam vitæ regulam institutumq; observabant. *Nam ecclesiarum Ministri antiquitus certis se votis obstringebant ferè non aliter ac Monachi nec eorum vitæ ratio à Monachorum instituto multum discrepabat*, inquit Duarenus. *Sed posteaquam horum sodalitiorum nonnulla ijs vinculis soluta liberataq; sunt, factum est vt cæteri ab imperitis qui vim Græci verbi parum assequebantur non simpliciter canonici, sed canonici Regulares vulgo dicebantur quasi diversa esset vtriusq; vocis significatio. Quod si quis à canone dictos potius esse contendat id est pensione sive annona, quæ ipsis distribuebatur, veluti pro stipendio & mercede, equidem non repugno.* Canonicam *enim ordinariamque ac certam pensionem ij tantum accipiebant fortè, qui ad id collegium admittebantur: cæteris ecclesiæ ministris sive clericis pro cujusque merito aliquid erogari solebat, ex oblationibus incertis, quæ fiebant in Ecclesia. Nam ea fere est ejus verbi significatio apud veteres.* Fabricius Bleynianus tamen in introdductione in Theoriam & praxin beneficiorum aliam ponit denominationem. *Quemadmodum enim in scholis Pythagoreorum, qui primas in adjudicando partes, longeque ratas, maxime rationi adscribebant* κανόνικοι *hoc est Harmonici dicebantur, vt refert & interpretatur Cælius Rhodiginus in lib. 5. Antiquari c. 11. sic & in Ecclesia, qui in album clericorum primi ordinis & gradus adscripti sunt, Canonici appellari solent, fortè quia canonicum id est certum & regulatum locum inter alios clericos obtinent, cum clerici secundi aut inferioris ordinis, quales Assisios & Matricularios ostendimus, sedes certas & proprias in choro non habeant. Nam quod in quibusdam proditum est canonicos & canonicatus dici à canone sive stata annona, quam quotannis prioris ordinis clerici percipiunt, nec Foget. in tractatu de personis ecclesiasticis, nec nobis etiam arridet.* Canonici qui præbendas habebant à præbendis dicti præbendarij. *Præbendarum nomine veniunt generaliter omnia beneficia Ecclesiastica. Ita verò dicuntur, quod clericis assignatæ sint ad vitæ subsidium, quasi eis alimenta præbeant : eaque ratione Cassiodoro, lib. 3. variar. Epist. 42. & lib. 5. epist. 39. viaticum exercitus vel annona sive* σιτηρέσιον *cuiquam à principe muneris loco data præbendarum vocabulo venit & significatur*, inquit Alexander Chassanæus in Paratitlis in Decretales. *Prabenda vocabulum hoc titulo, vt & toto fore hoc jure, restrictius est quodammodo, & significat tantum beneficium quod quis habet tanquam Canonicus Sæcularis vel Regularis in Ecclesia Cathedrali, vel ea quæ conventum Clericorum aut Monachorum habet, vnde & Canonici Præbendarij dicti in can. sanctorum dist. 70. Alij sunt Canonici, qui in Ecclesia quidem instituti sunt, nondum tamen præbendam sunt assequuti, sed proximè vacaturam expectant.* Canonicos qui non sunt Præbendarij sed

De sacris Minist. lib. 1, cap. 18.

Pag. 386.

In l. 3. tit. 5

P. 158.

Titul. de concessione præbendæ. cap. Aspirantis verb. præbendas.

De sacris ministerijs lib. 5. cap. 4.

proximè vacaturam expectant, ad effectum & in herbis Canonicos vocant, ait Bleynianus. *Præbenda differt à Canonia, inquit* Lindwodius. *Nam Canonia est jus spirituale, quod aliquis assequitur in Ecclesia per receptionem in fratrem, & assignationem stalli in choro & loci in capitulo. Præbenda verò est jus spirituale recipiendi certos proventus pro meritis in ecclesia competens percipienti ex divino officio cui insistit: & nascitur ex canonia tanquam filia à matre. Et sic nota, quòd præbenda est nomen juris, quia non constituitur tantum ex possessionibus, sed ex jure canoniæ cui annectitur, quæ sine reditu non potest constitui, quia sic non esset quod Præbendario præberetur.* Duarenus Canonicorum beneficia ceu præbendas duabus fere rebus cõstare ait. *Nam in quibus ecclesijs est præbendarum distinctio certa prædia & possessiones obtinent singuli, quas sic in potestate sua habent, vt reditum ab alio quopiam accipere eis necesse non sit. Fructus autem hujusmodi sibi acquirunt, si præsentes sunt in civitate, quamvis in templo quotidie non psallant, aut psallentibus non assistant. Præter eas possessiones qui psallunt in Templo, aut sacris cantionibus intersunt, quamvis plerumque in collegium canonicorum cooptati non sint hi in singulos dies atque adeo horas stipem recipere solent, ac veluti quasdam sportulas, quibus à manu vulgo nomen inditum est, quod tantum præsentibus in manum tradantur. Sunt qui distributiones quotidianas appellant non ineptè. Ego a Latinis Diaria propriè vocari scio.* Et infra, *Videtur autem hoc erogationis genus ideo excogitatum esse, vt cùm à beneficiarijs vulgò contemneretur psallendi aut sacris assistendi munus, quasi proprium ipsorum non esset, spe hujus dianomes & mercedis illecti id munus amplecterentur. Nam ijs tantum, qui sacris intersunt hæ sportulæ distribuuntur, non alijs nisi fortè eos excuset valetudo.* Ad consequenda hæc diaria præsentiam ait non sufficere, nisi sacris cautionibus precationibusque quis assistat. Excogitatas igitur quotidianas distributiones existimat, ne Canonici cæterique ecclesiæ beneficiarij quibus eæ distribuuntur si intersunt, munus psallendi desererent, vt *spe quæstus id faciant ad quod efficiendum ideo cogi posse non videntur, quia secundum veterem institutionem fortassis alia fuit eorum in Ecclesia functio.* Et supra dixit, *Permulta esse ad eorum munus pertinentia, quibus exequendis Ecclesiæ non minus imo vero magis prodesse possunt. Hoc enim psallendi munus, quamvis negligendum non sit, tamen olim inferiorum tantummodo clericorum fuit nec inter præcipua ac magis Ecclesiæ necessaria habitum fuit. Vnde fit* (inquit) *vt quod in compensationem ministerij illius antiquioris & præcipui datur canonico tametsi forte in singulas hebdomadas, menses, aut dies distribui soleat, tamen appellatione Diariorum minime hic contineatur. Nam interdum canonici nullam certam possessionem in ministerio suo assignatam habent, sed à divisore aliquo frumentū aut vinū stato tempore ipsis distribuitur. Sed & panes quoq; dantur eisdem illis non omnino dissimiles, quia juris civilis authoribus panes civiles dicuntur. Eoque cibaria licet cautionibus sacris non assistentes capiunt.*

Petrus

Petrus Suavis in historia Concilii Tridentini refert Canonicos quatuor modis percepisse reditus assignatos Ecclesiæ Cathedrali aut collegiatæ. *Vel enim omnes vna solum mensa sumpta communi instar Monachorum regularium alebat, vel sua cuique seorsim portio præbebatur, Præbenda inde denominata vel post præstitum à singulis Ecclesiæ debitum ministerium dimensum suum in annona aut pecunia numerata capere consueverunt. Disciplina ea vivendi in commune exiguo tempore viguit, plerisque divisionem vel in præbendas vel in quotidianas distributiones singulis faciendas flagitantibus, cum aliis, qui vel ob invaletudinem, vel ob exercitium aliquod spirituale sacris officiis interesse non possent, excusari cupientibus. Neque erat difficile aliquid causari cur sacris non intervenirent, vnde in re divina parum frequentes præbendæ tamen fructum perciperent. Vbi vero non nisi opere peracto sua cuique mensura tribuebatur, non adeo proclive erat excusationem obtendere adeoque disciplina sanctior & in frequentandis officiis divinis assiduitas in secundo genere quam in primo diligentius culta. factumque inde vt viri pii ex eo tempore Ecclesiis quidpiam donantes aut legantes id in quotidianas distributiones conferri præciperent experimentisque comprobatum, quo maiores essent distributiones, hoc Canonicos ad Ecclesias itasse frequentius.* Præcipuum Canonicorum ministerium erat canere hymnos, & Psalmos & celebrare laudes Dei certis horis à Canone definitis, quæ Canonicæ inde dictæ ut vult idem Author. Cumque segniores essent in obeundis divinis officiis, ad eorum socordiam discutiendam ratio percommoda visa est Tridentinis ut præbendarum pars aliqua in distributiones converteretur. In Dunelmensis Episcopatus Ecclesia Cathedrali, non percipiunt distributiones *the dividendes* nisi divinis officiis Canonici suis vicibus interfuerint. Quē morem observent in aliis & singulis nondū didici. Non fuisse præcipuum munus veteris Presbyterii & Senatus ecclesiastici munus psallendi ut ait Duarenus facile cōcedimus, sed canonicos in aliis permultis prodesse posse Ecclesiæ negamus. Nā Presbyteri civitatis nondū divisa massa integra in plures Ecclesias particulares attendebant gregi promiscuè, post divisam massā singuli parœciis, & communi consilio una omnes regebant Canonici autem Presbyteri ministrant in basilica Cathedrali quā dicunt Episcopi nō esse particulare ullius parœciæ distinctę ædificium, sed commune totius Diœceseos. Templum commune, quale fuit Hierosolymitanum Ecclesiis Christianis frequentandum non præcepit Dominus. Illius loci ob typum & Dei præsentiam cultus erat proprius & peculiaris in quo communicabat totius Israelis populus, quem alibi celebrare nefas erat, ideo locus erat communis peculiaris cultus quem undique frequentabat. Prædicatio verbi, sacramentorum ministratio, aliæque liturgiæ publicæ partes sunt omnibus Ecclesiis & Parœciis communes. Cultum aliquem Cathedra-

Lib. 6 pag. 555 edit. Francofurt.

li alicui Ecclesiæ peculiarem præter ordinarium & communem num Christus aut Apostoli instituerunt? Si dixerint prebendarios plerosque habere etiam Ecclesias Parœcianas, & curam animarum in aliis locis extra Cathedralem Ecclesiam, illud etiam ut impium damnamus. Nam si præbendarii, qui habent parœcias 20 aut 30 millaria Anglicana ut complures habent, à Cathedrali basilica distantes, in quem finem relicto grege & sparta sua quam nacti ornare debent, præbendarum prætextu civitatem adeunt, quibus nullum in Cathedrali basilica ministerium necessarium, est. Non injuria igitur invehitur vir eruditus & insignis ille Episcopomastyx Thomas Cartwrightus in Præbendarios quod neglectis parœciis, ubi ipsorum cura est necessaria latitent ignavi & desides in Cathedralium Ecclesiarum latibulis & ex aliarum Ecclesiarum spoliis genialiter victitant, & cutem curant (hæc eorum hospitalitas) Ecclesias Cathedrales latibula & speluncas Lurconum & Longurionum, præbendas pingues bucceas ceu offas vocat, quas præstaret academiis erigendis, & sustentandis assignare in illis locis. Imo hac umbra ministerii fraudantur quædam civitates, ubi sitæ Ecclesiæ Cathedrales, debita animarum cura. Cantuariæ ubi sedes Archiediscopi sunt 12 aut 13 parœciæ non tamen 4 probati concionatores, quibusdam locis nullus. Si dixerint præbendariorum saltem in capitulo operam esse utilem & necessariam, responderem non, quatenus sunt Canonici ceu præbendarii & ministri Ecclesiæ Cahedralis, (nam sic nullum habent certum gregem) exclusisque parœciarum singularum pastoribus. Quatenus autem sunt particularium parœciarum pastores adhibendi quidem essent ad commune Ecclesiæ regimen sed non soli. Nam ut diximus capite 4 jus divinum non distinguit inter Canonicos & non Canonicos, Cardinales Presbyteros, & non Cardinales, imo nec Ecclesia multis annorum centuriis post Apostolorum tempora. Sed quid si in capitulo ipsi Canonici ceu Præbendarii non sint Ecclesiarum Dioceseos communis regiminis consortio, cum Episcopo præditi. In distrahendis forte Ecclesiæ bonis absque capituli consensu nihil potest agere Episcopus, nec opus erit in hunc finem conventu capitulari, sat illis si capitulares separatim præbuerint consensum. Iurisdictionem voluntariam & contentiosam Vicariis, Cancellariis, Commissariis commiserunt, Archidaconis eorumque Officialibus permiserunt. *Iam vero*, inquit Mucketus, *Episcopus hunc Decanum, & aliquos ex Canonicis & Officiariis recensitis in Presbyteris & Diaconis ordinandis, & à beneficio vel officio removendis, in colloquiis cum inquietis & turbulentis schismaticis ad eos in ovile reducendos & sedandos, in præfractis hæreticis juridicè condemnandis ac anathematizandis in sententia excommunicationis solemniori adversus facinorosos & infames peccatores denunciandа, & in aliis Ecclesiæ*

2 Repl. pag. 163 164 165. Assertor politiæ p. 151.

De politia p. 336 337.

clesiæ publicis & maximi momenti negotiis transigendis sibi associat. Associat quot & quos libitum ipsi fuerit, ut eorum præsentia singularitatem potestatis suæ monarchicæ obumbret. Duo tresve ex illo numero unà cum Episcopo non constitunt consessum judicum. Nam nullam habent potestatem suffragii decisivi, Iudicat solus Episcopus. In ordinationibus etiam adsunt non ob consecrationem quam volunt esse unius Episcopi sed ad assistentiam solummodo ut dicunt. Ad colloquia cum schismaticis fortè opus est Episcopo illuminatorum Doctorum auxilio, quia ipsi huic certamini impares. Ob operam istam navatam in colloquiis cum schismaticis ceu ipsorum Dialecto Puritanis, & alia officia ad suffulciendam eorum tetram dominationem præstita isti asseclæ egregiam laudem & spolia ampla referunt. Sed si capitulum refert imaginem veteris Presbyterii & Senatus Ecclesiastici cur non ordinariè exercetur jurisdictio in & cum capitulo. Capitulum habent ad electionē imaginariā illius quem princeps nominaverit eligendum Episcopum aut ad consensum præbendum alienationi bonorum Ecclesiæ, præterea nihil: nisi forte ad prospiciendum, ut in choro tempore cultus ritè & competenter omnia instituta observentur, ut utantur capis, caputiis, superpelliceis, Rochetis, &c. Sed pergamus. Canonici omnes non sunt necessario Presbyteri, sed alii Presbyteri, alii Diaconi. In Concilio Tridentino decretum, ut *dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri vero Diaconi aut Subdiaconi, ubi vero consuetudo laudabilior obtinet ut plures vel omnes sint Presbyteri omnino observetur.* Canonicorum quidam habent simplicem Canonicatum, alii præter Canonicatum etiam dignitatem. Sic distinguit inter dignitatem & personatum Chassanæus. *Forte hoc modo possunt invicem ita distingui, ut personatus sit quædam dignitas in choro, quæ licet non habeat jurisdictionem distinctam adjunctam, tamen aliquibus prærogativis utitur, & cæteros Canonicos præcedit, qualis primiceriatus, & aliæ ejusmodi. Dignitas vero ea est, quæ administrationem, notionem aut animarum curam habet, vel cui extra chorum munus aliquod vel officium incumbit. Igitur dignitas omnis & personatus est indistinctè: at non æque personatus dignitas est: sed per κατάχρησιν tantùm propter ministerium chori, & honorem primi consessus, quem Canonici inferiores debent personatum habenti. Primicerii,* ait Ioachimus Stephani in Institutionibus juris Canonici, *in Ecclesia tales dicuntur, qui curam specialem habent, ut Diaconi & alii in sacris Ordinibus constituti lectiones aliaque officia Ecclesiastica absque ulla negligentia rite administrent. Et cum ad eosdem cura psallendi in Ecclesia secundum modos & tonos pro diversitate dierum & festorum spectabat, Cantores dicebantur, & habebant sub se ad psalmodiam & cantionem Præcentores, Succentores, & Concentores.* Canisius autem in summa juris Canonici sic, *Ad primicerii (qui & Cantor sive præcentor dicitur) curam pertinet;*

Sess. 24 de refor. ca. 12.

Paratitl. in lib. 3 Decr. tit. 5.

Lib. 1 cap. 8 *pertinet; vt in docendo praesit Diaconis, & aliis Ecclesiae ministris, lectionesque distribuat Diaconis ad nocturna Clericorum Officia.* Thesaurarium sic describit Ioachimus Stephani, *Sacrista est custos sacrorum vasorum, vestimentorum & ornamentorum Ecclesiae, quem Thesaurarium olim vocarunt, ad quem spectat Basilicarum reparatio & omnium redituum Ecclesiae cura, & Thesauri collectio & conservatio. Quod officium Thesaurarii tandem officio Sacristae coniunctum est.* Canisius sic. Lib. 1 cap. 21 *Sacristae qui & Thesaurarius dicitur incumbit custodia sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum sive totius Thesauri Ecclesiastici, necnon eorum, quae ad luminaria pertinent. Scholasticus*, ait Ioachimus Stephani Lib. 1 cap. 8 *in numero Canonicorum is dicitur, qui magister, gubernator & praefectus est Scholarum, disciplinas & literas profitetur & iurisdictionis legem in scholam exercet. Vnde & in aliquibus capitulis Cancellarius dicitur, videlicet, si in ea vrbe, in qua est Capitulum, etiam Academia extat. Habent enim collegia Cathedralia Scholas, quibus sub assignatione praebendarum Magistrum ceu praeceptorem qui à Scholastico eligitur praeficiunt. Et ne hic Magister pro munere docendi aliquid exigat, Capitulo iniungitur, vt salariis vitae ei sufficienter provideat. Sed cum post synodum Basileensem vti & Ferrariensem in Germania Academiae à principibus Germaniae aperiae, ex decreto harum Synodorum ius Cancellariatus ad Episcopos Dioecesium in terris Ecclesiae & imperii translatum est,* & infra *His praeterea Episcopis Dioecesium in terris Ecclesiae & Imperii vel eorum Cathedris singulari indulgentia Imperatorum & Pontificis Romani jus Regale concessum est, vt in Candidatos literarum scrutinio vel examine probatos dignitates graduum, puta Doctorum, licentiatorum Magistrorum, Baccalaureorum, &c. conferrent. Vnde & Decanis facultatum in Academiis licentiam, ius vel facultatem creandi Doctores, licentiatos, magistros, Baccalaureos, &c. ab his Episcopis vel eorum Cathedris petere necessum est.* Bochellus ex Synodo Turonensi 1583 habet Decretum istud. *Scholastici & Cancellarii tam Cathedralium quam collegiatarum Ecclesiarum cum lecturos aut decantaturos in his Ecclesiis matutinarum lectiones, Evangelia & Epistolas docere teneantur, quo puncta & accentus cantando debitè observent.* Mucketus ait Subdecani, Thesaurarii, praecentoris, Cancellarii varia esse munera juxta diversarum Ecclesiarum statuta. *Dignitatem non habet Episcopus Dominus*, ait Ioachimus Stephani, *quia est apex dignitatum, vt princeps apex est magistratuum, sed alii maiorum ordinum Ecclesiarum Clerici qui Episcopi fratres dicuntur, vt Archidiaconi, praepositi, Decani ceu Archipresbyteri, primicerii & Cantores, Scholasticus seu Cancellarius, Sacrista, Oeconomi, Apocrisarii & alii qui beneficia dignitatum habent.* Decanus 90 dies tantum residere tenetur in Ecclesia Cathedrali aut collegiata, idque conjunctim vel divisim, praedicationi incumbere & hospitalitatem exercere; *nisi aliàs gravibus & vrgentibus causis, iisque per Episcopum Dioecesanum approban-*

d[ ]s detentus fuerit, vel legitima aliqua ratione aliter dispensatus. can. 42 constitut. ann 1604 Sic postico fallunt lectorem candidi Canonum conditores. Festis solemnibus in Cathedrali Ecclesia si præsens non fuerit Episcopus tenetur administrare sacram cœnam decente Capa amictus per canonem 24 earundem constitutionum. Cum petit basilicam deducitur præeunte uno qui gestat sceptrum ceu virgam argenteam ad sedem præcipuam ubi pulvinar sericum heteromallum. Calvinus institut. lib. 4 cap. 5 sect. 10 in Canonicos, Decanos, Capellanos, præpositos invehens, & quicunque otiosis sacerdotiis aluntur, ait, *Quale enim Ecclesiæ ministerium præstare queunt? Nam verbi prædicationem, curam disciplinæ, & sacramentorum administrationem tanquam onera nimis molesta à se depulerant, Quid ergo habent reliquum quo se veros esse Presbyteros jactent? Cantum scilicet & ceremoniarum pompam.* Item. *Qui in Canonicos degenerarunt Presbyteri esse debuerant, ut fuerant olim, qui Ecclesiam cum Episcopo in commune regerent, & veluti collegæ ejus essent in munere pastorali. Dignitates illæ Capitulares quas vocant nihil prorsus spectant ad veram Ecclesiæ gubernationem. Omnes ergo ejusmodi ordines, quibuscunque titulis insigniantur novitii quum sint certe nec Dei institutione nec antiqua Ecclesiæ observatione suffulti, locum nullum habere debent in descriptione regiminis spiritualis quod ore Domini ipsius consecratum Ecclesia recipit &c.* Decretalium libro quinto tit. 5 *cavetur ut in singulis Ecclesiis quæ sufficientes habent Theologo præbenda assignetur qui præeat viam Canonicis ad sanctissimæ philosophiæ aditus perscrutandos*, ait Chassanæus: Et in Concilio Tridentino sessione 5 decreto 1 de reformatione sancitum, ut in unaquaque Ecclesia Cathedrali præbenda una assignaretur Theologiæ Doctori ceu lectori qui sacram scripturam doceat? Sed Gentiletus ait super præbendis Theologalibus melius prospectum constitutione regia Aurelianensi art. 8 quæ præcipit. *Ut à unaquaque Ecclesia Cathedrali aut collegiata præbenda constituatur, qua Doctor Theologiæ destinetur, qui diebus Dominicis & festis solemnibus verbum Dei prædicet, & ternas singulis hebdomadis lectiones Theologicas prælegat, quibus Canonici intersint præbenda quisque sua, ni faciant, caritari. At nondum in animum induxerant huic constitutioni parere tum quod pluribus aliis impedimentis distrahuntur, tum quia ne ridiculi habeantur, metuunt, si denuo ad pridem dissueta scholarum auditoria redire cogerentur* Decretum etiam ut claustra monachorum lectores Theologiæ haberent. Lectores isti forte non tam instituti in Concilio Lateranensi quam restituti, erant illi qui propriè Doctores dicendi, & quos Vincentius Lirinensis tractatores vocat in commonitorio cap. 40. Indiscriminatim ponit Doctores, tractatores, Magistros, prophetas. *Cæterum quos Apostolus ad Ephesios scribens quinto loco ponit Doctores hos Vincentius toto hoc opere suo Magistros vocat, quemadmodum*

Paratitl. in lib. 5 tit. 6.

modum

modum & D. Hieronymus in commentariis huius Epistolæ hunc locum enarrans, ait Costerius in Annotationibus. In Ecclesia Constantinopolitana erat unus Doctor ὁ τοῦ εὐαγγελίου qui Evangelistas, alius ὁ τοῦ Ἀποστόλου qui Apostolum & tertius ὁ τοῦ ψαλτηρίου qui psalmos interpretabatur erat etiam quartus dictus διδάσκαλος ut observavit Meursius in glossario voce διδάσκαλος. Sunt & extra Ecclesias cathedrales in aliis locis concionatores stipendarii & qui lectores dicuntur *Lecturers* in canonibus Anglicanis, quia istud prælegendi munus exercent. Inter membra Cathedralis Ecclesiæ numerant Subcanonicos ceu Vicarios chorales. Canon 42 Constitutionum anni 1603 videntur distingui his verbis, *At ut minores Canonici, Vicarii chorales aliique Ecclesiæ suæ ministri ad sacrarum literarum studium compellantur, & eorum vnusquisque novum testamentum non solum sermone vernaculo, sed & Latino penes se habeat.* An vicarii Chorales sint illi qui aliis dicuntur Assisii, nescio. Sed *Assisii sic dicti quasi assidui: fortè propter assiduitatem, quam maiorem propemodum quàm ipsi Canonici divino cultui exhibere tenentur, ex quo pro supplendis ipsorum Canonicorum defectibus adsciti, & Ecclesiasticorum proventuum participes effecti videntur. Vnde facetè Iohannes Andreas ipsos Assisios quasi asinos, quod totum fere divini cultus portent onus, appellat, refert Panormitanus.* Lector Epistolæ & Evangelii, *the Pistler and Gospeller* distinguntur, ac si diversa essent munia legere Epistolam & Evangelium. Epistolæ lectio sumitur non solum ex Apostolorum epistolis, sed etiam ex veteri testamento, & tamen epistola dicitur. Lectio epistolæ præcedit lectionem Evangelii. *Epistola namque designat officium quod Iohannes ante Christum exercuit, qui præivit ante faciem Domini parare vias eius,* inquit Durandus. *Gerit quoque epistola figuram Legis & Prophetiæ, quæ Christi adventum præcesserunt, sicut ipsa Evangelium præcedit.* Dicitur quoque Epistola in loco inferiori, Evangeliū in superiori & supposito panno. Sedentes audiunt epistolā sed Evangelium stantes in sacrificio missæ, ac si majori veneratione dignum esset Evangelium quam epistola quæ idem docet Evangelium. In Anglia etiam ritu superstitioso stantes audiunt Evangelium, sedentes Epistolam. Ritum istum fertur Anastasium Papam introduxisse. Officium legendi non est per se distinctum in Ecclesia officium. Christus ipse legit deinde interpretatus est. Legere igitur & interpretari scripturā non sunt officia ita distincta quin uni & eidem competere possint. Poterat Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, scripturas legere. Quot officia tot fere ordines, saltem ad numerum septenarium excogitarunt veteres sæculis posterioribus, & ad certum ministerium sacrificio missæ exhibendum retulerunt, & quæ erant tyronum rudimenta ac præparationes seminarii ad ministerium Presbyteri commutarunt in functiones ordinum ut Ostiariorum, Lectorum, Acolythorum.

Bleynianis Introductio in praxin de beneficiis pa. 173.

Rationale li. 4 cap. 16. num. 3.

Pueri & viri symphoniaci postremis tabulis numerantur inter

laica

laica Cathedralis Ecclesiæ membra. Mucketus Cantores sacros ait recenseri Conc. Laodic. can 22 23 inter eos qui sint Ecclesiastici ordinis. Sed variè accipi nomen ordinis apud scriptores Ecclesiasticos agnoscit ipse Bellarminus. *Et ideo inquit Cornelius papa in epistola ad Fabianum apud Eusebium lib 6 hist. cap. 33 nullam facit mentionem Cantorum vel laborantium vel aliorum quos alii numerant, quia nimirum illi nec habent propriam ordinationem, nec referuntur distincta ratione ad sacrificium & in Concilio Carthaginensi quarto additur ultimo loco psalmista seu cantor, sed ibidem Concilium monet, psalmistam non ordinari ab Episcopo, sed etiam sine licentia Episcopi sola jussione Presbyteri posse officium canendi suscipere.* In Concilio Carthag. 4 c. 10 hæc habentur verba *psalmista id est cantor potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteri officium cantandi suscipere, dicente sibi presbytero, vide ut quod ore cantas corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.* Nec puto ministerium istud canendi in choro apud Anglos numerari inter ordines, licet Mucketus locum illum allegarit. Imo Psalmistatus eo inferior erat prima tonsura, quod prima tonsura licet ordo non esset, cum ordinibus tamen in eo conveniebat, quod per specialem ritum & per se à solo Episcopo conferebatur: Officium autem psallendi poterat committi à Presbytero per solam electionem seu mandatum. Sed tamen hîc peccatur quòd ministerium illud & officium canendi restringatur ad personas selectas, & aliquo modo sacras, & peculiari cura ad id deputatas, quod commune esset debet omnibus fidelibus. Albertus 4 dist. 24 art. 20 asserit officium istud laudandi Deum esse officium totius communitatis, & totius corporis Ecclesiæ totumque fidelium cœtum posse esse chorum & respondere præcinentibus in laudem Dei. Basilius epist 63 *populus domum precationis petit, & facta ad Deum confessione tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur* Tertullianus ex epistola Plinii ad Traianum refert de Christianis *præter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de sacris eorum comperisse quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confœderandam disciplinam homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes.* Ad cantum fideles hortatur Apostolus Ephes. 5 & Coloss. 3 ut in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus se exerceant. Baronius Annalium tom. 1 ann 60 n. 28 dicit populum olim promiscuè cum clericis in Ecclesia cantasse. Ut autem omnia ordine & decenter fiant, aliquem constitui posse præcentorem non negamus, sicut jam in choro cantorum præsidet unus præcentor vulgo appellatus: penes quem est auspicatus melodiæ quod Græci ἐνδόσιμον vocant. Quid impedit eundem ordinem servari in communi cœtu fidelium, nempe ut præeat præcentor aliquis. Primum igitur quod in cantu damnamus est restrictio istius ministerii ad certum

De Cleric. cap. 11.

Apologet. c. 2.

tam classem, clericorum nempe aliorumque Psaltarum selectorum. Secundum est cantus symphoniacus in Ecclesiis Cathedralibus. *Cantus Ecclesiae primitivae non erat vastus & dissonus ex quatuor vocum symphonia & concursu sed simplex. Deinde invectus est à Gregorio Quinto circa annum Domini 735 is cantus qui Musicalis dicitur, ubi sunt cantores & pueri symphoniaci quae certè mera est corruptela cantus Ecclesiastici & qui nihil habet pietatis: sed totus ad aurium delectationem comparatus.* Augustinus se accusans ait, *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res quae canitur, moveat, paenaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Et Bernardus, *Saepe ad sacrum mysterium vocem meam fregi ut dulcius canerem; magis delectabar in vocis modulatione quam in cordis compunctione.* Hieronymus in locum illum Ephes. 5. 19 sic commentatur. *Audiant hi quibus in Ecclesia psallendi est officium, Deo non voce sed corde cantandum: nec in tragaediarum morem guttur & fauces medicamine leniendae sunt ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica.* Concil. Constant. 6 in Trullo can. 75 sic habet. *Eos qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt volumus nec inordinatis vociferationibus βοαῖς ἀτάκτοις uti, & naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum quae Ecclesiae non conveniunt & apta non sunt asciscere, sed cum magna attentione & compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre.* Cantus symphoniacus ad aurium potius oblectamentum quam animae devotionem excitandam inseruit. Praeter istud periculum est & aliud incommodum, quòd plerumque non intelligitur quod canitur contra praeceptum Pauli 1 Cor. 14 & sic non in re & materia sed in cantu oblectat se & psallens & auditor. Observatur ut laude dignum in Athanasio, quod in Ecclesia Alexandrina psalmistam vel psalmi lectorem tam modico vocis flexu sonare jussit ut pronuncianti vicinior videretur quam canenti sicut testatur Augustinus loco suprà citato. In Extravagantibus communibus titulo de vita & honestate Clericorum, videtur commendari simplex cantus & tantum per modum exceptionis addi, Ut interdum, praecipuè diebus festis sive solennibus liceat proferre supra cantum simplicem Ecclesiasticum aliquas consonantias, quae melodiam sapiunt. Author petitionis ad Reginam refert injunctionibus Elizabethae praecipi cantum simplicem, sobrium, & distinctum, pronunciationi potius quam cantui similiorem, sed curiositatem cathedralium Ecclesiarum hanc simplicitatem spernere. Tertium, quod damnamus, est cantus alternatus, cum in horis Canonicis psalmi alternatim per singulos versus à psallentibus dicantur, quae alternatio antiphona vocatur. Habet & alias significationes antiphona. Hîc vero sumitur pro illa reciprocatione alternatim canentium, quatenus alternatim per versus reciprocè à duobus choris canitur. Socrates refert Ignatium hunc cantum instituisse Antiochiae,

Danai Isagoge part. 4 cap. 26 li. 4.

Confess. lib 10 cap. 33. Meditat. cap. 11.

Pag. 69.

chiæ, nempe ut per ὕμνους ἀντιφώνους populus caneret, & Ignatio oblatam visionem Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantantis collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidisse. Nugæ. Theodoritus contrà de Flaviano & Diodoro sic refert. *Hi primi in duas partes divisis cætibus psalmos accinentium, instituerunt alternis Davidicam melodiam decantare, quod Antiochiæ fieri cœptum pervagatum usquequaque est.* Theodoritum sequuntur Sigebertus & alii complures. Pamelius in tractatum Cypriani de oratione Dominica refert institutum istud ad Flavianum & Diodorum, & nititur authoritate Sigeberti. Quisquis est author, ipsum institutum non est laudabile, quia non intelligitur plerumq; materia, & qui canere debet & voce & corde, corde canit non ore ut debet, siquidem in hunc finem institutus cantus ut voce & cantu proferamus laudes Dei. Lib. 6. c. 8. Hist. lib. 2. c. 24. Not. 6.

Quartum, quod damnamus, est cantus Organicus ceu ad Organa, & ipse organorum strepitus, *Instrumenta inanimata, sive ea sint ψιλὰ φωνὰ sive ἐμπνευστὰ quicunq; in Ecclesiam revocant Synagogam prius sepultam hic in parte refodiunt. Nam ad Leviticum cultum ista pertinuisse nos asserimus freti loco, 2. Chron. 29. 25. neq; vero Davidis exemplo niti possunt, qui Nathanis, id est prophetæ præcepto illud imitari non jubentur. Et institutum hoc alienum ab Ecclesia non modo veteres affirmant, qui eiusmodi crepitaculis pueros magis decere aiunt, quam viros, quos par est. τὰ τῶν νηπίοις κατάλληλα, Iustinus quæst. 107 verum etiam Scholastici qui apertè hoc vocant Iudaizare, Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. Caietanus ibidem.* Sic Tilenus adversarius noster olim in Syntagmate. Aquinas loco citato ait. *Neque fistula ad disciplinam est adducenda, neque aliud aliquod artificiale organum puta cithara, & si quid tale alterum est, sed quæcunq; faciunt auditores bonos. Hujusmodi enim musica instrumenta magis animum movent ad delectationem, quam per ea formatur interius bona dispositio. In veteri autem Testamento usus erat talium instrumentorum tum quia populus erat magis durus & carnalis, unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus, sicut & per promissiones terrenas: tum etiam quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Ex quo loco patet falsum esse tempore Vitaliani Pontificis circa annum Domini 606. Organorum usum in Ecclesia cœpisse, ut Platina, vel Ludovici pij, id est post annum 820 ut Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum refert. Caietanus in hunc locum Aquinatis sic observat. *Nota quod tempore Divi Thomæ ecclesia non non utebatur organis. In cujus signum adhuc Romana Ecclesia coram summo Pontifice non utitur.* Durandus etiam testatur in capella Summi Pontificis non existere, & refert Navarrum semel atque iterum scripsisse superstite Thoma Aquinate usum organorum nondum receptum fuisse. Polydorus Virgilius de inventione rerum, ait incertum esse authorem, *Multa* Syntag. part. 1. disp. 49. thes. 47. 2. 2. qu. 91. art. 2. ad 4. De ritibus l. 1. cap. 13. L. 3. c. 18.

ta insuper novissimis temporibus instrumenta Musica inventa sunt, quorum auctores jam in oblivionem venerunt, ex quibus propter suavitatem concentus omni admiratione & laude digna sunt illa quæ Organa vocant, valde quidem ab illis dissimilia quæ David Iudæorum Rex fecerat, quibus Levitæ sacros hymnos accinerunt. Laude digna sint, si respicias oblectationem sed non ita si Christiani cultus puritatem & sinceritatem. *Operosum illud machinamentum, quod Antonomasticè vocant Organon Vitaliani Papæ inventum ac donum illis arrideat, qui magnæ meretrici supparasitari, quàm Christianæ simplicitati studere malunt: non absimiles Ethnicis, quos Lactantius ad templa ventitare ait, non tam religionis gratia quam ut videant quod oblectet. lib. 2. c. 7. & quibus publicorum conventuum finis non est* παιδεία *sed* παιδιά, dixit olim Tilenus.

Syntag. part. 2 disp. 49. thes. 48.

Non solum organa illa musica confragosa, quæ, ut ait Zepperus, varium vocum garritum efficiunt, & templa lituis, tubis, & fistulis, personare faciunt, sed nulla omnino instrumenta musica superstite Thoma Aquinate in ecclesiam invecta ex ipsius dictis colligitur. Author Quæstionum apud Iustinum omnia in genere instrumenta musica ex ecclesia explodit, canere cum instrumentis & crotalis, *itaque ex templis explosus est, & sublatus usus instrumentorum ejus generis, aliorumque quæ pueris digna sunt relictusque est & retentus cantus omnino.* Ad locum Iustini respondet Bellarminus, *Nos verò fatemur usum instrumentorum musicorum non ita convenire perfectis & imperfectis & ideo in Ecclesia serò admitti cœpisse.* Iustinus dicit usum instrumentorum concessum Iudæis propter imperfectionem ipsorum & ideo locum non habere eiusmodi instrumenta in ecclesia Christiana, ut locum illum interpretatur ipse Bellarminus. Nihil est igitur quod respondet. Nam non sunt comparandæ inter se particulares personæ rudiores in ecclesia Christiana cum rudioribus in Ecclesia Iudaica, sed utriusque ecclesiæ status inter se. Status Ecclesiæ Iudaicæ erat imperfectior Christianæ perfectior. Præterea, an nulli erant in ecclesia Christiana imperfecti ante Aquinatis tempora. Aquinatis argumentum sumitur à statu totius Ecclesiæ Christianæ collatæ cum Iudaica. Dicit preterea Thomas instrumenta huiusmodi corporalia aliquid figurasse. Willetus in 2. Samuel cap 6. quæst. 9. ait orientales ut sunt affectibus ferventiores, sic & musica magis affici quàm Septentrionales. Perpendenda præterea temporum conditio, qua sub pædagogia legis omnia erant typis & umbris plena & hac Musica instrumentali repræsentabantur cantiones illæ spirituales de quibus Apostolus, Ephes. 5. 19. & in Synopsi similiter ait harmonicam musicam instrumentorum Iudaicorum fuisse typum spiritualis harmoniæ & gaudii in cordibus fidelium de quo Apostolus, Ephes. 5. 19. Zepperus de lege Mosaica [illegible] instrumenta musica in sacris & cultu divino populi Iudaici [illegible] quæ nunc abrogata sunt. & pau-

Quæst. 107.

De bonis operib. in particulari l. 1. cap. 17.

P. 593.

Cap. 9. pag. 336.

lo

Sopost de organis invectis in Ecclesiam Christianam ait, *Vtut sit contra præceptum & regulam D. Pauli factum est, qui 1. Cor. 14. 19. 26. vult, vt in conventibus ecclesiasticis ad ædificationem omnia fiant, vtque alij intelligant & informentur. Quo quidem nomine linguas etiam in ecclesia ibidem rejicit nedum confragosa illa organa musica, quæ varium vocum garritum efficiunt, & templa lituis, tubis, & fistulis personare, imo perboare & remugire faciunt.* Andreas Chrastovius Polonus in Praxi de ceremonijs & Canone missæ. *Vulgo enim fit, vt aures hominum assuetæ concentibus auditum verbi Dei fistiliant: & ea quæ debet Ecclesia ore in testimonium fidei ædificationis causa dicere vel cantare, mutis & irrationalibus organis committantur, vt sunt psalmorum, symbolique Nicæni, & aliarum rerum decantationes. Ore enim fit confessio ad salutem non tubis vel tympanis, quo fit vt ordini Melchisedeciano alii magis obesse, quàm prodesse instrumenta Musicorum doceant. Ordini enim Aaronico aptiora esse vel ipsum tempus, quo cœperunt in sacro officio adhiberi movet Christianos. Nam etiam Bellarminus fatetur ortum esse vsum illorum tempore Vitaliani Papæ. Sed nullam rationem affert cur aureo Apostolorum seculo & Constantini Magni ætate non fuerint adhibita Si enim post annum 660. vel 820. adhiberi cœperunt quomodo credemus vim non fuisse passam naturam humanam: quæ tandiu ad Dei laudes facultatem hanc suam non admoverat? Ex omnibus enim viribus Apostolos Christum dilexisse credimus.* Et Thesi 42. *At ætas superior & religiosior infirmos etiam habuit, non tamen propter eos organa adhibuit. Vtrum autem promoveant vel tædium minuant, nescio. Magistros enim Musicorum rarissimè pios vident omnes, & longitudine sua interdum choro vocali esse molesta ista instrumenta. Vtut tamen res est, aio Bellarminum rationem Petri Martyris distinctione ceremoniarū non posse expugnare. Sicut enim cruentarum victimarum oblatio erat Iudæis & gentibus communis, nihilominus tamen sanguine crucis sublata est tanquam ordini Melchisedeciano contraria. Ita & vsus istorum instrumentorum ceremonijs Iudaicis conveniens est, quamvis gentes quoque inque in solennitate Deorum suorum (vt fecit Nebuchodonosor in dedicatione suæ statuæ) Musicis vtebantur instrumentis. Sicut enim oblationes ita musica instrumenta interpretibus spiritualem sensum demonstrant, quod vel vnius Augustini Psalmorum enarratio studiosis declarabit.* Sed quamvis concederetur non fuisse Musicam instrumentalem in veteri testamento præfigurativam gaudij piorum & cantionum spiritualium in cordibus nostris non tamen sequitur vsurpari posse in Ecclesia Christiana. *Quæcunque res futuras præsignificaverunt ea post complementum in Christo vsurpare est impium. Quæ illius Ecclesiæ fuerunt propria vel singularia eadem nunc vsurpare est ridiculū.* Distinguit Iunius signa lege imperata. *Eorum quæ lege imperata sunt alia ad rei futuræ præsignificationem pertinuerunt, alia singularem illius Ecclesiæ habuerunt significationem.* Calvinus existimat non aptiora esse

P. 317.

Thes. 41.

Iunius in Exod. cap. 15.

In psal. 37. vers. 2.

tam classem, clericorum nempe aliorumque Psaltarum selectorum. Secundum est cantus symphoniacus in Ecclesiis Cathedralibus. *Cantus Ecclesiæ primitivæ non erat varius & diffonus ex quatuor vocum symphoniis & concursu sed simplex. Deinde invectus est à Gregorio Quinto circa annum Domini 735 is cantus qui Musicalis dicitur, ubi sunt cantores & pueri symphoniaci quæ certè mera est corruptela cantus Ecclesiastici & qui nihil habet pietatis: sed totus ad aurium delectationem comparatus.* Augustinus se accusans ait, *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res quæ canitur, moveat, pænaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Et Bernardus, *Sæpe ad sacrum mysterium vocem meam fregi ut dulcius canerem; magis delectabar in vocis modulatione quam in cordis compunctione.* Hieronymus in locum illum Ephes. 5 19 sic commentatur. *Audiant hi quibus in Ecclesia psallendi est officium, Deo non voce sed corde cantandum: nec in tragœdarium morem guttur & fauces medicamine leniendæ sunt ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica.* Concil. Constant. 6 in Trullo can. 75 sic habet. *Eos qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt volumus nec inordinatis vociferationibus* βοαῖς ἀτάκτοις *uti, & naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum quæ Ecclesiæ non conveniunt & apta non sunt asciscere, sed cum magna attentione & compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre.* Cantus symphoniacus ad aurium potius oblectamentum quam animæ devotionem excitandam inseruit. Præter istud periculum est & aliud incommodum, quòd plerumque non intelligitur quod canitur contra præceptum Pauli 1 Cor. 14 & sic non in re & materia sed in cantu oblectat se & psallens & auditor. Observatur ut laude dignum in Athanasio, quod in Ecclesia Alexandrina psalmistam vel psalmi lectorem tam modico vocis flexu sonare jussit ut pronuncianti vicinior videretur quam canenti sicut testatur Augustinus loco suprà citato. In Extravagantibus communibus titulo de vita & honestate Clericorum, videtur commendari simplex cantus & tantum per modum exceptionis addi, Ut interdum, præcipuè diebus festis sive solennibus liceat proferre supra cantum simplicem Ecclesiasticum aliquas consonantias, quæ melodiam sapiunt. Author petitionis ad Reginam refert injunctionibus Elizabethæ præcipi cantum simplicem, sobrium, & distinctum, pronunciationi potius quam cantui similiorem, sed curiositatem cathedralium Ecclesiarum hanc simplicitatem spernere. Tertium, quod damnamus, est cantus alternatus, cum in horis Canonicis psalmi alternatim per singulos versus à psallentibus dicantur, quæ alternatio antiphona vocatur. Habet & alias significationes antiphona. Hîc vero sumitur pro illa reciprocatione alternatim canentium, quatenus alternatim per versus reciprocè à duobus choris canitur. Socrates refert Ignatium hunc cantum instituisse Antiochiæ,

Danai Isagoge part. 4 cap. 26 li. 4.

Confess. lib 10 cap. 33.

Meditat. cap. 11.

Pag. 69.

chiæ, nempe ut per ὕμνους ἀντιφώνους populus caneret, & Ignatio oblatam visionem Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidisse. Nugæ. Theodoritus contrà de Flaviano & Diodoro sic refert. *Hi primi in duas partes divisi cætibus psalmos accinentium, instituerunt alternis Davidicam melodiam decantare, quod Antiochiæ fieri cæptum pervagatum usquequaque est.* Theodoritum sequuntur Sigebertus & alii complures. Pamelius in tractatum Cypriani de oratione Dominica refert institutum istud ad Flavianum & Diodorum, & nititur authoritate Sigeberti. Quisquis est author, ipsum institutum non est laudabile, quia non intelligitur plerunq; materia, & qui canere debet & voce & corde, corde canit non ore ut debet; siquidem in hunc finem institutus cantus ut voce & cantu proferamus laudes Dei.

Lib. 6. c. 8.

Hist. lib. 2. c. 24.

Not. 6.

Quartum, quod damnamus, est cantus Organicus ceu ad Organa, & ipse organorum strepitus, *Instrumenta inanimata, sive ea sint ψιλὰ φωνῆς sive ἐμπνευστά quicunque in Ecclesiam revocant Synagogam prius sepultam hac in parte refodiunt. Nam ad Leviticum cultum ista pertinuisse nos asserimus froti loco, 2. Chron. 29. 25. neque vero Davidis exemplo niti possunt, qui Nathanis, id est prophetæ præcepto illud imitari non jubentur. Et institutum hoc alienum ab Ecclesia non modo veteres adfirmant, qui ejusmodi crepitacula pueros magis decere aiunt, quam viros, quos par est.* τὰ τῶν νηπίων καταργεῖν, *Iustinus quæst.* 107 *verum etiam Scholastici qui apertè hoc vocant Iudaizare, Thom.* 2. 2. q 91. *art.* 2. *Caietanus ibidem.* Sic Tilenus adversarius noster olim in Syntagmate. Aquinas loco citato ait. *Neque fistula ad disciplinam est adducenda, neque aliud aliquod artificiale organum puta citharæ, & si quid tale alterum est, sed quæcunque faciunt auditores bonos. Hujusmodi enim musica instrumenta magis animum movent ad delectationem, quam per ea formatur interiùs bona dispositio. In veteri autem Testamento usus erat talium instrumentorum tum quia populus erat magis durus & carnalis, unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus, sicut & per promissiones terrenas: tum etiam quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Ex quo loco patet falsum esse tempore Vitaliani Pontificis circa annum Domini 606. Organorum usum in Ecclesia cœpisse, ut Platina, vel Ludovici pij, id est post annum 820 ut Almoinus lib. 4. de gestis Francorum refert. Caietanus in hunc locum Aquinatis sic observat. *Nota quod tempore Divi Thomæ ecclesia non non utebatur organis. In cujus signum adhuc Romana Ecclesia coram summo Pontifice non utitur.* Durandus etiam testatur in capella Summi Pontificis non extare, & refert Navarrum semel atque iterum scripsisse superstite Thoma Aquinate usum organorum nondum receptum fuisse. Polydorus Virgilius de inventione rerum, ait incertum esse authorem, *Multa*

Syntag part. 1 disp. 49. thes. 47.

2. 2. qu. 91. art. 2. ad 4.

De ritibus l. 1. cap. 13.

L. 3. c. 18.

ta insuper novissimis temporibus instrumenta Musica inventa sunt, quorum auctores jam in oblivionem venerunt, ex quibus propter suavitatem concentus omni admiratione & laude digna sunt illa quæ Organa vocant, valde quidem ab illis dissimilia quæ David Iudæorum Rex fecerat, quibus Levitæ sacros hymnos accinerunt. Laude digna sint, si respicias oblectationem sed non ita si Christiani cultus puritatem & sinceritatem. *Operosum illud machinamentum, quod Antonomasticè vocant Organon Vitaliani Papæ inventum ac donum illis arrideat, qui magnæ meretrici supparasitari, quàm Christianæ simplicitati studere malunt: non absimiles Ethnicis, quos Lactantius ad templa ventitare ait, non tam religionis gratia quàm vt videant quod oblectet. lib. 2. c. 7. & quibus publicorum conventuum finis non est παιδεία sed παιδιά,* dixit olim Tilenus.

Syntag. part. 2. disp. 49. thes. 48.

Non solum organa illa musica confragosa, quæ, vt ait Zepperus, varium vocum garritum efficiunt, & templa lituis, tubis, & fistulis, personare faciunt, sed nulla omnino instrumenta musica superstite Thoma Aquinate in ecclesiam invecta ex ipsius dictis colligitur. Author Quæstionum apud Iustinum omnia in genere instrumenta musica ex ecclesia explodit, canere cum instrumentis & crotalis, *itaque ex templis explosus est, & sublatus vsus instrumentorum ejusmodi generis, aliorumque quæ pueris digna sunt relictusque est & retentus cantus omnino.* Ad locum Iustini respondet Bellarminus, *Nos verò fatemur vsum instrumentorum musicorum non ita convenire perfectis & imperfectis & ideo in Ecclesia serò admitti cœpisse.* Iustinus dicit vsum instrumentorum concessum Iudæis propter imperfectionem ipsorum & ideo locum non habere eiusmodi instrumenta in ecclesia Christiana, vt locum illum interpretatur ipse Bellarminus. Nihil est igitur quod respondet. Nam non sunt comparandæ inter se particulares personæ rudiores in ecclesia Christiana cum rudioribus in Ecclesia Iudaica, sed vtriusque ecclesiæ status inter se. Status Ecclesiæ Iudaicæ erat imperfectior Christianæ perfectior. Præterea, an nulli erant in ecclesia Christiana imperfecti ante Aquinatis tempora. Aquinatis argumentum sumitur à statu totius Ecclesiæ Christianæ collatæ cum Iudaica. Dicit preterea Thomas instrumenta huiusmodi corporalia aliquid figurasse. Willetus in 2. Samuel cap 6. quæst. 9. ait orientales vt sunt affectibus ferventiores, sic & musica magis affici quàm Septentrionales. Perpendenda præterea temporum conditio, qua sub pœdagogia legis omnia erant typis & vmbris plena & hac Musica instrumentali repræsentabantur cantiones illæ spirituales de quibus Apostolus, Ephes. 5. 13. & in Synopsi similiter ait harmonicam musicam instrumentorum Iudaicorum fuisse typum spiritualis harmoniæ & gaudij in cordibus secundum illud Apostoli, Ephes 5. 19. Zepperus de lege Mosaica lib. 4. ait. *Instrumentalis musica in sacris & cultu divino populi Iudaici ad ceremonialem Musicam pertinet, quæ nunc abolita sunt.* & pan-

Quæst. 107.

De bonis operib. in particulari l. 1. cap. 7.

P. 593.

Cap. 9. pag. 346.

Io post de organis invectis in Ecclesiam Christianam ait, *Vtut sit contra præceptum & regulam D. Pauli factum est, qui 1. Cor. 14. 19. 26. vult, vt in conventibus ecclesiasticis ad ædificationem omnia fiant, vtque alij intelligant & informentur. Quo quidem nomine linguas etiam in ecclesia ibidem rejicit nedum confragosa illa organa musica, quæ varium vocum garritum efficiunt, & templa lituis, tubis, & fistulis personare, imo perboare & remugire faciunt.* Andreas Chrastovius Polonus in Praxi de ceremonijs & Canone missæ. *Vulgo enim fit, vt aures hominum assuetæ concentibus auditum verbi Dei fastidiant: & ea quæ debet Ecclesia ore in testimonium fidei ædificationis causa dicere vel cantare, mutis & irrationalibus organis committantur, vt sunt psalmorum, symbolique Nicæni, & aliarum rerum decantationes. Ore enim fit confessio ad salutem non tubis vel tympanis, quo fit vt ordini Melchisedeciano alii magis obesse, quàm prodesse instrumenta Musicorum doceant. Ordini enim Aaronico aptiora esse vel vsum tempus, quo cœperunt in sacro officio adhiberi movet Christianos. Nam etiam Bellarminus fatetur ortum esse vsum illorum tempore Vitaliani Papæ. Sed nullam rationem affert cur aureo Apostolorum sæculo & Constantini Magni ætate non fuerint adhibita. Si enim post annum 660. vel 820. adhiberi cœperunt quomodo credemus vim non fuisse passam naturam humanam: quæ tandiu ad Dei laudes facultatem hanc suam non admoverat? Ex omnibus enim viribus Apostolos Christum dilexisse credimus.* Et Thesi 42. *At ætas superior & religiosior infirmos etiam habuit, non tamen propter eos organa adhibuit. Vtrum autem promoveant vel tædium minuant, nescio. Magistros enim Musicorum rarissimè pios vident omnes, & longitudine sua interdum choro vocali esse molesta ista instrumenta. Vtut tamen res est, aio Bellarminum rationem Petri Martyris distinctione ceremoniarũ non posse expugnare. Sicut enim cruentarum victimarum oblatio erat Iudæis & gentibus communis, nihilominus tamen sanguine crucis sublata est tanquam ordini Melchisedeciano contraria. Ita & vsus istorum instrumentorum ceremonijs Iudaicis conveniens est, quamvis gentes quoque in que in solennitate Deorum suorum (vt fecit Nebuchodonosor in dedicatione suæ statuæ) Musicis vtebantur instrumentis. Sicut enim oblationes ita musica instrumenta interpretibus spiritualem sensum demonstrant, quod vel vnius Augustini Psalmorum enarratio studiosis declarabit.* Sed quamvis concederetur non fuisse Musicam instrumentalem in veteri testamento præfigurativam gaudij piorum & cantionum spiritualium in cordibus nostris non tamen sequitur vsurpari posse in Ecclesia Christiana. *Quæcunque res futuras præsignificaverunt ea post complementum in Christo vsurpare est impium. Quæ illius Ecclesiæ fuerunt propria vel singularia eadem nunc vsurpare est ridiculũ.* Distinguit Iunius signa lege imperata. *Eorum quæ lege imperata sunt alia ad rei futuræ præsignificationem pertinuerunt, alia singularem illius Ecclesiæ habuerunt significationem.* Calvinus existimat non aptiora

P. 317. Thes. 41. Junius in Exod. cap. 15. In psal. 37. vers. 2.

esse

esse cultui divino in Ecclesia Christiana instrumenta Musica quam suffitum luminaria aliasque umbras legis Mosaicæ. Paræus, *In ecclesia excitandus est animus ad Deum & lætitiam spiritualem, non tibijs, tubis, tympanis: quod veteri duræ cervicis & stupidæ mentis populo Deus olim indulsit: sed sacris concionibus, psalmodijs, & hymnis.* Aquinas, *Ecclesia non assumit instrumenta musica, sicut citharas & Psalteria in divines laudes, ne videatur Iudaizare.* De Davidis instituto ex præcepto Domini & prophetarum eius videat lector insignem illum locum, 2. Chron. 29. 25. ibi videmus ordinatam fuisse musicam instrumentalem ex præscripto Domini ad cultum Domus Iehovæ quæ fuit theatrum ceremoniarum legalium, non autem fuisse communem cuivis synagogæ. Hæc instrumentalis musica si apta cultui divino in ecclesia Christiana, cur denegatur singulis parœcijs & conceditur tantum Cathedralibus ecclesiis, & sacellis Regiis. Si sumptuosum sit organon sufficiet tibia vtricularis aut cythara. An Christus instituit cultum peculiarem & proprium cathedralibus aut collegiatis ecclesijs alijsve locis insignioribus, quem negavit alijs sicut factum sub veteri testamento? Quis igitur non videt hic κακοζηλίαν apertissimam. Schultingius in Anacrysi hierarchiæ etiam fœminas in Anglia tangere refert. *In Anglia quidem cantatur, & quidem suavissimè adhibitis etiam instrumentis Musicis, quæ etiam fœminæ interdum in ecclesia tangunt, non secus ac viri.* In Ecclesijs reformatis non habent organa locum aut statum vllum in cultu divino. *Vnde,* inquit Zepperus *in quibusdam Ecclesijs reformatis organa illa musica retinentur non autem nisi omnibus cultus divini partibus peractis & dimisso cœtu Ecclesiastico pulsantur ad finem politicum propter illos, qui ex hoc sono & numeris oblectationem quandam quærunt, quibusque huic instrumentali Musicæ interesse libet.* Quintum quod damnamus, est quod canunt non canenda, vt symbolum & in sepultura Antiphonas quasdam versus scilicet desumptos ex Evangelio secundum Iohannem, cap. 11. Iob. 19. 1. Tim. 6. & similia in alijs liturgiæ partibus. Ideo frequens illa admonitio in liturgia Anglicana & libro ordinationum, *dicatur aut canatur, decantetur aut recitetur,* nempe hæc vel illa litania aut Antiphona aut aliud quid. Nam alta vociferatio sub lata cantus significatione comprehenditur, & cantus dicitur in divinis officijs. Cum species odarum ceu cantionum spiritualium sint psalmi & hymni, illi canunt ea quæ nec Psalmi nec hymni compositionem aut formam habent. In divinis officijs apud Pontificios hoc carpit Willetus, quod nempe canant non canenda, vt Lectiones scripturæ & preces quæ cani non debent. *Non decet orantem canere,* ait Hieronymus, præfat. lib. 2. in Habacuk. Sextum quod damnamus est, quod tempus hoc exercitio teritur, alijsque decerpitur magis necessarijs & nobilioribus. *Nobilior modus est provocandi homines ad devotionem per doctrinam*

In 1. Cor. 14. 7.

2. 2 qu. 91. art 2.

Lib. 10. cap. 37.

De lege Mosai. l. 4. c 9. p. 347.

Synopsis papis p. 541.

2. 2. qu 91. art. 2. ad 3.

doctrinam & prædicationem quam per cantum, ait Aquinas.

Atque hæc de ecclesiis cathedralibus, vbi capæ, organa, altaria, aliæque ceremoniæ & res sacræ, vt in publico theatro pompam suam objiciunt omnium oculis. Collegiatæ Ecclesiæ habent suos etiam canonicos & præbendarios quorum caput plerunque Præpositus dicitur.

CAP. IX.

De rebus Adiaphoris & ceremonijs.

PAucas Propositiones de ritibus & Adiaphoris in genere hoc capite posuimus, quia sequenti ceremoniæ quamplurimæ occurrent examinandæ.

Actus humanus dicitur indifferens, qui nullam habet bonitatem vel malitiam moralem, id est, qui nulla lege naturali aut divina imperatur aut vetatur.

Est Adiaphoria quædam in rebus Physicis, vt Receptionis quam habet materia respectu formarum, Communitatis, quam habent superiora respectu inferiorum, Identitatis, quam habent ea quæ sunt eadem eo modo quo sunt eadem, ut habet Castanæus in Synopsi, sed hæ non sunt huius loci. Nec etiam omnis actionum humanarum adiaphoria. Potest enim aliquis actus fieri successivè bonus vel malus, & actus ex genere suo bonus fieri malus si desit vel vna circumstantiarum debitarum, vt actus dandi eleemosinam potest ordinari ab operante in finem malum, ostentationem. Disputant etiam pontificii de indifferentia inter meritum & demeritum vitæ æternæ, quæ inter se opponunt sicut bonum & malum in moribus. Sed nos de pura puta adiaphoria, quæ nullam præsupponit bonitatem aliam aut molitiam moralem, agimus. Dixi *bonitatem aut malitiam moralem*, quia omnis actus humanus habet suam bonitatē moralem. *In actione humana bonitas quadruplex considerari potest. Vna quidem secundum genus prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione & entitate tantum habet de bonitate. Alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens. Tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam.* In actionibus etiam malis moraliter est sua entitas & bonitas naturalis cuius autor Deus, quæ in bonis substernitur bonitati morali. Dixi *nullam* bonitatem vel malitiam moralem, quia si vlla ex parte actus humanus includit rationē boni vel mali non iam est indifferens. Opor- *Aquinas 1. 2 qu. 18. art. 4.*

tet igitur actum indifferentem tenere locum præciſè medium inter bonum & malum. Inde Adiaphora vocantur media τὰ μέσα, τὰ ἐν μέσῳ κείμενα, ἀδιάκριτα quia diſcrimine boni vel mali carent. Adiaphora non ſunt media per participationem vt rubedo inter album & nigrum, ſed per negationem vtriuſque extremi, conformitatis & difformitatis ad rectam rationem ceu legem. Nec ſolum requiritur negatio confirmitatis ceu difformitatis ad legem ceu rectam rationem, ſed etiam majoris propenſionis in vnam quàm in aliam partem. Tertium quod conſtituit huius medii formale eſt non repugnantia ad vtrunque extremum Lapis non eſt cœcus nec videns. Habes ibi medium negationis, ſed cum repugnantia ad vtrunque extremum. Actus homicidii in bove cornu peta nullam habet conformitatem aut difformitatem ad rectam rationem, non tamen dicitur actus indifferens, quia ibi eſt repugnantia ad vtrunque extremum, nam bos eſt animal irrationale. Adiaphora igitur ſunt dubia, indiſtincta, & vtroque vergentia, ſed non magis vergentia in vnum quàm alterum extremum. Dixi nulla lege, diuina aut naturali imperari aut vetari actum indifferentem quia poteſt actus eſſe indifferens ſecundum legem naturalem vt edere carnem ſuillam, qui tamen vetabatur lege divina poſitiva in veteri teſtamento. Divinam legem voco illam revelatam in verbo quæ exemplum eſt perfectum exemplaris legis æternæ quæ adumbratur in natura & Scriptura.

Actuum ſecundum ſuam ſpeciem indifferentium nullus à deliberativa ratione procedens eſt in individuo ceu actu exercito indifferens, ſed pro circumſtantiarum & finis ratione eſt moraliter bonus vel malus.

Conſideratur actus moralis vel ſecundum rationem quam ſortitur ex obiecto abſque circumſtantiis, vel ſecundum rationem quam ſortitur ex obiecto cum omnibus circumſtantiis, finis loci temporis, &c. Prior reſpectu ſecundæ eſt generalis vel vniverſalis, quam vocant conſiderationem actus ſecundum ſpeciem, quia ab obiecto ſumitur ſpecificatio cuiuſcunque actus. *Nam ſicut res naturalis habet ſpeciem ex forma ſua, ita actio ab obiecto, ſicut & motus à termino.* Secunda conſideratio reſpectu primæ eſt particularis vel ſingularis quæ dicitur à Theologis conſideratio actus ſecundum individuum & actualem exiſtentiam, quæ eſt cuiuſlibet rei ſecundum eſſe ſingulare, & cum omnibus circumſtantiis ſuis. Poſſe dari actum indifferentem ſecundum ſpeciem ſuam, id eſt qui ratione obiecti ſui nihil includit rectæ rationi couforme aut difforme ſatis patet. Nam ratio neque affirmando quod levanda ſit feſtuca de terra, ne-

que

que levandam esse negando magis recta est, quatenus actus ille considerutur præcisè secundum rationem quam sortitur ex obiecto. Vbi ratio est æquè indifferens quoad veritatem & falsitatem in affirmando & negando actus est etiam indifferens quoad malitiā vel bonitatem in prosequendo & fugiendo. Nam rectitudo rationis consistit in conformitate ad legem naturalem vel divinam. Atque hoc est argumentum Durandi. Cum dicitur actus esse indifferens secundum speciem, hic non est sensus, quod de ratione specifica illius actus sit, quod sit indifferens. Nam sic actus omnes individui sub illa specie essent etiam indifferentes, quia ea quæ sunt de ratione speciei conveniunt omni individuo sub illa specie. Illo sensu nullus est actus indifferens ex specie sua. Omne enim obiectum actus humani potest ordinari ad malum vel bonum per finem vel circumstantiam. Sed hic est sensus, quod de ratione specifica cuiusdam actus non est, quod sit differenter vel determinatè bonus vel malus, sed vtrunque potest illi per aliud convenire. Sic multi sunt actus secundum suam speciem indifferentes, cum tamen nulli sub illis actus individui a deliberativa ratione procedentes sint indifferentes. Nullum esse actum humanum indifferentem qui non possit in individuo fieri bonus vel malus nemo negabit. Actu & reipsa nullum esse actum humanum in individuo à deliberativa ratione procedentem qui sit indifferens tuentur Thomistæ, eorumque argumenta mihi videntur firmissima. Bellarminus cum actiones humanas divisisset in naturales quales sunt ambulare, sedere, colere agros, gerere bella, & huiusmodi alia, morales quibus actiones omnes virtutum & vitiorum continentur, vt eleemosynam dare, furari, fornicari, & huiusmodi: & divinas ac supernaturales quæ propriè ad salutem æternam consequendam pertinent, vt credere, sperare, diligere, orare, & sacrificare, &c. subjungit. *Et quamvis actiones primi generis, quas naturales diximus, & à quibusdam civiles etiam denominātur in particulari, sive vt Theologi loquuntur in individuo, necessariò sunt bonæ & malæ moraliter iuxta doctrinam Sancti Thomæ, (quam nos vt probabiliorem sequimur) tamen ex genere suo indifferentes, id est (vt ipse Thomas interpretatur) secundum speciem.* *De gratia & lib. arbitr. l. 4. cap. 1.* Actus individuus in existentia sua semper habet aliquam circumstantiam per quam trahitur ad bonum vel malum. Circumstantiæ dicuntur conditiones quæ sunt extra substantiam actus humani, & tamen aliquo modo actum attingunt, vt cum pensatur quis fecit, quid, propter quid, circa quid, quibus auxiliis, quo loco, quo tempore, quo modo. Modus qui est circumstantia est qualitas actus, vt quod aliquis percutit fortiter vel remisse non autem bene vel malè agere, circa quid est conditio adjuncta obiecto ceu causæ materiali, sicut in obiecto non dicitur circumstantia furti quod sit alienum (hoc enim pertinet ad substantiam furti) sed quod sit magnum vel

Aquinas 2.2 qu. 18. art..

parvum: quid, attingit actum ex parte effectus, vt quod aliquis perfundens aliquem aqua abluit & abluendo noceat frigore vel calore, abluere non est circumstantia, sed sanare vel nocere. Propter quid notat finem adiunctum, extraneum & remotum. Nam in aliqua actione considerari potest duplex finis proximus quem immediatè respicit operatio & est ipsum obiectum actus, remotus est in quem obiectum ordinatur ab agente. Prior appellari solet finis operis, posterior finis operantis. Priorem finem respicit operatio ex sua natura, posteriorem vero ex libera voluntate operantis ordinantis actionem ad eum finem. Quod si operans intendat illum eundem finem ad quem opus sua natura ordinatur, tunc finis iste dicetur finis operis & operantis. Si quis aliquem interfecerit, vt auferat eius pecunias homicidium erit finis proximus huius actus, & furtum remotus. Huius finis remoti & extranei circumstantia inter circumstantias est præcipua quia non tantum habet rationem circumstantiæ respectu actus, sed etiam principij & causæ suæ bonitatis. Circumstantiæ etiam aliæ non solum augent bonitatem & malitiam actuum moralium, sed etiam dant novam speciem, vt locus sacer mutat furtũ in sacrilegium. Hisce præmissis, sequitur probanda ipsa Thesis nempe nullum actum humanum à deliberativa ratione procedentem esse in exercitio ceu individuo indifferentem. Ratio deliberativa quando agit dirigit actum ad aliquem finem. At debet semper ordinare ad bonum finem & cum debitis circumstantiis. *Dico autem vobis, quod de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines reddent rationem in die iudicij*, Mat. 12. Verbum est otiosum, quando profertur sine debito fine. *Otiosum verbum est quod vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis, aut piæ vtilitatis caret*, ait Gregorius. Inde argumentatur Thomas. Si non caret ratione iustæ necessitatis, aut piæ vtilitatis, est bonum. Eadem est ratio de omni alio actu otioso. Omnis actus qui debito fine caret est otiosus, & proinde de eo reddituri sumus rationem quia malus. Et qui tuentur sententiam Thomæ hoc etiam argumento vtuntur. Sicut agentia naturalia determinantur suis inclinationibus ad omnes actus suos convenientes proprijs naturis, ita agentia libera habent à suo auctore præceptum tendendi suis actibus liberis in finem convenientem naturæ rationali, bonum nempe rationis, quod est bonum morale. Objiciunt contrà sentientes locum Hieronymi epistola quadam ad Augustinum. *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter vtrunque est indifferens ambulare, dirigere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis phlegmata iacere: hoc nec bonum nec malum est: sive enim feceris sive non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam*. Respondent quidam actus hos communiter fieri absque deliberatione solo impulsu naturæ. Alij actus hos deseruire indigentiæ naturæ, & tales solummodo concedunt esse in

L. 7 Moral. c. 25.

individuo

individuo indifferentes, Sed rectiùs alii sic respondent, si deliberatè fiunt actus illi vel fiunt ad succurrendum indigentiæ naturæ, aut alium utilem finem vel otiosè. Si prius, habent suam bonitatem moralem. Nam quod quis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis ad bonum virtutis, ordinatur in eo qui corpus sic ordinat in bonum virtutis. Sed spuere deliberatè & tamen otiosè non ob utilem finem est actus otiosus & proinde non indifferens. Quod quis spuat aliud cogitans non procedit ex deliberata ratione, & de eo statim dicemus. Nec dixit Hieronymus actus illos esse omnino indifferentes: sed indifferentes secundum speciem. Ideo alibi ait *Indifferentia nec bona nec mala sunt sed velut in meditullio posita usu & eventu bona vel mala fiunt.* Item *Indifferentia sunt nec bona nec mala, & pro utentium qualitate variantur.* In thesi dixi *actum à deliberativa ratione procedentem*, quia Scholastici excipiunt actus ex imaginatione procedentes, ut cum quis movet manum, pedem, baculum aliis intentus, vel fricat barbam, sed tum dicunt actiones illas hominis quidem dici, sed non humanas propriè, cum non sint hominis quatenus est homo. Illas autem propriè humanas dici, quarum homo est dominus: esse autem dominum suarum actionum per rationem & voluntatem. At respondetur, imperio rationis & voluntatis subesse motus istos locales membrorum exteriorum, quos prævenire debebat ratio. Concedunt rationem debere actum prævenire, quando materia est peccatum mortale, sed quando actuum objecta secundum se non sunt peccata, ut fricare barbam, levare festucam, movere pedem aut manum dicunt nos non peccare etiamsi negligentiores simus in præveniendo, quia circa hos actus ratio nullo modo tenetur esse pervigil nisi in casu alicuius adjuncti, & proinde esse extra genus moris, indifferentes ad bonum & malum. Sed certè si ratio tenetur esse pervigil, ne transgrediatur labia nostra verbum otiosum, quia de eo rationem reddituri sumus in die judicii, vigilare etiam debet ne prodeat actus aliquis otiosus. Rigidum jus legis divinæ minuere mihi videntur qui ista negant. In multis labimur omnes, ut obstruatur omne os. Accipientes *quippe mandatum & sentientes defectum, clamabimus in cœlum & miserebitur nostri Deus.* Sed sat est impræsentiarum, si concedatur actus à deliberativa ratione procedentes non esse indifferentes, quia de ejusmodi jam disserendum erit. Si enim quis in percipienda Eucharistia fricaret barbam deliberatè sive pro animi libidine, sive ut morem gerat principi imperanti, dignus est cui barba radatur. Dico igitur nullum actum à deliberativa ratione procedentem esse in individuo indifferentem sed vel vestitum esse omnibus debitis circumstantiis, maxime finis vel non esse, si prius erit actus bonus, si posterius malus. Nam quilibet singularis defectus causat ma-

Contra Jovinian. l. 2. c. 29
In Isaiam cap. 55.
Bernard. in serm. 50.

lum: bonum autem causatur ex integra causa, & corruptio cujuslibet circumstantiæ debitæ maximè finis est ab erratio à regula. Vsus rerum indifferentium determinandus est regulis sobrietatis, charitatis, & pietatis. Sobrietas postulat ut sobriè utamur. Nam libertas Chistiana non est effiænis licentia: non debet esse occasio carni Galat. 5 13 non malitiæ velamen 1 Pet. 5 2 16. Charitas exigit ut usu rerum indifferentium proximum non lædamus aut offendamus, sed abstineamus ab omni specie mali ad vitandum scandalum ne ruat exemplo nostro proximus in peccatum. Pietas poscit, ut omnia referamus ad Dei gloriam. *Sive editis sive bibitis sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* 1 Cor. 10 31. Qui nec explicitè id est actu de Dei gloria fine ultimo cogitans operatur, nec implicitè id est de aliquo fine bono in particulari, unde sequitur gloria Dei, etiamsi de ea actu non cogitet, nullo modo nec explicitè nec implicitè refert omnia ad Dei gloriam. Et tamen vel explicitè vel implicitè omnia referre oportet secundum præceptum illud Pauli ut agnoscit Bellarminus.

De gratia liber. arbit. l. 5. c. 10.

Rebus & ritibus sacris ceu ceremoniis cultus divini à Deo præscriptis res aut ritus sacros Iudaicos aut ab hominibus institutos addere non est adiaphoron sive ad significationem sive ad operationem.

Dixi rebus aut ritibus sacris ceu ceremoniis, quia *in jure politico sui sunt imperati & solennes ritus, ceremoniæ verò propriè non nisi sacræ observationes in cultu divino appellantur*: & observationes ordinis & decori propter eutaxiam non dicuntur propriè ceremoniæ aut ritus sacri; Nam eutaxiæ leges sunt communes civilibus & sacris. Ex natura est & communi jure, quod sint ostiarii vel æditui in Ecclesia, non tamen est officium æditui ordo sacer cleri sed officium commune ad res humanas æque ac sacras pertinens *Officium, inquam, commune est in sacris & prophanis rebus.* Ceremonia propriè & simpliciter dicitur Bellarmino actio externa, quæ non aliunde est bona & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, ut sacrificium, genuflexio, & similia. Sacrificium, genuflexio & similes actus exteriores non sunt actus alterius virtutis ullius, in ordine tamen ad voluntatem religiosam habent suam honestatem sufficientem in qua fundari possit ceremonia sive ritus sacer & accommodari possint ad significandum cultum divinum. Quilibet actus exterior de se indifferens non habet istam proportionem ad significationem cultus divini ut deambulare, agitare tauros, & similes. Votum de agitandis tauris in honorē Dei non est validum, quia etsi actus ille sit indifferens nihil in se habet utilitatis aut convenientiæ, ut ad Dei cultum quicquam conferre possit. Ideo ait Suarez,

Iunius de politia Mosis cap. 7.

De Cleric. ca. 13 not. 2. De sacram. lib. 2. ca. 29.

Suarez. *Dico igitur (estque generaliter observandum) ut actus indifferens fiat honestus ex fine honesto non satis esse quod ex libertate aut falsa apprehensione operantis in eum finem referatur: sed oportere ut talis relatio prudenter fiat, & cum proportione ac fundamento alicuius convenientiæ inter tale medium & talem finem, id est quod sit utile ad illum vel proximè vel interventu aliorum mediorum, quia aliàs est imprudens relatio talis medii ad talem finem, & potius videtur in verbis aut falsa apprehensione, quàm in re ipsa existere.* Actus igitur agitandi tauros nullam accipit honestatem ex relatione ad honorem Dei, ut possit dici ritus sacer, aut ceremonia in cultu divino. Actuum de se indifferentium alii determinari possunt à privato quolibet, quia natura ipsa docet genu flectere, manus elevare & oculos, pectus tundere & alia signa cultus interioris. Sed nos jam disserimus de determinatione actuum, & accommodatione ad cultum divinum ex mero instituto, & dicimus Deum solum hos actus sacros & religiosos ceu ceremonias determinare & præscribere jure posse. Dixi rebus aut ritibus sacris à Deo præscriptis, quia Deus non modo ritus sed etiam res sacras instituit. Res sacræ aliæ sunt ortu ipso sacræ, ut scriptura sacra, aliæ instituto, ut templum Hierosolymitanum, vestes, & vasa sacra, sic sacramenta in novo Testamento. Nam ex instituto divino aqua, panis, vinum fiunt res sacræ. Templa, altaria, vestes, imagines, cerei accensi, vasa sacra pontificiorum non sunt ex instituto divino res sacræ, sed humano commento, & proinde non sunt inter res sacras numeranda. Templa sunt tantum ædificia, quæ deserviunt eidem usui Ecclesiæ, cui publica ædificia deserviunt in Republica, ut supra ostendimus & ut simile in officio æditui de quo jam dictum arguit, sic vasa. Imagines autem cerei accensi, altaria & similia sunt superstitiosorum & maleferiatorum figmenta hominum. Ex rebus & ritibus sacris constituitur materia alicuius cultus particularis, ut administrationis sacramenti, prædicationis verbi, cantus psalmorum, oblationis precum, gratiarum actionis &c. Ex particularibus ceu partialibus constituuntur officia divina. Nam quandoque omnes concurrunt, quandoque plures, quandoque pauciores in liturgia publica. Dixi sive Iudaicos sive ab hominibus institutos, quia Iudaici erant olim à Deo instituti non ab hominibus, sed tamen antiquata jam lege Mosaica non sunt amplius usurpandæ res aut ritus sacri Iudaici qui erant ex instituto divino non ipso ortu sacri. Dixi denique sive ad effectus spirituales sive ad significationem, quia ceremoniæ ratione finis ceu effectus aliæ instituntur ad effectus spirituales ut ad dæmones coercendos aut peccatum veniale remittendum &c. quam vim spiritualem tribuunt exorcismis suis aquæ benedictæ, signo crucis &c. vel ad significationem ut vestis alba neophytorum, lumina cereorum, superpelliceum &c.

L. 2 de votis cap. 4.

actus

actus ordinis & decori non sunt propriè ceremoniæ, ut suprà dictum.

Quod res aut ritus sacros addere non liceat ritibus & rebus sacris à Deo præscriptis probatur. *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis neque detrahite de eo. Ut servetis præcepta Iehovæ Dei vestri quæ ego præcipio vobis Deut.4. Infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non scripta introducere* Cyprianus epistola ad Pompeium, *Unde est*, inquit, *ista traditio Utrum de dominica & Evangelica authoritate descendens an de Apostolorū mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, testatur Deus, & proponit ad Iosue, dicens, non recedet liber legis huius ex ore tuo &c. Si igitur aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis & actibus continetur, observetur etiam hæc sancta traditio*, Cyprianus non unam, sed omnes traditiones damnat quæ non possunt ex scripturis Evangelicis & Apostolicis confirmari. Dogmatica & ethica in scriptura expressè contineri aut ex eadem justa consequentia deduci dicet aliquis, non autem ritualia. Si per ritualia intelligant ceremonialia ceu ritus sacros cultus divini, falsum. Bellarminus dividens traditiones ratione materiæ in traditiones de fide & moribus, *Traditio ad mores pertinens est*, inquit, *quod signum crucis in fronte pingendum sit, quòd certis diebus jejunia sunt servanda aut festa celebranda &c.* Verbum Dei respectu finis, ad quem à Deo ordinatur, perfectum exactum & absolutum est, ait Hookerus. At ordinatur in istum finem, ut instruat nos in omnibus quæ ad fidem vel bonos mores, maxime autem quæ ad cultum Dei pertinent. Scriptura de cultu divino tractat ex proposito, & ut instruat quo modo colendus sit Deus, si ergo non plenè tractat imperfecta est, & scopum non attigit. Sub Evangelio habemus legem nostram ceremonialem determinantem legem moralem quoad cultum, sicut sub lege Mosaica Iudæi; Ad hanc legem pertinent sacramenta & eorum ritus omnes quorum institutio referri non potest ad jus naturæ, sed ad voluntariam Christi determinationem. Legi ceremoniali Iudæorum non licebat hominibus addere aut detrahere quicquam. *Unamquamque rem quam ego præcipio vobis eam observantes facite: ne addite ei neque detrahite ex eo Deut.* 12 32. Loquitur ibi de cultu dominus. Non minus perfecta est lex ceremonialis sub lege nova, quam sub lege veteri. Ergo nec ei addere aut detrahere licet.

Basilius ser. de fidei confess.

De verbo Dei non scripto cap.2.

De politeia lib.3.p.144

Vis huius consequentiæ patet primum ex eo, quòd non minùs nunc quàm tunc rationem humanam coerceri certis septis, & quasi cancellis circumscribi opus sit, ne in rebus divinis lasciviat, aut in superstitiones delabatur. Deinde ex eo, quòd Apostolus & Pontifex professionis nostræ Iesus Christus fidelis fuit ei qui ipsum

constituit,

constituit, ut & Moses fidelis fuit in tota domo ipsius. Et Moses quidem fidus fuit in tota domo ipsius, ut famulus; At Christus ut filius domui suæ præest. Heb. 3. 2. 5. 6. Moses exactè describit omnes ritus cultus divini, & in extruendo tabernaculo rerum minutissimarum materiam & formam conformavit ad exemplar quod ministratum illi in monte scutulas, annulos, vectes, forcipes, trullas. Concedit ipse Bellarminus omnia, quæ ad cultum Dei pertinebant in speciali determinata fuisse in lege veteri, sed negat eandem esse rationem testamenti veteris & novi. *Quia lex testamenti veteris dabatur uni tantum populo, & ad certum tempus, nimirum usque ad Christi adventum, potuit facile determinare omnia, ut etiam fecit. Nam in speciali præscribit omnia, quæ tam ad cultum Dei, quam ad judicia & forenses contentiones pertinent. Et ideo non esse mirum si prohiberet addi alias leges. At lex Evangelica datur toti mundo, id est diversissimarum nationum populis, & duratura est usque ad finem mundi. Et ideirco non poterat tam facilè determinare omnia in speciali, ut non essent adhuc necessariæ aliæ leges tam civiles quam Ecclesiasticæ.* Ideo inquit, *Deus melius esse judicavit, si in Evangelio, quod est commune omnibus, traderet communissimas leges de sacramentis atque articulis fidei, & alia magis specialia pro locorum & temporum diversitate relinqueret instituenda per Apostolos eorumque successores.* Sic etiam respondent Hierarchici, Hookerus *leges Mosaicas Iudaicam tantum gentem concernere: & ideo comparationem nullam inferri posse tam exactæ politeias pro omnibus Ecclesiis Christianis, quæ multæ imo pene innumeræ sunt.* Quod ad legem judicialem nullam habemus nisi Ecclesiasticam de regimine & disciplina Ecclesiæ; judicialem forensem & politicam non tulit legislator noster, quia temporale regnum sibi non acquirebat, nec rempublicam Ecclesiasticam instituit sed de cultu externo in Ecclesia præcepta dedit, ritus & ceremonias præscripsit. *Non poterat*, inquit Bell. *tam facilè determinare omnia in speciali in novo testamento.* Respondeat Iunius, *Quid? tu mihi Bellarmine potentiam Dei circumscribes numero personarum locorum & temporum? tam profectò in illa potuit quàm in hac Deus æque potentia atque essentia infinitus & immutabilis. Marcionitarum non Christianorum sententia illa est.* Ritus sacri omnes sunt universales aut particulares, universales, ut pingere crucem in fronte, particulares ut jejunium sabbathi quod in Ecclesia Romana & quibusdam aliis, sed non ubique observabatur. Vniversales nonne facilè potuit Dominus determinare? Homines potuerunt & Deum etiam non facilè potuisse si quis dixerit, impius est. Particulares vel non pendent à circumstantiis loci temporis & personarum, vel pendent. Si non pendent tum fieri possunt universales. Si fieri possunt universales, tum etiam facilè determinare potuit Deus, & de iis legem ferre. Iejunii observatio est universalis, & à Deo etiam præcepta in genere.

De Pontific. l. 4. ca. 17.

De politia Eccl. lib. 3. p. 134.

De Pontif. l. 4 c. 17. not. 12.

nere. Præscriptum tempus est etiam ritus universalis, sed institutus ab hominibus, quem facile Deus etiam præscribere poterat, si placuisset illi talis ritus. Iejunium sabbathi erat tempore Augustini ritus particularis Ecclesiæ Romanæ & aliarum quarundam. Sed ritus ille particularis non pendebat à circumstantiis illarum Ecclesiarum. Facile poterat ubique observari, & Deus etiam facillimè potuit determinare ut jejunium sabbathi esset universale, si præscriptum quodvis tempus ipsi utile visum esset. Si pendent à circumstantiis locorum, temporum, personarum, potuit tamen Deus potentia & sapientia infinitus determinare. Sed primùm nulli sunt ejusmodi ritus particulares, qui pendent à circumstantiis locorum, temporum & personarum, nisi ritus ordinis & decori, si ritus dicendi sunt, at ritus sacri nulli particulares fuerunt in Ecclesia, qui pendebant à circumstantiis. Detur instantia. Præterea etsi daretur, non tamen approbat ejusmodi ritus sacros dominus, qui ne universales quidem ab hominibus institutos probat. Si particularibus Ecclesiis liceret universalibus ritibus sacris alios superaddere particulares, quanta esset varietas vel esse poterat cultus externi in Ecclesia. Vniversales ritus instituit Dominus, plures potuit, pauciores voluit, sed propter novæ legis suavitatem & libertatem multiplicare noluit. *Levi jugo suo nos subdidit, & sarcinæ levi, unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.* Imo nec sacramenta instituisset, nisi quid singulare haberent præter alios ritus. Alia Bellarmini & Hierarchicorum responsio est, *Cum Moses præcipit non esse addendum ad id quod lex præscribit, hoc debere intelligi de additione corrumpente non autem perficiente opus præceptum. Vt cum lex dicit, solùm sacrifices oves & boves & aves mundas: si quis vellet sacrificare etiam canes & sues & homines, ille addet, & corrumpet præceptum*, distinctionem istam illustrat similitudine libro secundo de effectu sacramentorum. *Idem videmus in monetarum corruptione. Illi enim dicuntur falsarii, qui vel ipsas monetas corrumpunt, addendo stannum argento, aut minuendo ipsum argentum, vel qui monetas à se cusas obtrudunt pro moneta principis. Nihil autem horum invenient in ceremoniis Ecclesiæ.* Eadem & distinctione & illustratione utitur Mortonus. Nulla habent illi arma, nisi quæ ministrantur à pontificiis in controversiis cum orthodoxis quos illi Puritanos vocant. At additio perficiens etiam prohibetur, quia arguit imperfectionem in præcipiente. Nam quod perficitur imperfectum est, *Scriptura sacra est perfecta divinitus, eoque nec contra ipsam nec præter ipsam lex addi aut minui in Ecclesia potest. Imo siquæ insuper adduntur, ex facto sunt contrariæ verbo Dei, quod sibi addi aut minui vetat,* inquit Iunius. Sic Tilenus, *petitur principium, quin & hoc ipso contraria est quælibet nova lex, quod divinæ additur: quandoquidem ista sibi quicquam*

Augustinus ep. 118 c. 1.

De pontif. lib. 4. ca. 17.

Cap. 31.

Def. of. ceremoniar. p. 29

De pontif. l. 4 c. 17 not. 10.

Nota 13.

Quicquam addi vetat. Si nullũ aliud esset vitiũ in ritu ullo, satest quod additur ad opus præceptum. Ipse Bellarminus damnat additionem rei homogeneæ ad opus præceptum, ut cum Deus jubet comedi in paschate unum agnum à singulis familiis, si aliqua familia duos agnos comedisset, multò magis igitur damnanda rei heterogeneæ additio. *Legislatores ipsi non jactabant se novum quicquam tradere, sed tantum addere cavendi formulas quæ media essent adminicula ad servandum Dei legem.* Deus prohibet ne addant ad præcepta ipsius ut custodiant ea, illi dicunt se addere ut custodiant & melius observent ac si ritus instituti ab hominibus præservare possint præcepta Dei, & efficere ut melius observentur, cum contra videamus pluris fieri mandata hominum, quàm præcepta Dei. Alia additio est ad numerum præceptorum & hanc non esse prohibitam contendunt pontificii, & adversarii nostri. Nam Iudæos addidisse ad numerum præceptorum ceremonialium probat Bellarminus, exemplo festi Purim. Sic Hookerus & Mortonus, Respondet Tilenus, *Festum hoc aut ex Mordochæi aut ex Regis præcepto, aut communi populi consensu institutum fuit. Si primum; auctoritate prophetica id factum, eadem videlicet qua liber ille scriptus. Si secundum, politicum est mandatum non Ecclesiasticum, & à probatione quæstionis alienum. Si postremum, non modo alienum sed etiam adversum est: sequeretur non Monarchicum sed Democraticum esse regimen.* Adducunt etiam festum dedicationis institutum à Machabæis. Sed exemplum istud non imitandum aut omnino probandum. Nam de authoritate legitima quæritur. Ad utrumque tamen respondet Sutlivius, *Ostendere etiam debet illas fuisse leges Sacerdotum, & non prophetarum qui hæc ex Dei mandato instituerunt.* De prophetis autem Whitakerus. *Si Prophetas dicat mandisse aliquid novi, fuerunt illi æquales Mosi, & æqualem potestatem habuerunt. Nam prophetæ qui postea suis temporibus exorti sunt, spiritus sancti organa fuerunt, & ex ore Domini sunt locuti.* Sed de utroque festo plura dicturi sumus capite sequenti, ubi de dierum festorum observatione tractabitur. Mortonus ut probet additiones ad præcepta affert factum Salomonis 1 Reg. 8 & ait Salomonem erexisse in templo aliud altare æneum, cum vidisset altare Domini non capere omnia holocousta. Sed rectiùs Bellarminus, à quo istud argumentum mutuatus est, ait tantum sanctificasse alium locum in templo, & ibi obtulisse holocausta, inde quidem colligit in eo non peccatum fuisse quod Achaz altare novum in templo erexerit, sed quod altare erexerit ad similitudinem altaris idoli Damasceni, nec quod Manasses aras extruxerit in templo, sed quod extruxerit eas militiæ cœli. Respondet Iunius. *Non sequitur ex dispari. Nam factum est extra ordinem, & occasione singulari ex necessitate præsente cui per analogiam communis iuris prospectum est, forte etiam particulari revelatione.*

Calvnus in Mat. 15. 2.

De pontif. l. 4 ca. 18. not. 5.

De pontif. l. 4 ca. 6. p 440.

De pontif. quæst. 7. cap. 3. sect. 2.

De Pontif. lib 4 ca. 19.

Ibidem. Nota 3.

latione. At illi nihil fecerunt, nisi execrando pruritu Idololatriæ. Tilenus, *Ab exemplo & facto extraordinario nihil legitimè concluditur pro potestate Pontificis ordinaria; qui neque Rex est neque Propheta, qualis fuit Salomo Canonicorum librorum scriptor, cuius notæ non sunt epistolæ decretales.* Et cum dixisset Bellarminus Deum Salomonis factum nec imperasse nec approbavisse, nisi potius approbasse dicendus sit, cum sequenti capite Salomoni per quietem apparuerit, cumque laudaverit, ac multa bona illi promiserit. *Hinc*, inquit, *rectius colligeret Bellarminus præcessisse peculiarem inspirationem de loci illius in templo sanctificatione: non enim laudat Deus* ἐθελοθρησκείας. Whitakerus, *Respondeo Salomonem quidem consecrasse medium atrii, ut ibi etiam sacrificia offerrentur, quia non satis amplum erat prius atrium propter sacrificiorum multitudinem. Sed primo Salomon non extruxit novum altare, non id legitur, sed tantum ipsum atrium ad eam rem consecravit, id est pavimentum atrii, ut Lyranus interpretatur. Secundò quicquid Salomon fecit id Dei authoritate & spiritus sancti nutu fecit.* Sutlivius, *Deinde Achaz & Manasses non tantum reprehenduntur, quod idolis immolassent, sed quod novi generis altaria extruxissent in templo Dei: quòd autem Salomon secundum altare in atrio extruxit, ex revelatione proculdubio divina fecit.* Si unquam raptus spiritu Salomon in illa dedicatione templi raptus erat, ut bene observatum in Replica contra Mortonum, & colligi potest ex historia 1 Reg. 8 & 2 Chron. 6 & 7 Præterea sacrificarunt sacrificium boum vicies bis mille & pecudum centies vicies mille, quum dedicarent domum Dei rex & totus populus; altare æreum quod fecerat, non poterat capere holocausta munera & adipes; consecravit internam partem ceu interius atrium nempe sacerdotum. Necessitas cogebat supplere, quod deficiebat. Sacrificia erant magis necessaria, quàm altaria. Altare enim erat propter sacrificium non autem sacrificum propter altare. Noluit igitur ille deesse sacrficio, etsi deerat altare sacrificio. Nec dicitur erexisse aliud altare, sed sanctificasse interius atrium in hunc præsentem usum, non enim suffecisset etiam aliud altare, & potius pavimentum quam altare consecravit, ne altare altari adderet. *Quia verò æneum altare, quamvis amplum esset, non erat omnium sacrificiorum capax, dicitur Salomon consecrasse medium atrii hoc est pavimentum quod erat iuxta victimarum altare, ut etiam ibi sacrificia offerentur. Dicitur autem Salomon consecrasse non quod ipse atrium ingressus fuerit sed quod afflatu divino sacerdotibus mandavit locum illum consecrari.* Et quid si erexerit altare necessitate sacrificii urgente, non tamen erat stabile & perpetuum, sed quale terreum illud quod ante extructum taberculum fuit, & quod facile dirui poterat. Quomodo igitur inde excudent ceremonias suas stabiles; sine quibus integer tamen stare potest Dei cultus.

Ibid. nota 2.

Not. 3.

De Pontif. l. 4. c. 3. sect. 7.

De Pontifice, l. 4 c. 6. pag. 247.

Pet. Martyr in 1 Reg. 8 64.

Qui

Qui fecit altare æreum ex præscripto divino, quidni etiam poterat Deo inspirante, aut per Vrim & Thummim consulto, vt solebat fieri in re dubia, aut casu emergente, altare temporarium erigere. Sed cur diceret consecrasse atrium interius in hunc finem, si altare tantùm consecrasset. Danæus, *Nam & pars illa atrij erat iam non ex hominum, sed ex Dei instituto sancta, Exod. 27. & 40. (vtpote in qua erat altare holocaustorum) & sacrificijs recipiendis destinata (nam in eadem parte versabantur sacerdotes sacrificantes) verum per totam illam atrij medij & sacerdotalis partem & pavimentum sacrificavit & cremavit.* Altare quod ad Iordanem extruxerunt Gaditæ & Rubenitæ, Ios. 22. objicit Mortonus. Altare illud nullum habebat statum in cultu divino. Non extruxerunt, vt in eo offerrent holocaustum cum munere, sive vt pararent in eo sacrificia eucharistica, sed vt esset testimonium iuris sui quod habebant commune cum alijs, ne dicerent in posterum filijs ipsorum, *Non est vobis portio in Iehova* Satis ergo superque (inquit Calvinus) *à noxa se eximunt filij Ruben, Gad & Manasse, dum profitentur non alium fore usum altaris, quam vt vinculum sit fraternæ coniunctionis, & iustam rationem adferunt: quia periculum erat, ne longo temporis progressu decem tribus alias excluderent tanquam alienas, quod non eandem terram incolerent. Nam quia regio trans Iardenem non fuerat initio comprehensa in fœdere, poterat diversa ratio habitationis movere litem dissidij. Posteris itaque suis tempestivè consulunt, vt altari quasi publicis tabulis ius suum tueri queant, vt ita alij alios mutuò agnoscant, & communiter serviant vni Deo.* Argumentum quo probetur additiones prohibitas in veteri Testamento sumi etiam potest è locis novi Testamenti, vbi damnantur traditiones Pharisæorum à majoribus acceptæ quas δευτερώσεις vocabant. De quibus extat constitutio Iustiniani Novell. 146. in hæc verba. *Quæ deuterosis quasi secundaria traditio ab ipsis dicitur, in universum interdicimus, vt quæ sacris libris comprehensa non sit, neq; desuper tradita per prophetas, sed excerpta quædam virorum contineat, qui terrena duntaxat loquuntur, nec quicquam divini in se habeant numinis.* Reprehenduntur autem non solum dogmata de fide sed etiam ceremoniæ inutiles & superstitiosæ, cuiusmodi erant lotiones, Marc. 7. *Nam Pharisæi & omnes Iudæi nisi pugno*, id est, manu in pugni formam composita, tum sic elata primum & deinde demissa, vt interpretatur Scaliger, *laverint manus, non edunt, tenentes traditiones Seniorum, & à foro venientes, nisi loti fuerint non edunt. Et alia multa sunt quæ acceperunt, nempe lotiones poculorum & sextariorum, & æramentorum & lectorum*, sed frustra colunt Deum, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum respondit Christus Pharisæis interrogantibus cur discipuli illotis manibus ederent. Et tamen istæ παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων in admirationem rapiebât vulgus imperitum. *Videntur igitur* (inquit Hieronymus) *observationes Iudaicæ apud imperitos*

Contro. 3. l. 4. c. 19.

Defen. p. 66.

In Iosue. cap. 22. ver. 26.

Epist. ad Algasiam. qu. 10.

peritos & vilem plebeculam imaginem habere rationis humanæq; sapientiæ, unde & doctores eorum σοφοι hoc est sapientes vocantur & si quando certis diebus traditiones suas exponunt discipulis suis, solent dicere οἱ σοφοὶ διωτηρωσι, id est, sapientes docent traditiones.

Quod ad ordinis & decori constitutiones Iudæos non aliter ac Christianos potuisse statuere non negamus: & quo plures erant ritus & ceremoniæ,eo plures poscebant de ordine & decoro cōstitutiones. Inde synagogarum erectio, stata tempora & horæ precationum,aliaque multa. Ineptè igitur arguitur à synagogarum constitutione ad probandum additionem ceremoniæ ad legem ceremonialem. Nam synagoga non erat typus & figura vt templum; Necesse fuit singulis sabbathis vacare lectioni & interpretationi legis & prophetarum. Non poterant Iudæi singulis sabbathis convenire in locum, vbi erat tabernaculum vel templum. Oportebat igitur ædificari synagogas in varijs locis vt commodè convenire possent. *Morem recitandi legem in synagogis diebus sabbathi introductum ab ipso Mose tradunt, & deinde post reditum à captivitate ab Ezra in vsum revocatum & amplificatum adjuncta prophetarum lectione.* Ad ordinem item non ad ceremonias spectat, quod *legem dividunt in Sectiones totidem (quas vocant* Parashoth*) quot sunt in anno sabbatha, quo ita singulis annis tota lex perlegatur, finiaturque in festo tabernaculorum, rursumq; sequenti sabbatho repetatur.* Item quod *ex prophetis capita quædam,quæ appellant* Haphtaroth *lectionibus legis tum numero tum doctrinæ consensu quatenus fieri potest correspondentia selecta constitutaque sunt quæ simul legantur eo ordine quo descripta sunt ad finem bibliorum Venetijs excusorum.* Ad ordinem pertinet horarum precationis determinatio, Tertiæ, Sextæ, Nonæ. Nec necesse est, vt tertiæ ceu matutinæ precationis tempus referant ad Abrahamum Sextæ quæ dicta precatio muneris ceu precatio meridiana ad Isaaci, Nonæ ceu precationis vespertinæ ad Iahakobi institutum. Hæc enim instituta sunt in potestate Ecclesiæ servato ordine & decoro. Possum plura percurrere, sed hisce paucis differentiam possumus dignoscere inter ea quæ fuerunt typica & sacra, & ea quæ erant ordinis & decori gratia tantummodo instituta. Si ergo non licebat homini addere ceremonijs ceu ritibus sacris cultus divini sub lege, nec sub Evangelio licebit. Nam Christus legislator est Mose dignior & ampliori gloria præditus. Moses vt famulus in domo Dni fidelis, Christus ut filius super domum constitutus, Moses administer & promulgator eorum quæ à Deo accepit referenda, at principatus impositus humeris Christi,Isa.9.6.

Iun. et Trem. in Act.13.15.

Dixi non licitum restituere ritus Iudaicos, Nota est omnibus Augustini distinctio in tria tempora Vnum ante passionem Christi, in quo legalia neque erant mortua neque mortifera: aliud post plene promulgatum Evangelium,quo mortua sunt & mortifera;

rifera; tertium medium à passione Christi ad plenam Evangelij promulgationem, quo mortua erant nec vllam obligandi vim habebant, non tamen fuerunt mortifera Iudęis conversis dummodo non sentirent necessaria ad salutem, ac si sine ijs justificari non possint. Ceremonias Iudęorum dividunt Scolastici in sacrificia, sacramenta, & sacra, & observantias. Sacra appellant instrumenta illa deservientia cultui divino sacrificij vt templum, vasa, tabernaculum, observantias appellant observationes in cibis, vestimentis & alijs hujusmodi, quibus in singulari conversatione distinguebantur ab idololatris. De ceremoniarum legalium abrogatione habemus passim testimonia, Coloss. 2. 17. Galat 5. 3. & alibi. *Quis enim ceremonias illas in hoc tempore velit teneri mordicus aut redintigrari quas Deus instituerat olim, vt res futuras adumbrarent consummata jam veritate, aut quas ordini & modo illius reipublicæ contemperaverat sublata jam republica per voluntatem judiciumque ipsius. Atque ad hæc duo ceremoniæ omnes pertinebant: aut ad significandum veritatem præcipuè futuram, aut ad cultum instituendum secundum eam rationem, qua Deus sese colendum patefecerat, & circumscripserat cultoribus suis in illa republica & ecclesia sua. His ergo sublatis & ceremonias sublatas confirmamus*, inquit Fr. Iunius. Augustinus ait ceremonias Iudæorum & perniciosas & mortiferas esse Christianis, *& quicunque eas observaverit sive ex Iudæis sive ex gentibus, non solum veraciter sed etiam simulatè, eum in barathrum Diaboli devolutum.* Item, *Ac proinde quisquis nunc Christianorum quamvis sit ex Iudæis similiter celebraverit, tanquam sopitos cineres eruens non erit pius deductor vel bajulus corporis, sed impius sepulturæ violator.* In eundem fere sensum Calvinus, *Nunc cum satis constat tales ceremonias, nec vela esse nec sepulchra, quibus tegitur Christus, sed fœtida potius stercora, quibus obruta est sincera fides & religio, qui promiscuè faciant liberum earum vsum longè plus Papæ arrogant quàm legi suæ Deus concedit.* Cum lex revocatur quasi privativè tantum auferendo solummodo imperium & obligationem dicitur mortua, Cum quasi contrariè prohibendo vsum eius etiam materialiter, id est prohibendo opus illud quod ante pręcipiebatur, vel pręcipiendo quod prohibebatur, dicitur mortifera. Non solum igitur non obligant ceremoniæ legales, sed etiam nocent, si seruantur & propterea gravissimè peccant Romanenses & qui Romanensium imitatores, quòd Iudaicos ritus simiarum more imitentur, & legis ceremonialis speciem ecclesijs Christianis repręsentent. Fœlix Papa sic defendit vnctiones, altaria, vestes sacras, dedicationum ritus, &c. *Si enim Iudæi, qui vmbræ legis deserviebant hæc faciebant, multo magis nos*, inquit, *quibus veritas patefacta est*. Sic argumentatur etiam Gregorius Papa. *Quod autem octo diebus Encœnia sunt celebranda in libro Regum perlecta dedicatione Templi reperietis.* Quod Pontificius cultus Iudaico affinis sit,

De Politia Mosis, cap. 8.

Epist. 19.

Ibidem.

In act. 15. 5.

Gratia decret.

De consecr. dist. 1. cap. 2.

Cap solennitates.

sit, & quàm simillimus negari non potest, sed duo obtendunt. Primò non esse prorsus eandem materiam rerum, nec eadem mente & in eundem finem servari. *Non debere mirum videri si nostræ ceremoniæ habent aliquam similitudinem cum Iudaicis. Nam erant illæ figuræ rerum nostrarum, vt 1. Cor. 10. legimus*, ait Bellarminus. Falsum. Erant vmbræ spiritualium mysteriorum, non novarum ceremoniarum. Quod si typi & figuræ fuissent ceremoniarum in novo testamento, oporteret exactè & plenè respondere typo, adeo vt nulla sit ceremonia Iudaica quę non haberet antitypon & correspondentem ceremoniam in Ecclesia Christiana. *Et vero vt fuerit hoc discrimen, quod tu in illis invenisti, vt in vestris cera sit, illorum oleum, & illorum suffimentum sit & thus vestrum, etiamsi thus illorum quoque suffimento admisceretur, etiam sine suffimento incensum conficeret, verum vt hoc maximè inter illos discrimen largiamur, vestri tamen ritus ipso genere Iudaici sunt, quia vmbræ sunt, quales Iudaici exstiterunt. Atque sanè probabile est inventores eorum à Mose ipsos accersivisse, quemadmodum patroni ex Mose ipsos stabiliunt. Nam maximè spectosius fucus, quo vel Durandus Episcopus vel alij eos adumbrarunt, hic est, Deum eos in lege Mosaica edixisse*, ait Rainoldus. Item, *Non tamen id discriminis inter vos & Iudæos affert Innocentius, vt vestra sacra vnctio ex oleo & balsamo confecta sit, quum illorum ex oleo fuerit & myrrha aliisque aromatis. Non erat nescius huius aut illius, quæ admiscentur cathartici, in materia discrepantiam, non liberaturam ecclesiam vestram à Iudaizandi consuetudine in genere cathartici, hoc est ritus quo sacerdotes & altaria consecratis. Nihilo certe magis, quam si canem immolaretis, deindeque diceretis non in eo vos Iudæos imitari, quum illi non canes, sed oves & boves immolarent.* Confugiunt à similitudine symboli ad intentionem & finem diversum. Licet aliqua similitudo sit in externo symbolo, tamen absolutè maximum est discrimen, ait Bellarminus, quia finis diversus; non prenunciant Christum venturum sed partim sunt in memoriam rerum futurarum, partim ad significandam gloriam futuram. Sic etiam Hierarchici dicunt non esse damnandos omnes ritus Iudaicos, si alia mente & in alium finem vsurpentur. Ceremoniarum legalium vsus triplex. Formalis, materialis, & mixtus ceu medius, id est partim materialis, partim formalis. Formalis vsus est, si legalia observentur spiritu Iudaico, id est vel ponendo in ijs spem salutis, vel vt prefigurantia Messiam venturum. Hunc vsum damnant. Materialis vsus est, si res illæ in vsum assumuntur sine spiritu legis tanquam durantis aut sine intentione cultus, vt si quis ad curandam valetudinem tondeatur vel abstineat aliquo cibo. Mixtus ceu medius vsus est, si fiant ex intentione cultus in genere, & tanquam religiosæ ceremoniæ in generali ratione religonis. Etsi vsus iste sit materialis respectu legis, est formalis tamen ratione intentionis cultus, & hic vsus nempe

De effectu sacramentorum. cap 32.

Collop. cum Harto. cap. 8. Sect. 4.

medius & mixtus partim materialis partim formalis est illicitus. Circumcisionis vsus materialis est licitus, sicut si quis circumcideretur propter sanitatem, quo exemplo vtitur Aquinas. Sed circumcisionis vsus apud Æthiopes est partim materialis partim formalis. Caietanus extenuat hunc vsum, quia inquit servant hunc ritum non spiritu legali, sed solum ex quadam intentione imitandi Christum, & sic materialiter vtuntur, addita extrinseca honestate. Sed ab aliis refutatur in hunc modum. Qui circumciditur ob Christi imitationem, vel respicit Christum vt suscipientem circumcisionem tanquam sacramentum quoddam à Deo institutum, & sic incidit in superstitionem Iudaicam, vel respiciunt Christum solum vt affectum tali vulnere ceu cicatrice, quod non est verisimile & esset etiam vana superstitio, quia conformitas in sola illa materiali læsione non cedit in honorem Christi, aut denique respiciunt conformitatem in passione illius doloris, quod etiam non est probabile, quia in infantia non est sensus talis conformitatis, nec adultis licet manus aut pedes perforare, vt in illo dolore & passione Christo confirmentur, essetque etiam vana superstitio. Circumcisionem Mosaicam observandam arbitrantur Æthiopes, & Europæos reprehendunt, qui circumcisionem non admittunt. Nam vt refert Fra. Alvarezius in historia Æthiopica, exemplo Christi vtuntur suscipientis circumcisionem tanquam sacramentum sicut Ebionæi & Corinthiani hæretici, *Vrgent exemplum Christi*, inquit Epiphanius, *Christus circumcisus est octavo die, ergo & nos circumcidendi sumus*. Sed audiamus Rainoldum in Colloquio cum Harto. *Quod autem ad discrimen illud quo Papa vnctionem vestram aliud efficere & figurare, aliud illorum, primum quidem non minora in illorum altaribus quàm in vestris efficit, quantum ego percipio. Deinde in illorum Sacerdotibus Spiritus sancti dona figurabat, quod etiam in vestris facere is affirmat. Postremò, vt habuerit sive effectum aliud sive sensum alium apud vos quam apud illos, vt quodammodo habet sive eum qui instituit, sive causam quare instituit, respiciamus: poterat tamen ceremonia nihilominus esse Iudaica. Nam (spero equidem) non ibis inficias quin Iudaismi rea foret ecclesia vestra, si agnum offerret in holocaustum, etsi faceretis id quo non Christum venturum, vt Iudæi sed Christum venisse & per passionem suam cum ipsum ingressum esse, tum alios quoq; in duxisse in gloriam suam significetis.* Synodus sexta in Trullo celebrata damnat vsum Agni ad repræsentandũ Christũ inter imagines τοὺς ἐν παλαιοῖς τύπους καὶ τὰς σκιὰς ὡς τῆς ἀληθείας σύμβολά τε καὶ προχαράγματα, &c. *Antiquas ergo figuras & vmbras vt veritatis signa & Characteres ecclesiæ traditos amplectentes gratiam & veritatem præponamus.* Non solũ in sacramentis, sacrificijs, & sacris sed ne in observantijs quidem Iudaizandũ licet diversa mente docet Apostolus, Galat. 2. *Petrus saltem gentes coegit Iudaizare quum eius exemplo & auctoritate*

1. 2 qu. 103 art. 4.

In 3. par qu. 37.

Vide Rainol. de Apocrypha. tom. 2 p. 907.

Hæres. 30.

Cap. 8 sect. 4.

Can. 82.

Rainold. ibid.

inducti Iudaicum ritum in delectu ciborum approbrrent. Atqui neque illi eo sensu approbant quo Iudæis indicebatur. Ipsis enim indicebatur vt sanctimoniam eam designaret ad eamque ipsos deduceret, quam Christus per gratiam fidelibus erat allaturus. Neque vero latuit, Petrum, hoc revera præstitisse Christum, eamque figuram etiam vniversum Mosaicæ legis iugum sustulisse: quod quoque gentes edocuit. Quare etiamsi ecclesia vestra ritus Iudaicos sensu alio retineat, quam quo ipsos Iudæis Deus indixit sicut affirmat Innocentius, vt illi
Cap. 8. *medeatur vlceri: hoc tamen Petri exemplum ostendit rem ipsam Iudaicam esse, vosq; Iudaizare qui observatis.* Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. *Quod ad eos quos Deus invenit sub signis inutilibus non so-*
Epist. 19. *lum servilem operationem sub talibus signis, sed ipsa etiam signa frustravit, removitque omnia.* Et alibi, *Mihique de animo meo crede, quod coram Deo loquens iure charitatis exposco, nunquam visum mihi fuisse etiam nunc Christianos ex Iudæis factos sacramenta illa vetera quolibet affectu celebrare & quovis animo debere ab eis vllo modo coli:* Et ne quis putet illum loqui solùm de sacramentis propriè dictis, non autem largè, ante dixit, *Ipsum verò Paulum non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circumcidit, vel Cenchreis votum persolvit, vel Hierosolymis à Iacobo admonitus cum iis qui voverant, legitima illa celebranda suscepit vt putare videretur per ea sacramenta etiam Christianam salutem dari, sed ne illa, quæ prioribus vt congruebat temporibus, in vmbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tanquam Idololatriam Gentilium detestari crederetur.* Æmulatores legis iactitauerant per doctrinam Christi, *velut sacrilega nec Deo mandante conscripta damnari, quæ per Mosen patribus fuerunt monstrata.* Ideo inquit Augustinus, *Cuius falsæ criminationis invidiam congruentiùs devitare non posset, quàm vt ipse ea celebraret, quæ damnare tanquam sacrilega putabatur, &c. Propter authoritatem divinam, & sacramentorum illorum propheticam sanctitatem,* vt loquitur Augustinus ad tempus non erant mortifera, sed tantum mortua legalia, & cum honore sepelienda. *Verumtamen sicut defunctorum corpora necessariorum officijs deducenda erant quodammodo ad sepulturam; nec simulatè sed religiosè, non autem deseranda continuò vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morsibus projicienda, proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Iudæis similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, &c.* Sentit igitur Augustinus contra quàm de eo suspicabatur Hieronymus tantùm ad tempus legalia observata, & observari potuisse, nunc verò ne quidem à Iudæis fidelibus quovis animo, quolibet affectu, vllo modo celebranda aut colenda. Sicut quoddam discrimen in materia vel fine non efficit legitimam differentiam, sic nec in forma ritus vel actionis. Pascha celebratum in Ægypto, Exod. 12. singularibus in illam horam ceremonijs instructum erat, nempe vt comederent lumbis succinctis, cum festinatione, cum baculo in manu, cum calceamentis

ceamentis ad pedes, & tamen non erat diversum pascha, quod celebratum in terra Canaan. Purificatio post partum, sacræ vestes, oleum, luminaria, altaria, dies festi, velamen inter chorum & altare in quadragesima, arcula & sacramentum, vnctiones, benedictiones paschali agni, agnorum cereorum, aqua exorcizata, sunt Iudaizantis Romanæ Ecclesiæ ceremoniæ, etsi non omino eædem Romanis & Iudæis, sed diversitas quædam sit quandoque in materia, quandoque in modo, quandoque in fine, vt supra probatum est. In Concilio Niceno decretum Pascha vno & eodem die ab omnibus celebrandum non autem 14 luna, vt solebant Quartodecimani sive esset Dominica, sive non, sed Dominica proxima lunæ Decimæquartæ post æquinoctium vernum. Rationem reddit Constantinus in literis ad ecclesias de habita Nicææ Synodo. *At primum indignum planè videbatur, vt ritum & consuetudines imitantes Iudæorum (qui quoniam suas ipsorum manus immani scelere polluerunt meritò vt scelestos decet, cæco animorum errore tenentur irretiti) istud festum sanctissimum ageremus.*) Et infra, *Nibil nobis commune cum Iudæorum turba omnium odiosa maximè Aliam enim viam insistamus quam à servatore didicimus. Proponitur nanque nostræ religioni cursus quidam & legitimus & decorus: hunc igitur consentientibus animis mordicùs tenentes fratres honoratissimi ab illa detestabili Iudæorum opinione nos ipsos removeamus. Est enim revera absurdissimum, vt illi insolenter se iactent nos absque ipsorum disciplinæ subsidio istas res nullo modo posse observare.* Et infra, *Proinde quid est cur istos imitemur quos constat gravi erroris morbo laborare.* Bellarminus fatetur, *Primos Christianos propter recentem memoriam sacerdotij Aaronici abstinuisse non solum à vocabulo templi, sed etiam sacerdotij, ne viderentur adbuc durare Iudaicæ ceremoniæ. Itaque Apostoli in suis Epistolis pro sacerdotibus episcopos & Presbyteros, pro templis ecclesias dicunt & similiter loquuntur Iustinus, Ignatius, & cæteri antiquissimi Patres.* Qui à nominibus, multò magis à rebus & ritibus Iudæorum abstinuisse credendum est, & utinam sopitos cineres non eruissent, qui primos illos Christianos sequuti sunt. Dicit etiam ecclesias Christianorum, vt plurimùm ad orientem conversas fuisse, quia Iudæi orant ad occidentem, Sed de Iudæis id non verum, nisi κατά τι. Nam Iudæi Romæ ortum respiciebant. Concilio Laodiceno decretum. *Quod non oportet ἰουδαΐζειν Iudaizare & in sabbatho otiari.* Zonaras, *Proinde Sabbatho otiari, tanquam repetito à Iudæis more, fidelibus haud permissum, quique Iudaicis ritibus adhærescunt ijs anathema apud Christum indicit.* Item. *Septuagesimus Apostolorum Sanctorum canon, neque ieiunia cum Iudæis exercere, nec festos dies agere, nec quæ in ipsorum celebritatibus Xenia mittuntur accipere fideles sinit*, nempe azyma, aut tale quid, ut dicitur in illo Canone. In quem sic Balsamon. *Ne dixeris autem eos Iudaizare tanquam idem cum Iudæis sentiant: omnino enim*

Eusebius De vita Constantini li. 3. cap. 17.

De cultu Sanctorum c. 4

Can. 29.

enim non depositioni vel segregationi solùm subjicientur, sed etiam absolutæ & omni ex parte perfectæ excommunicationi, vt iubet canon Laod. Synod. *sed dic hos quidem rectè sentire, & orthodoxos esse, sed Ecclesiasticarum traditionum contemptores* καὶ ἀδιαφόρως ζῶντας *& indiscriminatim viventes.* Zonaras. *Nam tametsi non sentiat quod illi, multis tamen occasionem scandali præbet in seq; ipsum suspicionem* ὡς τὰς ἰουδαϊκὰς τιμῶν τελετὰς *quasi Iudaicos habeat in honore ac pretio ritus.* *Denique diligenter* [In 3 partem. Summæ Aq. tom. 3. disp. 15. Sect. 2] *vitat Ecclesia in huiusmodi ceremonijs & observantijs,* ait Suarez, *omne consortium & apparentem similitudinem cum Iudæis vel alijs infidelibus, vt colligitur ex Augustini dicta epistola 119. & Epiphanij lib. 3. contra hæreses in fine.* Non præstitit quod debebat ecclesia, agnoscit tamen, vt vides debere ecclesiam vitare omne consortium & omnem etiam apparentem similitudinem in ipsis ceremonijs & observantijs cum Iudæis. Atque hæc de ritibus Iudaicis quos non solum Romanenses, sed etiam Anglicani Romizantes imitantur & tuentur.

Non solùm sacros ritus Iudaicos eorumve vel apparentem similitudinem vitare debemus, sed etiam cavere, ne alios substituamus, quam quos Dominus nobis in novo testamento determinavit. Augustinus de cumulatis suo tempore ceremonijs, habet hæc verba: [Epist. 119. cap. 19.] *Etiamsi non intelligatur quomodo contra fidem sunt, tamen quoniam onerant religionem & servilibus oneribus premunt, quam Christus voluit paucissimis & manifestis celebrationum Sacramentis liberam esse, propterea faciunt vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis subjiciebantur, non humanis præsumptionibus.* Deterior erit status Ecclesiæ Christianæ quàm Iudaicæ, si subjicienda sit humanis præsumptionibus, cum illa Dei institutis solummodo subiicienda erat. Omnia erant illis perscripta in sacris tabulis quæ ad ceremonias sacras spectabant. Iansenius [Concord. Evang. c. 120.] asserit, *Quod vni Iudæorum populo per Mosem diligenter satis præscripta essent quæcunque ad religionem pertinerent, & justitiam inter homines servandam.* Non sustulit iugum suum, ut aliud imponerent [De Pontif. l. 7. c. 3. §. 6.] homines. *Veteres ceremonias sublatas esse, non modo quia figuræ fuerant, sed & quod multæ & molestæ nimium fuerunt, & Deus voluit quodammodo gratiã inire cum novo populo, eumq; sibi singulari beneficio devincire, cum eum his ceremonijs liberaverit. At si his sublatis ceremonijs tam multæ aliæ novæ introductæ fuerint, tum nullum erit hac in re Christi beneficium,* dicit Whitakerus. Galat. 5. 1. Apostolus ait, *State in libertate qua nos Christus liberavit, & nolite iterum servitutis iugo implicari.* Patientius ferendum esset divinum quàm humanum jugum. Christus Math. 15. 9 alludens ad verba, Isaiæ 29. 13. 14 damnat omnem cultum ab hominibus inventum. Apostolus Coloss. 2 damnat omnes ἐθελοθρησκείας, id est cultus voluntarios & fictitios, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, etsi videantur

habere

habere ratione sapientię & summissionis animi. Argumentatur loco illo Apostolus, ut observat Th. Beza à comparatis. Abrogatis enim illis ipsis ritibus quibus olim Deus ipse mundum erudiit, quæ est impudentia humanas superstitiones inculcare. Sic ver. 18 *Nemo præcipiat vobis jam partum palmariam* θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ id est ἐθέλω ταπεινοφρονεῖν καὶ ἐθελοθρησκεῖν θέλων absolutè ponitur tanquam nomen ἐθελοντής. Non solum cultum angelorum, sed etiam ritus illos non comedendi, gustandi, attingendi ἐθελοθρησκείαν vocat. Vtitur etiam Apostolus verbo δογματίζεσθε vers. 20. etsi de ritibus agat & traditionibus in delectu & pollutionibus ciborum. Sic Act. 16 decreta Apostolorum de abstinentia à sanguine & suffocato vocantur dogmata. Damnatur ἐθελοθρησκεία omnis in genere in secundo præcepto decalogi. Nam ibi damnatur omnis superstitio: superstionis autem species sunt Idololatria, quæ defert cultum cui non debet, & ἐθελοθρησκεία, quæ Deo sed aliter quam debet. Imaginis nomine synecdochicè omnem alium cultum à nobis excogitatum inhibet, sicut in aliis præceptis synecdochicè comprehenduntur alia plura quàm quæ exprimuntur. Et quid aliud leges de sacrificiis, sacramentis, & sacris ritibus quàm determinationes cultus externi, quem præcipit Deus hoc præcepto, & contra prohibemur negativo præcepto ex nostro cerebro determinare, quibus sacramentis aut sacris ritibus utendum sit in externo cultu privato ceu publico; ac si dixisset Deus, non facies tibi sculptile &c. id est non determinabis tu pro tuo arbitrio quomodo sum colendus, sed quo modo ego determinavero, eo modo coles. Lex ceremonialis Iudaica erat determinatio moralis legis quoad cultum externum. Et quæ contrà fiebant, ut cultus in excelsis, ignis alienus, & similia erant hujus præcepti violationes. Qui sculpit sibi ritum quem habeat ut sacrum in cultu divino violat præceptum, etsi non ad literam sculpat sibi statuam, cui se incurvet. Dicunt Hierarchici se non urgere ritus sacros & ceremonias ut necessarias ad cultum Dei. Si intelligant necessarios ad esse cultus, ac si absque iis non posset consistere cultus divinus nec eo modo urgere se dicunt pontificii. *Fatemur enim omnes Catholici*, inquit Bellarminus, *ceremonias Ecclesiasticas non esse præcipuum cultum, nec ab iis pendere essentiam & efficaciam sacramentorum nec habere vim iustificandi ut habent sacramenta, proinde inferiora esse sacramentis.* Si necessarios intelligant perpetuos & immutabiles, nec id asserunt Pontificii. Suarez negat inferiores pastores mutare posse universales ritus, & qui perpetuo fuerunt in Ecclesia, mutari tamen posse non negat. *Summus autem pontifex deplenitudine potestatis suæ posset huiusmodi ritus mutare: quia eius potestas non est inferior, sed eadem cum illa ex qua huiusmodi ritus originem duxerunt*

Scalig. in elencho Tri. hæres. ca. 17.

De effectu sacram. c. 3

In 3 part. tom. 3. quæ. 65 disp. 15. sect. 3.

sit,& quàm simillimus negari non potest,sed duo obtendunt. Primò non esse prorsus eandem materiam rerum,nec eadem mente & in eundem finem servari. *Non debere mirum videri si nostræ ceremoniæ habent aliquam similitudinem cum Iudaicis. Nam erant illæ figuræ rerum nostrarum, vt 1. Cor. 10. legimus*,ait Bellarminus. Falsum. Erant vmbræ spiritualium mysteriorum, non novarum ceremoniarum. Quod si typi & figuræ fuissent ceremoniarum in novo testamento, oporteret exactè & plenè respondere typo, adeo vt nulla sit ceremonia Iudaica quę non haberet antitypon & correspondentem ceremoniam in Ecclesia Christiana. *Et vero vt fuerit hoc discrimen,quod tu in illis invenisti,vt in vestris cera sit,illorum oleum,& illorum suffimentum sit & thus vestrum, etiamsi thus illorum quoque suffimento admisceretur, etiam sine suffimento incensum conficeret,verum vt hoc maximè inter illos discrimen largiamur, vestri tamen ritus ipso genere Iudaici sunt, quia vmbræ sunt, quales Iudaici exstiterunt. Atque sanè probabile est inventores eorum à Mose ipsos accersivisse,quemadmodum patroni ex Mose ipsos stabiliunt. Nam maximè spectosus fucus, quo vel Durandus Episcopus vel alij eos adumbrarunt,hic est, Deum eos in lege Mosaica edixisse*, ait Rainoldus. Item, *Non tamen id discriminis inter vos & Iudæos affert Innocentius, vt vestra sacra vnctio ex oleo & balsamo confecta sit, quum illorum ex oleo fuerit & myrrha aliisque aromatis. Non erat nescius huius aut illius, quæ admiscentur catbartici,in materia discrepantiam,non liberaturam ecclesiam vestram à Iudaizandi consuetudine in genere cathartici, hoc est ritus quo sacerdotes & altaria consecratis. Nihilo certe magis, quam si canem immolaretis, deindeque diceretis non in eo vos Iudæos imitari, quum illi non canes,sed oves & boves immolarent*. Confugiunt à similitudine symboli ad intentionem & finem diversum. Licet aliqua similitudo sit in externo symbolo,tamen absolutè maximum est discrimen, ait Bellarminus, quia finis diversus; non pręnunciant Christum venturum sed partim sunt in memoriam rerum futurarum, partim ad significandam gloriam futuram. Sic etiam Hierarchici dicunt non esse damnandos omnes ritus Iudaicos, si alia mente & in alium finem vsurpentur. Ceremoniarum legalium vsus triplex. Formalis,materialis, & mixtus ceu medius, id est partim materialis, partim formalis. Formalis vsus est, si legalia observentur spiritu Iudaico, id est vel ponendo in ijs spem salutis, vel vt prętfigurantia Messiam venturum. Hunc vsum damnant. Materialis vsus est, si res illæ in vsum assumuntur sine spiritu legis tanquam durantis aut sine intentione cultus, vt si quis ad curandam valetudinem tondeatur vel abstineat aliquo cibo. Mixtus ceu medius vsus est, si fiant ex intentione cultus in genere, & tanquam religiosæ ceremoniæ in generali ratione religonis. Etsi vsus iste sit materialis respectu legis, est formalis tamen ratione intentionis cultus, & hic vsus nempe

De effectu sacramentorum.cap 32.

Collop. cum Harto. cap. 8. Sect. 4.

medius

medius & mixtus partim materialis partim formalis est illicitus. Circumcisionis vsus materialis est licitus, sicut si quis circumcideretur propter sanitatem, quo exemplo vtitur Aquinas. Sed circumcisionis vsus apud Æthiopes est partim materialis partim formalis. Caietanus extenuat hunc vsum, quia inquit servant hunc ritum non spiritu legali, sed solum ex quadam intentione imitandi Christum, & sic materialiter vtuntur, addita extrinseca honestate. Sed ab alijs refutatur in hunc modum. Qui circumciditur ob Christi imitationem, vel respicit Christum vt suscipientem circumcisionem tanquam sacramentum quoddam à Deo institutum, & sic incidit in superstitionem Iudaicam, vel respiciunt Christum solum vt affectum tali vulnere ceu cicatrice, quod non est verisimile & esset etiam vana superstitio, quia conformitas in sola illa materiali læsione non cedit in honorem Christi, aut denique respiciunt conformitatem in passione illius doloris, quod etiam non est probabile, quia in infantia non est sensus talis conformitatis, nec adultis licet manus aut pedes perforare, vt in illo dolore & passione Christo confirmentur, essetque etiam vana superstitio. Circumcisionem Mosaicam observandam arbitrantur Æthiopes, & Europæos reprehendunt, qui circumcisionem non admittunt. Nam vt refert Fra. Alvarezius in historia Æthiopica, exemplo Christi vtuntur suscipientis circumcisionem tanquam sacramentum sicut Ebionæi & Corinthiani hæretici, *Vrgent exemplum Christi*, inquit Epiphanius, *Christus circumcisus est octavo die, ergo & nos circumcidendi sumus*. Sed audiamus Rainoldum in Colloquio cum Harto. *Quod autem ad discrimen illud quo Papa vnctionem vestram aliud efficere & figurare, aliud illorum, primum quidem non minora in illorum altaribus quàm in vestris efficit, quantum ego percipio. Deinde in illorum Sacerdotibus Spiritus sancti dona figurabat, quod etiam in vestris facere is affirmat. Postremò, vt habuerit sive effectum aliud sive sensum alium apud vos quam apud illos, vt quodammodo habet sive eum qui instituit, sive causam quare instituit, respiciamus: poterat tamen ceremonia nihilominus esse Iudaica. Nam (spero equidem) non ibis inficias quin Iudaismi rea foret ecclesia vestra, si agnum offerret in holocaustum, etsi faceretis id quo non Christum venturum, vt Iudæi sed Christum venisse & per passionem suam cum ipsum ingressum esse, tum alios quoq; induxisse in gloriam suam significetis.* Synodus sexta in Trullo celebrata damnat vsum Agni ad repræsentandū Christū inter imagines τὰς ἐν παλαιοῖς τύπους καὶ τὰς σκιὰς ὡς τῆς ἀληθείας σύμβολά τε καὶ παραχαράγματα, &c. *Antiquas ergo figuras & vmbras vt veritatis signa & Characteres ecclesiæ traditos amplectentes gratiam & veritatem præponamus.* Non solū in sacramentis, sacrificijs, & sacris sed ne in observantijs quidem Iudaizandū licet diversa mente docet Apostolus, Galat. 2. *Petrus saltem gentes coegit Iudaizare quum eius exemplo & auctoritate*

2. 2 qu. 103 art. 4.

In 3 par. q. 37.

Vide Rainol. de Apocrypha. tom. 2 p. 907.

Hæres. 30.

Cap. 8. sect. 4.

Can. 13.

Raimold. ibid.

inducti Iudaicum ritum in delectu ciborum approbarent. Atqui *neque illi eo sensu approbant quo Iudæis indicebatur. Ipsis enim indicebatur vt sanctimoniam eam designaret ad eamque ipsos deduceret, quam Christus per gratiam fidelibus erat allaturus. Neque vero latuit Petrum, hoc revera præstitisse Christum, eamque figuram etiam vniversum Mosaicæ legis iugum sustulisse: quod quoque gentes edocuit. Quare etiamsi ecclesia vestra ritus Iudaicos sensu alio retineat, quam quo ipsos Iudæis Deus indixit sicut affirmat Innocentius, vt illi*
Cap. 8. *medeatur vlceri: hoc tamen Petri exemplum ostendit rem ipsam Iudaicam esse, vosq́ Iudaizare qui observatis.* Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. *Quod ad eos quos Deus invenit sub signis inutilibus non solum*
Epist. 19. *servilem operationem sub talibus signis, sed ipsa etiam signa frustravit, removitque omnia.* Et alibi, *Mihique de animo meo crede, quod coram Deo loquens iure charitatis exposco, nunquam visum mihi fuisse etiam nunc Christianos ex Iudæis factos sacramenta illa vetera quolibet affectu celebrare & quovis animo debere ab eis vllo modo coli:* Et ne quis putet illum loqui solùm de sacramentis propriè dictis, non autem largè, ante dixit, *Ipsum verè Paulum non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circumcidit, vel Cenchreis votum persolvit, vel Hierosolymis à Iacobo admonitus cum iis qui voverant, legitima illa celebranda suscepit vt putare videretur per ea sacramenta etiam Christianam salutem dari, sed ne illa, quæ prioribus vt congruebat temporibus, in vmbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tanquam Idololatriam Gentilium detestari crederetur.* Æmulatores legis iactitauerant per doctrinam Christi, *velut sacrilega nec Deo mandante conscripta damnari, quæ per Mosem patribus fuerunt monstrata.* Ideo inquit Augustinus, *Cuius falsæ criminationis invidiam congruentiùs devitare non posset, quàm vt ipse ea celebraret, quæ damnare tanquam sacrilega putabatur, &c. Propter authoritatem divinam, & sacramentorum illorum propheticam sanctitatem,* vt loquitur Augustinus ad tempus non erant mortifera, sed tantum mortua legalia, & cum honore sepelienda. *Verumtamen sicut defunctorum corpora necessariorum officijs deducenda erant quodammodo ad sepulturam; nec simulatè sed religiosè, non autem deseranda continuò vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morsibus projicienda, proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Iudæis similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, &c.* Sentit igitur Augustinus contra quàm de eo suspicabatur Hieronymus tantùm ad tempus legalia observata & observari potuisse, nunc verò ne quidem à Iudæis fidelibus quovis animo, quolibet affectu, vllo modo celebranda aut colenda. Sicut quoddam discrimen in materia vel fine non efficit legitimam differentiam, sic nec in forma ritus vel actionis. Pascha celebratum in Ægypto, Exod. 12. singularibus in illam horam ceremonijs instructum erat, nempe vt comederent lumbis succinctis, cum festinatione, cum baculo in manu, cum cal-

cæmentis ad pedes, & tamen non erat diversum pascha, quod celebratum in terra Canaan. Purificatio post partum, sacræ vestes, oleum, luminaria, altaria, dies festi, velamen inter chorum & altare in quadragesima, arcula & sacramentum, vnctiones, benedictiones paschali agni, agnorum cereorum, aqua exorcizata, sunt Iudaizantis Romanæ Ecclesiæ ceremoniæ, etsi non omino eædem Romanis & Iudæis, sed diversitas quædam sit quandoque in materia, quandoque in modo, quandoque in fine, vt supra probatum est. In Concilio Niceno decretum Pascha vno & eodem die ab omnibus celebrandum non autem 14 lunæ, vt solebant Quartodecimani sive esset Dominica, sive non, sed Dominica proxima lunæ Decimæquartæ post æquinoctium vernum. Rationem reddit Constantinus in literis ad ecclesias de habita Nicææ Synodo. *At primum indignum plenè videbatur, vt ritum & consuetudines imitantes Iudæorum (qui quoniam suas ipsorum manus immani scelere polluerunt meritò vt scelestos decet, cæco animorum errore tenentur irretiti) istud festum sanctissimum ageremus.)* Et infra, *Nihil nobis commune cum Iudæorum turba omnium odiosa maximè. Aliam enim viam insistamus quam à servatore didicimus. Proponitur nanque nostræ religioni cursus quidam & legitimus & decorus: hunc igitur consentientibus animis mordicus tenentes fratres honoratissimi ab illa detestabili Iudæorum opinione nos ipsos removeamus. Est enim revera absurdissimum, vt illi insolenter se iactent nos absque ipsorum disciplinæ subsidio istas res nullo modo posse observare.* Et infra, *Proinde quid est cur istos imitemur quos constat gravi erroris morbo laborare.* Bellarminus fatetur. *Primos Christianos propter recentem memoriam sacerdotij Aaronici abstinuisse non solum à vocabulo templi, sed etiam sacerdotij, ne viderentur adhuc durare Iudaicæ ceremoniæ. Itaque Apostoli in suis Epistolis pro sacerdotibus episcopos & Presbyteros, pro templis ecclesias dicunt & similiter loquuntur Iustinus, Ignatius, & cæteri antiquissimi Patres.* Qui à nominibus, multo magis à rebus & ritibus Iudæorum abstinuisse credendum est, & utinam sopitos cineres non eruissent, qui primos illos Christianos sequuti sunt. Dicit etiam ecclesias Christianorum, vt plurimùm ad orientem conversas fuisse, quia Iudæi orant ad occidentem, Sed de Iudæis id non verum, nisi κατά τι. Nam Iudæi Romæ ortum respiciebant. Concilio Laodiceno decretum. *Quod non oportet ἰουδαΐζειν Iudaizare & in sabbatho otiari.* Zonaras, *Proinde Sabbatho otiari, tanquam repetito à Iudæis more, fidelibus haud permissum, quique Iudaicis ritibus adhærescunt iis anathema apud Christum indicit.* Item. *Septuagesimus Apostolorum Sanctorum canon, neque ieiunia cum Iudeis exercere, nec festos dies agere, nec quæ in ipsorum celebritatibus Xenia mittuntur accipere fideles sinit*, nempe azyma, aut tale quid, ut dicitur in illo Canone. In quem sic Balsamon. *Ne dixeris autem eos Iudaizare tanquam idem cum Iudeis sentiant: omnino*

Eusebius De vita Constantini li. 3. cap. 17.

De cultu Sanctorum c. 4

Can. 29.

enim non depositioni vel segregationi solùm subjicientur, sed etiam absolutæ & omni ex parte perfectæ excommunicationi, vt iubet canon Laod. Synod. *sed dic hos quidem rectè sentire, & orthodoxos esse, sed Ecclesiasticarum traditionum contemptores* καὶ ἀδιαφόρως ζῶντας *& indiscriminatim viventes.* Zonaras. *Nam tametsi non sentiat quod illi, multis tamen occasionem scandali præbet in seq; ipsum suspicionem* ὡς τὰς ἰουδαϊκὰς τιμῶν τελετάς *quasi Iudaicos habeat in honore ac pretio ritus. Denique diligenter vitat Ecclesia in huiusmodi ceremonijs & observantijs,* ait Suarez, *omne consortium & apparentem similitudinem cum Iudæis vel alijs infidelibus, vt colligitur ex Augustini dicta epistola 119. & Epiphanij lib. 3. contra hæreses in fine.* Non præstitit quod debebat ecclesia, agnoscit tamen, vt vides debere ecclesiam vitare omne consortium & omnem etiam apparentem similitudinem in ipsis ceremonijs & observantijs cum Iudæis. Atque hæc de ritibus Iudaicis quos non solum Romanenses, sed etiam Anglicani Romizantes imitantur & tuentur.

In 3 partem. Summæ Aq. tom. 3. disp. 15. Sect. 2

Non solùm sacros ritus Iudaicos eorumve vel apparentem similitudinem vitare debemus, sed etiam cavere, ne alios substituamus, quàm quos Dominus nobis in novo testamento determinavit. Augustinus de cumulatis suo tempore ceremonijs, habet hæc verba: *Etiamsi non intelligatur quomodo contra fidem sunt, tamen quoniam onerant religionem & servilibus oneribus premunt, quam Christus voluit paucissimis & manifestis celebrationum Sacramentis liberam esse, propterea faciunt vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis subjiciebantur, non humanis præsumptionibus.* Deterior erit status Ecclesiæ Christianæ quàm Iudaicæ, si subjicienda sit humanis præsumptionibus, cum illa Dei institutis solummodo subiicienda erat. Omnia erant illis perscripta in sacris tabulis quæ ad ceremonias sacras spectabant Iansenius asserit, *Quod vni Iudæorum populo per Mosem diligenter satis præscripta essent quæcunque ad religionem pertinerent, & justitiam inter homines servandam.* Non sustulit iugum suum, ut aliud imponerent homines. *Veteres ceremonias sublatas esse, non modo quia figuræ fuerant, sed & quod multæ & molestæ nimium fuerunt, & Deus voluit quodammodo gratiā inire cum novo populo, eumq; sibi singulari beneficio devincire, cum eum his ceremonijs liberaverit. At si his sublatis ceremonijs tam multæ aliæ novæ introductæ fuerint, tum nullum erit hac in re Christi beneficium,* dicit Whitakerus. Galat. 5. 1. Apostolus ait, *State in libertate qua nos Christus liberavit, & nolite iterum servitutis iugo implicari.* Patientius ferendum esset divinum quàm humanum jugum. Christus Math. 15 9 alludens ad verba, Isaiæ 29. 13 14 damnat omnem cultum ab hominibus inventum. Apostolus Coloss. 2 damnat omnes ἐθελοθρησκείας, id est cultus voluntarios & fictitios, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, etsi videantur habere

Epist. 119. cap. 19.

Concord. Evang. c. 120.

De Pontif. l. 7. c. 3. s. 6

habere rationē ſapientię & ſummiſſionis animi. Argumentatur loco illo Apoſtolus, ut obſervat Th. Beza à comparatis. Abrogatis enim illis ipſis ritibus quibus olim Deus ipſe mundum erudiit, quæ eſt impudentia humanas ſuperſtitiones inculcare. Sic ver. 18 *Nemo præripiat vobis jam partum palmariam* θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ id eſt ἐθέλω τὰ ταπεινοφρονεῖν καὶ ἐθελοθρησκεύειν θέλων abſolutè ponitur tanquam nomen ἐθελοντής. Non ſolum cultum angelorum, ſed etiam ritus illos non comedendi, guſtandi, attingendi ἐθελοθρησκείαν vocat. Vtitur etiam Apoſtolus verbo δογματίζεσθε verſ. 20, etſi de ritibus agat & traditionibus in delectu & pollutionibus ciborum. Sic Act. 16 decreta Apoſtolorum de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato vocantur dogmata. Damnatur ἐθελοθρησκεία omnis in genere in ſecundo præcepto decalogi. Nam ibi damnatur omnis ſuperſtitio: ſuperſtionis autem ſpecies ſunt Idololatria, quæ defert cultum cui non debet, & ἐθελοθρησκεία, quæ Deo ſed aliter quam debet. Imaginis nomine ſynecdochicè omnem alium cultum à nobis excogitatum inhibet, ſicut in aliis præceptis ſynecdochicè comprehenduntur alia plura quàm quæ exprimuntur. Et quid aliud leges de ſacrificiis, ſacramentis, & ſacris ritibus quàm determinationes cultus externi, quem præcipit Deus hoc præcepto, & contra prohibemur negativo præcepto ex noſtro cerebro determinare, quibus ſacramentis aut ſacris ritibus utendum ſit in externo cultu privato ceu publico; ac ſi dixiſſet Deus, non facies tibi ſculptile &c. id eſt non determinabis tu pro tuo arbitrio quomodo ſum colendus, ſed quo modo ego determinavero, eo modo coles. Lex ceremonialis Iudaica erat determinatio moralis legis quoad cultum externum. Et quæ contrà fiebant, ut cultus in excelſis, ignis alienus, & ſimilia erant hujus præcepti violationes. Qui ſculpit ſibi ritum quem habeat ut ſacrum in cultu divino violat præceptum, etſi non ad literam ſculpat ſibi ſtatuam, cui ſe incurvet. Dicunt Hierarchici ſe non urgere ritus ſacros & ceremonias ut neceſſarias ad cultum Dei. Si intelligant neceſſarios ad eſſe cultus, ac ſi abſque iis non poſſet conſiſtere cultus divinus nec eo modo urgere ſe dicunt pontificii. *Fatemur enim omnes Catholici,* inquit Bellarminus, *ceremonias Eccleſiaſticas non eſſe præcipuum cultum, nec ab iis pendere eſſentiam & efficaciam ſacramentorum nec habere vim iuſtificandi ut habent ſacramenta, proinde inferiora eſſe ſacramentis.* Si neceſſarios intelligant perpetuos & immutabiles, nec id aſſerunt Pontificii. Suarez negat inferiores paſtores mutare poſſe univerſales ritus, & qui perpetuo fuerunt in Eccleſia, mutari tamen poſſe non negat. *Summus autem pontifex deplenitudine poteſtatis ſuæ poſſet huiuſmodi ritus mutare: quia eius poteſtas non eſt inferior, ſed eadem cum illa ex qua huiuſmodi ritus originem duxerunt*

Scalig. in elencho Tri. hæreſ. ca. 17.

De effectu ſacram. c. 30

In 3 part. tom. 3. quæ. 65 diſ. 15. ſect. 3.

duxerunt. Nunquam tamen id facit aut faciet sine magna necessitate vel utilitate, præsertim in his observantiis quæ antiquissimæ sunt in Ecclesia. Atque eadem proportione iudicandum est de privatis ceremoniis particularium Episcopatuum. Nam illæ etiam possunt ab Episcopis mutari, si expedire censuerint, quando propria summi pontificis auctoritate non sunt confirmatæ propter eandem rationem. Posse privatos Episcopos in suis Diœcesibus nonnullos ritus & ceremonias instituere, quæ non sunt contra universalem Ecclesiæ legem aut traditionem, eosdemque mutare, universales autem ab Ecclesia universali ceu summo Pontifice mutari posse asserit. In sacramento requiritur, ut sit ceremonia religionis stata & solennis; nam sacramenta tam diu durare debent, quandiu durat ipsa religio. Sed in omnibus aliis ceremoniis id non requiritur. Cum celebraretur pascha in ægypto, observarunt ceremonias quasdam, quæ non observabantur in terra Canaan, sed illa una hora cum mox egressuri erant ex ægypto, & tamen erant ritus sacri, & si observassent Deo non imperante, sed ultro, fuisset cultus voluntarius. Nec igitur necessitas nec perpetuitas, requiruntur ad constituendum ritum sacrum. Affingunt Pontificii ritibus suis opinionem meriti, necessatis obedientiæ, quibusdam efficaciæ, omnibus sanctitatis, & cultus. Sed non sunt ista omnia necessaria ad constitutionem ritus sacri; Sat est si quis sponte & absque ulla necessitate, aut opinione efficaciæ aut meriti assumit actum aliquem in usum sacrum, detque ei statum in cultu divino. Cum dico statum, non intelligo stabilitatem. Nam de stato statu ante dixi non esse necessarium ad constitutionem ceremoniæ, sed accomodationem & usum actus alicuius in cultu divino sive privato sive publico ad finem sacrum & religiosum. Necessitatem non requiri ad definitionem ceremoniæ in genere patet ex ipso ἐθελοθρησκείας nomine. Significat enim voluntarium cultū quem quis sponte sibi sculpit & comminiscitur. Potest quidem voluntarius cultus sensim vergere in necessarium, ἐκβιασμὸς in ἀνάγκην quando quis affingit necessitatem, & in ἐντάλματα ἀνθρώπων ut cum Superiores aliis eosdem ritus observandos imperant. Hasidæi initio præter ea quæ lege tenebantur facere, etiā sponte quædā impendia faciebant in templū & sacrificia. Horum propago Pharisæi non modo voluntarios sumptus sed etiam voluntarios cultus in præcepta & canones redigerunt, non solum ut darent decimas anethi &c. sed etiam ut lavarent sæpius &c. Hinc παραδόσεις πρεσβυτέρων & ἐντάλματα ἀνθρώπων. Sed istæ accessiones, etsi augeant malitiam pravi cultus, ad cultum tamen sufficit, quòd adsit voluntatis electio & affectus colendi Deum hoc vel illo ritu. Superstitionis nomen huic voluntario cultui optimè convenit. Isidorus alias etymologias rejiciens istam amplectitur,

amplectitur, Superstitionem dictam à *superstituo vel superinstituo eo quod sit superflua aut super statuta observatio.* Quando igitur quis intendens cultum Dei, rebus aut ritibus in eum finem utitur non comprehensis in ejus statutis, superinstituit. Futilis est illa distinctio in hac controversia, Superstitionem esse non quicquid præceptum non est, sed quicquid contra præceptum est. Nam superinstituere non est solùm contra iustituere, sed etiam præter instituere. Idem est hic cultus sine lege & cultus contra legem. Non est aliud Evangelium præter illud quod Evangelizavit Paulus. Sic nec alius cultus præter illum quem præscripsit Deus. In colendo vero Deo cultus superstitiosus est perniciosus vel superfluus. Perniciosus cum utimur signo mendaci & fallo ut si in cultu Dei uteremur circumcisione aliisque ritibus Iudaicis, quia jam falsam significationem habent ex vi primævæ suæ institutionis. Sic qui inter Pontificios ementitias reliquias venditant. Nam Deus non colendus mendaciis. Iis enim non honoratur sed irridetur. Superflua superstitio est quæ offert Deo pro cultu id quod lege impositum non est. Perniciosus cultus est mendax, & falsus dicitur cultus ob duplicem falsitatem cum in dicendo ceu significando tum in essendo, quia omnis cultus superstitiosus in essendo falsus est. Superfluus est in essendo falsus, sed non in significando. Quia etsi significetur res vera, tamen est cultus inanis ob alium defectum. Superstitionem quæ dicitur esse superflui cultus subdividunt in turpem & levem seu vanum cultum. Turpem quando quis intendit colere Deum iis actibus, qui aliàs pravi & turpes sunt, etsi non sunt mendacia, ut immolatio hominis in sacrificio turpitudinem & malitiam involuit in ipsamet actione colendi. Superfluus cultus rem etiã in se indifferentem adhibet ad cultum divinum, Deoque exhibet ac si Deo gratia foret, quam à manibus cultoris nunquam requisivit. Superstitio non tantum addit actibus veri cultus sed etiam detrahit, ut cum Pontificii ministrant sacram cœnam sub una non sub utraque specie. Tam enim superstitiosum est ministrare in solo pane quàm addere ultra panem & vinum aliam materiam. Nec obstat, quod talis cultus sit per modum privationis, quia illamet privatio exigitur ut pars ritus. Imo ad superfluum cultum hoc genus etiam referunt, etiamsi ritus ille sit quasi privativus, quia ille etiam superfluus est & reddit totum cultum vanum & mutilem, adde & turpem. Nam mutilatio sacramenti est contra particulare præceptum *Hoc facite.* Dico igitur distinctionem istam præter & contra scripturam nullius esse momenti. Nam si sit præter est etiam contra. Quod est contra generale præceptum est contra particularia. At de tota lege Ceremoniali exstat generale præceptum ut supra dictum, *Ne addas neque diminuas.* Addere ergo vel detrahere est contra istud generale præceptum, ergo contra omnia parti-

Lib. 8 etymol. cap. 3.

particularia præcepta. Sed redeamus. Ad cultum aut ceremoniam igitur non exigitur necessitas aut perpetuitas, sed libera voluntatis electio & voluntas colendi illo ritu sacro ceu ceremonia, ut ostendit ipsa vox ἐθελοθρησκείας, aut ἐθελοπερισσοθρησκείας quo verbo superfluum Pharisæorum cultum jugulat Epiphanius. Quod ad efficaciam spiritualem eam non tribuunt omnibus suis ceremoniis & rebus sacris ipsi pontificii. Quod ad sanctitatem negant Hierarchici se suis ritibus affingere ullam sanctitatem inhærentem, aut infusam. Negant etiam pontificii sanctitatem intrinsecam rebus inanimatis, sed extrinsecam & relativam tantum tribuunt, & *honorificè tractantur*, ait Suarez, *propter sanctitatem quam habent ex eo quod cultu divino dedicatæ sint: non sunt capaces res inanimatæ*, inquit, *propriæ excellentiæ aut intrinsecæ sanctitatis, sed tantum per quandam denominationem ceu relationem extrinsecam sunt capaces honoris.* Respectivam propterea non absolutam venerationem rebus sacris suis tribuunt. Vasques *Res inanima secundum se sancta non est sed ex ordine ad aliam cui primo sanctitas convenit, sancta nuncupatur.* Bellarminus ait Imagines esse sanctas propter duo, primò poptег significationem & repræsentationem rei sanctæ, secundo propter Ecclesiæ institutionem *Nam quemadmodum calices & vestes & ipsi homines eo ipso fiunt sacri quod dicantur cultui & separantur à prophano usu &c.* Hanc sanctitatem extrinsecam tribuunt rebus & ritibus suis Hierarchici. Imo inseparabilis est ista proprietas ab omni ceremonia religionis ceu ritu sacro, nempe opinio vel existimatio sanctitatis. Nam cultoris existimatione semper sacer est quamdiu eo modo utitur. Fundatur autem sanctitas in significatione, representatione, sanctificatione, aliave spirituali efficacia, vel immediatè offertur Deo in cultum adorationis, ut thus adolendo. Si utitur absque ulla relatione sacra non colit sed ludit. Dicunt præterea Ceremoniarum Patroni diuini cultus partes alias esse essentiales, alias accidentarias; essentialibus non addendum, accidentariis addi posse. Hæc ipsissima est pontificiorum distinctio. Nomine ceremoniæ primum in genere definiunt, significari posse omnē cultum Dei externū, qui certo ac definito ritu fit ob maiorē reverentiam Dei, & sic sub cæremoniæ voce cōprehendunt sacramenta, sacrificium Missæ, sacra, id est, deputata ad sacrificium peragendum, aut sacramenta ministranda, ut sunt vasa sacra, vestes, templa, & similia & observantias, id est actiones quibus cultores Dei utuntur, ut eis sese ad cultum dei disponant, ut usus signi crucis, &c. Quas in sacramentis & sacrificio Missæ actiones vel circumstantias religiosas observant præter eas quæ sunt de essentia ceu substantia sacrificii aut sacramenti ut verbi gratia in baptismo unctio, exorcismus & alia huiusmodi, vocant sacramentalia ceu ceremonias sacramentales. Distingunt variis modis, vel

In Ancyrato pag. 475. vid. Casaub. exer. p. 65.

In 3 part. tom. 3. Disp. 81 sect. 8.

De adorat. lib. 2 disp. 6. cap. 2.

De Imagin. lib. cap. 19.

Suarez. in 3 partem. tom. 3. disp. 15 sect. 1.

vel juxta septem circumstantias actuum moralium, ut sunt circumstantia loci, temporis, personæ, modi, & similium, vel prout in diversis Categoriis collocari possunt, ut unctio fiat oleo olivarum, & vinum misceatur aqua naturali in Categoria substantiæ, ut misceatur aqua modica, vel baptismus fiat trina immersione in categoria Quantitatis, quòd panis sit azymus, vestis huius vel illius coloris in Categoria qualitatis. Quasdam revocant ad relationem, quia solum propter deputationem quandam aut extrinsecam benedictionem censentur sacræ, ut oleum benedictum & alia hujusmodi. Item quædam consistunt in temporis vel loci determinatione, ut templa & dies festivi. Aliæ ad vestitum sacrum pertinent: aliæ revocantur ad situm, ut genuflexio. Aliæ in actione & passione consistunt, ut gestus signa, & similia: quinimo omnia alia, quæ numerata sunt in tantum ad ceremonias ceu sacramentalia pertinent, in quantum in usu alicuius actionis sacræ observanda sunt. Omnibus his ceremoniis commune est, cum sacramentis & sacrificio, quòd ad divinum cultum ordinantur, & quod sint actus externi virtutis moralis quæ religio dicitur, quia religio versatur circa eos ut materiam suam & objectum *quod*, Deus autem est objectum *Cui*. Sed differre dicunt, quia sacrificium, inquiunt, continet ipsum supremum Dei cultum, quo Dei excellentiam per alicujus rei oblatæ immutationem profitemur; sacramenta verò ordinantur ad sanctificationem fidelium, quam significant & conferunt, ut aiunt, præsertim in lege nova. Sacramentalia autem ordinantur ad cultum Dei medio sacrificio vel sacramento aliquo; & quædam propinquiùs quædam remotiùs respiciunt sacramenta, ut altare propinquiùs quàm templum, & calix quàm altare. Estque hæc illis propria ratio ceremoniæ sacramentalis, quod sit quasi circumstantia sacramenti, & à substantia eius distincta, sitque veluti accidens ejus. Usum sacramentalium ceremoniarum ad cultum Dei secundariò saltem pertinere dicunt, *& ideo pertinere dicuntur ad cultum secundarium*, inquit Suarez, *non solùm, quia continent cultum externum, sed etiam quia in ipsomet externo cultu sunt veluti accidentia aliarum actionum nobiliorum, scilicet sacrificii & sacramentorum*. Bellarminus etiam negat eos sentire præcipuum Dei cultum in his ceremoniis consistere. *Fatemur enim omnes Catholici ceremonias Ecclesiasticas non esse præcipuum cultum nec ab iis pendere essentiam & efficaciam sacramentorum, &c.* Aquinas ait, quæ pertinent ad solennitatem sacramenti non esse de necessitate sacramenti, sed ad bene esse. Vides eodem modo distinguere Formalistas, quo Pontificii. Ad hæc quatuor capita revocat Aquinas ceremonias omnes legis veteris, sacrificia, sacramenta, sacra, & observantias. Sacrificia & sacramenta veteris legis vocant Pontificii cultus partes fundamentales & substantiales, sacra & observantias secundarias & accidentarias. At inde argumentati sumus

3 p qu. 66. art. 10 ad 4.

supra,

suprà, cum ceremoniæ illæ quasi magis accidentariæ sunt à Deo instititutæ & definitæ, iisque non licebat addere aut detrahere. Sic nec in nova lege licet hominibus instituere aut definire has ceremonias quas secundarias & accidentarias vocant. Nam quod ait Suarez, Sect. 3. *In veteri lege, quia erat lex servitutis, magis consistens in exterioribus oneribus, quàm in interiori gratiæ spiritu, plurimæ ceremoniæ fuerunt divina institutione traditæ ac præceptæ: At verò lex nova est lex gratiæ & spiritus: & ideo solum in ea tradidit Christus, quæ ad gratiam obtinendam sunt necessaria media, vel utilia instrumenta: reliqua verò Ecclesiæ disponenda commisit:* supra confutavimus in comparatione Mosis & Christi: & præterea dicimus, quia Christus tradidit ea, quæ sunt ad gratiam obtinendam necessaria media & utilia instrumenta, nihil reliquum esse, nisi ut in iis mediis utendis servetur ordo & decorum, & ut media necessaria ac instrumenta illa utilia ordinentur ad eum finem ad quem à Deo instituta sunt, nempe ædificationem. Deinde non quæritur, an ceremoniæ, de quibus controvertitur, sint partes essentiales sacramenti vel sacrificii, vel alicuius alterius primarii cultus, sed an sint partes cultus, id est an sint ceremoniæ ceu ritus sacri quibus colitur deus. Nam snnt ceremoniæ etiam à Deo imperatæ in ipso sacramento, quæ tamen essentiales partes non sunt sacramenti, verbi gratia, fractio panis in Eucharistia est ceremonia à Christo imperata, & proinde pars cultus divini, non tamen est essentialis ratione sacramenti. Nam partes essentiales sunt materia, ritus & elementa, forma verbum. Sublata una istarum tollitur essentia, & non est sacramentum. Fractio panis est pars integrans unius partis essentialis, nempe materiæ. At sublata qualibet parte integrante non statim tollitur essentia. Amputata manu aut brachio homo manet homo, constans partibus essentialibus corpore & anima, sed mancus, quia manus & brachium sunt tantùm partes integrantes materiæ, id est corporis. Sic cœna absque fractione post benedictionem est cœna, sed manca ritu, & rei sunt coram Deo qui mancam celebrant cœnam non minus, quàm lege civili qui alicujus brachium aut manum amputaverit. Sunt quidem partes quædam integrantes materiam, quibus sublatis destruitur totum compositum ex materia & forma, ut amputato capite destruitur homo, propter dependentiam essentiæ à parte illa integrante. Sic sublatis benedictione, distributione, manducatione, & haustu, ritibus integrantibus materiam, tollitur sacramentum. Dicent forte sacra & observantias in veteri lege fuisse partes cultus divini, quia à Deo imperati, fractionem similiter & similes ritus in nova lege. Manet tamen differentia inter partes substantiales & accidentarias non obstante Dei institutione, ut illi distingunt. Sic si quis jam offerenda sacrificia præciperet, & templa in eum finem erigi, aliosque ritus præscriberet

beret & observationes sacras in ordine ad sacrificium, alias cultus illius partes constitueret substantiales & fundamentales, alias quasi accidentarias. Hæc est unica differentia quod authoritas divina in utroque genere distinguit legitimum cultum, eiusque partes res & ritus omnes, ab illegitimo. Alioquin quod ad materiam, formam, & finem homo Simia similia fingit omnia, iisque partibus & ritibus secundariis & primariis colit Deum, sicut veri cultores Israelitæ Deum ritibus & primariis & secundariis coluerunt, tantum non legitimo cultu colunt. Authoritas Dei sola potest facere legitimam & necessariam partem cultus, sive sit substantialis sive accidentalis pars alicujus cultus particularis, sacrificii, aut sacramenti. Denique non quæritur an ceremoniæ sint essentiales partes alicuius alterius cultus, sed an per se spectatæ non habeant etiam essentiam cultus. Nam si non habent, quomodo dicuntur ulla ratione cultus, aut iis coli Deus. Si ritu aliquo sacro colitur Deus, habet cultus essentiam, licet non sit essentialis pars totius particularis, sacrificii nempe aut sacramenti: Sic colebatur Deus in veteri lege sacris & observantiis. Sic de ritibus observantiis imperatis ab homine vel ultro susceptis colitur opinione colentium, licet frustra colunt me mandatis hominum, ait Dominus, & voluntarius cultus est cultus, licet sit superfluus, vel ob turpitudinem vel ob levitatem, vel etiam, ubi non apparet levitas aut vanitas judicio carnis, sed rationem habet sapientiæ, ut ait Apostolus. Cum igitur eodem modo & in eundem finem instituit ritum sacrum, homo quo Deus, nempe ut significet vel mysterium aliquod aut officium nostrum, aut ad sanctificandum, aut operandum, & alioqui per se laudabilis non sit, vel ad ordinem vel decorum, nonne *apponit limen suum limini meo, & postem suum ad postem meum*, ait Dominus Ezechiel 43 8. Etsi sit res vel actus ordinis aut decori, si ultra hunc usum superaddat significandi, sanctificandi, operandi virtutem, adhuc apponit limen suum limini Dei, & elevat rem vel actum illum supra naturam suam ad ceremoniæ sacræ naturam. *Cultus sui solus legislator est Deus, quæ hominibus permisit, ea non sunt cultus, sed ad cultum.* Origines, *Nemo qui oculis animæ cernit, alio modo Deum colit, quàm sicut ipse docuit.* *Iunius cont. 5. l. 2 c. 16. not. 21.* Orig. Cont. Cels. lib. 7.

Dixi in thesi ad operationem sive significationē, quia ceremoniis quibusdā tribuunt Pontificii vim & efficaciā ad effectus spirituales ut aquæ lustrali & crucis signo &c. ad delendum peccata venialia, ad fugandos dæmones, & curandos morbos. Quam vim tribuunt aquæ benedictæ notum est, & unde eam vim habeat, nempe ex precibus & impetratione Ecclesiæ, abutentes loco Apostoli, 1 Timoth. 4 dicunt, *Omnis creatura Dei bona est & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Sed locus ille nihil juvat. Sanctificatur creatura

 per

per verbum Dei, cum ex verbo agnoſcimus Deum creaturas ſuas inſtituiſſe ad uſum noſtrum: per preces & gratiarum actionem, cum gratias pro donis illis agimus, & rogamus, ut creaturarum uſum efficiat nobis utilem & ſalutarem. In modo & fine peccant Pontificij; In modo, cum ſigno crucis benedicendi & ſanctificandi vim tribuunt, ac ſi per illud ſignum rebus creatis aut benedictis virtus cœleſtis infunderetur. In fine, cum ad vſus divinitus non inſtitutos ſanctificant. Sanctificamus panem ad vſum communem in victu communi, & myſticum in ſacramento, quia ad vtrunque Deus inſtituit. Candelarum lumen inſtituit Deus ad expellendas tenebras, illi ſanctificant ad effectus ſupernaturales, ad fugandos Dæmones. Deeſt hic verbum fidei, quia deeſt inſtitutum Dei. Sed in his ritibus non immoramur, quia hos effectus ſupernaturales, delendi peccata, fugandi Dæmones, & curandi morbos, non agnoſcunt adverſarij formaliſtæ. Vim tamen ſacramentalem tribuunt impoſitioni manuum confirmatoriæ & conſecratoriæ vt ſupra probatum, quod non facerent ipſi Pontificij, niſi ſentirent eſſe ritum altioris ordinis, quàm ſunt huius generis ceremoniæ, & verum ſacramentum. Nam licet his ritibus & rebus benedictis tribuant vim ad effectus ſupernaturales, non tamen ſacramentalem, quam Deum ſolum poſſe dicunt. De efficacia & virtute quàm tribuunt formaliſtæ ſigno crucis, dicemus ſuo loco.

Ceremonias ſignificantes nullas inſtituit Chriſtus, niſi ſacramentales, quibus addere alias, ſive in celebratione ſacramenti ſive extra in ulla alia liturgiæ parte, ut in prædicatione verbi, pſalmorum cantu, precibus publicis &c. non licet. Nam, ut ſupra dictum, legi ceremoniali novi teſtamẽti non addendũ magis, quàm legi ceremoniali in veteri teſtamento. Imò cum Chriſtus ipſe ſacramenta non inſtituiſſet, niſi etiam ut eſſent ſigna exhibitiva & ſigilla, indicat nullas eſſe ceremonias ſymbolicas ex inſtituto humano addendas. Quæcunque per ſigna viſibilia doceri voluit verbo & ſignis ac ritibus ſacramentalibus circumſcripſit & determinavit. Aquinas, *etſi idem poteſt per diverſa ſigna ſignificari, determinare tamen, quo ſigno ſit vtendum pertinet ad ſignificantem. Deus autem eſt, qui nobis ſignificat ſpiritualia per res ſenſibiles in ſacramentis & per verba ſimilitudinaria in ſcripturis.* Chriſti ſolius eſt ſignare ſua bona. Si liceret hominibus addere ritus ſymbolicos, liceret etiam res ſymbolicas, ut lac & mel aquæ in baptiſmo, pani & vino in Euchariſtia, ſi iis non tribuatur præcipuum officium ſacramenti, ſed tantum ſignificandi; Sic olim in baptiſmo delibatio lactis & mellis ceu vini erat in uſu (ut teſtatur Tertullianus lib. 1 contra Marcionem & Hieronymus in dialogo contra luciferianos) in ſignum novæ infantiæ in Chriſto. Alludebant ut infantes, ad locum Petri *quaſi modo*

3 par. qu. 60 art. 5 ad 1.

Bellar. de baptiſ. c. 27.

modo geniti infantes lac concupiscite. Et tamen jam non est in usu apud ipsos pontificios. Pudet eos imitari morem patrum, etsi significatio sit petita è scripturis. Concilio Antisidioreusi decretum, ne quis offerret mulsum in altari, at cur ab omni usu sacro etiam significandi separarunt, & solum panem, & vinum aqua mistum, quod apostolicum venditant, admittunt. Sic argumentantur Bracarenses. *Ait enim Evangelista, Accepit Iesus panem & calicem &c. cesset ergo lac in sacrificio offerri, quia evidens exemplum Evangelicæ veritatis illud offerri non sinit.* Argumentantur negativè ab institutis contra addenda omnia. Et licet de oblatione loquantur, tamen etiam de significatione valebit argumentum. Nam ad utrumque, illorum judicio instituit elementa Christus, & cur à baptismo amoverunt, ubi significandi tantùm officium habebant. Si liceret res rebus addere in significationis usum, possemus habere mensam bene instructam rebus varia significantibus, pane, vino, agno, lactucis, &c. & parietes imaginibus columbarum, ovium, avium, serpentum, &c. & allegoriæ omnes atque similitudines, quæ habentur in scripturis possent pingi in parietibus: & non modo in pingendo sed etiam agendo repræsentari, ut ad salis allegoriam exprimendam adhibeatur gustus salis, lampades, incensum, vestis alba Neophytorum &c. nam hæc omnia habent suas similitudines in scripturis. Balsamon in can. 82 Synodi 6 in Trullo. *Si autem hæc ita se habent, eos male facere arbitror, qui in Ecclesia columbas emittunt pro spiritus sancti adventu: & qui pro illa stella, quæ novo modo apparuerat & erat admirabilis, cereos accendunt: & qui arcanam & salutarem Domini & Dei & servatoris nostri Iesu Christi generationem thoro strato exprimunt, & quæ sunt supra rationem & mentis cogitationem, ἀνθρωπίνοις ἐπινοήμασι διαγράφουσι humanis studiis describunt.* Quod si res symbolicas rebus addere non licet, certè nec ritus. Nam quæ ratio imparitatis? Cum secundo præcepto prohibemur facere nobis sculptilia, prohibemur, ut dixi supra, exsculpere ex cerebro nostro ritum aliquem sacrum in cultu divino; at ritus significans & symbolicus propter analogiam quam habet cum re significata proximè accedit ad imaginis & sculptilis repræsentationem. Si Christus non instituisset sacramenta num Ecclesia poterat etiam symbola instituere ad significationis usum? Non omnino. Imò non dubitat judicio & doctrina vir præstantissimus Parkerus asserere sacramenta imaginum nomine damnata in secundo decalogi præcepto, nisi imperasset Christus, & imperavit, ut dixi, non tam ob significationem quàm exhibitionem rerum significatarum.

Bracar. 3 ca. 1.

De cruce par. 1 pag. 61.

Præterea dissimilitudo inter Iudaicam & Christianam Ecclesiam hunc modum docendi, memoriam excitandi, & affectus afficiendi ostendit alium, magis spiritualem commendatum fuisse Ecclesiæ Christianæ quàm Iudaicæ. Iudæorum status erat puerilis, ideo hac pædagogia & puerilibus hisce rudimentis opus habebant. Sunt peræque rudes in Ecclesia Christana, ac olim inter Iudæos. Esto. At clarior lux Evangelii affulget rudioribus in Ecclesia Christiana, quàm in veteri testamento. Ibi velatum hîc revelatum. Semper adoratus Deus in spiritu & veritate, *sed in hoc differunt novi cultores à veteribus, quod sub Mose spiritualis Dei adoratio multis ceremoniis adumbrata & quodammodo implicita erat, quibus abolitis nunc simplicius adoratur.* Augustinus, *Christiana libertas eos quos invenit sub signis utilibus, interpretatis signis quibus subditi erant, ad eas res quarum illa sunt signa elevavit.* Bellarminus ait aquam, oleum, aliasque res benedictione consecrari ad significandos spirituales effectus. Nam cineris aspersio pœnitentiam; palmæ, victoriam; cerei paschalis, gloriam resurrectionis significat. *Nec obstat*, inquit, *ratio Brentii de adumbratione. Nam istæ adumbrationes non sunt propriè adumbrationes futurorum, sed repræsentationes externæ rerum præsentium invisibilium & spiritualium, vel etiam rerum præteritarum, quæ utilissimæ sunt ad effectum excitandum.* Iunius. *Negatur solutio. Brentius promiscuè de omni adumbratione dicit, ac non rerum futurarum solum. Nam & præterita & præsentia quoque adumbrari possunt. Sed in rebus divinis & sacris ad ecclesias pertinentibus negat alias adumbrationes rectè adhiberi, quàm quas instituit Deus, cui soli regnum est & potentia & gloria in ecclesia.* Cum Bellar. finem ceremoniarũ in dedicatione & consecratione ecclesiarũ dixerat fuisse ad significandum, altare Christum, altare lapideum Christum petram, materiale templum Ecclesiam spiritualem, & similia rectè designare. Resp. Iunius. *Falsum. Nam quid opus est ea significari, quæ adsunt, quæque videntur oculo præsentissima, & cernuntur fide per spiritum? Ecclesiam vides præsentem, cur significas? Christum cernis & sentis in te, in tuo corpore operantem: quid significatione opus? Inane, ridiculum, mendax, impium est rerum divinarum præsentissimarum signa in Ecclesia ab homine imperari, quæ solus Deus & Dominus Iesus Christus informare in ea potest, velut domo sua & corpore suo.* Bellarminus ait eos rectè ad supernaturales effectus efficiendos & significandos uti aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis. Negat utrunque Iunius. Quia efficere supernaturales effectus opus est solius Dei: est autem eiusdem uti rebus ad supernaturales effectus, cujus & efficere. *Quod si ad usum instituere non potest quisquam, profectò neque ad significationem homo legitimè potest adhibere, nisi humano & arrogante instituto, ne in privato quidem, quanto minùs in ecclesia Dei, & publica administratione ipsius. Non potest esse benedictio aut consecratio*

Calvin. instit. l. 4. c. 10. §. 16.

De doctrin. Christ. l. 3. cap. 8.

De cult. sanct. c. 7.

Contr. l. 3. c. 7. not. 14.

Cap. 5. not. 80.

Cap. 7. not. 12.

consecratio ecclesiastica sine verbo institutionis & oratione fidei. Hic *nullum comparet institutionis verbum, oratio autem fidei non potest ibi esse, vbi nec Dei instituentis mandatum, nec promissio est.* Venerabilis Beza Epistola ad Grindallum Episcopum Londinensem. *Deinde illud quoque considerare oportuit, non esse idcirco abolitas legales ceremonias, vt alia servitus superinduceretur, neque enim hoc fuisset jugum legis tollere sed mutare, sed idcirco potiùs, vt Christum exhibitum nudum jam & in clara luce versantem, nullisque figuris aut vmbris rursum obscuratum omnes intuerentur.* Item. *Et vt semel dicam, quicquid à Iudæis, quicquid à Paganis in ritus Christianos est translatum præter Christi institutionem, & certum Apostolorum exemplum: itemque ritus omnes symbolicos semel ex ecclesia Christiana, in quam nullo vnquam iure invehi potuerunt, profligari oportere, nec ijs manentibus suam ecclesiæ nativam pulchritudinem restitui posse existimo.* Chemnitius. *Quod verò prætenditur per illos ritus ab hominibus additos multa pie & vtiliter significari, moneri, & doceri, ad illud responderi potest figuras proprias esse veteris testamenti: quæ vero in novo testamento Christus moneri & doceri voluit, non vmbris, sed luce verbi tradi & proponi voluit. Et de verbi non autem de figurarum ab hominibus inventarum efficacia habemus promissionem. Quos verò ritus verbo adhiberi voluit eos ipse instituit.* Danæus. *Blasphemum est sentire & docere rem vllam externam in ecclesia Dei esse rerum spiritualium Christianis signum, aut sacramentum posse, nisi fuerit expressè à Deo in eum finem instituta.* Parkerus beneficium, quo fruitur Ecclesia Christiana per ceremoniarum figurantium ceu symbolicarum abrogationem illustrat comparatione similium elegantissima. Obscuriore per hieroglyphica scriptione apud Ægyptios successit planior per literas Alphabeticas. Sic orientalibus magnum erat beneficium, quod imperator abrogaverat obscuriorem leges per Notas licet compendiosam scribendi formam, & introduxerat faciliorem. Sic Philosophicis Scholis, quod Aristoteles Platonicorum & Pythagoricorum docendi modum per numeros & figuras alio planiori excluserit. Quòd Diodorus Tarsensis allegoricas scripturæ interpretationes spernens simpliciorem & literalem protulerit. Hæ allegoricæ interpretationes, quibus nimium addicti Patres procliviores fortè ad symbolicos ritus instituendos vel amplectendos reddiderunt. Symbolicis ritibus inter alia hoc inerat vitij, quod muta essent signat ænigmata. Christus non instituisset ipsa sacramenta ad nudam significationem, si non etiam ad exhibitionem, nec instituit vt muta signa, sed addidit verbum ad elementa & ritus. Illi contra & signa rerum spiritualium coruscante iam luce Evangelij invehere ausi sunt, & adhuc retinent Iudaizantes aut Paganizantes Christiani, & quidem muta. Hiccine aptus est docendi modus docere per signa, cum ipsa signa explicatione opus habeant. Et in quem finem addenpretium

Epist. 8.

Examen. part. 2. De ritibus sacram.

l. 3. c. 17. 7. 19.

De cruce part. 1. p. 98.

da explicatio signorum humanitùs institutorum. Operæ pretium ne fecerit, inquit Replicator ad Mortonum, qui doceret populum pro concione, quid superpelliceum, quid capa significet. Ite & docete omnes gentes, quid significent sacræ vestes, &c.

Objiciunt ceremoniarũ Patroni signũ elevationis manuum, genuflexionis & similia. At cũ signa sint duplicia voluntaria sive, data & naturalia sive nata, quæ nõ pendent ex nova institutione, sed natura sua significant, vt fumus ignem, aurora orientem Solem, odor rem odoratam, nos iam agimus de signis non natis sed datis. Respicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus, dum oramus, natura ipsa docet, vt notum est, & fatetur Bellarminus. Vt in signis vocalibus, sic in signis realibus se habet. Nam voces aliæ sunt naturales & eædem apud omnes gentes, vt plorare, suspirare, ridere. Aliæ sunt arbitrariæ & variantur, prout pro arbitrio hominum & variarum gentium imponuntur. Sic in signis realibus, quædam sunt homini naturalia, quibus interiores animi affectus quasi expromit alijs; vt in cultu divino animi submissionem, dolorem, divinæ excellentiæ recognitionem exprimit, quæ natura omnes mortales docuit: alia sunt ex instituto. Sed ea quæ sunt ex instituto varia sunt, alia enim nullã habent cum re significata similitudinem aut analogiam, sed solummodo pendent ex instituto, vt hedera respectu vini vendibilis, pulsus campanæ respectu concionis habendæ. Alia habent similitudinẽ vel analogiam, sed in determinatam & confusam, donec determinentur ab aliquo ad actu significandum aliquid qualia signa sunt sacramenta, & symbolicæ ceremoniæ, sic imagines, quæ neminem in particulari significant, nisi determinentur addito alio signo. Quædam tantam habent cum re significata similitudinem, vt sine ulla institutione naturaliter significent, vt vestigium in arena impressum signum est est pedis, addit Bellarminus imagines quasdam vt Christi. Nos signa representantia res sacras per similitudinem vel analogiam ex determinatione humana damnamus. Signa quæ communi consuetudine aut consensu vsurpantnr ab hominibus ordinis causa nemo damnat, cuiusmodi sunt pulsus campanæ respectu concionis habendæ; Nummus ille plumbeus qui datur communicaturis, vt discernantur ab indignis & ignotis, &c. Sed non sunt istæ ceremoniæ sacræ.

De effic. sacram. cap. 29

De sacram. l. 1. cap. 9.

Mortonus ceremoniarum advocatus mysticam significationem ceremoniarum distinguit in sacramentalem & moralem: sacramentalem qua significatur gratia à Deo nobis collata; moralem, qua officia nostra spiritualia & obedientia Deo debita significantur. Ceremoniæ nostræ inquit, sunt signa moralia; superpelliceum est signum sanctitatis vitæ, frontis consignatio, cum signo crucis est signum constantiæ in fide Christiana, genuflexio in percipienda eucharistia

Defens. cerem. p. 53. 54.

eucharistia signum humilitatis. Signum sacramenti inquit, duplex est, ad modum signi, & ad modum sigelli. Mystica illa signa, inquit, quæ vocamus sacramentalia differunt à mysticis moralibus, tum quatenus significatione repręsentant speciali, tum quatenus obsignant applicando & confirmando fœdus gratiæ. Moralia autem non repręsentant collationem gratiæ à Deo nobis datę, solummodo nota faciunt officia moralia alicius virtutis quę Deo debemus. Primò observandum confundere Advocatum naturalia signa cum institutis ab hominibus. Nam genuflexionem agnoscimus esse signum submissionis, sed naturale, proinde solummodo exigi à nobis rectam eius accommodationem & ordinatam. In percipienda eucharistia genua non esse flectenda & proinde non rite accommodatum signum esse suo loco probabimus. Deinde malè dividit ceremoniarum significationem mysticam, in sacramentalem & moralem, quod ante eum neminem fecisse arbitror. Nam ceremonia sacramentalis, quæ à sacramento distinguitur, definitur à Suarezio exterior actio religiosa, aut circumstantia seu conditio ad reverentiam & convenientiorem modum ministrandi sacramentum ceu offerendi sacrificium. Et quia ceremoniæ sacramentorum ejusdem fere rationis sunt cum nonnullis aliis ritibus, qui extra sacramenta fiunt & observantur, ideo nomen Sacramentalis latiùs frequenter usurpari, & doctrinam de his ceremoniis sacramentorum magna ex parte posse ad alias extendi. Sacramentales dividunt variè ratione ritus exterioris, aut ratione finis. Quæ specialiter propter significationem institutæ, earum significatio duplex moralis & mystica. Sic distinguit Suarez. Signum morale nihil aliud est, quàm esse id quo exteriùs indicamus bonum interioris animi motum & affectum, cujus generis sunt signa exteriora interioris reverentiæ & affectus, ut genuflexio, capitis inclinatio, manuum elevatio. Osculum significat, quandoque reverentiam, ut cum sacerdos osculatur sacras vestes & altare, quandoque amorem vel benevolentiam, ut in osculo pacis, & sic osculum datur in Missa sub duplici significatione morali. Alia significatio harum ceremoniarum est mystica, cujus generis sunt actiones illæ omnes quas sacerdos in ipsa consecratione ad imitationem Christi facit, ut accipiendo panem, benedicendo &c. & aliæ etiam extra essentiã sacramenti, ut manuum lotio post primam oblationem, ut cum brachia extendit sacerdos post consecrationem in repræsentationem crucifixionis Christi, divisio hostiæ in tres partes, mistio particulæ panis, quem putant esse jam corpus domini, cum sanguine, usus signi crucis ad commemorandam Christi passionem & modum ejus, & in missis solennioribus thurificatio, &c. Inter hæc signa vides extra illas actiones quibus sacerdos imitatur Christum in consecratione esse alias ceremonias, quarum

Tom. 3. disp. 15 s. 2.

Tom 3. disp. 84 sect. 1.

mystica significatio mysterium aliquod salutis repræsentat, ut in frequenti usu signi crucis, mistione particulæ panis, divisione hostiæ in tres partes &c. Lotio manuum post oblationem priorem ante sacrificium fit in symbolum oportere nos à peccatis omnibus mundari, accenduntur autem luminaria tempore sacrificii tum ut sub typo luminis corporalis ostendatur lux illa spiritualis, tum ut Christus ignem charitatis accendere & nutrire in nobis dignetur. Vides igitur non omnia sacramentalia, extra ritus quos instituit Christus, significare officia nostra, sed quædam repræsentare nobis alia mysteria salutis, eodemque modo quo res & ritus instituti à Christo, id est symbolicè. Nam quod non obsignent & sint sigilla, ut res & ritus Christi, nemo dubitat, & ipsi pontificii eandem vim non tribuunt sacramentalibus quę sacramento, ut supra dictum. Gratis igitur affertur huc à Mortono distinctio inter significationem ad modum signi & sigilli. Quod ait ceremonias additas significare officium nostrum erga Deum, non autem Dei beneficia erga nos sicut ritus sacramenti, innuere videtur sacramenti ipsius ritus non indicare officium nostrum. At Replicator istum sensum refellit argumento à natura fœderis sumpto, cujus signum & sigillum est sacramentum; ex parte enim nostra protestamur in fœderis confirmatione officium nostrum, & ex etymologia ac notione vocis sacramenti, quatenus sacrum juramentum & Eucharistiæ, quæ gratiarum actionem significat, & annunciatione mortis Christi in Eucharistia. Bellarminus non negat hunc usum sacramentorum. *Nam etiamsi hanc utilitatem cum aliis habeant sacramenta, ut admoneant homines bonorum operum, & virtutum, (nam certe negari non potest, quin mersio in baptismo & emersio admoneat mortis, qua mori debemus peccato, & resurrectionis, qua resurgere debemus ad novam vitam, cujus rei meminit etiam Apostolus 1 Cor. 6, & Eucharistia admonet pacis & amicitiæ, quæ inter nos esse debet. Sumus enim unum corpus, qui de uno pane participamus 1 Cor. 10) tamen non est iste solus nec præcipuus sacramentorum usus.* Et alibi, *Tertiò vocat* nempe Nazianzenus, *baptismum sigillum vel obsignationē fidei, quia baptismus est publica approbatio vel testificatio fidei eius, qui baptizatur.* Hoc officium sacramentorum & verbi usurpāt signa ab hominibus instituta, ut signum crucis in fronte & superpelliceum usurpant officium baptismi & Eucharistiæ. Nam baptismo & Eucharistia eadem profitemur, nempe constantem fidei professionem & sanctitatem vitæ, iisque de his officiis monemur. Prætereà falsum est eos sacramentalia retinere in hunc solum usum. Nam signum crucis semper repræsentat Christi passionem & crucifixionem, estque hæc primaria ejus signi significatio; cum autem pingitur in fronte baptizati habet officium illud secundarium significandi constantiam in fide. Habet etiam alia officia & virtutes in

De sacram. in genere li. 2 c. 15.

Cap. 17.

Anglicana

Anglicana Ecclesia de quibus suo loco. Vestium ratio mystica est, non tantum significatio moralis, ait Suarez, quatenus sunt virtutum insignia, quibus tanquam scripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, sed etiam mystica, interdum ut alba vestis significat illam qua Christum illusit Herodes. In Ecclesiis Cathedralibus Anglicanis administratur cœna ab Episcopo si adfuerit, vel Decano gloriosa capa amicto. Non solũ distinguuntur vestes significatione sacra à communibus, sed etiam relatione ad unam divini cultus partem magis quàm ad aliam. Non in qualibet administratione cœnę licet cuivis sacerdoti Anglicano uti capa, nec superpelliceo semper utitur in exercitio muneris sui; Nam qui concionatur & sacra non ministrat præscripta in liturgia, non tenetur induere supepelliceum. Sed de cruce & vestibus sacris plura suo loco dicemus capite sequenti. Denique largiamur, in hunc usum solummodo eos habere sacramentales aliasve similes ceremonias, tum non damnabit, puto, Pontificios superstitionis ob alias id genus ceremonias omnes. At Ecclesia Anglicana vestes alias repudiavit, quæ moralem solùm habent significationem, cur non igitur alias omnes ceremonias moralia significantes. Vtcunque est, meritò utrique damnandi. Nam non magis mores, quàm alia mysteria fidei per signa docendi sumus, nisi signa illa quæ Christus instituit, quæ, ut sæpius dixi, non tam instituit ad docendum & significandum ipsa salutis mysteria, quia satis perspicuè Christus crucifixus coram omnium oculis in ipsa prædicatione Evangelii, quàm ad obsignandum fœdus gratiæ, idq; non absque addito verbo. An nõ æquè necesse est doceri mysteria salutis per signa ac per mores. Reddat, Mortonus rationem differentiæ. Imo illa potius quàm ista, si ulla, quia magis mystica. Sed nulla, quia, ut supra pluribus argumentis & testimoniis confirmavimus, pædagogica illa per signa docendi forma puerili Iudæorum statui non adulto Christianorum conveniebat, & confundunt dissimilitudinem inter utrumque populum, qui eundem modum retinent in Eccclesia Christiana, ut bene monet Calvinus in opere illo nunquam satis laudato Institutionum. Populus Dei non solummodo hoc modo sed etiam ad hæc utraque erudiebatur, nempe & mysteria salutis beneficiaque per Christum comparanda, & mores officiaque pietatis, quæ etiam tunc sub lege debebant Domino. Percurre sacramenta, sacrificia, sacra, & observationes omnes Iudaicas, & facillimè deprehendes. Si quis igitur, ut nos doceret officium nostrum sinceritatis, per panem azymum docere vellet, nonne umbra Iudaica adumbraret quod verbi prædicatione clariùs docere potest, & de qua ipsa actio sacra per se monet. *Experientia*, inquit Bellarminus, *docet facilius intelligi, si quid verbo dicatur, quàm si nutu significetur. Quid autem sunt sacramenta, si cum verbis comparentur,*

Tom. 3 disp. 82 sect. 2.

Lib. 4 cap. 10 s. 14.

De sacram. l.1, cap. 14. *parentur, nisi nutus quidam? Pari ratione experientia docet magis persuadere verba, quàm muta signa, modo non sint miracula.* Si ad elementa & ritus sacramenti non accessisset verbum, aliquid diceret, sed contra muta signa multum dicit. Superpelliceum & capa sunt muta signa. Crucis signum quædam tacet & nutu tantum significat, alia loquitur apud Anglos. Sed non decet imagines loqui in Ecclesia, Quid loquitur videbimus suo loco. Quàm efficax sit hic docendi modus, testantur sanctorũ sacerdotum constantia & cruce signatorũ mores, quod observat oculatus testis Replic. contra Morton. Objiciunt ceremoniarum Patroni impositionem manuum, osculum pacis Agapas, & velamen illud de quo Apostolus, 1. Cor. 11. Quod ad impositionem manuum, dicimus non fuisse ceremoniam repræsentantem rem aliquam significatam, vel gratiam, vel mysterium fidei, vel mores, sed tantum ritum indicantem rem vel personam, dum orabant, benedicebant, aut inaugurabant, vt in impositione manuum ordinatoria ceu consecratoria suprà ostendi fuisse solummodò gestum orantis, ceu benedicentis indicantem personam, pro qua petebant gratiam, vel cui benedicebant, non autem signum repræsentans gratiam ipsam quam petebant. In vsu fuit sub lege, & ante legem, quod tempus vtrunq; fuit præfigurativum, non tamen fuit iste ritus figura: nec signum rememorativum alicujus rei præteritæ, nec præfigurativum alicuius rei futuræ, nec adumbrans rem aliquam præsentem invisibilem aut spiritualem, sed indicativum ceu demonstrativum personæ aut rei externæ. Insulsè igitur argumentum ducunt à signis externis res alias externas indicantibus ad probandum signa rerum invisibilium & spiritualium nunc esse licita. De manuum extensione quæ fit super oblata in Missa, dum recitatur illa oratio, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, &c.* nihil dictum in particulari apud authores vel veteres vel recentiores. *Vnde non videntur intellexisse continere aliquam significationem mysticam, sed solum gravem quandam & reverentem demonstrationem sacrificij correspondentem illi signo demonstrativo, Hanc igitur*, inquit Suarez. De suo affingit significationes huic gestui, vt & impositioni manuum affictæ sunt, sed impositæ manus etiam victimis, vbi evanescunt affictæ illæ significationes. Nihil aliud impositio manuum continet, nisi demonstrationem rei vel personæ, quam offerimus, cui benedicimus, pro qua oramus. De impositione manuum plura vide supra capite quarto. Quod ad agapas attinet, controvertitur, num præcesserint sacram synaxin an addectæ fuerint, quasi appendix; item, vnde ortæ. Nam quidam putant Christianos hac in re Iudæos, qui sacrificia sua epulis finiebant, & Gentiles, qui in idoleis convivia plerunque luxuriosa agitabant imitatos, sed alio titulo sobrias & frugales ἀγάπας sacris peractis celebrasse, quibus divites promiscuè & pauperes accumbebant, sed

Tom. 3. disp. 84. s. 1.

cito

dito invectum abusum, & propterea Apostolum apertè vetuisse commessationes in ecclesia quocunque fuco pingantur. *Non vult igitur sive Iudaico sive Gentilitio ritu epulas prophanas sacris misceri*, inquit Paræus. Qui etiam ex collatione Iustini & Tertulliani colligit earum usum in Græcia, Africa, & apud orientales tantùm obtinuisse, non autem apud occidentales, quod probabile est. In Concilio Laodiceno can. 28. vetitæ, quæ constitutio instaurata in Trullana synodo can. 74. adiecta pœna. *Hoc ipsum*, inquit Durantus, *longè ante vetuerat S. Paulus 1. ad Corinth. 11. Nunquid non habetis domos ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, & postea, Si quis esurit domi manducet*. Sic Suarez. disput, 81. sect. 8. *Hinc etiam convivia ceu agapæ in Ecclesia prohibentur à Paulo 1. Cor. 11. quod postea multa Ecclesiastica decreta confirmarunt, 6. Synod. can. 74. Concil. Antissiodorens. c. 2. Africanum. c. 27. Carthag c. 45. Aquisgran. 1. c. 59. & 80. c. Nullus c. Non oportet. dist. 42.* Qualiscunque fuerit origo earum, & finis maximè laudabilis, nempe exercendæ charitatis ergò, hæc cœna communis erat non mystica. *Hæc cœna à mysterijs toto genere fuit diversa, & postea templis est ejecta, ac tandem penitùs sublata*, inquit Casaubonus. Non ergo habebant statum in cultu divino, etsi agitabantur in Ecclesiasterijs. Balsamon in Canonem 74. Trullanæ Synodi, Statuit, canon, ne aliqui in Ecclesia conviventur. *Hoc enim vocat* ἀγάπην ἢ ὡς συςατικὸν ἀγάπης, ἢ δι' ἀγάπην γινόμενον *vel quod sit dilectionis efficiens, vel quod fiat propter dilectionem*. Non alio modo ergo erant signa charitatis, quàm causa efficiens vel finis ceu effectum alicujus rei est eius signum: sic quodvis effectum causæ suæ signum est. Nulla est hìc mystica significandi ratio magis quàm misericordiæ in dante eleemosynam. Quod ad osculum attinet, eius usus erat frequens apud orientales: tum ethnicos tum Israelitas. Obviam sibi invicem occurrentes sese invicem salutabant osculo in signum amicitiæ, teste Xenophonte lib. 1. pædiæ Cyri, & Herodoto in Clio, sic 2. Reg. 20. 9. Non fuit igitur signum appropriatum, ut sic loquar, sacris conventibus, sed in morum civilitate usurpatum in signum amicitiæ, ut apud nos dextras jungere. *Magis verò solenne fuit primis Christianis, ut tum aliàs* (nota, tum aliàs) *tum præsertim in sacris conventibus ante sacram synaxin sese osculo, sive amico amplexu salutarent, dicentes, Pax tecum; erat hoc communicaturis reconciliationis ac iniuriæ omnis remissæ puræque charitatis symbolum*. Sic Cornelius à Lapide in locum illum Pauli, *Salutate alij alios osculo sancto*. 2 Cor. 13. 12. sancto id est pudico, & ab animo charitatis sanctæ pleno proficiscente, ut quod erat in morum civilitate vel impudicum vel simulatum sæpius, omni vitio & fraude careret. Nihil aliud vult Apostolus, nisi ut mutuam charitatem ostendant. Erat etiam subjectionis

In 1. Cor. 11. 22.

De ritib. l. 1. cap. 26. num. 8.

Exercit. lib. 16. p. 512.

ctionis & reverentiæ signum apud orientales, vt patet ex historia Iosephi. Sed sive amoris & benevolentiæ, sive adorationis & reverentiæ signum sit, signum morale est interioris motus & affectus animi, vt supra dixit Suarez, ideo annumeravit genuflexioni, elevationi manuum, capitis inclinationi, tunsioni pectoris. Non est autem mystica huius ceremoniæ significatio. Nam cum mystica quandoque etiam quid ad mores pertinens significat, vt lotio manuum, de qua supra dixi, & mystica moralis dicitur, huius significatio purè moralis absque mystico vllo significandi modo, & proinde signum indicans non symbolicè repræsentans rem significatam. Nos ceremonias mysticas omnes siue mores, sive mysteria fidei significantes damnamus. Et quod ad illud signum morale & naturale osculi propter abusum sublatum est. Mansit eius vestigiũ in osculo tabellæ pacis. In talibus signis quæ facile in abusum verti possent fundare mysteria spiritus sanctus noluit, & mystica signa nisi stata mala voluit. Iungere dextras, & amplexus, sunt eiusdẽ generis signa moralia. Sic avertere faciem est signum odij aut animi malevoli, *Quisquam ne tibi invitus communicat, quisquam ne ad te extensa manu vertit faciem*, inquit Hieronymus ad Theophil. Alexandrin. Sic cedere honoratiori & dignitate superiori, in sacro conventu, ut observat Replicator ad Mortonum, est signum reverentiæ. Quod ad velamen, de quo Apostolus, 1. Cor. 11. attinet. Quidam sentiunt Apostolum hunc morẽ Corinthiorum reprehendere, quòd mulieres velamine deposito, capite nudo, bacchantiũ ritu orabant & prophetabant: viri contra promisso capillitio, vel capite velato, quasi in Lycæo Philosophantes, vel in idoleio sacrificantes ad orandum & prophetandum in cœtus prodibant, Gentilium ritu, apud quos Pythiæ ecstaticæ nudatis capitibus passisque capillis oracula fundebant: contra sacerdotes sacra vt plurimum mitris, calyptris, coronis, vittis capita præcingebant. Sic Paræus in locum illum. Sequi se dicit veterum receptam sententiam, nempe Apostolum loqui de mulieribus spiritu precum & prophetiæ ita quandoque afflatis, vt publicè in preces & oracula edenda impetu quodam divino prorumperent, & Apostoli præceptum imperantis mulieri silentium in publico ecclesiæ cœtu intelligendum de ordinario modo, excipi dona extraordinaria. Ex hac interpretatione loci sequitur nihil aliud Apostolum reprehendere quàm modum quem servabant in orando & prophetando, nempe quod velamine posito & crinibus passis Pythiarum aut Sybillarum Ethnicarum ritu prophetarent, & sic peccarent contra decorum, & præterea quia tali ritu divina & diabolica oracula pari modo edi & haberi videbantur. Si cui non arridet ista interpretatio Paræi de dono prophetandi extraordinario, & deformitate in modo ad imitationem ethnicorum quam tamen confirmat authoritate Chrysostomi, aliam accipiat. Prophetare

tare hîc est canere. *Nam etiam prophetæ cymbalis, ut Levitæ olim in templo instrumentis musicis personantes in testamento veteri dicti sunt prophetare*, vt observat in eundem locum Iunius. Sic Cornelius à Lapide. *Nota ꝛi mulier orans aut prophetans. Prophetans hic non sumiter propriè ut idem sit, quòd prophetiam proloquens aut explicans, sed impropriè, idemque est, quod sacris hymnis & Psalmis Deum laudans, eosque decantans. Nam loquitur hic Paulus de publico conventu, vbi non permittit mulieri loqui, nec docere, sed bene canere, cum scilicet totus cœtus canit. Sic propheta pro cantore capitur, 1. Paral. 25. v. 1. 1. Reg. 10. v. 10. Sic Saul dicitur fuisse inter Prophetas, id est, inter cantores Dei laudes canentes. Sic filij prophetarum in libris Regum dicuntur ij, qui Dei laudibus & cultui serviebant.* Coacta certè mihi videtur eorum interpretatio, qui prophetare accipiunt passivè, ac si dixisset Apostolus, *Mulier prophetans*, id est, *prophetiam audiens*. Nam nusquam alibi sumitur passivè, cur hîc igitur vis infertur significationi vocis. At dices, mulieres non magis orasse, quàm prophetias interpretatas fuisse, licet canere solitas non abnuendum sit. At vt voce accinentes dicuntur canere, sic etiam orantem ministrum mente & animo consequentes orare dicuntur; prophetiam verò aut concionem audiens nunquam prophetare aut concionari dicitur. Populum tempore precum orare, tempore interpretationis aut prædicationis predicare nemo dixerit. Qui orat mente, canit voce, rectè orare aut canere dicitur, & est agens in actu illo, qui tantùm audit concionantem est patiens quod ad actum illum. Ἀταξία quam carpit Apostolus hæc fuit, quod in cõventibus ecclesiasticis mulieres, cum ventũ erat ad preces & cantũ, deposito velamine & crinibus passis, Pythiarũ aut Sybillarũ ethnicarũ instar orabant & canebant, quia eo ritu solebant canere & oracula sua fundere Pythiæ & Sybillæ, & viri Sacerdotes imitantes velabant faciem suã, dum orarẽt aut psallerent. Nam dum explicarentur prophetiæ, tantùm auditores erant, sed dum orarent & canerent jam sentiebant se omnes Pythias & Sacerdotes esse, quia similibus fungebantur officiis in Christiano cœtu, quibus Pythiæ & Sacerdotes in sacris Gentilium. Contra istam deformitatem disputat Apostolus, & probat Mulieres non debere, dum orant aut canunt, deponere velamen, quo utebantur in publico extra cætum secundum morem gentis, & quo suam conditionem inferiorem profitebantur, & sic exuere pudorem omnem, ac si inter sacra liceret signa illa inferioritatem suam indicantia nulla habita decori ratione rejicere. Confirmat decorum esse institutum civile de velamine argumento à natura ducto. *Anne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit, mulieri contrà comatam esse decori? Nam coma pro velamine data est ei* 1 Cor. 11 13 14 15. Sic etiam Beza, *Coma mulieris non est propriè velamen, sed indicat mulieris caput velamine indigere. Natura enim*

vire

viro breviores capillos, etiamsi quis finat excrescerere, mulieri prolixiores, & capiti obvoluendo idoneos tribuit. in 1 Cor. 11 15. Per naturale velamen probat decorum artificialis velaminis quo utebantur mulieres. Sic etiam viri peccabant, quòd non servarent decorum illud, dum orarent & canerent, quod in civili conversatione servabant in signum suæ superioritatis. Nam viri incedebant absque velamine, cur, igitur dum orarent aut canerent, velamen induerent sicut mulieres solebant etiã extra convẽtus sacros. De velo loquitur Apostolus quo utebatur mulier non utebatur vir in publico. Nam nudo capite absque omni tegumento incessisse virum sub dio quis credet, absque velamine satis constat. Aut dum prophetæ interpretarentur, an credibile est Corinthios audiisse prophetantes nudo capite. Imo videmus in veteri testamento Sacerdotes, dum ministrarent, ministrasse capite tiaris operto. Exod. 28 40 Ezech. 44 18, & notum est pileum libertatis signum fuisse apud veteres. Velamen igitur mulieris tantum prohibet, dum orat aut canit vir. Deus Deut. 22 5 in genere sit præcipit, *Ne esto instrumentum virile super fœminam, neque induito vir vestem fœminæ. Nam abominationi est Iehovæ Deo tuo quisquis facit ista. Præceptum istud est honestatis, non in ceremonia, non in jure civili sive politico, sed natura ipsa fundatæ. Ex quo fit, vt hoc præceptum, qua fundamento naturali est, juris perpetui esse statuamus; est enim plane analogum præcepto illi, quod Paulus adfert 1 Cor. 11 de capillamento: vt enim ostendat viri esse vt capillo breviori sit: fœminæ vt comam alat, ideo naturam ipsam appellat testem, quæ cum nihil (vt Philosophi loquuntur) frustra fecerit, profectò nec viro breviores crines, nec fœminæ longiores frustra dedisse putanda est.* Natura igitur ducit ad constituendum discrimen in habitu & vestitu inter virum & mulierem accommodatum discrimini quod Deus in natura posuit. Determinatio variatur secuudum variarum gentium morem. Vbicunque mos naturę consenraneus est, ut fuit in velaminis distinctione, sicut probat Apostolus, servatur decorum, quod inter sacra non est violandum. In Belgio alius mos est, non velo sed calyptris utuntur mulieres, quas Heucas vocant. Si igitur mulieres Belgicæ inter sacra, cum ventum esset ad preces, & cantum psalmorum exuerent se calyptris, quibns vtuntur in publico incedentes, an non decorum violarent, & furere potius quàm orare aut canere viderentur. Admittamus iam tertiam interpretationem & passivè accipiatur verbum *prophetantes*, & sit sensus, dum precibus aut prophetiæ & scripturarum interpretationi intersunt, tamen de velo non de quovis capitis tegumento capitis loquitur. Nam, vt dixi, non est verisimile viros nudo capite durante liturgia intentos sacris fuisse. Vult solummodò Apostolus, ne decorum illud quod secundum morem ipsi naturæ consentaneum extra cœtum servabant, statim

ut se ad sacra in conventu Ecclesiastico accinxerint, violarent, ac si inter sacra decorum civile & quidem in naturæ principiis fundatum non esset servandum, Sive deposito velo, sive etiam passis crinibus id violarent mulieres, aut assumpto, cùm aliàs extra cœtum Ecclesiasticum non utebantur viri. Est igitur signum istud artificiale in natura fundatum à gentibus præsertim orientalibus determinatum cui apud alias gentes respondebat aliud analogum, non autem mysticum signum aut ab Ecclesia institutum. Ineptè ergo argumentantur à signis moralibus artificialibus ad decorū in communi conversatione servandum institutis,& naturæ consentaneis, ad mysticam morum, aut mysteriorum fidei significationem in Ecclesiam, ubi coruscat lux Evangelii, introducendam. Sunt, qui etiam luxum & mollitiem in viris, impudentiam in mulieribus Corinthiacis reprehendi ab Apostolo volunt, quod viri comam alebant, quod apud antiquos aut mollitiei aut ferociæ argumentum habebatur, Mollitiei nomine Cicero Gabinium insectatur, ut concinnatum ganeonem, & calamistratum saltatorem. Pisonem quòd madenti esset coma, composito capillo, & fronte notata calamistri vestigiis. Ad ferociam alluditur Iobi 5 5 Psal. 68 22. *Quamobrem cum comæ nutritæ argumentum essent, aut mollitiei aut ferociæ, ob eam causam Paulus modestiam in Christianis requirens singularem, jubet, ne comam nutriant more cincinnatorum aut ferocularum militum, sed ut tonderent*, vide Reynoldum de libris Apocryphis. Mulieres Corinthiacæ cultui veneris addictissimæ, adeo ut quotidie mille puellas in honorem veneris ad ipsius templum lenonibus & lenocinio exponerent, ut habet Cornelius à lapide in hunc locum, & hinc forte impudentiores,& in Christianorum cætus ex vitio gentis aliquid indecori irrepserat. Vtcunque est, de indecoro agit Apostolus. Sed tamen secunda sententia mihi maximè arridet, propter ea quæ dixi de velo & capite nudo dum orarent aut prophetarent & activa significatione vocis *prophetans* alioquin simpliciter & absolutè reprehendisset impudentiæ & mollitiei signa etiam extra tempus liturgiæ sacræ. Non dixisset *Mulier orans aut prophetans*, sed simpliciter *Mulier*. More igitur ethnico, orantes aut prophetantes non servabant decorum illud quod extra cœtus sacros servabant. Multa dici hìc possunt de velo ejusque usu apud varias gentes, sed sat est attigisse ea quæ objectionem pro significantibus ceremoniis in Ecclesia refellant. Imponunt velamen faciei Christi gloriosique Evangelii ministerio qui mysticos ritus urgent. *Nonne*, inquit Reynoldus, *constat Iudaicas umbras, hoc est, obscura lineamenta Christi (tanquam picturæ cujusdam quæ ille adventu suo abolevit, quippe qui imago ipsa eorum & corpus sit) iterum penicillo religionis vestræ pictorum deduci?* Confessio Wittembergica, *Nec licet restituere veteres ceremonias legis, ne-* Colloq. cap. 8 sect. 4. Art. 35.

 que

que novas comminisci ad adumbrandamve ritatem iam expositam & in lucem prolatam per Evangelium, vt interdiu candelas accendere ad significandum lucem Evangelii. Eadem ratio militat contra omnes alias ceremonias mysticæ significationis.

Etsi liceret rebus & ritibus in novo testamento institutis, addere res & ritus sacros institutos ab hominibus, non tamen licet mutuari aut retinere res aut ritus sacros Idololatrarum, sive ethnicorum sive Pontificiorum, sive ab ipsis excogitati fuerint, sive ab aliis, sed ab illis superstitione polluti etsi in se fuerint res adiaphora, modo non sit necessarius earum usus.

Vitandam esse omnem conformitatem cum Idololatris docemur præceptis datis populo Israelitico. Levit.19 sic præfatur dominus, sancti estote quia ego sanctus sum, deinde ver. 19 ait, *Ne sinito iumentorum tuorum coire duo genera, in agro tuo ne serito duo seminum genera & vestimento duorum generum ne obtegito te.* Voluit *Dominus,* inquit Aquinas, *ut populus eius distingueretur ab aliis populis: non solùm signo circumcisionis, quod erat in carne, sed etiam certa habitus distinctione. Et ideo probibitum fuit eis, ne induerentur vestimento ex lana & lino contexto, & ne mulier indueretur veste virili, aut è converso propter duo, primo quidem ad vitandum idololatriæ cultum. Huiusmodi enim variis vestibus ex diversis contextis Gentiles in cultu deorum suorum vtebantur, & etiam in cultu Martis mulieres vtebantur armis virorum, in cultu autem veneris è converso viri vtebantur vestibus mulierum.* Et ver.27 eiusdem capitis præcipit, ne circumcidant aut circumtondeant capillum aut barbam Arabum & ethnicorum more, De Arabum more testatur Herodotus in Thalia. *Dicunt Arabes tonderi sui capillamenti comam, vt ipse Dionysius id est Bacchus tonsus est: tondentur autem in subrotundam formam circumradentes tempora,* vide amputatos latere qui habitant in deserto Ierem.9 26 & 49 32. Becanus in analogia veteris & novi testamenti. *Ægyptii & alii Gentiles putabant suos deos figura rotunda vtpote omnium capacissima & perfectissima præ cæteris delectari. Ideoque in illorum gratiam capita sua in rotundum attondebant. Immo etiam templa rotunda diis suis ædificabant, vt Numa Pompilius Vestæ; Augustus Cæsar omnibus universim diis, Alii alii speciatim. Igitur Iudæi ne similes essent Gentilibus probibiti sunt sectari banc superstitionē.* Sic Levit.21.5. in luctu pro mortuis præcipit. *Ne capillos evellendo calvitium capiti suo in ducunto, neque latus barbæ suæ radunto, neque in carne sua cæsuram incidunto.* Sic Deut.14.1. Horum rituum variæ apud Ægyptios, Arabas, Syros, Cenahanæos fuerant observationes vt ex Herodoto & Diodoro constat, inquit Iunius in Levit. 21. 5.

[Margin: 12 qu. 102 ar. 6 ad 6.]

[Margin: Cap. 15.]

&

& ratio redditur, verſ. 6. vt ipſo Deo ſancti ſint, & res Dei ſanctè procurent. Ezek. 44. præcipit vt ſacerdotes nec prorſus radant, nec prorſus alant cæſariem : & Bellarminus fatetur, *Sacerdotibus Iudæorum prohibitam raſuram, non quod in ſe mala ſit, ſed ne viderentur ſimiles ſacerdotibus gentilium, in quorum viciniis habitabant, qui toto capite raſo idolis ſacrificabant, vt ex epiſtola Ieremiæ apparet.* Item, *Solùm ergo propter viciniam Idololatrarum prohibebantur Sacerdotes Iudæorum radi, quæ fortè cauſa erat, cur Optati, Hieronymi, & Ambroſij tempore, Chriſtiani ſacerdotes non raderentur, ſed tonderentur. Nam adhuc ipſorum tempore erant Sacerdotes Iſidis, qui caput radebant, vt Ambroſius epiſt. 36. & Hieronym. in cap. 44. Ezechielis teſtantur, Poſteaquam autem illa cauſa ceſſavit, nihil abſurdi faciunt, qui ad aliquid ſacrum ſignificandum caput radunt.* Vbi Iunius, *Etſi in rem vtramvis Chriſtianus non obligatur, quia eſt libera, tamen ratio illius rei permanet, ne vel vel ſigno aut ſpecie quidem communicare nos cum ſuperſtitione pietati adverſa oportere.* Sic Deut. 16. 22. *Ne conſerito tibi lucum vllis arboribus ſecundum altare Iehovæ Dei tui.* Sic enim faciebant idololatræ, Exod, 34. 13. Sic 2. Chron. 13. 9. *Feciſtis vobis ſacerdotes, vt populi reliquarum regionum.* Sic Deut 12 30. præcipit Dominus, *Cave tibi ne ſequendo eas illaqueris, poſtquam perditæ fuerint à facie tua, & ne exquiras de Dijs earum dicendo quomodo coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, vt ſic faciam ego quoque, ne facito ſic Iehovæ Deo tuo. Nam quicquid abominationi eſt Iehovæ, quicquid odit, fecerunt dijs ſuis, cum etiam filios ſuos & filias ſuas comburant igne offerentes Dijs ſuis. Vnamquamque rem quam ego præcipio vobis, eam obſervantes facite, ne addito ei neque detrahito ex eo.* Omnem cultum Idololatrarum cultui ſimilem vetat. Impietatum Achazi non minima erat, quòd cum vidiſſet altare quod erat Damaſci, miſerat ad Vriam ſacerdotem ſimilitudinē illius altaris, & ſtructuram eius ſecundū totum artificium eius, vt ſimile extrueret. 2. Reg. 16. 11. Peliſchtæi accipientes arcā Iehovæ impoſuerunt eam plauſtro, vt deportetur ad Iſraelitas. Impoſuerunt ſimiliter Iſraelitæ arcam Dei plauſtro novo, cum deportanda eſſet Iebuſum. Perimitur Huzza in itinere quia non ſecundum ritum ſuum, ſed idololatrarum id fecerunt. *Quia principio vos non feciſtis hæc irrupit Iehova Deus noſter in nos quum non requireremus eum ritè,* ait David Levitis, 1. Chron. 15. 13. Aquinas ait, quod adoratio ad occidentem introducta fuit in lege ad excludendam idolatriam, nam omnes Gentiles in reverentiam Solis adorabant ad orientem, & probat ex Ezech. 8. Quid omnes ritus legis ceremonialis niſi ſeptum intergerini parietis quo dirimebantur Iudæi à Gentibus. Æquitatem huius legis viderunt Chriſtiani veteres. *Nobis quibus Sabbata extranea ſunt, & Neomenia & feriæ aliquando à Deo dilectæ, Saturnalia & Ianuariæ & Brumæ & Matronales frequentantur, munera commeant, ſtrenæ conſonant, luſus, convivia conſtrepunt*

De Monach cap. 40.

Cap. vit. Baruch.

1. 2. qu. 102. art 4. ad 5.

De Idololatr. c. 14.

strepant. O melior fides nationum in sectam suam quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecosten! etiamsi nossent, nobiscum non communicassent, timerent enim ne Christiani viderentur. Nos ne ethnici pronunciemur, non veremur. In libro de oratione, cum reprehendisset quosdam, qui non nisi ablutis manibus orationem obirent, addit, *Sed quoniam vnum aliquod attigimus vacuæ obseruationis, non pigebit cætera quoque denotare, quibus meritò vanitas exprobranda est, siquidem sine vllius aut Dominici aut Apostolici præcepti authoritate fiunt. Vt est quorundam positis penulis orationem facere. Sic inim adeunt ad idola nationes.* Et infra, *quod assignata oratione mos est assidendi quibusdam, &c. Quem morem hic impugnet, non perinde constat,* inquit Pamelius, *propter verba illa,* assignata ceu transacta oratione, *& illa,* cum adorassem & sedissem. Sed qualiscunque fuerit mos, vacuis obseruationibus annumerat, & à more gentilium contra ritum istum sic argumentatur. *Porrò cum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola sua celebratur,* Concil. 2 Brachar. decretum *ne obseruationes agerent Calendarum vel lauro aut viriditate arborum domos cingerent*, addita ratione ista, *quia omnis ista obseruatio Paganismi est.* Concil. Toletano. 4. *In temporibus verò reliquis 1. Calendis Ianuarij quæ propter errorem Gentilium aguntur, omnino Alleluia non decantabitur.* Melchiades Papa constituit, *Vt die Dominico & quinta feria jejunium nullus fidelium ageret, quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrant.* Vide Caranzam in summa Conciliorum, pag. 40. Veteres huius legis æquitatem extenderunt, & non solùm cum ethnicis, sed etiam cùm hæreticis omnem conformitatis speciem vitandam judicabant. Cum constituissent Manichæi diem Dominicum diem jejunij, Christianis itidem non faciendum iudicabat Augustinus. *Die Dominico ieiunare scandalum est magnum, maximè postquam innotuit hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ipsum constituerant ad ieiunandum tanquam legitimum diem.* Ex Concilio Martini Papæ, *Si quis Presbyter propter publicam pœnitentiam à sacerdote acceptam absque aliqua necessitate die Dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichæi, anathema sit.* Concil. Toletanum 4. ca. 5. *Propter vitandum autem schismatis scandalum vel Hæretici dogmatis vsum simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.* Concilio Bracarensi primo decretum est vt *Quicunque in Clero cibo carnium non vtuntur, pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis vel olera cocta cum carnibus tamen prægustare cogantur.* Bellarminus dicit Epiphanium in fine librorum contra omnes hereses recensuisse ceremonias ecclesiæ vt indicaret quasdam veluti notas quibus ecclesia ab omnibus sectis discernitur. Suarez etiam dicit diligenter vitare ecclesiam in

Marginal notes: Cap. 11. — Can. 73. — Can. 10. — Epist. 86. — Decret. part. 3. dist. 30. cap. 17. — Can 32. — De effect. sacr. l. 2. cap. 31.

in huiusmodi ceremonijs & observantijs omne consortium & apparententem similitudinem cum Iudæis vel alijs infidelibus, vt colligitur ex Augustino epi. 119. & Epiph. lib. 3. cont. hæreses in fine. Vt in militia tesserarum militarium communio parit [illegible] & confusionem, sic inter Ecclesiam orthodoxam & hæreticam communio rituum. Præterea præcipit Deus, ut Israelitæ destruerent loca illa in excelsis montibus & singulis collibus & sub quaque arbore virenti, ubi gentes coluerunt Deos, ut diruerent altaria, confringerent statuas, lucos comburerent igne, sculptiles Deos earum succiderent, & efficerent ut periret memoria eorum, Deut. 12 23 ne audiretur nomen deorum alienorum in ore eorum Exod. 23 13 quod observarunt pii Psal. 164 Hosch. 2 17 Iehoshue 23. Vide reformationem Ioschijæ 2 Reg. 23 abolevit omnia instrumenta idololatriæ & idolothyta. Æquitatem hujus præcepti viderunt veteres Christiani. Tertullianus in libro de Idololatria idololatriæ affines facit idolorum fabricatores, etsi non colant, & artifices etiam, qui templum, aram, ædiculam eis extruxerit, si bracteam expresserit, aut insignia, aut domum ejus fabricaverit, item ludimagistros aliosque, quos literarum professores vocat, *quibus necesse est Deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enunciare, tum solennia festaque eorundem observare.* Nam *Si fidelis*, inquit, *literas doceat insertas idolorum prædicatione, sine dubio dum docet, commendat, dum tradit affirmat, dum commemorat, testimonium dicit. Deos ipsos hoc nomine obsignat, cum lex prohibeat, vt diximus, Deos pronunciari, & nomen hoc in vano collocari.* Vnde infert, *Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis aut formandis idolis administret, carere poterit titulo idololatriæ, nisi si aliud omnino interpretemur idolatriam, quàm famulatum idolorum colendorum.* Item, *Sed omnem adflatum eius vice pestis etiam de longinquo devitemus, non in his tantum, quæ præmisimus, sed in vniversa serie humanæ superstitionis, sive deis suis, sive defunctis, sive Regibus mancipatæ, vt ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modò per sacrificia & sacerdotia, modo per spectacula & hoc genus, modo per festos dies.* Propterea non debere ait communicare sive habitu, sive victu, sive quo alio genere lætitiæ in festis & solennitatibus eorum. *Plures iam invenies ethnicorum fores sine lucernis & laureis, quàm Christianorum. De illa quoque specie quid videtur. Si idoli honor est, sine dubio idoli honor idololatria est.* Item. *Si templis renunciasti, ne feceris templum ianuam tuam.* In libro de corona militis, *Propterea Apostolus inclamat fugite idololatriam, omnem vtique & totam. Recogita sylvam, & quantæ latitant spinæ. Nihil dandum idolo, sic nec sumendum ab idolo. Si in idolio recumbere alienum est à fide quid in idoli habitu videri. Quæ communio Christi & Beliæ? & ideo fugite, longum enim divortium mandat ab idololatria,*

tom. 3. qu. 65. disp. 25. sect. 2.

Cap. [illegible]

Cap. 11.

Cap. 13.

Cap. 10.

Epist. ad publicol. 154.

lolatria, in nullo proximè agendum. Sic Augustinus. *Omnis honor idoli cum apertissima destructione subvertatur*. In re perspicua quid opus est multis ? Assumanus tantùm. At pontificii doctrina hæretica omnes qui unquam fuerunt, hæreticos superant, & idololatria ac superstitione ipsos ethnicos, panis crustulum adorantes, quorum caput Antichristus ille insignis, qui Romam Babylonem, fornicationum & adulteriorum matrem incolit, ex qua monentur fugere quotquot se saluos volunt.

Replicant adversarii se non eadem mente uti ritibus quibus Pontificii. Suprà distinximus, & distinctio est ipsius Suarezii, usum ceremoniarum judaicarum fuisse materialem, formalem, medium ceu mixtum, & non formalem solum sed mixtum partim materialem partem formalem damnari. Sic usus signi crucis materialis quomodo eo sæpius utitur artifex in opere suo, aut superpelliciei ad tergendas patinas, aut si libet etiam tegendam nuditatem pauperum, non damnamus, sed in cultu divino, quia ministri Antichristi Sacerdotes Baalis eodem vtuntur. Præterea ad eundem tamen finem non alium quàm illi referunt vtrunque & superpelliceum & crucis signum, cum consignant baptizatum. Quod verò aiunt se non intendere imitationem Romanensium, nihil est. Imitantur tamen cum ritum eundem, eodem modo, in eadem divini cultus parte observant. Quid imitationem definiemus, si ista imitationem non constituant. Pontificij imitantur Iudæos & Ethnicos, eorumque cultus ex Iudaismi & Paganismi ritibus conflatur, non tamen ethnicos aut Iudæos imitari se profitentur. *Licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros ritus & ritus Gentilium & Iudæorum, absolutè tamen maximum esse discrimen. Nam à fine & intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultum Dæmoniorum: nostri fiunt ad colendum verum Deum*, inquit Bellarminus. At ritus, quibus gentes coluerunt Deos suos, etiamsi ipsi exhibeantur, sunt illi abhominationi. Sic ritus Romanensium complures referebantur ad idolum illud panis transubstantiati in sacrificio missæ, inter quos numerant etiam sacras vestes. Alij etiam ad sacrum vsum sed superstitiosè vsurpati absque illa relatione, saltem relatione proxima in ipso actu ministerij sacrificij, vt cruci signum in baptismo vel confirmatione. Eiusmodi ritus omnes in cultu suo respuit Dominus. Imitatio in opere præcepto prohibetur, non solummodo eadem intentio quoad omnia. Si Israelitæ circumcidissent comam, aut barbam rasissent, & non animo imitandi ethnicos se id fecisse protestati fuissent, reos tamen violati præcepti fuisse negaturum neminem puto. Et ipsum etiam imitandi propositum arguit, quod dicant Formalistæ se retinere quosdam ritus Pontificiorum, vt eos lucrifacere possent & reducere in rectam viam. Ergo imitari intendunt, licet re-

De effect. sacram. cap. 32.

vera

vera istum lucrifaciandi finem solùm prætendant. Deus in dirigendis suis prudentissimus aliam præscripsit rationem, longe diversam, vt nempe ab omni gentium superstione & idololatria essent quantùm fieri posset, remotissimi. Nam species conformitatis, aut reservatæ reliquiæ superstitionis & idololatriæ illaqueant pios & confirmant idololatras in sua superstitione & idololatria. Gloriarentur Iudæi, vt sùpra dixit Constantinus, si viderint religionem nostram non posse subsistere absque illorum ritibus. Et Hieronymus ait Iudaicas ceremonias in Ecclesia Christiana retentas non efficere Iudæos Christianos, sed Christianos Iudæos. Augustinus secundū regulā illam à legislatore prudentissimo datam populo suo sic consulit. *Si quæritis, vnde vincantur Pagani, vnde illuminentur, vnde ad salutem vocentur. Deserite omnes solennitates ipsorum. Deserite nugas eorum Etsi non consentiant veritati nostræ, saltem pudeat paucitatis suæ.* Christiani orabant conversi ad orientem, sive ne viderentur Iudaizare, sive etiam ut conjicit Scaliger Elench. trihæres. cap. 20. *quia Christus à Prophetis vocatus est* ἀνατολή Luc. 1 78 *vt recte verterunt Septuaginta Ierem.* 23 5 Zach. 3 8 6 12 ubi *Hebraicè est tsemach* tamen Leo Papa contra incurvandi orientem versus morem sic scribit, *Abstinendum est ab ipsa huiusmodi specie officii, quam cum in nostris invenit, qui deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ, tanquam probabilem retentabit, quam Christianis & impiis viderit esse communem.* Quia eundem morem servabant ethnici, licet ab ethnicis, si illæ vera causæ supra dictæ, non sumpserunt, consultum tamen non putat eo uti, ne confirmentur in sua superstitione. Tertullianus objicientibus, *Sed idem nempe Apostolus alibi jubet, omnibus placere curemus, quemadmodum ego inquit omnibus per omnia placeo;* Respondet, *Nimirum Saturnalia & Kalendas Ianuariis celebrans hominibus placebat, an modestia & patientia, an gravitate, an humanitate, an integritate. Proinde, cum dicit, Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrificiam, numquid Idololatris Idololatres, numquid ethnicis ethnicus, nunquid secularibus secularis.* Non eadem tunc temporis ratio rituum Iudaicorum, qui quia imperati à Domino, erant cum honore sepeliendi, & ethnicorum ceu Idololatrarum, qui semper erant Deo execrationi. Sic jam Antichristi ceremoniis conformitatem non debemus. Quæ communio Christo cum Antichristo, Hierosolymis cum Babylone. Pontificiorum numerus indies auctus in Anglia per se arguit imprudentiæ commentum istud lucrifaciendi quod prætexunt, & solummodò prætexunt ut statim ostendemus. *Si verò diligimus,* inquit Bucerus, *Deum & Sospitatorem nostrum Iesum Christum ex toto corde, tota anima, & cunctis viribus à quo lex pendet omnis, si vt ex hac dilectione consequi necesse est, illud immensæ & immutabilis charitatis eius beneficium, quod se & in mortem pro nobis, &*

in

August. ep. 11.

De verb. Domin. ser. 6

Serm. 7. de Nativ. Dom.

De idololatria cap. 14.

Cap. 9. pag. 471 472.

in alimoniam nobis vitæ æternæ grati amplectimur, & , vt par est, suspicimus & adoramus, nihil sanè ad extremam reliqui facimus detestationem & severissimam profligationem omnis eius impietatis atque abominationis, quam Satan per Antichristos suos invexit contra hæc sanctissima mysteria: nihilque prorsus apud nos loci invenient vel retinebunt eæ res omnes, verba, & gestus, in quibus vel appareat esse aliquid tantis impietatibus affine, aut ad illa rapiantur (quanquam improbè & absque vlla data causa) harum suarum impietatum commendationem & picturam, nisi id existat ex iis rebus, verbis aut signis, quæ Dominus noster commendavit. Hæc Bucerus ad Anglos in censura liturgiæ Anglicanæ.

Dixi *sive ab Antichristo, sive ab aliis excogitatos, sed ab Antichristo pollutos vel magis pollutos, & vsurpatos.* Sunt quidam ritus ab Antichristo adulto instituti & invecti in Ecclesiam, ut genuflexio in actu participationis Eucharistiæ, quæ mille annis ignota fuit Ecclesiæ, aliæ antè introductæ, ut crucis signum. Dicunt Formalistæ eos non ab Antichristo, à Pontificiis, à Romana Ecclesia, sed à patribus, ceu à primititiva Ecclesia, ritus suos accepisse. Respondeo primo, non omnes ritus Anglicanos à Patribus descendisse. Nam eorum geniculatio in sacra cœna, ut dixi, nunquam nota fuit Patribus, aut Ecclesiæ ante transubstantionis monstrum natum & jam adultum, ut suo loco capite sequenti videbimus. Et de vestibus Walafridus Strabo tradit per incrementa auctas esse. *Vestes etiam Sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti, Missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur*: & sic pergit enarrando, quomodo Stephanus, Sylvester, alijque Pontifices hanc vel illam vestem introduxerint. Sed sint vestes adeo vetustæ, ac signum crucis quod Tertulliani ævo fuit in vsu, & similiter omnes aliæ ceremoniæ Anglicanæ, non tamen à patribus, sed ab Ecclesia Romana immediatè acceperunt. Antichristus enim eos ritus & ceremonias omnes conservavit, quæ alioquin fortè perijssent, & in desuetudinem abijssent, nisi ille coluisset, auxisset, & lucem evangelij qua earundem vanitas & superstitio discernenda, suppressisset. Præterea Antichristianismum ipsi patres introduxerunt. Apostolorum ætate peragebatur mysterium iniquitatis. Natus patrum ævo & ab ijs educatus. *Sublatis Apostolis nullum seculum, imo nullus fere annus aut dies fuit, in quo non additum est aliquid ad Antichristianismum & Apostasiam, donec tandem ad ἀκμὴν & ἀκμὴν Christi ventum sit.* Natus tum fuit Antichristus sed vagientem in cunis & mysterio involutum non observarunt. Liber Apocalypseos liber signatus septem sigillis intus & foris, quæ nemo poterat solvere, inquit Pererius in Apocalyps, cap. 5 & hoc commune est prophetijs, vt obscuræ sint donec impleantur. Putarunt patres oriundum

De rebus Eccl. ca. 24.

Whitak. de pontif qu. 5 pag. 654.

oriundum è tribu Dan & regnaturum tribus annis cum dimidio, cum tamen ipsi in sinu suo foverent catulum. Præterea *veteres Ecclesiæ Christianæ Pastores plus æquo se voluerunt, tum Iudæis tum ethnicis accommodare: quod existimarent eos ad Evangelium citius allectum iri quibusdam ceremoniis, iisque apud utrosque familiaribus, quàm si adhærescerent puræ simplicitati à Christo institutæ, & in eius verbo comprehensæ. Vnde multæ ceremoniæ in Ecclesiam irrepserunt. At experientia declaravit Deum non benedixisse huic consilio: tandem enim homines omisso spirituali Dei cultu exteriora prorsus amplexi sunt.* Sadeel cōtra Monachos Burdegalens. art. 13. pag. 98 in 8 Tilenus in syntagmate de patribus eadem scribit. *Cæterum multi magnum operæpretium facere sibi visi sunt, dum ethnicos ritus tanquam hostium manubias in Ecclesiam transferunt: quod humanæ & carnalis prudentiæ consilium Pontificii non solum reprehensione & culpa vacare putant, sed etiam laudibus ornare sustinent Baron an. 57 sect. 108 & 601 S. 22 &c.* Pars. 2. disp. 6. thes. 33. *Quidni etiam Aaronis ex Ægyptio auro vitulum conflantis factum probaverint quod tam gnaviter æmulentur.* Idem ibidem dicit patres in paræneticis & demogoricis, hyperbolis & Rhetorum pigmentis lusisse, in agonisteis & eristicis tam impotenter & incautè nonnunquam effervescere, ut dum quidvis undeunde ad caulæ suæ præsidium rapiunt, nimioque impetu ad prosternendum adversarium rapiuntur, ipsosmet in contrarii erroris foveam aliquando ruisse præcipites. 16 *Sed & in ipsis exegeticis scriptis frequentes hallucinationes ex linguarum ignoratione, & incommoda ac vitiosa bibliorum versione, qua plerique usi, potissimum obortæ cernuntur: cuiusmodi vitiis cum vetus Psalmorum translatio maximè scateat: frustrà est profectò; quisquis genuinum eorum sensum per expositionum tubulos derivari potuisse putas ab iis, qui ex tam turbido & cœnoso rivo hauserunt.* Thes. 18. Rursus tam in demogoricis quàm in exegeticis plerosque nodos in scirpo quærentes immodicè indulsisse allegoricis, anagogicis, & tropologicis, quas vocant, expositionibus, fastidita simplicitate textus & sensu historico. 29 Doctrinam Theologicam flosculis Rhetorum & tam variorum pigmentorum mirotheciis propemodum obruisse, ut non facilè à quovis erui, & ad ædificationem transferri posset; 30 dogmata etiam ex philosophorum scholis præsertim ex platonis Academia, nonnulla etiam ex Zenonis porticu introduxisse & civitate donasse. 31 Qua fronte igitur audet Virum illum clarissimum piæ & fœlicis memoriæ Th. Bezam contumelia afficere ob liberam suam censuram de Patribus, eorumque conciliis. *Si optimis etiam temporibus ea fuit Episcoporum ambitio, futilitas, ignorantia, ac multorum etiam apertissima ac desperatissima improbitas, ut Satanam planè cœtibus eorum præfuisse, vel ipsi cæcissimi perspiciant:* quemadmodum, inquit, *absque rubore vociferatur* Beza. Epi. ad Lect. Ante notas in Canones Synod. Dordrac. Quid ais? *absque rubore vociferatur.* Perfricuisti frontem? Probat duobus locis Nazianzeni, & probare dicit temporum histo-

historiam. Non omnibus sed multis desperatissimæ improbitatis notam inurit. Et in conciliis majori parte, quæ sæpius vincit saniorem, horum futilitate, illorum ignorantia, aliorum improbitate, fretus Satanas Antichristi regnum & mysterium iniquitatis promovebat. Nonne ignorationem linguarum & futilitatem patrum in exegeticis, affectuum impotentiam in agonisticis, κακοζηλίαν paganismi in ritibus, errores, imprudentiam, strophas, pigmenta ad ædificationem non juvantia ipse olim agnovisti, & in disputatione de Conciliis, gravissimas calamitates Ecclesiæ importatas fuisse ab iis qui speciosis Episcoporum ac doctorum titulis sese venditarunt. Episcoporum ambitionem, contentiones ob προεδρείαν, Athanasii aliorumque sanioris judicii damnationem in Conciliis, tumultus, & excitatam persecutionis procellam in pios veterum monumenta & historiæ non dissimulant, etiam ætate illa florentissima quartæ centuriæ. Sub ethnicis etiam imperatoribus ambitionis morbo laborabant Episcopi, ut ex testimoniis Origenis, Eusebii, Irenæi constat, quorum quædam suprà capite secundo & quarto attulimus. Concilium ipsum Nicænum omnium celeberrimum volebat legem novam in Ecclesiam introducere, ait Socrates, ut qui essent sacris initiati, cum uxoribus, quas duxerant cùm laici, non dormirent; Nisi unus restitisset Paphnutius doctrinam dæmoniorum introduxisset, & gradus Hierarchiæ stabiliuit, quibus ascenderet Antichristus in solium suum. Non potuisset ascendere in tantum fastigium nisi per Conciliorum canones & authoritatem primus patriarcha constitutus esset. Et Satanam in filio perditionis formando & educando segniorem fuisse credemus? Salmeron Iesuita ait Doctores juniores perspicaciores fuisse veteribus. Dominicus Bannes in 2 2. Summæ Aquinatis hæc habet quæst. 1 art. 7 conclusione secunda, *Non est necesse, ut quanto remotior fuerit Ecclesia à tempore Apostolorum, tantò sit in illa minùs perfecta, cognitio mysteriorum fidei. Hæc conclusio probatur, quia post Apostolorum tempora non statim fuerunt in Ecclesia viri doctissimi in rebus fidei intelligendis, & explicandis dexteritatem habentes.* Et conclusione tertia asserit *succedentibus seculis quædam uberiùs & subtiliùs à posterioribus Ecclesiæ Doctoribus pertractari, quàm fuerant à prioribus definita.* Quælibet ætas suam mensuram habet, ut bene observat Parkerus, & ætatum insuper antecedentium mensura fruitur, & ipsorum Pontificiorum testimoniis, Andradii, Bonderiani &c. probat Deum plura ætati nostræ revelasse, plura ad veritatem eruendam media largitum esse, omnia hoc sæculo renovata, literaturam quasi denuo renatam. Linguarum cognitione politiore & cultiori hujus & superioris sæculi doctores omnium superiorum doctores antecellere, quis negabit; Non jam habemus tam turbidos & cœnosos vitiosarum translationum rivos quàm veteres.

Lib. 1. cap. 8.

Comment. in Romam. 5. disp. 41.

Tom. 2 qu. 1 art. 7.

De politia Eccl. lib. 2

Quàm

Quàm in ritibus & ceremoniis prudentes fuerunt Patres, vel ex unius baptismi ritibus judicare possumus, gestu salis, exufflatione, unctione chrismatis, cereo accenso, veste candida, delibatione lactis & mellis ceu vini. *Missam facio Augustini & Innocentii sententiam (quæ ex falsa expositione Ioh. 6. 63 Nisi manducaveritis) sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia Eucharistiam etiam infantibus necessariam,* ait Maldonatus in Ioh. 6. 53 vide Mortonum in Apologia 1 part. cap. 23. Pudet ipsos Pontificios huius ritus dandi Eucharistiam infantibus eosque confirmandi. Qui se imitari Patres dicunt, profitentur se eodem morbo laborare imprudentiæ quo illi κακοζηλίας Iudaismi & Paganismi, eorumq; hallucinationes & ineptias venerari. Sed an imitantur isti patres, qui regimen Ecclesiæ Hierarchicum quale fuit 200 ab hinc annos sub Papatu patribus nunquam notum nempe per Episcopos secluso Presbyterorum Senatu, & per eorum Cancellarios, Archidiaconos, Officiales retinent. Qui regimen Ecclesiæ, geniculationem in cœna aliaque ipsius Antichristi adulti excrementa ab Ecclesia Romana, etiam omnes alias suas ceremonias, quas retinent, acceperunt. Antichristus erat futurus, ut ait Lutherus, Rex potens pompis & ceremoniis. Pro Domino ceremoniarum se gessit, cum veterum ceremonias alias rejecit, alias retinuit, alias adjecit. Dicant mihi Anglicani, num retinuissent easdem veterum ceremonias quas Romanenses, si Pontifex Romanus illas repudiasset, aut abiissent in desuetudinem sæculis superioribus. Atque hæc de ceremoniis, quæ etiam à patribus ortæ per se vitiosæ erant. Dico præterea abstinendum nobis esse etiam ab iis ritibus qui patribus Adiaphori, ab Antichristo postea superstitione, cultus, meriti, necessitatis opinione inquinati, modò non sint usus necessarii. Habet istud principium Theologicum Zanchius in 4 præceptum. Quòd etiam adiaphora abusu & superstitione polluta sunt tollenda & exterminanda ex Ecclesiis. Et Epistola ad Reginam Elizabetham, *Neque enim honestum est, ut quæ in Dei contumeliam usurpata diu fuerunt, si res sunt per se ἀδιάφορα ea in Ecclesia, cum discrimine etiam salutis piorum retineantur.* Epist. lib. 1. pag. 431. Probatque exemplo Ezechiæ. *Serpens æneus, qui institutus fuerat à Deo, & quidem ad salutem Israelitarum, per pium Regem Ezechiam, quia illo contra Dei verbum abutebantur Israelitæ sublatus est, & ab hoc facto summè laudatur Ezechias, quod illum scilicet serpentem redegerit in cineres, eosque in profluentem, ne ullum unquam extaret eius vestigium, proiici jusserit.* Quanto magis res & ritus Adiaphori ab hominibus instituti cum vergunt in superstitionem vel alios abusus. Agapæ initio, ut sentiunt quidam, in conventus Christianorum introductæ charitatis exercendæ ergò. Utilis iste finis, & tamen sublatæ sunt, ac ut suprà vidimus, cum anathemate eas revehere in Ecclesias prohibitum. Omnium maximè

De cruce part. 1 p 75

res adiaphoræ, cum fiunt idolothyta Antichristi, omittendæ sunt, quia ab idolothytis cavendum est. Eleganter Parkerus, virginem ducere oportuisse sacerdotem Domini, & animal offerre quod nunquam jugum tulit, sic virgineos ritus velle dominum, qui ab Antichristo nunquā inquinati, nec sub illius iugo unquā ararunt, Non dicit Ezechias, restituam serpentem æneum ad pristinum usum, ut sit monumentum Israelitis, auferam abusus, & providebo ne in posterum populo sit scandalum, sed simpliciter sustulit, & in pulverem comminuit. Nulla igitur injuria afficimus Patres, cum res eorum adiaphoras abusu & superstitione postea pollutas rejicimus, magis quàm Mosem Ezechias. Si igitur ulla ceremoniarum de quibus inter nos & Formalistas ceu Conformitanos controvertitur, fuisset primo instituto adiaphora, tamen quia ab Antichristo polluta superstitione & abusu, rejiciendam existimamus. Sed nullas novimus ejusmodi ceremonias quas nobis obtrudunt, quin ab initio superstitionis suæ maculam habuerunt, tum cum à patribus institutæ. Non magis licebat patribus primitivæ post Apostolos Ecclesiæ, quàm patribus Ecclesiæ hujus sæculi ceremonias symbolicas instituere, & alias ineptias in Ecclesiam invehere. Tilenus patrum appellatione ὑπεροχικῶς sumpta Pastores omnes quocunque sæculo vixerint cohonestari posse non negat. Authoritate pares sunt, an dono linguarum & interpretationis scripturarum inferiores sunt hujus sæculi patres? *Si canalis aquam ducens qui copiosè priùs & largiter profluebat subito deficiat, nonne ad fontē pergitur, vt illic defectionis ratio cognoscatur,* inquit Cyprianus. *Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina servantes, vt si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas ad originem dominicam & Evangelicam & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio vnde & ordo & origo surrexit.* Et ad Cæcilianum, *Religionī nostræ congruit, & timori & officio Sacerdotii nostri custodire traditionis Dominicæ veritatem: & quod prius videtur apud quosdam erratum, domino monente corrigere, vt cum claritate sua & maiestate cœlesti venerit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit.* Vides Cyprianum recipere se ad sacram scripturā & defugere authoritatē veterum, etsi inter veteres ipse vir primarius & Apostolorum sæculo aureo successerit centuria annorum tertia.

Syntagm. part. 1 disp. thes. 3.

Ad Pompeium contra epistolam Stephani.

Li. 2 epist. 3.

Dixi *modo non sit earum rerum vsus necessarius*, quia si usus sit necessarius licitè iis vti possumus. Quid? inquiunt Formalistæ, nulla re utendum, quam abusu & superstitione polluit Antichristus. Ergo etiam ipsa sacramenta auferenda, nam ea etiam polluit. Templa alia extruenda, quàm quæ sub papatu erant sacrificio missæ aliisque superstitionibus polluta. Pontifices Romani sine bonis legibus quod politicum & externum ordinem attinet, non potuissent firmare suam tyrannidem, inquit,

Sara-

Saravia. Respondeo, divina instituta non sunt Antichristi sed Ecclesiæ. Antichristus est possessor malæ fidei, ut fur gemmæ furto ablatæ. Quæ sunt divina, non accipimus ab Antichristo sed vendicamus, cuiusmodi sunt sacramenta. Excepit suprà Bucerus res, verba, aut signa, quæ Dominus noster commendavit. *Hæc enim, ut nulli nobis vitiare potest hominum perversitas: ita nec propter illorum abusum intermittere debemus.* Sunt adulterata & vitiata verbum & sacramenta à Pontificiis, nos tamen non ab illis vitiatam veritatem, sed ex ipsis fontibus puram haurimus. Quod ait Saravia non potuisse Romanum Pontificem sine bonis legibus firmare suam tyrannidem, quod politicum & externum ordinem attinet, verum; sed verum etiam quod idem subjungit. *Inter latrones non potest retineri societas, nisi natura quas docuit societatis conservandæ leges observentur. Antichristus πολιτικὸς & filiis lucis prudentior ex ipsius naturæ & divinarum institutionum fontibus hausit multa non modo utilia sed prorsus societati humanæ necessaria.* Nos ex iisdem fontibus scripturæ, & naturæ principiis institutiones ordinis & decori haurimus, non ab Antichristo accipimus magis quàm à latronibus leges boni ordinis. Communia sunt nobis naturæ principia non illorum propria. Nos de ceremoniis & ritibus sacris, non natura ducente aut scriptura docente institutis, sed ex mero hominis placito & arbitrio proficiscentibus agimus. Coronariis, ut vocat Tertullianus, objicientibus, *Sed cur maior exigitur ratio Christianarum observationum, cum illas etiam natura defendit, quæ prima omnium disciplina est.* Respondet, naturam ipsam præscribere coronam ex floribus capiti non convenire. Applicationem firma sit necne, non nunc disquiremus, sed cum putasset se probasse, infert. *Quæres igitur Dei legem habens communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare: ut cum in velamine fœminæ: Nec natura vos, inquit, docet? Ut cum ad Romanos: natura facere dicens Nationes ea quæ sunt legis & legē naturalem suggerit & naturalē legē.* Objicientibus, Mercurii literas enarravisse necessarias & cōmercii rebus & nostris erga Deum studijs, primum medelas Æsculapium exploravisse, Minervam navem primam molitam. *Si & uniuscuiusque supellectilis & singulorum vasculorum aliquem ex Dijs sæculi auctorem nominaris agnoscam necesse est, & recumbentem in lectulo Christum, & cum peluem discipulorum pedibus offert, & cum aquam ex urceo ingerit & cum linteo circumstringitur propria Osiridis veste. Huiusmodi quæstioni, sic ubique respondeo, admittens quidem utensilium communionem, sed provocans eam ad rationalium & irrationalium distinctionem, quia passivitas fallit obumbrans corruptelam conditionis, qua subjecta est vanitati. Dicimus enim ea demum & nostris & superiorū usibus, & Dei rebus, & ipsi Christo competisse, quæ meras utilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessa-*

Defens. c. 23. sect. 28.

Censura c. 9.

Sect. 28.

Sect. 31.

De corona militis cap. 5

Cap. 6.

Cap. 8.

rijs necessitatibus vitæ humanæ procurent: vt à Deo inspirata credantur, propiore prospectore, & instructore, & oblectatore, si fortè hominis sui. Quæ verò hunc ordinem excesserint, ea non convenire vsibus nostris, nec Dei rebus, nec in conversationibus Christi recognosci est. Sic ad illud quod de templis objiciunt, respendemus ea esse, vt Tertullianus loquitur, instrumenta exhibitionis humanæ, meras vtilitates, certa subsidia & honesta solatia necessitates vitæ humanæ procurantia. Nam templis vtimur non vt rebus sacris aut consecratis, sicut fuit templum Hierosolymitanum, & sicut ijs vtuntur Pontificij propter ordinem quem habent ad corpus Christi in sacrificio missæ, reliquias & imagines sanctorum, sed ad subsidium vitæ humanæ vtile & necessarium, nempe vt propulsent iniurias cœli & aeris, dum colimus Deum, & hic vsus civilis est. Idcirco Pontificij existimant nostro vsu pollui & prophanari templa, eaque non converterent ad vsum cultus sui idololatrici absque reconciliationis, vt vocant, ritibus. Deus jussit populum suum diruere fana, delubra, & ædes sacras in excelsis, quia vnicum volebat templum sacrum, in quo illi sacrificandum esset. Ne igitur illi templo derogarent, alia dirui voluit. At nunc nullum templum ex Dei instituto sanctum est, & quod institutione humana consecratum, non amplius vt consecrato & sancto vtimur. Liberum enim existimamus deum colere sive in templis sive extra templa, vti templis vel commutare cum prætoriis aliisve publicis ædificijs. Templa quatenus sunt ædificia non sunt inventa Anticristi, sed eodem naturæ lumine extructa, quo alia ædificia tum publica tum privata. Quæstio nostra est de rebus aut ritibus sacris num licet addere rebus aut ritibus sacris à Deo institutis. Templis autem vtimur, non ut rebus sacris aut sacrum quid significantibus, sicut sacerdos superpelliceo. Parkerus revocat ad 4 capita res omnes idololatrarum quarum vitium & abusus purgari possit. Primæ Classis sunt, res idololatrarum non idololatricæ, quarum lege Mosaica per aquam aut ignem purgatarum vsus erat licitus, Num. 31. 23. vt vestimenta leprosi non leprosa aqua abluenda, Levit. 14. 8. Secundæ Classis sunt res idololatrarum idololatricæ, sed quæ statum non habent in cultu idololatrico, vt fons aquæ vnde aqua hauritur ad ministerium idoli, Sol in firmamento, quem adorarunt ethnici. Nam alia ratio Solis alia imaginis aut symboli, sine sit ignis Persarum, sive humana effigies, colossus, aut aliud quid simile. Tertiæ Classis sunt, quæ habuerunt in cultu idololatrico statum, tamen quia à Deo inspirata sunt, & eorum vsum licet non eundem licitum esse & durabilem. Inspirata à Deo secundum Tertullianum dicit ea, quæ procurant meras vtilitates, certa subsidia, honesta solatia necessitatibus humanæ vitæ. Quartæ Classis sunt Dei instituta, cujusmodi sunt sacramenta quæ ita vitiare nulla perversitas homi-

num

num poteſt,quin eiſdem vti teneamur. Revocari tamen poſſunt ad Dei aut naturæ inſtituta & dona. Nec ſuperpelliceum, nec crucis ſignum ad vllam iſtarum claſſium revocari poſſunt.

Ex dictis igitur ſequitur ritus Pontificios non adglutinandos aut aſſuendos ritibus a Deo ipſo inſtitutis, etſi ab ipſis non primum excogitati,ſed prima inſtitutione adiaphori fuerunt, ab ipſis vero ſuperſtitione & abuſu polluti. Nam ſi primo inſtituto adiaphori, liberi ſunt, ſi liberi, cur ultro iugum trahimus cum idololatris. Si vſus earum rerum fuerit neceſſarius ad vitæ humanæ ſubſidium, vt à Deo inſpiratas, aut natura ducente & neceſſitate vitæ humanæ cogente accipimus. Sed ad cultum divinum nihil neceſſarium poteſt excogitari ab hominibus, nec ab Antichriſto unquam excogitatum eſt. Quæ in hunc uſum inſpirata à Deo ſunt, nobis tradita ſunt ſcriptis per ſpiritus ſancti amanuenſes. *Quale igitur habendum eſt apud homines veri Dei, quod à Candidatis Diaboli introductum, & ipſis à primordio dicatum eſt, quodq; jam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, & idolis adhuc vivis?* Huius generis eſt geniculatio in euchariſtia. Pudetne Formaliſtas clamitare religionem abſque ceremonijs nudam & incultam, & ritibus, quibus etiam Pontificij utuntur, ornandam. Primo ſomniant quid turpe & deforme in religione, quæ in ſe pura eſt & immaculata, ſua puritate & ſplendore Adamo in integritatis ſtatu ſimilior quàm Adamo peccatori, quæ veſtimentis non eget, ſed obvelatur & obſcuratur potius veſtibus ceremoniarum ab hominibus inſtitutarum. *O bone Jeſu*, inquit Thomas Waldenſis, *Nunquid videbantur redarguendi diſcipuli, quibus mandaveras adducere tibi aſinum & pullum, quia ſuperaddebant juſſis tuis decentem ſeſſionis ornatum, imponentes ſuper eos veſtimenta ſua, & teipſum deſuper ſedere fecerunt.* Quid ais, aſine? Religionem virginem pulchram aſino aut pullo aſinæ aſſimilas? Si hac ſimilitudine ludere liceat rectius Hermannus Hamelmannus eam accommodat. *Chriſtus non opus habet iſta externa ſapientia in ſuis ſacramentis. Venit pauper ſedens in aſina ad filiam Sion, in quo adventu noluit aliquam exornationem, ergo non vult quoque illam in ſuis ſacramentis.* Iunius expendi petit ab ijs qui ſimplicitatem myſteriorum Chriſti circumveſtiendam putant humanis traditionibus quas repudiat Chriſtus, primùm, qua auctoritate quove exemplo adducti, id ſentiant. Deinde in quem finem, *Si vt honeſtoria ſint omnia quid ſimplicitate Chriſti honeſtius? quid honeſtate ſimplicius?* Cultus divinus eſt ſimilis mari vitreo coram throno quod pellucidum eſt, non corpus opacum aut ceremonijs velatum. Præterea cur ornamenta meretricis Babylonicæ anus fronte rugoſę conquirunt ad ornandã ſponſam Chriſti, etiamſi ornamẽtis vllis opus eſſet? *Quid ſibi obſecro voluit Deus*, inquit Zanchius, *quum vetuit ne araretur bove & aſino, & vetavit, ne idẽ ager diverſa ſereretur ſemente, & ne quiſpiam veſtiretur veſte*

Tertul. de coron. milit. cap. 7.

Præfatio in doct. in. de ſacramentalibus.

De tradit. part. 1. l. 4. col. 373.

Eccleſ. l. 3. cap. 5.

Epiſt. ad Reginam Elizab.

ex lana & lino contexta? Res est Deo odiosa & execrabilis, si idem agere Domini colatur ab Episcopis impijs simul & pijs; si in eadem Ecclesia cum doctrina Evangelij doctrina etiam Papistica doceatur, si denique sacramenta, ceremoniae, & ritus ex Apostolicis & Papisticis conflati usurpentur; & ijs ceu veste ex lana & lino confecta Ecclesia vestitur. In eo deceptus Zanchius, si senserit Episcopos ullos posse esse pios, qui ecclesia invita episcopatum invadunt, aut Anglicanos ullos ceremoniarum Pontificiarum hostes esse, cum praecipui sint actores in persequutione ob ceremonias, & episcopatus sui authoritate pij scilicet episcopi ecclesiam opprimunt. Sed quod ait ceremonijs ex Apostolicis & Papisticis conflatis, ceu veste ex lana & lino confecta, non vestiendam ecclesiam rectè monet. De ornatu mystico & sacro iam agimus, nam de ordine & decoro civili suo loco dicemus.

Etsi liceret res & ritus sacros Pontificiorum addere rebus & ritibus sacris divino iure institutis, non tamen expedit, quia ad vitandum scandalum abstinendum est ab omni specie mali.

Intendere ruinam spiritualē proximi aut dispositionem ad ruinam quovis dicto aut facto, vel per se malo, vel quod speciem habet mali peccatum esse & formaliter scandalū nemo negabit. Nam intendere ruinam spiritualē proximi Diabolicum est. Sed de ista formalitate metaphysica solum non loquitur scriptura, cum monet vitandum scandalum, his verbis Vae ijs per quem scandala veniunt. Tribus modis ponimus offendiculum coram proximo. Primò, cum directè intendimus illum finem, nempe ut impingat vel ruat in errorem aut peccatum. Secundò, cum inducimus consilio nostro aut opera ad actum malum non peccati ipsius sed nostrae libidinis causa. Tertiò, cùm incuria & negligentia nostra committitur dicto aut facto peccatum, vel actus mali speciem habens coram proximo. Primo modo scandalum committitur, & ex genere operis & ex intentione perversi finis. Secundo & tertio, ex conditione operis non intentione operantis. Ad conditionem operis, vt sit inductiuum ad peccandum, non est necesse vt sit per se malum. Sat est, si habeat speciem mali. *Scandalum activum semper est peccatum in eo qui scandalizat, vel quia ipsum opus quod facit est peccatum, vel etiam, si habeat speciem peccati, dimittendum est semper propter proximi charitatem, ex qua vnusquisque tenetur saluti proximi providere, & sic qui non dimittit, contra charitatem agit,* inquit Aquinas. Item, *Dictum aut factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi, vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis malo suo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam si ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publicè facit peccatum vel quod habet*

2. 2. qu. 43. art. 2.

Art. 1.

habet similitudinem peccati. Et tunc ille, qui huiusmodi actum facit, propriè dat occasionem ruinæ, unde vocatur scandalum activum. Per accidens autem, aliquod verbum vel factum unius est alteri causa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis aliquis malè dispositus ex huiusmodi opere inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis aliorum. Rectè ergo Scholastici definierunt scandalum dictum aut factum minus rectum præbens occasionem ruinæ. Nam quando dictum aut factum non est per se malum, si tamen mali speciem habet, est minus rectum, quia inordinatè fit. Nam si ordinatè quid fieret, non induceret ad peccandum. Species mali inducit ad peccandum. Ergo dictum aut factum speciem mali habens, etsi non haberet aliam moralem malitiam per se est minus rectum, & scandali malitiam habet. *Nam prima differentia actus moralis est bonum & malum. Ergo illud, quo per se primò actus efficitur malus, qui alias esset bonus, nisi fieret cum illa conditione obiecti, necesse est, quod sit specificans & determinans actum ad speciem, etiamsi non sit talis conditio per se intenta, ut v. g. si quis comedat carnes, quando sibi licitum esset comedere nisi proximus scandalizetur, tunc talis comestio, collocatur in specie scandali, quoniam non aliunde habet malitiam,* inquit Dominicus Bannes. His præmissis dico, quod ad vitandum scandalum pusillorum ceu infirmorum vitanda omnis species conformitatis cum synagoga Antichhristi, omniaque eius idolothyta, etiamsi aliàs per se licita essent. Nam si spiritualia bona minus necessaria sunt ad tempus occultanda aut differenda, multo magis adiaphora conspurcata & vitiata ab Antichristo. *Si de veritate scandalum sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quàm quòd veritas relinquatur,* ut ait Gregorius. *Sed dimittendum est propter scandalum omne quod potest prætermitti salva triplici veritate scilicet vitæ, iustitiæ, & doctrinæ.* ut ait Hieronymus. Gloss. ordinar. in Mat. 15. super illud, *Audito hoc verbo scandalizati sunt.* Sic si bona temporalia sunt permittenda propter scandalum, ut comedere carnes, multo magis sunt adiaphora inquinata ab Antichristo, quorum usus non est necessarius in cultu divino. Apostolus noluit suo iure uti metendo temporalia, cum seminasset spiritualia Corinthiis, cum videret sic interrumpi posse Evangelium. Signum crucis, superpelliceum, geniculationem &c. quis dixerit habere usum necessarium in cultu divino, aut temporalibus bonis, necessariis humanæ vitæ subsidiis comparanda, multò minus spiritualibus bonis, quæ sæpe ad tempus prætermittenda ad vitandum scandalum infirmorum. Episcopi tamen Anglicani & Scoticani pastores stipendiis, eorumque greges spiritualibus bonis privare malunt, quàm ceremonias illas vel excogitatas ab Antichristo, vel magis pollutas (nam semper aliquo modo pollutæ) omitti. Gravia sunt monita Apostoli de vitando scandalo, quæ illi susque de-

In 2. 2. qu. 43.

Homil. in Ezech. el. 9.

que habent. *Hic potiùs adbibite judicium, ut ne fratri proponatis πρόσκομμα ἢ σκάνδαλον quidpiam ad quod impingat aut offendat*, Rom. 14 13. Monet ibi, ut tum à graviori, tum à leviori offendiculo caveamus, sive omnino impediat, sive retrahat sive retardet & remoretur fratrem in via salutis. *Si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non jam secundum charitatem ambulas. Ne esca tua illum perdito, pro quo Christus mortuus,* v. 15 *ne cibi causa destrue opus Dei, omnia quidem munda, sed malum est homini τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι qui edens impingit*, v. 20 *Bonum est non edere carnes, neque bibere vinum, μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ neque* quicquam facere, *in quo frater tuus impingit vel offenditur vel infirmus est*, v. 21. *Videte ne quomodo potestas illa vestra offendiculo sit iis qui infirmi sunt* 1 Cor. 8. 9. *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri* 1 Cor. 8. 13. *Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est*, 1 Cor. 10 24 Infirmi fratres erant vel Iudæi vel gentiles conversi. Iudæi infirmi, de quibus Apostolus epistola ad Romanos, putabant discrimen ciborum lege Mosaica imperatum etiam in Christianismo retinendum. Hortatur firmiores fide, ut fraternè eos suscipiant, amanter instituant, patienter tolerent, ne sua libertate utantur cum offendiculo infirmiorum, eos tristitia afficiendo. Nam ne reprehenderentur, quasi judaizantes propter abstinentiã edebant fluctuante conscientia cibos quos putabant vetitos lege Dei, unde tristitia & dolor, vel firmiores fide aversabantur ut prophanos & gulæ deditos. Hoc utroque modo tristitia afficiunt fratres suos Episcopi. Nam multos inducunt, & cogunt ut reclamante conscientia induant superpelliceum, & consignent signo crucis, unde cruciatus in eorum conscientiis. Nam ut ait Apostolus. *Qui vero ambigit, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide*, Rom. 14. 13 id est lædit conscientiam, & peccati ac damnationis reatum incurrit. Alios, qui nec induci nec cogi possunt ad edendum, i. induendum, aut geniculandum &c. inducunt tamen suo exemplo & præcepto, ut sentiant eos prophanos, & nullo religionis sensu affici, sed sua quærere. Opus Dei id est fidem infirmam multorum destruunt, quantum in se est, & qui videbantur fratres jam recesserunt à nobis ad Pontificiorum castra Si in usu ciborũ lege Dei vetitorum prudentiam & charitatem requirat in firmioribus fidelibus, quantò magis requirimus nos in idolothytis antichristi, quæ Deus nunquam imperavit, sed contrà omnia idolothyta & idololatriæ instrumenta tolli & exterminari ex Ecclesia voluit. Corinthii firmiores fide libertate sua in esu idolothytorum, id est carnis immolatæ idolis infirmiores fide induxerunt, ut conscientias suas infirmas polluerent, dubitantes rectène an secus facerent, edentes ad exemplum firmiorum, & infideles in sua idololatria confirmarunt. Sed Apostolus

stolus ait, si esca facit, ut offendat frater meus, non vescar carnibus in æternũ. Apostolus dixit Bonum est non edere carnes nec bibere vinũ, neque quicquam facere, in quo frater impingat vel ruat. Episcopi & Formalistæ contra Bonum est edere carnes & bibere vinũ, curemus cutem, pereant Puritani, ruat vel impingat populus in Iudaismum cum Iudæis Romanensibus, in paganismum, cum Corinthiis infirmioribus id est in Papismum ex Iudaismo & Paganismo conflatum. Non sum ego custos fratris mei. Hæc negant verbis sed facta clamant. Dicunt primùm esse scandalum acceptum non datum, passivum non activum. At respondemus etiam scandalum passivum quandoque è medio tollendum, nempe si res ipsa non sit necessaria, etsi alioqui laudabilis. Serpens æneus erat monumentum à Mose pio instituto erectum, & tamen Ezechias contrivit & in pulverem comminuit, quia monumentum non necessarium, & jam populus nulla data occasione impingebat. Amiculum Gidhonis fuit tantùm monumentũ partę victorię, abusi sunt tamen eo Israelitæ ad cultum Idololatricum post mortem Gidhonis, fuitque familiæ ejus in tendiculam. Iud. 8 27. Præstitisset oriente abusu & scandalo passivo omnino sustulisse. Parkerus illustrat ista eleganti similitudine. *Qui vitiis nutriendis parcit, & favet ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors, quàm qui non vult cultrum puero rapere, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat vel extinctum.* Extant verba in decreto Gratiani 23 qu. 5. cap. 38. Simile habetur 22 qu. 2 c. 14 de eo, qui gladium sibi commendatum ab aliquo non reddit petenti si petierit, cum factus fuerit furiosus, ne se vel alium interimat. Principium est à natura inditum homini, Neminem lædendum esse. Hinc elicitur conclusio generalis. Nihil committendum esse quo quisquam lædi possit. Hinc rursus particularis determinatio legis judicialis Deut. 22. *Quum ædificabis domum novam, tum facies loricationem ad tectum tuum, ut reatum sanguinis non imponas domui tuæ.* Tecta Syrarum ædium erant ambulatoria. Opus igitur in ambitu repagulis ceu loricatione, ne quis caderet. Ex eodem principio orta alia lex Ex. 21 33 *quum retexerit quis foveam, aut quum foderit quis foveam, deinde non operuerit illam, ac ceciderit illuc bos aut asinus, Dominus foveæ rependito.* Idem sentiendum de periculo animæ, & proinde in lege ceremoniali similia præcepta servanda sunt. Si id quod mali speciem non habebat, ut Serpens æneus, sublatum tamen fuit, propter scandalum passivum, quanto magis quod mali speciem habet. Quia tunc non est solummodo passivum in impingente sed etiam activum in præbente occasionem ruinæ vel dispositionis ad ruinam. Idolothyta omnia habere speciem mali, & apta esse ad inducendum in peccatum fratrem infirmum constat ex 1 Cor 8 & 10. Nam quę ratio est carnis immolititiæ eadem est aliarum rerum

consecratarum. At crucis signum, superpelliceum, geniculatio in cœna, sunt idolothyta Antichristi. Dicunt se non intendere ruinam infirmiorum. Illud profitebitur nullus nisi Diabolus. Scandalum est in conditione operis, si non in intentione operantis. Qui committit adulterium non intendit spiritualem ruinam illius, qui cum committit adulterium sed tantùm ut libidini suæ satisfaciat, & tamen facto suo præbet occasionem ruinæ. Et dixi suprà quod non solum cum quis sciens prudens quid facit ex quo prævidet scandalum oriturum, sed etiam, cum incuria & negligentia id facit quod ex se aptum est ad inducendum ad peccatum, committit scandalum. Sed Episcopi non temere & ex incuria ac negligentia hic scandalum committunt sed deliberatè & multos jam annos, admonentibus fratribus, & pastoribus, & plangentibus, tum voce tum scriptis. Si igitur sola incuria Reverendi aut lata culor patres cultrum permittunt filiorum manibus culpandi tamen sunt propter latam culpam. Doceantur, inquiunt infirmiores, & de recto usu instruantur. In his spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis distinguit Aquinas, *quia scandalum quod ex eis*
2. 2. q. 43. art. 7. *oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona scandala concitando & hoc est scandalum Pharisæorum qui de doctrina Christi scandalizabantur, quod esse contemnendum dominus docet Mat. 13. Quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia & huiusmodi est scandalum pusillorum propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione huiusmodi scandalum cesset. Si jam post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse & sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia opera dimittenda.* Ex hoc loco Formalistæ habent effugium suum ad conservanda suum pseudoadiaphora, sed frustra. Nam illorum idolothyta non sunt bona spiritualia, ut actus docendi ceu prædicandi Evangelium, qui interdum occultandus aut differendus, ne sanctum detur canibus, ut monet Christus Matth. 7, sed ut ipsi profitentur (verùm ut simpliciores fallant nam maiori habent in pretio) adiaphora & conspurcata superstitione & idololatria. Talia non dicit occultanda aut differenda ob scandalum pusillorum, donec reddita ratione cesset scandalum. Secundo dicit occultanda aut dissimulanda, donec pusilli reddita ratione instructi scandalum non accipiant, at non illi occultant ad tempus & differunt usum idolothytorum, donec reddita ratione cesset scandalum pusillorum. Sed eadem opera urgent & usum ceremoniarum & informationem pusillorum. Prius sub pœna deprivationis, excommunicationis, carceris &c. & via præcepti; posterius frigidè & via consilii tantum, non sub pœna carceris, deprivationis &c. Interim pusilli cadunt in foveam. Dominus fo-

veæ

veæ rependit pro bove & asino, qui cecidit in foveam, & illi non rependent pro animabus, quas sanguine suo redemit Christus? Vasques ad testimonia quædam Patrum sic respondet pro imagini- *De adorat.*
bus. *Si absolutè illi loquantur, intelligendi sunt illicitam existimasse Dei* *l.2. disp.3.*
picturam & imaginem non ex se sed ratione periculi imperitæ multitu- *cap.4.*
dinis, quo cessante, (ut admonet Concil. Tridentinum) diligenti solicitudine, & doctrina pastorum manifestum est eas imagines iure damnari non posse. Ecclesiæ tamen reformatæ consilium istud inconsultum spernentes ipsas imagines sustulerunt, ut & Anglicana initio reformationis, reddita hac ratione in Homilia de idololatria tunc edita. *Non ubique prædicatur verbum, & ubi prædicatur, non tam efficax est remedium quàm si ipsa idolatriæ monumenta amoveantur.* Sed nunc alia mens etiam de imaginibus. Serenus Massiliensis Episcopus, cum videret populum adorare imagines exemplo regis Ezechiæ eas confregit. Gregorius magnus superstitiosus pon-
tifex factum reprehendit. *Convocandi*, inquit, *tibi sunt dispersi Ec-* *Lib.9 ep.9.*
clesiæ filii eisque scripturæ sacræ testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat &c. imprudens consilium, ut probavit eventus. Si Episcopi fuissent Ezechiæ à consiliis, non confregisset
Serpentem æneum, cum nolint comburi superpelliceum vel capam. *Beza ep. 8.*
Obsecro si quis sit in bivio lapis ad aliquem usum collocatus, ad quem tamen omnes, nisi attentissimi, non sine vitæ periculo corruant, utrum satius est lapidem istum semel tollere de via, vel potius illo relicto, prætereuntes assiduè monere in quam partem convertere se debeant, ut offendiculum vitent? Quid si enim vel pigri vel non satis attenti sint monito-
res, vel frustra plerosque moneant? Refert Parkerus pluribus locis *De cruce*
nullas haberi conciones, aliis negligi istas admonitiones, aliis af- *part. 1.*
ferri pravas interpretationes, partim ut gratificentur aulæ & Epis- *pag.43.*
copis, partim ut fratrum afflictiones graviores efficiant, & citat di-
ctum Cassandri *sed utinam illi à quibus hæc informatio accipienda esset,* *Consult. art.*
non ipsi harum superstitionum auctores essent. Bucerus in Censura *21.*
liturgiæ Anglicanæ, capite de veste candidida & chrismate. *Pri-*
dem autem effectum vidimus per Antichristos Romanenses, & inna- *Cap. 10.*
tam omnibus hominibus impietatem, qui sacras colendi Dei ceremonias in varios & nefarios semper convertunt ludos; ut ista hodie signa apud minimè paucos magis retinendæ, & augendæ superstitioni ac ludis, quàm pietati serviant atque religioni. Horum autem malorum amputandæ sunt non retinendæ occasiones. Et si dicamus usum istorum signorum salutarem posse restitui per doctrinam: videmus doctrinam aliis deesse aliis eò usque non prodesse. Sublata itaque hæc signa malim quàm retenta. Apostolus aliam nos inire rationem vult quàm offendiculũ simul ponere coram fratre infirmo & disceptare. *Eum verò, qui fide infirmus est assumite non tamẽ ad certamina disceptationũ.* Rom. 14. 1 Instituendi prius ante factũ quàm instituenda disceptatio post factum

 Qualenam

Qualenam quæso illud docendi genus? Ceremoniæ significantes docent, & docere tamen opus est, quid doceant. Vix potest pastor pusillos adducere ad cognitionem earum rerum quæ sunt necessariæ ad salutem, & nugis instruet? Qualesnam sunt istæ ceremoniæ, quibus opus est prędicatione verbi ad maiorem cautelam. Denique pusilli moventur magis factis quàm verbis, & putant monitiones illas & informationes esse protestationem facto contrariam. Esto, sit in docendo minister diligentissimus, non tamen auditores omnes semper attentissimi ad singula quæ dicuntur. Vulgus externa signa semper habet in conspectu; ijsq; delectatur, quamvis non intelligat. *Videmus siquidem vulgus delectari actionibus scenicis, & multis uti signis, quorum tamen significationem plerique non intelligunt, pautissimi considerant*, inquit Bucerus. Si viderent actiones scenicas Missæ Anglicani rudiores & pusilli, vix discernerent ab Anglicana cœnæ celebratione, non prorsus absimilem saltem & æque laudabilem judicarent Missæ celebrationem, si lingua vulgari ministraretur. Prętereа non ait Aquinas, data ratione cessare scandalum pusillorum, & tunc peccare ex malitia. Sed tantùm videtur cessare scandalum, *Nota circa quartam conclusionem posse contingere, ut pusilli non sint capaces rationis redditæ, & tunc quamvis reddita sit illis ratio, cessandum est tamen ab huiusmodi spiritualibus non necessarijs. Et ratio est. Quia tunc non ex malitia sua scandalizantur, sed ex ignorantia vel infirmitate. Et propterea D. Thomas in conclusione usus est verbo opinativo, dicens, jam videtur ex malitia esse*, inquit Dominicus Bannes. At inquiunt, ministri sunt dociles, illis non indulgendum, & data ratione cessat scandalum activum, illi autem peccant ex malitia, idcirco eorum scandalum esse passivum & acceptum, non à nobis datum. Ego quidem mihi persuadeo, si haberent æquos judices in disceptatione superiores fore, quantùm ex polemicis eorum & Antagonistarum scriptis colligere possum. Sed sint inferiores; infirmitatem tamen in doctiores cadere posse neminem negaturum puto, & superiorum tempòrum historia de dimicationibus inter doctores ecclesiæ ob ceremonias idipsum probat. Parati sunt etiam coram Deo testari se non posse acquiescere in Formalistarum folijs ficulneis. Prętereа non est bonum spirituale ex quo oritur scandalum. Non ideo data ratione cessat scandalum infirmorum aut mutatur in scandalum Pharisæorum. Nam illi ex rectè factis sumebant occasionem impingendi & animo malitioso in ipsam veritatem. Cum scandalum fratribus datum negare non possunt, prętexunt cauendum, ne pontificijs scandalum præbeamus, quod tenemur officio charitatis lucrifacere etiam hostes ecclesiæ. Paulus factus est omnia omnibus, &c. Respondemus, primo non eandem habendam esse rationem fratrum & hostium. Apostolus hortatur Corinthios, vt habeant rationem præcipuè

Censura cap. 8.

In 2.2. qu. 43. art. 7

piè fratrum infirmiorum. Secundò non sunt invitandi ad ecclesiam orthodoxam similitudine ceremoniarum ceu communione rituum, vt pluribus præceptis & exemplis probavimus thesi superiori. Non est Paulus factus ethnicus ethnicis, Idololatris Idololatra ut supra dixit Tertullianus, sed ex legibus, id est gentilibus quasi exlex, id est quasi non obligatus lege ceremoniali Mosaica in dierum aut ciborum discrimine, & omnibus omnia, infirmis tum Iudæis tum Gentilibus quasi infirmus, firmis quasi firmus, & sic omnibus omnia ut aliquos servaret non mentuendo sed compatiendo; non simulantis astu, sed compatientis affectu, vt ait Augustinus, epist. 9. & 19. Num Deo prudentiores sumus, qui etiam victu & amictu discerni voluit populum suum ab omnibus alijs. Non repetam quæ suprà dixi contra communionem rituum & conformitatem cum Idololatris, sat est monuisse peccari hac ratione contra præceptum illud divinum de vitanda conformitate. Præterea si vllius momenti esset ista ratio, etiam Turcis conformes esse debemus, atque ita turcopapismum introducere in ecclesiam. Tertiò, consilium carnis istud inconsultum est. Contraria contrarijs curantur, inquit Parkerus. Hoc non est salvare ægrotantem cum languente consumi, curare valetudinarium febres mentiendo, vt ait Augustinus, epist. 19. Quartò, retorqueri potest ista ratio in formalistas, qui conformitate sua ponunt offendiculum coram Pontificijs. Placent quidem Pontificijs sed non ædificant. Gloriantur & gestiunt animo, cum vident trophæa damnatæ suæ sectæ erigi in ecclesijs nostris, quod non dissimulant. Apertè profitentur se spem concipere redituros nos ad ecclesiam catholicoromanam. Nihil illi concedent nobis vel in doctrina vel in ceremonijs. Tenacissimi sunt vsque ad minimum quadrantem. Si vel obulum concesserimus, ex eo arguunt nostram approbationem cultus aut doctrinæ suæ. Sanderus confirmat vsum imaginum exemplo crucis Anglicanæ. Hardingus liturgiam ecclesiæ Romanæ vsu crucis, superpellicei, &c. apud Anglos. Parsonus librum communium precum ceu liturgiæ Missale translatum vocat. Guilielmus Rainoldus probat necessitatem baptismi per usum privati baptismi. Rhemistæ absolutionem suam, auricularem confessionem, sacramentum pœnitentiæ, confirmant absolutionis ægrotantium modo præscripto in liturgia. Hæc & plura habet Parkerus in libro de cruce. Cum idololatræ rapiunt vsum idolothytorum ad approbationem idololatriæ & superstitionis suæ, eorum vsus est illicitus, quia ex ipsorum confessione patet obfirmatos esse in damnata sua superstitione & idololatria. Debemus potius inducere ad dubitandum de cultu idololatrico, si omnino absterrere non possumus quàm specie similis cultus confirmare. Præterea, coram omnibus Pontificijs ponitur offendiculum etiam hostibus pertinacissimis, de quibus

quibus dubium non est nostra conformitate confirmari. Nec aliter fieri potest, cum conformitas est publica. Audivimus quid verbis prætexant, jam audiamus quid facta clamant. Quærit Parkerus, num sint inter formalistas, qui reditum ad papismum moliuntur, sicut inter Israelitas erant Ægyptij qui suadebant reditum in Ægyptum. Nullo subtiliori commento, quàm ceremoniarum conformitate nec leniùs licet lentiùs potest vulgus sub jugum Antichristi reduci. Nam idolothyta sunt nervi religionis idololatricæ, & cuniculi per quos ceremoniarum Magistri possunt irrepere, & ecclesias subvertere. De scandalo dato Pontificijs iudicare possumus ex impunitate & augescente eorum numero, & viribus. Sint alij qui etiamsi non spiritu Ægyptiaco & dolo moliuntur reditum ad Papismum, at incuriæ, & latæ culpæ reatum tamen incurrunt, qui, modò Episcopatibus & opimis beneficijs gaudeant, securi in vtramque aurem dormiunt. Imò Parkerus sinistro proposito urgere ceremonias ex ipsorum factis colligit, & spiritu Demetrij prætexere bonum publicum, intendere commodum privatum, clamitando, *Nulla ceremonia Nullus Episcopus*, & persequendo quemque gallum gallinaceum cantu ipsis arcto somno oppressis molestum. Nam hòc illis certum τεκμήριον est non posse æquo animo ferre, quod ipsi otio & divitijs diffluant, pompa splendeant, dominentur in Ecclesiam, Pluralistas, Nonresidentes foveant, &c. qui ceremonias Papatus etiam reliquias aversantur. Islebius Chrisma & oleum acerrimè defendit, vt ipse unctior discederet, sic illi ut pinguiores traditiones tueantur, alias etiam urgent tanquam sepimentum quo pinguiores circumsepiunt. Nam si bonum publicum intenderent, ipsi uterentur Alba, Cappa, Casula, baculo pastorali, secundum præscriptum libri precum editi regnante Edwardo. Nam nulla alia lege tenentur ad ceremonias Ministri quàm quæ librum illum sanxit. Sed illi exleges ac si omni religione soluti rigidum jus legis tamen religionis obtentu à ministris exigunt. Qui edit Idolothytum in privato convivio coram fratre infirmo inordinatè & non secundum charitatem ambulabat. Quid igitur sentiendum de ijs qui in ecclesias ceu publicos conventus idolothytorum usum vi invehunt. Illius scandalum erat privatum, istorum publicum, & lapidem ponunt in via in quem multi impingant. Quot Pontificij obfirmantur, quot sunt apud eos qui impingentes claudicant inter Deum & Baalem, quot professores tepidi nec frigidi nec fervidi, (adeo vt Brightmannus ecclesiam Anglicanam etiam horum respectu sub typo Laodicenæ olim depictam existimet) quot sunt qui ad Atheismum deflexerunt. Primi reformatores non potuerunt omnia una hora & momento repurgare, quia nondum illuxerat evangelium omnibus locis, & priùs instruendus erat populus, & errores ex animo evellendi, quàm vi avel-

De cruce part. 2. p. 55.

lendi

lendus ab externis illis ceremonijs quas formalistæ dicunt non per se impias esse. Deinde, *illud quoque observandum videtur, tolerari quidem multa propter infirmos posse, quæ tamen semel sublata instaurari minime debeant, quoniam hoc non esset infirmitatem tollere sed potius aliqua ex parte sublatam restituere, & quasi fugientem revocare: quo fit, minimè mirer nonnullos hic sese difficiliores in quibusdam restituendis præbere, quàm initio fortasse fuissent, quum de illis abrogandis ageretur. His & illud addo, infirmitatem frustrà in eo regno prætexi, in quo tot iam annos & prædicatum & receptum, & tot excellentissimorum martyrum sanguine confirmatum Evangelium fuerit.* Hæc vir venerabilis Th. Beza in Epistola ad Grindallum Londinensem scripsit anno 1566, & tamen adhuc infirmitatem prætexunt. Præterea, toleratio illa sola tolerabilis est, quæ est in initio reformationis & ad tempus dum multitudo tota fere carnalis, & juncta cum diligenti informatione infirmiorũ, ut spontè deserere inolitos errores possint. At illi contrà invitas ecclesias, vbi desierat idolothytorum vsus, cogunt recipere, qui sunt magis spirituales & alios docendo abstrahunt à fæcibus illis & reliquijs Papatus, persequuntur, quos omnibus humanitatis officijs prosequi & currntes instigare debebant. Et non suos solum sacellanos aliosque sibi addictos instigant, vt earum usum tueantur, sed etiam fratres suos episcopos Scoticanos, qui gnaviter dant operam, vt in ecclesiam Scoticanam reducantur, quarum nec vola nec vestigium manserat à primo reformationis anno 1560. percutiunt pastores, gregibus terrorem injiciunt, minas iactantes & pericula denuntiantes. Sic fratrum infirmitati quam prætexunt, consulunt, sed væ ijs per quos veniunt scandala. Sic erga conservos se gerunt; sed beatum servum Dominus quum venerit, præficiet supra omnia quæ sibi suppetunt, & servus nequam, qui dixit in corde suo, Tardat Dominus adventum, (vt ore etiam Lauis Episcopus Glascuensis) cœperitque cædere servos & ancillas & edere & bibere & inebriari, cœdetur multis plagis, Luc. 12. 45. 46. 47. 48. *Epist. 8.*

Stat igitur firma thesis nostra, non expedire res & ritus sacros Pontificiorum, id est eorum idolothyta addere rebus & ritibus sacris iure divino institutis, ne ponamus offendiculum coram fratribus, eos tristitia afficiendo aut retardando in via salutis, aut ad ruinam inducendo ceu disponendo, nec coram hostibus, eos obfirmando in errore. Nam licet præcepta iuris naturalis negativa ut non occidendum, non sunt violenda ob vitandum scandalum, affirmativa tamen, quia obligant semper quidem sed non ad semper, sed quando & quomodo oportet, sunt dimittenda quandoque, quia tunc forte non oportet, ut ingredi ædes mulieris constitutæ in extremis ad dandum eleemosynã, si scandalum inde oreietur, dimittenda potiùs eleemosyna; Sic bona omnia spiritualia non necessa-

ria ad salutem possunt ad tempus occultari ad vitandum scandalum pusillorum, & Apostolus dicit se ab iijs rebus potiùs velle abstinere quas Deus creavit & vsu ad quem eas in creatione instituit, quàm fratrem inducere ad impingendum. Quantò magis ab idolothytis quæ Deus nec creavit, & ab usu quem nunquam instituit, imo nec probavit unquam, abstinendum est, potius quàm tristitia afficiatur, aut impingat frater meus, aut cœcus idololatra errans extra semitam obfirmetur. Nam qui ponit lapidem offendiculi ante cœcum reus etiam est, Levit, 19.14.

Etsi liceret ceremonijs sacris à Deo institutis addere alias, sive à nobisipsis, sive à Patribus sive Pontificijs aut alijs excogitatas, non tamen debent esse vanæ aut ludicræ, non nimium multiplicandæ, earumque nec perpetuitas, nec vniformitas, nec observatio extra casum scandali aut contemptus necessaria.

Hæc thesis nititur hypothesi. Dato enim & non concesso licitum esse ceremonias ab hominibus institutas addere à Deo præscriptis, non tamen ineptas, &c. In ista igitur thesi confirmanda non immorabimur. Vanas & ludicras ceremonias condemnant ipsi Pontificij in genere, licet in specie actiones scenicas, gestus histrionicos, & ceremonias ineptas & ridiculas complures habeant. Sic Formalistæ idipsum concedunt in genere, licet in specie & particulari factum sit protestationi contrarium. Nam digito pingere lineas in aere vel super frontem baptizati, est gestus histrionicus, & candida vestis est scenica, de quibus suis locis capite sequenti dicemus. Non etiam nimium multiplicandas concedunt adversarij, sic etiam Pontificij. Bellarminus concedit ceremonias ecclesiasticas non esse *nimis multiplicandas, ita vt sua multitudine obruant quodammodo religionem, cui servire debent.* Et leges absolutè impositas omnibus Christianis dicit esse tantùm quatuor, nimirum de servandis festis, de servandis jejunijs, de confessione singulis annis facienda, & de sacra communione in Paschate habenda, cæteras tantum conditionales, particulares, vel non leges sed pias admonitiones vel institutiones. Formalistæ etiamsi non habeant tot numero ceremonias, quot Pontificij, plures tamen instituere vel restituere se posse non negant. Et certè quo jure vnum ritum mysticæ significationis admittunt, plures imo omnes Pontificios ritus ejusdem generis amplecti possint. Eadem enim est ratio omnium aliorum ejusdem generis, quæ unius. Nam de numero litigare non debent cum Pontificijs, cum determinatio numeri sit in ipsorum potestate, & quantum fieri potest dicunt se debere Pontificijs sese conformare. Restituant igitur chrisma, oleum, sputum, cruces significantes

De sacra li. 1 cap. 30.

De pontif. l. 4 cap. 18.

ficantes in missa, cereos accensos, vestes alias missales, imagines ut sint signa commonitoria sicut signum crucis, & multa alia. Illi Romanæ Ecclesiæ in numero non sunt conformes, & nos in ipsa ritus natura conformes esse volunt, id est addere ritus significantes ritibus à Deo institutis, quod gravius est, quàm in numero rituum significantium conformari. Nam si natura ipsius ritus non probanda sit, ne vel in una conformandum est. Ceremoniarum perpetuitatem non esse necessariam concedunt Pontificii, ut supra ostendi in testimonio Suarezii, & probatur etiam temporum historia. Nam nonnulli ritus, qui per universum ferè orbem olim observabantur, paulatim abrogati sunt, ut prægustatio lactis & mellis post baptismum ad infantiæ significationem, item non geniculando, sed stando orare die dominico & per omnem Pentecosten, id est quinquaginta dies inter Pascha & Pentecosten, Eucharistia data infantibus. Priores duo solùm significantes, & significationis ratio perpetua, tamen ipsi ritus abrogati sunt. Vniformitatem in ritibus non esse necessariam concedunt etiam pontificii. Suarez fatetur particulares ritus etiam hac ætate in usu esse in variis regionibus, & privatos Episcopos posse in suis Diœcesibus particulares ritus instituere. Bellarminus etiam dividit ceremonias in universales & particulares. Cuique Ecclesiæ suis ritibus frui licebat, nec una alterius consuetudini cedere cogebatur. *Sit ergò una fides universæ quæ ubique dilatatur Ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiam si ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus, celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus: illæ autem observationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelligantur. Vnde ibi dicitur, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur*, inquit Augustinus. Sic nos contendimus non debere Episcopis Ecclesiis omnibus uniformitatem rituum præscribere, dato sed non concesso (quod sæpius repetendum) ritus symbolicos posse addi ceremoniis à Deo institutis. Augustinus loco suprà dicto loquitur de ritu ordinis tantum, non de ipsius ritus natura, nempe de jejunio sabbathi, de quo contentio orta tempore Augustini. Romani Petrum asserebant instituisse jejunium sabbati, Orientales Iacobum & alios Apostolos vetuisse: *interminabilis est ista contentio*, inquit *Augustinus*, *generans lites non finiens quæstiones*. Ego dixissem neutris credendum, & varietatem istam argumentum esse nullum omnino præscriptum jejunio diem ab Apostolis. Sed hoc posito, quod jejunii stata debent esse tempora & dies, dico contentionem fuisse de lana caprina, de actu ordinis, non de ritu ipso. Nam si de ritu ipso, nempe de præscribendo & statuendo diem jejunio non moverem litem, de die non contenderem,

Tom. 3 disp. 15. sect. 3.

De effectu sacram. ca. 29

Epist. 86.

rem, omnino litigiosus essem. Sic quod ait alibi Augustinus amplector. *Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jeiunant sabbatho; alii vero non: alii quotidie communicant corpori & sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt, alii i tantum dominico, & si quid aliud huiusmodi anidmadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit.* Nam ista varietas est in ordine duntaxat non in ipsis ritibus, quorum quidam sunt instituto divino alii humano, Vt in divinorum observatione circumstantia temporis est libera, ut quo die, & quoties singulis annis vel mensibus celebranda sit Eucharistia, sic in humanorum, concesso quod sint liciti, circumstantia temporis etiam libera est, servatis regulis generalibus ordinis & decori. Ritum ipsum nempe statum tempus jejunandi non attigit Augustinus, sumpsit pro confesso inolitum errorem, quia ritus ille, ut plures alii jam invalescebant magno numero in Ecclesia & viam præparabant Papismo. Sed demus exemplum in ritu significante. Bellarminus dicit lotionem pedum post baptisma non fuisse ritum universalem, servatum Mediolani, non Romæ, & colligit ex Augustini epist. 118 & Ambrosio de Sacramentis lib. 3 cap. 1 ceremonia illa, lavandi pedes Neophytorum mox à Baptismo erat ecclesiarum quarundam particularis, non obligabat alias. Quin expedit diversitatem ceremoniarum, in Ecclesiis videri ait Zepperus, ut libertas Christiana rectiùs intelligatur. Si quis dixerit universales tamen obligare, negatur. Nam quæ universales, initio particulares erant. *Mihi quidem certè videtur,* inquit Socrates; *sicut aliæ res multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt: ita festum Paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse, propterea quod nemo ex Apostolis legem de eo, ut dixi cuiquam edidit.* Dicit res multas in locis quibusque ex more introductas. Quod apud singulos populos ex more initium cepit, una hora aut momento totum orbem non occupavit. Præterea non quia universales ideo perpetui esse debent ritus. Nam etiam universales ritus abrogatos esse fatentur. Abrogati autem sunt non uno anno, sed paulatim & plurium annorum curriculo, quod fieri non poterat nisi in particularibus quibusdam provinciis cœpissent primum obsolescere. Quid igitur impedit, quò minùs eadem permittatur libertas Ecclesiis hujus sæculi: ut desuetudine paulatim evanescant. Libertatem istam habent Ecclesiæ particulares in ritus universales, etiam licitos, multò magis si judicaverint absque legitima authoritate introductos. Denique ritus ii sunt universales dicendi, non qui sunt communes nobis & Romanensibus, nam quamdiu inter nos & illos non convenit de doctrina, & fundamentalibus

Epist. 118.

De effectu sacram. c. 29

De politia cap.

Lib. 5 ca. 21.

talibus, in ritualibus conformitas non est utilis sedum necessaria, imò valde periculosa & vetita, ut supra probavi. Veræ Ecclesiæ sunt sorores, non falsa & vera. Meretrix illa Babylonica non est soror nostra, sed aliæ Ecclesiæ reformatæ quæ nobiscum consentiunt in doctrina. Puderet igitur Formalistas uniformitatem cum Ecclesia Romana urgere, quæ non est vera Ecclesia, & cum aliis Ecclesiis reformatis conformitatem renuere. Dico igitur non esse jam ritus illos universales, sed abrogatos à pluribus Ecclesiis, & amplius abrogandos speramus, prout spiritu oris Christi consumetur filius perditionis. Dixi *observationem extra casum scandali & contemptus non esse necessariam.* Nam si sint res per se mediæ earum observatio libera est, nisi aliunde accedat adjunctum aliquid quod peccatū inducat. Decretum de sanguine & suffocato Apostoli vocarunt necessarium non simpliciter, sed κατά τι nempe respectu Iudæorum, quos offendebant Gentiles; ut faciliùs coalescerent in unum uterque populus, & in communi convictu non versarentur Iudæi gentiles, hæc pauca quæ continentur decreto illo Act. 15 imposuerunt gentibus de lege Mosaica ceremoniali, præterea nihil, nec ut obligarent conscientias, ac si non liceret vesci sanguine & suffocato etiam extra casum scandali & contemptus. *Non simplex hæc necessitas fuit, sed accidentalis aut hypothetica respectu aliorum. Necessaria hæc fuerunt propter quosdam, id est, infirmos, non absolutè: ergo libera harum rerum observatio fuit, modo caverent, ne alios offenderent. Non ergo per se aut propter se sed propter scandala necessaria fuerunt. Necesse fuit gentibus ab his abstinere, si periculum scandali vitare vellent.* Datum hoc præceptum ad tempus tantùm, donec confirmati essent Iudæi. Si jam servaretur decretum illud ut quibusdam locis diu servatum, non sine superstitione id fieret. Non jusserunt abstinere ab his ut immundis, sicut lege Mosaica præceptum fuit, ergo propter scandalum tantùm. Non committitur igitur duplex peccatum in ceremoniis sacris ab homine institutis, unum in re ipsa aliud in contemptu, sed in contemptu solum, quia tenemur lege generali parere licitis superiorum mandatis, sed lege particulari non teneor in conscientia, nam est res per se media. de his enim loquimur. Si enim sit res præcepta aut prohibita à Deo, tunc obligatur conscientia respectu rei ipsius etiam in occulto & extra casum scandali & contemptus: quia tunc præceptum humanum continet quid divinum, & authoritas divina obligat interiorem hominem in conscientia metu pœnæ. Affingunt Pontificii etiam meriti opinionem. Sed illud illis commune est etiam aliis bonis operibus. Quod ad cultus opinionem, dixi supra thesi tertia me non posse capere, quomodo quis fingere possit ceremoniam sacram, quin simul affingat opinionē cultus. Nam si affixerit spiritualem vim aut operationem, aut significationem mysticam alicui rei aut

Whitak. de pontif. 7 cap. 2 p. 822.

ritui, & usurpaverit in eum finem, dum colit Deum eo ritu, ut aliis ritibus à Deo institutis eandem naturam, idemque officium habentibus, colit, licet cultus ille sit superstitiosus & Deo ingratus. Doctorem quendam in Comitiis Oxoniensibus anno 1605 versus sequentes evulgasse refert Parkerus

De Cruce p.1 p.89.

In Domini cultu, si quid medium esse videtur,
Quod populi dubio stat, cadit, arbitrio:
Hoc sacrosancta parens Ecclesia si modo sanxit,
Inque sacris cultum hunc si velit esse ratum:
Non erit hic cultus medius, cogetur ad illum
Quisque: necessarius hic quoque cultus erit.

Ex rebus mediis cultum & quidem necessarium posse Ecclesiam constituere dixit doctor ille. Neutrum quidem jure potest, utrumque falsò, ut supra probavimus. Opinio itaque cultus est inseparabilis à ceremoniis mysticis & rebus consecratis. Ab actibus ordinis & decori separari potest, vel superstitiosè superaddi, quod faciunt Pontificii.

Sicut rebus & ritibus sacris à Deo institutis addere non licet alias res aut ritus sacros, sic nec detrahere aut ritum instituere, qui detrahat.

Qui ministrant sub una & non sub utraque specie panis & vini detrahunt rebus à Deo institutis. Sic qui absque distributione communicantium. Nam verba illa Christi *Dividite inter vos*, cum porrexit poculum, continent præceptum. Debent igitur communicantes non singuli è manu ministri accipere poculum, sed inter se dividere. Qui ritus excludit ritum istum imperatum à Domino, & inducit alium, nempe ut accipiant singuli è manu ministri, non est licitus. Non est igitur quilibet gestus in sacra cœna aut situs corporis indifferens. Quòd ad genuflexionem non modo detrahit, sed etiam idololatriæ reatum addit. De distributione communicantium dicemus suo loco capite sequenti. Regula ipsa generalis est de omni detractione. Nam duobus modis detrahimus, omissione simplici, vel exclusione, quæ necessariò sequitur ritus cuiusdam additionem.

Cum igitur nec addere nec detrahere liceat rebus & ritibus sacris à Deo institutis, sequitur Ecclesiæ potestati permissam duntaxat rerum & rituum sacrorum à Deo institutorum administrationem & procurationem dirigendam generalibus quibusdam canonibus Deo in natura & Scriptura datis, ut omnia fiant ordine & decenter, atque ita res & ritus sacri administrentur ut ædificent.

Theses

Theses quarta, quinta, sexta erant solùm hypotheticæ, dando non concedendo, quod liceret addere res & ritus sacros divinitus institutis, tamen non licitum diximus addere Idololatrarum ritus, & si liceret non tamen expedire, quia vitandum scandalum, & si liceret addere vel à nobis vel à patribus vel idololatris excogitatos, tamen non multiplicandos, non varios aut ludicros, nec necessariam vel perpetuitatem vel uniformitatem, vel observationē extra casum scandali aut contemptus. Sed cum nullos omnino addere liceat, nec institutis detrahere, vt dictum thesi tertia & septima, sequitur, rerum & ceremoniarum sacrarum a deo institutarum procurationem & administrationem solummodo ecclesiæ relictam esse, cuius officium est curare vt omnia illa à Deo instituta, res & ritus fiant, ordine & decenter fiant, & ad ædificationem fiant. Omnis ἀταξία est præter naturam, ordo contrà etiam politicus in rebus politicis res pulchra est & amabilis. Finis ordinis & decori in rerū & ceremoniarum administratione est ædificatio ecclesiæ, & singulorum in Ecclesia in fide & pietate. Omnia fiant ad ædificationem inquit Apostolus, 1. Cor. 14.26. cantica, linguarum donum, scripturæ interpretatio, revelatio, omnia denique Dei dona ordinaria & extraordinaria eiusque instituta. Res & ritus Dei proprè ædificant animam. Actus ordinis & decori dirigunt res & ritus divinos ad finem suum. Confusio contra impedit ne assequantur suum finem. Si quis igitur lingua exotica concionaretur aut miscens exoticam cum vernacula administraret rem divinam, non ædificaret. Finis iste, nempe ædificationis est cynosura quæ dirigere debet ecclesiasticos in constitutionibus ecclesiastico politicis. Ad cultum divinum necessaria sunt instrumenta quædam ut ædificia publica, vasa, poculum, patina, mensa, &c. Instrumenta ista cultus divini non sunt res sacræ, vt olim fuerunt in templo Hierosolymitano. Christus cùm instituit sacram cœnam, non consecravit patinam, calicem, mensam, cœnaculi parietes. In instrumentis igitur cultus divini nihil aliud spectamus, quàm materiam & formam materialem ceu physicam, ut sint aptæ ad talem vsum, & decorum civile ceu ornatum honestum. Formam quam Suarez vocat quasi spiritualem, id est consecrationem nullam agnoscimus. Nec calicem ex contactu vini, aut patinam ex contactu panis in Eucharistia consecrari existimamus. Neutram consecrationem, inquam, agnoscimus, vel per unctionem Chrismatis, vel per contactum panis & vini. Non enim instituta sunt elementa in hunc finem, ut sanctificent res inanimatas. De materia & forma vasorum physica non sumus anxij, sitne poculum argenteum an stanneum an aureum, sitne patina quadrata vel orbicularis &c. Hæc enim omnia sunt observationis liberæ, pro locorum varietate. Vt consecrationem non agnoscimus, sic nec sacram aut

mysticam

mysticam significationem, ut Pontificij, qui Corporale purum linteum esse volunt, vt significet Christum syndone involutum. Nos hic decorum & ornatum civilem tantum respicimus. Ceremonias proinde illas mysticas quæ versantur circa vasa aut alia instrumenta ludicras censemus, vt quòd mappa illa qua altare totum cooperitur, exui non debeat, nisi feria quinta hebdomadæ quam sanctam vocant, ob specialem significationem Christi nudati à vestimentis suis. Decorum in instrumentis opponitur sordibus & luxui. Nam vt non debent esse sordida sed munda sic nec nimium pretiosa. Aurum enim sacramenta non quærunt. Et ordo opponitur ineptæ eorundē dispositioni, & collocationi, qua fiunt ineptiora ad usum cultus divini. Ordo rerum & rituum ipsorū opponitur confusioni & ataxiæ. Est quidam ordo divinus, qui non permittitur abitrio hominis, vt in eucharistia, benedictio, fractio, distributio, manducatio, quo ordine præcederet vna aliam. Est & ordo quidam quem vocant dispositivum, quem ipsa rei natura docet, ut precatiuncula concipienda ante interpretationem verbi ad animæ præparationem. Alius ordo est liber & ex placito, ut quo ordine canendi Psalmi, aut legenda scriptura sacra in publico conventu. Decorum in rebus & ritibus ipsis divitus instiuutis dispensandis opponitur levitati in gestu, pronunciatione, cantu, item confusioni & perturbationi ordinis. Nam ex ordine etiam oritur decorum, & contra ex confusione indecorum. Contra ordinem & proinde etiam contra decorum peccatur, cum duæ actiones sacræ vno & eodem momento celebrantur in uno eodemq; conventu, vt si in ipso actu celebrationis eucharistiæ populus cantet aut lector legat. Sic solent sacrificuli missas suas simul in angulis templi demurmurare & celebrare. Est hîc ἀταξία, & similis illi, quam carpit Apostolus in Corinthiaca ecclesia & ἀκαταστασίαν vocat. *Prophetæ duo aut tres loquantur, &c. Non enim est incompositi status author Deus.* Ad ordinem pertinent tempora conventuum, vices concionandi, psallendi, precandi, sacramenta ministrandi, item numerus et ordo lectionum, precum, &c. Nam ex isto principio et canone vniversali, *Omnia fiant ordine & decenter* nectitur conclusio, Ergo statuenda sunt certa tempora cultui divino. Deinde accedit determinatio pro circumstantiarum varietate varia ex prudentum judicio. Principium et conclusio sunt ipsius juris naturalis, particularis determinatio est ex prudentum judicio. Hinc duo sequuntur, primū, actus ordinis et decori non esse propriè ceremonias sacras, ut diximus thesi tertia, sed actus politicos cōmunes tum civilibus tum sacris actionib⁹, tam sacris veteris testamenti quàm novi. *Quæ autem sunt ceremonialia ordinis,* inquit Iunius in libro de politia Mosis, *puta conventus haberi tertio loco & tempore hæc non tam ceremoniarum quàm politiæ sunt, & quia instituta politica juris communis sunt immutabilia, vt ante ostendimus,*

Cap. 8.

nimus, propterea hæc à nobis non tanquam ceremonialia, sed tanquam politica ecclesiæ, id est, ad iustum ordinem honestatemque ipsius pertinentia quæ duo Paulus præcipit diligentissime, 1. Cor. 14. 40. curantur religione summa. Sin ad ordinem Juris particularis spectant, quod jus particulare ad Christianos reipsa minime pertinet, &c. Sunt igitur ista politica Ecclesiæ potiùs quàm ceremonialia dicenda. Hookerus ceremoniarum Patronus, ait, Omnem ceremoniam esse vanam quæ non sit significans. Ceremonias significatione vacuas esse otiosos hominum delirantium gestus. Si nullus actus ceremoniæ appellatione dignus sit, qui non sit significans, sequitur eos qui sunt ordinis & decori non esse propriè ceremonias. Sed extendatur vsus vocabuli si lubet, nam de nominibus non litigabimus, si cum restrictione dicantur ceremoniæ ordinis & decori. Pontificij etiam ceremonijs ordinis & decori addiderunt mysticas significationes, vt corporali, sicut dictum, item ipsi patinæ & calici, vt calix sepulchrum, patina lapidem sepulchro super impositum significet. Non tamen vasis propter affictas ipsorum significationes abstinendum, quia sunt instrumenta necessaria cultus divini. Colligo secundo, determinationes conclusionum elicitarum ex communi illo principio, & canone vniversali non esse easdem apud omnes, nec omni tempore, quia non semper eadem circumstantiarum ratio. In hisce politicis ecclesiæ quæ sunt mutabilia pro fluxa & mutabili conditione circumstantiarum nec perpetuitas, nec vniformitas aut exigenda aut expectanda. De his ritibus nempe ecclesiasticopoliticis afferunt exempla Socrates & Augustinus locis supra citatis. Hi sunt innumerabiles secundum innumerabiles determinationes ordinis & decori in varijs locis. *Cum Romam venio, jejuno sabbatho, cum hîc sum non jejuno*, ait Ambrosius, consulenti eum hac de re Augustino, quia cæperat perturbari & fluctuare mater ipsius. Et rectè, nam si concedenda essent stata tempora jejunij, determinatio diei esset libera. Sic in Paschate observando de diei determinatione contendebant. Iejuniorum ratio ante pascha aliter ab alijs observata est, ait Socrates. Nam Romæ tres septimanas ante Pascha Sabbato & Dominico exceptis, simul jejunant, qui in Illyria & tota Græcia quique Alexandriæ habitant ante sex septimanas jejunia quæ ante pascha fiunt, ordiuntur, alij præter horum consuetudinem septem septimanas ieiunant. Sic in Synaxi celebranda variæ erant consuetudines. *Nam quanquam omnes vbique in orbe terrarum ecclesiæ singulis septimanis vertentibus die sabbathi mysteria celebrant: Alexandrini tamen & Romani ex antiqua traditione istud facere renuunt.* Etsi cõsuetudo erat vniversalis, tamen non sunt conformes Alexandrina & Romana ecclesia, & traditionẽ antiquã prætexunt quæ nihil aliud erat quàm antiqua cõstitutio ecclesiastico politica ipsis peculiaris de die quo celebraturi erant synaxin. *Apud*

De polit. l. 5. sect. 65. p. 341.

August. ep. 118.

Hist. l. 5. cap. 21.

 omnes

omnes religionum & sectarum formas nusquam reperire poteris duas, quæ in precandi more inter se consentiant, ait ibidem Socrates. Publicarum precum hoc est divini officii (sic enim eo nomine divinum officium indigitant & librum liturgiæ ceu officii divini Angli inscribunt librum communium precum) exercitia & partes erant preces, psalmodia, lectio, concio, sacramentorum celebratio. *In particulari tamen quot & qui Psalmi hymnique recitandi aut canendi, quæ pars sacræ scripturæ legi debeat, quid orare, quid petere debeamus, &c. Nunquam Ecclesia universa plenè consensit; sed unaquæque ecclesia aut saltem provincia proprium sibi officium composuit & ordinavit*, inquit Spalatensis. *Hispaniæ Isiodori Breviarium & Missale diu sunt secutæ, & id quod Mozarabæ vocatum fuit: Mediolanensis ecclesia Ambrosianum officium detinet adhuc in matrice. Monachi Benedictini proprium sequuntur Breviarium & Missale, Dominicani suum.* Sic in Anglia divinum officium celebrant secundum usum Sarum. Quanta digladiatio orta est propter officium Gregorianū & Ambrosianum, Gallicanum, Mozabicum, vtrum cederent Gregoriano, necne. Quandoquidem convenerat de præscripta formula verborum & de rebus ac ritibus ipsis etiam superstitiosis & ludicris, ridiculum erat dimicare & contendere de hac vel illa verborum formula, de brevitate aut prolixitate huius aut illius precatiunculæ, de ordine legendi & similibus quæ erant tantùm politicæ consuetudines suarum ecclesiarum; sic percolabant culices & deglutiebant camelos. Anglicanum verò officium nobis obtrudendum peccat & in materia & forma, & præscribit conceptis verbis formulas precum, litaniarum, collectarum, &c. de quibus differemus capite sequenti. De ecclesiastico-politicis ortæ dissensiones ob quorundam contentiosam timiditatem & superstitiosam timiditatem, vt ait Augustinus, *Tantùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem suam quo remotiorem à suis eo doctiorem putat.* Nonne litigiosus esset, qui hebdomadariæ concioni interesse renueret in alijs locis, quia in sua ecclesia non habent eundem ordinem, forte inveterato plurium sæculorum more. Non alius fuit scrupulus & superstitiosa timiditas matris Augustini, quæ non de præscribendo tempore jejunij, sed de ipso die dubitabat. Ecclesiastco-politica non sunt cultus, sed ad cultum ut supra dixit Iunius. Quia tamen ad cultum ordinantur & in ipso cultu vsurpantur, ad ecclesiæ non magistratus politici arbitrium constituenda sunt & determinanda. David distribuit Levitas in certas classes quod erat ecclesiastico-politicum, sed propheta fuit, & ex aliorum prophetarum consilio id fecit.

De repub. eccl. l. 7. c. 12 num. 34.

Epist. 118.

CAP. X.

De vocatione & functione Presbyterorum eccleſiæ Anglicanæ.

HActenus de Eccleſiaſticis in Eccleſia Cathedrali, ſequuntur

Eccleſiaſtici in Parochiali Eccleſia, Miniſter & Diaconus.

Quos Eccleſiæ reformatæ *Miniſtros* Angli vulgò *Prieſts* vocant. Deduci quidem videtur nomen *Prieſt* à Preſbyter, Gallicè *Preſtre*, & contractè *Preiſt*. Cum tamen depravatum ſit à Pontificiijs Anglis ad ſignificandum ſacrificulum ceu ſacerdotem Miſſalem, eademque voce ſacerdotes veteris teſtamenti deſignant, vel excogitanda fuit alia vox qua ἱερεὺς: i. ſacerdos exprimeretur vt *ſacrificer* vel nomen Anglicanum *Elder*, quod propriè voci Preſbyter reſpondet (ſi tantopere illis non arrideat Miniſtri vocabulum) aut paſtoris, aut aliud ſimile ſubſtituendum erat loco illius nominis, *Preiſt*. Siquidem patria lingua per *Preiſts* Sacrificos intelligunt, qui Apoſtolorum ſermone dicuntur ἱερεῖς, neq; vnquam Apoſtoli hoc nomen ἱερεῦς eccleſiæ Chriſtianæ paſtoribus attribuerunt. Si reſponderint ſe non eſſe Dominos verborum nec poſſe verba alijs imperare, negamus id magis difficile fuiſſe illis, quàm alijs Eccleſijs reformatis. Sed Epiſcopi in ordinationibus, collationibus, canonibus, vſurpant vocabulum *Preiſt*, quod patria lingua ſacerdotem aut ſacrificum ſignificat, & diſcrimen vocum in verſionibus, concionibus, interpretibus, & concionatoribus imperare ſcilicet non poſſunt, qui omnia omnibus imperant. Fatetur Bellarminus, *Primos Chriſtianos propter recentem memoriam ſacerdotij Aaronici abſtinuiſſe non ſolum à vocabulo templi ſed etiam ſacerdotij ne viderentur adhuc durare Iudaicæ ceremoniæ. Itaq; Apoſtoli in ſuis epiſtolis pro ſacerdotibus Epiſcopos & Preſbyteros pro templis eccleſias dicunt, & ſimiliter loquuntur Iuſtinus, Ignatius, & cæteri antiquiſſimi Patres.* Multò magis abſtinendum nobis eſt à vocabulis illis propter tam recentem memoriam, & adhuc vigentem vſum ſacerdotij Miſſalis. De cult. ſanct. cap 4.

Miniſter, in quo conſiderantur, Externa vocatio vel publica miniſtri functio.

Externa vocatio vel ad Ordinem vel ad Beneficium, ſive locum miniſterii.

Vides aliam esse vocationẽ ad ordinem, aliam ad beneficium seu Ministerij locum. *Externa vero bipertita est*, inquit Muckerus, *cum sit vel ad ipsum sacrum ministerium, vel certum locum, quo ministerium exerceatur. Atque hæ duæ vocationes externæ, licet ad plurimùm conjunguntur, secundum primævæ & Ecclesiæ Anglicanæ Canones, quibus certum est neminem sine certo titulo & designato muneris sui exercendi loco ordinandum, tamen quandoque, sicut olim in primæva, sic hodie in Anglicana Ecclesia, aliqui vocantur ad ministerium certo ministerij sui loco minimè destinati, vt socij collegiorum, & ante quinquennium artium Magistri proprijs sumptibus degentes in Academijs.* Authores Admonitionis ad Parlamentum referunt vna vice Episcopos quosdam *emisisse* 60.80.100. *quibus ordines contulerant, tanquam famulos absque heris.* Item, & cum creati fuerint, vel in collegio suo delitescere possunt & ignavi vitam transigere, vel cum bullis Episcopalibus vbique & passim errare, ac circumcellionum instar in aliorum Parœcijs concionari, prout libitum illis fuerit, vel amicitia, nummis, aut assentatione comparare sibi beneficia, vbicunque captare possunt, vel denique, si istis omnibus frustrati fuerint, *mendicorum instar oberrare & in multas ineptias incidere, vel, vt plerique fecerunt, sebedulam affigere ad Pauli, vel in regio peristillo,* (quod Bursam vulgus, R. Elizabetha Excambium regium dixit) *alijsve locis publicis, quibus sibi procurant probos certe quosdam heros qui ipsos in obsequijs habeant.* Sic studia sua & laborem deferunt quibusvis & quovis fere pretio. Sed de vocatione ad beneficia dicemus suo loco. Apostoli non ordinarunt presbyteros vagos, sed κατ' ἐκκλησίας & κατὰ πόλιν, Act. 14. 23. Tit. 1. 5. Concilio Chalcedonensi can. 6. decretum, *Neminem* ἀπολελυμένως *id est absolutè ordinari, nec Presbyterum nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi* ἰδικῶς (Balsamo & Zonaras ἰδικῶς *specialiter in Ecclesia civitatis vel pagi aut martyrio aut monasterio is qui ordines susceperit* ἐπικηρύττοιτο *designetur* vel ut alij *prædicetur*, alij *pronuncietur*, τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους *eos autem qui absolutè ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam esse eiusmodi manuũ impositionẽ, & nusquam posse operari, ad eius qui ordinavit injuriam.* Zonaras in hunc canonem sic cõmentatur, *Sacerdotem aut Diaconum creari, aut alium quemvis hominem ita Clero adscribi, vt facultas ei libera sacra faciendi, sacrasve functiones, quibus locis collibuerit, exercendi, relinquatur, hic Canon vetat. Sed eos omnes ecclesiæ cuipiam vrbanæ aut oppidanæ, aut dicato Martyribus templo, vel monasterio nominatim addictos, ita demum ordinibus insigniri jubet. Quin vt hoc tempore singularum vrbium singuli Episcopi renunciantur, sic quicunque olim ordinibus insignitus esset certæ cuiusdam ecclesiæ sacerdos, Diaconus, clericusve*

De polit. Eccles. Angl. cap. 10. p. 319.

clericusve

cleriusve (quamvis hæc postea tota ratio sit neglecta) nuncupabatur. Vidimus can. conc. Chalc. opponi ἰδικῶς & ἀπολελυμένως ceu ἀπολύτως. *Posteriores verò constitutiones pontificum huic juri derogaverunt, quibus constitutum est, ut irrita non sit ordinatio, sed is qui ordinat ordinatum, si egens sit, interim alere cogatur, dum certus ei titulus assignatus fuerit c. cum secundum. De præbendis & c. Episcopus. Quæ constitutiones confusionem incredibilem & dedecus attulerunt Ecclesiæ,* inquit Duarenus. Dicit Mucketus, ut plurimum conjungi utramque vocationem, sequitur igitur non semper, quod tamen semper factum in Ecclesia Apostolica & semper fieri decrevit Concilium Chalcedonense, alioquin ἄκυρον irritam esse τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν ejusmodi manuum impositionem. Et quomodo quæso ut plurimum conjungunt, docet, quia nempe Canonibus cautum, ut nemo ordinetur sine certo titulo & designato muneris sui exercendi loco. Intelligit haud dubiò canonem primum constitutionum anni 1574, in quem vide censuram Brightmanni in Apoc. 3. vel 33 constitutionum anni 1603 cujus hæc verba. *Multis jàm olim Patrum decretis cautum est, ne quem liceret Diaconum vel Presbyterum ordinari, nisi quem constaret certum aliquem & designatum muneris sui exercendi locum per id tempus obtinere, quorum nos authoritatem secuti statuimus & ordinamus, ne quis deinceps in sacros ordines admittatur, nisi qui eodem tempore præsentationem sui ipsius ad promotionem aliquam Ecclesiasticam infra Diœcesin illius Episcopi à quo manuum impositionem petit, tunc vacantem exhibuerit: vel verum & indubitatum certificatorium attulerit sive de Ecclesia aliqua infra Diœcesin ceu iurisdictionem dicti Episcopi, cuius cura fungi possit, sive de loco Diaconi vel Presbyteri in Cathedrali aut collegiata Ecclesia aliqua infra eandem Diœcesin vacante, in quo functionem suam exerceat, vel nisi fidem fecerit se esse actu Socium aut jura Socii obtinere, vel designatum esse Conductitium sive Capellanum in aliquo Collegio Cantabrigiensi aut Oxoniensi, vel etiam ad Magisterii gradum ante quinquennium provectum, suis ibidem sumptibus vivere: vel nisi ab Episcopo ipsum ordinante in Beneficium, sive ad exercendum aliquam Curam tunc etiam vacantem, brevi post sit admittendus. Si quis vero Episcopus in sacros ordines quenquam asciverit, qui prædictorum aliquo titulo non sit præditus, tunc omnia illi necessaria eatenus subministrabit, donec eidem de aliqua Ecclesia prospexerit. Qui si facere recusaverit per Archiepiscopum, uno præterea Episcopo assidente, ab ordinatione Presbyterorum & Diaconorum per integrum annum suspendetur.* Deest hic clausula (quam irritantem vocant) nempe irritam esse ejusmodi ordinationem ad dedecus Episcopi, qui ordinavit, ut in Concilio Chalcedonensi decretum & postea in Placentino sub Urbano 2 vide distinct. 70, hic tantum suspendendus Episcopus ordinans per integrum annum ab ordinatione Presbyterorum &

De sacr. minist. l. 1 c. 16

Diaconorum si rigidior voluerit Archiepiscopus esse in Episcopum, quod ob delicta etiam graviora non est metuendum. Sed sic lubet illis illudere Ecclesiis talibus sanctionibus. Deinde quid tituli nomine intelligunt, an certum gregem aut parœciam? nihil minus, sed cum pontificiis ordinis omnis & decori juratis hostibus titulum interpretantur reditum ceu possessionem depravata interpretatione evertentes sensum Canonis. Vetus interpres forte legit νομὴν pro κώμην unde prava *interpretatio possessionis* pro *pagi* ut conjicit Duaremus. In synodo Chalcedonensi sancitum est, ne absolutæ fierent ordinationes, hoc est, *quia locus simul assignetur ordinatis, vbi munus suum exerceant. Hoc decretum duplici nomine vtilissimum est, ne onerentur Ecclesiæ supervacuo sumptu, & in homines otiosos expendatur, quod erogari pauperibus debet. Deinde vt ii qui ordinantur, cogitent se non ad honorem promoveri, sed munus sibi mandari ad quod obeundum solenni testificatione obligentur. At Romanenses Magistri (qui nihil in religione curandum putant præter ventrem) primò titulum interpretantur reditum, qui ad alimoniam sufficiat, sive ex patrimonio sit sive ex sacerdotio. Itaque quum Diaconum vel Presbyterum ordinant, nihil soliciti vbi debeant ministrare, ordinem illis conferunt, si modo satis divites sint ad se alendos. Verum quis hominum hoc recipiat, vt titulus quem requirit Concilii decretum sit annuus proventus ad alimoniam.*

Calvinus instiut. l. 4. ca. 5. sect. 4.

Sic titulum hoc Canone interpretantur & intelligunt non solū Ecclesiam vacantē, sed etiā locum Diaconi aut Presbyteri in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, aut Socii, aut cōductitii sive Capellani in collegio aliquo Cātabrigiensi aut Oxoniensi, aut si quis ad magisterii gradum provectus ante quinquenniū ibidem suis sumptibus viveret, aut si brevi postea ab Episcopo ordinante ad beneficium aut curam aliquam exercendam sit admittendus. *Hoc certum, post Ecclesiam primitus fundatam, constitutamque, assignatis cuique cœtui ministeriis necessariis, aureis illis temporibus, neminem ad sacros ordines admissum, qui non peculiari ministerio destinatus. Verum pia hæc institutio mox corrupta aliis, quod exemptionibus essent muniti, aut ob alios aspectus humanos; Episcopis verò vt numerosum haberent Clerum nemini petenti sacros ordines denegantibus. Itaque in Concilio Chalcedonensi id genus ordinationis prohibitum, quod tunc temporis vocabant absolutum aut solutum (ita enim propriè sonat vox græca) decretumque vti nemo, nisi ad munus peculiare ordinaretur, atque vt liberæ solutæque ordinationes nullæ essent ac irritæ: idque multis deinceps Canonum posteriorum sanctionibus fuit confirmatum vt jam pro regula generali reciperetur in Ecclesia, Neminem sine titulo posse ordinari. Iam antiquis illis bonisque temporibus Tituli appellatione denotabatur munus aut ministerium obeundum. Vbi vero corruptelæ invaluere Tituli nomine cœpit intelligi redditus, unde victus comparatur, adeoque quod sancitum erat, vt in Clero nemo esset otiosus, mutavit in illud*

Petri Suavis hist. Concil. Trident. lib. 6. p. 550. edit Franc.

illud ut nemo esset egenus: ne quis labore suo victum sibi parare cogeretur. Ita Canonum sensu hac interpretatione obvelato *Alexander* 3 *in Lateranensi suo sanxit, Ne quis ordinaretur sine titulo, ex quo tantum posset capere, quantum ad vitam alendam esset necessarium, addita exceptione à regula nisi de suo aut hæreditate paterna abeunde illi suppeteret.* Quibus artibus exceptionem illam deluserint, & sic nihilominus creverit inopum sacerdotum numerus ostendit Petrus Suavis. Cum de ordinatione ad titulum dissertaretur in Concilio Tridentino hæc sententia multos habuit suffragatores, *videlicet ut mos ille jam receptus neminem ordinandi sine titulo, aut beneficii Ecclesiastici aut Patrimonii ad victum idonei porro obtineat, ne sacerdotes cum summa sacri ordinis contumelia mendicantes deprehendantur. Tum ut ad prævortendum fraudibus statuatur omnem Episcopus adhibeat diligentiam, ne patrimonium ad quod Clericus ordinatus fuit, alienetur.* Hæc unica ut videmus cura tum Romanensium tum Anglorum, ne nimirum Clerici in ordinibus majoribus constituti præ egestate adigantur ad vilia exercenda officia, vel ut dicitur in glossa in dist. 70. *ne dicatur in plateis mendicat infælix Clericus.* Quod in Canone Anglicano dicitur. *Si quis vero Episcopus in sacros ordines quenquam asciverit qui prædictorum titulorum aliquo non sit præditus, tunc omnia illi necessaria eatenus subministrabit, donec eidem de aliqua Ecclesia prospexerit.* Non est recens Ecclesiæ Anglicanæ decretum. *Iam vero quia recentiores Canones Episcopos damnabant eorum alimonia, quos sine idoneo titulo ordinassent, quo sic reprimerent nimiam eorum facilitatem, etiam cautio excogitata est qua eluderent pœnam. Nam qui ordinatur nominato qualicunque titulo promittit eo se fore contentum. Eo pacto ab alimentorum actione depellitur. Taceo mille fraudes quæ hic fiunt, ut quum alii inanes sacerdotiorum titulos mentiuntur ut &c.* Calvin instit.li.4 ca.5 sect. 4. Authores admonitionis ad Parlamentum referunt, si observatum fuisset istud decretum 3 *aut* 4 *Episcopi aluissent singuli magis numerosam familiam, quàm unquam ullus Magnatum in hoc regno.* Hic opus esset literis, quas vocant, justitiæ. Nam Codicilli ceu rescripta Pontificis summi dicuntur justitiæ ad futura beneficia, quibus iubetur Episcopo conferre beneficium Clerico quem ordinavit, quia justum est eum alere quem pauperem ordinavit. Canones quibus damnati Episcopi alimonia eorum quos sine titulo ordinassent, vide Decretalium lib. 3 titulo de Præbendis & Dignitatibus cap. *Non licet,* & cap. *Episcopus,* & cap. *Cum secundum Apostolum,* & lib 1 titul. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum cap. *Accepimus.* & Sexto Decretalium titulo de præbendis cap. *Si Episcopus.* Adeo rigidi erant hac in re canones etiam recentiores, ut cautum fuerit, *Si quis ordinaverit seu ad ordinem præsentaverit aliquem promissionem vel iuramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione, præsentator vero ab exe-*

cutione

catione ordinũ per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos. Glossa ibidem. *Pactum tale sive iuramentum turpe est, ideo nullam obligationem inducit.* Episcopus Guadicensis in Concilio Tridentino invehitur in Episcopos titulares. *At enim, dicebat ille Episcopus, esse dignitati Episcopali annexum tanquam rem essentialem, habere locum & diœcesin. Episcopum & Ecclesiam relativa esse, sicuti maritus & uxor, quorum unum sine altero esse non potest. Adeoque naturam contradictionis non pati, ut ulla causa creandi Episcopos titulares dicatur legitima.* At idem est Episcopus, qui Presbyter Apostolorum idiomate. Ergo, non ordinandus Presbyter, nisi simul habeat certum cœtum & gregẽ, unde meritò dici possit Episcopus. *In ordine autẽ Romano fit mentio talis pronunciationis Episcopi nomine per Archidiaconum factæ. De titulo S. Stephani eligimus Petrum ad lectorem ad eundem titulum.* glossa in dist. 70. Si ne lector quidem admissus absque titulo, quanto minus debet Presbyter.

Decretal. lib. 5 tit. 3 cap. Si quis.
Petri Suavis hist. Conc. Trident. l 8. p. 803 edit. Francof.

Externa vocatio ad ordinem sive gradum, cerniturque in Rebus ordinationem præcedentibus vel in ordinatione re ipsa.

In rebus ordinationem præcedentibus, quales sunt,

1 Publica per Episcopum facta denunciatio diei ordinationum in locis celebrioribus Dioeceseos 2 Literæ testimoniales ad Episcopum ordinantem a viris probatæ fidei & religionis, tam de ordinandi conversatione quàm Natalibus, veluti quod non est spurius aut servus. 3 Examinatio Ordinandi, vel educationis, utrũ in schola triviali an academia, vel profectus in literis humanioribus & theologia. In quo considerantur vel profectus ipse, idque vel per Episcopum ipsum dispiciendus, vel per Archidiaconum vel aliquem eius vice assumptum, vel ipse gradus scholasticus initus.

In ordinatione ipsa, constatque in precibus pro ordinando, cohoortationibus ad eũ, Manũ impositione.

Episcopus appropinquante die ordinationum affigit edictum valuis Ecclesiæ Cathedralis & aliis locis celebrioribus quo monet

ordi-

ordinandos, ut sistant se ad locum designatum & diem dictum celebrandis ordinationibus. Zerola in praxi Episcopali. *Vndecimò, qui praxi vtendum, quando Episcopus voluerit agere ordines generales, quae solum sex temporibus anni fieri possunt, nempe, Quatuor temporibus, sitientes & sabbatho sancto: dico quod per mensem ante ordines debet ponere edictum ad valuas Ecclesiae Cathedralis vel alibi, vbi ei magis convenire videbitur, quo vocentur omnes ordinandi & tunc accipiant commissionem ab ordinario directam parocho pro capienda informatione, postea feria quarta ante ordinationem omnes praesentari debent coram Episcopo &c.* Nam primum examen instituitur in parochia ordinandi per parochum vel alium cui illam provinciam commiserit Episcopus *& reductum in scripturam occlusum remittendum ad Episcopum*, ut refert Piacesius in praxi Episcopali. Apud Anglos non observatur ordo iste aut primum istud examen. Lampridius de Alexandro Severo refert, quòd *Vbi aliquos voluisset vel Rectores provinciis dare, vel praepositos facere vel procuratores id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rationibus, si non probasset subiret poenam capitis. Dicebatque grave esse, cum id Christiani & Iudaei facerent in ordinandis sacerdotibus, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunae hominum committerentur & capita.* Vmbram moris veteris videmus durare apud Pontificios & Anglos, sed tantùm umbram. Nam aetate Severi non extenderant Episcopi jurisdictionem per integram dioecesin, nec nunc eorum nomina proponuntur, ut tunc factum innuit Severus: & quamvis proponerentur, non sunt dioecesi noti, ut tunc fuerunt Ecclesiae unius civitatis aut oppidi, & plerumque ex illius Ecclesiae clero satis noto eligendi, aut alimunde, ut satis noti, erāt postulandi. Bulla sua Episcopali denunciat Episcopus appropinquare diem ordinationum, quâ quasi classicum canit ad congregandum exercitum, qui postea impositis eius manibus statim involent in Ecclesias & invadant invitas, ut appositè dixit egregius ille Episcopomastyx Thomas Cartwrightus. An disertè etiam per edictum moneantur omnes in Dioecesi, ut denuncient, si quae noverint, ordinandorum delicta, dubitat, sed largiendo quod etiam illud fiat, tamen seriò & candidè in hoc negotio Episcopos non agere his rationibus docet. *Nam vt praeteream illud*, inquit, *qqod Episcopus solebat adire Ecclesiam illam cui praeponendus erat Pastor*, nempe dilatatis jam finibus ditionis, aut Ecclesia una majore divisa in plures particulares, *non autem Ecclesiae accessebant ad Episcopum, & vt incommodum etiam illud mittam, quomodo Ecclesiis totius dioeceseos diversoria sufficere possint vno in loco, praesertim in villulis, vbi saepiùs Episcopus confert ordines. & illud etiam quòd schedula quae affigitur valuis Ecclesiae, exaratur lingua Latina, unde fit vt accingere se nequeant tubae sonitum non discernentes; vt inquam haec*

Part. 2 voce Ordo.

Part. 1. c. 1. num. 49.

2 Replica part. 1 pag. 149 150.

omnia mittam, quid interest Ecclesiis adesse examini idoneorum ad ministerium quæ iam habent curæ incumbentem. Nam conferunt ordines Episcopi tam vacantibus quàm non vacantibus Ecclesiis. Et quid agerent ibi Ecclesiæ vacantes, cùm incertæ sint, an vllum illa ordinatione an alia quadam præcedente creatum nacturæ sint, in illa Diœcesi an in alia. Sed sint certæ, quod tamen non potest fieri, ex illo numero vnum si accepturas, & vacaverint forte quatuor aut quinque, vel oportet inquirere in vitam & mores 40 50 imò quandoque 100 ordinandorum, quod impossibile, aut decipi facilè possunt. Nam Patronus & Episcopus astringi nolunt iis in quos illæ inquisierint, sed seligent ex integro numero, quem libitum fuerit. Et licet creandorum numerus vacantium Ecclesiarum numero major non esset, cum tamen non versati fuerint in ea diœceseos parte, vbi sitæ sunt vacantes Ecclesiæ, quomodo objicient in eos quos antè nunquam viderant, aut de quibus nihil unquam audierunt. Si inesset candor ille, quem simulant Episcopi, primum scirent quinam illi sunt qui in ministerium initiari desiderant, deinde denunciarent Ecclesiis, vt ante diem certum præstituendum in hos aut illos ambientes inquirant.

Literæ testimoniales de conversatione ordinandi cujusmodi fuerant, referunt authores Admonitionis ad Parlamentum, nempe si comparasset sibi ordinandus literas commendatitias alicujus ex Nobilium aut equestri ordine, ex infima plebe quivis, doctus an indoctus parum intererat, promovebatur. In constitutionibus anni 1597 statutum, ut cooptandus in sacros ordines, *de vita sua laudabili & morum integritate literas testimoniales sub sigillo vel alicuius collegii Cantabrigiensis aut Oxoniensis, vbi antea moram fecerat, vel alicuius Iustitiarii ad pacem Dominæ Reginæ conservandam assignati, vnà cum subscriptione & testimonio aliorum proborum & fide dignorum hominum eiusdem parœciæ, vbi per tres annos ante proximè elapsos commoratus est, exhibeat.* & can. 34 constitutionum anni 1603. *Nullus Episcopus in sacros ordines quenquam de cætero cooptabit, qui non ex sua ipsius diœcesi fuerit: nisi vel ex nostratium Academiarum altera prodierit &c, at vlterius de vita sua laudabili & morum integritate literas exhibuerit, sub sigillo alicuius Collegii Cantabrigiensis aut Oxoniensis, vbi antea moram fecerit, vel certè trium aut quatuor gravium ministrorum vnà cum subscriptione & testimonio aliorum probabilium & fide dignorum hominum, quibus eiusdem vita & mores per proximum triennium fuerant explorati.* Academiarum, si essent Academiæ quales esse debent, testimonia non essent contemnenda, nec eorum fides labefactanda, sed legenti scripta Anglicana occurrunt non leves de eis querimoniæ. Quod ad trium aut quatuor gravium ministrorum literas testimoniales, novimus quinam sunt illi tantæ gravitatis elogio ornati *discretus vir Rollandus Alanus* & alii Curiones miselli, testes graves & religiosi scilicet ipso forte ordinando nequiores & viri illi compertæ fidei forte illius sodales & consortes & eorun-

dem delictorum participes. Hæc ita se habere clamant scripta piorum, & vox populi: Et si cum testibus hisce αἰτιαζομένοις alios quis componeret, facilè eorum fidem elevaret. De natalibus extat decretum Alexandri 3. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd neque spurios neque servos ordinare debes: & si memor es, in consecratione tibi dictum vide ne quemlibet servilis conditionis ad ordines promovere præsumas.* Glossa ibidem. *Spurius est cui pater est vulgus, & sic non potest ostendere patrem, vel si ostendit, verecundum ostendit, quem habere non licet.* De illegitimis natalibus vide pag.90. Servos non ordinandos ante plenam manumissionem jure quidem decrevit concilium Toletanum, ut habetur eodem titulo, & ratio redditur in canonibus vulgò dictis Apostolorum can. 82 ὅτι τὸ τῆς τῶν ἀνατρεπτικὴν τῶν οἴκων ἐργάζεται *familias evertit, subductis nimirum Domino ministeriis alioquin necessariis. Fortassis enim servus ille procurator esse possit domus & negotiorum Domini sui, vel tabernæ Dominicæ præpositus, vel cuius fidei sunt creditæ pecuniæ ad negotiationem: propterea Domino suo molesta foret eius ordinatio. Quod si servus sacro dignus existimetur, Episcopum cum Domino de eo negotio communicare oportet: hic autem si consenserit, ille ordinetur. Magnus etenim Paulus Onesimum Philemonis servum, cuius ministerium judicabat utile Philemoni, sine Domini voluntate non decrevit eum retinere, sed ipsum remisit ad Philemonem.* Hæc Zonaras in illum canonem. Non licebat servis olim militare invito aut repugnante Domino. Et licet servus propriè dicatur, qui jure gentium contra naturam subjicitur dominio alterius, nec servitus hujus generis jam ullibi in Europa locum habeat, tamen æquitas & ratio, quæ est anima legis, in aliis etiam servis valet, qui mancipati sunt publicis aut privatis servitiis. Non enim hîc tam spectanda vilis conditio servi, nam in Christo non est differentia niter servum & liberum, quàm quod distraheretur à cura sacri muneris, vel damnum pateretur Dominus.

Decretal. lib. 1 tit. 18.

Instante ordinationis die, examinatur ordinandus per Archidiaconum. Dicit Piacesius, licet de jure spectet hoc examen ad Archidiaconum, posse tamen Episcopum aliis viris eruditis, hoc examen demandare, vel ipsemet examini præsidere: rarò tamen examini isti ante diem ordinationis præsidet ipse Episcopus, quamvis *rigorosè examen hoc institui debet*, ut ait Piacesius. Nam examinatur de iis in quibus periculum animæ vertitur, integritate vitæ & doctrina. Cum eligitur Episcopus eligitur industria personæ, fides, peritia. Non debet igitur demandare examen istud aliis: multò minùs ferre, ut Archidiaconus Presbytero & ordine & gradu inferior examinet Presbyterum, quia Papali quadam consuetudine hoc munus sibi arrogat. Si dixerit quis Archidiaconum esse

Praxi Episcopal. p. 1. c. 1 num. 49.

 etiam

etiam Presbyterum, id de omnibus Archidiaconis affirmari non potest. Præterea non quatenus Presbyter, sed quatenus Archidiaconus eo munere fungitur: & Archidiaconus Presbyter monstrum est in Ecclesia. Imo cur in ullum Presbyterum rejiceret hoc onus Episcopus, siquidem in eligendo Episcopo eligitur, ut diximus, industria & fides personæ. Author Abstracti refert quandoque Archidiaconum examinare in una regni regione, Episcopum in alia conferre ordines. Sed ad ipsum examen veniamus. De conversatione fides adhibenda, inquiunt, literis testimonialibus. Quemlibet præsumere debemus dignum quem nescimus indignum, dicunt Canonistæ. Timotheus tamen aliis & amplioribus elogiis ornatus à fratribus, cum assumeret eum sibi comitem Apostolus. Doctrina quia est quid extrinsecum & accidentale homini, idcirco non præsumitur homini inesse nisi industria & diligentia acquiratur. Hic actuali ut dicunt, & agnoscunt, examine opus est. In constitutionibus anni 1571 habentur hæc verba, *Archidiaconi & aliorum substituti, quos officiales appellant, in visitationibus suis vocabunt clerum ad rationem quantum quisque promoverit in studio scripturarum, & quicunque ex illo ordine Magisterii artium in Academiis non attigerint, illis proponent partem aliquam Novi Testamenti memoriter edis cendam, eosque in proxima synodo ad repetitionem adigent, & contumaces & negligentes Episcopo indicabunt.* Primum creantur ductores gregis deinde fiunt discipuli. Qualitates adesse debent eo tempore quo dispositio sumit effectum. In opilione, vigile, milite, magistratu & aliis id observandum nemo negat. Cleri nomine Presbyteros intelligi ostendunt verba sequentia, *Peracta visitatione Archidiaconus significabit Episcopo, quos invenerit in quoque Decanatu ea doctrina & judicio præditos, ut digni sint qui pro concione doceant populum, & præsint aliis, ex illis Episcopus potest delectum facere quos velit esse Decanos rurales.* Constitutionibus anni 1597 & Canone 34 constitutionum anni 1603 videntur majorem peritiam exigere in ordinandis. *Nullus in sacros ordines quenquam de cætero cooptabit, qui non ex sua ipsius Diœcesi fuerit, nisi vel ex altera nostratium Academiarum prodierit; vel nisi literas (quas vocant) Dimissorias attulerit ab Episcopo de cujus jurisdictione existit: & si Diaconus fieri expetit 23; sin Presbyter 24 ætatis suæ annum jam compleverit, ac etiam in altera dictarum Academiarum gradum aliquem scholasticum susceperit, vel saltem nisi rationem fidei suæ juxta Articulos religionis in synodo Episcoporum & cleri anni 1562 approbatos, latino sermone reddere possit & eandem scripturæ testimoniis corroborare.* Non exigit canon iste, ut nulli cooptentur in sacros ordines, nisi qui prodierint ex Academiis, sed si sunt Diœcesani vel alienæ Diœceseos subditi & habent

habent literas dimissorias, modo possunt rationem fidei reddere, ut dictum, latino sermone non rejiciendi. Præterea gradus scholasticus in literis humanioribus sufficit, non autem requiritur necessariò in Theologia. Preterea observandum nihil hîc requiri in Presbytero magis quàm in Diacono. De cooptandis non in ordinem Presbyteratus in specie sed in sacros ordines in genere statuit canon ille, & verba utrisque accommodari possunt. Deinde nihil hîc de dono concionandi statuitur. Annon quia existimant donum concionandi non esse Presbytero necessarium & essentiale, sicut & Pontificij. Tertiò nec illud observatur quod consecrati etiam post canonem illum conditum debeant reddere rationem fidei suæ juxta articulos illos sermone latino, & corroborare testimonijs scripturæ, quod tamen esset facillimum. Respondet Masonus Hierarchicus in libello de authoritate ecclesiæ in condendis canonibus, esse vitiū non legis sed transgressorum legis. Nonne ipsimet conditores canonum sunt eorundem violatores, & quis contra hiscere audet? Quid iuvant leges æquissimæ, vbi dominantur Domini, dixissem, tyranni legum administri & executores. Nullus candor in condendo canone, sed tantum fallacia ad gignendam spem reformationis in animis piorum. *Recole igitur mecum novissimas tuas constitutiones*, inquit Beightmannus, *quæ solent esse sapientissimæ, tractatas in Synodo Londinensi & editas anno 1597. quam medicinam ecclesiæ laboranti facis? Primùm decernis vt homines idonei ad sacros ordines & beneficia, vt vocant, Ecclesiastica admittantur. Equidem titulus recreabat multos, & vti tandem oculis complures te iudicabant. Hoc hominum genus ecclesiam iam diu male habuit. Spes erat remedij, quando tu morbum videres & agnosceres. Ex malis enim moribus nascuntur bonæ leges. Sed quàm tu sapienter occurristi huic malo & expectationem bonorum explevisti, tecum ipse perpendas, deinde sententiam feras. Nosti sancitum esse statuto regni, Neminem admittendum ad sacros ordines, nisi qui natus sit 24 annos ad minimum, atque priùs attulerit Diœcesano testimonium hominum, quos cognitos habet Episcopus esse sanæ religionis tum de proba sua vita tum de profitenda doctrina ecclesiæ nostræ: nec non potuerit rationem fidei suæ reddere latino sermone, vel saltē præditus quodam concionandi dono fuerit præditus. Hac iam diu constituto nihilominus laboravit Ecclesia nova turba hominum indignissimarum. Quibus ergo cautionibus imbecillitatem legis sublevasti? Solent enim prudentes & oculati viri perspecta legum infirmitate strictioribus sanctionibus in illam partem adiuvare, qua vident hominum audaciam perrumpere.* Et eodem capite habet auream illam & verissimam sententiam *Nihil proficimus nostris legibus, vbi Christi leges non servantur.* Quorsum leges, si episcopi exleges sunt. Quorsum leges, vbi prima lex, nempe de legitimo regimine quod commendatur nobis in scripturis, non primas tenet, seu prorsus

In Noce. cap. 5. p. 68. in octavo.

sus exulat. Nec præcipit canon ut repellatur ordinandus, & irrita fiat ordinatio etiam post impositas manus, si compertum fuerit non fuisse idoneum. Nec in ordinantem gravior statuitur pœna. Canone sequenti sic decreverunt. *Quod si quis Episcopus vel Suffraganeus in sacros ordines quempiam sine prædictis qualitatibus aut iusto (vt supra) examine cooptarit per provinciæ suæ Archiepiscopum ea de re certiorem factum (assidente vno alio Episcopo) ab omni ordines conferendi potestate in integrum biennium secludetur.* Gravis scilicet animadversio. Nam si Episcopus suspenderetur ad biennium integrum à conferendis ordinibus habet Suffraganeum qui & ad eius nutum conferret. Si Suffraganeus, ipse Episcopus conferet. Deinde quis ille qui audet adire palatium Archiepiscopi eumque segnioré excitare ad judicandum de Episcopo. Sic imponunt ecclesijs impostores illi, interim patitur ecclesia, & retinet ordinem consecratus, nam character est indelebilis. Obiter vides lector, licet Archiepiscopi unà cum Episcopis conjurati sint contra libertates ecclesiæ, quid tamen possit de jure Anglicano Arch. nempe solus suspendere episcopum ab officio. Nam Episcopus qui assidet non est iudex, sed assidet solummodo. *Habent Episcopi,* inquit Calvinus, *suos vicarios qui ante ordinationem de doctrina inquirant. Sed quid? an legere suas missas possint: an vulgare aliquod nomen, quod in lectione occurret declinare, an conjugare verbum, an vocis vnius significationem noverint. Nec enim est necesse, vt vnius versiculi sensum reddere sciant. Neque tamen è sacerdotio repelluntur, qui in his quoque puerilibus elementis deficiunt, modo aliquam pecuniæ vel gratiæ commendationem attulerint.* Si liturgiam Anglicanam quis legere queat articulatè, omnibus necessarijs ministri Anglicani muniis fungi potest. At si non perfectam omnibusque numeris absolutam rerum cognitionem in omnibus necessariam dicimus, mediocrem tamen desideramus, vtque talis sit ad ordinem Presbyteratus promovendus quales vulgo homines eruditos appellare solemus, ait Duarenus.

Instit. l. 4. c. 5. sect. 5.

De sacr. minist. l. 4. c. 2.

De loco & tempore ordinationum extat Canon in constutionibus anni 1603. *Vt nulli in posterum Presbyteri aut Diaconi ordinentur nisi in diebus Dominicis immediatè sequentibus Iejunia quatuor temporum vulgo septimanas cinerum,* Anglicè *the Ember weekes, ad preces & Iejunia, idq; hunc in vsum antiquitùs institutas) atque in ecclesia Anglicana hodiè continuatas. Quod vtique fieri volumus in Ecclesia Cathedrali vel Parochiali, vbi Episcopus commoratur, ac tempore Divinorum, assistente non solum Archidiacono, sed & Decano, & duobus ad minus Præbendarijs, aut (illis legitimè detentis) quatuor alijs gravioribus personis, quæ Magistri artium ad minimum extiterint & pro publicis concionatoribus legitimè approbatæ.* Assistentes isti non habent potestatem ordinationis, sed eam singularem vendicat sibi Episcopus. *Soli episcopi his verbis Accipite spiritum sanctum, &c. Presbyteros creant,* inquit

Can. 31.

Mucketus

Mucketus) *licet vnà cum ijs Decani, Cathedralium Ecclesiarum præbendarij & Archidiaconi ad tam sacrosanctam, & publicam actionem communibus votis promovendam, manus quoq; imponant.* Non datum Presbyteris etiam Decanis aut Præbendarijs dicere ordinando, *Accipe spiritum sanctum, &c.* Quomodo distinguunt inter impositionem manuum episcopi & assistentium, vide suprà pag. 226 Ordinationes non essent celebrandæ in ecclesia Cathedrali vel Parochiali, vbi commoratur Episcopus sed in ecclesia Parochiali, cui præponendus Presbyter, si non consecrarentur ἀπολελυμένως contra canonem Concilij Chalcedonensis, & Apostolicæ Ecclesiæ morem. Præterea licet in Ecclesia Cathedrali aut Parochiali, vbi commoratur confert ordines statis temporibus, extra hæc tempora solennia contulerunt ordines quandoque episcopi pro re nata in sacellis suis. Ordinationes absque titulo introduxerunt quoque stata ordinationum tempora. Nam quandiu ordinatio erat ad certum titulum ceu gregem non erant stata tempora. Nam non poterant omnes vno tempore diversis parœcijs, & diuersis locis præfici. Non igitur erat traditio Apostolica, ut asserit Leo serm. 3. ac 4. de jejunio septimi mensis. Stata tempora definiuntur Decretalium lib. 1. tit. 11. cap. 3. quatuor tempora, sabbatum sanctum, sabbathum ante Dominicam de passione, adde & ex capite primo, sabbathum post Pentecosten. *Consuetudo*, ait glossa in 75. distinct. cap. Quod à Patribus, *tamen habet, quod tantum circa horam nonam sabbathi fiunt ordinationes.* Si die Dominico non jejunandum, & tamen die Dominico celebrandæ ordinationes Presbyterorum & Diaconorum apud Anglos, quomodo celebrant ordinationes cum jejunio. Si dixerint continuato jejunio usque ad prandium, ante prandium celebrari ordinationes, an non tamen ex parte dies Dominicus erit dies jejunij, qnia vetitum ante celebratas ordinationes comedere. Fulco Rhemistis hæc jejunia quatuor temporum authoritate illius loci, Act 13 3. confirmantibus respondet. *Ieiunia vestra Septimanis Cinerum nihil aliud sunt, quàm ludificatio veteris disciplinæ ecclesiasticæ? Nam observatis dies illos ex necessitate, quamvis nulli sint in Diœcesi ordines suscepturi, & quandoq; episcopi vestri conferunt ordines absque præparatione jejunij.* Sic puto episcopos Anglicanos singulos singulis Septimanis cinerum non celebrare ordinationes, & extra hæc tempora celebrasse jam diximus absque ullo jejunio.

De Politia pag. 341.

In conferendis ordinibus hunc morem obervant. Ad Presbyteratus gradum per Diaconatum ascendere oportet servatis debitis temporum interstitijs. Potest tamen Archiepiscopus concedere facultatem, ut præparatus ad sacros Ordines queat ordinem Diaconatus & Presbyteratus simul & tempore non statuto suscepere. De ascensione ista per gradus, temporum interstitijs, & dispensatione vide pag. 109. 110.

Can

Can. 35. constitutionum anni 1603. sic decretum. *Episcopus priusquam cuilibet ordinando manus imponet, diligenti eum examine excutiet & explorabit, præsentibus iisdem Ministris, quos velit in impositione manuum sibi assistere. Quòd si Episcopus legitimè impeditus prædicto examini vacare nequeat, illud tamen à præfatis Ministris sollicitè fieri procurabit. Proviso semper, vt qui Episcopo in dicta examinatione, & manuum impositione adesse debeant, de ipsius Cathedrali ecclesia existant (siquidem eorum facultas dabitur) alioqui tres ad minus idonei concionatores ab eadem Diœcesi adsciscantur.* Episcopus Anglicanus etiam jejuniis quatuor temporum ceu Septimanis cinerum legitimas fingere potest causas, quibus impeditus non potest ordinandorum examini vacare; Semper occupatus alienis negotiis & sœcularibus, nunquã potest curare spiritualia & sua. Sed perinde est sive Episcopus sive Cathedrales Presbyteri examinaverint. Canonem & amussim examinis habemus, can. 34. cuius partes suprà vidimus. Præscribatur accuratior modus examinandi, nihil tamen inde commodi percipiet ecclesia, quandiu eiusmodi habet examinatores, episcopum vel Decanum & præbendarios tres aut duos episcopo ipso nihilo probiores, vt paulo antè diximus.

Forma sive ritus ordinandi Presbyteros hæc est. Post exhortationem, qua monentur de munere & officio suo, qui Ecclesiasticum ministerium suscepturi sunt, sequitur statim S. cœnæ administratio, epistola prælegitur ex Act. 20. a versu 17 ad 36. vel si forte contingat eodem die & Diaconos & Presbyteros ordinari totum cap. 3. 1. ad Timoth. Postea legitur etiam pars evangelii extrema secundum Math. à vers. 18. ad finem, vel Ioh. 10. a vers. 1. ad 17. vel Ioh. 20. à vers. 19. ad 24. Evangelio lecto recitatur vel decantatur hymnus, *Veni Creator spiritus, Mentes tuorum visita, &c.* quem habes in Pontificali Romani fol. 19. *Hymno finito, Archidiaconus eos omnes, qui Presbyteratum illo die sunt suscepturi, præsentabit Episcopo hisce verbis vsus, Reverende pater in Christo, præsento tibi personas hîc adstantes, vt ad ordinem presbyterii admittantur. Hic vero adhibeantur interrogationes & responsiones, quæ supra præmittuntur in ordinatione Diaconorum. Tuncque Episcopus ad populum conversus dicet. Dilecti fratres, hi sunt isti, quos annuente Deo statuimus hodie in sacrum Presbyterij ministerium cooptare. Nihil enim invenimus post examinationem debitam obstare, quominus censeamus eos aptos & idoneos ad illud munus obeundem, adeoque legitimè vocatos esse. Si quis autem vestrum in eorum quovis gravius vllum crimen vel impedimentum cognoscit, cuius causa ad sacrum istud ministerium non debeat recipi, ne gravetur id extemplò in Dei nomine patefacere.* Quomodo his dictis illudunt ecclesiæ, paulo antè diximus. *Si gravius aliquod crimen vel impedimentum objectum fuerit in aliquem abstinebit ab ejus ordinatione episcopus, donec reus à tali criminatione se liberum esse probaverit.* Sunt ordinandi

Ilandi absolutè & sine titulo, quis igitur anxius erit, utut se res habeant, & si gravissima sive facti sive juris infamia laboraverint. Hic mos tamen arguit consecratos fuisse olim Presbyteros præsente grege suo. In Pontificali Romano postquam Archidiaconus adduxit ordinandos ad episcopum, Pontifex ceu episcopus, *Legendo annunciat Clero & populo juxta statutum Carthaginensis concilij sedens cum mitra & dicens. Quoniam dilectissimi fratres: Rectori navis & navigio deferendis eadem est securitatis ratio vel communis timoris par eorum debet esse sententia quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra à patribus institutum, ut de electione illorum qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus, quia de vita & conversatione præsentandi quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis, & necesse est & facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros (auxiliante Domino) ordinandorum conversatio, quantum mihi videtur probata, & Deo placita existit, & digna ut arbitror ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse vel paucos aut decipiat attentio vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum, &c.* Folio 17. Posthæc episcopus eos qui digni fuerint reperti cómendans precibus universi cœtus, vnà *cùm clericis & plebe præsente Litaniam recitabit* (quæ habetur in libro precum publicarum, & incipit, *Pater de cœlis Deus, &c.* cum *hac precatione. Omipotens Deus largitor bonorum omnium qui per sanctum tuum spiritum diversos ministrorum ordines, in ecclesia tua, &c. Hic singulis ordinandis juramentum de suprema regis potestate, sicut præscribitur in ordinatione Diaconorum proponet Episcopus.* Iuramentum fidelitatis suscipitur hac verborum formula, *Ego A. B. verè & sincerè agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea coram Deo & mundo quod supremus Dominus noster Rex Iacobus, est legitimus & verus Rex bujus regni, & omnium aliorum Maiestatis suæ Dominiorum & terrarum. Et quod Papa nec per seipsum nec per ullam aliam auctoritatem ecclesiæ, vel sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscunque alijs aliquam potestatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel alicui principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatis obedientia & subjectione exonerandi aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maiestatis suæ personæ, Statui vel Regimini, vel aliquibus suis subditis infrà sua Dominia offerendi. Item, juro ex corde, quòd non obstante aliquâ declaratiône, vel sententia Excommunicationis aut deprivationis factâ vel concessa, aut fienda vel concedenda per Papam vel successores suos, vel per quamcunque auctoritatem derivatam vel derivari prætensam ab illo ceu à sua sede contra dictum Regem hæredes aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen & veram obedientiam*

tiam suæ maiestati, hæredibus, & successoribus suis præstabo; Ipsumque & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes & attentata quæcunque, quæ contra personam illius vel illorum, eorumque coronam & dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: omnemq; operam impendam revelare & manifestum facere suæ Maiestati, hæredibus & successoribus suis omnes proditiones & proditorias conspirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam vel auditum meum pervenerint. Præterea, juro, quòd ex corde abhorreo, detestor & abjuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propositionem, Quòd Principes per Papam excommunicati vel deprivati possint per suos subditos vel alios aliquos quoscunque deponi aut occidi. Et vlterius credo, & in conscientia mea resolvor, quòd nec Papa nec alius quicunque potestatem habet me ab hoc juramento aut aliqua eius parte absolvendi: quod juramentum agnosco recta ac plena auctoritate esse mihi legitimè ministratum, omnibusque indulgentijs ac dispensationibus in contrarium renuncio. Hæc que omnia planè ac sincere agnosco & juro juxta expressa verba per me hic prolata, & juxta planum ac communem sensum & intellectum eorundem verborum absque vlla æquivocatione, aut mentali evasione, vel secreta reservatione quacunque. Hancque recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè & verè in vera fide Christiani viri: Sic me Deus adjuvet. Hoc juramentum quod habes lector ex versione latina Mucketi in libello de *Forma consecrandi Archiepiscopos & Episcopos & ordinandi Presbyteros & Diaconos in Ecclesia Anglicana*, hîc obiter insertũ, vt videat lector discrimen inter juramentum primatus de quo capite primo pag. 3. & juramentum fidelitatis. Habet deinde oratiunculam ad ordinandos episcopus, qua obtestatur, vt seriò cogitent de onere officij sui, vtpote qui appellentur in S. literis Legati, Excubitores, Pastores ac Dispensatores Domini ad docendum, præmonendum, pascendum & curandum familiam Domini, vt quotquot fidei suæ committuntur oves, vel in posterũ committentur, nunquam cessent ad veram Dei cognitionem perducere, & in vnitate fidei conjungere ac fovere, vt erroribus explosis sana doctrina erudiantur. Admonet ne scandalum vel occasionem scandali alijs præbeant; quanto studio in sacris literis perlegendis & perdiscendis, versari oporteat. Hæc summa illius oratiunculæ quæ extat in libello Ordinationum. Sed hîc satis mirari nequeo, qua fronte ita alloquantur ordinandos, quorum plerosque satis norunt non magis aptos ad docendum, exhortandum, convincendum, quàm bos est ad volandum, qui supra liturgiam aut nihil aut certè parum sapiunt. Nisi quòd, dicis causa, veteres, absque vlla virtute, simiarum instar admonitiones & exhortationes adhibeant. Deinde percontatur quædam Episcopus 8. vel 9. quæstionibus, quarum tertia est, *Nunquid fidelem & assiduam navabis operam in do-*

ctrina,

ctrinæ, sacramentorum, atque disciplinæ Christianæ dispensationem iuxta præceptum Domini & receptum morem huius regni, gregemque tuæ fidei commendatum docebis eadem omni studio observare. R. ita faciam Domino auxiliante. Quomodo navarent operam in doctrinæ dispensatione, qui docendi donum non habent, vel an doctrinæ dispensasationem volunt illam Evangeliorum & Epistolarum ordinatam lectionem decantandam aut recitandam more Pontificio. Cum potestas disciplinæ omnibus Presbyteris erepta sit, quid intelligunt disciplinæ nomine, quæ diversa est à Doctrina & sacramentis, aut quomodo eam dispensant Presbyteri? an denunciationem publicam sententiæ excommunicationis latæ in consistorio Episcopi per Cancellarium aut Officialem? vel an disciplinam illam pœnitentialem, quam Confessarij injungunt confitentibus, intelligunt? vel an absque ullo sensu verba quibus vtebantur veteres cum disciplina erat penes Presbyteros, dicis causa, usurpant? Quæstio postrema est, *Nunquid ordinario tuo alijsque præcipuis Ecclesiæ Ministris, quorum iurisdictioni subesse te contigerit, obedientiam cum debita reverentia præstabis, libenti animo salutaribus eorum monitis obtemperans, pijsq; censuris acquiescens.* Resp. *Hoc quoque faciam Domino auxiliante.* In re maxime seria sibi tamen semper consulunt. In Pontificali Romano *genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis, promittis mihi & successoribus meis reverentiam & obedientiam & ille respondet, promitto.* Deinde optat illis dona ad hæc officia præstanda. *Post hæc rogabitur vniversa congregatio, vt velint tacitis suis precibus & votis ardentibus istud negotium eiusque successum Deo commendare. Cuius rei gratis pauxillum temporis spatium, prout visum erit expedire, silentio transigatur.* Deinde precatur gratias agens quod Christus in cœlum ascendens, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, & Pastores in hunc modum (Anglicanumnè?) emisit, & orat, vt concedat ipsis animorum gratitudinem pro tanto beneficio obedientia sua declarare. *Hac finita precatione Episcopus & Presbyteri præsentes manus suas imponant singulorum qui ordinantur capitibus separatim. Quibus in genua submisse procumbentibus Episcopus hæc verba pronunciabit, Accipito Spiritum sanctum: Cuius remiseris peccata erunt ei remissa, & cujus ligaveris peccata, erunt ei ligata. Tu vero fidelem age dispensatorem verbi Dei & sacramentorum, in nomine Patris & Filij & spiritus sancti. Episcopus item singulis eorum in manum tradens S. scripturæ codicem, sic dicet, Habeto tu auctoritatem prædicandi verbum Dei & administrandi Sacramenta in illa Ecclesia, quæ tibi fuerit commendata.* Qua authoritate dicit, *Accipito spiritum sanctum* eadem etiam potest imitari Christum imperantem mari turbido, vt sit tranquillum. Si dixerint istud in Christo fuisse miraculosum, sic & illud. Ideo in imperativo modo dixit, *Accipite spiritum sanctum*, vt qui potestatem habuit conferendi

rendi dona spiritus sancti: Non orabat, vt aliàs solebat, cum humanitatis suæ signa & testimonia edere volebat. Si verba, etiam signum externum insufflationis usurpare possunt. Facto simul & verbo significavit spirituale donum quod Apostolis contulit. Apostoli ipsi non isto modo creabant Presbyteros, & licet hoc privilegium illis concessum, vt impositis manibus conferrent spiritus sancti dona, tamen orantes non præcipientes aut imperantes ordinarunt Presbyteros. *Servamus, inquiunt, exemplum Domini. At multa egit Dominus, quæ nobis exemplum esse noluit. Dixit Dominus Discipulis, Accipite Spiritum sanctum. Dixit & Lazaro, Lazare, veni foras, Dixit Paralytico, Surge & ambula. Cur non eadem dicunt omnibus mortuis & Paraliticis? Divinæ suæ virtutis specimen edidit, quùm insufflando in Apostolos, spiritus sancti gratia illos replevit. Hoc ipsum si conantur efficere, Deum æmulantur, & tantum non ad certamen provocant, sed longissimè absunt ab effectu, nec aliud inepto isto gestu quàm Christum illudunt. Sunt quidem adeo effrontes, vt asserere ausint conferri à se Spiritum sanctum, sed quàm id verum sit, docet experientia, quæ clamat ex equis fieri asinos, ex fatuis phreneticos, quicunque in sacerdotes consecrantur.* Hæc Calvinus. Et ceremoniam insufflationis damnans, *quando quidem à Christo in singulare miraculi symbolum vsurpata est*, innuit miraculum in verbis illis, *Accipite spiritum sanctum.* Cum Episcopus ait, *Age fidelem dispensatorem verbi Dei,* seriòne loquitur, an ludit & illudit. An potest Curio Liturgicus dispensare verbum Dei, qui nihil aliud potest, nisi legere Epistolas, Evangelia, Collectas, preces præscriptas statutis temporibus, prout dirigit liber Liturgiæ publicæ, vel an illa dispensatio verbi, vt dividitur in Lectiones in libro illo & legitur, est ὀρθοτομεῖν. Similiter cum tradit codicem sacræ scripturæ in manus ait, *habeto authoritatem prædicandi verbum Dei.* Sed quid si non habeat donum concionandi, sicut eo carent plerique Presbyteri Anglicani. Deinde quid si non concesserit Episcopus potestatem illam Nam nemo tenetur concionari apud Anglos vi ordinis Presbyteralis, sed oportet etiam post impositas manus & fortè pluribus post annis hanc facultatem impetrare ab Episcopo. Sicut in Pontificali Romano habetur, Episcopus cum instruit & admonet Presbyteros ordinandos ait, *Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare.* Item, *sub eodem quoque mysterio & eadem figura in novo Testamento Dominus 72 elegit atque binos ante se in prædicationem misit.* Item, *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ vestræ, delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione atque exemplo ædificetis domum id est familiam Dei.* Et cum imponit casulam, ait *Tu Domine super hos famulos tuos, quos Presbyterij*

Instit. l. 4. c. 19. s. 29

Fol. 17.

Folio 17.

byterii honore dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum & censura vivendi probent se esse Seniores, his instituti disciplinis quas Tito & Timotheo Paulus exposuit (& citantur 1 Timoth. 3 ad Titum 1) *ut in lege tua die & nocte, omnique tempore meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur.* Non tamen sunt omnes Presbyteri apud Pontificios concionatores, nisi quibus ea potestas concessa fuerit, sic apud Anglos. Hortationes, & admonitiones istæ sunt fragmenta veterum illarum quæ adhuc reliquæ sunt in pontificalibus suis, quas non histrionum more qui non sine arte histrioniam agunt, sed Simiarum instar absque ullo delectu aut recta applicatione more suo liturgico recitant. Cum tradit codicem sacræ scripturæ, traderet potius in manus ordinandi librum precum publicarum ceu publicæ liturgiæ. Et sicut apud Pontificios Presbyteri non concionantes absoluere possunt in foro pœnitentiæ, remittere vel retinere peccata, sic omnibus Presbyteris Anglicanis, sive prædicare sive non prædicare possint, in ordinatione data potestas remittendi & retinendi peccata. Præterea cum ait, *Habeto tu auctoritatem prædicandi verbum Dei & administrandi sacramenta in illa Ecclesia, quæ tibi fuerit commendata*, hoc etiam modo illudit, quasi certum esset commendandam fore ordinando Ecclesiam, cum à Patrono & Episcopo tota res pendeat, & si deerit qui conducat, nemini operam suam locare potest. *Hoc peracto Symbolum fidei decantetur per cœtum* (& quidem absque rithmo ut arbitror) & per cœtum utrum intelligendus omnium spectantium an ordinandorum tantùm, nescio. In Pontificali *Pontifex accepta mitra vertit se ad ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes simul profitentur fidem quam prædicaturi sunt dicentes Credo in Deum Patrem &c.* Decantato symbolo *statim se ad S. communionem accingunt, quam omnes qui ordines suscepturi sunt pariter suscipiant in eodem permanentes loco, ubi manuum impositionem acceperunt, donec S. cœna fuerit peracta.* Piacesius in praxi Episcopali ait ordines non conferendos nisi in Missa *Maiores videlicet, nam minores possunt etiam absque Missa conferri.* Audivimus statim post primam exhortationem sequi S. cœnæ administrationem, jam post ordinem collatum sequi communionem & Eucharistiæ perceptionem. Priore actione nonne refertur Missa, posteriore communio. Deinde an non est prophanatio sacramenti sic dividere sacram cœnæ celebrationem, & inter consecrationem & elementorum dispensationem; aliud agere imo aliud sacramentum, ut ipsi opinantur, celebrare, nam ordinario illis sacramentum est. Sic unius sacramenti celebrationem dividunt, duorum conjungunt vel potius miscent & confundunt ac si unum sacramentum aliud sanctificaret, vel sanctius reddere non posset nisi dividendo unum & inserendo alterum. Vtrum vero alii quàm ordinanti

Fol. 19. *Fol. 21.* *Part. 1 ca. 1.*

nanti percipiant etiam Eucharistiam nescio, sed ex hoc loco videtur posse collegi quòd non, atque hæc alia etiam sacræ cœnæ prophanatio. *Tunc autem post ultimam Collectam immediatè ante benedictionem sequitur ista precatio Misericors pater* &c. ubi habemus hæc verba. *Quò verbum tuum illorum voce prædicatum semper vim suam & efficaciam obtineat, nec ullo tempore inutile auditoribus vel infructuosum reperiatur.* Vides denuò prædicationem verbi expectandam ab omnibus ordinatis sed quam ridiculè, jam diximus. *Si Diaconatus & Presbyterii ordines eodem die conferantur, tum omnia in S. cœnæ celebratione eodem modo peragantur, quo præscribitur in ordinatione Presbyterorum, nisi quod loco Epistolæ legatur cap. 3 1 ad Timoth. Post Epistolam vero statim ordinentur Diaconi & litaniam semel decantare aut recitare sufficiat.* Sunt & alia plura, quæ non habentur in libello ordinationum, ut paramenta, locus ordinationis, & similia de quibus nihil reperio apud scriptores Anglicanos.

De vocatione ad ministerium in Ecclesia Anglicana videamus quid sentiat Th. Beza epistola ad quosdam Ecclesiarum Anglicanarum fratres. *Quæritur an probare possimus istam ἀταξίαν in ministerii vocatione, quòd videlicet absque legitimo suffragio Presbyterii, & ulla assignata parœcia levissimo examine vitæ & morum turba ordinandorum in album referatur, quibus postea pro Episcopi arbitrio potestas fiat verbi Dei ad certum tempus annunciandi vel recitandæ liturgiæ,* imò non annunciandi omnino, nisi permittente Episcopo, si non excipiantur per canonem. Respondet, *Certe quod ad nos attinet nolimus ministerii functionem hac ratione ne oblatam quidem recipere, nedum petere.* Si resciviisset alia omnia quæ requiruntur in vocatione tum ad ordinem tum ad gradum, quid respondisset?

Epist. 12.

Inter ordinationis effectus numerat Piacesius, *quòd ordinato dari debent literæ testimoniales ordinationis suæ ab Episcopo ordinante & sine literis non crederetur ipsi. Nec sufficeret habere litteras sacerdotii, sed omnium ordinum haberi debent: posset enim præsumi fuisse per saltum promotus.* Canone 137 constitutionum anni 1603 habetur hic Canon. *Cum non minima sit visitationis causa & effectus, ut Episcopus, Archidiaconus, aut alius visitans de statu, sufficientia, & facultatibus Cleri, & aliorum visitandorum perfectiorem aliquam notitiam consequantur, æquum duximus, ut quilibet Rector, Vicarius, Curatus, ludimagister, & alius quicunque licentiatus literas ordinum, Institutionis, & Inductionis, itemque dispensationes, Licentias & Facultates suas quascunque in visitatione prima illius Episcopi, vel in proxima post eius admissionem exhibeat per dictum visitantem approbandas, aut (si iusta fuerit causa) reiiciendas, & si approbatæ fuerint, per Registrarium (uti moris est) consignandas, quodque feoda in visitationibus (intuitu præmissorum) consueta solui, semel duntaxat tempore*

Piac. epist. part. 1 ca. 1.

alicuius Episcopi integra persolvantur; in reliquis verò ejusdem visitationibus, quamdiu in ea sede permanserit, dictorum feodorum dimidiū tantùm exigatur. Gregorius synodo generali præsidens sic statuit, *Sicut non debet episcopus manum quam imponit, ita nec minister* (i Archidiaconus qui examinat promovendos) *vel Notarius in ordinatione ejus vocem vel calamum vendere. Pro ordinatione igitur vel usu pallii, seu chartis atque pittaciis, eum qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus.* Idem prohibetur causa 1 qu. 2 cap. *Sicut Episcopum.* Assertor politiæ Christianæ ait negari non posse. *Præter feoda censalaria illa quæ ipsi Episcopo ejusve Registrario aut Scribæ pro expediendis literis dantur, Episcopi etiam Secretarium, Silentiarium, cubicularium, promum condum, panarii custodem, atriensem, aliosque ex eius famulitio exigere & accipere feoda quosdam maiora quosdam minora, priùs quàm misero ministello permissum fuerit prætergredi Atriensis domunculam cum capsula qua continentur literæ ordinum.* Petrus Suavis disserens qua occasione simonia in collationem sacrorum ordinum ac beneficiorum irrepserat, ait, *Postquam temporale quod in communi asseruabatur & possidebatur, cæptum est dividi, & reditus certus appellatione Beneficii titulis applicari, cum hucusque distincta non esset ordinatio à collatione tituli, ac proinde beneficii titulo annexi, sed vnà darentur & acciperentur, tunc primum visum est ordinatoribus, propter emolumenta quæ ordinatis inde proveniunt, propter spirituale temporale aliquid dari, cuius intuitu in remunerationem temporale quiddam sumi posset. Cum vero propositum erat beneficium impetrare, is sese ad voluntatem dantis accommodare necesse habebat.* Inde ait sequutam negotiationem apertam in orientali præsertim Ecclesia. *In occidentali item, bonis licet frementibus, eadem alibi magis alibi minùs obtinuit vsque ad annum salutis millesimum, quo tempore facta inter ordinationem & collationem beneficii distinctione, ordinatio cœpit gratuitò, sed in collatione pretium exigi manifestiùs. Ex eo crevit semper abusus variis impositis denominationibus, vtpote annatarum, minutorum servitiorum, scripturæ, sigilli & istiusmodi tegumentorum, quibus coopertus grassatur per Ecclesiam exigua spe ejus aliquando tollendi, quoad Christus ipse alia vice nummulariorum menses evertat, & flagello nundinatores istos è templo ejiciat. Verum ordinationi quæ à collatione beneficii separata gratis administrabatur non diuturnum id fuit gaudium. Episcopi enim spreta ea tanquam abiecta & infructuosa, ad alterum solum, vnde emolumentum percipiebant, erant attenti. Vnde à veris Episcopis in solo temporali administrando occupatis relicta pedetentim ordinationum administratione instituti Episcopi titulares, qui ministeria episcoporum Ecclesiastica obirent. His, quod reditus nullos possiderent necessum erat è functionibus quas obibant, sibi victum parare: iique vicissim, quos ad ordines admittebant, his aliquid conferre cogebantur primum eleemosynæ nomine sive oblationis, dein honoratiore titulo donationis,*

Hist. Conc. Trident. li. 6 p. 555 edit. Francof.

tionis, ac denique ne cum debitum esset, omitteretur imposito nomine mercedis, non quæ Episcopo ordinanti, sed famulis eius aut tabellioni, aut aliis inter ordinandum ministrantibus cederet. De hoc igitur abusu articulus institutus altero illo qui in collatione beneficii usuuenire solet relicto tanquam deplorato, neque alio remedio, quam extremo, sanabili. De articulo isto quàm variæ fuerint sententiæ in Concilio Tridentino legat ibi lector. *De mercede Notarii debita nonnihil dictum aliis officium illud Ecclesiasticum, aliis mere sæculare esse censentibus, adeòque quod iis penditur non invidendum. Antonius Augustinus Episcopus. Ilerdensis rerum antiquarum diligens observator affirmabat in Ecclesia veteri ministros in conspectu totius populi ordinari solitos, ut diplomate aut literis testimonialibus opus non esset: tum uni titulo sive beneficio addictos diœcesin non mutasse, sed si forte negotii causa aliquò proficiscendum esset, ab Episcopo literam impetrasse, quæ tum Formata dicebatur. Testimonialium literarum usum, ex quo populus ordinationibus intervenire desiit, & clerici vagari ac discurrere cœperunt, ad supplendam populi præsentiam introductum. Itaque munus illud pro sæculari ducendum, sed quod in materia spirituali versetur, cum moderatione exercendum, & mercedem quidem Notariis concedendam videri, sed certis limitibus circumscriptam ac moderatam.*

Externa vocatio ad Beneficium sive locum ministerii certum, idque vel Rectoriam vel Vicariam.

In quorum utraque consideranda veniunt, Nominatio, Examinatio, Admissio.

Nominatio, sive cum jus præsentandi est in alio quàm in Nominante, ut quandoque fit, sive cum jus & nominandi & præsentandi spectat ad eum.

Examinatio donorum suorum vel conditionis ad hujusmodi beneficium capacis vel incapacis per Episcopum.

Admissio, ad titulum ipsum, cum Episcopus instituit ad præsentationem alterius dicitur Institutio, cum Episcopus ipse instituens habet Iuspatronatus dicitur collatio, vel ad possessionem per inductionem, aut ipsius Archidiaconi propria opera factam, aut sui surrogati.

Cum jam susceperint ordinem Presbyteratus, & ordinati sint

quasi

quasi in nubibus, nulli certo gregi addicti, priusquam ad certum ministerii locum ceu beneficium admitti possint Patroni alicuius & Episcopi gratiam mereri oportet. Ambitum eorum Simoniacum graphicè depinxit Brightmannus, vide supra pag. 94, ne cogar repetere. Patronus & Episcopus, ut venatores prædam, libertates Ecclesiæ inter sediviserunt, & liberam ministrorum electionem sustulerunt. Invecta est nefanda illa beneficiorum divisio in collativa & electiva. Electiva vocant ad quæ per electionem imaginariam quis vocatur, cuiusmodi sunt Episcopatus aliaque beneficia majora, ac si ad minora etiã non vocandus esset quis per electionẽ: de electione vide supra, p. 6 7 8 9 10 45 325 326 327 328 329 330 331 332. Ius patroni honorificum, quo ei conceditur locus honorificus in Ecclesia, Vtile, quo ei subvenire debet Ecclesia maiori cura quàm aliis pauperibus, si ad egestatem redactus fuerit, & onerosum, quo licitè potest defendere suam Ecclesiam, ne bona eius dilapidentur, ex natura rei seu ex naturali gratitudine videbantur consequi pro beneficio quod patronus Ecclesiæ contulit. Sed quod Ecclesiastici voluerunt etiam concedere illis jus præsentandi ad beneficia, prætextu alliciendi alios ad hæc opera pietatis, quis saniori judicio præditus probare potest. Sic enim avari liberam electionem ministrorum vendiderunt, vel Episcopi reservata sibi collatione prodiderunt. Chassanæus illud jus conniventibus oculis potius admisisse, quàm induxisse existimat Ecclesiam, & probat cap. 3 tit. 38 lib. 3 Decretalium. Temporibus Iustiniani primum invaluisse putat propter Canonem Pelagii, qui sub Iustiniano floruit, & extat cap. Abbatem 18 q. 2. Iustinianus ipse Nou. 57 cap. ult. & N. 123 cap. 18 nominatim cavet, ei qui Ecclesiam extruxit & alimenta Clericis in ea ministrantibus constituit, licere Clericos Episcopo præsentare ejus judicio probandos & instituendos. *Præsentare vocat dicto capite 18* ἐπιλέγειν, καὶ ὀνομάζειν, *Vnde & ius patronatus dicitur passim jus nominationis. Eadem fere ratione olim obtinuit, vt qui certamina ad civitatis vel municipii decus instituerent, sibi hæredibusque suis possent illud jus excipere, vt ludis præessent tanquam Agonothetæ.* Electio ministrorum non est ludus aut jocus, sed res magni momenti, & in qua vertitur periculum animæ. Qui templum extruere, dotem assignare, & expensas Clericis ministrare non vult, nisi ea lege, ut potestatem in eam Ecclesiam sibi acquirat, simoniacum & impium ego dixerim, non pium & religiosum. Glossa in cap. piæ mentis 16 quæst. 7 ait, quod *olim tamen nihil juris habebant Patroni præ aliis vt* 10 *quæst.* 1 *c. noverint.* Suarez negat in Decretis illis denegari hoc jus patrono, *sed solum tale jus in bona Ecclesiæ, vt illa vsurpare aut administrare præsumat.* Vtcunque est, de jure divino jus istud ortum non est. *In ipsis Ecclesiæ nascentibus exordiis non prodit ius eiusmodi vllum ei competiisse,*

Paraticla in Decretal. l. 3 tit. 38.

De Simonia cap. 28.

Chassanaus in decretal. lib 3 tit. 38

*qui vel construxisset Ecclesiam, vel dotem ei assignasset. Id tantùm licuit, ut quam vellet legem & conditionem sumptibus diceret, ut constitutum est l. 15 ... C. de sac. Eccles. Quod vero Gelasius papa, qui sub Zenone & Anastasio floruit, cavet de processionis aditu in can. Piæ mentis: & Can. Frigentius 16 qu.7 id nullam prærogativam, neque jus ædificanti tribuit: sed quod omnibus Christianis licuit, in dedicatione ipsius Ecclesiæ processionem adire, cum ad cultum religionis adducebatur qua de re est can. præcepta. & can. certam de consecrat. dist.*1. Centurio synagogam suis sumptibus extruendam curaverat, Luc.7 5 nihil tamen juris inde in eligendis synagogæ præfectis sibi, aut hæredibus suis, arrogavit. Absurdum est patronum, qui unus est, & unum Ecclesiæ membrum totius multitudinis potestatem sibi vendicare: sed adhuc absurdius, transferri jus illud electionis in hæredes per successionem aut alios per donationem aut permutationem, quibus non eadem plerumque electionis cura quæ primis patronis, & qui sæpius nec illius Ecclesiæ membra sunt, cujus jura invadunt. Bilsonus ait in villis colonos, qui agris colendis vacabant non habuisse tantas opes, ut templa suis sumptibus extruere, nec tantam facultatem, ut de fructu & proventu agrorum Domini partem aliquam Ministris tribuere possent.

De gubernat. Eccles. c.15 p.440.

Adeo ut in viculis ac pagis rusticanis aut templa non omnino ædificari, & Clericos rebus ad victum necessariis destitui; aut Dominos cuiusque ad eam largitatem honore & prærogativa nominandi Rectores Ecclesiis suis necesse erat provocari. Subjicite, inquit, animis vestris memoriam & imaginem huius insulæ sæpius victorum armis expugnatæ, cum nemo liberum quod aiunt tenementum, aut ad vitæ terminum sibi haberet, sed omnes excepto Domino in servitutem addicerentur; quis tum Rectorem eligere poterat nisi loci Dominus, qui solus libertatem retinebat? Sed respondemus primùm non hac esca pelliciendos fuisse Dominos villarum, nec in initio pellectos fuisse, sed pio & religioso affectu ductos rem suam Deo dicasse, eiusque proprietatem resignasse. Et quamvis dominus sit ejus soli in quo basilicam ædificat, aut earum rerum quas Ecclesiæ constitutio donat, tamen post dedicationem is locus eæve res Deo dicatæ in eius dominio non manent. Si res ipsę quę sunt meretèporales eximuntur post dedicationẽ illius dominio, multo magis Ecclesię libertates & animę colonorũ, quę nunquã erant sub ipsius domino. Agricolæ non minus sunt mẽbra Ecclesiæ quàm ipse Dominus villæ, & in Christo non est servus & liber, sed omnes sunt liberi. Si ab hac libertate nempe electionis excludendi sint, ab ipsa etiam Ecclesia excludi possint, eo nomine, quòd coloni sint agricolæ aut servi. Præterea non negat Bilsonus extructis templis & stipendiis sacræ militiæ assignatis, aliis liberum clientelam concessisse, alios servilem conditionem retinuisse, sed negat propterea derogandum prioribus ipsorum privilegiis. At

quod

quod ab initio non valuit tractu temporis conualescere non potest. Servitus etiam propriè dicta jure gentium introducta nullibi ferè in Europa jam locum habet. Denique jus Patronatus habent, qui tamen villarum vel Parœciarum nequaquam Domini sunt. *Nos credimus* inquit Sopingius, *non cum primis Evangelii exordiis, neque statim in Ecclesia post profligatum Paganismum emersisse: neque etiam apud Græcos & Latinos, cum res Ecclesiæ ibi adhuc essent puriores, sed forsan in Latina Ecclesia demum post Augustini tempora ortum videri. Quod vel inde patet, quod hæc vocabula Patronus, Patronatus, Advocatia, Præsentatio, guardias habere, & reliqua sunt latina nova & barbarismum sapiant, ideoque vergente sæculo in Ecclesia Latina primum nata, aut tunc maxima ex parte aucta, propagata, & certis legibus roborata.* Beza de resurrectione homil. 13. *Annon etiam cuilibet notum est, pro electionibus Christianis fuisse in Ecclesiam intrusos patronatus, indultus, collationes, resignationes, permutationes, devoluta, tam apertè tam directè & ex diametro repugnantia omnia Ecclesiæ veteri, & antiquis puris canonibus, quàm tenebræ luci sunt contrariæ.* Vide etiam supra pag. 6. Si quis dixerit patronum non quemlibet debere nominare sed sacro munere dignum, ab Episcopo examinandum, quem rejicere potest Episcopus, si compertum fuerit non esse satis idoneum. At tollitur tamen libera electio dignioris. *Is eligendus est ex omni populo, qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior,* ut ait Origenes Perfectam digni pastoris ideam nobis depinxit sacra scriptura; Ad perfectam ideam respicere debent eligentes, ac eò digniorem eligere quo propiùs ad eam perfectionem accesserit.

Respons. ad Romam fidē Sibrandi p. 50.

Hom. 6 in Levit.

In Concilio Tridentino decretum, ut vacante Ecclesia Parochiali Episcopus eligat, vel concursu proposito invitet, qui se velint subjicere examini examinatorum deputatorum in synodo Diœcesana, *Examinatores autem singulis annis in Diœcesana synodo ab Episcopo vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant & ab ea probentur, advenienteque vacatione, aut eosdem aut alios tres quos maluerit ex prædictis illis sex eligat.* Et infra, *peracto deinde examine renuncientur, quicunque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* Cum jus patronatus est Ecclesiasticum, vel clericale, decrevit synodis examen promovendorum fieri per concursum plurium, & digniorem eligendum. Sed in jurepatronatus laicorum hujusmodi examen per concursum non urgebant, laicis patronis vel nimium indulgentes, vel de re ipsa desperantes. Sed apud Anglos nullum habent ejusmodi examen per concursum, sive Ecclesiastici, sive Laici sint patroni. Sufficit si præsentatus habeat, quæ sunt necessaria, ad liturgicum ministerium. Sed

Sess. 24 cap. 18 de refor.

quid opus nova examinatione promovendi ad beneficium? an non examinatus, cum susceperat ordinem Presbyteratus, vel an admittunt ad ordinem Presbyteratus, quos ad certum locum ministerii ceu beneficium non admittent absque novo examine. Patrono præsentante aliquem, cui contulit Episcopus ordines, non potest rejicere Episcopus, nisi culpam simul in se transferat. Sed cuiusmodi, quæso, est examen illud promovendi ad beneficium ceu certum ministerii locum? Multi aiunt, inquit Cartwrightus, pro disculo fructuum aurei suculi eos locare, & venum exponere hortulos domini, *Qui donum non habet in mente, si tamen habet in manu non opus illi alia clave, qua reseret valuas Ecclesiæ, & aditum sibi patefaciat ad beneficium.* *Nonne* inquit assertor politiæ Christianæ, *commendarunt nobis Episcopi eos, qui discernere non norunt inter apem & feritorium, inter articulos fidei & orationem Dominicam, cuius rei Rector Haskamensis nunc capellanus in Diœcesi Wintoniensi proferri potest testis omni exceptione maior. Rector iste, rogante Episcopum quodam ex ordine equestri, interrogatus quænam esset prima petitio orationis Dominicæ, sublatis in cœlum oculis & meditabundus tandem respondit, Credo in Deum patrem. Et licet impetrare tunc temporis non potuit institutionem, postea tamen procurante eiusdem Episcopi Cancellario, in idem beneficium institutus est, eoque in hunc usque diem fruitur absque ulla molestia, quamvis vix legere queat Anglicana ad captum populi. Possum etiam & plures alios nominare in ea diœcesi commorantes qui beneficia possident.* Cartwrightus etiam malum istud grassari testatus ait. *Certò scio, omnes quæ extant historias Ecclesiasticas non posse tot nobis producere ministros eo munere indignos ubique per Ecclesias totius orbis electos temporibus Apostolorum, quot paucis his annis agminatim prodierunt quasi ex equo Troiano è palatiis paucorum illorum Episcoporum, qui sunt in Anglia. Si quis contrà lustret oculis Galliam, tum pacis tum persecutionis tempore, & deinde vertat se ad Ecclesias Sabaudicas, & in quibusdam Germaniæ civitatibus, redeat deinceps ad vicinos Scotos, & conferat inter se generatim ministros electos ab Ecclesiis, cum maximo eorum numero quos crearunt Episcopi (si non sit minis philautus, aut pertinax propugnator causæ quam defendendam suscepit) cogetur fateri tantam esse inter utresque differentiam, quanta est inter aurum & æs cyprium, aliudve metallum reprobum.* Author Calvinoturcismi ex scriptis ministrorũ flagitantium reformationẽ excerpsit quæ sequuntur. *Ad commendationem inquiunt alicujus viri nobilis Ministri statim fiunt, sine discrimine docti & indocti, fungi & fatui de extremis populi ut fecit Ieroboam, 3. Reg. 17. 31, Ad contumeliam Evangelij unico saltu deferuntur ab officina in Ecclesiam, mutantes derepente tunicam servi in tunicam Ministri, quum aliter vivere non possunt, ad ministrerium tanquam ad ultimum perfugium & extremam anchoram*

1 Repl. 1 part. p. 110.

Pag. 83.

P. 236 239

Pag. 238.

2 Repl. 1 part. p. 537. 548.

Caluino-turcism. l. 1. c. 15.

Admon. ad Parl.

iborum decurrentes. Id proximè requiro, annon illi vel nobiles vel mercatores, quibus jure patronatus est beneficia Ecclesiastica conferendi potestas, ea plerunque circuncidunt, agros quos possunt auferunt, magnam fructuum partem avertunt, & simoniacis deinde pactionibus quod restat addicunt ei, quem minimo pretio possunt conducere, vt ministri personam gerat. Nec hoc salvo pudore inficiari potes, quum publicis libris testatum sit, ipsos Episcopos, qui contra hanc nefariam largitionem maximè debeant invigilare, eadem tamen non minus esse infames quàm reliquos. Nam & hanc quoque tum Laicorum tum Episcoporum rapacitatem, tum alij tum comministri vestri publicis libris toti parlamento, atque adeo toti mundo exposuerunt. Certè diligens quidam & doctus historicus, qui ad posteritatem transmisit mores & Reip. & ecclesiæ vestræ, postquam conquestus est, quòd illi, quos penes ea quam dixi in beneficijs conferendis authoritas, illa tribuunt suis pistoribus, coquis, & agasonibus in longi & laboriosi servitij compensationem, adscribit, Hæc vera est causa, quod textores circumforanei, Chirothecarij, evaserunt Ministri, quia nimirum viri doctiores recusarunt eiusmodi nundinationes. Sartor autem vel chirothecarius præclarè secum agi putat, si octo vel decem librarum incremento statum suum emendare potest, libenterque Patrono reliquum quod Parocho jure debetur, cedit, modo ipse de tali hac pensione possit esse certus. De episcopis vero ministri, & ii permulti testantur, quod illi episcopi maximum studium in eo ponunt, quemadmodum clerum subiectum deprædentur & exhauriant, quemadmodum beneficia ecclesiastica elocent, vel agros vel domum Parochi alienent, ob satis magnam pecuniæ summam suis cistis inferendam, vel ob munera vxoribus suis, aut liberis, aut officiarijs, aut famulis persolvenda, quorum tamen portio ad ipsos reveniat. Brightmannus in censura Canonum 1597. *Quid quæso hæc omnino conducunt, vt quis idoneus admittatur? Quid vt deinceps ordinentur ministri vel doctiores vel probiores? An sancto spiritu clamante per Paulum quis idoneus est ad hæc, tu hominem obtrudes cum præsentatione, cum certificatorio, cum literis Dimissorialibus, vel qui initiatus fuit die Dominico & similibus nugis. Sed non exagitabo rē vehementiùs, tantùm appello tuam conscientiam, vtrum aliquid hac in re prospexeris, qui casurum parietem tam inepto tectorio obduxisti. Patroni præsentatio, episcopi collatio aut institutio, Archidiaconi inductio, multas pariunt lites & actiones* inquit Assertor Politeiæ pag. 258. 259. *quandoque inter Patronum & Episcopum, quandoque inter clericos duos quos præsentarunt duo Patroni, quandoque inter Clericum præsentatum & episcopum, clerico episcopum per duplicem querelam ad judicium coram Archiepiscopo aut judicibus in Curia Audientiæ citandum curante ob denegatam institutionem, quandoque inter clericum institutum & Archidiaconum episcopi mandatum de inducendo non exequentem, fortè quia nondum vacat ecclesia: item inter præsentatum & actu incumbentem, vnde oriuntur sæpius turbæ, violatio pacis Regiæ, & illicita conventicula pro ineunda*

Cartw. Repl. 1 pag. 26.

Hollinshed descriptio. Britan. l. 2. ca. 5 fol. 36.

Admonit. 2. ad Parlam. pag. 23.

In Apoca. cap. 3 fol. 68 in 8.

aut conservanda possessione Archidiaconus inducit ceu mittit in possessionem beneficij non modo per se, sed etiam per alium, ut ait Lindvodius, & statuit Iohannes Stratford Cantuariensis in Provinciali constitutione *Item quia : Si Archidiaconus inducat, 40 denarijs, si suus officialis, duorum solidorum perceptione pro singulis sit , & suorum expensis pro dieta penitus sit contentus.* Sed de feodis istis & sub feodorum prætextu expilatione & deprædatione satis supra diximus.

Lib.3.tit. de constitutionibus.

Ex supra dictis vidimus, quomodo vocentur ad ministerium Presbyteri Anglicani; ad ordinem ipsum Presbyteratus absolutè & absquè titulo : ad beneficium ceu certum ministerij locum per præsentationem, institutionem, collationem, inductionem, non autem per electionem vel consensum ecclesiæ cui præponuntur, aut Presbyterij examen. *Negari non potest*, inquit Assertor politiæ Christianæ, *quadragesimum* quemque in quadragesima quaque Parœcia non posse affirmare se unquam vel vidisse vel audivisse ministrum designatum per ordinarium, priusquam viderit vel audiverit Ostiarium ceu clericum Parochialem gradum cum clavibus accelerantem ad ecclesiam & pulsatas campanas, ad Rectoris vel Vicarij inductionem ceu realem possessionem. Rectorem Angli vocant *Person*, Rectoriam *Personage*, beneficium quod consistit in jure percipiendi decimas maiores, Vicariam minores. Rectoris & Vicarij appellationes tribuuntur tum Presbyteris tum Diaconis. A diversa beneficij nomenclatura dicitur Presbyter, Rector, vel Vicarius, sic Diaconus Rector vel Vicarius. Curatus autem Anglis est Presbyter vel Diaconus stipendiarius absque titulo perpetuo beneficij. Non habent singulæ parœciæ & Rectoriam & Vicariam. Sunt enim quædam, quas appropriatas vocant, quarum redditus percipiunt Episcopi, Decani, Præbendarij in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis, Patroni, in quibus vix habet stipendarius unde se aut familiam suam alere possit, licet statuto 15. Ricard. 2. c. 6. cautum fuerit, ut in ecclesijs appropriatis tantum decerperetur, quantum & pauperibus parœciæ sustendandis sufficeret, & congrua portio assignanda esset Ministro, quam Canonica institutionis & inductionis forma possideret, sicut alij Rectorias suas, quod tamen non observatur ab ipsis Episcopis, vt refert Assertor Politiæ Christianæ p. 130. 146. Episcoporum pompa, luxus, & famulitium numerosum, non potest sustentari absque ruina multarum Parœciarum. Illi sunt apri vastantes vineam Domini. Nam etsi sint alij qui habent ecclesias appropriatas, quandiu tamen Episcopi, Decani, Præbendarij, de rapina sua nihil remittunt, non est expectanda reformatio in Laicis. Episcopi erant huius sceleris primi authores, eorumque consensu abbatijs, monialibus & Monachis appropriatæ sunt illæ parœciæ quas jam possident Laici.

Abstract. p. 40.

Ex

Ex parœcijs 9284 in Anglia 3845 fuerunt appropriatæ, ut numerat Camdenus Britanniæ editione ultima. Appropriationes qui impropriationes vocant rectiùs loquuntur.

Priusquam ulteriùs progressi fuerimus lubet ordinationum celebrationi subjicere Canonem de subscriptione qui extat inter constitutiones anni 1603. *Nemo ad sacros ordines vel Ecclesiasticum* Can. 36. *aliquod Beneficium per institutionem aut collationem, vel ad Concionatoris, Prælectoris, aut Catechistæ munus exercendum sive in alterutra Academia, sive in Cathedrali vel Collegiata aliqua Ecclesia, sive in urbe aut oppido mercatorio, sive in Parochiali ecclesia, vel capella, vel alio denique huius regni loco deinceps admittetur, nisi prius vel ab Archiepiscopo vel Episcopo eius Diœceseos, in qua est victurus, vel ab altera Academiarum licentiam & facultatem earundem subscriptionibus & sigillis munitam impetraverit, tribusque sequentibus articulis (modo & forma à nobis præfinitis) subscripserit. 1 Quod Maiestas Regia secundum Deum unicus est & supremus gubernator huius Regni, omniumque aliorum ipsius dominiorum, ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus sive ecclesiasticis rebus & causis, quàm in sæcularibus, & quòd nullus extraneus princeps vel persona, nec ullus Prælatus, status aut dominatus habet aut habere debet ullam Iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel authoritatem ecclesiasticam, sive spiritualem infra Maiestatis suæ dicta regna, dominia, & territoria. 2. Quod liber publicæ liturgiæ & Presbyteros & Diaconos ordinandi & consecrandi nihil in se continet, quod verbo Dei sit contrarium quodque eodem taliter uti liceat: & quòd ipse in publicis precibus & sacramentis administrandis illam prorsus formam, quæ in dicto libro præscribitur, & non aliam sit observaturus. 3 Quod librum de Articulis religionis, in quos consensum est ab Archiepiscopis & Episcopis utriusque provinciæ, ac reliquo omni Clero in Synodo Londinensi anno 1562 omnino comprobat; & quòd omnes ac singulos Articulos in eodem contentos (qui 39 citra ratificationem numerantur) verbo Dei consentaneos esse agnoscit. Hisce tribus Articulis, qui volet subscribere, ad vitandam omnem ambiguitatem, hac verborum formula (nomine & cognomine suo expressis) in subscribendo utetur: Ego N. N. tribus his præfixis Articulis, omnibusque in eisdem contentis lubens & ex animo subscribo. Quod si quis Episcopus aliquem ordinaverit, admiserit, vel facultate aut licentia, ut superiùs dictum est, ulla donaverit, nisi prius sub modo & forma præstitutis subscripserit, is à collatione Ordinum, & licentiarum ad concionandum per anni spatium submovebitur. Academias verò, si quid hac in parte deliquerint, iuris ultimi, & Regiæ censuræ relinquimus.* Et per can. 37. Ordinatis Diœcesin mutantibus subscriptio coram episcopo Diœcesano iteranda. *Si quis concionandi, legendi, prælegendi, vel catechizandi legitima alioqui potestate prælitus, ut suprà in ullam Diœcesin ibidem commoraturus venerit, is ad huiusmodi munera exercendo, vel ad sacramenta celebranda,*

aut

aut quamlibet ecclesiasticam functionem illic obeundam nullatenus admittetur, (à quocunq; tandem dictam potestatem acceperit) nisi prius coram episcopo eiusdem Diœceseos, in qua munerum præfatorum aliquo fungi debeat, in supra dictos Articulos per manus suæ subscriptionem consenserit. Per can. 38. ordinati post subscriptionem prævaricantes à ministerio removendi. *Si quis Minister, postquam præfatis Articulis subscripserit, liturgiæ formula vel ritibus & ceremonijs quibuscunque in libro precum publicarum indictis vti deinceps omiserit, suspensionis pœna coerceatur, ac nisi post mensem se emendârit, ac submiserit, excommunicetur, quod si per alium adhuc mensem in contumacia permanserit, à ministerio sacro amoveatur.* Subscriptio scriptis subjecta in jure subscribentis arguit consensum & approbationem. Qui subscribit igitur, approbat primatum ceu Papatum Anglicanum, gradus Hierarchiæ, formam consecrationis episcoporum & ordinationis Presbyterorum & Diaconorum præscriptam in libello ordinandi & consecrandi, & ritus omnes ac ceremonias liturgiæ publicæ, quòdque in his libris nihil continetur quod sit verbo Dei contrarium, confitetur; nam subscriptio est professionis ceu confessionis species quædam, & quidem authentica. Obligat se præterea subscriptione ad observandum in publicis precibus & sacramentis formam in libro Liturgiæ præscriptam & non aliam.

Epist. 12. Th Beza consulit Anglis, ut potius deserant ecclesias. *Sin verò Ministris non tantùm, vt ista tolerent præcipitur, sed etiam vt ea tanquam recta vel chirographo comprobent, vel suo silentio foveant, quid aliud suadere possimus, quàm vt de sua innocentia testati & omnia remedia in timore Domini experti manifestæ violentiæ cedant.* Sunt qui prætexunt se subscriptione sua solummodo obedientiam & usum ceremoniarum spondere. At contrà, vt patet ex articulo secundo, approbat omnia quæ continentur in libro ordinandi, & consecrandi, & libro publicæ Liturgiæ, vt recta: & ni id faciat, dolo malo vtitur. Prætexunt alii Episcopos concedere quibusdam interpretationes, limitationes, exceptiones, sed frustrà: nam non habent potestatem Episcopi supra commune statutum, ut concedant exceptiones, interpretationes, limitationes, quæ destruant ipsius statuti sensum, id est ut glossa destruat textum. Præterea tenues vanescit in auras glossa vel interpretatio, litera scripta manet. Pilatus Christum condemnavit præmissa specie quadam protestationis, sed protestatio fuit contraria facto. Nulla in re manifestiùs exerunt tyrannidem suam Episcopi quàm, in subscriptione exigenda. Hîc obstruitur omnis aditus viris bonis, qui in domini vinea operam desiderant, & coguntur Galeno aut Iustiniano operam suam locare. Et qui annos plures in eadem domini vinea utilem navarunt operam, subscriptionem renuentes gradu suo submoventur, officio & beneficio privantur, cum uxoribus & liberis omnibus inju-

rijs & miserijs exponuntur. Suspendunt cytharas suas ad salices Babylonis, crucem & superpelliceum. At inquies, licet subscriptio non sit tolerabilis, quia judicij & mentis approbationem secum trahit, conformitas tamen in ipso facto non est culpanda Vir clarissimus Theod. Beza etsi subscriptionem detestatur, tamen ait posse & debere etiam multa tolerari, quæ rectè non precipiuntur; *Itaq; primùm respondemus, etsi nostro quidem judicio non rectè revehuntur in ecclesiam, tamen quum non sint ex earum rerum genere, quæ per se impiæ sunt, non videri nobis illas tanti momenti, ut propterea vel pastoribus deserendum potius sit ministerium, quàm ut vestes illas assumant, vel gregibus omittendum publicum pabulum, potius quàm ita vestitos pastores audiant.* At salva viro venerabili reverentia liceat mihi dicere quod sentio. Non video cohærere consilium cùm rationibus allatis cōtra rem ipsam, nempe vestes sacerdotales. *Concedimus*, inquit, *esse res medias, si per se considerentur. Sed quis illas ita considerabit? Nam qui Papistæ sunt, quicquid lex civilis prætexat, sane hac ratione in sua superstitione inveterata confirmantur. Qui cœperunt superstitiones eo usque detestari ut etiam illarum vestigia cœperint execrari, quantopere offendentur? Qui meliùs sunt instituti, quem fructum inde percipient? Anne verò tanti est ista distinctio ut propterea tam multorum conscientias perturbari oporteat, repetita videlicet ab ipsis manifestis & juratis sanæ doctrinæ hostibus istius distinctionis ratione? Quid quòd ex ijs qui ecclesiastici vocantur, non minima pars dicitur adhuc Papismum in pectore gestare? an isti verò in meliùs proficient restituto hoc habitu, ac non potius, quasi instaurandi mox ipsius Papismi spe cristas erigent.* Ubi tot scandala orirentur ex usu habitus, non consultum videtur eius usum consulere. Præterea vir clarissimus eo loco politicum duntaxat finem & usum vestium contemplatur. Petebatur enim ab eo, utrum in pileis & vestibus tum in communi usu tum in ministerij functione distinctionem probet. Etsi civilem & publicum ordinem minimè putat improbandum, tamen non quamvis distinctioné approbandam, *Quid si enim jubeantur ministri perinde ut moriones ac histriones vestiri.* Omnium verò minimè probat distinctionem istam sumptam ab hostibus per habitum non modo Papistis ipsis plerisque ridiculum, sed etiam superstitione pollutum. De politico igitur ordine & usu vestium, tum in communi usu tum in ministerij functione tantùm disserit eo loco, & hoc intuitu dixit non deserendas ecclesias, ac, ut dixi, consilium istud vix conciliari potest cum ipsius rationibus. Sed vestes quibus utuntur in functione ministerij non sint institutæ ad distinctionem, quid enim opus distinctione per habitum concionanti aut sacramenta ministranti? annon ipsa actio sacra distinguit ministrum in exercitio publico sui muneris ab alijs? vestes istæ sunt vestes sacræ & symbolicæ, & superpelliceum, ut supra dixit Mortonus capite precedenti

Epist. 12.

cedenti significat puritatem ceu sanctitatem vitæ; & ut relationem habebat olim ad sacrificium missæ, sic adhuc apud Anglos non semper eo utitur minister Anglicanus inexercitio publico muneris sui; cum ministrat sacramenta, aut decantat vel recitat præscriptas preces, &c induit sacram vestem, non autem necessariò cùm cócionatur. Ritus autem omnes symbolicos damnavit vir ille clarissimus anno superiore ante scriptam epistolam istam. *Itemque ritus omnes symbolicos semel ex ecclesiana Christiana, in quam nullo unquam jure invehi potuerunt, profligari oportere, nec ijs manentibus suam ecclesiæ nativam pulcbritudinem restitui posse existimo.* Pileos & vestes ergo vocat res per se medias distinctionis solius intuitu, non autem respectu symbolicæ significationis, quam habent sacræ vestes in ministerij functione, quod obliti sunt exprimere, qui virum venerabilem consulerunt, ut patet ex statu questionis quem format ex illorum verbis. Nam de distinctione solùm agit. De crucis autem consignatione ait, *Denique cum maximè abominandæ superstitioni & omnium horribilissimæ illi hyperduliæ crucis primùm aditum patefecerit, multo minus velim illam inter ἀδιάφορα numerare, quàm æneum illum serpentem Ezechias.* Imagines aut ritus symbolicos in ecclesiam invehere non est res per se adiaphora. Largiamur in thesi consilium esse salubre, nempe ob res per se medias non deserendas ecclesias, cum ventum fuerit ad hypothesin, & ceremonias, de quibus inter nos & tyrannos illos, omnesque formalistas controvertitur, sentiet lector ingenuus non esse res per se medias. Interim consulo, ut episcopi qui tyrannidem suam viri venerabilis verbis obvelare student, observent quid moneat epistola ad Grindallum episcopum Londinensem. *Denique illud dicere non verebor, æquitate tua fretus. Si peccant, qui potius quàm res illas sibi contra conscientiam obtrudi patiantur, sedere ecclesijs malunt: multo majore reatu coram Deo & ipsius Angelis teneri, si qui greges pastoribus privari, & desertis à pastoribus ecclesijs horrendæ dissipationis fundamenta jaci potius sustineant, quàm ministros alioquin inculpatos hoc potius quàm illo habitu vestitos cernere, & nullam potius alicubi famelicis cœnam præberi, quàm genuflexionem omitti.* Sed redeamus ad cætera. Vult D. Beza ut interim ista non foveant silentio, sed coram R. M. & apud episcopos suas conscientias modesta & gravi obtestatione liberent, & apertè apud greges suos inculcent quæ ad tollendum hoc offendiculum pertinent, & in istorum etiam abusuum emendationem, prout occasionem obtulerit Dominus, incumbant. At ista non audent omnes, nec qui audent vel offendiculum tollent vel emendationem procurabunt. Testis plurium annorum experientia. Nam sunt qui facto conformes declamitant contra abusum ipsum quem se tolerare dicunt, sed offendiculum non tollunt. Factum doctrina efficacius, ut ostendi capite superiori, & protestatio contraria facto ridicula est.

Epist. 8.

Epist. 8.

Epist. 8.

Tolerare

Tollerare non est agere sed pati: Non autē patitur tantùm, qui agit etiamsi coactus agat, sed est mixta actio partim voluntaria partim coacta: coacta respectu externi, sed voluntaria respectu interni principij ceu voluntatis & liberæ electionis. Ex duobus malis minus eligendum, si sint mala pœnæ. Sed ubi duo mala, vnum pœnæ alterum culpæ, eligendum malum pœnæ. Non faciendum est malum ut eveniat bonum. Actor est approbator, tolerator etiam si lubet, quia non solùm in alijs tolerat sed etiam in se, & sic non nudus tolerator, sed etiam actor est. Cives qui in civitate sua tolerant lupanaria, non tamen si ipsi lenocinium exercerent, tolerare amplius dicendi sunt. Tolerare est tantum non punire, in alijs non tollere. Qui non punit quæ tollere non potest, tolerare & quidem prudenter potest, si non cessauerit ab omni studio emendandi & sensim corrigendi, ut tandem tollere possit. At conformitas in ipso facto est quid majus quàm simplex toleratio, & in malo nunquam tolerabilis. Sed ponamus conformitatem esse in re per se media, tamen in re etiam per se media, propter abusus & propter scandalum pusillorum, hostium in malo obfirmationem, insidias eorum qui subversionem ecclesiæ meditantur & machinantur, aliave incommoda non est conformitas in facto toleranda. Apostolus non solum tolerabat Iudæos infirmiores sed etiam Iudæis Iudæus factus in facto conformis, ut infirmiores Iudæos lucrifaceret, quod lege mortua sed nondum mortifera licebat, sed contra hîc conformitas urgetur in facto, ubi offendiculum ponitur coram fratribus, & facto nostro obfirmantur etiam jurati hostes in idololatria non absque magno periculo, & malo ab utrisque & pusillis relabentibus & obstinatis hostibus metuendo. De ista conformitate in facto videat lector quæ supra diximus capite nono. Mercenarius fugit & deserit gregem vel ob lucrum, vel imminente periculo, at illi conjiciuntur in calamitates & miserias multas, qui tentatis omnibus medijs non possunt diutius salva conscientia fungi suo munere. Necessitatis vel vtilitatis causa posse episcoporum mutationes fieri ait Anterus Papa. *Non enim transit de civitate in civitatem, nec transfertur de minori ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, sed aut vi à propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut vtilitate loci aut populi non superbè sed humiliter ab alijs translatus & inthronizatus est.* Præsumit canon locum non mutari, cum animus non sit mutatus, sicut virgo censetur, cum non sit animus corruptus, licet corpus sit corruptum. *Quis sana mente putaverit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa & oppressa carne sua exerceatur & expleatur libido non sua,* ait Augustinus. Extant verba in Gratiani decreto 32. quæst. 5. cap. itane. Vbi glossa. *Argum. quod non debet dici quis perpetrasse quod nolens fecit vel passus fuit: nec debent imputari, quæ per coactionē absolutam fiunt.* Atque coactio magis violente

7. qu. 1. 38.

De civit. Dei l. 1. c. 18.

 lente

lenta quàm per cruciatus conſcientiæ. Separantur à grege nolentes corpore, cui animo adhærent, ut columba quæ dilectionem non amittit, ſed ſemper gemit. Imò refert Parkerus non ſolùm argumentis, lachrymis, precibus vſos, ut in ſtationibus ſuis manerent, ſed tam firmiter adhæſiſſe quoſdam, ut non niſi vi manifeſta avulſi fuerint à gregibus ſuis. Et quamvis à grege ſeparati ſunt, miniſterium ad quod ſeparati fuerunt, non deſerunt, ſed quocunque vocarit dominus, ubi ſalva conſcientia evangelium prædicare poſſunt, vocantem ſequi parati ſunt. Gregem interim à quo avulſi ſunt exemplo ſuo in veritate, cui tam illuſtre teſtimonium præbent, confirmant nec ſolum gregem ſuum, ſed & alias eccleſias particulares. Athanaſius conſtantia ſua confirmavit non ſolùm Alexandrinam quam deſerere coactus, ſed alias penè omnes totius orbis eccleſias. Cedendo cadit, ſtabilitur patiendo veritas. Si non oppoſuiſſent ſe viri docti & pij jam annos ſexaginta, qualemnam habuiſſemus hodie in Anglia eccleſiæ faciem, rerum periti divinare poſſunt. Sed ad ſubſcriptionem redeamus. Latiùs quidem patet quàm conformitas. Nam conformitas exigit obedientiam in ijs duntaxat, quæ ad cujuſq; functionem peculiarem pertinent præter communem illam omnium membrorum eccleſiæ. Subſcriptio verò approbationem omnium, quæ & ipſe & epiſcopi & alij in ſuis functionibus faciunt ſecundum præſcriptum libelli ordinandi, & publicæ liturgiæ, & inde gravior eſt carnificina conſcientiæ. Non tamen ſequitur ſimplicem in facto conformitatem eſſe tolerationem, aut nullum malum, quia è duobus malis culpæ eſt minus malum. Petrus Martyr epiſtola ad Amicum quendam in Anglia fatetur ſe erraſſe, cum conſuluiſſet potius uti veſtibus ſacris quàm pati jacturâ miniſterii, quia ex eo videbat præſens ingruere periculũ, & ſpem fortaſſis aliquam fore, quemadmodum altaria & imagines ablatæ ſunt, ita etiam illas ſpecies Miſſæ auferendas ſi Epiſcopi in id incumberent. *Attamen*, inquit, *quia ſcandala eius generis vidi prorſus evitanda, propterea in ſententiam eius* nempe Bullengeri qui cenſuit illis non utendum, ne malo exemplo res quæ ſcandalo eſt confirmetur, ut ibidem refert) *facilè ceſſi.* Et infra. *Tu vero id videto ne adverſus conſcientiam quicquam facias.* Et infra. *Ad extremum ego te id ſcire velim quæſtiones huius generis nobis quoque duras eſſe, ideo conſilium non tam facilè dari poteſt. Ego cum eſſem Oxonii veſtibus illis albis in Choro nunquam uti volui, quamvis eſſem Canonicus. Mei facti ratio mihi conſtabat. Quare tibi quoque conſulo vt in arena conſilium capias. Novi exemplum meum non debere tibi juſtam eſſe confirmationem. Quod verò me movit & adhuc movet, & te fortaſſe movere poterit, nempe id non faciendum, quod ea confirmet quæ conſcientia mea non probat.* Non eſt facile judicare, quænam ſint res per ſe mediæ, & quando diſcernuntur, tamen propter ſcandala

De cruce 1. part p. 188.

Loc. com. in fine p. 1127.

dala oritura censet potius à concionandi munere cessandum. De scandalis orituris judicare possunt omnes rerum periti & prudentes secundum regulas sacræ scripturæ & experientiam sæculorum præcedentium: sed omnium optimè ii, quorum res agitur, qui sunt in campo aut arena consultare possunt, quia de Ecclesiarum suarum statu melius judicare possunt quàm exteri. Rectè propterea monuit amicum, ut in arena consilium caperet.

Vocationi ministrorum ad ordinem vel Beneficium subjiciam sequentia, quorum quis sit usus, nescio, nisi sit forte lucrum aut commodum *Quolibet anno*, ut refert Mucketus, *ad festum Sancti Michaelis Archangeli, vel intra sex hebdomadas idem festum subsequentes unusquisque Episcopus tenetur numerum, nomina, gradus & qualitates eorum omnium quos in sacros ordines vel ad aliqua beneficia promoverit ad Archiepiscopum transmittere.* *De polit. p. 343.*

Hactenus de externa Ministri vocatione ad ordinem vel beneficium, sive locum Ministerii certum, sequitur

Publica Ministri functio, vel in Concionando vel in Reliqua administratione.

In concionando, aut facultate sibi in ea parte post Episcopi approbationem concessa, proprio gregi, vel foris ad populum ceu clerum; aut minimè impetrata ad id facultate, veluti si Magister Artium, aut gradus superioris, proprio gregi concionetur absque facultate.

Si Presbyteratus ordini essentiale & necessarium esset munus concionandi, non opus esset ulla insuper facultate ad concionandum magis quàm ad sacramenta administranda. Qui vocatur ad beneficium ceu certum ministerii locum, potest omnia liturgica obire munia legendo, recitando aut decantando lectiones & psalmos & celebrando sacras sacramentorum actiones, non impetrata facultate, licet non sit Magister artium: concionari autem non potest, nisi facultate sibi ea in parte post Episcopi approbationem concessa. Indène argui potest eos existimare, non esse necessarium munus Ministri prædicare verbum? Cur admittunt ad ordinem Presbyteratus, qui non habent donum concionandi: si habent donum, qui audent talentum, quod dedit Dominus in terram defodere. Si in vocatione ad ordinem ceu gradum ministerii negligentiores fuerint, qui audent in secunda illa vocatione ad beneficium ceu ministerii certum locum, quempiam approbare, qui ad munus illud non sit idoneus, vel si idoneus, quid opus alia

insuper facultate speciali, si non sit Magister Artium aut gradus superioris, ac si dona Dei alligata essent Academiis, aut contrà Philosophiæ Baccalaureus statim præditus esset dono concionandi, aut Doctoris Theologiæ eadem essent quæ pastoris dona. Sed cum ipsi Magistri artium, aut ad superiorem gradum provecti hanc facultatem habeant ex privilegio, non vi ordinis Presbyteralis, patet quod concionandi munus non est præcipua ministri Anglicani & maxime necessaria functionis pars, sed accidentaria, & dependens à privilegio, vel speciali facultate impetrata ab Episcopo. Præterea Diaconi etiam habent concionandi potestatem facultate impetrata ab Episcopo. Sic enim in libello ordinationum ait Episcopus. *Diaconi munus in eo præsertim consistet, ut præsto sit Presbytero, dum sacris administrandis incumbit in Ecclesia sibi assignata &c.* Item, *Si scripturas atque homilias populo perlegere, Iuniores in articulis fidei erudire, infantes baptizare, necnon verbum Dei prædicare, dummodo ab ipso Episcopo censeatur idoneus, qui ad id muneris admittatur,* &c. *Hæccine tu libenter & alacriter præstabis? R. Præstabo Deo auxiliante.* Dounamus etiam fatetur communem

Defens. lib. 3. c. 4. pag. 105

esse utrique, Presbytero & Diacono potestatem. *Potestas ordinis Presbyteri est*, inquit, *præter divinæ liturgiæ administrationem, & potestatem ministrandi sacramentum baptismi, & prædicandi, communem iis & Diaconis (qui ad ea authoritate muniti fuerint per Episcopum) est potestas ministrandi sacram cœnam, & authoritas remittendi & retinendi peccata hominum.* Quibus verbis, vides lector, quantula sit differentia inter Presbyterum & Diaconum Anglicanum.

Rationali lib. 2. c. 5.

Si quis *prædicare* interpretatus fuerit legere aut recitare secundum illud Durandi, *Lector prædicat id est legit sive recitat populis, quid sequantur: psalmista verò canit*, sciat eo sensu non posse hîc accipi. Nam ad simplicem recitationem qualis est lectoris, non opus est Presbytero aut Diacono singulari quodam dono, nec facultatem impetrare ab Episcopo. Præterea distinguntur in libello ordinandi, ut vides, scripturas & homilias perlegere & verbum Dei prædicare. Dounamus etiam munus illud prædicandi, quod habent Presbyteri, tribuit Diaconis. De prædicatione igitur concionatoria, intelligenda sunt verba, & ita intellexerunt veteres, cum inter ordinandum tam seriò hortarentur Presbyteros ad prædicandum verbum Dei. Non opus fuisset tam gravi exhortatione, si prædicare nihil aliud esset, quàm recitare aut legere. Canonibus anni 1603 multæ habentur constitutiones de ministris concionatoribus & non concionatoribus. Can 45. *Singuli Beneficiati in Beneficiis suis residentes, dummodo sint legitima authoritate ad concionandum admissi per singulos dies Dominicos (iusto impedimento cessante) in Ecclesiis aut capellis suis, vel vicinarum aliqua, Ministro concionatore destituta, (ubi maximè facultas datur) concionem ad populum*

tum habent unam, in qua sobriè & syncerè verbum veritatis divident in Dei gloriam & salutarem populi ædificationem. Beneficiatus tenetur hoc canone unam tantum habere concionem singulis diebus Dominicis, idque tantùm justo impedimento cessante. Occurret autem impedimentum, quoties libitum fuerit ipsis causas fingere. Canone 46. *Omnis Beneficiatus ad concionandum non admissus concionem singulis mensibus unam ad minus in Ecclesia sibi credita per concionatorem legitimè approbatum haberi procurabit; si tamen Beneficii valor Ordinarii judicio id ferre posse videbitur.* Boves arant & asini pascuntur. Habemus igitur conciones alias menstruas, alias hebdomadarias; nec menstruas, si ordinarii judicio valor Beneficii id ferre non videbitur. Cum deficit concio, sufficiet homilia per Beneficiatum aut Curatum suum recitanda. Can. 47, *Quilibet Beneficiatus cui (propter necessitatem officii aliàs incumbentis) dispensatio de non residendo in Beneficio suo per hujus regni leges est indulta, per Curatum, qui Concionator sit idoneus & sufficienti authoritate approbatus, Curæ suæ prospiciet, modò Beneficii valor non repugnet.* Beneficiatus ergò concionator operam vicariam potest adhibere Curati concionatoris, propter necessitatem officii aliâs incumbentis, quod tamen officium vel non est necessarium, imo nec utile Ecclesiæ, vel si necessarium, eo alius fungi debet. Can. 48 Ministri, nisi ex Episcopi vel ordinarii approbatione pro Curatis non sunt admittendi. Can. 49 Ministris ad concionandum non admissis glossæ & paraphrases in publica scripturarum lectione interdictæ, & homilias tantum legere permissum. Can. 50. *Minister, Oeconomi, aliique Ecclesiæ Officiarii neminem patientur in suis Ecclesiis, aut Capellis concionari, nisi qui licentiis suis ad prædicandum exhibitis justa authoritate in eam partem munitis comperientur.* Can. 51. Advenæ concionatores, nisi authentico testimonio commendati, ad concionandum in Ecclesiis Cathedralibus non admittendi. Can. 52. Concionatorum advenarum in singulis Diœceseos Ecclesiis nomina in librum referenda. *Oeconomi Ecclesiarum, eorumque Assistentes librum quendam comparabunt, in quo unusquisque concionator, qui ad ipsorum Ecclesiam aliunde accesserit, nomen suum inscribet, adjecto etiam die, in quo concionem ibidem habuerit, ac Episcopi nomine à quo concionandi potestatem acceperit.* Can. 54. *Si quis per Archiepiscopum, aut Episcopum ullum, vel alterutram Academiam in præteritum ad concionandum admissus, quovis deinceps tempore recusaverit legibus, institutis, & ritibus Ecclesiasticis infra regnum Anglicanum stabilitis seipsum conformem reddere, eundem per Episcopum Diœcesanum, vel loci ordinarium quàm primùm admoneri voluimus, ut eorundem usui & debitæ observationi se submittat. Quod si tali admonitione præmissa infra mensem se minimè reformarit, ejusdem facultatem sive licentiam ad concionandum eo ipso irritam esse, & pro nullo habendam esse decernimus.*

Omnes

Omnes isti canones de facultatibus & licentiis indicant verbi prædicationem non esse præcipuam & necessariam muneris Presbyteri partem: posse concedi quibus concedendam vult Episcopus, & quibus concessa est ejusmodi facultas, posse eadem mulctari. *Sed cum Christus Presbyteros suos prædicare jusserit, quis prohibere potest,* inquit Wicklefus in expositione conclusionum exhibitarum Episcopis apud Foxum in Actis & Monumentis Martyrum. Assertor Politiæ Christianæ refert *Populi qui pascitur ad populum qui non pascitur eam esse rationem, quæ digiti ad vlnam, aut manipuli ad plenam aream.* Author petitionis ad Reginam refert, *Vbi Episcopi vnum aptum ad docendum, viginti prorsus ineptos creant ministros.* Zecchius ait *munus prædicandi competere Curatis de jure & ex officio suo ordinario, & est communis sententia tam Canonistarum quàm Theologorum, & tam de ipsis quàm de Episcopis probatur evidenti ratione. Primò, quia ii omnes sunt Pastores, Curati quidem in foro interiori, Episcopi etiam in exteriori. At Pastoris est non solum vigilare super gregem, sed multò magis est pascere, vt ait Propheta thren.4 Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret iis. Hinc Apostolus prædica verbum, argue, increpa &c. Secunda ratio, quia nemo potest prædicare, nisi mittatur, sic ii qui mittuntur, prædicare tenentur, at pastores sunt qui mittuntur jure quodam ordinario, tanquam ordinarii quidam missi, qui etiam ordinariò prædicare debent; ordinario autem iure mittuntur omnes hoc ipso, quòd eliguntur ad prælaturas, aut ad curam animarum. Hinc est quod ii tanquam legitimi & idonei prædicare debent, & non opus est alia licentia.* Sic in Concil. Tholos. ann. 1590 *Episcopi proprium est docere, id quoad eius facultas, negotiaque ferent, frequentius præstare conabitur. Sin minus, probos saltem eruditosque viros ad id muneris seligat, nullumque in sua Diœcesi sine expressa ipsius licentia concionari sinat, nisi id ei ex proprio munere, vtpote parochiam obtinenti, eamque in concedenda cautionem adhibeat, vt neminem nisi ætate jam maturum, sudiaconatusque saltem ordinem consequutum admittat.* Thomas de Arundellis Cantuariensis in constitut. *Reverendissimæ synodo. Qui verò per locorum Diœcesanos se missos fore prætendunt, ipsius Diœcesani literas sub sigillo suo magno* (nam sigillum armorum sive signetum non faceret fidem ait Linduodius) *adhoc sibi confecta similiter ostendat. Curatum vero perpetuum missum intelligimus à iure ad locum & populum curæ suæ* Perpetuum, ait Linduodius, *qualis est Episcopus in sua Diœcesi, Rector & Vicarius in sua parochia, & quilibet alius perpetuò intitulatus ad beneficium cui incumbit cura animarum.* Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem verba pastoribus omnibus accommodari possunt. *Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta. Væ si non sparserimus, væ si tacuerimus. Quod cum electionis vas formidet & clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum est.*

Pag. 245.

Pag. 52.

De Rep. Eccles. tit. De Concionatoribus.

Bochelli Decreta Eccl. Gallic. pag. 1335.

Lindw. tit. de hæreticis.

Epist. 43.

Can.

Can 55. habemus precationis formulam, quam concionaturi imitantur. *Omnes concionatores & Ministri in aditu cuiusque suæ Concionis, Lecturæ, & Homiliæ, populum hortabuntur ut secum in precibus concurrant in hanc aut similem modum idq; (quantum licet) summa brevitate: Precamini pro Christi sancta Ecclesia Catholica, id est, pro universo cœtu populi Christiani per orbem terrarum diffusi ac disseminati, specialiter vero pro Ecclesiis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ; & in his præcipuè pro excellentissima Regia Majestate, clementissimo Domino nostro Iacobo Dei gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege, Fidei Defensore, & super omnes personas in omnibus causis tam Ecclesiasticis quàm civilibus infra regna & dominia sua supremo Gubernatori. Precamini etiam pro Ministris divini verbi & sacramentorum, tam Archiepiscopis & Episcopis, quam cæteris pastoribus & Curatis. Precamini etiam pro honoratissimis Regiæ Majestatis Consiliariis ac Proceribus, & Magistratibus huius regni universis; ut hi omnes & singuli in sua quisque vocatione, ad Dei gloriam populique ædificationem, & rectam administrationem officiis suis diligenter & fideliter perfungantur, memores reddendæ olim rationis, cum ad Christi tribunal sistentur iudicandi. Precamini etiam pro populo & plebe huius regni universa, ut in vera fide, & sancto timore Dei, in humili erga Regem obedientia, & fraterna in se invicem charitate vitam suam instituant. Postremò gratias & laudes Deo reddamus pro illis omnibus, qui in fide Christi ex hac vita excesserunt, humiliter Deo supplicantes, ut per illius gratiam vitam nostram ad pium eorum exemplar dirigentes, ut ita tandem hac mortali vita defuncti resurgamus cum illis in die Iesu Christi ad cœlestem gloriam & vitam æternam; semper cum oratione Dominica concludentes.* Non precantur sed jubent precari, & exhortationem oportet concludere recitando orationem dominicam.

Quibus conceditur concionandi facultas, vel rarò concionantur, vel si concionantur, tot tamen canonibus, injunctionibus, Admonitionibus, Articulis, tanquam cancellis circumscribuntur, ut omne Dei consilium liberè annunciare non liceat impunè; Si quis παρρησίᾳ qua debet utatur, schismaticus habebitur, & licentia concionandi mulctabitur, etiamsi sit Magister artium, vel in carcerem conjicietur, vel gradu submovebitur. Nam in Ecclesia Anglicana hæc duo consistere simul possunt, ut nempe quis, qui concionatus est plures annos, possit mulctari licentia concionandi, non tamen de gradu Presbyteri seu Ministri dejici. Concionatores probatissimi, deturbantur & ejiciuntur, qui plures animas Christo lucrifecerunt, & qui omnino inepti sunt ad concionandum aut qui concionando vel gloriam vel quæstum & quæ sua sunt quærunt, non quæ Christi, aut salutem animarum, aut oratorum instar prophana blandiloquentia aut facetiis auditores suos pascunt, eloquia Dei non loquentes, foventur. Cum jactabundus dixisset

Mortonus Cestrensis quibusdam Ministris. Non est inter vos Puritanos unus qui convertit tot animas quot D. Whitus. Respondit ipse Whitus (aderat enim) Cum eram Puritanus multos converti, plures tamen Micsl-jus Ratsdellensis. Pius tamen senex, ut audio, mulctatus fuit concionandi licentia.

In reliqua administratione ad præscriptum vel Iniunctionum Regiarum non modò legibus Regni non repugnent, vel liturgiæ publica authoritate editæ.

Injunctiones Regiæ hic intelligendæ sunt eæ quæ sunt editæ anno 1 Elizab. additur *modo legibus regni non repugnent*, quia forte illorum moribus repugnant. Nam art. 6 prohibentur Ecclesiastici ludere aleis aut chartulis. Episcoporum tamen capellani, eorumque asseclæ chartas instruere norunt optimè, iisque & aleis se exercent. Articul. 11 non residentes, quorum annuus reditus excedit 40 librorum summam, tenentur quadragesimam partem distribuere pauperibus parœciæ, quod tamen non observatur Art. 12. Rectores Vicarii &c. quorum reditus annuus excedit 100 libras pro singulis centenis erogarent tres libras sex solidos 8 denarios in pauperes alumnos Academiarum aut scholarum trivialiũ. Si curassent Episcopi istud præstari, singulis annis mille alumni inopia sublevari potuissent. Sed in Decanos Doctores, & Capellanos suos rigidiores esse nolunt viri boni, legum scilicet observantissimi. Art. 20 diebus festis vacandum concionibus audiendis, precibus privatis & publicis, dissidiis reconciliandis, Sacramentorum participationi, pauperum visitationi; Episcopi tamen eorumque sacerdotes comediis spectandis, Sphæromachiæ ceu globulis &c. vacant. Art. 22 omnes picturæ superstitiosæ in vitreis fenestris aut parietibus, sive in Ecclesiasteriis sive in privatis ædibus abolendæ, Multæ tamen fenestræ eiusmodi picturas habent, nec è conclavibus Episcoporum eliminantur Art. 49 Cantus Ecclesiasticus debet esse simplex; tanquam pronunciantis potius quam canentis: Curiositas tamen Ecclesiarum Cathedralium hanc simplicitatem fastidit. Art. 50 Subditorum nulli aliis hæreticorum, schismaticorum puritanorum agnomina imponant. Hoc tamen solenne Episcopis eorumque asseclis & creaturis. Art. 52 aperienda sunt capita & inclinanda genua cum profertur nomen *Iesus* in concionibus, lectionibus &c. At Episcopi eorumque capellani illud observant solum cum legitur Evangelium, ac si Evangelium reliqua scriptura sanctius esset: præsertim vero negligunt cum viriliter & graviter jurant *per Iesum* Art. 59 potest quis ab Ecclesiæ suæ parœcianæ precibus publicis abesse, si modo interea aliam illius civita-

tis vel oppidi Ecclesiam petierit, ubi habetur concio. Episcopi tamen eorumque Officiales animadvertunt in eos, qui ita fecerint, nisi marcam aut feodũ aliud eiusmodi dederint. Hæc omnia observavit ex Injunctionibus Regiis Author petitionis ad Reginam. Observat etiam idem Author, nec legis Regni tam observantes esse, quàm jactitant. Statutis regni ii habentur Ministri, qui apud exteras Ecclesias inaugurati sunt, modo subscripserint Articulis fidei & doctrinæ 13 Eliz. c.12 Episcopi tamen pro Laicis habuerunt, qui in reformatis Ecclesiis ad ministerium vocati sunt, cum tamen sacerdotes pontificios satis idoneos ad ministerium judicaverint. Lex exigit subscriptionem solummodò Articulorum de doctrina fidei & Sacramentorum 13 Elizab. c.12. Episcopi tamen homiliarum, ordinandi & consecrandi libros, item publicæ liturgiæ approbari subscriptione volunt. Statuto 23 Elizabeth cap. 1 Ordinarii eorumve Ministri à ludimagistris pro facultate docendi nihil peterent. Archiepiscopi tamen; Episcopi, Cancellarii aut officiales, prout quisque admiserit ludimagistrum 7 10 vel 12 solidos extorquent. Imo nec Canones à seipsis conditos observant, ut ostendit idem Author Pag. 70.

Ad præscriptum liturgiæ publica authoritate editæ, & concernit, vel Episcopum, vel Ecclesiam, vel Ministrum ipsum.

Episcopum nimirum in ratione confirmationis puerorum.

Ecclesiam, vel in ritibus aliquot, ut in genuflexione vel in Responsionibus quibusdam.

Ministrum ipsum, Qua in parte consideranda veniunt, Ipsius libri substantia, ut illic est videre, vel directoria quædam, quæ continentur in Calendario aut Rubricis.

In Calendario, ad dirigendum Ministrum, vel in rebus spectantibus Ministrum ipsum vel parochiam. Ministrum ipsum, vel in lectione psalmorum aliquot quolibet die mensis cujusque, vel Reliquorũ Bibliorum, partim ex Canonicis partim ex Apocryphis intra annum: Parochiam etiam totam de diebus Carnisprivialibus aut festis observandis.

In Rubricis inservientibus ad modum administrationis vel Quarundam liturgiæ partium, vel Sacramentorum.

Quarundam leiturgiæ partium, in rebus respicientibus vel omnes vel Quosdam; Omnes qui sunt illius congregationis, ut in publicis precibus, vel ordinariis vel peculiaribus alicui Tempori vel Occasioni, aut in lectionibus Homiliarum sacrarum; Quosdam, ut circa Matrimonii celebrationem, Gratiarum actionem à puerperio, Infirmiorum visitationem & consolationem, Sepulturas defunctorum.

Sacramentorum, Baptismi, Sacræ Coenæ: vel publicè in Ecclesia, vel privatis in ædibus urgentibus de causis, ministrandorum.

De politia Eccles. pag. 343 344.

Mucketus adhuc plenius describit Presbyteri Anglicani functionem his verbis. *Iam Presbyterorum, postquàm ita Episcopi institutione ad Rectoriæ vel Vicariæ titulum, deinde Archidiaconi inductione ad alterutrius possessionem admissi fuerint; hæc eorum munera sunt & officia: Verbum syncerè prædicare (si Episcopi authoritate ad concionandum fuerint approbati) per singulos dies Dominicos in Ecclesiis suis, vel vicinarum aliqua Ministro concionatore destituta; legere omni die Dominico (si ad concionandum non fuerint approbati) homilias publica authoritate præscriptas, cum in ipsorum Ecclesiis deficiet concio, quæ ut singulis mensibus habeatur per concionatorem legitimè approbatum, tenentur procurare, administrare sacramentum Baptismi, in quo pueros cœnæ Dominicæ incapaces pro susceptoribus admittere, & quem si infans sit infirmus aut in mortis periculo differre prohibentur; administrare sacramentum Eucharistiæ, & ab eius perceptione extraneos, in genua non inclinatos, manifestè infames aliquo scelere, & in eo impœnitentes viventes, cum proximis suis malitiose contentiosos, Oeconomos & testes Synodales in criminibus Ordinario detegendis nefariè perjuros, schismaticos Anglicanæ Ecclesiæ apertè calumniantes repellere, donec resipuerint; liturgiam ad Rubricarum in ea præscriptum diebus sacris, & in eadem litaniam diebus Mercurii & Veneris, distinctè & cum debita reverentia recitare; diebus dominicis & festis ante preces vespertinas ad semihoræ spatium vel amplius, juventutem & rudiorem plebem examinare, & instruere in Catechismo, qui in libro communium precum extat, diebus dominicis tempore divinorum festos, vigilias, dies carnisprivales in sequentem septimanam incidentes populo denunciare; matrimonium*

trimonium celebrare, gratias agere à puerperio, ægrotantes sedulò visitare & consolari, defunctos sepelire; in his fere omnibus peragendis congruo superpelliceo, & caputiis, si gradum aliquem in Academia susceperint, indui; baptizatorum, nubentium, sepultorum registrum conservare; pontificios nostris sacris interesse recusantes, & alios sententia excommunicationis ob insignem contumaciam, vel graviora scelera obstrictos, singulis sex mensibus sequentibus die aliquo dominico tempore divinorum pro excommunicatis denunciare: Denique omnes pontificios cuiuscunque sexus vel ætatis vltra tredecim annos, qui sacramenti participes esse, vel nostris publicis precibus interesse renuerint (observato inter eos discrimine) in suis parochiis, vt inquilinos vel hospites commorantes, eorumque vera nomina, vel quæ aliàs pro tempore vsurpant exquirere, in scriptum referre, illudque ante festum Nativitatis suis Ordinariis fideliter exhibere. Et vltra hæc omnia Presbyteri docti & magis exercitati frequentiùs habent conciones funebres, baptismales, nuptiales; conciones in Episcoporum visitationibus, & consecrationibus, Diaconorum & Presbyterorum ordinationibus, inferiorum Magistratuum electionibus, coram Regis Iudicibus & Iustitiariis pro tribunali sessuris, ad celebrandum diem quo Rex regnum suum auspicatus, inauguratus, ceu coronatus est, ad commemorandum liberationem Regis aut Regni à publicis & gravissimis periculis, grassante peste & fame, in schismaticorum & hæreticorum libris publicè comburendis, ad insignes schismaticos, cum in eos Episcopi solennem sententiam, vt loquuntur, condemnatoriam sint laturi, redarguendos & refutandos: aut quando aliæ istiusmodi occasiones obvenerint: quas ideo percensemus, vt qui in Academiis sacro ministerio se consecrant, quàm gravè sit onus præsentiant, & ad illud obeundum accedant vndique paratiores. Grave scilicet onus Presbyteris doctis & concionatoribus, concionari semel die dominico, vel in sua vel ob lucrum in aliena parœcia, propter lucrum etiam habere conciones funebres, nuptiales, baptismales, in alienis parœciis, ubi non sunt Presbyteri concionatores, si rogati fuerint & invitati à divite aut Nobili, aut si unus ex multis quandoque concionetur in visitationibus, consecrationibus, ordinationibus vice Episcopi aut Archidiaconi, & protuenda eorum dignitate, & potestate: nam singuli non exercentur in omnibus præmissis. Gravissimum, facile credo, illud de redarguendis & refutandis, quos hîc, vocat insignes schismaticos. Nam intelligit, opinor fratres nostros quos illi Puritanos, vel quos Brownistas vocant. Non repetam, quæ suprà sæpius, presbyteros alios omnino ineptos ad concionandum, alios habere donum, sed pendere usum & exercitium ab Episcopo, alios habere facultatem, ceu ut vocant licentiam Episcopi, sed vel non resides & pluralistas esse vel in Cathedralibus & collegiatis Ecclesiis latitare. Sunt

& alij, qui si non sint Nonresidentes loco, sunt Nonresidentes officio. Quàm sincerè Evangelium prædicant multi qui concionantur, cum de libero arbitrio, de justificatione, de Christi descensu ad inferos, de Antichristo, de successore Petri, & alia Papismi dogmata & Lutheranismi pro concione tradunt. Pontificiorum nomina Ordinarijs exhibere tenentur legibus, sed quàm fideliter eo munere Presbyteri, aut Ordinarij suo, fungantur lippis & tonsoribus notum. Quàm diligenter instruunt rudiores in Catechismo diebus dominicis & festis, qui nihil minus curant. De denunciandis excommunicatis, pag. 403. De repellendis manifestè infamibus à sacra cœna diximus, pag. 272. De cæteris dicemus suis locis. Notanda hîc est distinctio Presbyterorum in concionatores & non concionatores. Non distinguntur vlla parte essentiali muneris Presbyteralis. Alioquin essent duo Presbyterorum ordines præter illum gubernantium quos Seniores appellamus. Præterea in nulla re distinguuntur, quæ non sit communis Presbyteris, & Diaconis Concionatoribus. Nam Diaconis etiam hanc concionandi facultatem concedere potest episcopus. Habet Presbyter in muneris exercitio præscripta alia, quibus circumscribitur præter regiarum injunctionum, & liturgiæ præscripta, nempe libelli admonitionum Episcopalium, Articulorum pro Clero, & Canonum ceu constitutionum Synodicarum. Sed de præscripto liturgiæ jam agemus.

Libri publicæ Liturgiæ Ecclesiæ Anglicanæ partes sunt tres, preces communes, forma ministrandi sacramenta, & ritualia in matrimonij celebratione, visitatione infirmorum, Sepultura & similibus: & proinde inscribitur in editione Gallicana, *Liturgia ceu liber precum publicarum, Administrationis sacramentorum, aliorumque rituum & ceremoniarum in Ecclesia Anglicana.* Et rectè quidem nomen liturgiæ tribuitur non cœnæ solummodò celebrationi, sed etiam alijs exercitijs cultus publici. Nam λειτουργεῖν est obire ministeria circa res sacras, per quæ Deus à Christianis colitur, ut orare, scripturas recitare, aut interpretari, concionari, sacramenta administrare, psallere. *Abhac notione*, inquit Casaubonus, *dictæ sunt λειτουργίαι descriptiones quædam ordinis servandi in sacris celebrandis. Latini vocant Ordinem agendi vel officium, Græci aliquando ἀκολουθίαν.* De huius vocis notione stricta, laxa, communi, propria videat ibidem, lector. Qui librum publicæ Liturgiæ in Ecclesia Anglicana Missale translatum vocant, aut è Missali excerptum dicunt, minus propriè loqui mihi videntur. Nam liber iste Anglicanus conflatur ex tribus Pontificiorum libris Liturgicis, Breviario, Missali, & Rituali. Pars prima, nempe precum publicarum ex Breviario, Ordo administrandi sacramenta, celebrandi matrimonium, visitandi

Exercit. p. 551.

infirmos,

infirmos, & Sepulturæ ex rituali desumuntur. Ordo consecrandi in cœna, Evangelia, Epistolæ, collectæ quædam ex missali: Nam ante collectas, hic est titulus, *Collectæ, Epistolæ, ac Evangelia ad sacram communionem, sive in cœna Domini dicenda per totum annum.* Et de forma benedicendi & consecrandi dicemus suo loco. Ex tribus his igitur sed contractis nempe Breviario, Missali, & Rituali conflatur liber publicæ liturgiæ. Forma consecrandi Archiepiscopos & Episcopos & ordinandi Presbyteros & Diaconos in Ecclesia Anglicana ex alio libro nempe Pontificali Romano desumitur. Habent Ecclesiæ reformatæ etiam suum ordinem in celebrandis sacris, sed à Romana, vt decet, longè diversum.

Omnibus his publicæ Liturgiæ partibus illud commune est, quod ministri arbitrio nihil permittitur, non preces concipere, prout afflaverit spiritus, non exhortari, prout secundum donorum mensuram potest, sed conceptis formulis & præscriptis verbis orare, exhortari, admonere, docere. Nam hæc omnia præscribuntur in administrandis sacramentis, & precibus, adeo ut non liceat Presbytero Anglicano, licet Angelorum linguis loqui posset, in cœna celebranda alijs verbis exhortari, excitare affectus, aut docendo illuminare & instruere quàm verbis præscriptis, & sic in alijs publicæ liturgiæ partibus. Habemns quidem nos etiam in Ecclesia nostra Agendas, & ordinem in sacris celebrandis servandum, sed nemo alligatur precibus aut exhortationibus liturgiæ nostræ, proponuntut tantùm ut peradigmata, quibus precum aut exhortationum materia & forma quoad substantialia indicantur, non ut eisdem verbis adstringantur ministri. Totos ego tredecim annos, quibus functus sum ministerio, sive in sacramentis, sive in alijs sacris celebrandis, exhortationibus aut precibus quæ extant in Agenda nostra, nunquam usus sum. Sic etiam alij complures; & omnibus etiam liberum est idem facere. Et puerile est, ut mihi videtur, aliter facere. Qui orant, exhortantur, aut admonent absque præscriptis verbis, rectiùs mihi facere videntur, & efficaciùs movere auditores quàm qui præscriptts verbis tanquam glebæ ascripti orant aut exhortantur. Nihil ego puto à quovis præscriptum tam exactè, quin addi aliquid possit, aut perfectius reddi à quovis qui ministerio dignus, ad docendum vel movendum affectus. Nam facile est addere inventis, & prescriptis. Et licet fortè nihil exactius dari posset, tamen languet oratio, ubi non est verborum varietas, nec prorumpunt affectus interiores orantis aut exhortantis liberè in verba. Nam ut afficiat auditores oportet ipsum affici. Non autem afficitur ut debet, qui semper eisdem verbis orat, aut exhortatur. Deum omnibus viribus animæ colendum esse nemo negabit. Pij dei cultores in veteri & novo testamento varijs formis & modis orandi usi sunt, & propheta Regius non solùm

lùm res diversas sed etiam rem eandem pluribus verborum formulis petijt à Domino, ut patet ex Psal. 119. Qui orat secundum verborum pręscriptum habere potest generalem orandi affectum & intentionem ante prolata verba, particularem de petenda re particulari non habet, nisi forte teneat memoria verba præscripta, & sint orantis affectui accommodata quod accidentarium est. Est autem per se præstantior orationis vocalis modus quando vox formatur, & verba quasi determinantur per affectum interiorem præcedentem & naturali quasi impetu prorumpentem & redundantem in exteriora. Cum minister orat, si absque præscripta verborum forma, affectus ministri orantis præcedunt verba prolata, sed respectu auditorum verba prolata præcedunt affectum, eumque gignunt & movent, verum vehementiùs, quàm si oret secundum præscriptum verborum. Nam tunc non afficitur quantum debet & potest, ipse qui aliorum, quantum debet aut potest, affectus movere debet. Et puto ego, auditores alias flammulas in animis sentire, cum præit minister verbis determinatis à præcedente, quàm cùm sequente affectu, præsertim ubi aliquandiu assueti suut auditores verbis præscriptis. Nec tamen adeo rigidus sum, ut rudioribus privatim oraturis hæc adminicula, nempe præscriptas verborum formulas omnino denegem, si simul doceantur sic memoriæ infigere, ut possint affectui vt accommodare, & sic affectus verba præcedere posset; & ipsi ad perfectiora tendere nec in rudimentaria ista forma hærere. Sunt qui tota vita adeo rudes sunt, ut extra pręscriptas suas formulas vix possunt decem verba proferre, non absimiles ijs qui apud Pontificios nihil possunt abstracti à formulis illis, quæ habentur in officio Beatæ Mariæ, aut à Rosario. Addo quod etiam adultioribus non denegarem libros precum, partim ut videant quid imitentur in pijs sanctorum precibus, partim ut materialiter verba legendo prębeatur materia meditationis, & moveantur affectus, si se segniores & torpescere sentiant, cum sint oraturi. Nam aliud est legere materialiter vel studij gratia vel preparationis causa, aliud formaliter & cum affectu orare. Pręterea in domesticis precibus etiam non negarem posse patremfamilias precari secundum pręscriptum, si non habet donum concipiendi verba. Nam licet in conclavi verbis exprimere animi affectus pro arbitrio potest, quia Dominus cor intuetur & affectus, tamen publicè coram tota familia idem absque indecoro non potest. Pręstat autem pręscriptas in familia preces habere quàm nullas. Sed nollem eum in isto orandi modo hærere, ut ante dixi de alijs privatis. In Ecclesia, vbi orat minister qui debet habere donum concipiendi verba tum in precibus tum in exhortationibus æquè ac in docendo & interpretando scripturas, sentio debere uti dono illo, idque exuscitare, & alios ad idem donum colendum excitare.

Non

Non mihi placet, dicam ingenuè quod sentio, quòd minister adstringat se verbis præscriptis in publicis precibus, aut exhortationibus ceu admonitionibus in sacris celebrandis, etiamsi à viris doctis & piis conceptæ sint, præsertim recitando è libro; Nam attentio ad verba recitanda è libro, & magis impediunt affectuum impetus, & correspondentes gestus corporis exteriores, quàm si quis memorię ita infixerit ut affectui accommodata sint eumque quasi sequantur. De re ista tamen litem nemini moveo, nec propterea à sacris hoc modo celebratis, si non aliæ accesserint corruptelæ, quæ secessionem merentur, abstinendum judico. Sed in Ecclesia Anglicana non permittitur ista libertas. Adstringuntur sub pœna præscriptis verbis, nec licet impunè aliquid omittere, etiamsi ad sacrorum substantiam aut sacramentorum essentiam non sit necessarium, ut patet ex canone 38 constitutionum ann. 1603. *Si quis minister, postquam præfatis Articulis subscripserit, liturgiæ formula vel ritibus & ceremoniis quibuscunque in libro precum publicarum indictis, vti deinceps omiserit suspensionis pœna coerceatur, ac nisi post mensem se emendarit ac submiserit, excommunicetur, quod si per alium adhuc mensem in contumacia permanserit, à ministerio sacro amoveatur.* Sic Pius Quintus Pontifex Romanus statuit de Breviario ipsius jussu edito. *Statuentes Breviarium ipsum nullo vnquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum esse &c.* Præscriptas verborum formulas in liturgia Ecclesias Apostolorum sæculo habuisse ex sacra scriptura colligi non potest, præter verba determinata à Christo in Baptismo, & sacra cœna, sed potius contrarium, orasse, ut præsenti actioni, & circumstantiis loci, temporis, personarum conveniebat. Missas ceu liturgias quæ tribuuntur Petro, Iacobo, Matthæo, Andreæ, Marco, Clementi, Dionysio Areopagitæ, aliisque Christi discipulis Christi, suppositititas esse scriptores nostri pluribus indiciis evicerunt. Liturgia, quam Paulus tradidit Corinthiis, prout eam accepit à domino, supposititias illas falsitatis arguit. An nullas, inquies, probabo liturgias? Absit. Nam liturgiæ publicæ partes & exercitia sunt precari, psallere, scripturas legere, & interpretari ac tractare, sacramenta administrare, quæ qui sublata vellet, dei cultum sublatum cupit. Præterea probamus præscriptum ordinem harum partium tum per se tum inter se, ut omnia fiant ordine & decenter in Ecclesia, & ut partes illæ finem suum ad quem instituit eas dominus facilius assequantur, nempe ædificationem Ecclesiæ. Tertiò probamus etiam illa orationum & admonitionum exemplaria, quæ habentur in liturgiis nostris, dummodo tradantur ut exemplaria, non ut præscripta quibus præcepto adstringendus minister, & rectiùs facere censeo, qui non hæret in formulis verborum, ubi non determinavit scriptura,

quàm qui ne γρῦ quidem addere vult, etiamsi liberum illi sit, & nullo obligetur præcepto ad conceptas verborum formulas. In Anglicana igitur liturgia primum quod damnamus est, præscripta in omnibus liturgiæ partibus præcepta, & imperata non leviori quàm suspensionis, excommunicationis, depositionis, & deprivationis pœna.

Secundum quod damnamus in liturgia est, quòd verbi prædicatio quæ debet esse quasi anima liturgiæ habetur tanquam accessorium quid ad totam liturgiam, & accidentarium, quæ vel adesse vel abesse potest, & tamen integra semper suis partibus & omnibus numeris absoluta constare potest liturgia; Imò nec plerisque locis magis aptus est Sacerdos Anglicanus ad concionandum, quàm asinus ad lyram, & tamen omnia liturgiæ Ministeria, sive Breviarii ceu officii horarii, sive Missalis & Ritualis obire potest, sacramenta administrare, Nuptiis benedicere, mortuus mortuos sepelire, peccata remittere & retinere &c. Ministrorum & Ministeriorum sacræ liturgiæ alia erat ratio Apostolorum sæculo. Oportet Episcopum qui idem ac Presbyter esse διδακτικὸν ait Apostolus. Quod ad ministeria, non habebant illi officia horaria id est precum & laudum, nec cœnæ celebrationem, absque doctrina & interpretatione scripturarum. *Perdurabant in doctrina Apostolorũ & communicatione & fractione panis & precibus* Act. 2 42. Lyranus, *Tum quia quotidie communicabant, tum quia omnes cibos, sicut & cætera communia habebant.* Syrus interpres, *Et perseverabant in doctrina Apostolorum & communicabant in oratione & fractione Eucharistiæ.* Et Act. 13 1 λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. Oecumenius ibi τί ἐστι λειτουργούντων τοῦτ᾽ ἔστι κηρυττόντων, id est prædicantibus ceu concionantibus. Sic Chrysostomus in eundem locum. Cajetanus. *Non explicatur species Ministerii, sed ex eo quod dixerat prophetæ & doctores, insinuatur quod ministrabant Domino docendo & prophetando.* Et dicit Paulus se ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον. Atque hic mos fuit in Iudæorum Synagogis post lectionem legis & prophetarum interpretari scripturas & exhortari. Luc. 4 18 Act. 15 21, Act. 13 14, unde Synagogæ dictæ sunt domus expositionis. *Si quis est in vobis sermo exhortationis*, id est Midrash, Act. 13 14. Cajetanus in Nehemiam c. 8. *Iuxta Hebræum habetur declaratio cum appositione intellectus. Et est sensus, quod legerunt in libro declarato cum appositione intellectus, hoc est, quòd non solùm legebatur distinctè proferendo cum debitis punctis; sed etiam, ubi opus erat, declarando sensum & veram sententiam verumque intellectum sententiarum apponendo. Hoc enim faciebat Esdras. Et intellexerunt cum legeretur. Fructus doctrinæ significatur.* Hic mos observabatur etiam in publicis Christianorum conventibus, nempe scripturas legere

& deinde interpretari ac concionari. Nam argumentum sumebat Pastor concionaturus ex scriptura jam perlecta, ut patet ex his verbis, quæ apud Patres pluribus post Apostolorum ætatem sæculis sæpius habentur. *Audivistis filii librum legi Iob. Audivimus fratres tum Evangelium legeretur, Dominum dicentem, Multa sunt quæ in istis paucis verbis Domini requiruntur. Liber lectus est quo prophetatur. Pulchrè dum legimus hodie Evangelium, spiritus sanctus nobis obtulit lectionem. Audivistis lectionem Evangelii* & similia. Non debet Pastor abesse à cœtu fidelium, cum conveniunt ad officia divina, & quandoquidem in omnibus officiis habetur lectio scripturæ, non debet Pastor quem adesse oportet, omittere interpretationem. Vtar verbis Bellarmini, licet in alium finem quàm ille. *Itaque quemadmodum non licet sic argumentari, Matres dant infantibus panem dissectum in particulas vel etiam præmansum, possent igitur dare etiam integrum & solidum, nam est idem panis. Ita non licet argumentari. Ministratur populis verbum Dei explicatum à concionatore. Igitur ministrari etiam debet sine explicatione & vulgari lingua scriptum.* Non sufficit igitur, quòd Angli in divinis officiis legant scripturas lingua vulgari, sed etiam debet Minister talis esse, qui posset & velit etiam dissecare. Sed proh dolor. Parvuli esuriunt, & non est plerisqne locis, qui frangat panem aut frangere possit esurientibus. Sacerdos in sanctuarium Domini ingredi, ex eoque egredi non debet absque tintinnabulorum sonitu, id est verbi interpretatione, aut sermone exhortationis. Non urgeo justam concionis, qualem nunc habemus diebus dominicis, mensuram, in singuis officiis divinis, etiam horariis ceu precum matutinarum & vespertinarum. Sed quandocunq; & ubicunq; habentur divina officia sive horaria ceu precum & laudum ut vocant, sive sacramentaria, unâ cum lectionibus scripturæ conjungi debet aliqualis interpretatio, & pro ratione actionis præsentis doctrina. Sed liturgia Anglicana etiam ipso die dominico non solum hac parte manca est, sed etiam ordinariis concionibus non cedit. Oportet priùs officium diei illius celebrari, & tædio affici populum qui auditurus est concionem, si ulla habenda erit. Fateor breviora esse illorum breviarium, missale, rituale quàm pontificiorum. *Tantus fuit numerus, tanta varietas regularum, ut loquebantur Picæ, tot mutationes in officio Ecclesiastico, ut revolutio libri ad inveniendum quid legeretur, plus negotii & difficultatis facesseret, quàm lectio ejus quod fuerat inventum. Horum & similium incommodorum consideratione officium Ecclesiasticum juxta Sanctorum Patrum consilium ad primam institutionem revocamus.* Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ, si credere fas sit, revocata est ad primam institutionem. Sed à quibus instituta fuerat, ostendissent *Ordo Romanus divinorum Officiorum idem est nunc quoad substantiam, qui fuit ab initio Ecclesiæ*, inquit Bellarminus, *Isidorus*

De verbo Dei l. 2. c. 16

Vt dicitur in Præfatione præfixa libro liturgiæ.

De verbo Dei l. 2 c. 19

enim lib. 1 de officiis Ecclesiasticis cap. 15 affirmat à B. Petro cœpisse hunc ordinem divinorum officiorum quo vtitur Ecclesia Romana. Respondeat

Ibid. not. 46

Tilenus, *A Petro cœpisse? quidni à Iapeto.* Sed de liturgiis falsò dictis Apostolicis supra dictum. Sic Paulus tertius de Brevario Romano à Cardinale Quignono restituto ait in diplomate editionis, *Nuper consultis atque adhibitis doctis & prudentibus viris aliqua addendo, atque immutando, prout commodius duxit, summa cura atque diligentia recognovit, atque ad veterum sanctorum Patrum Conciliorumque instituta ac meliorem precandi ritum, & normam faciliorem brevioremque redegit, vt clericis eius libri ordine ac brevitate ad legendas Deo quotidianas preces magis alliciantur*, vide Spalatensem. Sic semper

De rep. Ecclesiast. l. 7. cap. 12 num. 96.

prætexunt omnes qui breviaria reformant, se revocare ad primam institutionem. Bene est. Brevius est jam Breviarium & Missale Anglicanum quàm olim fuit, at brevius tamen optandum, cum locus dandus concioni, & omittendum potius, quàm ut pariat tædium aut fastidium in auditoribus audituris verbi prædicationem. Romana Curia, quia Curiales aliis occupati negotiis, Romanæ Ecclesiæ Longiarium mutavit in Breviarium, ait Spalatensis, id est

Num. 94.

horas sibi Canonicas breviores præpararunt. *Itaque aliud officium olim fuit Ecclesiæ Romanæ, aliud Capellæ Papæ.* Si levioribus negotiis, ut ibi ait, occupati quàm quæ Christi ministros deceant, in capella sua breviores sibi horas præpararunt, multò magis sunt vel contrahendæ si quid detrahunt ædificationi, quàm ex verbi prædicatione percipere possunt auditores, aut omnino omittendæ potiùs quàm amittenda occasio audiendi prædicationem Evangelii, quæ habet conjunctas secum alias etiam liturgiæ partes, preces & psalmorum cantum. Apostolus dicit, se missum non ad baptizandum, sed ad prædicandum, multò minùs igitur ad cantandum lectiones & Psalmos. Apostoli Diaconos instituerunt, ut ipsi vacare possent orationi & doctrinæ memores mandati Christi, *Ite*

Gratian. dist. 92 ca. 2.

& prædicate. Gregorius Magnus decreto constituit in Concilio ab ipso habito, ne Diaconi officium cantandi vsurparent, *quos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vacare congruebat.* In Concilio Coloniensi decretum in hunc modum. *Jam & illud*

Titul. de officio & vita Cleric. ca. 12

non rectè fit in quibusdam Ecclesiis, vt ob cantorum & organorum concentum omittantur aut decurtentur ea quæ sunt præcipua. Cujus generis sunt recitatio verborum propheticorum aut Apostolicorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum fidei, præfatio, quæ & gratiarum actio, & precatio Dominica. Certè multò minus omittenda aut decurtanda est prædicatio verbi propter lectionum, Psalmorum & collectarum præscriptum numerum. In regulis de ceremoniis quæ haben-

Bucerus in scriptis Anglicanis pag. 455.

tur in libro liturgiæ edito regnante Edwardo Sexto habentur hæc verba *propter concionem ad populum, vel aliam justam causam Minister poterit suo arbitratu omittere Letaniam, Gloria in excelsis, Credo,*

&

& exhortationem ad communionem. At nunc non ea est permissa libertas. Oportet recitare divinum officium & quidem perfectè, etiamsi omittendam vel contrahendam viderint prædicationem verbi. Omnia perfecte planè & distinctè recitare vel cantare oportet, non transcurrendo ceu syncopando aut detruncando, ut dicitur in synodo Lingon. ann. 1404. Canone 14 Constitutionum anni 1603 sic statuerunt Reverendi patres, *Liturgia publica distinctè & debita cum reverentia legetur vel canetur in illis diebus, & eorum vigiliis, qui in libro precum publicarum sacri ac festivi designantur, horisque eorundem congruis & usitatis, atque in eo potissimum Ecclesiæ cujusque loco, qui Episcopo Diœcesano vel loci ordinario ratione vel amplitudinis vel angustiæ, commodissimus, & ad populi ædificationem maximè opportunus videbitur. Singuli etiam Ministri studiosè observabunt instituta, ritus & ceremonias omnes, quæ in dicto libro præscribuntur, tam in sacris scripturis legendis ac precibus recitandis, quàm in administrandis sacramentis, absque ulla sive materiæ sive formæ additione aut diminutione, respectu vel concionis vel alterius causæ cujuscunque.* Et Can. 16. *In omnibus utriusque Academiæ Collegiis & aulis per integram liturgiam, & sacræ Cœnæ administrationem debitè & absque omni aut omissione, aut innovatione observari volumus ordinem, formam ac ceremonias omnes, prout in dicto publicæ liturgiæ libro præscriptæ inveniuntur.* Liturgica officia non sunt ullibi omittenda, concio tamen etiam die Dominico omitti potest. Si quis die Dominico petierit aliam parœciam, ubi habetur concio, habebitur plus nimio religiosus, & præcisus Puritanus. Author petitionis ad Reginam refert oportere parœcianum absentiam à Divino officio in sua parœcia singulis vicibus redimere pecunia. Illud; jam obtinet apud Anglos preces & laudes in divinis officiis præferendas esse concionibus ceu prædicationi verbi, ut apud Pontificios. Inde est quod Episcopi, Pluralistæ, & Non-residentes munus illud negligant vel incuriam & negligentiam hoc velamine tegant, ut refert Parkerus de cruce lib. 2 pag. 192 Imo non pudet quosdam asserere verbi prædicationem non esse partem cultus divini, ut Howsonum serm. in Psal. 118 pag. 78. & Can. 19 constitutionum anni 1603 distinctè ponuntur ista duo *tempore divini cultus aut concionis.* Liturgiæ vox tribuitur, ut supra diximus, prædicationi Evangelii, & Apostolus dicit se ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον, & sacramentorum administratio ab ipso enumeratur inter partes liturgiæ, item lectio scripturarum, imo & Homiliarum. Apostolus præfert Prophetiam alijs omnibus donis spiritualibus. 1. Cor. 14. ubi de orandi ordine etiam loquitur & psallendi. Prophetia & per se ædificat, & alias liturgiæ partes ad ædificationem dirigit, estque totius liturgiæ quasi anima & vita. Lectio scripturæ exhibet panem integrum, enarratio & interpretatio dissectum

Cap. 2.

& præmansum. Et cum Apostolus designat præcipuum pastoris munus, ait, Presbyteri duplici honore sunt digni, maximè qui laborant in sermone & doctrina. Domini institutum, praxis Apostolorum & purioris Ecclesiæ, illud munus ut primarium nobis commendarunt. Multa hîc congerere possem ad probandum prædicationem esse præcipuum munus Episcoporum ceu Presbyterorum, sed de hisce supra dictum. Meminerint interim illi duplicis Væ *Væ mihi nisi Evangelizavero. Væ ijs qui faciunt opus Domini negligenter.* Denique talis est totius liturgiæ Anglicanæ ordinatio, vt λέιτεργος Presbyter possit omnia illius sacra celebrare, licet nunquam concionetur, imo nec concionari posset, si vellet. Potest autē leviori labore omnia ministrare quàm sacerdos Romanensis, quia breviora sunt breviarium Missale & Rituale quàm apud Pontificios. Regulas quas Picam vocant, Rubricas, collectas, lectiones habet pauciores & breviores, & proinde non tanta illi difficultas & molestia in revolvendo & quærendo locum indicatum in Calendario aut Rubricis generalibus, quanta Romanensi Sacerdotulo, ut jure exprobrant authores admonitionis ad Parliamentum, &
P. 47. Cartwrightus, cum ait pueros decennes posse omnia ea munia per-
1. Replic. agere, quæ exigit liber publicæ liturgiæ. Sacerdos Romanensis Lati-
p. 104. na, illi lingua duntaxat vulgari celebrant. Sacerdotes, Canonici & Prebendarij adstringuntur septem horis Canonicis, nocturnis vigilijs, frequenti Missarum celebrationi. Anglicanorum sacerdotum munus non est tam operosum, ut Romanense vel Turcicum, quod probaturus Reginaldus Anglo-Rhemensis in Calvinoturcismo ex secunda Replica Cartwr. sic refert, *Ideoq; postquam diebus*
Lib. 2. cap. *Dominicis orationes quasdam & Psalmos coram populo recitaverint (con-*
17. *ciones enim, quas dixi rariores sunt, & à paucioribus Ministris adhibentur, nec ad eas quisquam Minister ordinaria Principis lege, nisi quater in anno adstringitur, & licet nec semel toto anno concionetur, levi tamen pecuniæ mulcta legis transgressionem potest redimere, unde & alicubi in oppidis prope ipsas Academias sitis, ubi probabile est redundare concionatores, totis quatuor annis, nec ulla talis concio audita est, &c. in reliquam totam hebdomadam præclarè se officio defunctos existimant: & à Psalmis, à Concionibus, ab orationibus, à sacrificijs pro sua populique salute offerendis sive veris sive metaphoricis liberi sunt & soluti.* Sunt quidem obligati precibus matutinis & vespertinis recitandis vel privatim vel publicè, vt infra ostendemus, sed quantulum illud ad sacerdotis Romanensis exercitia, & quàm negligentes sint in penso illo persolvendo? Sed statutum est inquies, ut legat homiliam diebus dominicis ceu in officio horario, ceu in celebratione sacræ cœnæ. Sed & istud ministerium puer obire potest. Non est illud Dei verbum ritè secare homiliam legere. Debet minister ipse esse διδακτικός, & doctrinam applicare pro personarum & temporis ratione,

quod non fit nec fieri poteſt, dum leguntur præſcripta verba perſcriptæ ab alijs homiliæ. Deeſt hîc ars agricolæ ad ſubigendum & colendum agrum, calor nutricis lac digerentis & concoquentis, ut fiat dulce parvulis, ſicut eleganter alluſit Parkerus. Deeſt hîc latens illa energia vivæ vocis quæ prorumpit ex impetu interiorum affectuum concionatoris, & intimis quaſi viſceribus amantis Paſtoris. Paſtoris, Patris, diſpenſatoris, Agricolæ, aliæque nomenclaturæ metaphoricæ, quæ miniſtris in ſermone & doctrina laborantibus tribuuntur in ſcripturis, dona quæ requiruntur, monita quæ dantur, Paſce, paſce, paſce, iuſta tempeſtive intempeſtive, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, exuſciſcita quod eſt in te donum, & ratio reddenda domino de cura gregis, monent, quomodo prædicandum ſit verbum Dei. Sed vel non habent plerique donum, quod exuſcitent, vel non exuſcitant, vel non annnuciant omnia Dei conſilia. Legere homilias non eſt donum, quod aſcendens in altum Chriſtus dedit hominibus, cum daret paſtores & doctores. Qua ratione homilias, etiam pios quoſvis tractatus in eccleſia legendos imperare poſſunt. Hac umbra contenti plerique deſident domi, & non frequentant conciones in alijs locis. *Sed quid dicendum de Vicario W.* inquit Aſſertor politiæ, *qui die quodam feſto cum homiliam ad populum vel habere nequibat, vel legere nolebat, ad parœcianos deterrẽdos Dei iudicijs & ad reſipiſcentiam permovendos legit publicè fictas fabulas è libello inſcripto, Mira nova è Calabria prædicta per M. Iohannem Doleta.* Illud etiam obſervandum in libro liturgiæ indictum, *ut poſt ſymbolum, ubi non habetur concio legatur homilia vel hactenus edita, vel poſthac publica authoritate edenda.* De futuris contingentibus non eſt determinata veritas. Nemini certò conſtat homilias edendas ſaniorem doctrinam allaturas. Et ſi ex re præſenti divinare liceat, non niſi impuriores expectandæ ſunt. Nam, ut refert Examinator quidam liturgiæ, multa Papiſmi & Luteraniſmi dogmata, tum in aula tum in civitate pro concione traduntur, ob quæ nulla lis movetur concionantibus, ſicut ijs, qui de reformatione vel hiſcere cœperint. Et tamen ſubſcriptione approbandæ ſunt etiam antequam editæ fuerint. Pag. 238.

Tertio obſervandum eſt in liturgia Anglicana quaſdam eſſe partes populi in quibuſdam reſponſionibus & ritibus, ut genuflexione, capitis inclinatione, &c. Quandoque comprecatur unà cum Sacerdote populus, quandoque tacente Sacerdote reſpondet, quandoque unus omnium vice reſpondet. In matutinis v. g. *Generalis confeſſio ab univerſa congregatione dicenda genibus flexis, Abſolutio per ſolum miniſtrum pronuncianda: Populus reſpondebit Amen.* Symbolum Apoſtolorum *dicatur, Miniſtro & populo ſtantibus. A miniſtro & tota eccleſia dicatur alta voce, Pater noſter qui es in cœlis, &c.* In cœna celebratione, *Recitabit ſacerdos clarè decem præcepta, & univerſus*

sius populus post singula mandata, genibus flexis misericordiam Dei implorabit pro violatione illorum. Generalis confessio, nempe omnipotens Deus Pater, &c. *fiat nomine eorum qui communicaturi sunt, vel per eorum aliquem, vel per vnum ex ministris, aut per ipsum Sacerdotem omnibus submisse genua flectentibus.* Nota obiter verba illa vel *per vnum ex Ministris aut per ipsum sacerdotem.* Ministros hîc intelligunt opinor Diaconos aut quos vulgò clericos vocant, qui solent respondere vice populi. *Minister dicet orationem dominicam & populus recitabit post illum singulas petitiones.* Quandoque, ut in Letania minister narrat quid petendum, & populus orat. Quandoque populus respondet solùm per *Amen.* Sed vnus vice populi sæpius respondet, quarum responsionum exempla sunt in liturgia Anglicana passim obvia. Hic mos ortus est ex prava interpretatione verborum Apostoli, 1. Cor. 14. ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, ac si intelligeret Apostolus aliquem qui vice populi responderet, sed istam interpretationem rejicit ipse Bellarminus. *Hæc verba*, inquit, *non significant secundum vsum linguæ Græcæ, eũ qui gerit vices idiotæ, sed qui adimplet locum idiotæ, id est, qui sedet in locis idiotarum, qui occupat locum idiotarum, qui est ex idiotis, & idiota, vt exponunt Chrysostomus & Theophilactus hoc loco, Nam non solùm prophani auctores, sed etiam sacri non vtuntur nomine illo τόπος pro vice, sed adverbio ἀντὶ* Non igitur, Bellarmino ipso judice, sunt verba intelligenda de idiota officio, id est idiota qui respondet pro idiotis. Chrysostomus in hunc locum ἰδιώτην δὲ λαϊκὸν λέγει, Idiotam autem laicum vocat. Comprecari vnà cum ministro non absque confusione & indecoro fieri palàm est. Si minister est os Dei ad populum & in precibus, confessionibus, alijsque rebus, & ut ait Apostolus ἐν τοῖς πρὸς τὸν θεὸν os populi spiritu & mente orantis, confitentis, &c. quid voce comprecari opus est, aut post precantem repetere. Et si in alijs precibus assensum testentur in fine per Amen, cur in hisce non eandem servant formam. Si comprecari vel repetere non debent in illis, nec in his, si in his & in illis. Nam eadem est & par ratio. Præterea arbitrantur rudiores has preces & orationes, quas ipsi ore proferunt magis ad se pertinere quàm alias, aut sanctiores esse, majorisve efficaciæ. Genuflexionis ritum in quibusdam precibus imperare non in alijs superstitiosum, aut in ullis omnino precibus hypocriticum gestum inducit. Naturalia hæc signa interiorum animi motuum et affectuum libera esse debent, non præscripta, et quo liberiora eo sunt decentiora. Si statueretur ut orantes omnes elevarent oculos aut pectus tunderent, instruerentur quomodo hypocritas agerent, aut ut in signis exterioribus devotionis vim et virtutem collocarent. Genuflexio, manuum vel oculorum elevatio, et pectoris tunsio sunt ritus & signa ejusdem generis. Veneratio alia est negativa, alia positiva. Negativa precepta, quibus prohibentur actiones minus decentes

De verbo Dei, lib.2. cap. 16.

centes inter orandum aut aliàs in sacris celebrandis proban da sunt Non autem de signis his naturalibis positiva quia vel superstitionē vel hypocrisin nutriunt. Cum legitur evangelium, stantes audiunt, cum aliæ habentur lectiones ex veteri testamento vel epistolis Apostolicis sedentes audire illis scelus non est, ac si majoris esset authoritatis pars illa scripturæ, quàm cæteræ omnes, aut non essent dictata ejusdem spiritus. Audito nomine *Iesus* aperiunt capita, inclinant genua, et pauimentum pedibus scalpendo tantum efficiunt strepitum, ut aliquandiu nequeat quis auribus percipere verba a lectore aut concionatore prolata, abutentes verbis Apostoli Phil. 2 9. 10. *ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flecteret cœlestium ac terestrium et subteraneorum.* Quæ verba nihil aliud significant, quàm Christi imperio & potestati subjici creaturas omnes ubicunque fuerint. Nam *Nomen* in scripturis quandoque dignitatem, potestatem, authoritatem, imperium, famam & celebritatem, quandoque ipsam rem nominatam significat, ut invocare nomen domini idem est ac invocare Deum ipsum. Sic Act. 4 12. *Non est aliud nomen quod datum sit inter homines per quod oporteat nos salvari*, id est non est alius vel alia vis & authoritas. Hæc significata etiā quoad Christum indicant hæ locutiones, *Baptizari in nomen Christi*, Act 2.38. *Per fidem in nomine ipsius Act.* 3 16. *Per nomen Iesu adstare istum sanum*, Act. 4 10 *ne loquerentur in nomine Iesu*, Act. 5 40, Et *quicquid feceritis in nomine Iesu id facite*, id est invocato ejus nomine vel ad ejus gloriam Coloss. 3 17. Hæ phrases & periphrases Hebræis familiares sunt. Non ergo nominationem ceu titulum istum *Iesus* intelligit hoc loco Apostolus, sed ipsum Iesum, vel ejus dignitatem, potestatem, imperium, potestatem, cui subjiciuntur omnes creaturæ, etiam quæ invitæ se submittunt. Genuflectere per ἀνθρωποπάθειαν tribuitur etiam creaturis, quæ non habent genua materialia quæ inclinent, ut spiritibus, qui etiam inviti coguntur agnoscere illius dignitatem & potestatem. Dicunt se non colere ipsum nomen Iesu, syllabas aut sonum vocis, sed rem representatam audito hujus vocis sono. At cur audito magis quàm visui totidem literis & syllabis in scriptis objecto? Cur magis audito hujus vocis sono in templo quàm extra templum? Nam Apostolus non distinguit. Ipsi tamen distinguunt, quum absque ullo scrupulo in familiari sermone jurant per nomen *Iesus*. Cur magis ad nomen *Iesus* quàm audito *Servatoris* quod idem, aut *Christi*, *Messiæ*, *Redemptoris*, *Mediatoris*, aut ipsius *Dei* vel *Iehovæ* quod Iudæis ἄῤῥητον. Cur magis ad titulos Filii, quàm Patris aut Spiritus sancti? Inæquilitatemne personarum sacrosanctæ sanctæ Trinitatis hac sua ἐθελοθρησκείᾳ vel coadoratione innuere volunt? Atque hæc de Liturgia Anglicana in genere dicta sunt, ad partes veniamus.

Prima pars libri liturgiæ Anglicanæ respondet Breviario Romano, quo continetur officium horarium, seu precum Matutinarum & Vespertinarum. In breviario Romano habent septem horas Canonicas; Angli tantum duas, Matutinarum & Vespertinarum nempe precum. Officium habent, sicut Pontificii, ordinarium & proprium de tempore. Nam habent proprias lectiones diebus dominicis & aliis solenn‹i›oribus. Officii horarii partes sunt sententiæ breves sacræ scripturæ, confessio absolutio, pietes, Psalmi & Cantica, lectiones ex scriptura & libris Apocryphis, Collectæ, aliæque orationes & preces. Ordo in precibus Matutinis & Vespertinis servandus hic est. *In principio Matutinarum & Vespertinarum precum Administrator sacrorum clara & aperta voce pronunciabit unam e sacræ scripturæ sententiis, quæ consequuntur, post quam subjiciet orationem* ceu admonitionem, *quæ sententiis est apposita. Deinde habetur generalis confessio ab universa congregatione dicenda genibus flexis.* Deinde *Absolutio per Ministrum solum pronuncianda. Cui populus respondebit Amen. Tunc minister ordietur alta voce orationem dominicam.* An aliquando submissiori voce & in quem finem? Deinde sequuntur tres versiculi cum eorum responsoriis. *Domine Labia* &c. *Deus in adjutorium* &c. *Gloria Patri* &c. & conconcludunt cum *Amen* & *Halleluiah*. Tunc canitur psalmus 95. *Venite exultemus*, deinde *sequuntur Psalmi ordine in tabula descripto, nisi diei assignentur propri psalmi, & ad finem uniuscuiusque psalmi per totum annum, sequetur Gloria Patri, nec non in fine hymnorum, Benedictus, Benedicite, Magnificat, & nunc dimittis. Post Psalmos duæ lectiones distincte & clara voce pronuncientur, ut à populo audiantur, prior ex veteri, posterior ex novo Testemento, ut in Calendario proponantur, nisi diei assignatæ fuerint propriæ lectiones. Minister lectionem pronuncians eo modo versa facie stabit, quo commodius audiri possit. Et ut faciliùs intelligatur in his locis, ubi Musica figuralis cani solet, lectiones, Epistolæ, & Evangelia simpliciter & naturali tono in modum perpetuæ dictionis distinctè legantur.* Sic Mucketus; Anglicana editio sic habet. *Et ut facilius intelligat populus in locis illis ubi canere solent, ibi canent lectiones tono simplici instar distinctè legentium. Similiter Epistolam & Evangelium. Post primam lectionem sequetur per totum annum,* Canticum *Te Deum laudamus* &c. *Aut hymnus, Benedicite, Dan. 3.* Deinde *sequetur secunda lectio, qua finita canatur hymnus Zachariæ, Benedictus &c: Luc. 1. aut psalmus* 100 *Iubilate. Deinde dicatur Ministro & populo stantibus, Credo in Deum Patrem &c* Post hæc sequuntur per totum annum ad Matutinas & Vespertinas, *Hæ preces, omnium genibus religiosè flexis*, primum salutatio illa *Dominus vobiscum* & *responsio, Cum spiritu tuo.* Deinde Litaniæ istæ isto ordine *Kyrie eleeson, Christe eleeson, Kyrie eleeson. Deinde à Ministro & tota Ecclesia dicatur alta voce Pater noster,* &c. Minister

erigens

erigens se dicet *Ostende nobis* &c. ad singula commata, dividunt inter se suffragia Minister & respondentes. *Has preces sequuntur quotidie tres collectæ. Prima de die, ea scilicet quæ assignatur dicenda ad communionem eo die. Altera pro pace: Tertia pro gratiâ Dei, perseverantia in fide & vera doctrina. Posteriores autem duæ nunquam mutantur, sed per integrum annum dicuntur ad Matutinas & Vespertinas. In festis Natalis Domini, Epiphaniæ, Matthiæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Iohannis Baptistæ, S. Iacobi S. Bartholomæi, S. Matthæi, Simonis & Judæ, & S. Andreæ, ad Matutinas statim post Benedictus canetur Symbolum Athanasii.* Sequitur *Ordo Vesperarum per totum annum. Sacerdos sive Minister dicet Pater noster* &c. Deinde sequuntur versiculi & respõsoria, ut in Matutinis. *Postea cantantur psalmi præmonstrati in tabulis, nisi festum fuerit quod proprios habet psalmos. Hos sequitur prima lectio ex Veteri Testamento, nisi fuerint propriæ lectiones festi. Deinde canitur, Magnificat*, &c. Luc. 1 Psal. 93 *Cantate Domino* Lectio secunda ex Nova Testamento, *Postquam finitam canatur canticum Simeonis vel* psalmus 67 *Deus misereatur nostri* &c. *His finitis, adduntur symbolum cum aliis suffragiis supra ad matutinas præscripta cum tribus Collectis, quarum prima sit de die, Secunda pro pace Tertia pro Dei adjutorio adversus omnia pericula.* Secunda & tertia *dicuntur ad Vesperas per totum annum* In Rubricis generalibus habetur directorium istud. *Sciendum est etiam Collectam, Epistolam, Evangelium Dominicæ diei repeti per totam Septimanam, nisi inciderit festum quod proprium habet officium.* Deinde *sequitur Letania & Supplicationes cantandæ diebus dominicis, feriis quartis & sextis, atque aliis temporibus cum ordinatum fuerit.* Vbi singuli versus repetuntur, vel ad singula fere verba respondetur octies *libera nos domine*, vicies *Terogamus audi nos*. Adjiciuntur & aliæ Orationes ordinariæ & extraordinariæ pro pluvia tempore necessitatis, pro aeris serenitate, tempore famis, belli, pestis, gratiarum actiones pro pluvia, serenitate aeris, annonæ copia, pace & victoria.

In ordine istoprecum matutinarũ & Vespertinarũ reprehensione digna sunt, 1 Quod minister dum precatur adstringitur præscriptis verborum formulis, de quo supra dictum. 2 Quod oporteat quasdam preces alta voce proferre ac non omnes. Hanc formam observant pontificii in Missa ob mysteria. Et quæ alia hujus varietatis ratio reddi potest? Nam si verba ipsa sint sancta & pia, & omnium nomine dicuntur, cur non omnium auribus percipienda. Suntne quædam religionis mysteria occultanda tanquam sacra Cereris? Sed esto: etiam illa quæ submissiori voce proferantur, auribus hauriant, si velint, omnes auditores, cur hæc submissa, illa voce altiori & clariorie pronuncianda? 3 quod in quibusdam precibus indicitur, ut genibus flexis precentur: cur non idem

imperatur in omnibus aliis, aut in his non in illis? dixissem cur in ullis? Nam hæc signa naturalia affectuum & motuum animæ interiorum, ut dixi, non sunt extorquenda imperio externo, sed ex actu imperato qui actum elicitum voluntatis piæ sequitur, prorumpere debent. In libro liturgiæ edito regnante Edwardo 6 habentur regulæ quædam de Ceremoniis, quarum una est. *Quantum ad genuflexionem, & consignationem signo crucis, elevationem manuum, tunsionem pectoris, & similes gestus liberum erit cuique suam suam sequi sententiam.* Vide Ordinationem Ministerii Ecclesiastici in Anglia, in scriptis Anglicanis Buceri. Etsi hîc confundantur signa mystica cum naturalibus, consignatio crucis cum genuflexione, pectoris tunsione, manuum elevatione, tamen prudenter permiserunt liberum usum signorum naturalium. De geniculatione in Cœna alia ratio est; duplici nomine eam ibi damnamus, tum quia naturale signum interioris affectus & reverentiæ extorquetur imperio, tum quia rectæ celebrationis violationem secum trahit, & idololatriam, ut suo loco dicemus. Cum regius propheta Ps. 95 6 ait, *venite incurvemus nos & procumbamus, flectamus genua coram Iehova qui fecit nos*, hortatur & invitat, non imperat. Si præceptum ullum traditum esset de genuflexione precationum tempore, peccasset Iehosaphat, & populus Iudææ 2 Chro. 20 5 6 13 qui stantes orabant & publicanus, Luc. 18 11. Veteres, Iudæi ut observat Drusius orabant stantes, non de geniculis ut nunc: unde *statio* vnum ex 7 nominibus orationis, & dictum illud R. Iudæ *Sine stationibus non subsisteret mundus*. Secundo Samuelis 7 18 dicitur, quòd *Ingressus Rex David consedit coram Iehova.* Dico itaque genuflexionis ritum, & alia signa naturalia interiorum animi motuum & affectuum debere esse libera, & quo liberiora eo gratiora, quia cum sint adumbrationes passionum & motuum interiorum, gratiam quandam accipiunt & decorum à passionibus & affectibus internis, qui in exteriora membra quasi impetum faciunt, in iisque quasi typum suum imprimunt. Sed cum vi præcepti quis trahitur, ut exprimat quod non imprimit affectus, motusve animi interior, non est cultus Deo gratus qui populum suum vult esse voluntarium Psal 110. 4 Quòd populus quandoque comprecatur cum ministro, quandoque repetit, quandoque respondet, & inter se dividunt orationem minister & respondentes ad singula fere membra & versus, de quo supra dictum. 5 Quòd tot vicibus repetant unam eandemque orationem, supplicationem, aut gratiarum actionem, ut in Letania *Libera nos Domine*, octies, *te rogamus audi nos* vicies. Lincolnien. referũt in uno eodemq; conventu octies quandoque recitari orationem dominicam & versiculum *Gloria Patri* 12 vicib. quod fit cum alia plura concurrunt divina officia cum horario. Christus instituens Apostolos quo modo

Pag. 455.

In Matth. 6

Epitome p. 95.

ro orarent, tradidit in oratione dominica exemplar Mat. 6, quo exemplari indicat quomodo vitanda sit πολυλογία in concipiendis precibus & inanis repetitio verborum ceu βαττολογία. Cum illa ipsa oratio in uno eodemque conventu toties repetitur, ac si nulla pars liturgiæ, nullum officium absque illa sanctificari possit, non solùm eodem exemplari abutimur ad battologiam, sed etiam ad superstitionem. Sic toties inculcare *Kyrie eleeson, libera nos Domine, te Rogamus audi nos*, non modo in uno eodemque officio, sed in una eademque orationis formula, ut in Letania, est illud ipsum τὸ βαττολογεῖν quod usurpabant in suis Litaniis ethnici. 6 Quod breves precatiunculas, quas collectas vocant, & quatuor aut quinque lineis ceu versiculis absoluunt, triplicant, ac non potius continuata oratione precantur. Finita una collecta cessant, & post modicum intervallum inchoant aliam, qua etiam finita post modicum itidem intervallum tertiam. Nulla alia intervenit actio, cujus occasione intermittant aut abrumpant actionem precandi, & tamen abrumpunt, & servatis suis pausis denuò incipiunt? Num πολυλογίαν vitare student in brevitate collectarum? At in earundem multiplicatione brevitatem prolixitate compensant. Ridicula est ista precandi forma, & inepta. Est & illud observandum in collectis, quod habet ab Erasmo Cassander, nempe non solutum, vagum, sed certo ambitu & descriptione incisorum atque membrorum definitum compositionis genus: *Periodum quamque ut plurimum constare duobus membris, quorum utrunque in duo commata ceu incisa dividatur, & inter duo membra intercedat comma, sive membrum solitarium*. Sed inanis & ista observantia informandis precum formulis. Æquè inanis etiam illa, quam dicit servasse authores in numeris extrema periodorum & membrorum certis dimensionibus temporum terminantibus. Collectas vocatas dicit Cassander, *omnes illas orationes, quæ ab Episcopo vel Presbytero non modo in celebratione sacræ communionis, sed in quavis synaxi etiam matutina & vespertina super populo vel cœtu aliquo collecto recitabantur*. Aliis dicitur collecta quia paucissimis verbis colligit quicquid à Deo postulandum est. Alii alias afferunt nominis rationes. Vide Bellarm. 7 Quod feriis quartis & sextis magis, quàm secundis tertiis, quintis Letania & supplicationes cantandæ. Sed de Litania statim plura dicemus. 8 Quod non præcipiant, ut Minister ceu Sacerdos, cum orat eo modo versa facie stet quo commodius audire possit populus. Habetur Rubrica ut stet versa facie ad populum quo commodiùs audire possit, dum pronunciat lectionem. Cur non etiam semper dum precatur. *Aversa facie, ut refert Cartwrightus, & obverso tergo precatur in Cancello, ac si secretum haberet ad Deum alloquium, quod nefas populo audire, & quandoque tam longè abscedit à populo quam potest, non impediente remotissimo cancelli* parietে,

In operib. p. 305.

De Missa cap. 16.

pariete, ac si inter illum & populum esset quoddam diffidium. Multi interim discernere nequeunt, vtrum maledixerit an benedixerit, Anglicène an Latinè loquutus sit. Refricat memoriam Levitici sacerdotij, in quo subduxit se Pontifex è conspectu populi in sanctum sanctorum, vbi cum Deo colloquium habebat. Ritus Iudaicos pertinaciter retinere quàm populi ædificationi studere malunt. Quod ad materiam orationum, de commodis & incommodis hujus vitæ valde solliciti sunt, etiam vbi nulla necessitas: Vt in Letania à fulgure, à tempestate, plaga & pestilentia, fame, bello, morte subitanea, seditione, conspiratione liberari postulant, vbi & quando nihil eiusmodi metuitur. Si enumeranda sint omnia huius vitæ incommoda, nullus erit finis. Expunxerunt tamen è Litania sua suffragium quod extabat in libro liturgiæ regnante Edwardo sexto. *A tyrannide Episcopi Romani libera nos Domine.* Quid sibi vult istud suffragium ceu supplicatio in eadem Litania. *In tempore tribulationis & prosperitatis nostræ, in hora mortis & die judicii libera nos Domine.* In tempore prosperitatis liberari postulant. Item illud *A fornicatione & aliis omnibus peccatis mortalibus libera nos Domine.* Collecta 12. dominicæ post dominicam Trinitatis habet hæc verba, vt *dimittas quæ conscientia metuit, & adjicias quæ oratio postulare non audet.* Quam affinitatem aut congruitatem habent pleræque collectæ assignatæ certis temporibus cum diebus quibus assignantur?

De Psalmis Canticis & Hymnis observanda sunt 1 Psalmi quos canunt non panguntur carmine metrico, vt canantur in officijs, sicut in Ecclesijs reformatis. Habent quidem ecclesiæ particulares pleræque, vbi habetur concio ceu predicatio verbi eundem, quem nostræ morem in cantu psalmorum, sed in officio precum matutinarum & vepertinarum, administratione cœnæ aliisque præscriptæ liturgiæ ministeriis, canunt psalmos soluta oratione secundum morem Romanensium. Et cantum hunc esse Gregorianum non dubito, cum in duro illo certamine cum Ambrosiano à quo multum, & Mozarabico officio ac Missali à quo parùm discrepabat officium & Missale Gregorianum, triumphum egerit Gregorianum. Et præterea Augustinus Monachus à Gregorio missus in Angliam ritus Romanos introduxit. Canunt alternatim in Cathedralibus, collegiatis aliisque ecclesiis celebrioribus. Canere autem nemo tenetur nisi quibus hoc specialiter commendatur, alii omnes liberi sunt, vt assistant si velint. Hymnos Breviarii Romani non retinent, quia, ut opinor, hymni translati amittunt eam venustatem quam habent metrici & rithmici Latinè, non autem quia non exstant in sacra scriptura. Nam Canticum *Te Deum laudamus*, quod non habetur inter Cantica scripturæ, retinent, & quidem ampliori dignantur prærogativa, quam Psalmos aut alia Cantica. Oportet enim istud canticum frequenter cantari inter primam & secundam

lectionem

lectionem, cum tamen Psalmi & alia cantica suis tantùm vicibus in mensis curriculo assignatis decantentur. *Compositum fuit*, inquit Bellar. *Deo inspirante à sanctis patribus Ambrosio & Augustino, qui statim à baptismo ejusdem Augustini toto populo obstupescente canticum illud alternatim cecinerūt*. Fabulæ Dacii. Hoc habent cō nunc cum aliis scripturæ sacræ partibus Psalmi & cantica, quòd lectioni, meditationi, enarrationi ceu interpretationi inserviant: hoc singulare quod canenda. Sed dum & quatenus canuntur non sunt preces. Nam canere propriè non est orare. *Cantus Psalmorum, etsi vaticiniis, doctrinæ, & δοξολογία habet preces permixtas non raras, propriè tamen ad prædicationem laudum Dei spectat*, inquit, Casaubonus. Et carpit Baronium, quod ista duo malè confunderet, prædicationem laudum Dei, & modum concipiendi preces, quoties piorum aliquis opem atque auxilium Dei aut delictorum veniam vult impetrare. Qui ordinariam precandi formulam in ordinario Psalmorum cantu statuunt, Orare & canere confundunt. Imo absque cantu, non sunt tamen semper preces, & cum preces continent, tamen non semper congruunt circumstantiis loci & temporis, si in ordinario officio, suo ordine & in hunc usum constituantur. De cantu symphoniaco, alternato, & instrumentis musicis, vide quæ supra diximus capite nono.

Lib. 2. c. 16.

Exercit. p. 325

Quod ad lectiones attinet, observanda sunt ista 1 *Vetus Testamentum tam in matutinis quàm vesperis, primis lectionibus destinatur, quibusdam tantum libris & capitibus exceptis, quæ omittuntur, propterea quod ad ædificationem minus ac reliqua conferre videantur*. Cur omittenda? an non omnis scriptura divinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem? An Apocrypha magis ad ædificationem conferent quàm canonica. Dixit Deus, *De fructu omnis arboris huius horti liberè comedes*, *ex qualibet scripturæ parte*, inquit Irenæus. Et tamen omissis his capitibus & libris legunt Apocrypha scripta, etiam diebus festis, & prælati quamvis rarius concionentur, tamen non rarò textum deligunt ex Apocryphis. De librorum Apocryphorum veteris testamenti authoritate nil opus est, ut multa dicam. Cum satis constet Iudæos nunquam habuisse pro canonicis, & multas absurditates, fabulas & ineptias continere. Licet daretur nihil continere quod ineptum aut absurdum, tamen non sunt tubæ à Deo sanctificatæ, quibus clangerent sacerdotes Domini. Purior Ecclesia non alia legit quàm Prophetarum & Apostolorum monumenta. In Concilio Laodiceno decretum, *Quod non oportet ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς privatos Psalmos dici in ecclesia nec libros non canonicos, sed solos canonicos veteris & novi testamenti*. Non vult concilium legi in ecclesia nedum annumerari libris Canonicis. Apocrypha scripta apud Anglos leguntur, canuntur, enarrantur ut Canonica. In libro Liturgiæ in

Rubricis

Rubricis generalibus, & Rubrica ante *Te Deum laudamus*, communi elogio *Sacræ Scripturæ* cum canonicis ornantur. Vnde ortus error ille, qui invaluit sæculis superioribus, quod hi libri essent Canonici, eorumque authoritas irrefragabilis, nisi ex eo quòd in ecclesia legerentur. Quia hic honos illis delatus est præ aliis scriptis Apocryphis ut in Ecclesia legerentur, dicti sunt in initio ecclesiastici non canonici. Nam Ecclesiastici titulus non erat proprius & particularis unius libri ut nunc, sed communis. *Sciendum tamen est*, inquit Ruffinus, *quòd & alii libri qui non canonici, sed ecclesiastici à maioribus appellati sunt, ut est Sapientia Salomonis & alia Sapientia, quæ dicitur filii Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non auctor libelli sed scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis est libellus Tobiæ & & Iudith & Machabæorum libri. In novo verò Testamento libellus qui dicitur Pastoralis sive Hermetis, qui appellatur duæ viæ vel judicium Petri, quos omnes legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt.* Sixtus Senensis quos veteres Ecclesiasticos, deuterocanonicos seu secundi ordinis canonicos appellat, non quòd jam non par sit eorum & protocanonicorum authoritas, sed quia statim initio nascientis Ecclesiæ non fuerunt omnium patrum consensu indubitatæ fidei. De ortu & progressu huius authoritatis & dignitatis sic scribit. *Quos olim prisci Ecclesiæ patres tanquam Apocryphos & non Canonicos habuerunt, eosque apud solos Catechumenos nondum canonicæ lectionis capaces, ut in synopsi testatur Athanasius, primùm legi permiserunt, deinde procedente tempore, ut Ruffinus in symbolo scribit, apud omnes fideles recitari concesserunt, non ad dogmatum confirmationem, sed ad solam populi instructionem, & quia publicè in Ecclesia legerentur, Ecclesiasticos nuncuparunt: demum verò inter scripturas irrefragabilis autoritatis assumi voluerunt.* Vides quando & quo prætextu legi cœperunt, in Ecclesia nempe ad populi informationē. Nonne scriptura sacra quoad lectionem, sufficit ut ad confirmationem fidei, sic etiā ad morū informationē. Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad correctionē, redargutionē, institutionē, consolationem, ut reddat virū Dei perfectū. Si ut illustrent sacram scripturā, legendos dixerint, meminerint, si quid obscurū & difficile intellectu in sacra scriptura, Christū ascendisse in altum ut dona daret hominibus interpretādi & explicandi quę sunt difficiliora & obscuriora. Secundo si legendo illustranda est in locis obscurioribus scriptura, an non una pars scripturę melius illustrabit aliā quàm scripta Apocrypha & certiorem dabit interpretationem, & morum informationem? An illi ita legunt Apocrypha, ut adaptent locis scripturæ difficilioribus? Annon eodem ordine legunt quo Canonica

Exposit. in symbolum

Bibliothec. sanct. lib. 1. c. 1.

Pag. 2.

absque

abſque correſpondentibus ad Canonicam ſcripturam locis? An tantum otii ad legenda Apocrypha, cum Canonica vix poſſent anno uno aut biennio perlegi. Præſtat legere unum librum Canonicum centies quàm ſemel omnia ſcripta Apocrypha. Divina ſcripta non poſſunt ſatis inculcari & frequenti lectione memoriæ infigi, & interim tempus terendum legendo ſcripta Apocrypha. Si quid difficile & obſcurum in Apocryphis an etiam explicandum? Certè ſi legendum etiam interpretatio adhibenda. Nam nihil legendum in Eccleſia quod non etiam, ſi opus fuerit, enarrandum & explicandum. Sunt in ſcriptura ſacra multa intellectu difficilia, & iis neglectis ac omiſſis quæ ſcrutari nos jubet dominus, Apocryphis explicandis dabimus operam. Ipſi Iudæi, quorum res agebatur in ſcriptis Apocryphis, non dignati ſunt ea dignitate ut in ſynagogis ſuis legerent, & nos dignabimur. *Voces* (ſic vocantur ſcripta veteris teſtamenti Act. 13 27) *prophetarum leguntur per omne ſabbathum.* Voces prophetarum ſolum legebant non aliorum, Sic in Chriſtianorũ conventibus, ut refert Iuſtinus, legebantur ſolùm τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποςόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν *Apol. 2.* commentaria Apoſtolorum & ſcripta prophetarum. Præterea videmus conſilio inconſulto introductum morem legendi ſcripta Apocrypha in Eccleſias. Nam ut videmus, parem cum Canonicis ſcripturis authoritatẽ ſibi vendicarunt cum in morum informatione tum in dogmatum fidei confirmatione, tum in divinis officiis dum legunt, canunt, interpretantur. Imò oportet Canonica ſcripta cedere Apocryphis diebus feſtis. Apud Anglos ut apud Pontificios lectiones ordinariæ & feriales ex Canonicis ſcriptis omittendæ ſunt quibuſdem diebus feſtis, ut lectiones ex Apocryphis recitentur. Si nihil aliud reprehenſione dignum eſſet in lectionum ex Apocryphis recitatione, præter dicta incommoda inde orta, nempe perniciosum errorem de Canonica eorum authoritate & pari cum Canonicis conſortio, & quod tantum temporis detrahitur lectioni & interpretationi ſacræ Scripturæ quantum iis legendis & enarrandis impenditur, ex Eccleſiis exterminanda eſt eorum lectio & interpretatio. Sed præterea habent permiſta multa fabuloſa inepta, abſurda & erronea, eæ ipſæ lectiones quas ex Apocryphis delegerunt & divinis officiis aſſignarunt Angli. Inſpiciat lector & conferat hæc loca Tob. 5 12. Tob. 6 7, & 7 3 8 9, & 8 2 3 & 11 8 12 14, & 12 12 15. Iudith 9 2 10 13, & 10 3 4. Sap. 3 18 & 4 4 3 Eccleſiaſtic. 1 15 & 12 5, & 15 15, & 24 11, & 48 13. Hiſtor. Suſan. cap. 13 Daniel. (nam ſic inſcribunt) ver. 5 28 45 64 65. Meritò Hieronymus monuit Lætam, *Multa admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ in auro lutum quærere.* Non puduit tamen Bancroftũ Londinenſem aſſerere in colloquio Hamptonienſi Hieronymi exceptiones contra libros Apocryphos fuiſſe Iudæorum cavillationes, & Wintoni-

ensem fuisse *Canonicos ad mores informandos*. Nec satis circumspectè loqui mihi videntur, qui proximam iis post Canonicas scripturas authoritatem deferunt. Nam quæ cum Canonicis in omnibus conveniunt, majoris æstimanda sunt quàm ψευδεπίγραφα fabulis, ineptiis & erroribus respersa. Non hic prætereundum quod refert Bellarminus libro secundo de Verbo Dei, c. 15. *Audivi à quodam fide digno*, inquit, *cum in Anglia à Ministro Calvinista in templo legeretur lingua vulgari capitulum 25 Ecclesiastici, ubi multa dicuntur de malitia mulierum surrexisse fœminam quandam & dixisse, Istud est verbum Dei? imò potius Diaboli est.* Minister iste Calvinista proculdubio fuit Liturgicus aliquis Curio, qui secundum Calendarii directorium legebat 24 Augusti capitulum 25 Ecclesiastici. *Novum testamentũ alteri lectioni inservit in Matutinis & Vesperis & singulis annis ter perlegetur unà cum Epistolis & Evangeliis, excepta Apocalypsi, ex qua lectiones aliquot depromptæ festis quibusdam propriis designantur.* Et cur non sumuntur lectiones ex Apocal... ad officium ordinarium, sed reservantur diebus festis? Quid sibi vult illud, *Novum testamentum alteri lectioni inservit unà cum Epistolis & Evangeliis?* Ergo unum idemque capitulum ex Evangelio erit diversa ratione lectio vel Evangelium, ex epistolis lectio vel Epistola. 2 De propriis psalmis & lectionibus habetur Rubrica generalis, *In festis mobilibus, immobilibus & dominicis, quæ proprios habent psalmos & lectiones, omittentur psalmi & lectiones nominatæ in Calendario*. At contra Spalatensis. *Nunquam feriale officium mihi videtur deferendum aut non nisi in maximis anni solemnitatibus. Potest enim in feriali officio addi lectio martyriorum & sacrarum pro ratione diei historiarum.* Non magis interrumpendæ lectiones ordinariæ, quàm psalterium; nam eadem est ratio. 3 Quod cantentur lectiones, ceu sacra scriptura, dum legitur, & sic canunt quæ non sunt canenda, ac cantando scripturam sacram sic se deum colere existimant. Observavi abusus in legenda scriptura sacra apud Anglos, In recto usu, ut non probo lectionem absque interpretatione ita nec alterum extremum, conciones absque lectione. Nam legere solùm quatuor aut quinque versus quando concionandum, non sufficit ad munus istud ritè obeundum. Ecclesia Iudaica legit ordine & perlegit totam scripturam intra definitum temporis spatium. Sic Ecclesia Christiana in publicis conventibus diebus dominicis, quando habebant publicos conventus, ut refert Iustinus. Ecclesia non solum custos est & depositaria sed etiam testis & præconis officio fungitur dum legendo publici juris facit & promulgat & interpretis dum enarratur. Nec abs re est quod eadem vox *Kara* significet & legere & promulgare ceu proclamare Isa. 29 12 & 61 12, Zachar. 7 7, & Act. 15 21. Nam lectio Evangelii ejusque ut promulgatio

De Republ. Eccles. l. 7. cap. 12. num. 95.

&

& proclamatio pars prædicationis est. Lectionem scripturæ commendat nobis scriptura Deut. 31 11 12 13. Nehem. 8 3, Ephes.3 4, Coloss,4 16, 1 Thess 5 27, & 1 Tim. 4 13. Nam de publica lectione intepretantur nonnulli locum illum; quam interpretationem confirmant antecedentia, *Interim dum venio*, & sequentia *exhortationi & doctrinæ*, & praxis Ecclesiæ. Iudaicarum historiarum libri traditi sunt ab Apostolis legendi in Ecclesiis ait Origen.hom.15 in Iosua. Quod ad mensuram & quantitatem sectionum aut capitulorum attinet, non ad præcisum anni spacium dividenda ut apud Iudæos, quia jam auctior est Canon sacræ scripturæ, sed pro arbitrio Ecclesiæ, ut in primitiva Ecclesia. Nam ut refert Iustinus, *Solis qui dicitur die omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt in eundem locum conventus fiunt. Et commentaria Apostolorum aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.* Apol.2. Sive biennio, sive triennio absolvatur lectio sacræ scripturæ, perinde est, modo non perfunctoriè fiat dum convocatur cœtus, tantùm, sed seriò & post convocatum jam cœtum fidelium. Non est datum omnibus legere: & quibus datum est, sunt negligentiores. Expedit tamen ut omnes discant ex ipsa scriptura sacra, & ex ipsis fontibus affatim bibant, ut de doctrina tradita per concionantem certiores reddantur, ut probare possent spiritus, & memoria retinere quæ dicta sunt. Dixi, & forte idem non sentiunt alii: unusquisque fruatur judicio suo. Interim ordinem Anglicanum neminem puto probaturum. Absque conventu ordinario & publico totius Ecclesiæ soli legunt & canunt scripturas Curati aliique qui ad horarum pensum persolvendum obligati sunt, etiamsi nullus ex populo advenerit, cum tamen propter populum præcipuè institutus sit ordo legendi scripturas, pergunt in matutinis & vespertinis legendo & canendo paucis fortuitò advenientibus & forte nullis, sed sibi solis & die dominico in publico conventu legunt & canunt illius diei lectiones. Sic fraudantur beneficio lectonum aliarum totius fere scripturæ. Non obligatur nec obligari debet populus interesse ordinariæ recitationi lectionum in matutino & vespertino officio per hebdomadam. Ordinaria igitur lectio reservanda est publicis conventibus, vel saltem suum legendi ordinem & perlegendi habere debent, si propter populum hic ordo institutus. Ideo Iudæi singulis sabbathis legebant.

De loco officii horarii celebrandi habemus, Rubricã istam *Matutinæ preces & Vespertinæ celebrabuntur in locis Ecclesiarum, capellarum'& Chororum consuetis, nisi aliter illius loci ordinario visum fuerit. Chorus etiam manebit eadem forma qua superiorum temporum fuit.* Sic can. 14 constitutionnm anni 1603 decretum in hunc modum. *Liturgia publica distinctè & debita cum reverentia legetur vel canetur in illis diebus & eorum vigiliis, qui in libro precum publicarum Sacri ac festivi*

designantur, horisque eorundem congruis & usitatis, atque in eo potissimum Ecclesiæ cujusque loco, qui Episcopo Diœcesano, vel loci ordinario (ratione vel amplitudinis vel angustiæ) commodissimus, ac ad populi ædificationem maximè opportunus videbitur. Non est unus idemque locus ministerii in legendis scripturis, ac precibus recitandis, & in administrandis sacramentis, ut refert Cartwrightus. Preces matutinæ & vespertinæ celebrandæ in locis consuetis, nisi aliter loci Ordinario visum fuerit, ut vult Rubrica, Baptismus celebratur prope ostium. Matrimonium in medio Ecclesiæ vel navi, ut vocant. Locus consuetus precum Matutinarum & Vespertinarum est in cancello. Sic migrat è loco in locum Curio liturgicus non absque mysterio. Et licet in potestate ordinarii situm sit locum commodum designare ad ædificationem populi maximè opportunum, non tamen recedunt à more veteri. Nam post editam Rubricam illam refert Cartwrightus sacerdotulum aversa facie quandoque precari, & à populo abscedere ad remotissimum Cancelli parietē, ac si arcanum quid Deo effari vellet; præterea ait Cartwrightus, *Mihi certò persuasum est decimam quamque Ecclesiam in Anglia non habere integrum officium divinum eo in loco celebratum, ubi totius Ecclesiæ cœtus auribus verba percipere posset.* De Choro sic Bucerus in censura in librum Sacrorum Ecclesiæ Anglicanæ. *Ut enim Chorus sit tam procul sejunctus à reliquo templo, & in eo tantùm sacra repræsententur, quæ tamen ad omnem pertinent populum, clerumque, hoc Antichristianum est, Chori tanta à reliquo populo sejunctio eò seruit, ut Ministri, qualescunque fide sint & vita, ipsi tamen ordine & loco habeantur quasi Deo propinquiores, quàm laici, & qui possint his placare Deum ui exteriorum operum, quæ faciunt sibi proprii, cùm sunt totius populi Christi. Quòd verò in Choro tantum sacra illa communia peraguntur, quia confirmatur eo superstitio illa perniciosissima, qua gratus Deo cultus putatur legere, recitare, atque audire scripturas & preces, sine mente, sine intellectu fidei. Hi ergo tam alieni ab instituto Christi ritus, ut quibus intoleranda fit Deo contumelia, debent quamprimum & severissimè corrigi: alioqui totum regnum se læsæ divinæ Majestatis obstringit: in perpaucis enim Ecclesiis non adhuc notata labes hæret.* Audivimus ex Cartwrighto non in decima quaque Ecclesia populum audire integrum officium, qui post Buceri tempora floruit. Addit Bucerus. *Ex formis antiquissimorum templorum atque scriptis S Patrum satis cognoscitur fuisse stationem Cleri apud veteres in mediis templis, quæ fere rotunda erant, ex eoque loco sic sacra divina populis esse exhibita, ut exaudiri plane possent quæ recitabantur, & intelligi ab omnibus qui erant præsentes.* Abusus quem notavimus redolet inolitum errorem, *Divinorum officiorum finis præcipuus non est instructio vel consolatio populi, sed cultus Dei, & quæ populum scire oportet ex divinis officiis à Pastoribus explicantur.* Ac si fines subordinati

Bell. de verbo dei l. 2. c. 16.

nati

nati inter se pugnarent, & non simul Deus coli & Dei populus ædificari debeat. Objicit Bellarminus morem Levitici sacerdotii. *Hinc Levit.* 16 *Deus præcipiebat, ut dum Sacerdos sanctuarium ingressus pro se & pro populo oraret, populus foris maneret, ita ut non solùm non intelligeret, sed nec audiret nec videret sacerdotem, quod etiam factum esse tempore Zachariæ legimus Luc.* 1 *& tamen quis dubitare potest, quin illa oratio populo prodesset. Oratio Ecclesiæ,* inquit, *non fit populo, sed Deo pro populo. Itaque non est opus, ut populus intelligat, ut ei prosit, sed satis est si intelligat Deus.* Ex hoc errore ortum etiam, quòd sacra celebrarunt lingua non vulgari sed Latina. Fructus orationis pro aliis etiam absentibus, ratione acceptationis à Domino & exaudititionis potest pervenire etiam ad absentes, sed in præsentibus audientibus & comprecantibus requirit Apostolus etiam fructum ædificationis, nam tunc ipsi orant unà cum ministro. Oratio Ecclesiæ est quæ fit à populo Dei. *Si qua non fit à populo Dei, non est oratio Ecclesiæ, etsi in Ecclesia fit. Tota Ecclesia reipsa orat, quamvis unus in ea sermonem habeat, quia Christus omnes in se & secum effecit Sacerdotes coram Deo & Patre.* Quod ad sacerdotis ingressum in sanctuarium, erat modus à Deo imperatus ob typum. Signis externis instruebatur populus dum sacerdos erat in sanctuario; Verisimile etiam est, ut conjicit Cartwrightus, alios sacerdotes alia cum populo exercitia interim habuisse. Alia est ratio sub Evangelio, ubi non sunt ejusmodi typi, & omnia oportet fieri ad ædificationem, adeo ut si quis haberet donum extraordinarium linguarum non debet jam loqui in Ecclesia absque interprete.

Junius Ibid. not. 13 17 18.

Qui obligantur ad preces matutinas & vespertinas jam videndum. In præfatione præfixa libro publicæ Liturgiæ habentur hæc verba: *Omnes item Ministri & Diaconi preces matutinas & vespertinas singulis diebus publicè vel privatim perlegere obstringentur, nisi aut predicando, aut studio Theologiæ incumbendo, aut aliqua alia gravi causa impediantur. Parochi similiter qui in Ecclesiis parochialibus aut Sacellis ministrant, domi existentes & nulla legitima causa impediti in ecclesia parochiali, vel Sacello ubi ministrant, easdem preces perlegent, & aliquantisper antequàm incipiunt, campanam pulsabunt, ab aliis necessariis occupationibus liberi ad verbum Dei audiendum & comprecandum convocentur.* Omnes ministri & Diaconi Anglicè *all Priests and Deacons* tenentur vel publicè vel privatim perlegere preces vespertinas & matutinas singulis diebus. Quid, annon saltem privatim licebit alias preces concipere. Licet, sed præscriptas omittere non debet. Latet hîc magnum proculdubio mysterium Pontificij definiunt orationem publicam esse illam quæ fit nomine publico, & non tantum privato, id est quæ fit à sacerdote nomine ecclesiæ, seu quæ fit ab ecclesia per ministros suos, ut tales sunt; privatam, quam unusquisque sua auctoritate, & ut privata persona offert. Priorem

publicam esse, etiamsi intra cubiculum clauso ostio solitariè & submissa voce fiat: Posteriorē privatam etiamsi in templo vel plateis fiat. Si quis recitaverit horas Canonicas ab Ecclesia institutas, sed id faciat tantùm ut privata persona & devotione propria erit oratio privata & non publica. Oportet igitur vt oratio sit publica, ut qui orat sit persona publica, minister deputatus ab ecclesia ad orandū nomine suo, & modo à se præscripto, & hac intentione ut expleat munus suum. Ecclesiam dicunt non permittere, ut oratio quæ ad Deum suo nomine fundenda est, aliter fiat, quàm modo ab ipsa præscripto. Potest quidem minister deputatus ab Ecclesia orare verbis pro arbitrio conceptis & pro ecclesia objectivè, ut privatus aliquis qui dicit orationem dominicam. Nam tum & pro se, & pro alijs orat, ideo dicit *Pater noster* non autem *Pater mi*, quia singuli debemus pro omnibus orare. Sed subjectivè, ministerialiter, & representativè oportet personam publicam orare præscriptis ab ecclesia verbis. Hîc jam habes mysteriū hujus ritus. Cum ministri & Diaconi obstringuntur ad perlegendum preces matutinas & vespertinas, vel publicè vel privatim, orant repræsentativè pro Ecclesia, & oratio est publica, etiam cum privatim orant in cubiculo. Sic si parochus (nam omnes ministri non sunt parochi, quamvis in ordine Presbyteratus constituti) cum vacat, pulsata campana perleget in Ecclesia parochiali aut sacello preces, etiamsi nullus venerit. Et sanè pauci aut nulli plerunque adsunt. Ipse solus representat Ecclesiā; & si non adfuerit qui respondendo subserviat, tamen vel in ecclesia vel in cubiculo sibi respondet nomine Ecclesiæ. Ex eodem errore nempe, quòd divinorum officiorum finis non est instructio vel consolatio populi, sed cultus Dei, ortus mos iste. Debere ministrum etiam privatim orare pro grege & vniversa Ecclesia objectivè nullus dubitat: sed orationes ceu preces præscriptas ab Ecclesia esse orationes ceu preces ecclesiæ, id est offerri nomine Ecclesiæ, ac si ipsa Ecclesia eo munere in actu illo quem repræsentativum vocant, fungeretur, etiamsi à ministro proferantur, ridiculum est. Nam actus orandi ceu prædicandi personalis est, nec unquam ecclesia orare dicitur, nisi cum actu orat. Vide suprà, quid dixerit Iunius. *Ecclesia est populus Dei; oratio ecclesiæ est, quæ fit à populo Dei. Si qua non fit à populo Dei, non est oratio ecclesiæ, etsi in Ecclesia fit.* Additum in Rubrica, *nisi prædicando, aut studio Theologiæ incumbendo aut aliqua alia gravi causa impediantur.* Studium theologiæ hîc intelligitur non privatum, sed publicum in Academia aut Scholis. Durantus enumerans *causas, ex quibus à precum Canonicarum recitatione Clerici vel Beneficiarii excusentur.* Primam ponit morbum gravem. 2. impedimentum naturale, ut si quid repente & subitò accidat, quod prætermitti non possit sine peccato vel scandalo. 3. summi pontificis dispensatio. 4. si deficiat breviarum,

De ritib. l. 3. c. 23. §. 6.

viarium, nec teneat memoria preces canonicas: nemo enim ad impossibile obligatur. *Quinta causa à quibusdam additur, cum quis optimis disciplinis atque artibus studet constituto Vicario, qui beneficio deserviat. At hæc causa communi calculo improbatur. Maledictum studium,* (*inquit gloss pragmat. in cap. Qualiter horæ sunt dicendæ*) *propter quod prætermittitur divinum officium. Itaque juris divini vel humani studiosi, etsi Vicarium habeant in ecclesia sua ad preces Canonicas obligantur.* Et meritò, si tanta sit vtilitas & necessitas iugis sacrificij precum canonicarum, quantam illi prædicant, & illi ad recitandas preces illas repræsentativas deputati sint. Canonem rigidum de persolvendo horarum canonicarum penso vide dist. 92. cap. ult. Præterea administerium estne quis vocandus, aut Presbyteri gradu seu ordine dignus, quem oportet incumbere studio Theologiæ in Academijs, Ductorem gregis & doctorem populi constituunt quem tamen longè abesse à grege Discipulum oporteat. Illud hîc non prætereundum non numerari episcopum inter eos qui obligantur ad persolvendum istud pensum, vel publicè in choro vel privatim in cubiculo. Decet Episcopum ante alios omnes publicè & in choro recitare preces representativas. Nam Episcopus est caput totius Diœceseos. In comitijs ordinum regni sedet inter proceres etiam invita & nolente ecclesia: quare quia representat diœcesin: alioquin non habet ibi locũ Ecclesia. Quando in synodis provincialibus condunt canones, repræsentant ecclesias suas etiam nolentes. Vbique cum de dignitate, lucro, aut jurisdictione agitur, repræsentationes usurpant. Sed in precibus representativis vacare non possunt. In constitutionibus anni 1603. habemus canonem istum, *Omnis minister in Beneficio Curato constitutus licet prædicationi potissimum vacet, & Curatum sub se retineat, qui reliqua ecclesiæ officia ipsius vice exequatur, similiter etiam quilibet concionator stipendiarius, qui prælegendi, catechizandi aut concionandi munus in aliqua ecclesia vel capella exercet, Liturgiam publicè recitabit duobus ad minus cuiusque anni diebus dominicis ad horas tum matutini tum vespertini temporis consuetas & usitatas, atque in ea ecclesia, in qua Beneficiatus est, vel prælectoris,* of a Lecturer *catechistæ, aut concionatoris munere fungitur.* Hîc vides non solum beneficiarios, sed omnes omnino concionatores stipendiarios obstringi ad recitandas & cantandas publicè preces matutinas & vespertinas, etiamsi sit in parœcia curatus qui hoc munere fungitur, ut sic facto suo conformitatem, & illius ordinis precum approbationem ostendant; Sed ad privatam recitationem singulis diebus obstringuntur omnes Ministri & Diaconi ut dictum, licet negligentiùs à plerisque observetur. Can. 56.

De Litania habemus hunc canonem, *Litania à Rectoribus, Vicarijs, Ministris sive Curatis in Cathedralibus, Collegiatis, & parochialibus* Can. 15.

bus ecclesiis ac Capellis omnibus, earumque loco aliquo convenienti, pro arbitratu episcopi diœcesani, vel loci ordinarii, recitabitur vel canetur in illis temporibus, & sub ea forma quæ in libro publicæ liturgiæ præstituuntur, ac (ut restrictius loquamur) singulis diebus Mercurii & Veneris (etiamsi non fuerint festivi) Minister ad horas divinas precibus consuetas in ecclesia aut capella præstò erit, & populo per sonitum campanæ convocato, Litaniam in dicto libro præscriptam recitabit; cui singuli patres familias, qui præsertim infra dimidium milliare ab ecclesia habitant, vel ipsi debebunt interesse, vel unum saltem de familia sua mittere idoneum, qui Ministro inter precandum assistat. Cur magis diebus Mercurij & Veneris obligantur, quàm alijs temporibus, & ad litaniam magis quàm alias preces, & propinquiores unus è familia magis quàm remotiores? Si ut assistant Ministro inter precandum: annon alijs etiam diebus obstringendi, quando non recitatur litania? Sed ad officium feriale neminem invitum à vocatione sua legitima abstrahendum sentio, nisi extraordinarium jejunii aut gratiarum actionis sabbathum indictum fuerit. Permisit enim Deus homini sex dies ad opera vocationis. Sed præcipuum quod hîc reprehendo, est, quòd ordinaria illa litania & ferialis diebus illis feria quarta & sexta recitanda est, ac si essent dies jejunij, cum tamen reipsa non jejunent, nec ad Letaniam convocatur totus populus, sicut in jejunio fieri debet, si seriò res ageretur. Litaniæ vox, ut vult Serarius in Litaneuticis, precationem & quidem seriam cordatamque significat. Vnde apud Homerum ἐν λιτανεύοντι eius quem precantur genua amplectuntur, in pulvere ac sordibus volutantur. Posset igitur, eius judicio, ista vox quamlibet ecclesiæ precem, cum ea nunquam non seriò & ardenter instituatur, denotare. Vsu tamen & cõsuetudine receptũ est, ut unum tantummodo certum genus, in quo precandi ardor & cõtentio insit significet. *Litania*, inquit Cassand. *ecclesiastica phrasi vocatur publica rogatio ad Dei misericordiã implorandam instituta* Litaniarum usus erat in initio extraordinarius & urgente aliqua calamitate belli, pestis, terræmotus &c. et quidem plerunque cum processione. Theodosius Senior præliaturus cum Eugenio circircumibat cum sacerdotibus orationum loca, & jacebat in cilicio prostratus ante martyrum thecas, ut refert Ruffinus. Theodosius Iunior, si Nicephoro credendum libro. 14. cap. pro serenitate & clementia aeris, habitu privato unà cum cætu totius ecclesiæ supplicantes processere, & statim mutato aere turbido serenitas reddita. Sic eodem Theodosio imperante, cum civitas Constantinopolis gravi & diuturno terræmotu concutereretur, indictæ sunt Litaniæ & supplicationes, ut refert idem Nicephorus ibidem cap. 46. Platina Mamercum Viennensem episcopum in pretio fuisse tempore Leonis primi referens, ait. *Primus enim Mamercus ut aiunt, supplicationes quas Græci Litanias vocant, instituit, ob frequentes terræmotus*

Liturg. p. 242.

L. 2. c. 33.

In Leo. I.

motus, qui tum maxamè Gallias vexabant. Litaniarum ordinem & formam mutuati sunt veteres ab Ethnicis. Nam illi habebant Litanias sive supplicationes circa aras & statuas, Ideo Dionysius Halicarnass. dicere solet, λιτανείας ποιῆσθαι πρὸς ἰδίοις θεοῖς καὶ βωμοῖς quod observavit Casaubonus. *Polybius verò eleganter id vocat* μαγγανεύειν πρὸς τοὺς θεοὺς, *quasi dicas lenocinium & blanditias indecoras adhibere, vt Deos flectas. Non dissimile apud alios scriptores* καταδυσωπεῖν τοὺς θεοὺς, *quo eleelegantissimo verbo id planè significant profani auctores, quod hîc dicit Dominus de Gentibus, ipsas* τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθῆναι, *existimare se copia verborum, quasi agmine facto, vt loquitur Tertullianus, quod petunt a diis fore impetraturos.* Multiloquium insigne fuisse in precibus illis quas in urbis periculo concipiunt apud Æschylum Thebanæ mulierculæ, lectori indicat. Quòd etiam omnes fere sanctos nominatim inuocent Pontificii post innuocatam Trinitatem, agentibus ortum. *Nam in summa rerum ignorantia, quem potissimum deûm aut Dearum orarent, nesciebant: omnes igitur precabantur, vel certè plurimos, quod illic mulierculæ studiosissimè faciunt. Hûc refer illa Seruii ad primum Georgicorum. Post specialem invocationem transit ad generalitatem, ne quod numen prætereat: more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales Deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. Adde quod Pagani crediderunt suos Deos coacervatis elogiis & congestis capi titulis.* Sic Pontificii in Litaniis suis compellant sigillatim sanctos. Sancta Maria ora pro nobis, Sancte Michael & omnes Angeli orate pro nobis &c. Angli sublata Sanctorum compellatione & invocatione incipiunt ab invocatione omnium personarum Trinitatis, & sigillatim compellando, quod non faciunt in Collectis. Deinde congerunt elogia & titulos. *Sancta beata & gloriosa Trinitas, tres personæ & vnus Deus miserere nobis. Fili Dei te rogamus audi nos, Agnus Dei da nobis pacem, Christe audi nos: Kyrie eleeson, Christe eleeson, Kyrie eleeson. Per mysterium sanctæ Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Baptismi, jejunii & tentationis tuæ, libera nos domine: per agonem & sanguineum sudorem, per crucem & passionem, per pretiosam mortem, & sepulturam, per gloriosam Resurrectionem, & Ascensionem tuam in cœlum, & adventum Spiritus sancti, libera nos Domine.* Ad particularia postulata descendunt, & ad singula supplicationes habent vel rogationes (istud vocabulum magis aptum judicio Cassandri, quia Supplicationis nomen ex Gentilitate remansit, *Erant autem supplicationes feriæ indictæ, quibus sacrificia fiebant ex bonis damnatorum & supplicio affectorum*) nempe *Libera nos Domine*, aut *Te rogamus audi nos.* Rogant autem, ut à fulgure, & tempestate, à plaga & pestilentia, fame, bello, latrocinio, &c. liberentur. Litanias ceu rogationes

Exercit. p. 327.

Pag. 327.

gationes veterum & supplicationes extraordinarias grassante malo aut ingruente, tempestatis, belli, famis, &c. indictas pro re nata in variis regionibus congesserunt in unum fasciculum Pontificii, & ordinarias fecerunt, vel in Ecclesia recitandas vel extra Ecclesiam, cum processione. Hinc ordinariæ Litaniæ annales ceu annuæ & hebdomadariæ. Annuæ recurrunt singulis annis. Habent Angli etiam utriusque generis Litanias, nempe singulis annis cum processione, & singulis hebdomadis in Ecclesia Litaniam ex pluribus extraordinariis, ut dixi, conflatam. Quid absurdius quàm ex supplicationibus extraordinariis veterum premente aut imminente malo cōpositis, ordinarias absque ulla necessitate, aut sensu mali, efficere. Cur non etiam inserunt in Litaniam suam supplicationem istam. A lue inguinaria libera nōs Domine. Nam Gregorius Turonensis lib.4 hist. cap. 5 refert. *S. Gallum, cum lues illa quæ inguinaria vocabatur Arelatensem provinciam vexaret, instituisse rogationes, ut media quadragesima psallendo ad Basilicam B. Iuliani Martyris venirent.* Cur non inserunt suffragium istud ceu supplicationem, *ab obsidione libera nos Domine.* Nam in tali casu habuerunt quidam supplicationes. *Cum enim Childebertus & Clotharius Cæsaraugustanam civitatem obsiderent, cives induti ciliciis abstinentes à cibis & poculis, mulieres quoque amictæ nigris palliis, cæsarie ac superposito cinere cum tunica S. Vincentii muros civitatis psallendo circumibant,* ut refert Gregorius Turonens. lib.3 c.29. Cur non inserunt in ordinariam Litaniam suam & istam supplicationem. *Ab ira Regis libera nos Domine.* Nam *Antiocheni, quò Deus Theodosium pertinaciter ipsis offensum leniret, publicas peragebant supplicationes, carmina quædam luctuosa & ad commiserationem movendam composita numeroso cantu continentes,* ut refert Nicephorus lib. 12 cap. 43.

Cap. 10. Hæc & similia exempla & testimonia habet Durantus libro 2 de ritibus. Vt istæ Supplicationes imperatæ malo urgente sic & aliæ tempore pestis, belli, famis, fulguris, & tempestatis, seditionis, latrocinii; Et ut ridiculum esset, & ineptum ordinariè publicas peragere supplicationes de liberatione à Rege infenso, à lue inguinaria, ab urbis obsidione, ubi non imminent ista mala, sic à fulgure, tempestate, seditione, peste, fame, bello, cum aer serenus, pacata in regno omnia, annonæ copia, pax, & nulli grassantur morbi epidemici. Si denique ex supplicationibus extraordinariis ordinariæ fieri debeant, cur non & ex extraordinariis gratiarū actionibus ordinariæ pro liberatione à fulgure, tempestate &c. Superstruunt ineptias suas sicut pontificii petitioni ultimæ orationis dominicæ quam habent etiam in Litania, *Sed libera nos à malo.* A malo id est à fulgure, seditione &c. Quod de diabolo dicitur ad hujus vitæ incommoda torquent imperitè, verba enim sunt ἀπὸ τοῦ πονηροῦ *a malo vel pravo*, id est Diabolo, ut innuit articulus:

paulus : *Nam* πονηρὸς *potius de persona quàm de re dicitur, & articulus masculinus adjunctus omnem dubitationem tollit, interpretate ipso Iohanne 1 Iohan. 2 10 & Tertulliano, qui malignum interpretatur in libro de Fuga.* Et sensus petitionis est, ne nos inducas intentionem, sed libera nos à tentatore Satana. Nam Mat. 4 3 dictus est ὁ πειράζων. *Græci patres omnes*, Bellarmino fatente, *per malum intelligunt Diabolum ut Nyssenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus. Movet autem eos articulus additus ad nomen: sic enim legunt* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. *Eandem sententiam sequuntur ex Latinis Ambrosius, Chrysologus, Cassianus.* Annon Græci patres sunt optimi interpretes linguæ Græcæ. Et quæ citat testimonia scripturæ Bellarminus, ut probet etiam cum articulo de re non de persona dici secundum ipsius interpretationem de malo culpæ, non de malo pœnæ, aut calamitate aliqua intelligenda sunt. Sed prior locus Rom. 12 9 ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν *abhorrentes à malo*, de malo culpæ intelligendus, ut ostendit vel ipsa antithesis, *adhærentes bono*, alter locus Matth. 5 37 de Satana intelligendus qui κατ' ἐξοχὴν dictus ὁ πονηρὸς, quia in omni scelere exercitatus est, & ad alios in scelera inducendum semper comparatus. Ex prava verborum interpretatione instituta est formula illa cujus meminit Bellarminus in sacrificio altaris post verba illa, *libera nos à malo* subjecta, quasi explicationis gratia *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præsentibus & futuris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccatis simus semper liberi & ab omni perturbatione securi.* Sed non est hujus loci sensus, ut jam probavimus. Imo à malo pœnæ in genere & universaliter ut liberemur postulare non licet. Esset absque promissione & proinde sine fide oratio. Non promisit Deus se nos in hac vita exempturum omni malo. A malo præsenti vel urgente liberationem petere licet, quia præcepit ut in die tribulationis imploremus ipsius opem: & cum exceptione, si expediat ad Dei gloriam & nostram salutem. Et comprehenduntur postulata de temporalibus commodis & incommodis hujus vitæ petitione quinta, ubi necessaria semper petere licet. In hac petitione comprehenduntur spiritualia sicut & in præcedenti. Non regreditur Dominus à spiritualibus ad temporalia, nec una petitione & spiritualia & temporalia complectitur: sed spiritualia tantum & in eundem finem tendentia. Præterea non dicit *Et* libera nos à malo, sed utitur particula adversativa ἀλλὰ quæ indicat secundum membrum ad idem referri, ad quod prius, priorisque quasi explicationem esse, non autem diversam petitionem. Semper opportunum est & licitum, petere, ut liberemur ab illo malo: quia ille malus ceu improbus semper insidiatur nobis

Beza annotat. in Mat. 6 13.

De bon. operib. in part. li. 1 c. 6. Ibidem.

& proinde semper versamur in præsenti periculo. Concludo igitur Litaniam illam, quam feria quarta & sexta recitare oportet, & cui assistere tenetur delectus parœcianorum cœtus, esse in re seria rem ludicram battologicam orandi formam, ethnicæ simillimam, non in fide fundatam.

Dierum festorum officium horarium habet suas lectiones proprias, collectas, &c. Sequitur igitur, ut de dierum observatione pauca dicamus. Presbyteri officium est *diebus dominicis tempore divinorum festos, vigilias, dies carnisprivilales in sequentem septimanam incidentes populo denunciare.* Catalogus dierum sanctorū ut habetur in libro liturgiæ, hic est: *Hi sunt observandi ut dies sancti & nulli alii. Omnes dies dominici per annum, dies festi, Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Purificationis beatæ Virginis, Matthiæ Apostoli, Annunciationis beatæ Virginis, S. Marci Evangelistæ, Sancti Phillippi & Iacobi Apostolorum, Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, Nativitatis S Iohannis Baptistæ, S. Petri Apostoli, S. Iacobi Apostoli, S. Bartholomæi Apostoli, S. Matthæi Apostoli, Sancti Michaelis Archangeli, Sancti Lucæ Evangelistæ, Sancti Simonis & Iudæ Apostolorum, Omnium Sanctorum, S. Andreæ Apostoli, S. Thomæ Apostoli, Nativitatis Domini, S. Stephani Martyris, S. Johannis Evangelistæ, Sanctorum Innocentium, diei Lunæ & Martis in Septimana Paschali, die lunæ & Martis in Septimana Pentecostes.* Apud Anglos die S. Georgii processionem habent magnificam qui sunt ex ordine equestri cum variis instrumentis Musicis, habet etiam Sanctus iste Capellanum palatinum ejusdem ordinis quem in dextro pollice annulum aureum gestare oportet, ut refert Barous in detectione. Præterea habent vigilias, Rogationes, Septuagesimam, Quinquagesimam, Septuagesimam, quadragesimam, Septimanam cinerum, feriam quartam & sextam aliosque dies solenniores, *Calvino papistæ Angli,* inquit Gretserus, *ut in aliis quæ ad ritus ac ceremonias pertinent longè liberaliores sunt, quàm Puritani in Gallia, Germania, Belgio, ita & in festis retinendis longè largiores esse voluerunt.* Imò plures habent dies sanctos Angli quàm Iudæis, inquit Cartwrightus, determinavit Dominus in lege veteri; In festorum observatione primò observandum, apud Anglos servari sanctorum & Angelorum dies festos. *Cæterum longè tetrius est virus illud,* inquit Tilenus, *quo nonnulli ex vestris Ecclesiam Anglicanam perfundere & conspurcare ausi sunt, quasi ea obretentas quasdam Apostolorum & Angelorum nomina præferentes festivitates, dies illos creaturis non creatori consecratos statuat: Atque hic omnia amarulentissimæ calumniæ vela panduntur, ut Angli tanquam manifestarii idololatræ ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensi, apud omnes reformationis consecraneos traducantur. Est quidem insignita hæc injuria, ac oppidò puerilis κακοήθεια. Si creaturæ alicujus nomenclatura idololatri-*

Mucket. Pag. 344.

Pag. 82.

De festis lib. 1 cap. 2.

Repl. 1 pag. 121.

Parænes. cap. 16.

cam reddit festi diei celebrationem, quasi creaturæ illi, cujus nomen præfert, sit dicatus: quid obstat quò minus Moses aut etiam Deus ipse populo Israelitico idololatriæ fuerit auctor? Ejus jussu celebrati dies Azymorum, Tabernaculorum, primitiarum Ejusdem κ' μιμαῖς erant Encænia, dies Purim, sive sortium à Mardochæ instituti, Esthera edicto confirmati. Nemo tamen hactenus ita infanivit, ut panibus tabernaculis, frugibus, aut sortibus dies illos dicatos fuisse putarit. Excutiatur liturgia Anglicana, precesque per illos dies recitari solitæ, vel ad Genevensis disciplinæ libellum appendantur, nulla nostrorum antistitum idololatria sed magna quorundam demagogorum vestrorum sycophantia deprehendetur. Videbis lector cœcum viri impudentis furorem & in ignotos impetum. Nullus ex nostris scripsit ante editam Tileni Parœnesin ad Scotos de festis Sanctorum. Scripsit contra parasynagma Perthense & quinque Articulos ibi receptos lingua vulgari unus, & inter alia contra observationem dierum festorum Christo consecratorum, quia de iis solùm lis agitabatur & controversia. Nam simulabant Adversarii de festis Sanctorum se non esse sollicitos. Et ut facilius pertraherent alios incautos ad dominicorum festorum approbationem sparserunt rumorem, Regiam Majestatem dixisse se non hili facere festum, *he nor she Saint*, ullius Sancti maris aut Sanctæ fœminæ, nec plures obtrudendos dies festos Christi. Non tamen adhibebant fidem viri boni, nec adhuc adhibent. Nam Anglicanas quisquilias omnes & justam conformitatem moliuntur. Hac seta festorum Christi introducturos tanquam filum etiam sanctorum dies festos certi sumus. Propè finem indicat scriptor ille Ecclesiam Anglicanam observare certo numero dies festos sanctorum. De horum festorum observatione apud Anglos aut alios pręterea nihil loquutus. Librum illum vel legit, vel ut alius illi legeret, curavit Tilenus, quod ex indubitatis indiciis mihi satis constat. Et tamen, inquit, hîc omnia amarulentissimæ calumniæ vela panduntur, ut Angli tanquā manifestarii idololatræ traducantur. Insignita est hæc injuria & puerilis κακοήθεια &c. At vides lector cęca maledicendi libidine abreptum debacchari, ubi nondùm data occasio, virum impudentem. Sed Tilenum antehac mendacem & cæco furore percitum jam forte non vanum fuisse vatem confirmabo. Admonitores Angli in Admonitione ad Parlamentum inter alia, & inde confirmant sua monita de abrogandis sanctorum festis non contemnenda, quod à sanctis nomenclaturam accipiunt. Respondet Whitgiftus non denominari diem à sancto, alia ratione, quàm quod Scripturæ, quæ eo die leguntur in Ecclesia respiciant sanctum illum, & contineant illius vocationem, prædicationem, persecutionem, martyrium aut similia. Replicat Cartwrightus primò istud non intelligere populum. Nam non solum inveterata consuetudo ex Papatu sed

ſed etiam ipſa diei appellatio et nomenclatura ad aliam eos ducit interpretationem. Nam ſicut de feſtis Trinitatis & Chriſti audita appellatione diei Trinitatis, diei Nativitatis Chriſti &c. ſtatim mente concipiunt et interpretantur dies illos inſtitutos in honorem Trinitatis & Chriſti, ſic cum dies aliquis vocatur dies Pauli, aut dies virginis Mariæ, non alio modo interpretabuntur quàm dies illos inſtitutos eſſe in honorem Pauli vel virginis Mariæ, niſi aliud doceantur, ſed remedium illud docendi, non tam latè patere quàm morbum, & ſi inſtruerentur, tamen nomina non abrogata dedocere. Reſpondet Whitgiſtus, retineri nomina diei Lunæ, Solis, Saturni, neminem tamen interpretari dies illos inſtitutos in honorem Solis, Lunæ, Saturni. Replicat denuò Cartwrightus, iſtarum rerum uſum in Eccleſiaſticis non tam liberum eſſe ac in civilibus. Secundo non educatum ſub Paganiſmo populum, aut in adoratione Solis & Lunæ, ſicut ſub Papiſmo, nec inter eiuſmodi Idololatras vivere nec intelligere, paucis exceptis, dies illos unquam ſacratos Soli & Lunæ. Quòd ſi ita educati & edocti fuiſſent, abroganda fuiſſe etiam nomina illa. Nam exemplo Davidis, Pſal. 16. abſtinendum exiſtimant pii ab ipſis nominibus idolorum, quantum fieri poteſt, & vulgaris uſus loquendi ſinit, niſi cum deteſtatione nomina eorum labiis ſuis uſurpando. Rectè quidem: nam neceſſitas plerunque cogit nos uſurpare illa nomina, quia ad captum vulgi loquendum cum vulgo. Inde eſt quod Act 17. 19. dicitur, *Duxerunt eum in Areopagum*, & Act. 28. 11. *Cui inſigne erat Caſtor & Pollux. Deos Nationum nominari lex prohibet, non utique ne nomina eorum pronunciemus, quæ nobis ut dicamus converſatio extorquet*, inquit Tertullianus. *Nam id plerunque dicendum eſt. In templo Æſculapii illum habes, & vico Iſidis habito, & Sacerdos Iovis factus eſt, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, ſi ita vocavero eum nomine ſuo, tam non honoro quàm Marcum ſi vocavero Marcum*. Item, Nam & ſcriptura Deos nominat ſed adjicit ſuos & nationum. Sed conſuetudinis vitium eſt dicere me hercule, me Dius Fidius accedente ignorantia quorundam, qui ignorant juſiurandum eſſe per Herculem. Auguſtinus in Pſal. 93. Dies Mercurii, *Sic dicitur à Paganis, & à multis Chriſtianis ſed nolumus ut dicant, & utinam corrigantur, melius de ore Chriſtiano ritus loquendi eccleſiaſticus procedit. Sed ſi quem forte conſuetudo, &c.* Cum in civili uſu retinentur nomina idolorum, abrogato cultu ipſo, πρὸς διακρίσιν tantùm, etſi præſtaret etiam ipſa nomina abrogari, tamen cogente neceſſitate cum vulgo loquendum. Hoc caſu nuda nomenclatura non ducitur populus ad interpretandum Deum illum aut Sanctum coli à quo res denominatur. Sic ubi abrogatur cultus Sanctorum audita templi appellatione ad διάκρισιν retenta, nempe cum dicimus templum Petri, Baſilica

2. Repl part 2. p. 195.

De idololat. cap. 20.

ſilica

silica Pauli, &c. non ducimur ad interpretandum illic Petrum vel Paulum coli. Sed ubi colitur memoria Sanctorum, sicut apud Anglos, facile per nomenclaturam ducitur populus ad interpretandũ illic coli sanctos. Bellarminus à testimoniis veterum templa vel ecclesias à sanctorum nominibus nuncupata testantibus probat & infert sanctorum cultum apud veteres, & populus non idem colliget ex dierum nomenclatura. Non idem periculum in festis tabernaculorum, azymorum, &c. Nam non à personis sumuntur istæ nomenclaturæ, religiose antea cultis, ut dies festi sanctorum, nec a rebus antè cultu idololatrico adoratis. Sed non usurpantur in Liturgia Anglicana istæ dierum appellationes, ut distinguantur ab aliis diebus mensis ad usum civilẽ, sicut cum dicimus forũ Trajani, Forum Appii, Platea Catulliana, Martiana, Regillia, quod tamen esset nec utile nec necessarium, possunt enim communi distinctionis forma uti, sed quia diebus illis memoria ipsorum colenda est. Sed pergo; dicit Tilenus, si excutiatur liturgia Anglicana precesq; per illos dies recitari solitæ, nulla idololatria deprehendetur. Sic argumentari videtur Tilenus, Non invocant sanctos illos in precibus: Ergo non sunt idololatræ. Non sequitur. Nam possunt coli aliis modis, quam invocatione. Nam si dies ipse sit in eorum honorem sacratus & liturgia etiam purissima prædicandis eorum laudibus actisque commemorandis die illo solenni accomodetur & canetur coluntur ipsi sancti, cultu religioso. At Angli hoc modo sanctorum dies festos observant. Sanctorum laudes prædicant in Liturgia præscripta & pro concione cum celebritate diei festi, & cessatione ab omni opere servili. At dices, non in cultum sed in memoriam Martyrum dies istos observare, Deum autem colere in sanctis aut propter sanctos. Non possunt ista duo, celebrare diem in memoriã, & celebrare in cultum, separari. Nam si finis celebrationis sit memoria sanctorum, finis etiam est honor sanctorum. At honor sanctorum celebris & cum solennitate diei festi qui Deo soli debetur, est cultus religiosus. Addunt Pontificii alium etiam cultum nempe invocationis, sed cultus ille non proprius festo, sed adventitius est & crassior eorum idololatria Est conjunctus honor & cultus Dei etiam apud Pontificios. *Festa Sanctorum Deo dicari*, ait Bellarm. *sed in memoriam Sanctorum, quemadmodum templa sacrantur Deo in memoriam Sanctorum, & honorem Dierum festorum immediatè & terminativè pertinere etiam ad Sanctos, sed talem honorem esse cultum duliæ non latriæ.* Et alibi. *Aliter dicitur Missa S. Petri, aliter Basilica S. Petri. Nam Missa non offertur ullo modo S. Petro, nec primariò nec secundariò; at basilica verè ædificatur S. Petro, si non primariò saltem secundariò.* Item *sacras ædes verè extrui Martyribus, & non solùm Deo in eorum memoriam.* Eadem est ratio de festis sanctorum. Nonne tuentur se patrum authoritate adversarii, qui dies festos

De cult. sanct. cap. 16.

Ibid. cap. 4.

festos Sanctorum colunt. At patres, quos citant, dicunt dies festos in memoriam & honorem sanctorum institutos. Vide Bellarminum de cultu Sanctorum & Centuriatores cent. 4. col. 450. *Festivitates Apostolorum & in honorem Martyrum antiqui Patres in veræ rationis mysterio celebrari sanxerunt.* inquit Isidorus. Whitgiftus Hieronymi testimonio se tuetur ubi dicit, *& pro varietate regionum diversa in honorem Martyrum tempora sunt constituta.* Si constituta sunt in honorem Martyrum, ergo non soli Deo sacrantur. In utriusque & Dei & Sancti honorem instituitur dies festus a Sanctis denominatus. Imò contra Bellarminum sic argumentatur Hospinianus. Propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale, Sed propter Sanctos & eorum honorem cultumque instituunt ferias Deo, Sin minus, cur non sufficiunt illis solius diei festa? Ergo magis propter sanctos quàm propter Deum. Tilenus Hospinianum sequutus, in syntagmate eodem modo respondet. *Cum Pontificij aiunt dies illos Deo ab Ecclesia Rom. dicari propter sanctos sive in sanctorum memoriam, obiectum crimen non deluunt, sed ejus atrocitatem augent. Nam si propter sanctos instituitur hic cultus maior eorum quàm Dei ratio habetur, si verum est, illud pervulgatum, Propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale.* Willetus in Synopsi inde probat, Sancto potius quàm Deo dicari templum Petri vel Pauli, quia a Sancto non a Deo nomenclaturam sumit. Vt Cæsar Marci Bibuli collegæ nomen, & Castor Pollucis, cum ad utrunque extructum fuisset templum, suppressit, ut diceretur Castoris tantum non Castoris & Pollucis templum, sic cum & Deo & Sancto dicatus sit dies, de iniuria expostulare potest, quod a Sancto non ab ipso vel utroque appellationem sumpserit, quòd a stella sol obscuretur. Sed si Hospinianus & eum sequutus Tilenus rectè responderint, nulla iniuria. Nam etsi eo die colitur Deus, tamen celebratio Dei instituta est propter sanctum non propter Deum. Sed sive primariò sive secundariò propter sancti honorem instituta diei celebritas, est cultus religiosus. *Dona à Deo in Martyres aliosve sanctos collata, neque oblivione sunt sepelienda, neque etiam iis modis recolenda & prædicanda, quibus auctoris gloria obscuretur, aut maiestas minuatur*, dixit in Syntagmate suo Tilenus. Mariæ Magdalenæ tactum Christus prædixit recolendum, ubicunque prædicandum fuerit Evangelium, tamen non diem festum instituit in eum finem. Et Apostolus, Heb. 13. 7. hortatur, ut memores sint ducum suorum & eorum fidem imitentur, non autē, ut ferias colant in eorum memoriam. Dies sacrandi in novo testamento soli Deo, sicut sabbatha in veteri testamento. Mandatum Domini, *erit sabbathum Domino Deo tuo.* Bullingerus in Rom. 14. refert Ecclesiam Tigurinam observasse festa Sanctorum, & id facere liberum fuisse ecclesijs, sed recentiore, puto, editione retractavit illam sententiam. Et ecclesia Tigurina

Cap. 16. De divinis offic. l. 1 ca. 34.

In 4 præcept. disp. 44 thes. 33.

Syntagma disp. 44. Chris. 34.

Tigurina cum pluribus aliis festa sanctorum damnavit in Confess. cap. 24. Non habent igitur quod in eo testimonio glorientur adversarii. vide epist. 129 inter epist. Calvini. Musculus in 4 præceptũ nullo prætextu defendi posse asserit. Hooperus eorum primã institutionem licet vetustam damnat. Cartwrightus inurit notam præsumptionis veteribus illis primis institutoribus, quòd ea tentarunt quæ non audebant Ecclesiæ populi veteris sub lege, quæ prophetas, nec Apostolorum sęculo'quę Apostolos duces habuerunt. Nam nec Ecclesia Israelitica, Mosi, Danieli, Davidi, nec Apostolorum ætate Stephano Iacobo aliisve Martyribus aut aliis viris piis post beatam consummationem dies sacrarunt in eorum memoriam. *Non statim simul cum nascente Ecclesia, sed aliquanto tempore post initium cepit*, ut ait Casaubonus, *mos celebrandi natales Sanctorum*. Sic vocabant dies passionis vel Martyrii. Hujus mali origo erat ethnicorum imitatio, vel quia similibus observationibus in paganismo assueti erant, vel quia religionem Christianam facilius admissam iri sperabant, si rejectis ethnicorum solennitatibus novas instituerent. *Anniversariæ veterum ad μνημεῖα Martyrum πανηγύρεις, sicuti ethnica imitatione teste Cyrillo l. 6. contra Julianum Grego. Nyss. oratione de vita S Gregorii Thaumaturgi Theodo. Evangel. verit. lib.* 8 *de Martyr. in Ecclesiam invectæ fuerunt : ita paulatim labente disciplina in immanem illam idolomaniæ, fœdissimæ nundinationis, quam hodie cernimus lernam degenerarunt*, inquit Tilenus Orthodoxus. Nihil verius : nam intercessionem & invocationem sanctorum, cultum reliquiarum, peregrinationes, aliosque errores invexerunt. Si origo ethnica imitatio & eventus immanis idolomania, tum non toleranda anniversaria sanctorum festa, etiamsi nullum in se continerent religiosum sanctorum cultum. Nam etiam Adiaphora non necessaria & tam horrenda idolomania polluta sunt abroganda, ut capite superiori probavimus. Gregorius sensit *festa Paganorum sensim in Christiana esse commutanda, & quædam ad eorum similitudinem facienda, ut facilius fidei Christianæ accederent*. Rhenanus in Tertullianum de Corona militis de colendis natalitiis more ethnicorum hæc habet. *Hoc tametsi ethnicum aliquando Ecclesia toleravit, Concilium Nicænum & sequentia apertè damnant. Opus autem erat multa Christianis indulgere, quæ plerumque jam senes cum ad nostram religionem convertebantur difficulter relinquentes, quibus per omnem vitam assueverant, secus est hodie.* Non solum plebeii & simpliciores, sed etiam Magistri in Israele hunc ethnicum morem servarunt. Ambrosius ad Felicem Episcopum Comensem, *Natalem*, inquit, *tuum prosequamur nostris orationibus, & tu nostri in tuis votis non obliviscaris.* Vbi videntur natalium memoriæ apud quosdam, sed privatim solennes & festivæ fuisse Festum privatum diei natalis, quod unusquisque die natali aniversario celebrabant,

In 4 præcep.

Exerc. 1. Pag. 123.

Syntag par. 1 disp. 44. thess. 35.

Lib. 9 epi. 71.

In Tertul. de Corona militis.

Lib. 1 ep. 5.

vocabant γενέθλια. Diem natalem defuncti quem celebrabant amici & familiares γενέσια vocabant, licet impropriè sumatur vox pro viventis die Natali Math. 14 & Marc. 6. Sic ut conservarent memorias Martyrum, dies passionis & Martyrii pro natali die celebrarunt. Conquerenti Vigilantio superstitionem ethnicam à Paganorum diis ad Martyres translatam, respondet Hieronymus. *Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est.* Loquitur ibi de cereis, sed responsio est generalis. Apertè profitetur cultum idolorum translatum ad Martyres. Possem hîc digredi in latum campum de imitatione ethnica, sed sufficiant quæ hîc & capite superiori dicta sunt.

Contra Vigilant. c. 3.

Festa non sine prosopolepsia distribunt inter sanctos. Simoni & Iudæ conjunctim unum diem assignant, Philippo & Iacobo alium, cum aliis Apostolis singulis singulos & Petro duos, ac si uno die celebrari non possit memoria & acta ac laudes prædicari omnium Apostolorum, vel unius Apostoli, aut Mariæ. De Andrea, Bartholomæo, Simone, Matthia, & pluribus aliis quid certi referre possunt nisi vocationé ad Apostolatum & quæ sunt communia illis cum aliis Apostolis, de quibus ex sacra scriptura constat. In collecta dici S. Andreæ dicunt, *qui dedisti beato Andreæ Apostolo tuo, ut acerbam & ignominiosam crucis mortem duceret sibi pro magna gloria.* Vnde illud illis constat Andream supplicium crucis pertulisse? Cur non etiam legunt lectiones illas de vita Andreæ quæ habentur in Breviario Romano, ubi narratur cruci affixum, in eaque biduum pendentem nunquam intermisisse Christi fidem prædicare. Habent Pontificii de omnibus aliquid quod memorent sive verum sive falsum. Angli nihil nisi communia illa, & tamen sigillatim observant eorum festa. Si antiquitatem & primam institutionem horum festorum indagare quis velit, vel nihil certi, vel universalem observationem recentiorem fuisse reperiet. Quando item institutum festum Barnabæ Apostoli? Nam sic appellatur in calendario & in collecta diei. Festum purificationis Mariæ institutum dicit Casaubonus anno demum Iustiniani decimoquinto. Res magni momenti purificatio Mariæ ob quam institui oporteret diem festum. Commune hoc festum dicunt Christo & Mariæ, sed à Purificatione non à præsentatione Christi nomenclaturam accepit. *Erat antiquitus Romæ consuetudo, ut circa principium Februarii urbem lustrarent eam ambiendo cum suis processionibus gestantes singuli candelas ardentes in manibus suis,* quem morem adhuc retinent pontificii, & vocatur dies ille Candelaria à Candelis in eo gestatis. *Et Beda hanc ceremoniam ardentium cereorum, quos Christiani die purificationis circumferunt à Februalibus Romanorum sacris originem traxisse.*

Rainoldus de libris Apocryph. prælect. 222.

traxisse. Iti, inquit, pertinaci Paganismo mutatione subventum est, cum rei in totum sublatio potius irritasset. Quasi verò, jam circa annum 600 irritasset, cum Romæ nulli fere ethnici essent, vel Christianos jam conversos offendisset. De antiquitate festi Innocentium ejusque authoritate, utrum sit festum præcepti an tantum devotionis controvertitur. In collecta diei dicunt Angli, *cujus hodierna die præconiū Innocentes martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt.* Vnde illis constat illa die trucidatos infantes, cum de die Epiphaniorum & Magorum adventu controvettitur. Deinde quomodo Martyres appellare possunt infantes bimulos & minores, qui occasione Christi nati non pro Christo nato ejusve præconio deleti sunt, nec adhuc capaces erant ullius cognitionis. Rhemistæ fatentur fieri potuisse ut inter eos fuerint etiam ethnicorum liberi. Celebre est dictum Augusti de Herode, Malim esse Herodis porcus quàm filius. An Herodis etiam filius inter protomartyres numerabitur. Si Innocentes Martyres, Stephanus non erat Protomartyr. Origenis homiliæ in diversos notatur à doctis inter suppositítia scripta vel quæ Origenis, interpolatæ à Ruffino Scriptore latino. Festum Michaelis Archangeli celebrant mense Septembri. Duo olim festa Angelorum, unum mense Maio quod Michaeli sacratum ob ipsius apparitionem in monte Gargano, ut fabulantur, aliud mense Septembri, quod celebratum in memoriam omnium Angelorum quamvis denominetur ex dedicatione templi Michaelis Archangeli. Apparitio facta, ut nugantur, ætate Gelasii primi, templum dedicatum sub Bonifacio secundo. Festum maii non fuit sub præcepto sicut festum Septembris. Ideo in Dist. 3 de consec. cap 1 & in decretalib. titul. de Feriis cap. ultimo festum dedicationis Angelorum numeratur, nulla alterius mentio: & proinde ex devotione non obligatione servatur inter ipsos Pontificios. Alterum mense Sept. celebratum, quod sub præcepto, servant Angli. Non est necesse ut repetam quæ de cultu sanctorum per dierum dedicationem dicta sunt. Hæc omnia de Angelorum festis dici possunt & ἀγγέλων θρησκείαν probant, quam damnat Apostolus Col. 2. Deinde quomodo probant Michaelem quem ex Apocalyps. 12 colligunt pontificii esse patronum Ecclesiæ, Angelum aut Archangelum esse. Nam Michael ille est Christus. Sic Augustinus Homil. 9. in Apocalypsin *Michaelem intellige Christum.* Origines etiam Hom. 6. in Iosuam non alium principem cœlestis militiæ quàm Christum asserit. Danielis 10. etiam Michaelis nomine Christus intelligendus, cui soli competit titulus principis ecclesiæ, cum Angeli sunt conservi nostri. Et nomen ipsum indicat Christum intelligi. Nam nomen sonat *qui Deo forti similis.* Qui de singulis Sanctorum festis plura desiderat legat Hospinianum. Hactenus de festis Sanctorum, quæ sunt iis propria; sunt

De ration. tempor. lib. 1 cap. 12.

& quædam communia illis & festis Christo sacratis, vt generale illud, an ulli omnino dies sint sacrandi præter dominicum.

Dies Christo sacrati non sunt omnes antiquitate pares. *Festum Circumcisionis videtur esse satis recens. Nam non solum veteres Patres* De cultu sanct. cap 15 *non meminerunt ejus festi, verum etiam Isidorus, Micrologus, Amalarius, Rabanus, Walafridus, Strabo, qui describunt officia omnium festorum. Meminerunt quidem officii diei octavæ Natalis Domini, sed non sub nomine circumcisionis*, inquit Bellarminus. Leo in sermonibus de Epiphania significat festum illud proximè post Nativitatem Domini celebratum fuisse. Octavæ ratio sufficiens videbatur ad solennitatem quoad officium, sed non ad observantiam festi, nisi cum die Dominico vel alio peculiari jungeretur mysterio. Adjunxerunt mysterium circumcisionis, ut peculiaris festi ratio ministraretur. Exercit. pag. 177. *Qui ante hos quingentos annos festos anni totius descripserunt, circumcisionis non meminerunt*, inquit Casaubonus. Quod ad festum Epiphaniorum, Exer. p. 185. *prima nascentis Ecclesiæ tempora si respicias, solennitatis huius nullum vestigium invenires* Hoc festum vulgo festum trium regum vocant, quia primitus institutum credunt ad recolendam memoriam aduentus Magorum, sed Epiphaniæ appellatione refellitur ista opinio. 185 & 186 & 187. *Nam Græci ἐπιφανείας appellant apparitionem numinis quoquo tandem modo Deus aliquis suæ præsentiæ signum dedisse crederetur, & in memoriam apparitionum bujusmodi dies festos sæpe instituerunt quos è re dixerunt τὰ ἐπιφάνια. Ad hoc exemptum in veteri Ecclesia Græca solennitas illius diei τὰ ἐπιφάνια est dicta, non quo Magi advenerant, sed quo filius Dei assumpta carne è B. Virgine natus mortalibus conspiciendum sese præbuit. Nam ipsa nativitas dicitur illis ἐπιφάνεια, & diem quo adventum Christi in terras & ἐπιφάνειαν celebrabant dixerunt τὰ ἐπιφάνια non genere fœminino, vt imperiti linguæ Græcæ putarunt. Is dies erat sextus Ianuarii, in quem diem plurimæ Ecclesiæ olim natalem Domini retulerunt. Idem dies non solum Epiphania sed etiam Theophania est dictus*. At postea ceperunt celebrare natalem Pag. 187. Domini die 25 Decembris. *Ab illo tempore remansit quidem appellatio Epiphaniorum diei sextæ Ianuarii, sed causa appellationis aliter quàm ante reddi cepit. Nam qui dies prius colebatur vt natalis Christi, postea cultus est vt baptismum ejusdem repræsentans & Magorum adventum.* Atque ita desiit fieri commemoratio nativitatis Christi die Epiphaniorum. Quod mihi videtur satis absurdum, quoniam ut probavimus ἐπιφάνεια vox tam in scripturis *quàm apud Patres adventum Domini vel priorem vel posteriorem semper significat, baptisma verò aut Magorum adventum nunquam.* In ea absurditate tamen hærent Angli, qui à Romana Ecclesia rem ipsam festum cum nomine Epiphaniæ acceperunt. In huius diei collecta dicunt, *Deus qui vnigenitum filium stella duce revelasti.* Quæ verba indicant aliam appellationis rationem sequutos fuisse latinos, dicta esse Epiphania

quoniam

quoniam stella ἐπιφάνσει apparitione sua Christum designavit. sed hoc longè petitum dicit Casaubonus. *Romani scriptores vel ignari veræ causæ appellationis Epiphaniorum, vel certo consilio, ut veteris instituti memoriam abolerent, alias rationes excogitarunt.* Præterea cum in sextum diem Ianuarii retulerunt Græci, & nativitatem & baptismum Christ, *per hanc mutationem separata est solennitas baptismi à solennitate nativitatis contra opinionem, quæ diu olim in Ecclesia obtinuit, Christum qua die natus fuerat, eadem trigesimo anno vertente, fuisse baptizatum, quod ex verbis lucæ colligebant* 3 23. Lectiones propriæ hujus diei ex Evangelio in liturgia Anglicana duæ sunt Luc. 3 ad v. 23 Iohann. 2 ad ver. 12. Nam solennitatis hujus diei tres causas assignarunt latini scriptores, magorum adventum, Christi baptisma, primum in Cana miraculum, quæ tria eodem die sed diversis annis putabant facta. Sic liturgia Anglicana divellit diem baptismi à die nativitatis, contra opinionem illam quæ olim obtinuit. Sed cum de die Nativitatis non constet, imo certius sit non fuisse Christum natum 25 Decembris, de die Purificationis constare non potest, aut de die baptismatis Christi, si dies nativitatis & baptismatis idem, aut de die adventus magorum. Hîc plures solennitatis causæ in unum diem concervantur, quando Sanctus aliquis de quo nihil habent singulare & certum quod dicant, habeat suum proprium festum.

Pag. 188.

Diem nativitatis Christi certum designant 25 Decembris, cum de die certo nulli mortalium constare potest, etsi daretur quod dicunt Zachariam patrem Iohannis Baptistæ fuisse summum Pontificem, quia dicitur obtulisse suffitum, quod summus Pontifex solebat facere semel singulis annis in sancto sanctorum decimo die mensis 7 id est mense Sept. Nam diem nativitatis Christi à die conceptionis & nativitatis Iohannis baptistæ numerant. Sed de die cōceptionis Iohannis Baptistæ constare non potest. Implevit Zacharias septem dies ministeri sui, deinde abiit domum: μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας *post dies istos concepit Elisabet uxor eius. Nulla hic certa dies, quam velle indagare otio est abundare, prodere tanquam certo inventam, seriam historiam in fabulas mutare,* inquit Casaubonus in exercitationibus p. 122 Mense sexto post conceptionem Iohannis Baptistæ mittitur Gabriel Angelus Gabriel ad Mariam Luc. 2 36. Hîc etiam menses sex completos numerant, cum dicat Evangelista tantum, *hic mensis est sextus ipsi quæ vocabatur sterilis*, ex quibus verbis non potest colligi intervenisse sex menses solidos inter diem conceptionis Christi & Iohannis Baptistæ, ut volebant veteres, sed potius ineunte mense sexto elapsos tantum quinque menses. Sed certum est Zachariam non fuisse summum pontificem. Nam quod ad suffitum attinet, erat quotidianus non solennis ille.

qui die expiationis fiebat à solo pontifice maximo in sanctum sanctorum ingrediente, quod decepit Ambrosium, Augustinum & alios patres præsertim latinos. Nam erat sacerdos ex classe ceu ephemeria Abiæ. Posteritatem Aaronis in 24 familias distinxit Rex David. Illæ familiæ operabantur divinis in templo vice sua septem dies, nempe à matutino sacrificio Sabbati ad matutinum sacrificium sequentis Sabbati. Exibant ex ministerio ante matutinum suffitum in instauratione panum propositionis. Sic dies functionis unius ephemeriæ erant septem, omnium 24 familiarum 168. Orbem hieraticum appellat Iosephus Scaliger. Vnaquæque Ephemeria post 161 dies redibat ad functionem suam. Rex David ita familias distinxit, ut ejus prærogativa esset, cujus prima sors exiit. Ioiaribi prima sors exiit; classis Abiæ fuit octava. 1 paral. 24 7. Populares unius Ephemeriæ functiones suas partiebantur in septimana ministerii sui. Alius enim incensum sortiebatur, alius concinnationem lampadum & lychnorum, alius lignorum constructionem super altari, & sic de aliis, ut extat 1 Chron. 23 28 29 30 31. Sic videmus Zachariam patrem Iohannis baptistæ popularem Ephemeriæ Abiæ incensi curam sortitum fuisse. Itaque præter Zachariam nemo poterat incensum efferre. In libro liturgiarum Iudaicarum sic legitur. *Dicit illis præfectus, Ingredimini, & sortiebantur quis immolaret, quis spargeret, quis cinere levaret altare interius.* Dicit ingredimini, nempe in templum; Ibi enim sortiebantur. Et de suffitu ibidem scriptum extat. *Neoterici ad suffitum ingredimini & sortimini; sortiebantur, & eum contingebat sors, cui sors competebat.* Hæc omnia habet vir illustris memoriæ Iosephus Scaliger in Appendice ad libros de emendatione Temporum. Ipsius Lucæ verba ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ non vnũ diem expiationis ac si fuisset summus pontifex, sed plures dies Liturgiæ ceu publici ministerij ipsius indicant. Et verba illa κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι *Secundum ritum functionis Sacerdotalis sortitus est munus suffitus faciendi,* demonstrant non fuisse summum Pontificem. Nam summus Pontifex non fungebatur sacerdotio in ordine alicujus classis, nec sortitò illi obvenit ministerium offerendi suffitum in sancto sanctorum in die expiationis. Nam absque ulla sortitione hoc illi soli competebat. Non erat igitus iste suffitus quem obtulit Zacharias solennis ille, sed quotidianus. Patet igitur imperitè definitum diem 25. Decembris fuisse diem nativitatis Christi, & quòd in eo hallucinati sunt qui putabant Zachariam fuisse summum Pontificem. *Argumenta de summo Pontificatu Zachariæ, de incenso decimæ Tisri, de decremento vel incremento dierum ex quibus collectum die 25 Decembris Christum natum fuisse, & decima Tisri conceptũ, omnia sunt ab ecclesia Occidentis,* inquit Scaliger

Scaliger in Canonibus Isagogicis. Chrysostomus in homilia de die natali, dicit nuper ab occidentis partibus transmissum ad orientis ecclesias fere ante decennium antequam homiliam illiam haberet ad populum. *Epiphanius etiam ostendit sese ignorasse occidentis ecclesias paulo antequam opus suum in hæreses componeret natalem Domini in 25 Decembris statuisse. Omnes enim ecclesiæ tam Orientis quam Ægypti die epiphaniorum & natalem Christi & baptismum eius vnà celebrabant.* Vnde colligit supposititios esse Canones Clementis, & qui Apostolorum nomine circumferuntur, qui illorum miminerunt, quia in illis Natalia Domini 25 Decembris celebrari præcipitur. Eodem indicio 1. se produnt alij scriptores supposititij Græcè ab impostoribus conscripti se non scripsisse ante tempora Epiphanij & Chrysostomi. *Vetustiorem qui eius meminerit Ambrosio habemus neminem*, ait ibidem Scaliger. Non debent igitur celebrari natalia Christi 25 die Decembris, etsi celebranda essent cum solennitate diei festi. Nam confirmatur ea temporis circumstantia vetus error de Pontificatu Zachariæ,& erronea scripturæ interpretatio. In Liturgia Anglicana igitur quando in collecta diei natalis Christi dicunt, *hodiernaque die de pura virgine nasceretur*, num vera & certa prædicant? Eandem collectam recitant usque ad octavam nativitatis ceu festum circumcisionis. An singulis illis diebus natus est? Videmus erroris fontem, nempe quod Zachariæ Evangelismum & statim conceptionem Iohannis in 24 Septembris statuerunt veteres in Ecclesia Occidentali. Iosephus Scaliger inviolatam revolutionem orbis hieratici probat ex Iudæorum ritualibus. Nunquam in ministerio alia aliam antevertebat, aut liturgiæ tempus præripiebat, sed singulæ ordine sibi succedebant. Ordinem statutum 1. Chron. 24 7. ad sua tempora constantissimum durasse testari Iosephum. Legem horrendi carminis ex Iudæorum Ritualibus istam affert. *Omnis sive sacerdos sive Levita, qui sese immiscuerit functioni alterius capite luat.* Existimabant nefas ephemeriam in locum alienum succedere. Ephemeriam Ioiarib inivisse munus suum 22 Novembris demonstrat. Inde colligit ephemeriam Abiæ ministerium suum iniisse die 21 Iulii, impletos dies ministerii die 28 Iulij. *Et quia quinque menses integros occultavit se Elizabeth, & sexto ineunte Gabriel Angelus missus ad Mariam, hæc omnia inciderint circiter finem Decembris: quo tempore post Evangelismum Gabrielis Maria cognatam suam inviserit, cui mensis inibat sextus, quæ vulgo hactenus vt sterilis digito notabatur. Quare natalis Christi competeret circiter finem Septembris diebus* σκηνοπηγίας *cyclo lunæ 18 æstibus anni, quando & in tabernaculis sub dio, & pastoribus quoque* ἀγραυλεῖν *anni tempus finit.* Casaubonus. *Scaligeri sententiam mirifice confirmat consuetudo ecclesiæ Alexandrinæ quæ nativitatem Iohannis bapt[i]stæ* primis

Pag. 301.

Canon. Isagogic. p.

Scalig. in append. ad lib. de emendat.

Exercit. p. 123.

primis temporibus solennitatis illius introductæ celebravit die Aprilis 23. Confirmant alii hoc anni tempore natum Christum argumentis sumptis à mysterijs quibusdam, quòd circa hoc tempus erat initium novi anni, & in mense Septembri celebrarentur plures dies solennes, quòd diebus σκηνοπηγίας Christus ἐσκήνωσε Ioh. 1. 14. commoratus est inter nos, & hoc mense arca introducta in templum, 1 Reg. 8. 1. 6. Vt ad tempus anni designandum quo natus est Christus certiora quæ jam dicta sunt, de die tamen nulli mortalium constat. Non statim post Apostolorum tempora institutũ hoc festum. *Nam quia non statim simul cum nascente ecclesia, sed aliquanto tempore post initium habuit mos celebrandi natales Sanctorum nemo pius mirari debet in tantis primorum temporum persecutionibus memoriam rerum præteritarum, ita exactè servari non potuisse, quin variæ opiniones super eadem re persæpe existerent. Hoc adeo verum est, vt etiam de nativitate & passione Domini, variæ admodum sententiæ in Ecclesia olim extiterunt, quibusdam natum prodentibus sexto Ianuarii, quibusdam decimono Aprilis, aliis* 19. *Maii, nonnullis mense Septembri, plerisque* 25 *Decembris*, inquit Casaubonus. Imo potius credendum divina providentia celatum hunc diem, sicut Deus abscondit corpus Mosis, ne eo abuterentur Israelitæ ad idololatriam. Constat veteres ex gentilitate in Ecclesiam invexisse natalium celebrationem; Pudebat Martyrum Natales publicè celebrare, sua etiam γενέθλια privatim, & γενέθλια Christi non colere. Ideo scrutantes diem nativitatis Christi suas conjecturas sequuti sunt. Clementis constitutiones, sermo de nativitate Christi qui extat inter opera Cypriani, & aliorum quæ citat Bellarminus pro hujus festi antiquitate scripta supposititia sunt. Cum de die nativitatis Christi constare illis non poterat, nec de aliis ab eadem pendentibus vt die Annunciationis, quem etiam festum incarnationis, de die conceptionis vel nativitatis Iohannis Baptistæ, de die Circumcisionis, de die purificationis quem etiam festum Præsentationis vocant.

Exercit. p. 123.

Festum transfigurationis in calendario præfixo liturgiæ libro refertur ad diem 6 Augusti sed in Catalogo festorum non video, nec in propriis collectis, fortè non observatur ut dies festivus nec in ecclesia Romana ante Calixti 3 tempora celebratum fuit, vt refert Platina in eius vita. Antè fortè incepit quoad officium Chori & solennitatem missæ; Sed quia non observatur ut dies festivus apud Anglos quantum ex libro liturgiæ discere possum de eo plura non dicam.

Paschatis festum omnium antiquissimum non tamen Apostolicum. *Nam neque Servator, neque Apostoli istud observandum lege aliqua præceperunt*, ait Socrates. Item, *Mihi quidem certè videtur, sicut res*

Histor. l. 5. c. 22.

res alia multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt: ita festum Pascatis ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse, propterea quòd nemo ex Apostolis legem de eo edidit. Et quod ex consuetudine potius, quàm ex lege ab antiquis temporibus observari cœptum sit, rerum eventa perspicuè declarant. Plerique namque in Asia minore antiquitus decimoquarto die Mensis nulla ratione diei sabbati habita observarunt. Quod dum faciebant, cum aliis qui aliam rationem in eodem festo agendo sequebantur, usque eo nequaquam dissenserunt, quoad Victor Episcopus Romanus supra modum iracundia inflammatus, omnes in Asia qui erant τεσσαρεσκαιδεκατῖται *appellati id est qui decimo quarto die mensis pascha celebrabant excommunicaverit.* Dicit festum paschatis, ex quadam consuetudine apud singulos populos privatam primum observationem habuisse, & ex more ut alia multa fuisse introductum, non lege Apostolica fuisse constitutum. Et initio non fuisse de die litigatum licet postea altercatio gravis orta sit, ut meritò dictum sit in præfatione ante harmoniam Confessionum in editione Anglicana illam controversiam de die festi Paschatis agitatam inter veteres 200 fere annos jam diu à nobis derisui habitam. Whitakerus, *Magnam quidem de hac re* *De scriptura quæst.6 c.9.* *olim fuisse contentionem sed sine causa, ut mirum sit de re tantilla & pene nullius momenti, tantas & tam graves fuisse dissentiones.* Suum quique morē ut aliis commendarent, Apostolorum praxin allegabant. *Qui quartodecimo die mensis pascha celebrant eum morem observandi à Iohanne Apostolo ipsis traditum dicunt, qui autem Romam & alias partes Occidentis incolunt, Petrum & Paulum Apostolos consuetudinem quam illi tenent ipsis reliquisse affirmant. Verum nemo istorum omnium de his rebus scriptis proditum proferre potest. Et quòd ex consuetudine potius in singulis locis quàm ex ulla alia causa cœpta sit festi Paschatis celebratio hinc facio conjecturam.* Apud Eusebium habetur Epistola Polycratis Episcopi Ephesini ad Victorem Papam, *Histor.l.5. c.22.* ubi asserit Polycrates Philippum Apostolum & Iohannem Polycarpum, Melitonem & plures alios quartadecima luna pascha celebrasse. Sed supposititia est ista Epistola Polycratis. Insurgit Tilenus. *De die quo pascha esset celebrandum nimis acriter rixatos constat Orientales cum Occidentalibus: nec displicet quod ex Socratis historia* *Parænes.cap. 16.* *objicere consuestis: puta Apostolos non eadem cura ac religione definiisse hæc ritualia, qua definierunt dogmata. At ferendum non est, quod quæ Eusebius de Polycarpi super hac re Epistolis narrat, infrunitii zelotæ mendacii insimulant, & quasi totidem Alexandri essent, nodos quibus solvendis impares sunt audacter secant, quodque propter contentiones de re exortas rem ipsam abolendam esse sciscunt, venerandosque antiquitatis canos projecto semel pudore protervè conspuunt.* Socrates non modo non eadem cura definiisse ait Apostolos hæc ritualia qua alia dogmata, sed etiam nullam omnino legem de paschate

edidisse,

edidisse, & quod ex consuetudine potius in singulis locis quàm ex ulla alia causa cœpta sit festi paschatis celebratio. Et ex ea varietate in observando die, eam, quam nos, conjecturam facit, nempe non institutum fuisse ab Apostolis, & qui Apostolicam traditionem pro more suo venditabant, tamen iis fidem non adhibet. *Verum nemo istorum omnium* inquit *testimonium de his rebus scriptis proditum proferre potest*. Et tamen citat librum quintum Ecclesiasticæ historiæ Eusebii. Vel interpolatus est post Socratis tempora Eusebius, vel non genuinam censuit epistolam illam Polycratis. Quàm religiosus cultor & acer vindex videri vult honoris patribus deferendi Tilenus, qui in syntagmate suo eorum autheritatem vellicavit. An quid detrahit eorum honori qui scripta supposititia ab adulterinis discernit? Nonne prudentiæ judicio germana patrum scripta ab adulterinis internoscenda desiderabat ipse olim in syntagmate suo? Quid igitur sibi vult infiniti hominis audax impudentia, qui eam libertatem nobis non permittit. Sed ad examen criticum veniamus. Legit aut legere potuit in parasynagmate illo lingua vulgari conscripto censuram Iosephi Scaligeri in epistolam illam Polycratis, quæ extat apud Eusebium. *Quod vero ait*, nempe Serarius, *ab iisdem viris scriptum Iacobum τὸ πέταλον gestasse in fronte quale summus pontifex Exod. 37. 36 est σφάλμα μημμονησί. Hoc enim de Iohanne Apostolo, non de Iacobo ab eodem Eusebio relatum ex Epistola Polycarpi Christi martyris*, Dixisset opinor Polycratis ad Victorem, *Neutrum concedet*, nempe sive de Iacobo sive de Iohanne, *qui sciverit nullum Christi Apostolum Sacerdotem fuisse, & nulli præterquam summo sacerdoti πέταλον gestare licuisse. Et tamen vetustissimus & Iohannis discipulus & sanctissimus Episcopus & Martyr Christi fuit qui hoc scribit. Quin impii & novatores vocabuntur, qui non credent.* Polycrates dicit Iohannen gestasse τὸ πέταλον quod Hieronymus in libro de viris illustribus interpretatur laminam, Scaliger negat vel Iacobum, ut vult Epiphanius, vel Iohannem gestasse laminam in fronte, aut quod ei liceret, ut refert Epiphanius, ingredi in sancta sanctorum. Habes unam fabulam ex Epistola Polycratis. *Adhuc* inquit *& Iohannes qui ad pectus Domini recubuit ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκὼς & sacerdos fuit & laminam gestavit.* Hunc ait celebrasse Pascha decimaquarta luna & quidem secundum Evangelium si credere fas est. Præterea ait, *Philippus unus ex duodecim Apostolis qui obdormivit Hierapoli & duæ ejus filiæ quæ in virginitate consenuerunt & alia eius filia, quæ in gratia spiritus sancti conversata requievit Ephesi.* Philippum Evangelistam cum Philippo Apostolo confundit, ut & eum sequutus Eusebius l. 3 c. 28 ubi eadem denuò extat Polycratis epistola. Dico igitur vetustissimum hujus traditionis monumentum nempe Apostolos observasse pascha esse fabulosum, si non supposititium. Sed ad traditionem

Part. 2. disp. 16. thes. 14

Part. 2. disp. 16. thes. 14.

Elench. Trihæres. cap. 25

Euseb. Hist. l. 5. c. 22.

ditionem ipsam veniamus. Estne verisimile Iohannem Apostolum resurrectionis festum celebrasse luna 14 mensis primi quo die immolabant Iudæi agnum ad vesperam; *Absurdum est uno anno bis Pascha facere & alio nunquam. Atqui hoc accidebat illis, qui Pascha 14 die agebant,* inquit Bellarminus. Et Iohannes Apostolus in absurditatem illam lapsus est? Si dixerint, ut accomodaret se Iudæis conversis in initio, hoc fecisse, tamen nihil juvabit. *Dies pascha non erat dies festus, ut dies Azymorum ut à vespera usque ad vesperam celebraretur, sed ejus tantùm finis, hoc est vespera, quam in hac disputatione posteriorem sæpe appellavimus, quia agno immolando dicatus erat & Pascha vocatur,* inquit Ribera. *Quod si scripturæ verba observemus, inveniemus diem Azymorum, solennem & festum, & solennitatem vocari, diem vero decimumquartum solennem non dici nec festum, nec solennitatem, quoniam simpliciter non erat solennis sed secundùm extremam partem.* Et probat ex collatione locorum Iohan. 13 Lev. 23 Num. 9 & 28 Deut. 16. Et quia Azyma inceperunt ab ipsa vespera paschatis, & continuò sequuntur dies Azymorum, vesperam illam cum sequentibus diebus unam solennitatem conficere. *Observandum etiam,* inquit, *in aliis diebus festis mentionem vesperæ non fieri nisi in Pascha, quoniam totus dies profestus erat, eius tantum extremum sacrum erat, quia tunc agnus immolabatur. Quare Pascha non duas vesperas habebat, ut festi dies, sed eam quæ diem decimum quartum claudebat.* Si 14. luna non erat dies festus Iudæis, quomodo accommodavit se Iudæis conversis in observanda 14 luna. Sunt, qui probare conantur ex 1. Cor. 5. 7. 8. Quia in more positum erat apud veteres ut pœnitentes post trium, septem, decem, aut plurium annorum pœnitentiā non reconciliabantur solenni ceremonia, nisi feria quinta ante Pascha, quæ dicitur cœna Domini. Imponebatur pœnitentia publica feria 4 ante primam Dominicam Quadragesimæ, reconciliabant & communicabant feria quinta. Cujus adhuc vestigium apud Pontificios. *Adsunt certa die ante Pascha in ecclesia Cathedrali quam appellant, quos vocant Pœnitentes, Pauperes, & obscuri homines, velata facie ne agnosci possint: præit illis pœnitentiarius sacrificus suam tristitiam plerumque & vultu & ventre satis declarans, & septem illos Psalmos pœnitentiales demurmurans: sequuntur illi tristi facie & genibus nitentes à valvis ecclesiæ ad magnum altare. Ibi recitatur execranda Litania in qua tot sunt pene blasphemiæ in filium Dei quot insunt syllabæ. Habetur conciuncula ad omnes stabiliendos veræ pœnitentiæ abusus, tandem celebratur sacrum in quo offeratur Christus.* Potest quidem fieri, ut verba illa Apostoli respicientes veteres hunc morem & ritum in reconciliandis pœnitentibus instituerint, sed Apostolum loqui de anniversario paschate non sequitur. Augustinus contra epist. Parmen. l. 3. c. 21. ut in hunc locum observat Fulco, interpretatur pascha istud esse perpetuum, & quod durat durante vita.

De cultu sanct. cap. 12

De templo l. 5. c. 3.

Beza Antithesi Papat. & Christ. cap. 7.

Sic etiam ipsi Pontificii interpretantur. *Quasi dicat, perenne habemus pascha, vnus continuusque sit nobis dies festus Paschæ, vt Christo agno Paschali ejusque beneficiis & donis quotidie* vescamur, & festivè epulemur spiritualiter fide, spe, charitate, aut etiam realiter in venerabil Sacramento, idque in Azymis, id est, cum Azymis sinceritatis & veritatis. Item. *Hinc etiam ecclesia hunc locum Apostoli pro Epistola legit in solennitate Paschæ, quando omnes communicare, & de hoc agno Paschali manducare præcipit cum in primitiva ecclesia de eodem fideles quotidie manducarent, vti hic hortatur Apostolus.* Si quotidie manducabant verum agnum paschalem in encharistia non restringendus est locus Apostoli ad communionem anniversarii Paschatis. Sed nec de sacramentali manducatione etiam frequenti tantùm intelligendus hic locus, sed de omnibus conventibus ecclesiæ, & singulis ecclesiæ membris & de morali observatione. *Moraliter Chrysost. epulandum dicit non quia Pascha est aut Pentecoste, sed quia omne tempus tempus epulationis est Christianis ob collatorum beneficiorum excellentiam. Hinc S. Sylvester omnes dies vocavit ferias, vt dicamus feria prima, secunda, tertia, quia omni die Christiani à peccato feriari debent, & Deo vacare, & festum agere spirituale. Hinc & Clemens Alexandrinus, l. 7. Stromat. Vniversa, inquit, vita viri iusti est quidam celebris ac sanctus dies.* Non igitur de Pascate aniversario loquitur hic Apostolus, sed de festo moraliter agitando spirituali lœtitia, puritate & integritate vitæ. *Neque enim de sacra cœna hic agitur, sed de cultu morali ceu vita Christiana quæ fermento veteri vacare, h. e. pura & sancta esse debet. Iubet, inquam Apostolus expurgare fermentum non Physicum sed morale, non panis sed vitæ & vitiorum, non ex pane sed ex corde.* Adde etiam ex corpore & cœtu ecclesiæ, sed non propter cœnam paschalem magis quam quotidianam & sæpius repetitam. Nam non est sanctior aliis communio in Paschate anniversario. Sed ex ecclesiæ cœtu semper expurgandum vetus fermentum scelerum vult Apostolus. Præterea alludit Apostolus, non ad vnam vesperam qua immolabatur agnus, sed ad totos septem dies Azymorum, vt sicut Iudæis mactato agno non licebat habere domi fermentum, sed ab eo abstinebant septem dies, sic qui sacrificii Christi semel in cruce peracti participes sunt, totam vitam in integritate & sinceritate transigere debeant, & vult singulos esse panes azymos ut tota ecclesia sit pura & nova massa. *Sensus ergo est,* inquit Cornelius à Lapide, *Christus pro nobis quasi phase immolatus nos redemit, nobisque inuitavit solennitatem Azymorum. Itaque post hoc phscha, post Christi immolationem & redemptionem, agamus festum hoc Azymorum spirituale, vt simus Azymi, & puri ac consequenter vescamur Azymis, id est, fruamur puritate vitæ per septimanam nostræ vitæ, id est, per totum eius decursum (septem enim diebus revolutis omne nostrum tempus decurrit vnde septenarius vniversitatis est symbolum)*

Paræus in 1. Cor. 5. 8.

coque

eoque memoriam redemptionis Christi agni Paschalis nostri puris & dignis moribus sacrificiis & laudibus celebremus. Denique non de reconciliatione pœnitentium hîc agit Apostolus, sed de tollendo potius incestuoso, & purganda ecclesia. De reconciliatione agit Apostolus epistola posteriore ad Corinthios. Nec probari potest hunc morem fuisse Apostolicarum ecclesiarum differendi tempus reconciliationis ad feriam quintam ante pascha etiam post præscriptum tempus pœnitentiæ completum. Imo contra charitatis legem peccatur si non receptus fuerit in gremium ecclesiæ,& particeps fiat sacramentorum quæ sunt pignora reconciliationis, si testatus fuerit secundum præscripta illi onera seriam resipiscentiam. Hactenus de priori scripturæ loco quem nec Bellarminus nec Gretserus, ut suum Pascha anniversarium defendant, allegare ausi sunt. Deducunt etiam Paschatis solennitatem adversarii ex Psal. 118. 24 *Hac ipsa die effecit Iehova exultemus & lætemur in ea.* vel ut alii reddunt *hic est dies quem Iehova fecit, exultemus,* Quia Christus est lapis quem reprobarunt ædificantes & factus caput anguli, quod factum dicunt die dominico cum resurrexit Christus. Ergo exultemus & lætemur in ea. Sed non loquitur Propheta de die definito naturali aut artificiali, sed diem sumit pro tempore indefinitè & cum latitudine,ut loquuntur, plures dies complectente. Vt sicut in Davide lapide typico, quem spreuerunt structores, id est proceres in populo,evenit, is factus est caput anguli, in quo tanquam fundamento coaluerunt Iuda & Israel, quod non uno die effectum est, sic Christus quem reprobarunt structores sacerdotes & seniores factus est lapis angularis, in quo totius ecclesiæ Iudæorum & Gentium ædificium coagmentatum crescit,quod uno die peractum non est. *Nunc est tempus acceptum, nunc dies salutis & hodie si vocem eius audiveritis. Nox præcessit dies autem appropinquavit.* Hæ & similes phrases ostendunt vocem diei non esse restringendam ad diem naturalem aut artificialem. Præterea si in Davide typico lapide restringenda vox *Diei* ad definitum diem ad diem coronationis ceu inaugurationis referenda esset. At dies ascensionis cum ascendit ad cœlos Christus & sedit ad dexterum patris dicendus est potius inaugurationis dies quā dies resurrectionis. Si ad diem resurrectionis restringendus esset ad diem dominicum singulis hebdomadis recurrentem restringi debet, non ad unicum paschalem. Nulla enim ratio est cur solennior sit dominica paschalis propter revolutionem Solis anniversariam, quam hebdomadicam nisi duplicem dominicæ paschalis dedicationem vel Christum vel Apostolos instituisse fingendum sit vnam cōmunem & ordinariam ad cultum ordinarium, aliam solenniorem ad festum. Imperatores titulo de feriis diei dominicæ observationem suis legibus munientes post enumeratas alias festivitates subdunt.

In Psal. 117. *Et dies solis, quos Dominicos ritè dixere maiores, qui repetito in se calculo revolvuntur, parem necesse est habere reverentiam, &c.* Sed, vt dixi, vim inferunt verbis prophetæ, qui ad definitum diem naturalem vel artificialem referunt. *Extendunt alij, vt Rickerius,* inquit Lorinus, *post Augustinum, plerosque alios, & Hieronymum alibi, nempe in Isa. 52. diem hanc ad totum tempus novæ legis in qua omnia secunda & læta. Cyrillus Alexandrinus interpretatur diem hanc qua Christus illuxit sol justitiæ, intellectualis lucifer cordibus credentium exoriens.* Hactenus examinavimus vetustissima monumenta historiæ scriptis consignata, & quæ allata sunt ex scripturis sacris, vt Paschatis festum anniversarium probent esse Apostolicæ observationis, perpendimus. De temporibus baptismi restrictis ad festum Paschatis & Pentecostes dicemus suo loco, fatetur Hookerus non ita factum ab initio, & proinde mores postea invecti de restringendo sive baptismum sive reconciliationem pœnitentium ad certa tempora, non probant Apostolos observasse dies illos. Si dies ipse Paschatis non sit festus & solennior aliis diebus dominicis, multo minus biduum illud annexum ad majorem solennitatem & celebritatem festi.

Festum ascensionis quando cœperat obseruari, incertum est. Sermones qui circumferuntur nomine Cypriani de Christi nativitate passione & resurrectione suppositititos esse agnoscit ipse Bellarminus. Clementis Romani constitutiones non esse scripta genuina observarunt alij. Verisimile igitur est, quod conjicit Hospinianus, apud vetustiores auctores non fieri peculiarem mentionem festi ascensionis, quia quinquaginta dies post Pascha erant dies lætitiæ, licet non dies cessationis, & eo numero comprehensus erat dies Pentecostes. Feria quinta septimanæ penultimæ ante Pentecosten completur dies quadragesimus à die resurrectionis, sed unde illis constat exclusivè an inclusivè numerandus sit.

De scriptoribus Ecclesiasticis. p. 93.

Pentecosten Epiphanius elicit ex locis scripturæ 1 Cor. 16 Act. 20. Hic non audet fidenter adstipulari ipse Bellarminus. *Et quamvis non sit omnino certum, an loquantur hæ scripturæ de Pentecoste Iudæorum an Christianorum, tamen Epiphanius exponit de Pentecoste Christianorum.* Francolinus, *Tunc temporis non erant celebres Christianorum festivitates, cum Evangelium non esset adhuc plene promulgatum.* Non necesse erat, ut Pentecostem Christianorum ageret Hierosolymis Apostolus, si Christiani observassent more suo Pentecosten. Pentecoste suum habet biduum annexum sicut pascha; qua sublata tollitur & accessorium.

De cult. sanct cap. 13.

Francolinus de horis Canonicis. cap. 84.

Festum Trinitatis celebratur in octava Pentecostes seu prima dominica post Pentecosten. Agnoscit ipse Bellarminus hoc festum esse recentius. Nam Alex. 3 dicit suo tempore fuisse quidem in usu apud quasdam Ecclesias, non tamen Romæ. Micrologus reprehendit eos, qui hoc festum celebrant, & præfationem de Trinitate

De cult. sanct c. 15.

nitate monet omnibus diebus dominicis cantari solitam, neque propriam fuisse festi Trinitatis. Verba decretalis Alex. 3 de festo Trinitatis sunt ista, *Præterea festivitas sanctæ Trinitatis secundum consuetudines diversarum regionum à quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in dominica prima ante adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem: cum singulis diebus, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* *Decretal. l. titul. de feriis cap. Quoniam.*

De festis Ecclesiæ Anglicanæ in particulari diximus quantum sufficit. Nam non vacat omnia & quoad minutissima quæque persequi. Observanda sunt quoad numerum festorum ista duo, primum, non longè inferiores esse ipsis pontificiis quoad festa generalia, ad quæ obligantur Pontificii. Nam etsi habeant festa particularia in provinciis & Diœcesibus, & generalia etiam quædam ex consuetudine vel devotione tamen quoad festa sub præcepto generalia non multùm numero superant Anglos Secundo Sabbata habent pluta, quàm Iudæis Deus imperaverat. Nā etsi dies Azymorū, & festi tabernaculorum erant dies solennes respectu quorundam rituum, & sacrificiorum, primus & ultimus duntaxat erant sabbata ceu dies cessationis ab omni opere servili. Sic præter Sabbatum ordinarium, habebant 7 primum & septimum azymorum, primum & 8 festi tabernaculorum, festum tubarum, diem expiationis, & Pentecosten. Dies inter 1 & 7 in festo Azymorum, & 1 & 8 festi tabernaculorum erant profesti & in eis operari fas erat. *In illis autem solennibus, 8 aut 7 dies obeuntur, semper primus & ultimus eorum dierum est festus, ut in solenni σκηνοπηγίας, de quo loquimur. Intermediis opus sit. Itaque illi dies vocantur Chol, id est prophani, profesti. Quod si sabbatum in illos intermedios dies inciderit dicitur sabbath chol,* σάββατον ἐν τῷ μεταξὺ ἑορτῆς. Quod Iohannes Evangelista vocat μεσούσης ἑορτῆς *Iudæis dicitur Chol hamoed.* Epistolæ & Evangelia assignantur diebus festis, quia solebant diebus festis celebrare missam sub Papatu. Nam ad nulla alia sub præcepto obligantur opera sanctificationis, nisi ad audiendum missam; non ad officia horaria aut privatas orationes, aut meditationes. Ad ista hortabantur, sed non obligabant. Inde est, opinor, quòd in libro liturgiæ Anglicanæ ante collectas, epistolas, & Evangelia habetur ista Rubrica, *Collectæ, Epistolæ, ac Evangelia ad sacram communionem sive in Cœna Domini dicenda per totum annum.* Nam etsi non celebrent cœnam singulis festis, sub Papatu tamen Missam celebrare solebant. *Scaliger de emendat. temporum p. 123.*

Diem Dominicum agnoscimus, & ut divinum non humanum institutum accipimus. Praxis Christi & Apostolorum & Ecclesiarum

rum Apostolicarum hunc diem nobis commendarunt Ioh. 20 16 & 26, Act. 2. 1 & 20 7, 1 Cor. 16 1, Revelat. 1 10, Dixi Christi, quia Christus die Dominica resurgens apparuit sæpius, nec legimus post diem resurrectionis apparuisse iterum ante octavum diem. Sabbatum ab Apostolis in diem dominicum versum dicit Bellarminus. *Quidni etiam à Christo?* respondet Iunius, *Qui conventus Apostolorum, discipulorum, & Ecclesiæ suæ consecravit eo die præsentia sua plurimum.* Et sabbatum in diem Dominicum mutatum dicit, *non traditione humana sed Christi ipsius observatione atque instituto, qui & die ipsa resurrectionis & octavo quoque die usque dum in cœlos ascendit, apparuit discipulis, & in conventum eorum venit: idemque constante Apostolorum & discipulorum observatione factum est, & Ecclesiæ Christi, cui ex instituto & exemplo ipsius Apostoli tradiderunt diei Dominici observationem.* Et paulo post. *Quamobrem cum dies Dominicus Christi facto, exemplo, institutoque Apostolorum, & Ecclesiæ veteris observatione constantissima, & scriptura teste fuerit observatus & subditus in locum sabbathi Iudaici: ineptè faciunt, qui observationem diei Dominici ex traditione non ex scriptura sacra in Ecclesia perdurare asserunt, ut hominum traditiones his adminiculis, si Deo placet, statuminent.* In præcepto de observatione sabbati consideranda sunt jus naturale, jus positivum, jus ceremoniale. Ius naturale suadet & dictat tempus dicandum cultui divino; positivum determinat diem vel horam; ceremoniale addit ritus, ceremonias, & significationes. Naturale obligat omnes gentes, quod earum solennitates & stata tempora ac feriæ sacræ ostendunt. Positiva etiam determinatio ipsius diei, nempe quod unus ex septem in circulo hebdomadico sit sanctificandus, obligat omnes gentes. Nam etsi jus naturale non doceat septimum magis quàm decimum aut nonum diem dicandum esse cultui divino, ut diversitas determinationis apud varias gentes ostendit, tamen positiva diei ipsius determinatio obligat omnes, quia hæc determinatio ab ipso Deo posita est & imperata ante legem & ante lapsum Adami. Adamus autem repræsentabat totum genus humanum. Ad posteros Adami devenit non per lumen naturale sed per traditionem. Deficiente paulatim universo fere orbe in errores & Idololatriam non mirum est extinctam & oblivioni traditam traditionem istam. Vestigia tamen quædam hujus instituti manebant præsertim in Oriente. Eusebius de præparat. refert, *septimum diem non hæbræos tantum sed omnes fere tam philosophos quàm poetas sacratiorem esse cognovisse.* Scaliger de emendatione temporum; *primum systema ex diebus dicitur Septimana, res omnibus quidem Orientis populis ab ultima usque antiquitate usitata, nobis autem Europæis vix tandem post Christianismum recepta.* In oriente, ubi datum præceptum, & propagatum erat in initio genus humanum, Systema dierum septem

De cult. sanct. cap. 11.

Prælect. in Gen. cap. 2. ver. 2.

L. 13. c. 7.

Pag. 9.

tem constituerunt, quod proculdubio ab observatione sabbati manavit, licet postea 7 illis diebus planetarum nomina imposuerint. Deus ipse cessavit die septimo ab opere creationis, & Adamum ejusque posteros suo exemplo tum docuit cessandum ab operibus suis, & non cessando solum, sed etiam operibus sanctificationis sacravit diem illum, ut observat Paræus in Genesin cap 2 nempe sanctis operibus vacando, & Adamum docendo cultum suum, & proinde eo ipso die incepit sanctificatio diei septimi, nec per anticipationem dicta sunt, quæ habentur Gen. 2. 2. Ut determinatio unius diei in systemate hebdomadico obligabat omnes gentes non vi juris naturalis, sed positivi divini, sic etiam ante Christi resurrectionem ad septimum à creatione diem non modo Iudæi sed & Gentes obligabantur vi ejusdem positivæ determinationis. Non reliquit arbitrio hominū aut prudentię humanę istam determinationē, quia prævidit vel negligendum cultum suum, vel quia ipse sapientia infinitus optimè poterat servata proportione definire quantum temporis vindicandum sit à cura τῶν βιωτικῶν & tribuendum cultui divino. Hæc cum ita se habeant, nempe quod determinatio diei septimi fuit non modo ceremonialis id est figurativa, sed etiam positiva divina ante latam legem ceremonialem, non potuit abrogari nisi divina authoritate. Sive Christus ipse, sive Apostoli, non ut ordinarii pastores aut authoritate communi sed ut extraordinarii Ecclesiæ Architecti instinctu spiritus sancti mutarunt diem sabbati in diem dominicum, perinde est. Nam utrovis modo mutatio erit ex instituto divino. Sed ordinaria potestate quæ adhuc durat in Ecclesia id tentasse Apostolos non est credendum. Alia sabbata quæ erant anniversaria & purè ceremonialia, abrogata erant, & adveniente corpore ut umbræ evanuerunt. At dies iste septimus erat à Deo positus ante umbras legis, & quod postea factum fuerit etiam umbra, illud erat accessorium ad primum institutum. Concludo igitur diem dominicum esse institutum divinum, & proinde immutabilem, nec ordinaria Ecclesiæ potestate transferri jam posse in alium septimanæ diem, nedum legem ipsam de die uno septimanæ cultui divino dicando tolli. Prærogativas, quibus nobilitatus hic dies multas numerant. *Eo die Christus resurrexit, spiritus sanctus descendit in Apostolos, lux creata est. Dies dominica refert nobis memoriam natalis Christi, & resurrectionis ejusdem, & adventus spiritus sancti, nam Christus die dominica natus est*, inquit Bellarminus. Leo epist 79 c. 1 ait quod dies dominicæ resurrectionis *tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quicquid est à Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi & mors interitum & vita accepit initium*. Eodem die Christum circumcisum & baptizatum, & stellam Magis

De cultu Sancti ca 11

Gratia. Dist, 75 cap Quod die.

refulsisse, aliaque miracula edita referunt, sed hæc incerta sunt. Vtcunque est, non oritur immutabilitas diei ex prærogativis istis, sed fundatur in authoritate instituentis. Nam omnes hæ prærogativæ non efficiunt diem sacrum, nedum immutabiliter sanctum. Si determinatio talis diei, ceu mutatio sabbati in dominicam esset ex institutione ordinaria & humana, posset abrogari aut progari etiam authoritate humana, sed mutationem sabbati in alium diem aut determinationem talis diei mutari posse negamus ex humano instituto. Quia, ut ait Alexander 3, *tam veteris quàm novi testamenti pagina 7 diem ad humanam quietem specialiter deputavit.* De ipsius diei observatione eandem habemus regulam quam jus naturale postulat in tempore sacrato cultui divino. Nam licet non tam rigida esse debeat cessatio sabbati Christianorum, quàm fuit Iudæorum, quibus hoc die ignem accendere fas non erat, aut ea parare quæ ad vescendum erant necessaria, quia requies & cessatio sabbati erat non modo medium ad sanctificationem & cultum diei ut finem, sed etiam significans ceremonia, & figuram figurato exactè respondere oportet, tamen ut diem sacratum observare debemus. Nam jus naturale, quod docet certum tempus dicandum cultui divino, docet etiam ab omnibus aliis operibus cessandum eo tempore quod determinatum est, ut possit quisvacare cultui divino. Determinatio juris naturalis non tollit ipsum jus naturale. Nec simul consistere possunt ista duo tempus determinatũ esse sanctificatũ ceu segregatũ ad pia exercitia cultus divini, & interim tamẽ posse etiam prophanari negotiis sæcularibus.

Titulo de Ferus ca. 3.

Excepto die dominico nullum alium agnoscimus sacrum aut sanctum. De stativis & ordinariis loquor. Nam de repentinis feriis, ut extraordinario jejunii aut gratiarum actionis die determinari non poterat ante oblatam occasionem &, ut loquuntur, rem natam. Non alios à prima Reformatione observavit dies Ecclesia Scoticana, quàm diem dominicum & repentinas istas ferias. Non ignoramus Ecclesias alias reformatas alios etiam observare dies festos, alias plures, alias pauciores, sed nullas rite reformatas dies festos Sanctis dicatos observare, quod faciunt Angli, novimus. Nam Tigurina quæ initio, ut supra dixi, retinuit dies festos Sanctorum aliquot, postea rejecit. *Nostra Ecclesia*, inquit Bullingerus, *ante annos ni fallor 12 plura habuit festa: sed abrogatis his solum retinuit diem dominicum & festa Christi, nativitatis videlicet Circumcisionis & Ascensionis D. Adjecit & missionem Sp. S. superioribus propter celebrationem cœnæ. Abrogavit autem festa alia, quod vicini interpretarentur nos ferias agere divis. Ergo, vt palam profiteremur nos non colere divos cultu soli deo debito, omnia in vniversum abrogavimus.* Gretserus monet lectorem, *Claudium Taurinensem, vt in aliis plerisque ita in abolitione omnium dierum, qui sancti festi erant, Calvinistis* præ-

Epist. 129. inter epistolas Calvini.

De Festis l. 1. c. 9.

prædixisse. De eo enim ita scribit Dungalus lib. ad Ludovic. pium Imperat. In litaniis & in cæteris Ecclesiæ officiis nullum sanctorum vult memorare aut nominare, vel eorum anniversaria celebrare festa, sed velut vanam observationem, & inutilem consuetudinem despiciens omnia permittit, ne quasi per eorum intercessionem aliquid à Deo postulare videatur. Vides Claudium Taurinensem hos dies festos Sanctorum, quos retinet in hunc diem Ecclesia Anglicana, ex Ecclesia exterminandos censuisse. Nec vanus fuit Claudii Taurinensis metus. Nam ex commemoratione in divinis officiis, & anniversaria solennitate postea adscita, sequuta est primùm Sanctorum compellatio Rhetorica, deinde aperta invocatio, ut narrat Fildus. *Audio,* inquit Spalatensis, *Ecclesiam Anglicanam ita suam liturgiam reformasse, ut tamen & præmittat epistolæ & Evangelii lectionem, dietque orationem, quæ dicitur collecta, & Symboli Constantinopolitani recitationem, & vel communem vel specialem præfationem, & hymnum Gloria in excelsis Deo. Suumque adhibet Canonem cum precibus, & verbis illis Christi, Hoc est Corpus meum, & Hic est calix &c. nihil ferme nisi in verbis à canone nostro discrepantem, sanctorum tamen abstulerit commemorationem. Ego sinè non video, cur illa fugienda sit commemoratio. Nam in nostro Canone Sancti non invocantur, si invocatio sanctorum scrupulo carere non videatur.* Commemorationem illam in divinis officiis quam Dionysius vocat ἀναρρήσεις τῶν ἱερῶν δέλτων sacrorum codicum promulgationem, compellationem primum Rhetoricam, deinde invocationem introduxisse docet Fildus & testatur eventus, & proinde merito sublata commemoratio ipsa. Sed quærere debuit Spalatensis, cur sublata Sanctorum commemoratione in Canone missæ retinuerint anniversariã cum solennitate commemorationem non modo nominum, sed etiam actorum, & dies festos Sanctis dicatos. De festis Christo dicatis, utcunque se habet praxis in aliis Ecclesiis Reformatis, certum est nullas Ecclesias Reformatas existimare nos in eo peccasse, quòd non alios dies sacros aut festos retineamus quàm diem dominicum. Præterea nemini consultum videri arbitror post 60 annorum exilium in Ecclesiam ullam quasi postliminio revocandos, & sub eorum jugum invitam Ecclesiam esse redigendam. Tertiò quod etiam ubi in aliis Ecclesiis Reformatis retinentur, non deerant tamen viri docti qui testati fuerint sibi non omnino probari ullum diem præter Dominicum. Excipio semper ferias repentinas ut supra dixi. In synodo Dordracena ann. 1574 conditus iste Canon, ut habet Gretserus. *Quod ad dies festos attinet, excepto die Dominico, quibus à labore manuali solent abstineri, & conventus in templis celebrari solent, conclusum est solum diem dominicum servandum esse. Recepta tamen est consuetudo de Nativitate Christi.* & In synodo Belgica anno 1578. *Optandum foret nostros sex dies laborare, & diem solùm dominicum labo-*

De Eccles. l. 3 p. 103. Spalat de de Republ. lib 7 cap. 12 num 103.

Hierarc. Eccles. cap. 3.

rare: ut habet Schultingius lib. 9 Anacriseos. Lutherus in libro ad Nobilitatem Germanicam dicit consultum esse, ut *omnia festa aboleantur, solo dominico die retento.* Et in libro de bonis operibus ann. 1520 *Vtinam*, inquit, *apud Christianos nullum esset festum, nisi dies Dominicus.* Calvinus epist. 128 refert in Ecclesia Genevensi auctoribus Farello & Vireto ante ipsius in eam urbem ingressum abrogatos fuisse omnes dies festos præter Dominicum, eandemque rationem sequutam novam Bernatium provinciam. Intelligit, ut videtur, Episcopatum Lausanensem quem per ea tempora occupaverant Bernates. *Surrexit N. nec minus tumultuose pro diebus festis, quàm olim Victor Romanus pro suo paschate pugnavit. Ex quo autem fuimus expulsi*, nempe Calvinus, Farellus, Viretus, *quatuor dies festi cum aliis quibusdam ritibus instituti sunt.* Tandem tamen plebiscito rursus abrogatos. *Nec verò hæc sola fuit Ecclesia .. quæ nullas, præterquam diei septimæ ferias retinuerit. Argentorati enim idem olim institutum erat.* In Synodo Nationali habita in Scotia anno 1590 Brittanniæ Rex Iacob. 6 se fælicē prædicavit *quod natus esset ad regnandum in ea patria, ubi vigeret in summa puritate cultus divinus, in Ecclesia totius terrarum orbis purgatissima, multo puriore Ecclesia Anglicana, cujus quid, inquit, illorum liturgia nisi Missa Anglicè ineptius recitata, sinceriore etiam ipsi Genevensi. Nam illi observant Pascha & Pentecosten: qua authoritate id faciant, ipsi viderint.* Iam tamen obtrudit Ecclesiæ Scoticanæ eosdem & plures alios dies festos aliosque ritus Romanensium qui adhuc reliqui sunt in Anglia, & in Ecclesiam purgatissimam sordes Anglicanæ invehendas curat.

Ne videamur aliorum judicio niti, ac absque ratione ulla insanire, subjiciam rationes quasdam contra dierum festorum observationem. Sed primum dispiciendum est, quid sit Festum. Nam dies Dominicus propriè non est dies Festus. Festum à Theologis latiùs quandoque sumitur, & extenditur ad ipsa jejunii stata tempora, ut cum cum dicunt festum expiationis, cum tamen propriè loquendo dies expiationis non erat propriè dies festus. Nam licet Hebraicum *Mogned* comprehendat omnia stata tempora, sive jejunii, sive festivitatis sive ad usum moralem, sive mysticum, & verborum penuria reddunt quandoque festum, tamen festum propriè est dies festivitatis & hilaritatis. *Festum propriè loquendo*, inquit Piscator, *est publica & solennis ceremonia à Deo mandata, ut certo anni tempore cum singulari lætitia obeatur ad gratias agendum Deo pro certo aliquo beneficio in populum suum collato. Sicut ex inductione exemplorum, puta festi Paschæ, Pentecostes, & tabernaculorum colligere promptum est. Atqui tale mandatum in novo testamento nullum habemus.* Hookerus Hierarchicus & ceremoniarum Anglicanarum Advocatus & Atlas, scribit tria esse diei festi elementa. *Laudes*

In Gal. 4, 9 10 11.

cum

cum alacri mentis hilaritate memoratas, gaudium erumpens in liberalis charitatis plusquam ordinaria exercitia, & sequestrationem ab omni occupatione ordinaria seu quotidiana. Ex his patet diem Sabbathi non fuisse, nec ἀναλόγως ei respondentem diem dominicum esse propriè dies festos. Nam die festo non fas erat jejunare. Non enim cum festivitate diei festi convenit jejunium & luctus. Ideo Nehem. 8. 10. in festo tabernaculorum, cum fleret populus, dum audirent verba legis dixit eis Nehemia. *Ne lugete neque flete: abite, comedite pinguia & bibite dulcia, ac mittite portiones cuicunque nihil est paratum. Nam sanctus est hic dies Domino nostro, & ne dolore afficiamini, quum gaudium Iehovæ sit robori vobis,* id est, vt interpretatur Iunius, *Ista Dei beneficentia exhilarare vos & confirmare debet, quum vobis terram promissam, vrbem, templum, cultum, doctrinamque restituerit.* Sic Exod. 12. 14 de Paschate dicitur, *quamobrem erit dies iste vobis in monumentum, vt celebretis ipsum diem festum Iehovæ vechaggothem Otho chag lihovah,* id est, *diem cum festivitate celebrabitis,* sic Num. 29. 15. de festo tabernaculorum eadem habentur verba. *Chagag* significat circumagi, saltare, tripudiare, & inde per metonymiam, inquit Schindlerus, festum diem agere vel quasi dicas festivare, quia festis diebus lætitiam suam choreis & saltationibus declarabant & adhuc declarant Iudæi, vnde etiam *chag* non modo diem festum sed diem lætum in genere significat, quo edunt, bibunt, & saltant homines. Tres solennitates quibus apparebant omnes mares coram Domino vocarunt *Chaggim.* Deut. 16. 11. præcipitur vt festis anniversariis lætentur coram domino. *Et lætaberis coram Jehova Deo tuo, v. 14 lætaberis autem celebrando festum, v. 15. erisque tantummodo lætus.* Inde etiam est quòd in Synodo Laodicena vetitum fuit in quadragesima nuptias vel quælibet natalitia Martyrum celebrare, quod adhuc observant in ecclesia Mediolanensi, vt refert glossa in 33 quæst 4. cap. non licet. Iohan. 19. 31. *Erat enim magnus ille dies Sabbati.* In hæc verba sic commentatur Casaubonus: *Parenthesis ab Evangelista adjecta valet ad indicandum eximium cultum eius sabbati præter communem religionem dierum septimorum. Propterea dicit Iohannes fuisse illum diem magnum. Judæis bonus dicitur dies festivitate aliqua solennis vt primus & postremus Azymorum, item primus & vltimus festi Tabernaculorum, & id genus alij.* Et intra, *Sabbatum igitur, de quo Iohannes loquitur, propterea dies magnus ab illo dicitur, quia in eundem fuerat feria Paschatis translata.* Idem, *Auctor Megillath Thaanith capite 11 quod est de mense Schebat, vt res diversas, sed quæ magnam affinitatem habent, commemorat, harbe sabbatoth Parasceuas sive cœnas puras sabbatorum, & harbe iom tob Parasceuas dierum bonorum, id est, magnorum solennitatum.* Hic etiam sabbatum distinguitur à die bono, id est, die solennis lætitiæ & festivitatis Buxtorfius in Abbreviaturis. *Iom tob dies bonus id est festivus, feriatus* extra

Polit. lib. 9 sect. 7.

Exercit. p. 479.

P. 477. 478.

Pag. 81.

Pars aliter. pag. 135. *extra sabbatum.* Drusius in novum testamentum *unde intelligentiam habet, fecit diem bonum ac lætum fratribus suis sacerdotibus, id est lauto convivio eos excepit. Sic vocantur etiam dies nuptiarum.* Ex his patet diem festivitatis fuisse diem bonum id est lætum ac hilarem, quo convivia agitabant, & quo nulla luctus vel jejunii signa apparebant. Nullibi invenies nomen *Chag* quod tripudiare & saltare significat tributum sabbato hebdomadico, sed tantum feriis festivalibus. Sabbato jejunare licebat Iudæis, vt patet ex his locis, *Hora sexta, quæ sabbatis nostros ad prandium vocare solet, supervenit*, inquit Iosephus. *Sabbata Iudæorũ à Mose in omne ævum ieiunio dicata*, ait Iustinus, *Ne Iudæus quidẽ, mi Tiberi, tam libenter Sabbati ieiunium servat, quàm ego hodie servavi*, Suetonius in Octavio. Hæc tria testimonia habet Hookerus, & contendit probabile esse Sabbato Iudæos jejunasse. Forte ad horam sextam quæ nobis duodecima ordinariè jejunabant, in sabbato, vel si prorogarunt ad vesperam id fecerant absque ullo instituto divino, sicut & alia jejunia stata ipsi instituerunt. Moses quidem vetuit ignem accedere aut cibos coquere, non tamen antè coctos edere Hæc tamen omnia ostendunt licitũ fuisse in sabbato hebdomadico jejunare, quod sabbato anniversario ceu die bono festi non licebat. Sabbato non jejunassent Iudæi, si fuisset propriè festum ceu feria festivitatis. In canonibus qui Apostolorum nomine circumferuntur constitutum, vt Clericus, qui die Dominico vel sabbato jejunaverit, deponatur, laicus segregetur, Balsamon in scoliis, *Sabbato non jejunamus* ἵνα μὴ δόξωμεν ἰουδαΐζειν *ne Iudæos imitari videamur.* Magnum Sabbatũ, quod solo excipitur, est sabbatum quo corpus Christi in sepulchro jacebat. Sed Augustinus epist. 118 cap. 1. refert variam fuisse consuetudinem, alios ieiunasse die Sabbati, alios vero non ieiunasse Hæc igitur prima differentia inter diem sabbati & feriam festivalem ceu festum propriè dictum. Secunda est, quod dies sabbati non poterat prorogari aut transferri in alium diem; feriæ tamen festivales si immediatè præcederent sabbatum poterant transferri in sabbatum hebdomadicum. Hoc enim vitabant quantum poterant Iudæi, ne duo sabbata continua observarentur. *Nam & in Hebraico Kalendario, & in Thalmudicis, & Rabbinorum scriptis instituti huius causa redditur his verbis: Non facimus, inquiunt, duo sabbata continua propter olera & propter mortuos, quoniam mortuorum cadavera in illis calidioribus locis per autumnales calores servari non poterant, neque cibi in plures dies parati præsertim ex oleribus*, inquit Casaubonus. Sic etiam Scaliger in libro de emendatione temporum. *Cum hoc instituerunt veteres Iudæi, instituerant autem ante tempora Seleucidarum, vnius Tisri rationem habuerunt, qui fere totus solennitatibus exceptus est. Deinde duo sabbata continua incommoda erant in tractu Hierosolymitano propter cibos, quos coctos biduum continuum asservare tempore autumni serventissimo*

Marginal notes: Lib. de vita sua. — Iustin. l. 36. — Can. 66. — Exercit. p. 482. — l. 7. p. 604.

tissimo in iis regionibus periculosum erat. Item corpora mortuorum asservari non possunt citra putredinis & corruptionis periculum. Itaq; propter Tisri hoc institutum Alioquin aliâs duo sabbata continua reperiuntur. Anniversaria festa erant pars legis Ceremonialis, sabbatum inscriptum digito Dei in lapideis tabulis Decalogi & legis moralis à Deo ita fixum, ut refigere non poterant, sicut dies ceremoniales, quos in illud transferre non autem illud in hos transferre, aut retrahere poterant. Tertia differentia inter sabbatum & festa: quod illud institutum præcipuè ob cultum Dei in genere non ad commemorationem beneficii alicuius, aut particularis mysterii commemorationem. Et proinde festorum à Deo institutorum usus erat solummodo cōmemorationis beneficii aut mysterii gratia, sabbati autem observatio imperata fuit præcipue ob communem religionis cultum. Propterea sabbatum ubique, & domi in civitatibus suis observarunt, festa autem tria anniversaria, quæ Regalim vocabant, Hierosolymis observabant. Sabbati cultus ceremonialis in templo erat duplicatio quotidiani sacrificii & cultus, festis autem præscripta erant peculiaria sacrificia, & peculiares ceremoniæ, iisque adstringebantur, adeo ut nefas erat eundem cultum ceremonialem extra festum proprium & destinatum celebrare. Vnde dictum illud Hebræorum *gnabar zeman gnabar korban, transiit tempus, transiit oblatio.* Habebant immundi Pascha suum succidaneum, & fiebat interdum translatio feriarum, sed simul cum tempore & feria translatus cultus ceremonialis. Sabbatum erat antiquius & præstantius omnibus aliis festis Dei digito tabulis inscriptum. Ideo Hebræi vocant Sabbatum Arcanum Dei viventis. *Cum omnia festa celebrentur vel in memoriam beneficii præteriti, vel ad significandum aliquid futurum Sabbatum in vtroque excellebat,* ait Bellarminus. *Nam quantum ad præteritum colebatur in memoriam primi & communissimi beneficii id est creationis mundi Quantum autem ad futurum figura erat beneficiorum Dei ad quæ omnia alia revocanda sunt,* nempe ut ibi interpretatur, quietis Christi in sepulchro, quietis mentis humanæ ab operibus servilibus peccatorum, quietis sanctarum animarum post mortem in sinu Abrahæ, quam distinguit more suo a quiete gloriosa & beatitudine sanctorum in cœlis. Sed huius loci non est ista discutere. Quod ad diem Dominicum, in quem sabbatum translatum est, & mutatum à Christo Sabbati Domino, & cui analogicè respondet, non est propriè festum, ceu feria festivalis, & impropriè loquuntur Theologi, cum diem Dominicum diem festum vocant. Nam die Dominico æque licitum est Christianis jeiunare ac fuit Iudæis Sabbato, quod sæpissimè in ecclesia nostra Scoticana factum. Nihil nos movet vetus illa consuetudo non ieiunandi die Dominico. Eadem illius origo quæ & alterius ritus de geniculis non adorandi die Dominico

De cult sanct. cap. 11.

minico. *Die Dominico jejunare nefas ducimus, & de geniculis adorare,* inquit Tertullianus. Sed ritus iste posterior quingentos fere jam annos cessavit in Ecclesia, nec nefas ducunt de geniculis jam adorare die dominico ipsi Pontificii. Canone 66 constitutionum Apostolicarum vetitum jejunare die dominico vel Sabbato. Sed audiamus Balsamonem. *Excipe autem,* inquit, *mihi divinos Patres, qui propter exercitationem nonnunquam jejunant etiam his diebus. Hi enim non condemnabuntur.* Cur excipiendi, si nefas esset jure divino die Dominico jejunare, aut si dies dominicus esset dies festus. Et in eundem Canonem Zonaras ait, *Nisi per dies certos jejunet aliquis, per decem verbi gratia, vel octo, pietatis atque religionis studio, illisque determinatis jejunii diebus incidant & Sabbata & Dominici dies. Quod & multi sanctorum patrum fecisse comperiuntur ad quadragesimum usque diem jejunantes.* Melchiades Papa idem de die dominico & feria quinta præceptum edidit. *Iejunium dominici diei,* inquit, *& feriæ quintæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Christianorum & Gentilium veraciter credentium & infidelium atque hæreticorum, vera & non falsa discretio habeatur.* Cum Paulus Troade sermonem ad noctem usque continuaret, priusquam cibum sumeret, superstitiosus iste ritus non jejunandi die dominico nondum invectus erat, nec de hujusmodi ineptiis somniabant Apostoli. Præterea die dominico non celebramus particulariter memoriam resurrectionis domini, aut alicujus particularis mysterii religionis, sed exercemur generaliter & indefinitè in omnibus religionis mysteriis percipiendis & recolendis, atque omnibus pietatis & cultus divini officiis peragendis, tum publicè tum privatim. Et, ut Iudæi in sabbato non habebant selectas scripturæ partes quas legerent, sed ordine legebant Mosen & Prophetas, sic nos die Dominico non habemus proprias collectas, proprias lectiones & ut vocant, Evangelia & Epistolas, aut proprias commemorationes, sicut diebus festis hujus vel illius sancti hujus vel illius mysterii religionis, cum propriis lectionibus & collectis, epistolis & Evangeliis. His præmissis, jam patet, quis status controversiæ, nempe, an præter diem Dominicum alios liceat observare dies qui festi dicuntur, id est qui tribus his elementis constituuntur, nempe commemoratione particularis beneficii aut mysterii religionis, seu laudibus personæ alicujus particularis, cessatione ab operibus & occupationibus prophanis seu communibus & festivitate ac hilaritate ejusque indiciis, ut conviviis, aliisve hilaritatis, liberalitatis & beneficentiæ extraordinariæ signis, & contra abstinendo à mœroris & luctus aut jejunii signis aut exercitiis.

De consecrat Dist. 3.

Primum argumentum contra observationem festorum petitur e verbis quarti præcepti in Decalogo, *Sex diebus operaberis.* Hæc

verba

verba continent vel præceptum vel permissionem. Si præceptum operandi sex diebus, ergo nullus potest cessationem ab omni opere imperare: si permissionem, ergo, nullus potest hanc libertatem populo eripere & simpliciter cessationem ab omni opere imperare, vel etiam ob cultum Divinum. Sed audiamus quid contrà Tilenus. *Hoc testimonio,* nempe Calvini Institut. lib. 2. cap. 8. sect. 32. *Jugulatur utraque Zelotarum exceptio 1 quod solius Dei sit instituere dies festos 2 quod cum quarto præcepto sex dierum labor vel imperetur vel permittatur; nefas sit, vel quod imperat Deus, vetare, vel quod permittit Ecclesiæ eripere. At quemadmodum imperium illo præcepto significari Calvinus, cujus vos nunquam defugietis auctoritatem, pernegat; ita permissionem Dei principibus suum circa res medias jus imminuere, nec Calvinus nec quisquam sobrius dixerit. Num enim ob permissum hominibus dominium in volucres cœli, in pisces maris, & bestias agri; impiæ fuerint principum leges quibus aucupii, piscationis, & venationis libertatem subditis aliis indulgent, aliis adimunt? Nonne in Genevensi quoque Ecclesia præter diem dominicum, statis diebus habentur conciones & preces publicæ, quibus à consuetis operis plebs avocetur & modo antemeridianis modò pomeridianis horis feriatur?* Non dixit auctor Parasynagmatis verba illa continere præceptum, sed judicio quorundam interpretum imperari assiduam in vocatione nostræ diligentiam. *Itaque non displicet mihi sententia eorum, qui sentiunt his verbis, sex diebus operaberis, contineri præceptum de otioso otio vitando, ut quisque pro sustentanda vita tum sua tum proximi sui, operetur aliquid manibus suis. Itaque videtur hic Deus populo suo instituisse vitam activam & contemplativam, quam vocant, tempusque totum illi præscripsisse ad utrumque vitæ genus. Loquor autem de operibus externi & ceremonialis cultus. Nam ad internum cultum quod attinet atque opera charitatis oportet quotidie &c.* inquit Zanchius. Hoc dato, non video, quomodo possunt iidem interpretes concedere alios dies festos præter diem dominicum. Sed dato, quòd verba illa non contineant præceptum, sed permissionem dixit auctor ille non posse libertatem istam eripi quam dedit Deus. Non propterea ademit principi potestatem omnem condendi ferias, aut Ecclesiæ stata tempora concionum & precum, aut extraordinarias jejunii vel gratiarum actiones ferias. Nam de primo genere dixit posse Magistratum imperare cessationem ab opere œconomico & privato propter armilustrium, aliave publica regni negotia & commoda communia. Sed illud non erat imperare simpliciter ferias, nedum dies festos, sed κατὰ τί tantum. Nam abstinent ab operibus privatis & œconomicis, ut vacare possint publicis & politicis. Quodque membrum à suo opere privato cessans in alio exercetur opere quod ad totius corporis præservationem tendit. Et, ut est natura feriæ, sic strictiùs vel molliùs auocantur ab opere privato vel tantum

Zanchius in 4 præceptum

tum cessat strepitus litium & judiciorum. Sed principi non licet imperare cuivis simpliciter, & absque ordine ad bonum commune & publicum, ut ferietur, ne vel cerdoni, setam tractet. Hic obiter notandum quomodo Willetus applicet legem illam Codicis lib.3 tit.12 l.4 *principis est ferias condere*. Si solius imperatoris orbis terrarum domini sit, inquit, ferias civiles condere, in Ecclesia feriæ sacræ solius Christi domini & Regis Ecclesiæ institutioni inniti debent. Notandum etiam in titulo illo de feriis, ferias quas lex dicit esse solius principis condere, esse eas quæ ob res prosperè gestas indicuntur & repentinæ dicuntur. Gratiarum actiones extraordinarias non negamus. Quod ad secundum genus, statas nempe horas concionum & precum extra diem dominicum, non damnamus. Habemus & in nostra Ecclesia hæc stata tempora, sed tamen neminem cogendum ad feriationem ab omni opere, ut concioni & precibus vacare possent, sentio. Qui possunt commodè, & quando possunt, hortandi sunt & monendi ut intersint, sed si libet dare operam negotiis sæcularibus, non est libertas illa, quam concessit Deus ad mitigandam quam irrogavit poenam, *in sudore vultus tui comedes &c.* adimenda. Dies Septimanæ sex inter duo sabbata interjecti dicuntur Hebræis *Chol hashabbath*, ut supra vidimus dies interjectos inter primum & ultimum solennitatis azymorum & tabernaculorum dictos *Chol mogned*, id est dies profestos solennitatis. Sic dies sex septimanæ dicuntur *chol hashabbath*, id est dies profesti sabbati ceu Septimanæ. Nam à Sabbato denominatur tota septimana sabbatum, ut cum dixit Pharisæus jejuno bis in sabbato, & dies particulares, una vel prima sabbati, secunda sabbati, tertia sabbati. *το μεταξὺ σαββάτων est Chol hashabbath, quas ἐνεργοὺς ἡμέρας vocat Plutarchus in Quæstionibus Romanis. Quare legimus apud Lucam in Actis cap.13 Gentes orabant eum, ut εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων reliquis septimanæ diebus eadem sibi exponerentur, perinde ac in sabbato, quo solo Iudæi in Synagogas & proseuchas conveniunt.* Quomodo dici possunt sex dies *Chol hashabbath*, si mutari potest dies septimanæ in sabbathum, aut totum illud intervallum dici *Chol hashabbath* tempus profestum ceu prophanum sabbati vel septimanæ, si parte diei alicujus potest constitui sabbatum statum & ordinarium. Eadem est potestas indicendi integrum diem, & mutandi ἡμέρας ἐνεργοὺς in ἀέργους, quæ constituendi dies intercisos, partim nefastos partim profestos, ex parte sabbatum sacrum ex parte diem prophanum. Et neminem arbitror dicturum posse Ecclesiam aliud sabbatum hebdomadarium constituere præter dominicum. Si quis dixerit non esse parem rationem diei & partis diei, fateor, si cha-

Synops. p. 438.

Scaliger de emendat. tempo. lib.6 vel pag. 524.

ritatis

ritatis regulas respicias, quia gravius est onus, si integer dies imperetur, tamen respectu potestatis eadem est & par ratio. Possunt abuti potestate sua qui jus illud sibi vendicant, de quo abusu jam non dissero, sed si abusi fuerint, manet tamen salva jurisdictio potestatis, & sic dies integer observandus esset, si imperare diem statum septimanæ statuentibus æquum videretur. Quod ad tertium genus, nempe repentinas ferias jejunii & gratiarum actionis extraordinarias, de quibus in præcepto determinari non poterat, quia nondum natæ occasiones, orta occasione indici & determinari posse & debere dicimus. *Indicite* heb. sanctificate, jejunium, proclamate diem interdicti heb. gnatsarah, Ioel 1 14 dies interdicti dicitur, quo omni opere servili interdicebatur. Sic dies octavus festi tabernaculorum dicitur dies interdicti, *die octavo convocatio sancta esto vobis, quo offeretis igne absumenda Iehovæ, dies interdicti est, nullum opus servile facitote.* Lev. 23 36. Sic vocatur ultimus dies paschatis Deut. 16 8. *Gnatsereth nullum festum vocari potest*, inquit Scaliger, *nisi in τοῖν πρός τι, est enim clausula alicujus cultus aut solemnis, in quo fiebat σύναξις.* Tria ait esse gnatsaroth id est clausulas festorum in anno, octavam scenopegiæ, 7 diem solennem Azymorum, quinquagesimum diem seu πλήρωμα τῆς πεντηκοστῆς. *Gnatsereth quoque est πανήγυρις, quæ extra ordinem indicitur Ioel 1 14, & clausula 7 dierum, quos extra ordinem Encæniis templi sacravit Salomo vocatur gnatsereth 2 Reg. 10 20.* Sed 2 Reg. 10 20 hæc habentur verba, *Et dixit Iehu sanctificate diem interdicti Bahali quem proclamaverunt.* Videtur velle Scaliger hos dies dictos *gnatsaroth*, quasi festorum clausulas, quia gnatsar claudere significat, sed cum aliis etiam feriis sacris tribuatur, dies jejunii potest dici *gnatsereth* aut *gnatsarah* quia clauduntur quasi manus, vel cohibentur ab opere, & detinetur populus in exercitiis divini cultus. Nam hæc omnia significat *gnatsar*, claudere, cohibere, detinere. Vult igitur propheta in extraordinario jejunio ob ingruens aliquod malum feriari omnes, sicut in clausulis festorum solennium solebant. Idipsum naturale dictamen rationis docet ingruente aut imminente magno malo subducendas manus ab opere præsenti, easque levare ad Deum, & deprecari veniam delictorum, ipsiusque gratiam implorare. Analogicè eodem naturæ jure docemur parta aut oblata insigni ab insigni malo liberatione, ab aliis negotiis sæcularibus cessare, ut gratias agamus Deo, *In die quoque lætitiæ vestræ, & in solennitatibus vestris & principiis mensium vestrorum similiter clangetis tubis illis &c.* In die lætitiæ vestræ, id est, ut interpretatur Iunius, *si quando vos Deus lætitia publica extra ordinem affecerit, cujus lætitiæ nomine per sit Ecclesiam publicas ei gratias agere*, Cum igitur dicimus libertatem operandi sex diebus à Deo concessam non esse populo eripiendam, nec politicas ferias sive sint tantum feriæ

Canones Isagog. p. 218.

in ordine ad strepitum judiciorum tempore Messis aut vindemiæ, sive sint feriæ in ordine ad cessationem ob opus politicum & commodum publicum, nec statas horas precum & concionum *b. hol b shibbath* dummodo libera sit earum obligatio, nec lætitiæ aut jejunii dies extraordinarios, & pro re nata indictos tollimus. Excipimus etiam quos ipse excepit, nempe dies festos anniversarios, quos ipse Deus statuit. Nam qui permisit Dominus sex dierum usum, sibi reservavit potestatem suam, qua jugum populo suo imponere poterat. Et certe dies festi anniversarii quibus tenebantur mares apparere corā Domino erant pars non minima jugi illius, quo premebantur Iudæi. Æquitatem dictam viderunt ipsi Canonistæ. Nam part. 3 decreti dist. 3 cap. 1 habentur hæc verba, *& illæ festivitates quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint*. Et in Decretalibus, titulo de Feriis cap. *Conquestus*. *Cæterisque solennitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum clero & populo duxerint solenniter venerandas*. His verbis videmus non debere Episcopos in Diœcesibus suis diem festum particularem imperare sine consensu cleri & populi. Verbum *collaudaverint*, requirit consensum expressum. Æquitas postulat, ut cum hujusmodi præcepta non sint necessaria ad salutem, ut ipsi fatentur, & aliàs possit inde gravari populus, dum à lucro & labore cohibetur, sine suo consensu non cogendus sit. Quod de unius Diœceseos Episcopo dictum, ad omnes unius nationis Episcopos in Concilio congregatos adde & clerum, extendi potest, nempe non posse imperare feriam prætextu cultus divini, nisi consenserit & collaudaverit populus, magis quàm imperare possunt decerpendam particulam è bonis temporalibus ad usum præsertim non necessarium. Quàm iniqua igitur tyrannis ista, qua dierum festorum observatio vi obtruditur invito populo & Ecclesiis nostris, cum sit ex earum rerum genere, quæ præjudicium afferunt & damnum, & non necessariæ sunt. Si daretur unumquemque Christianum posse se voto obligare ad sanctificandum diem aut observandum tempus festivum, aut etiam majorem populi partem, non tamen sequeretur posse synodos Episcoporum & Cleri legem illam imponere. Nam quodcunque est materia voti non est materia legis; potest enim quis Deo promittere actus interiores. Præterea votum non est lex nec actus jurisdictionis: quapropter etiamsi votum sit majoris partis populi obligaret tantum volentes & consentientes, quia votum obligat non in vi legis sed tantum in vi promissionis. Imo etiam si totus populus voveret, obligarentur tantum vi promissionis singuli, non vi legis. Et proinde non sequeretur, populum consententientem posse vovere illud; ergo Episcopos & Clerum posse de eo legem imponere, & actum jurisdictionis circa illud in populum non consentientem exercere. Sed ne

voto

voto quidem obligare se potest ad diem sanctificandum, aut festum observandum. Quia non licet diem ullum sanctificare etiam privatim. Nam sacrare diem est segregare ab omnibus exercitiis prophanis ad religiosa exercitia, aut præterea in specie ad commemorationem alicuius beneficii aut mysterii, aut etiam sacram significationem imponere, ut Augustinus distinguit inter diem natalis & diem resurrectionis, quod prior in memoriam, posterior etiam in sacramentum institutus sit. Nam destinare tempus ad exercitia religionis, adeo ut non liceat eo tempore exercere negotia sæcularia est sanctum efficere, non natura (nam hoc non profitentur ipsi Pontificii, nec natura sanctior est dies à Deo ipso sanctificatus, alioquin sabbatum non potuisset mutari in diem dominicum) sed usu, quod non potest vel ecclesia vel privatus quilibet, ubi non munivit authoritate sua dominus sanctificationem, ut in jejunio aut gratiarum actione extraordinaria. Nam aliud est, cum privatus quis statuit horam, aut etiam diem privato exercitio cultus divini cum hac libertate, ut avocante legitima vocationis suæ exercendæ occasione, possit exercitium illud in aliam horã aut etiam diem differre, aut dum hora illa aut die dat operam privato cultui, sentit se non adstrictum, quin illa hora prætermissa aut die aliam eligere potuisset; aliud ita statuere, & cultui divino vacare, ut non liceat illi ea hora aut die quidquid agere quod non sanctum & religiosum. Hoc enim esset sanctificare ceu sanctum usu efficere. Prius illud privato manet liberum, & utitur tempore tanquam non utens, cum vero potestas superior illi imponit observationem, tollitur libertas, quam habuit, si privato instituto designasset horam aut diem illum ad exercitia religionis privata. Non ergo sequitur. Privatus potest priori modo designare ordinis causa horam aut diem, quem sentit sibi commodissimum ad privata exercitia, & semper cum libertate ea prætermissa aliam eligendi: Ergo Superior potestas potest illi imponere legem quam violare non erit illi liberum; vel quod idem, statuere illi horam & diem cum publicis tum privatis exercitiis, quem prætermittere, aliumque eligere illi liberum non erit. Si dixerint posse imperare diem aut horam ad publici cultus conservationem, quia prospicere debent Superiores, ne pereat cultus divinus, vel curare, ut magis magisque vigeat, respondeo primùm, non solum publicum cultum imperant, sed etiam extra convocationes sanctas cessationem ab omni opere. Deinde dico Deum ipsum prospexisse cultui suo, & quantum existimabat necessitatibus humanis decerpendum ad cultum suum designasse & sanctificasse, reliquum totius systmatis septimanæ permisisse usui nostro, ut cultus prætextu nemo amplius libertatem nostram eripere jure posset, ac si de Dei cultu ille magis sollicitus esset, quàm Deus ipse; Et ple-

runque qui hoc prætextu tyrannidem suam palliant nihil minus curant,& diem quem Dominus ipse sanctificavit & ipsi violant, & edictis suis libertatem prophanandi permittunt,sanctificata prophanant & prophanata sanctificant. Nam idem Dominus qui diem vnum sanctificavit,alios prophanavit, id est, pro sanctis ipse non habet nec habiturus est, nisi casu aliquo à se determinato, nempe jejunii aut lætitiæ extraordinariæ ob rationes supra dictas, aut cum ipse sanctificat in usum ceremonialem alicuius festi. Et proinde posterius illud,nempe diem unum aut etiam horam temporis profesti ceu prophani sanctificare non potest ceu sanctum efficere privatus aliquis aut ecclesia, id est ita segregare aut cultui divino dicare,ut non liceat quandiu durat institutio sive in perpetuum sive in annum, sive mensem, &c. (nam perpetuitas, ut dixi capite nono non est necessaria ad constituendam rem aut ritum sacrum) exerceri occupationibus aut negotiis sæcularibus Oeconomicis & politicis. Catechismus Hollandicus explicatus à Kuchlino titulo de festis. *Præterea in festis non quies externa, vt dictum est est in superioribus, sed sabbathi sanctificatio requiritur. Hanc autem sanctificationem solius Dei esse nemo negaverit sanus. Sacrilegium apertum esset, ea hominibus tribui, quæ solius ordinationis divinæ sunt. Ecclesiæ igitur authoritati nullus locus in tali festorum ordinatione.* Zanchius in 4 præceptum. *Est autem proprium Dei aliquem vel aliquid ex aliarum rerum prophanarum numero sibi eligere, sibi consecrare,eoque sibi sanctificare, sicut etiam solius est justificare.* Et quomodo sanctificavit sabbatum interpretatur verbis sequentibus. *Cum igitur ait Moses Deum sanctificasse sabbatum, sensus est, Deum 7 illum diem ab initio mundi è numero aliorum segregasse, sibique,vt in eo ipse prior quiesceret ab operibus suis, quæ fecerat, & deinde etiam homines à prophanis,tum naturæ nostræ tum huius mundi operibus cessarent,solique cultui divino vacarent consecrasse.* Et infra. *Ex quibus constat dies appellari sanctos non à causa formali, hoc est non ideo quod aliqua sancta qualitate ceu sanctitate donati sint magis quàm alii: non sic dies, qui non sunt realis sanctitatis capaces sed à fine sic vocantur,id est ideo appellantur sancti, quia ad res sanctas, ad vsus sanctos, ad exercitia sancta ordinati sunt, ceu quia ad sanctum sanctorum pertinent, & ad eius cultum.* Item, *Non igitur permittit suo populo Deus, vt diem ac tempus,quo debeat convenire ad colendum Deum sibi deligat aut instituat,sed vult, vt diem ac tempus à se iam inde ab initio mundi benedictum & sanctificatũ suo cultui,ipse etiam Deum colendo sanctificet.* Dei igitur sanctificatio est segregatio diei è numero aliorum, eiusque ad divinum cultum dedicatio : hominis sanctificatio est diei à Deo consecrati celebratio & observatio. Institutio est Dei, observatio est hominis. Musculus in 4 præceptum dicit, si quis sanctificare tentaverit quod non sanctificavit Deus, quod Dei solius est sibi vendicat. *Quamobrem*

diei

dies superat diem, & omnis lux diei per annum à sole data? Respondetur: *Cognitione Domini disparata sunt, qui mutavit tempora & ferias. Nam ex his alios exaltavit & sanctificavit, alios ex illis reposuit in dierum,* nempe profestorum *numero.* Ecclesiastic. 33. 7. 8. 9. 10. Videmus itaque Deum sex dies homini ad huius vitæ negotia permisisse, ac pro prophanis ceu profestis concessisse, quorum aliquem eodem modo sanctificare, ut ipse diem septimum sanctificavit, id est, ad sacrum usum segregare ab aliis nemo potest. Non est necesse, ut distinguant inter sanctum natura & sanctum usu. Nam nullus dies est natura sanctus, & dicimus etiam ad usum sanctum non esse segregandos, etiamsi vsus sit cultus communis non mysticus & particularis ut in die festo. Objicitur contrà in hunc modum. Potest privatus segregare ex bonis suis, & dicare ecclesiæ, ut bona mobilia vel immobilia ergo etiam & ex diebus quos illi permisit Deus, ad operandum omne opus suum. Et si privatus potest, totus cœtus etiam potest, vel qui iurisdictionem habent in cœtum. A consensu populi ad potestatem imponendi legem populo non sequi supra probavimus. Posse privatum dicare partem bonorum suorũ ecclesiæ non negatur. Sed tempus non est inter privata bona numerandum, nec etiam peculiaria alicuius cœtus. Sed est eius generis rerum, quæ naturali iure communes sunt, cuiusmodi sunt aer, aqua profluens, mare, littora maris, quorum commoditas & usus æqualis & communis est omnibus. Propterea non tam liberum est cedere de communi usu temporis, quàm de privato alicuius rei privatæ propter mutua inter homines commercia. Si enim quisque pro arbitrio suo dicaret ceu abdicaret usum temporis, nullus posset servari ordo in mutuis commerciis, sic si quælibet ecclesia particularis seligeret pro arbitrio, hæc illũ, illa alium diem, cessarent etiam commercia. Deus igitur diem vnum segregavit, & sibi sanctificavit qui nullius esset, *Quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est,* ait Iustinianus. Alios dies iuris publici & communis fecit Dominus ob mutua commercia ad commoditatem vitæ humanæ Anniversaria quædam festa imperavit præterea populo suo ob usum ceremonialem, sed erant etiam illa vniversalia, ceu nationalia, & propterea non impediebant mutua commercia. Præterea privatus vel particularis quæque ecclesia aut etiam plures tenentur exigente publico reipublicæ aut regni commodo semper parati esse ad ea munia ceu ministeria peragenda & onera subeunda, quæ ipsis præscribentur. Vides differre tempus à bonis privatis cuiuslibet, nec eandem potestatem esse privati aut particularis cœtus, quæ totius reipub. & regni. Sed detur parem esse rationem. Non tamen idem est dicare etiam privata bona & sanctificare. Ergo etiam nec diem ceu particulam diei. Nam sanctificare ceu sanctum efficere est eximere rem aliquam ab omni usu prophano, adeo ut non liceat

Instit. lib. 2. titul de rerum divis.

ea

ca re ut in finem aliquem etiam honestissimum extra cultum divinum. Sic nullam rem vel privatum ecclesiæ membrum, vel toto ecclesia sanctificare potest. Verbi gratia, nullus locus ita dedicatur nec ædificium cultui divino, quin extra tempus publici cultus possit applicari ad usum aliquem honestum civilem, ceu opus civile in eo peragi, ut dictum cap. 5, cum de templorum dedicatione dissereremus, & præterea potest liberè, etiamsi dedicatum sit, omitti omne exercitium cultus divini in eo loco. Nam non adstringit se ecclesia ad commune ædificium ceu Ecclesiasterium. Potest eo nunquam uti. Potest eo non uti, & potest etiam quandoque uti ad opus civile, imo & potest etiam omnino convertere ad usum prophanum, aliudque commodius sibi comparare. Nam ad propulsandas cœli & aeris iniurias comparata sunt ædificia ista, quæ impropriè & abusivè sacras ædes vocant eorumque, usus civilis est. Non enim existimandum est, quicquid agit ecclesia ad promovendum cultum Dei, esse sacrum & sanctum. Sed quia consistit ecclesia ex hominibus, hoc commune est illi cum aliis hominum conventibus politicis, quod iisdem eget adminiculis & instrumentis ad actiones suas publicas, quibus alii conventus politici. Usus proinde templi aut loci est tantum politicus & civilis, non obstante dedicatione. Nam dedicatio communis est etiam aliis locis. Potest enim quis segregare ex fundo suo locum & dicare usui publico totius civitatis, vel ædificare prætorium & donare communitati civium, sic theatra, stadia & si quæ alia sunt, quæ universitatis sunt non singulorum. Templum Hierosolymitanum erat ædes sacra, quia non ad propulsandum cœli & aeris iniurias tantum, quod commune illi cum synagogis aliisve ædificiis publicis, extructum, sed etiam in alium usum prophanum convertere aut prætermittere divini cultus in eo exercitium nefas erat. A circumstantia loci veniamus ad instrumenta cultus divini, ut utensilia templi, pulpitum, scamna, exedras, campanas, &c. Hæc omnia etsi dedicaverit quis, non tamen sunt sacra aut sancta, inserviunt tantùm necessitatibus humanis & commoditati ministrorum & aliorumq; membrorum ecclesiæ. Alia utensilia sunt necessaria ad sacramentorum administrationem, ut calix, patina, mensa, &c. Nec ista sunt sacra, etsi in hunc usum dedicentur. Nam potest mensa eadem adhiberi ad agapas & convivia communia, quæ ad sacram cœnam, sic poculum & patina. Non sunt igitur sacra aut sancta. Et si quis diceret, hîc est sacra patena, ibi sacer calix, illîc sancta mensa, dicerem illum mente iam uersari in templo Hierosolymitano, aut idolio quodam ethnico aut Papistico, & secundum illorum usum verba usurpare. Præterea aliud est deputare, aliud dedicare, aliud sanctificare. Dedicare est dominium alicuius rei abdicare & resignare. Sic priuatus dedicat ecclesiæ fundum, ædificium, utensilia, id

est

est, abdicat dominium rei privatæ, & transfert in Ecclesiam ejus proprietatem & possessionem. Ecclesia accipit, & utitur re dedicata, ut domina non ut serva, ut libera non ut ancilla, id est, utitur ea re, sed liberè, nempe vel eadem re vel ejus vice alia quam designare libet, & potest ea re dedicata nunquam uti, sed deputare alium atque alium locum, aliud aliudve utensile & instrumentum. Nam ratio quæ movet ecclesiam frequentare locum à Patrono ceu privato dicatum Ecclesiæ, non est dedicatio, sed commoditas. Potest enim liberè designare modo hunc modo illum locum, hunc aut illum collem, antrum, hortum, pratum. Frequentat igitur locũ illũ dedicatũ non vi dedicationis alicujus, sed tantum vi designationis, designat locum illum, ut cõmodissimum, ad conventus suos. Est præterea ædificium inter bona ecclesiæ immobilia, quæ non potest transferre pro arbitrio in hunc vel illum locum. Immobilitas rei non tollit naturã simplicis designationis. Alia utensilia pro arbitrio adhibet ad ministeria cultus divini, ut libitum fuerit. Tempus inter privati alicujus aut totius ecclesiæ cœtus bona numerare si quis vellet, inter bona mobilia non immobilia numerandum esset. Fingat quis inter bona immobilia collocari posse, tamen sola immobilitas non tolleret, ut dixi, naturam deputationis ceu simplicis designationis. Si vero ipsa ecclesia rem sibi dicatam, vel aliam communem, dedicare vellet, verbi gratia, ædificium aliquod Deo, id est abdicare vel resignare dominium illius loci vel ædificii Deo, vel nullo usui id faceret, vel ut cultui divino duntaxat inserviat. Si prius, esset ridicula dedicatio, nam quid opus Deo ædificiis? Si ad cultum divinum, non posset jam Ecclesia exercere in illo loco opus aliquod prophanum etiam hõnestissimum, quia Deus est dominus illius ædificii, ut jam supponitur. Imò nec licebit negligere cultum divinum in loco illo, etiamsi aliâs extra locum illum aut ædificium liceat etiam Deum colere, si ea lege dedicat & transfert dominium loci & ædificii illius, ut in eo cultus divini exercitia celebret, quod quid aliud est quàm se loco adstringere ut servam, & sanctificare, quod solus Deus sanctificare potest. Si vero in suo dominio retineat, potest indifferenter uti ad sacra & prophana. De Ecclesiæ utensilibus eadem est ratio. Dico igitur aliud esse liberè designare aut deputare diem aut particulam diei, aliud dedicare, aliud sanctificare. Deputat Ecclesia vel designat diem profestum ejusve particulam ad conciones hebdomadarias, non tamen dedicat. Potest enim ea ipsa temporis particula, ut prophana, sicuti est, uti, eamve negligere, aliamve eligere pro arbitrio & designare. Si dixerint ejusmodi esse dies suos festos, optarem illis frontem verecundum. Nonne apertè profitentur dedicationem dierum? nonne eosdem dies dedicatos sanctificandos dicunt sanctis convocationibus, & extra convocationum publica exercitia

cogunt feriari ab omni opere honesto, ne prophanetur tempus illud consecratum Deo? Nam si non in hunc finem, in quem alium, quæso? Nonne etiam in liturgia sua, & canonibus dies sanctos & sacros vocant? Nonne Hookerus Hierarchicorum Advocatus pro ceremoniis dicit *amictos esse stola sanctitatis*? Sanctos calices, patinas, mensas, mappas, urceolos, pulpita, sedilia, scamna non dicimus, qui orthodoxè loquimur. Certè nec dies sanctos diceremus, nisi quos instituto suo segregavit & sanctificari jussit dominus. Potest igitur privatus deputare vel designare tempus aut temporis particulam ad ordinaria pietatis exercitia, aut extraordinaria jejunii aut gratiarum actionis. Sed dedicare, id est ejus dominium & usum resignare & abdicare non potest, ut bona sua privata. Nam Ecclesiæ non resignat, & proinde Ecclesia non fit domina illius. Cum solo Deo est illi immediatè negotium. Quid Deo cum die aut particula diei nisi ob cultum? Si ea lege dedicat, ut exerceat se in cultu divino. Illud erit sanctificare, nec potest eo die aut temporis particula operari, nam transiit jam in dominium Dei, cultoris opinione & intentione, & sic se servum & diem sanctum fecit. Quod si Ecclesia id non potest, nec privatus quivis potest. Si dixerint posse Ecclesiam mutare diem festum in alium, nihil juvat. Nam durante dedicatione est sanctus. Dies septimus, seu sabbati erat abrogandus, tamen durante dedicatione & vi institutionis erat dies sanctus. Atque hæc de festo quatenus in genere sanctus est & dedicatus cultui divino; Quatenus est memorialis aut mysticus aliis machinis oppugnabimus.

2 Argumentum sumitur ab Ecclesiæ Iudaicæ probatis festis. Nulla habuit festa anniversaria aut menstrua præter dominicum diem, & probata, quæ non ipsius Dei auctoritate munita erant. *Atque etiam sabbata mea dedi ipsis, ut essent signo inter me & ipsos, ut sciretur me Iehovam sanctificare ipsos*, Ezechiel 20 12. Sic Exod. 31 13. *Verumtamen sabbata mea servatote, nam signum est inter me & vos per generationes vestras, ad cognoscendum me Iehovam esse, qui sanctifico vos*, id est, ut signo illo profiteamini & coram mundo testatum faciatis, Deum esse qui vos sanctificat, vosque illi populum sanctum esse. *Ut signum sit, sicut ait Lyranus, quod sitis mihi peculiaris populus, meo cultui specialiter applicatus, & ego vester Deus. Aut apertius, Hac quiete & hoc cultu sabbati testabimini vos populum esse a me sanctificatum, id est, mihi dicatum, cum in honorem meum diem septimum præter aliarum gentium consuetudinem custodiatis. Unde & ab Ethnico poeta est, Cultaque Iudæo septima sacra viro.* De sabbato hebdomadico in specie idem repetit dominus v. 17, *Inter me & filios Israelis signum est in perpetuum*. Omnia sabbata, non hebdomadicum solum à Deo data, & in signum sanctificationis, Dei sanctificantis & populi sanctificati. Sed à Bellarmino clypeum mutuantur

Ribera de templo l. 5. cap. 2.

Ovid l. 1 de arte amandi.

tur adversarii. Nam festum Purim, inquiunt, non erat institutum à Deo. Respondeo dies purim nunquam dici in scriptura festum purim, nec ea nomenclatura appellari, qua dies festi à Deo instituti. Non dicitur condictum tempus eorum *mogned*, etiamsi *mogned* quandoque latiùs pateat, & significet non solennitates festorum, sed etiam quodvis condictum tempus, sed *zemin* tempus determinatum vel condictum, nec etiam dicuntur sabbata. Sed dices, quievisse tamen 14 & 15 die. Quieverunt, verùm, ab inimicis suis; qui erant Susis quieverunt die 15, qui in reliquis provinciis, quieverunt ab inimicis suis die 14, nam qui habitabant Susis erant pauciores numero, nec poterant hostes suos conficere die uno. Ideo etsi interfecerant viros quingentos die 13 nondum tamen quiescebant ab inimicis suis, & proinde die 14 interfecerant 300 viros, tum quieverunt ab inimicis suis die decimoquinto, quia jam nulli supererant. Et contextus verborum hanc interpretationem nobis præbet, & disertis verbis dicitur Esth 9 16, *Vt resistentes pro vita sua quiescerent ab inimicis suis* & vers 22 *pro ratione dierum quibus quieverunt ab inimicis suis*, Instituit Mordecai, ut quotannis celebrarent eos dies convivii & lætitiæ pro ratione dierum quibus quieverunt ab inimicis suis. Vides quomodo ipse Mordecai interpretatur illorum *quiescere* primis illis diebus purim, nempe quiescendo ab inimicis suis. De quiete in posterum observanda nihil instituitur. Non igitur illis fidiculis extorqueri potest eos cessasse ab omni opere servili etiam in ipso initio, vel in posterum cessationem imperatam fuisse. Præterea, utitur hîc spiritus sanctus alia voce ad exprimendum istud *quiescere* quàm *Shabath*, quæ vox est usitata ad significandam vacationem ceu cessationem ab opere die festo. Nam hîc alia voce nempe *Nochu, quieverunt*, utitur, cujus radix *Nuach*. Non frustra abstinet spiritus sanctus à vocibus festorum solennibus, ut doceat non hîc institui ullum festum propriè dictum, id est sacrum & cum cessatione ab omni opere, aut cultu peculiari in templo aut synagogis, etsi statutum erat servandum etiam postquam reduces futuri essent in patriam. Nihil igitur statuitur nisi ut celebrarent dies illos lætitia ac convivio ac hilariis, tum missu portionum alterius ad alterum, tum donis erga gentes v 19 22. Sic capite 9 dicitur, quod *in vnaquaque provincia & in vnaquaque civitate, in quemcunque locum edictum regis, & jus illius perveniebat, lætitia & gaudium erat Iehudæis, convivium & hilaria:* an propterea dies sanctus aut festum propriè dictum, de quo præcipuè jam agitatur controversia. Ne vel feriam simplicem ex hoc loco evincere possunt adversarii, nedum diem festum tribus illis elementis, de quibus dictum supra, constitutum. Non igitur temere scripsit Hospinianus, cum dixit, *In festo Phurim operari prohibitum non est*, liberum enim erat illis operari quantum *De Origine festorum Iudaeorum.*

 convivia

convivia & hilaria agitando non impediebantur, vocantur dies convivii & lætitiæ, & Iehudæi Pagani dicuntur celebrasse diem 14 mensis Adaris lætitia convivio ac hilariis heb. *die bono vel jocundo.* Elias levita Germanus Thesbyte (ut habet Drusius in Annotationibus in librum Ester) *Diem bonum appellant statas ferias, & festa solennia, quæ Regalim dicuntur: item diem lætum, quo convivia agitant, etiamsi dies festus ille non sit.* Cum igitur dies isti non numerentur inter festa solennia, quæ Regalim dicuntur, dicuntur dies boni communiter, quia dies læti & jocundi, ut dies nuptiales alii conviviales dicti sunt, sicut supra observatum fuit. Videmus itaque dies purim fuisse tantum dies civiles seu politicos lætitiæ & convivii, documenta jejuniorum & clamoris sui, ut dicitur Esth. 9 31 vel ut dicitur v. 22 quia mæror eorum in lætitiam, & luctus in hilaria conversa sunt. A cæde civium vim parantium desistentes epulis & hilaritatibus sese dederunt læti propter insperatam conversionem extremi periculi in summam tranquillitatem. *Suntque hæc ipsorum Bacchanalia*, inquit Gregorius Tholosanus in syntagmate juris. Fateor postea habuisse Iudæos in synagogis liturgiam peculiarem diebus illis, sed non erat ulla liturgia à Mordecaio instituta, qui dies illos quotannis celebrandos instituit, & propterea ἡμέραι Μαρδοχαϊκαὶ dicuntur 2 Machab. cap. ult. v. 37. Et ridiculi ritus liturgiæ dierum illorum non à sobriis sed ab ebriis potius institutam ostendunt. *Sunt 14 & 15 mensis Adar nobis 27 & 28 Februarii, quibus Iudæi legunt historiam Esther; quoties mentio sit Hamani, pugnis & malleis pulsant scamna in synagogis, ac si caput Hamani ferirent.* Sed detur cessasse etiam ab opere omni non solum primis illis lætitiæ diebus (quod non negamus posse fieri die extraordinario gratiarum actionis) sed etiam postea, & dies illos piis religionis exercitiis sanctificatos, tamen ab authoritate Mordecai non sequitur Episcopos ordinaria sua potestate idem posse facere. Nam Propheta habetur & author libri Estheræ. *Plerique latinorum tradunt volumen hoc à Mardochæo hebraicè conscriptum, quibus etiam favere videntur verba illa noni capitis 20 23, & cuncta gesta quæ epistolæ id est libri hujus volumine continentur. Scripsit autem Mardochæus omnia, quæ habentur à principio libri usque ad ea verba, quæ in principio decimi capitis ponuntur*, inquit Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta. Fuit præterea Mardochæus unus è 120, qui constituerunt synagogam magnam, inter quos erant Prophetæ, Zacharias, Daniel, Ezra, Malachias &c. *hi Canonem constituerunt ut communis opinio est*, inquit Drusius, & dicti sunt Senes posteriores, quorum ultimus Simeon Iustus, qui Alxandro Macedoni Hierosolymam hostiliter adeunti obviam sacerdotali habitu prodiit. De authoritate hujus Concilii vide Buxtorfii commentarium Masorethicum cap. 10 in historico. Qualiscunque igitur natura dierum Purim, vigebant adhuc

In Esth. 8.

Li. 2 c. 16.

Schindlerus in voce Phur.

Lib. 1 p. 20

Part. altera annot. in novum. Test. p. 27.

adhuc in Ecclesia Iudaica dona extraordinaria spiritus sancti, quibus instructi multa instituere poterant, quæ non sunt in imitationem trahenda. Sed manet firmum, quod supra probavimus, fuisse tantum dies lætitiæ communi dierum bonorum ut nuptialium aut similium more celebratos in initio, & secundum institutum Mardochæi. Nota obiter, non absque consensu populi institutos hos dies lætitiæ, ut essent anniversarii. *Quæ adferuntur ceremonialia, ea non ex auctoritate præcepta sunt, sed consensu instituta. Hoc autem ipsa verba historiæ sacræ indicant manifestò; susceperunt Iudæi super se &c. Nam de cætero, qui postea addiderunt fecerunt malè,* inquit Iunius. Cartwrightus etiam observat instituisse & recepisse Iehudæos in se & in semen suum, & omnes qui essent se adjuncturi eis, dies istos memoratos & celebres fore in unaquaque ætate, & memoriam eorum non perituram à semine ipsorum, quod non audet statuere ulla Ecclesia de ullo die festo, non ipsa Romana Ecclesia, quæ sibi vendicat authoritatem pro arbitrio instituendi dies festos. Singulare aliquid igitur in isto exemplo est, quod non imitandum, Objiciunt præterea festum Dedicationis institutum à Iuda Machabæo 1 Mac. 4 *quod festum, etsi novum, & additum veteribus, dominus quoque præsentia sua honoravit, ut patet* Ioan. 10, inquit Bellarminus & adversarii nostri. *Non festum propriè honoravit Christus, sed cætum piorum convenientium festo: nam omnes ejusmodi occasiones seminandi Evangelii sui observabat, & capiebat Christus,* inquit Iunius. Sed nec illud patet ex textu Christum honorasse cætum convenientium præsentia sua. *Facta sunt autem Encænia hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in Porticu Salomonis. Cinxerunt igitur eum Iudæi, & dixerunt ei, quousque &c.* notantur circumstantiæ loci & temporis, quibus quæstio illa de Messia proposita, & quid inde evenerit; statim discessit. *Nos vero enavigavimus Philippis post dies Azymorum,* inquit Lucas Act. 20 6. Non sequitur Apostolum, ejusve comites servasse dies Azymorum Philippis. Sic Act. 27 9 *Multo jam tempore peracto, & quum jam esset periculosa navigatio quod jam etiam jejunium præteriisset, admonebat eos Paulus.* Iudaicum intelligit jejunium quod observabant Iudæi in die expiationis mense septimo ad occasum vergiliarum, quod tempus minus idoneum navigantibus, ut observavit in eum locũ Th. Beza Non colligendum est Apostolum observasse jejunium illud, tantum designatur tempus, ex more Iudaici populi, periculosæ navigationis Pauli & aliorum vectorum. Sic hic designatur locus & tempus, quo acta sunt quæ postea narrantur ad finem capitis. Non venit de industria Christus ad observandum festum dedicationis. Hierosolymis fuit in festo tabernaculorum Ioh. 7 *Mansit Hierosolymis post solenne σκηνοπηγίας, cujus temporis acta continentur capitibus Iohannis à septimo ad finem decimi. Interea incurrunt Encænia,* qui

Contr 3. lib. 4. c. 17. not. 5

Ibid. not. 6.

Scalig. de emendat. tempor lib 6 pag. 524.

qui cultus observatur 25 Casleu, cujus mensis Neomenia contigit 23 Novembris, & proinde Encænia 17 Decembris, feria quarta. Ex Christi igitur præsentia in porticu Solomonis non potest colligi Christum honorasse festum. Quod ad ipsum festum attinet, notandum primò, non absque consensu & authoritate ipsius ecclesiæ factos fuisse anniversarios, dies dedicationis. *Statuit Iehuda cum fratribus suis, & tota ecclesia Israelis, vt agerentur dies instaurationis altaris temporibus suis quotannis diebus octo incipientibus à 25 mensis Cislevi cum lætitia & gaudio,* Machab. 4. 59. Hoc sufficeret contra eos qui tyrannidem exercent in ecclesiam. Secundo, ipsa templi dedicatio fuit ex legis analogia. Negat Bellarminus Deum instituisse hanc ceremoniam. *Falsum, locus est præcepti de tabernaculo Exod. 40. & complementum Levit. 8. Hoc exemplũ Schelomo, Ezras, Machabæi sequuti sunt juris legalis analogia. Quod jus si non extitisset, tamen dicendum foret, fecisse eos, vt Prophetas revelatione extraordinaria, atque singulari, quæ in exemplum trahi non potest. Omnino certa est legalis analogia,* inquit Iunius. Si revelatione extraordinaria & singulari, vt prophetæ, dedicarunt templum post prophanationem, eadem potestate & festum dedicationis anniversarium instituere potuerunt, & ecclesiam ad consensum inducere. Sutclivius, *Ostendere etiam debet,* nempe Bellarminus, *illas fuisse leges Sacerdotum,* nempe de festo purim & festo anniversario dedicationis, *& non prophetarum, qui hoc ex mandato Dei instituerunt.* Habemus hîc formalistam Advocatum contra Formalistas, nec opus alia responsione. Tamen non desunt alii, qui anniversarium istud festnm non fuisse legitimè institutum dicant. Cartwrightus contra Rhemistas in Ioh. 10. non probandum esse factum Iudæ Machabæi asserit. Cum post primam dedicationem templi sub Solomone, 1. Reg. 8. & secundam post captivitatem, 1. Ezr. 6. nulla erat vel vnius diei memoria cum solennitate festi, patet celebrationem huius festi cum solennitate 8 dierum, non eo spiritu auctore, qui Salomonem & reduces captivos dirigebat, institutum fuisse à Iuda Machabæo festum amplificante maiori magnificentia quam illi celebritatem festi. Præterea, quod illi templum ædificantes, & omnia utensilia suppeditãtes, anniversariam memoriam non instituerunt, cum ille tantùm propter altare & alia quædam instaurata annuam tamen memoriam & celebritatẽ festi 8 dierum introduxerit. Si nec Ezechias post templum ab Achazo prophanatum, nec Iosias post Manassis & Amonis pollutionem, nec Zorobabel, Ezra, Nechemia post reædificatum, anniversariam celebritatem encæniorum instituerint, Iudæ Machabæi institutum authoritate destitutum non probat probatum fuisse festum dedicationis anniversarium. Constat hoc sæculo multas corruptelas in ecclesiam inundasse, & mandata ac traditiones præsertim Pharisæorum

De cultu sanct. cap. 5. not. 4.

De Pontific. l. 4 c. 6 pag. 440.

rum, qui volebant haberi Sapientes Israelis. *Vt recurrentibus annis in perpetuum ab ipso Iuda Macabæo & suæ ætatis sapientibus per occiduum celebraretur institutum fuisse scribitur in Talmud*, inquit Iunius. Institutionis causam ex loco ibi citato refert istam. *Cum ingressi sunt in templum, & non invenerunt oleum mundum in sanctuario, excepta Lenticula quadam in qua non plus erat olei, quàm quod sufficeret ad lucernas templi accendendas vno tantum die, ex quo oleo accenderunt ordine lucernas, quæ durarunt octo dies, donec contudissent olivas, & mundum oleum expressissent. Et hanc ob causam statuerunt sapientes illius sæculi, vt recurrentibus annis octo illi dies, quorum principium est à 25. Kisleu essent dies lætitiæ & laudum; accenderentq; in eis lucernas vespere in portis domorum singuli singulis noctibus durante illo octiduo ad huius miraculi declarationem. Et hi sunt dies qui vocantur dedicationis, prohibitumque est in eis lamentari, & jejunare vt die sortium, quo renovatur memoria irriti consilij Haman & liberationis Israelitarum sub Assuero. Et lucernarum accensio in illo octiduo res est præcepta disertis legisperitorum verbis, sicut lectio voluminis Esther præcepta est.* Sapientes Israelis sunt Pharisæi. *Nam Sapientes & Pharisæi synonyma sunt. Scriptor historiæ Iudaicæ; Sapientes Israel sunt Pharisæi, qui exponebant legem.* Sic Drusius in annotationibus in Marc. 2. 18. Et in Marc. 12 10 ait, *Ædificantes.i scribæ & Pharisæi, qui sapientes Iudæorum, & ædificantes id est Bonim vocabantur, propterea quod ædificabant super fundamentum legis.* Sed super fundamentũ ædificabant fœnũ & stipulam. Quàm ridicula fuerunt festa à Sapientibus Israelis instituta, cum ex levissima quaque occasione ea instituerint ut cum ritum aliquem aut consuetudinem veterem ceu ministerium in templo aut synagoga coronarunt celebritate festi. Ex more illo ligna afferendi in domum Dei temporibus condictis de anno in annum ad accendendum super altare, Nehem. 10. 35. instituerunt festum dictum Xylophoria. Habebant & alias observationes statas vt Tekuphoth. Qui plura desiderat adeat Calendarium Iudaicum. Videmus igitur à quibus introducta anniversaria Encæniorum celebritas & quibus temporibus nempe sæculo corruptiore, quo traditiones & mandata hominum invalescebant, & confusio erat regiminis ecclesiastici & politici. Nam ut dicitur in eodem loco à Iunio citato prævaluerunt Macbæi sacerdotes magni, & constituerunt regem ex sacerdotibus illis. Denique ad omnia Iudæorum festa instituta post latam legem respondetur vel à Deo instituta fuerunt per prophetas, vel postquam desierunt Prophetæ à sapientibus Israelis, id est Pharisæis, quorũ insipientia non est nobis imitanda. In primo Machabæorum dicitur quod nullius tunc erant Propheta in Israele. Sed prius tamen illud nempe festum Purim non erat propriè festum, ut dixi, & posterius istud dedicationis fuit commentum Pharisaicum.

In Iohan. cap. 10.

3 Argu-

3 Argumentum petitur à natura festorum Iudaicorum. Eorum festa anniversaria erant legis ceremonialis pars, quorum observatio alligabatur maximè templo ceremoniarum Iudaicarum theatro; oportebat singulis solennitatibus, quas Regalim vocabant, ascendere ad templum omnes mares & comparere coram Domino. *Nam menstrua festa ceu Neomeniæ in singulorum mensium capite ceu calendis celebrabantur certis sacrificiis sine tamen quiete aut cessatione ab operibus externis*, Num. 28. v. 11. Psa. 8. Ezech 46. 36. Hodie tamen, *hoc die in synagogis convenitur, preces dicunt, lunam consecrant, & quodammodo festum diem habent*, ait Buxtorfius in Abbreviaturis. Sed numerentur neomeniæ inter dies intercisos aut etiam omnino festos, erant omnes dies præter sabbatum dies ceremoniales. Sabbatum etsi ceremoniale, ex parte præcipua tamen nempe positiva determinatione Dei ante legem non erat ceremoniale. Dies alios anniversarios ceremoniales dicimus, quia anniversaria eorum revolutio observata cum solennitate festi & peculiari cultu sacrificiorum aliorumque rituum ob usum mysticum. Noluit Dominus cultum communem, quem moralem voco, ut distinguatur à mystico, pendere ab annua revolutione diei ob magnum intervallum temporis, quo interim negligeretur eius cultus; memoriales tamen & mysticos dies ad usum ceremonialem anniversarios instituit. Mortonus Episcopus Cestrensis dicit omnia Iudæorum festa fuisse naturæ ceremonialis. Festa naturæ ceremonialis damnat Apostolus Galat. 4. 9. 10. *quomodo convertitis vos retrorsum ad infirma & egena elementa quibus ad superiora regressi servire vultis? Dies observatis & menses & præstituta tempora & annos.* Vocat festa Iudæorum elementa, quia data Iudæis quasi prima religionis & pietatis rudimenta, & egena ac infirma elementa, quia etsi ante Christi adventum erat utilis illa pœdagogia, jam post adventum Christi nullius sunt usus. Dixerat ante versu 3. cum essent infantes, fuisse sub elementis mundi, id est, quibus erudiebatur mundus, vel homines in mundo. At dices damnare in Galatis Apostolum Iudaicorũ dierum observationem. Verum, & Iudaicorum dierum observationem, & Iudaicam eorundem observationẽ, sed simul quorumvis dierum Iudaicam aut quasi Iudaicam observationem. Observabant Galatæ fortè eosdẽ dies, menses, annos, quos Iudæi, forte alios. Non observabant eosdem dies quos Iudæi sacrificiorum & oblationum cultu, alioquin negassent Christum venisse in carne aut immolatum pro nobis fuisse, sed ut dies memoriales præteritorum beneficiorum, aut ut præsentia in Christo beneficia, & mysteria adumbrantes, sicut qui eundem Paschatis diem postea observarunt quem Iudæi, sed alio spiritu & diversa ratione, & verisimile est Galatas mutata tantum non sublata significatione dierum Iudaicorum, ut fecerunt veteres observasse eosdem dies, quos

Zepperus de polit. Mos. lib. 4 cap. 9.

P. 157.

Defens. Cerem. p 64.

Iudæi. Nec solum damnat Apostolus, quod existimarent se astrictos vi legis Iudaicæ, sed simpliciter, quòd observent dies, menses & annos. Et non Iudaicos tantùm ceu eosdem numero quos Iudæi, sed in genere, quòd observarent dies & menses & annos. Nam si alios dies & menses & annos observassent & non eosdem numero quos Iudæi, tamen in genere similis fuisset observatio. Nam ut festa illa anniversaria quæ instituit Dominus fuerunt elementa & rudimenta, quibus erudiebat populum suum dominus, sic si alios dies in eundem usum instituisset fuissent etiam elementa. Sic si alios homines instituant in usum similem. Observationem dierum, annorum, mensium sub lege dicit fuisse elementarem institutionem, & introductoriam illam institutionem non convenire Ecclesiæ Christianæ. Nam instruebantur per dies, in mysteriis religionis, non colebant solum Deum diebus illis, sed per dies illos ut per elementa religionis instituebantur; servamus diem dominicum, eo die Deum colimus, eo die instruitur populus, sed non per eum diem, Non erat hic finis institutionis sabbati nostri, ut infra dicemus. Non rem diei ut sacrificia oblationes, & similia vocat Apostolus hîc elementa etsi elementa etiã non modo erant egena, & mortua, sed etiã mortifera (nam sic non observabant dies Galatæ) sed dies ipsos menses & annos quos observabant eorumve observationé. Audiamus quid dicat Tilenus. Tilenus, *Neque in adulta Novi Testamenti Ecclesia tã firma & robusta sunt omnia ejus membra, ut non semper longè maxima pars ex lactentibus adhuc constans, paulatim de his mysteriis sit erudienda per partesque ac gradus indies provehenda: ne sacra doctrina ἀθρόως profusa, minimèque οἰκονομικῶς ad rudiorum captum attemperata, respuatur potius quàm adbibatur.* Sunt in Ecclesia novi testamenti lactentes, & ut Christus dixit Petro, agni, qui pascendi sunt lacte. Sed quodnam istud lac sincerum docet Apostolus Heb. 6 principia & elementa doctrinæ catecheticæ, non tamen sequitur per elementa dierum instruendos lactentes, & œconomiam legis cum novi testamenti œconomia confundendam. Apostolus dicit veteres sub lege etiam instructissimos, fuisse ut infantes sub tutoribus & curatoribus, jam vero omnes Christianos etiam lactentes liberatos esse ab illa pædagogia, & expirasse administrationem tutorum. Comparat statum cum statu, corpus Ecclesiæ novi Testamenti cum corpore Ecclesiæ veteris Testamenti, & hac ratione minimus in regno cœlorum, id est sub Evangelio est majorennis, cum contra illic maximi erant minorennes. *Tota denique legis Oeconomia, veluti rudis quædam erat disciplina, rudibus conveniens, quum nondum pleno cornu effusus esset spiritus sanctus, si corpus ipsum Ecclesiæ spectes,* ait Beza. Aliud est instruere catechetice per doctrinam & principia religionis, aliud per dierum, annorum, mensium observationé, & Ecclesiam Christianam redu-

Parax. c. 16.

in Gal. 4 3.

cere ad alphabetum Iudaicum. Tilenus, *Sed hoc quoque liquet dies festos aliter olim à Iudæis ac post à Papanis fuisse celebratos, aliter hodiè celebrari ab Anglis. Libera sunt apud hos, & per leges licita non pauca, quæ apud pontificios piacula: apud Iudæos etiam capitalia erant. Non igitur servile est hoc jugum onusque* δυσβάστακτον, *quale fuit olim sub cultu Levitico, præterea numerus longè minor quàm apud utrosque.* Numerus non minor quàm apud Iudæos, ut patet ex collatione festorum Iudaicorum cum Anglicanis. Nam cum *sunt duplicis generis festa. Nonnulla vocantur &* Chori *&* Fori, *quibus toti vel saltem* *Gretserus de Festis pag. 1.* *antemeridiano tempore ab omni opere externo servili cessatur. Alia sunt solius* Chori; *quæ in templo duntaxat divinis officiis celebrantur*, Angli habent plura festa *Chori* & *Fori* anniversaria, quàm Iudæi sabbata anniversaria, nec multo minor numerus generalium festorum sub præcepto quàm apud Pontificios. Iugum gravius Iudæorum, non efficit ne nullum sit jugum impositum Christianis. Rigidior fuit observatio ipsius sabbati hebdomadarii apud Iudæos, quàm aliorum sabbatorum & tamen aliorum sabbatorum observatio erat jugum. Iugum erat, siue res laboriosa & molesta ascendere ter quotannis hierololyma. Sed de jugo isto non loquitur Apostolus. Nam non ascendebant Galatæ aut Colossenses Hierosolyma ad observandum dies menses & annos. Sed de observatione loquitur, qua dies illos cessatione ab opere & exercitiis Christianæ religionis coluerunt. Nec minor est libertas apud Pontificios quàm apud Anglos. Nam modo cessent ab opere servili, & audiant unam missam nihil aliud urgent Pontificii. Hoc idem faciunt Angli. Non est liberum illis operari die festo, quandò est & festum chori & fori, ut testantur carceres in quos conjecti plerique sunt; plerique *Pag. 72.* *pauperiores ob opus servile summa urgente necessitate brevi spatio peractum citati ad Curias, & coacti mulctam graviorem pendere*, ut refert defensor petitionis, ac si piaculum esset prophanare diem opere servili. Non magis libera igitur observatio externa apud Anglos quàm apud Pontificios. Dicunt irrogari pœnam propter contemptum legis vel Canonis, non obligari conscientiam, & proinde majorem esse libertatem interiorem. Respondeo, verum non obligari conscientiam, nec posse obligari nisi volentem & consentientem. Nam solus Deus major est conscientia. Sed ut privatus diem dedicans obligat se, & conscientiam suam ad observandum diem quem dedicavit, & ne prophanet ullo opere servili, alioquin frustra dedicaret & cum Deo luderet, sic qui publica authoritate diem dedicant, obligant se & conscientias suas ad diem illum observandum, & curandum, ne prophanetur operibus servilibus, alioquin frustra etiam dedicarent ad usum sanctum, & Deo illuderent. Cum igitur intentio legis vel Canonis sit sanctificatio & observatio temporis dedicati publica authoritate, præsumitur privatus

tus

tus quisque in observatione idem intendere quod legislatores & conditores Canonis, & ita interpretantur ac interpretari necesse est legislatores ejus observationem, etsi re ipsa fortè aliud sentiat privatus, & metu tantùm mulctæ manus cohibeat. Irrogatur pœna non solum ob contemptum, quia non vult privatus agnoscere talē legem vel Canonem (nam in casu contemptus carcere castigantur) sed etiam ob simplicem transgressionem, ut dixi, quando qui prophanavit paratus est subjicere se constitutioni, irrogant etiam tenuioribus è plebe mulctam. Et quid si in contemptores solummodo animadverterent, nonne puniuntur, quia nolunt agnoscere diem dedicatum esse sanctificandum, non prophanandum, aut ullo opere servili polluendum. Violat quis diem dominicum ex infirmitate, alius ex contemptu. Infligatur huic pœna carceris illi irrogetur mulcta, & quare? Nonne quia sentiunt tempus illud sacrum & à Christo ipso & Apostolis dicatum Deo non polluendum opere servili. Sic in die quem homines dedicant, jus naturæ dictat non prophanandum ullo opere servili & puniendum utrumque & transgressorem simplicem, & contemptorem. Nam obligatio conscientiæ oritur ex re ipsa, etsi differentia sit inter authoritatem Dei instituentis & hominum instituentium aut dedicantium; justa quidem obligatio ex Dei instituentis authoritate, quia ille solus habet potestatem dedicandi ut supra diximus, erronea ex hominum dedicantium authoritate, cum tamen authoritatem eam non habent, sed fingunt, vel temere eam sibi vendicant. Præterea privatus non modo interpretativè dicendus est observare diem secundum intentionem legis, sed etiam, ubi nullius mulctæ metus, conscientia se obligari sentiunt plerique ad observandum dies istos, & revera sanctos existimant & non prophanandos, imo vix minis & censuris ad opera sua mechanica & agriculturæ adigi possunt die festo nativitatis Christi &c. Quid igitur sentient, si publica authoritate dedicatos viderint, vel ut olim dedicatos & sanctificatos approbari & agnosci, & transgressores castigari? Nonne inducentur alii ut sentiant se obligari in conscientia ad observandos dies festos. In Anglia ubi æquè rigidè animadvertitur in prophanationem dierum festorum ac diei dominicæ aut severius, quot sunt qui sentiunt se obligari in conscientia, & quibus sublata omni pœnæ formidine, tamen non persuadebis ut operentur die festo. Absurdissimum mihi videtur etiam quod in aliis Ecclesiis reformatis tam rigidi sunt in diebus festis à prophanatione per opera servilia vindicandis, cum diem dominicum, quem dedicarunt & sanctificarunt Christus & Apostoli, impunè prophanari permittāt, & quòd magis libera sit hujus quàm illorum observatio. Et libertas in observandis diebus festis magis in verbis quàm in re cōsistit, ut merito objicit Gretserus. Hoc solenne in omnibus constitutionibus P. 94.

 huma-

humanis, quod divinis eas vel æquarint vel prætulerint homines quia sua commenta & ingenii sui fœtus sunt. Sed redeamus. Dico Apostolum damnare Iudaicam dierum observationem. Iudaicam voco, non ratione sacrificiorum & oblationum (nam sic non observabant Galatæ aut Colossenses, ut dixi) sic enim non tam Iudaizasse, quàm reipsa Iudæi fuisse dicendi fuissent, sed quòd cultu Christianæ religionis externo, eodem modo celebrarent quo Iudæi Iudaico. Nam ut illi dies festos suos celebrarunt cum proprio & peculiari cultu, cessatione ab operibus servilibus, & festivitate procul facessentes omnia mœroris, luctus, & jejunii signa, sic qui observant inter Christianos, dies festos, celebrant cum cultu proprio & officio diei, cessatione ab omni opere servili, & festivitate & jejunia iis diebus convenire non existimant. Præterea non solùm in modo celebrandi, sed etiam in fine imitantur Iudæos observando dies ut festa memorialia beneficiorum spiritualium, vel in significationem futurorum. Quod ad modum, respondent, Iudæos habuisse quædam festis suis essentialia, quæ nostri non habent in suis festis. Nostra festa possunt quotidie observari quoad essentialia festi. Nam potest Christianus *quotidie habere pascha & diem Pentecostē, & dominicū, si nimirum quotidie audiat sacrum, communicet corpori Domini, recogitet divina mysteria, & omissis operibus servilibus totus Deo vacet. Imò talis esse debet vita Clericorum & religiosorum, propter quos omnes dies dicuntur feriæ. Hoc autem Iudæi habere non possunt. Non enim eis licet quotidie immolare agnum Paschalem.* Sic Bellarminus, & qui inter adversarios ab eo similem responsionem mutuati sunt. Sed sciant primùm, non per omnia similia esse Iudæorum & Christianorum festa, deinde essentialia festi potuisse haberi quovis die nempe recogitando divina mysteria, & cessando ab operibus servilibus, etiam inter Iudæos. Nam non erat prohibitum recolere aliis diebus memoriam transitus Angeli cum percuteret omnes primogenitos Ægyptiorum &c sed solennitas illius commemorationis erat adstricta diei, & destinatus ei peculiaris cultus nempe immolatio agni paschalis, & sic de festo tabernaculorum aliisque festis. Ita apud Christianos, licet quovis die liceat recolere beneficia nobis parta per Christum, & mysteria redemptionis, tamen solennis commemoratio, & præscriptum officium propriis collectis, epistolis, Evangeliis, lectionibus, concionibus, aliisque ritibus consistens, alligatur certo diei quotannis recurrenti ut apud Iudæos. Sacrificia eadem erant quæ diebus festis & aliis offerebantur & immolabantur, nam boves, agnos, hædos, immolabant etiam extra dies festos, sed hoc numero & his ritibus seu præscripto modo non ita. Sic etiamsi quoad substantiam eadem commemorantur aliis diebus extra festa, tamen hoc modo præscripto, collectarum, Evangeliorum, epistolarum, lectio-

De cultu sanct. ca. 10.

lectionum & feria festivali non commemorantur extra dies suos festos. Objicienti Hospiniano Hieronymi judicio Christianum posse quolibet die sibi condere & celebrare pascha, respondet Gretserus posse, sed *privata devotione ac pietate, non solenni illa, ac publica, quæ diebus ad hoc propriè institutis in cœtu fidelium visitur.* Sic adversariis extra Deos festos præscriptos celebrare cum solennitate commemorationem resurrectionis Christi media hyeme, aut Nativitatis circa finem Septembris, etiamsi certius sit tunc natum fuisse Christum, absurdum & ridiculum videretur, aut ter in anno etiam diebus dominicis, etsi per se sunt dies cessationis, eandem commemorationem solennem cum officio proprio celebrare. In modo igitur convenit inter Iudæos & festorum observatores, quid si etiam in fine nempe generali ratione religionis, ut ad celebrandum memoriam beneficiorum, vel in significationem futurorum, futurorum inquam, non respectu Christi venturi, nam sic non Christiani sed Iudæi essent, sed respectu eorum quæ adhuc implenda restant, ut dies dominicus non solum est memoria resurrectionis, sed etiam vitam beatam præfigurat, inquit Augustinus l.22 de civitate Dei cap.30 Augustinus epist. 119, *ostendit hoc interesse inter diē Natalis & diem resurrectionis quod ille celebratur solùm ob memoriam, & ideo semper ipsa 25 die Decembris, at iste celebratur & ob memoriam & sacramentum & ideo variatur.* Ob sacramentum id est sacram significationem, nempe vitæ beatæ post resurrectionem. Sed diem dominicum institutum ob sacramentum aut significationem vitæ beatæ negamus, & proinde non esse festum resurrectionis ceu pascha ob sacramentum instituendum dicimus. Nam licet Heb 4 distinguntur tres sabbatismi, sabbatismus & requies diei veteris sabbati, requies in terra Canaan, requies & sabbatismus Christi & piorū in cœlis, tamen non dicitur requiem die dominico aut sabbatismum Christianum præfigurasse requiem nostrā in cœlis, sed duas illas præteriisse, & tertiam in cœlis restare in quam non sunt ingressuri increduli. Potest quidem aliquis cogitando de requie diei dominicæ arripere occasionem meditandi de requie tum spirituali à peccato, tum cælesti, quæ adhuc futura est, sed non est propterea typus destinatus à Deo, & ad hanc significationem institutus, ut bene observat Willetus, sed tantum factus ceu fictus à meditante, qui à qualibet re de spiritualibus & cœlestibus piarum meditationum materiam sibi subministrat. Non est igitur dies dominicus dies mysticus ob significationem rei præsentis aut futuræ, & proinde non erat solennis ille dies Dominicus, nempe paschalis ob sacramentum instituendus. Quod igitur in hunc finem observatur sive dies dominicus sive dominica paschalis est Iudaica observatio. de symbol. ritib. vide cap. 9 thes. 3. Sed dies festi Iudæorū obfervabantur etiā in memoriā preteritorum beneficiorū, &

De festis lib 1 pag. 81.

Bellar. de cult. sanct. ca. 10 & 11

Synop. contr. 9 qu. 8.

& hac etiam ratione abrogati sunt. Nam nullatenus dies illos observare Iudæis conversis licebat post plenè promulgatum Evangelium, etsi in initio ob quorundam infirmitatem illud, ut plura alia toleratum sit. At dies dominicus, inquiunt, institutus est in memoriam resurrectionis Christi. Respondeo primum, negando in hunc finem particulariter institutum fuisse diem Dominicum. Ex nullo scripturæ loco id colligi potest, nec ab ipsa diei nomenclatura. Non enim necesse est, vt dicatur dies dominicus, quia eo die dominus resurrexit, aut in memoriam resurrectionis domini. Fluctuat Augustinus inter duas interpretationes, cum ait, *Dominicus hic dies idcirco dicitur, quia eo die Dominus resurrexit, vel vt ipso nomine doceret illum Domino consecratum esse debere.* Fatetur posteriori sensu posse fieri, diem illum dictum fuisse diem Dominicum. Et priori sensu cur magis diceretur dominicus, quia eo die resurrexit, quàm dies passionis, quia eo die passus est. Aliam igitur rationem nomenclaturæ dari oportet. Rhenanus in Tertullianum de Corona militis observat magis familiare fuisse Christianis in primitiva ecclesia *Domini* quàm *Christi* nomen, cum de Christo loquerentur. Inde sacra cœna dicta cœna dominica, κύριον κυριακόν, & oratio Dominica: Idem igitur est dicere diem Domini, & diem Christi, ac si sensus esset, Christum vel Dominum hunc diem instituisse, sicut oratio Dominica sic appellatur, quia eam dictavit Christus, aut cœna Dominica, quia Christus vel Dominus eam instituit, & dies 14 Purim ἡμέρα Μαρδοχαϊκή, vel dicitur dies Dominicus, quia propter Dominum vel Christum eiusque cultum præpipuè institutus fuit, sicut & cœna dominica, quia in commemorationem passionis & mortis Christi instituta est. Vnde Athanasius ait, *In sabbatho convenimus, vt Dominum Sabbati Iesum adoremus.* Dicitur igitur dies Dominicus, vel Domini ceu Christi dies, quia eo die Christus colitur & in Christo gloriosa Trinitas, non commemorando solùm Christi resurrectionem, sed etiam mortem, passionem, incarnationem, aliaque ejus beneficia, & omninò Deum in Christo colendo tum publicè tum privatim. Tilenus prætẽrita hac responsione aliam, quam obiter tantum attulit author Parasynagmatis, oppugnat, nempe Christi resurrectionem alia Christi acta salutaria comprehendere & redemptionis opus absolutum declarasse, analogicèque respondere beneficio creationis & quasi novæ creationis initium fuisse, & proinde non parem aut eandem esse rationem nativitatis, circumcisionis, & passionis, quæ resurrectionis. *Est autem frigida,* inquit Tilenus, *ac diluta vestrorum Magistrorum ratiuncula, cum argutantur diem Dominicum resurrectionis Christi memoriæ dicatum, cum primigeniæ creationi respondeat ἀναλόγως; omnia redemptionis beneficia complecti. Nam neque veteris creationis beneficium, cuius memoria singulis sabbathis celebrabatur*

In verb. Apost. serm. 15

Homil. de semente.

Paræneſ. cap. 16.

tur, aliorum festorum aut beneficiorum celebrationem exclusit olim : neque in adulta Novi testamenti ecclesia, tam firma & robusta sunt omnia eius membra, vt non semper longè maxima pars ex lactentibus adhuc constans, &c. ut supra. Hæc ratio allata fuit tantùm contra consequentiam, dato non concesso antecedente, nempe institutum fuisse in memoriam resurrectionis, & non sequi, probatum primo ab authoritate Christi & Apostolorum Christus aut Apostoli eum diem instituerunt in memoriam resurrectionis. Ergo homines ordinaria potestate possunt alios dies instituere in memoriam Nativitatis, passionis, circumcisionis, &c. Non sequitur ab extraordinaria potestate ad ordinariam. Præterit etiam hanc responsionem Tilenus. Præterea non diluit dilutam ratiunculam, quam oppugnandam suscepit. Nam beneficium creationis dicit non exclusisse aliorum festorum celebrationem, ergo nec resurrectionis beneficium aliorum aliis diebus festis celebrationem debere excludere. Vno tantum respectu contulit autor ille beneficium creationis & resurrectionis, quod iam cœperat nova creatio, sed præterea dixit cõprehendere alia Christi acta & beneficia, quod non facit beneficium creationis. Imperatores post partam victoriam celebrant triumphum. Dies resurrectionis erat dies partæ victoriæ, dies nativitatis, circumcisionis, passionis, erant dies humiliationis & prælii. Resurrectio præsupponit nativitatem & mortem, non autem hæ illam. Descripturus Petrus Apostolatus munus, ait, Act. 1. 22. *Oportet ex ijs, &c. vnum fieri nobiscum testem resurrectionis ejus*, cum tamen testis erat futurus omnium, quæ fecerat & docuerat Iesus. Testes igitur resurrectionis dicti Apostoli, non quia de sola resurrectione testati, sed quia resurrectio est præcipuus articulus Evangelii, quod promulgaturi erant, & implicitè ac virtute Nativitatem, passionem, & mortem complectitur. Sed redeamus ad antecedens argumenti. Negamus in memoriam resurrectionis Christi institutum diem dominicum, quia si in memoriam resurrectionis Christi institutus fuisset, sequeretur die dominico concionandum de resurrectione, & collectas proprias de resurrectione, lectiones, Evangelia, epistolas, cantica & psalmos recitanda & decantanda singulis diebus dominicis, sicut die nativitatis de nativitate, & passionis de passione, &c. Præterit & istam ratiunculam Tilenus, forte quia sensit non tam frigidam & dilutam, quàm illam quam modò tractavimus. Sed dicent Sabbatũ institutũ in memoriã creationis, non tamẽ peculiarẽ fuisse creationẽ materiam, & proprium, ac vnicum subjectum officii divini, meditationum ceu concionum. Hoc etiam datum priùs & non concessum negamus, nempe Sabbatum in initio institutum in memoriam creationis. Non ignoro esse tritam opinionem, sed probationem desidero. In quarto præcepto decalogi ratio cessationis & sanctificationis petitur ab exemplo

emplo Dei. Cessavit Deus formaliter ab opere creationis, & suo exemplo vult nos cessare, sanctificavit etiam formaliter sabbatum, docendo Adamum, ut supra dixit Paræus. Cessavit & sanctificavit formaliter & exemplariter, & sanctificavit efficienter, id est instituit sanctificandum, & quia multùm movemur exemplis proponit exemplum suum. In deserto etiam non pluit eo die Manna è cœlo. Referunt etiam fuisse fluvium quendam in Iudæa qui sabbato intermittebat cursum suum, cui nomen *Sabbatien*, de quo vide Drusium in observation. l. 2. c. 10. Causam vero finalem institutionis unicam vel præcipuam fuisse memoriam creationis non dicitur homines sanctificatũ, sed ut eo die vacarêt cultui divino; Potuisse eo die recolere memoriã creationis non negatur, & diẽ illum potuisse revocare in memoriam opus creationis, sed in hunc unicum finem peculiariter destinatum nego. Sic Christus die resurrectionis ingressus est in requiem suam ab operibus suis, quibus se exercuit in statu humilitatis, quemadmodum olim Deus in creatione quievit ab operibus creationis ubi perfecta fuerunt, *Nam qui ingressus est in requiem ipsius requievit & ipse ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus*, Heb. 4. 11. (sic explicat hunc locum Iunius in Parallelis) & præsentia sua in conventibus discipulorum post resurrectionem eum diem sanctificavit. Sic utroque modo, & cessando ab operibus suis & formaliter sanctificando, exemplum præbuit, quo doceret quomodo sanctificandus dies ille, quem etiam efficienter sanctificavit, id est à nobis sanctificandum instituit, quod verò in memoriam resurrectionis instituerit, nihil dicitur. Quod si ad vulgatam opinionem de institutione sabbati in memoriam creationis accederem, de die Dominico in memoriam resurrectionis instituto tamen ne γρῦ quidem habemus. Diximus suprà pluribus prærogativis nobilitatum hunc diem, non tamen in earum commemorationem particulariter institutus fuit. *Est autem advertendum*, inquit Suarez, *licet ad hanc determinationem talis diei faciendam hæ omnes prærogativæ considerari potuerint, nihilominus per se ac directè non referri, vel institui hunc diem ad peculiarem commemorationem illorũ operum Dei, sed ad Deum ipsum propter Deũ ipsum ceu propter se colendum & propter suam excellentiam & maiestatem. Nam, ut sæpe diximus, naturalis ratio hoc modo principaliter dictat divinum cultum, & quoniam sola ratio certum tempus ad hunc cultum non determinat, per positivam legem fieri determinationem oportuit, & ita in lege veteri facta est in die sabbathi, cui Dominica dies successit. Ergo solennitas & requies ab operibus terrenis, quæ in hoc die indicitur ad ipsam divinitatem colendam ordinatur, etiamsi ad hanc determinationem pro tali die faciendam circumstantiæ illius diei, & opera, quæ in eo Deus fecit, fuerunt considerata.* Et confirmat specialiter dicatum Trinitati non ad peculiarem commemorationem operum dici, hoc argumento.

De relig. tom. 1. l. 2. c. 4

Grave:

Graves auctores referunt, olim præfationem Trinitatis in omnibus dominicis fuisse decantatam, quia Dominici dies sanctissimæ Trinitati dicati erant. Ita Micrologus de eccles. observat. c. 60. Et sumi potest ex cap. Invenimus. de consec. dist. 1 Vbi Pelagius 2. inter præfationes, quas longa retro vetustas in Romana ecclesia servavit, ponit præfationem sanctissimæ Trinitatis, cum tamen ecclesia Romana speciale festum Trinitatis non servaret, vt dicit Alexand. 3. in cap. 2. de fer. Ergo verisimile est præfationem illam dictam fuisse in diebus Dominicis, vt Micrologus dicit. Item in eisdem diebus in ordinario tempore non impedito, consuevit dici in matutino octavum responsorium de Trinitate. Et in eisdem Dominicis maximè observari præcipitur, ut symbolum fidei, quo Trinitatem profitemur, in Missa dici non omittatur. Sic ergo dicimus diem Dominicum in Dei ac Trinitatis cultum esse singulariter ordinatum. Festum Trinitatis recentiùs esse fatetur Bellarminus, præsertim in Romana ecclesia, etsi antè inceperat in particularibus provinciis & ecclesiis. Non erat ulla dominica particulariter dicta Dominica Trinitatis, sed omnes dominicæ erant dominicæ Trinitatis, id est, dicatæ ad colendum deum trinum & unum, quod quid aliud est, quàm quod supra diximus, ad colendum Christum Dominum nostrum, vel in Christo Deum trinum & unum; nam absque mediatore Christo nullus Deo gratus cultus. Etsi in symbolo vel profatione fiebat olim in Ecclesia commemoratio Trinitatis, tamen, toto officio, & concionibus diebus dominicis habitis non unicum Trinitatis mysterium celebrabatur, sed omnia religionis mysteria promiscuè recolebantur, in cultum vero Trinitatis ceu Dei Trini & unius ceu Christi in quo Deus colitur, referebantur. Et præfationes & responsiora in quibus fiebant commemorationes Trinitatis in veteri Ecclesia non erant introducta nisi post introductam liturgiam præscriptam. In festo Trinitatis, quod dixi recentius, expressè commemoratio & explicatio fit mysterii Trinitatis in toto officio & concionibus. Cum antea dominicæ omnes dicatæ essent non ad recolendum particulariter mysterium Trinitatis, sed ad colendam Trinitatem in Christo, festum hoc excogitatum ad recolendum particulariter mysterium Trinitatis, quod Alex. 3 irridet, cujus verba vide supra pag. 661 Objicienti Tilmanno Heshusio Nicephorum referre l. 17 c. 31 diem festum dicatum fuisse Iustiniano Imperatori respondet Bellarminus, *Nicephorum non dicere institutum fuisse diem festum Iustiniano, sed solùm quotannis Episcopum quendam Constantinopolitanum solitum celebrare ejus memoriam. Id quod non cogit intelligere de aliquo die festo, sed solum de laudatione Iustiniani quam ille Episcopus admiscebat concioni suæ, propterea quod Iustinianus multa pia opera & Ecclesiæ vtilissima fecisset. Addo præterea, quidquid illud fuerit, sive festus dies sive simplex laudatio, fuisse vnius privati Episcopi factum, quod non immeritò reprehendi posset* *De cultu sanct. ca. 16.*

Præsertim cum ejus successores mox omiserint ejusmodi celebritatem. Vides simplicem commemorationem non constituere diem festum. Commemoratio igitur Trinitatis in symbolo, præfatione, aut responsorio non constituit diem dominicum festum Trinitatis; & ante has præfationes, responsoria, & symbolum, dies dominicus observabatur, & diem dominicum posse adhuc observari nulla expressa Trinitatis mentione non negabunt, puto, adversarii, cum tamen Trinitati ceu Deo trino & uni dicatus sit, quia in ejus cultum insumitur. Suarez eodem capite ait; *Quoniam in ipsius Dei cultum, ut Deus est præcipuè videtur in lege gratiæ Dominica dies ab Ecclesiæ exordio instituta, & tanquam præcipua festivitas observari præcepta, cum postea temporis decursu speciale festum Trinitatis adjunctum est &c.* Sic de sabbato veteri dicendum non directè & per se institutum ad peculiarem commemorationem creationis, ut etiam de die sabbati asserit Suarez, sed ad Deum colendum, *etiamsi ad determinationem pro tali die faciendam circumstantiæ illius diei & opera quæ in eo Deus fecit, fuerunt considerata.* Et si largiremur, quod ait Tilenus, memoriam beneficii creationis celebratam singulis sabbatis, quod nunquam probabit, tamen si non alio modo quàm per commemorationem creationis in aliqua parte Officii, non sequeretur fuisse festum Creationis, magis quàm diem dominicum festum Trinitatis, sed utrumque dedicatum Deo generaliter non modo peculiari, illud ut Creatori in prima institutione, istud ut redemptori. Nam festum memoriale non habet nudam & simplicem commemorationem alicujus beneficii vel mysterii in parte aliqua liturgiæ, sed in omnibus liturgiæ partibus, collectis, lectionibus concionibus ejus memoria recolitur, & in hunc finem feria festivalis instituitur. Pascha est propriè festum memoriale resurrectionis, quia resurrectio est præcipua materia, cujus memoria eo die celebratur in concionibus, collectis, epistolis, Evangeliis, & dominica paschalis directè, per se, particulariter ad hanc peculiarem commemorationem recolendam, & cum festivitate celebrandam more Iudaico instituitur, quod singulis diebus dominicis non fit, nec fieri potest. Non sunt igitur dies dominici festa resurrectionis. Nam iis & jejunare licet & alia mysteria religionis & beneficia recolere. Denique, etsi daretur sabbatum in memoriam creationis, diem dominicum in memoriam resurrectionis aliis septimanæ diebus prælatos, cum determinare volebat dominus quis dies inter septem totius systematis dicandus esset cultui divino, tamen nisi directè & per se instituta fuerint ad eorum commemorationem, explicationem, celebrationem non possent dici festa memorialia creationis, & resurrectionis, & proinde nihil juvarent festa memoralia paschatis, Pentecostes, Nativitatis &c. dies dominicus igitur est dies Domini ceu Christi institutus non ad refricandam

dam memoriam resurrectionis Christi duntaxat, sed etiam passionis Nativitatis, Circumcisionis, Mortis, omnium beneficiorum, & ad Dei cultum, ceu generaliter ad Deum in Christo colendum omnibus modis, quibus ipse cultum suum nobis præscripsit & imperavit, & proinde est dies moraliter in cultu divino celebrandus, & non mysticè per modum festi memorialis. Alexander 3 existimabat festum Trinitatis imprudenter institutum, & superfluum, cum singulis diebus dominicis haberetur in aliqua parte officii divini commemoratio Trinitatis, at hæc ratio militabit etiam contra festum nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, quia singulis vel plerisque diebus dominicis fit commemoratio eorum beneficiorum & mysteriorum, vel in precibus, vel in concionibus vel in symbolo, vel in sacramentis ministrandis in privatis etiam piorum exercitiis. Sed, inquit Tilenus. *Nativitatis, Circumcisionis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & aliis quibusdam diebus anniversariis, præcipuorum redemptionis per Christum nobis partæ, beneficiorum memoriam recolendam iudicavit Ecclesia Anglicana, idque non suo tantùm sed totius antiquitatis judicio freta, evidentissimaque insuper ratione mota; ut videlicet plebi excusso, quo ea plerunque torpet, veterno, beneficiorum illorum sensus, ipsaque adeo historia, efficacius inculcaretur, altiusque infigeretur. Quotidie istud esse faciendum oggerunt vestri. Ità est planè. Interim tamen fidi pastoris est, cogitare, non modo quid fieri debeat, verum etiam quid fieri possit, quid humani ingenii præsertim in rudi plebecula capiat feratque imbecillitas. Est præterea rerum à Christo in terris* [illegible] *gestarum tanta magnitudo ac dignitas, ut omnia simul & semel, uno eodemque die vel conventu, tradi & explicari non possunt. Sunt quidem illa in Apostolorum, quod vocant, symbolo comprehensa, & in compendium missa, quotidieque tam à pastoribus publicè, quàm à pueris privatim recitantur: at non modo veteres, sed vos quoque nobiscum catecheticas institutiones non modo utiliter, sed necessariò quoque cum symbolo illo conjungi judicastis, eo quod neglectis illis exercitamentis ac fundamentis nullus vel perexiguus ex concionibus capiatur fructus. Num igitur integrum Calvini Catechismum quotidie totum apud plebem exponitis. Si in capita vel segmenta tributum aptius & utilius tradi existimetis: nolite deinceps nobis gregi nostrò singulari cura & studio meditanda proponentibus importunè obstrepere.* Non dicimus quotidie simul & semel omnes res à Christo gestas tradi & explicari debere vel posse, sed eorum beneficiorum quorum memoria recolitur diebus festis, commemorationem fieri singulis diebus dominicis in officio divino, & proinde non magis opus festo Nativitatis, Passionis aut Resurrectionis, quàm Alexander 3 sensit opus fuisse festo Trinitatis. Dicimus præterea Catechismum vel totius theologiæ systema in capita & segmenta distribui & ordine diebus dominicis aliisque tractari posse, adde etiam si

Paræneſ. cap. 16.

vis designatis diebus, sed aliud est ordine diebus dominicis explicare capita catechismi vel articulos religionis, aut designatis etiam diebus hunc vel illum articulum, quod tamen nullibi fit, aliud dedicare diem dominicum in memoriam alicujus beneficii, redemptionis, aut mysterii, & diem illum solenniùs celebrare, quàm alios dies dominicos, aut diem alium profestum in hunc finem sanctificare, & ut festivum celebrare. Catecheticè instituendi rudiores & lactentes, ut supra dictum, quod faciunt nostri diligentius quàm festorum observatores, qui nihil minùs quàm catecheticam institutionem curant, sed non more judaico per festa memoralia, quæ erant elementa & rudimenta convenientia statui veteris populi. Si tantum institutio rudiorum in Catechesi spectaretur, cur non celebrant diem festum pro singulis articulis symboli, ut remissione peccatorum, spe resurrectionis & vitæ æternæ, pro singulis præceptis decalogi, pro singulis orationis dominicæ petitionibus, pro fide & resipiscentia ab operibus mortuis &c. Nugatur itaq; cum nihil aliud, quàm catecheticam institutionem rudiorum diebus illis imperari dicat. Nam cum institutio per memorialia festa, quod judaicum, obtruditur, non tam institutio rudiorum (nam etiam exercitatioribus obtruduntur) quàm festorum memorialium observatio in honorem mysteriorum imperatur. Institui potest rude vulgus absque festorum observatione, & beneficium istud comparari absque incommodis & periculis plerisque, quæ occurrunt in dierum festorum observatione. Nihil est igitur quod vulgò decantatur, refricandam esse memoriam beneficiorum redemptionis, ne tradantur oblivioni. Quàm solliciti sunt de memoria beneficiorum Christi, qui Ecclesiam tamen Christi sponsam opprimunt, fidos pastores percutiunt, & greges dissipant. Recolenda est memoria non modò eorum mysteriorum, quorum illi memoriam celebrant diebus festis, verum etiam omnium, sed non per festa memorialia. Quoties prædicatur Evangelium, ministrantur sacramenta, legimus sacram scripturam, oramus, meditamur, recolimus mysteria religionis, & beneficia nobis per Christũ parta. Nulla alia signa aut instrumenta memorialia mysteriorum religionis dedit nobis dominus, quàm verbum & sacramenta. Quoties ministratur baptismus, repræsentatur nobis resurrectio & mors Christi, quo die sacra cœna eo die passio Domini annunciatur, & Apostolus ait in Evangelio crucifixum fuisse Christum coram Galatis. Cum concluderent Rhemistæ non diligi Mariam à Protestantibus, quia non celebrant festum Assumptionis, Quasi verò, respondet Fulco, ac si adstricti essemus ad dilectionem exprimendam observando diem festivum, vel non essent alia media conservandi memoriam ejus, quàm per dies sanctos. Et cum ex verbis Mariæ Luc. 1 48. *Ecce ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes ætates* colligerent aliis festis

Mariæ

Mariæ addendum etiam illud Aſſumptionis, reſpondet, ſi non aliud medium beatam prædicandi Mariam, quàm celebrando feſtum aliquod novum Dominæ noſtræ, ut loquuntur, *tum fruſtrata erat effectu & eventu prophetia ejus per multas annorum centurias, Nam ait ἀπὸ τοῦ νῦν ab hoc tempore beatam me prædicabunt*, cum non niſi poſt multas annorum centurias inſtituta fuerint feſta Mariæ aut Magdalenæ, & tamen ubicunque prędicatum Evangelium, & ſtatim ac cœpit prædicari, conſervabatur memoria fœlicitatis Mariæ, & illius quod feceret Magdalena, Mat. 26 12. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo etiam quòd hæc fecit dicetur ad memoriam ipſius, dixit Chriſtus Math.* 26 13. Videmus quomodo rerum geſtarũ à Chriſto memoria conſervanda ſit. Non modo ſpiritus ſancti amanuenſes literis conſignarunt ea quæ fecit & docuit Chriſtus, ſed etiam per orbem terrarum viva voce promulgarunt. Hic prætextus recolendi memoriam myſteriorum redemptionis aut beneficiorum Chriſti aditum patefecit ſuperſtioni & idolatriæ. Hinc crucis imago & ſignum, aliæque imagines. Iudæorum populo qui erat ſub legis pædagogia tradidit Deus ſigna & typos ad erudiendum intellectum, inſtrumenta muſica ad affectus cõmovendos, & alia ad memoriam juvandam. Sed nos non literalẽ per ſigna externa, ſed ſpiritualem legis memoriam in mente retinere debemus ait Hieronymus ad Celanthiam. Bilſonus in libro de obedientia pa. 349 objicientibus omnia media eſſe bona, quæ de memoria mortis Chriſti nos commonefaciunt, reſpondet, niſi ſint ſuperflua & periculoſa; duo nobis commendavit dominus, verbum & myſteria ſacra in quibus ſuperflui, aut periculi nihil eſt. Valeant igitur feſta memorialia, & omnes dies myſtici, ſive ſint myſtici reſpectu memoriæ, ſive ſignificationis rei præſentis aut futuræ, & retineamus diem dominicum ad uſum non myſticum, id eſt, vel ut feſtum memoriale reſurrectionis, vel præfigurativum vitæ beatæ, ſed ad uſum moralem id eſt ad colendum Deum quovis cultu ab ipſo imperato, prout feret occaſio, aut ordo & politia cujuſque Eccleſiæ. Rectè Willetus in Synopſi, *Non iam amplius habemus*, inquit, *ſabbatum ut myſticum*, *ſed ut morale*. At inquiunt, pro inſigni liberatione ab aliquo inſigni malo temporali recolimus memoriam quotannis, ut 5 Novembris pro liberatione à conjuratione pulveraria. Reſpondeo non celebratur memoria beneficii eo die cum ceſſatione ab omni opere ſervili; Secundò ſigna lætitiam eo die indicantia, ut pyræ accenſæ, indicant diem potius politicum eſſe quàm Eccleſiæ proprium. *Ignis accendi ſolet*, inquit Bellarminus, *ad lætitiam ſignificandam etiam in rebus prophanis.* Notæ ſunt αἱ πυρσαί, inquit Scaliger, *quæ vigilia & die natalis Iohannis hodie accenduntur veſtigia priſcæ gentilitatis. Mei Aquitani latino verbo* De reliquiis cap. 4.

De emendat. tempor. li. 7. p. 713.

nonihil detorto Fagas, id est, faces sive lampadas vocant, vt etiam vocabantur tempore Chrysostomi, Eæ hodieque in Africa à Mahammedanis eodem tempore accenduntur, eumque morem à Christianis relictum testis Iohan. Leo in sua Africa. Sed ejusmodi πυρκαιας *vetat Canon* 65 *in Trullo.* Vbi in scholis Balsamonis habemus in *Neomeniis ante suas officinas & ædes solitos incendere rogos & supra eos salire, existimantes ea quæ prius illis obtigissent mala comburi, foreque, vt in alia bona inciderent.* Pyræ aut faces accensæ non sunt signa lætitiæ Ecclesiastica & sacra sed civilia. Willetus comparat hunc diem cum die Purim; dispar est authoritas instituendi dies illos quæ tunc urgebat in Ecclesia, & quæ jam solùm ordinaria est, & de perpetuitate illius consuetudinis supra dictum, ubi nihil aliud quàm dies politicos fuisse probavimus. Kuchlinus in Catechis. Holland. *Ad vnicum illud Mardochai exemplum & Estheræ festum sortium celebrare mandantium, respondemus,* 1. *Magistratum hic politicum quid spectasse manifestè textus indicat,* 2. *tempora veteris test. à Novi testamenti temporibus distinguenda sunt. In veteri testamento multi multa fecerunt vel instinctu singulari, vel nullo præjudicio reliquis facto.* Tilenus ipse concedit, si Mardochæus author, Prophetica authoritate id factum, eadem videlicet qua liber ille scriptus, vide supra pag. 505. Beneficia temporalia vel in Ecclesiam vel in rempublicam collata sunt. Si in rempublicam, tunc politica habent media, & instrumenta conservandi memoriam beneficii. Si in ecclesiam, nunquam negavimus præter repentinas ferias & gratiarum actiones extraordinarias pro re nata posse inculcari eorum memoriam, & commemorari, cum datur inter concionandum occasio confirmandi retractorum temporum experientia doctrinâ de divina providentia, & protectione ecclesiæ gratiosa, sicut fit in aliis doctrinæ articulis Sed de conceptivis feriis & ad gratiarum actionem extra ordinem indictis statas & ordinarias efficere, cum beneficium cuius recolitur memoria sit temporale, non decet, vt mihi videtur, ecclesiam Christianam. Si beneficium commune sit vtrique & reipublicæ & ecclesiæ, & materialiter eadem sint vtriusque membra, cum tamen formaliter distinguntur, in his etiam modis & mediis refricandi memoriam alicuius beneficii differre debent. Et detur dies Purim fuisse & festa *Chori & Fori*, ut vocant, cum instituti primò fuerant, tamen scimus temporalium promissionum spe lactatum populum Iudæorum. Nunc vero sub novo testamento omnia sunt augustiora & magis abstracta à temporalibus. Sed cum dies Purim non essent dies sacri ut supra probatũ, & feriæ, sed dies politici quibus lætitiam cõvivus, & donis mittendis ad alios indicabãt, quo modo nos dies celebrare sub novo testamento non docemur, & extraordinaria authoritate instituti fuerint nihil juvant vel festa memorialia mystica beneficiorum

Christi

Christi anniversaria vel annuam memoriam beneficiorum temporalium. Quod si celebrarentur ea reverentia quam postulat eorum dedicatio, tæderet eos dierum memorialium. Sed nihil nisi otium luxum,comessationes & enormitates alias pariunt, & pro his reipsa litigant.

Quarta ratio sumitur ab authoritate Christi & Apostolorum, tum negativè tum affirmativè. Negativè sic, Nec Christus nec Apostoli alios dies sacros sive festos, sive alios instituerunt præter diem dominicum. Diem dominicum non tam instituerunt, quàm determinationem talis diei, quæ erat tantùm positiva, mutarunt propter adhærentes umbras,quæ accesserunt post primam institutionem,sabbati manente substantia, nempe determinatione diei ad exercitia cultus divini quælibet quæ Deo probata. Nam in hunc usum institutum fuisse sabbatum, & ante latam legem ceremonialem supra probavimus, quod confirmari etiam potest his verbis Apostoli, Heb. 4. *Quamvis operibus à jacto mundi fundamento factis.* Probat Davidem Psal. 94 non loqui de requie sabbati, sive diei sabbati, *quia in illam jampridem inducti erant homines scilicet ab initio, cum Deus operibus suæ creationis perfectis sanctificavit diem sabbati, jussitque homines die illo quiescere, & suam requiem imitari.* Inde colligit Cornelius à Lapide sabbati cultum & requiem in usu fuisse apud homines, ante legem Mosis ab origine mundi, alioqui vim non habere argumentum Pauli. Beza in Apoc. 1. 10 *Vt appareat 4 præceptum de 7. quoque die sanctificando, quod ad sabbathi quidem diem & ritus legales fuisse ceremonialis, quod ad cultum autem Dei attinet,esse legis moralis immotæ,& in hac vita perpetuæ præceptum, & stetisse quidem illum sabbathi diem à creatione mundi ad Domini resurrectionem, quæ quum sit alterius spiritualis mundi velut altera creatio (vt loquuntur prophetæ) tunc spiritu sancto istud Apostolis proculdubio dictante, pro prioris sæculi sabbatho sive 7 die assumptus fuit novi hujus mundi primus.* Cum igitur ante latam ceremonialē legē & umbras dierum institutum fuerit,non omnio evanescere oportebat,ut alios dies merè ceremoniales, sed tantum mutari positivam ejus determinationem, & transferri omnem gloriam sabbati in diem Dominicum, vt loquitur Augustinus serm. 251 de tempore; dies alios nempe merè mysticos & ceremoniales non mutarunt in dies alios mysticos & ceremoniales, festa Iudæorum anniversaria in anniversaria Christianorum festa, umbras futurorum in umbras rerum præsentium, aut futurarum. Nec negligentia aut incuria id factum; Nam de dierum observatione sæpiùs tractat Apostolus,tamen festorum celebritatē nullibi tradit; Dixisset hos vel illos dies observabitis non illos legales ceu ceremoniales, & hoc modo non illo, sed ne γεῦ quidem Apostolus de ullo die mystico, aut etiam moralis usus,præter primā sabbati,quàm Iohannes vocat diem Dominicum,

minicum, id est diem Christi. Nec satis distinctè designasset Iohannes diem quo raptus in spiritu, si fuissent alii tum dies Christo dicati. Dixisset enim, raptus fui in die passionis, vel nativitatis, vel resurrectionis Christi, non autem raptus fui in spiritu die Christi, vel die Dominico, quod idem, si plures fuissent dies Christi, aut alii à die Dominico. Qui per antonomasiam sic tunc dictum volunt, sicut hodie, debent probare alios fuisse tunc dies dicatos in honorem Christi, sicut postea & jam dicati sunt. Sed ab ista nomenclatura diei vim argumenti non petimus, sed, ut dixi, scripturæ authoritate negativa. Non instituerunt Christus aut Apostoli dies festos, cum tamen de mutanda unius, & abroganda aliorum observatione sæpius agerent, & proinde oblata erat occasio aliquid statuendi de diebus festis more Christiano observandis. Augustinus epist. 118. dicit festa passionis Domini, resurrectionis, & ascensionis, & alia quæ in ecclesia celebrantur, sine dubitatione vel à generalibus conciliis vel ab Apostolis instituta. Sed neutrum necessarium. Nam ante ulla concilia generalia, id est ante concilium Nicœnum, multa universaliter observabantur, quæ tamē non ab Apostolis instituta, sed in particularibus ecclesijs primum orta in alias sunt sensim & paulatim introducta, & tandem progressu temporis facta sunt universalia, ut ex Socrate supra probavimus, & vetustissima de his festis monumenta, aut supposititia aut Apostolorum sæculo nondum nata ostendimus. Vide plura de regula Augustini supra pag. 118. Affirmativè sic argumentamur. Apostoli non modo instituerunt, observandos alios dies, sed etiam aliorum observationem damnarunt. Observantur autem dies, non solum cum instituuntur in memoriam mysterii alicuius, aut significationem, de quo dictum in tertio argumento, sed etiam cum aliis diebus sanctiores aut sacratiores æstimantur, vel ratione alicujus veteris cōsuetudinis jam abrogatæ, vel ratione mysterii eo die peracti. Sic æstimabant diem præ die qui dies à Deo olim institutos etiamsi antiquatos tamen adhuc observandos, cumque honorem eis deferendum præ aliis existimabant, quam æstimationem & dierum discretionem ad tempus tolerarunt Apostoli, quia cum honore sepelienda erat synagoga. Alio modo æstimant diem præ die & observandos sentiunt, vel cum festivitate vel cum jejunio, quia eo die sacrum aliquod mysterium peractum est. Sic die passionis Christi jejunandum, die resurrectionis lætandum & festum celebrandum opinantur. Hookerus ait, Opera Dei miranda dies in quibus facta sunt, supra alios evexisse. Sic Bellarminus, *Christus nascens consecravit locum, id est præsepe moriens consecravit crucem, resurgens consecravit tumulū unde exivit, cur non etiam consecravit tempus, id est, dies quibus natus vel passus vel redditus nobis fuit devicta morte, cur præ cæteris locus sanctus ille vocatur, ubi Dominus resurrexit? &*

præ

præ cæteris sancta non erit dies illa in qua resurrexit? Atque ita eorum opinione dies à die ut stella à stella differt. Sed non opus aut actio diem vel locum consecrat, sed institutio. Nam per verbum fidei & preces cõsecrantur res creatæ. De dierum festorũ institutione nihil in verbo Dei habemus, sicut de die Dominico. At dicent festorũ observatores se non observare dies ut sacratiores aliis, aut ęstimare diẽ præ die, sed tantum ordinis & politiæ causa ac disciplinæ, ut ecclesia habeat stata tempora ad cultum Dei externum celebrandum & conservandum, & tuentur se testimonio Hieronymi in Epist. ad Galat. cap. 4. *Si dies observare non licet & menses, & tempora, & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbathi observantes, & Parasceven, & diem dominicam & jejunium quadragesimæ, & paschæ festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diversa in honorem martyrum tempora constituta.* Respondet non eadem Christanos observare tempora quæ Iudæi, sed alia, *quod parum ad rem*, inquit Paræus Gal. 4 pergit Hieronymus, *Et ne inordinata Congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter conveniremus, non quo celebrior sit dies illa qua convenimus, sed quia quacunque die conveniendum sit ex conspectu mutuo major lætitia oriatur.* Hoc probabilius inquit Paræus. Sed nullam ego probabilem rationem aut prætextum video. Nam si diem dominicum non haberemus, tunc alios dies statos designare oporteret, ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, nec tamen dedicandi dies sancti, aut festa memorialia propterea instituenda, aut observandi dies ratione alicujus mysterii in iis peracti. Confundit Hieronymus diem dominicum cum diebus festis, ac si omnium eadem esset origo & obligatio, quo posito necesse erat dicere dies aliquos observandos, ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo. Sed quanta fuisset tum varietas tum negligentia in diebus determinandis, si diem dominicum non instituisset divina authoritas. Nam, cum jus naturale, quod divinũ etiam appellatur, nullos certos dies definiat, omnino oportuit divina authoritate diem aliquem determinari alioquin si liberũ fuisset cujus sibi dies constituere inde cylopica anarchia & confusio. Sed diei dominicæ nec eadẽ origo nec natura quæ festorum anniversariorum. Dies dominicus erat determinatus à Christo aut saltem Apostolis potestate extraordinaria instructis, & spiritus inspiratione, & substitutus in locum sabbati, quod à Deo ipso institutum, & in id usque tempus duraverat, dies autem festos nullos instituerunt. Diem dominicum ex hominum dominio exemerunt, quod ordinaria Ecclesiæ authoritate fieri non potest, & non ratione alicujus mysterii eo die peracti observandum præceperunt, sed ratione ordinis & politiæ, ut obligarentur Christiani authoritate non humana & ordinaria sed

divina & extraordinaria ad convocationes sanctas, ceu, ut Hieronymus loquitur, ad congregationes ordinatas, ne minueretur fides in Christo, & præterea ad privata religionis ac pietatis exercitia extra convocationes sanctas, ceu congregationes ordinatas. Potest quæque Ecclesia designare alias etiam horas extra diem dominicum *bchol hasshabbath* ad congregationes populi, sed libera est populi obligatio ad convocationes illas, præterea non dedicantur in memoriam alicuius mysterii, nec observantur ut sanctiores aliis, aut æstimando dies illos celebriores aliis ratione mysterii alicujus iis diebus peracti. Nam si quis privatus ad privata exercitia unam horam præ alia eligeret ratione alicujus mysterii ea hora peracti, utpote quia hac hora Christus crucifixus, illa resurrexit, tertio effusa sunt dona spiritus sancti, ut faciunt Pontificii horis suis canonicis, æstimaret horam præ hora et celebriorem existimaret ratione mysterii ea hora peracti. Diximus supra posse privatum designare horam ordinis causa ad privata pietatis exercitia, non tamen potest dedicare & sanctam constituere, nunc dicimus nec unam præ alia ratione mysterii æstimare. Nihil ergo hîc lucrantur, qui dicunt privatum posse horam diei dedicare piis exercitiis, Ergo Ecclesia potest idem facere. Et si potest horam dedicare potest etiam diem. Nam negatur posse horam dedicare, & sacrare, ordinis causa ad colendum Deum privatim, negatur etiam horam mysticam id est in memoriam vel ratione mysterii ea hora peracti celebrare privatim posse. Nec potest similiter ulla Ecclesia sacrare horam politiæ causa ad congregationem populi ad cultum divinum in genere, aut mysticam horam celebrare. Horæ precum & concionum diebus profestis septimanæ quibus conveniunt liberè qui volunt, sunt designatæ, non sacratæ horæ nec mysticæ. Qui horam igitur sacrare aut mystico more celebrare non possunt nec diem possunt. Dies festi, non ut politiæ & ordinis causa, ut designati, sed ut sancti sacri & mystici observantur, & sic à patribus quos citant & quos se imitari dicunt, vocantur. Et rectè Bellarminus: *Certum est, hos dies, nempe Natalis, Pentecostes, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, non servari ratione ordinis & politiæ, sed ratione significationis. Nam in primis, si solum ratione ordinis servarentur, temerè constituti fuissent. Quis enim est iste ordo, ut inter diem passionis & resurrectionis non sit nisi unus dies medius: inter resurrectionis & ascensionis sint quadraginta? inter Ascensionis & Pentecostes sint decem, inter Pentecosten & Natale sint plus quàm sex menses? deinde si solùm ratione ordinis celebrantur festa, cur sequimur lunam in festis mobilibus inveniendis? item cur habent ista nomina, pascha, ascensio &c. si nihil sacrum significant? denique Patres disertè docent festa ista celebrari ad significanda mysteria redemptionis, & ea externo ritu repræsentanda.* Si ratione ordinis & politiæ tantum,

De cultu sanct. c. 10.

observa-

observarentur, una esset ratio celebritatis omnium. At Nazianzenus Pascha dicit esse festum festorum, celebritatem celebritatum, Chrysostomus diem natalem Christi, festum maximum & festorum metropolin vocat. Si ratione ordinis & politię tantum, cur non eadem libertas permissa die festo quæ diebus Septimanæ profestis, quando habentur conciones? Si ratione ordinis & politiæ, cur dies duos aut tres anniversarios nativitati aut resurrectioni commemorandæ, dedicant quædam Ecclesiæ, aliæ plures celebrant, omnes tamen pauciores quàm diversa religionis mysteria aut articuli postulant. Si ratione ordinis & politiæ, cur sequuntur lunam in Paschate observando, & diem mensis in Natali, & cur non etiam natale die dominico observant, sicut Pascha. Nam Romana Ecclesia, cujus morem in die mensis sequuntur, arbitratur die dominico natum fuisse Christum. *Nam Christus die Dominica natus est ut patet*, inquit Bellarminus, *quia illo anno currebat litera dominicalis B ut omnes Mathematici docent, & potest ostendi retrocedendo in Ciclo literarum Dominicalium.* Cap. 11. Iudæi sabbatum ordinarium observando annum civilem ceu politicum sequebantur, paschate annum sacrum, & lunæ die 14 ad vesperam celebrarunt. Si ratione ordinis & politiæ, cur die dominico annum civilem in Paschate & Pentecoste annum sacrum & primum anni sacri mensem sequimur, sic dies observantes & menses & annos. *Si autem quæratur*, inquit Bonaventura, *quare Ecclesia magis accipit festa sua secundum solem, quàm secundum lunam, exceptis duobus. Hoc ad præsens sufficiat, quod quia synagoga in tenebris noctis ambulat, & minuenda erat, ideo à luminari, quod nocti præest, & quod minuitur in consummatione, accipiebant suarum solennitatum distinctionem, quia verò Ecclesia jam ambulat in lumine, sicut dicitur Apocalyps. 12 ideo menses computat & dies solennes, magis secundum motum Solis quam lunæ, excepto solo paschate, & per consequens Pentecoste. Paschalis enim solennitas celebratur non solum in commemorationem resurrectionis præteritæ, sed etiam in præfigurationem resurrectionis futuræ; & in hoc Ecclesia est quodammodo conformis synagogæ, unde festivitatem illa observat à luna non Iudizando, sed potius illam futuram solennitatem quam expectat, secundum quod sibi competit, præsignificando.* Dist. l. 2. dist. 14. num. 48. Bellærationes, sed nova refutatione non dignæ. Vides hic profiteri dies mysticos, & Ecclesiam in solennitatibus Paschatis & Pentecostes esse quodammodo conformem synagogæ. Non ratione ordinis & politiæ igitur observantur dies anniversarii ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, nam esset inordinata politia, ut videmus, sed ut dies sacri & mystici, & festa memorialia, & aliis diebus anni celebriores, & intuitu mysteriorum iis diebus peractorum quibus quotannis recolendis destinati sunt. Diem dominicum præ aliis diebus æstimamus non ratione

ne mysterii illius eo die peracti, aut significationis rei futuræ, sed tantum ratione institutionis, quia divina authoritate, & politiæ ac ordinis causa positiva determinatione Christi aut Apostolorum segregatus fuit ab aliis septimanæ diebus, ut suppleret vices sabbati veteris, idest ad conservandum Dei cultum externum tum publicum ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, tum privatum, ut obligarentur omnes ad vacandum meditationibus & piis exercitiis stato quodam die, & in hunc finem, ne vel in vilia mancipia potestatem haberent domini, ut abstrahant à cultu Dei tum publico tum privato, nedum ut ipsi prophanandi libertatē sibi arrogarent. Discrimen dierum ceremoniale & mysticum damnatur, non politicum, sive à Deo positum ad quod obligamur sive ab Ecclesia in profestis septimanæ diebus quorum obligatio est libera.

5 Ratio. Si intendisset Deus, ut varia Christianæ religionis mysteria variis & diversis anniversariis festis celebrarentur, non celasset diem Nativitatis, Circumcisionis, transfigurationis, epiphaniorum, præsentationis in Templo, Baptismi &c. ut opus diei in die suo celebraretur. Si opera diei dies ad majorem præ aliis dignitatem evexissent, & consecrassent, dies illos certos non alios consecrassent dies putativos. Diem incertum pro certo observant; nec est quod inde arguant se libere observare dies, nā incertos ut certos ad hæc usque tempora observarunt. Et deprehenso jam errore à viris doctis tamen eundem mysticum diem incertum observant, quem insolito errore decepti antea observabant, etiamsi foveat errorem summi pontificatus Zacharię, & ne vel in dominicum diem, cujus ratio moralis & certa, transferre volunt, etiamsi eadem traditione acceperunt die dominico natum, & proinde circumcisum, & consequenter secundum veterum opinionem baptizatum. Non hæc dico, quod probem solenniores dominicas, ut Trinitatis, Nativitatis, Resurrectionis &c. aut magna sabbata, qualia habebant Iudæi, sed ut ostendam quàm pertinaciter hæreant in fæce religionis superioribus sæculis depravatæ. De diebus certis judicare possumus ex incertis. Nam si dies Nativitatis, circumcis. &c. celavit, & abscondit ut corpus Mosis, ne colerentur aut observarentur, indicat non se voluisse dies certos resurrectionis, ascensionis, effusionis donorum spiritus peculiari hac ratione & modo celebrari.

6 Ratio communis diebus festis cum aliis rebus adiaphoris. Nam ut dictum capite nono, adiaphora susperstitione & abusu inquinata ex Ecclesia exterminanda sunt & abolenda; quod principium Theologicum habet Zanchius in 4 præceptum, ubi de dierum observatione disserit. *Tenenda enim est hac regula; quæ in abusum venerunt, & superstitionibus contiminata fuerunt, si necessaria sunt*

Fol. 678.

in

in cultu divino ea penitus tolli à nobis ex Ecclesia nec debent, nec possunt. Itaque abusibus tantum & superstitionibus repurganda sunt, veluti est baptismus cœnaque Dominica, & publicæ preces, & alia nonnulla. Si vero sunt adiaphora, tolli ea prorsus possunt, & sæpe etiam debent, sicut fecit Ezechias. In hoc secundo genere sunt præter alia multa etiam dies festi, præsertim qui diei dominico additi sunt. Non malè igitur fecerunt, qui omnia præter diem dominicum aboleverunt. Quæ subjicit, cum principio posito non cohærent. Constat festa non modo superioribus sæculis, sed etiam hodie contaminari non solum superstitione, sed etiam prophanitate, ac si Baccho non domino vel utrique dicata essent. Et qui sanctificant piis exercitiis, ab opinione cultus liberi non sunt. Nam qui rem aliquam Deo sacrat, & ut sacrata aut sancta utitur, ea re colit Deum. Nam quomodo fingi potest aliquid Deo dedicari ut sacrum & neutiquam prophanandum, & non simul hoc modo Deum coli. Fingant sibi aliam intentionem tamen cum exterius re ut sacra utuntur, & non prophanda, facto protestantur quod mente negant. Si sanctis dicare dies sit sanctorũ cultus, certè & Christo sacrare erit etiam cultus voluntarius & ἐθελοθρησκεία. Worstius in Antibellarmino dicit observationem dierum esse cultum, etsi non necessarium. Sic necessitatem & perpetuitatem à ceremoniis sacris separari posse diximus supra cap. 9. De Waldensibus testatur Æneas Sylvius, quod senserint, *Nullo die ab opere cessandum, nisi quæ nunc Dominca appellatur;* Nec nos pænitet in eadem manere sententia. Non aliud evenit diei dominicæ, quàm libris scripturæ canonicis. Legunt Apocryphos libros in Ecclesia, ac si satis superque canonicos inculcassent eosque probè tenerent omnes, sic, ac si diem dominicum rigidè observassent, nec sufficeret explicandis religionis mysteriis, quibusdam, forte duobus aut tribus explicandis alios Apocryphos supererogando addiderunt. Sed dices concionandum potius, quàm ut populus in æstu ad solem desideat. Dico contrà abstrahendum populum tum ab otio tum à superstitione abstinendo à peculiari illo cultu diei assignato, vel ab omni cultu externo. Nam fovetur superstitio, dum sanctificatur festũ religioso cultu. Sanctificatur efficienter instituendo & dedicando, sed non sanctificatur formaliter nisi piis divini cultus exercitiis. Non est autem curanda prophanitas per sanctificationem formalé, nam sic curatur non prophanitas populi, sed prophanatio diei per populum, & confirmatur superstitio, cum diem festum prophanare licet, quia reipsa & Dei æstimatione profestus est, sanctificare tamen quod non sanctificavit dominus, non liceat.

Histor. Bohem. ca. 35.

Habent & stata jejuniorum tempora. Festa nonnulla habent vigiliarum jejunia alia non habent. Ideò in Calendario pręfixo liturgię Anglicanæ die præcedente quędam festa habes annotatum, *Hic jejunandum*, ut coram festo purificationis, Nativitatis Iohannis

Baptistę, Petri Apost. &c. Circumcisionis, Epiphaniorum, Philippi & Iacobi &c. non habent eam prerogativam. Dicit Bellarminus in profestis magnorum dierū consueverat Ecclesia vigilare & jejunare. *Cæterum quoniam paulatim occasione nocturnarū vigiliarum abusus quidā irrepere cœperant, vel potius flagitia non raro committi, placuit Ecclesiæ nocturnos conventus, & vigilias propriè dictas intermittere, ac solum in iisdem diebus celebrare jejunia.* Cassander in scoliis ad hymnum Gregorii, *Primo dierum omnium*, &c. ait, *In maioribus tamen festis, vt est Natalis Dominicus, Populus totam noctem pervigilabat. Vnde vigiliarum nomen ductum est, quod tamen ob certas causas, quamvis Apostolicæ traditionis haberetur, mutatum est, & ieiunium tantum, nomine vigiliarum servato, retentum.* In defensione libelli de officio pii viri dicit vigilias in iejunia commutatas. *Tertio loco sunt*, inquit, *quæ olim ecclesiæ initio tutò & castè observabantur, sed postea multitudine & licentia populi crescente in abusum venerant, vt erant celebrioribus temporibus nocturnæ in ecclesiis Vigiliæ, ex quibus hoc religiosissimè tenebatur, ne nocte Paschæ ante noctis medium populus dimitteretur. Verum hæ nocturnæ vigiliæ in populo obsoletæ à solis fere Monachis vtcunque retentæ & maiorum prudentia in ieiunia sunt commutatæ, quæ ideo ieiunia dispensationis vocantur, sic vt ipsi ieiuniorum huiusmodi dies, ipsarum vigiliarum vnde commutata sunt, hodieque nomen obtineant.* Quid dispensatione opus, ubi nulla erat obligatio. Non enim adstringebatur populus vigilare nocte, sive ante dies festos, sive aliis noctibus, nec erat mos ille traditio Apostolica. Nulla eius vestigia habemus in sacra scriptura, vbi de conventibus fidelium sæpius agitur, nisi quando premente persecutione noctu conveniebant, quod iam cessante causa non est imitandum. Dicit Propheta se surrexisse media nocte ad confitendum domino, & oculos eius prævenisse diluculum, & Christus etiam dicitur pernoctasse in oratione. Paulus & Silas in carcere media nocte laudarunt Deum. Hæc fecerunt non ex obligatione ad vigilandum, sed vel jam vigilantes, vel ut urgebat præsens occasio. Non erant illis nocturnæ vigiliæ stata precum & laudum tempora, nec de iis præcepta ecclesiæ tradiderunt, sicut vult hymnus quidam his verbis, *Mentes manusq; tollimus, Propheta sicut noctibus, nobis gerendum præcipit, Paulusq; gestis censuit.* Propheta ait, *Septies in die laudem dixi tibi*, Psal. 119. & *Benedicam Domino omni tempore*, Psal. 33. an propterea obligatur quisque septies in die laudes dicere, aut totus ecclesiæ cœtus ad officium laudum & precum septies in die convenire. Si qui obligarentur exemplo Davidis Reges obligarentur. Zelum habebant veteres, sed hîc absque scientia, nec deerant qui hanc κοινωνίαν reprehenderant & nocturnas vigilias, *nedum vanas sed & in Deum, qui noctem ad somnum & quietem fecerit injuriosas affirmabant, quos illi Nyctages appellabant, ut habet Isidorus*: Acriter & acerbius

Opera class. p. 178.

Pag. 856.

Durantus de ritib. l. 3. c. 4. n. 6.

bius, ut ait Fildus de Eccles. li. 3 cap. 9. quàm decet virum modestum, eo nomine persequitur Vigilantium Hieronymus, quem propterea dormitantium vocat, *Ex ortus est subito Vigilantius, ceu potius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnat contra Christi spiritum, & damnandas dicit esse vigilias.* Sed permutato nomine Vigilantius appellari meritò poterat Hieronymus, qui vigilias defendebat, nec humanæ naturæ fragilitatem perpendens, nec abusus qui jam ante irrepserant, ut patet ex concilio Elibertino can. 33. *Placuit prohiberi ne fœminæ in cœmiterio pervigilent, eò quòd sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant.* Et *sane si quis Hieronymum legerit, inveniet Vigilantium argumentis, Hieronymum verò convitiis & calumniis uti,* ait Whitakerus de ecclesia, qu. 5. c. 7. Commutatio igitur vigiliarum in jejunia dispensationum nullo sacræ scripturæ fundamento nititur. *Ecclesia Catholica,* inquit Bellarminus, *in profestis magnarum celebritatum jejunia instituit ut animi paratiores sint ad vacandum rebus divinis.* Cur non idifit in omnibus. Vides majorem præparationem ad dies festos, quàm ad diem Dominicum, quem Dominus ipse nobis commendavit. Nam jejunium sabbati alio nomine introductum, quàm ut esset Parasceue diei dominici, nempe *in memoriā humilitatis Domini qui die sabbati jacuit mortuus & clausus in sepulchro,* nec fuit hic ritus ætate Augustini universalis, & Can. Apost. damnatus. Morem hunc mutuati sunt non à Iudæis sed Ethnicis. Nam etsi Iudæi die antecedente festum habebant Parasceuen propter diei magni apparatum, non tamen ieiunabant. *Quid quod ne illud quidem facile probatu Iudæos in suis Parascevis jejunasse imo constat non ieiunasse aut certè non in omnibus. Ne longe abeam in Parasceve Paschatis Agnus Paschalis edebatur,* inquit Casaubonus. Ex Ethnicorum vero ritibus hæc habet. Sic dicit Arrianus in dissertationibus Epicteti, eum qui suscepturus erat mysteria, accessisse ἁγνεύσαντα *id est postquam observasset leges castimoniæ proprias illis mysteriis quibus initiari volebat. Pars autem castimoniæ, sive ut veteres loquebantur, castus illius, erat posita in ciborum delectu.* Patres Latini Græcum vocabulum παρασκευὴ, quod festi præparationem significat, verterunt aliquando *Cœna pura. In Ritibus Paganorum cœna pura appellabatur cœna illis apponi solita, qui in casto erant, quod Græci dicunt ἁγνεύειν vel προαγνεύειν. Erant autem pro diversitate sacrorum ritus diversi, & multiplex ciborum observatio.* Vndecunque ritum istum ieiunandi die festum antecedente mutuati sunt, qui vigilias in ieiunia dispensationis comutarunt vel una cum vigiliis ieiunia observabant, imprudenter ne dicam insipienter fecerunt. Nam quæ ratio ieiunandi die antecedente, ut paratiores sint ad vacandum rebus divinis die festo, cum die ipso festo non ieinnarent, quo tamen die potius ieiunandum erat cum iam vacarent rebus divinis. Nam ieiunium cum actione ob quam indicitur aut

fus-

De boni operib. in part. l. 2. cap. 11.

Cap. 8.

Exercit. 16. p. 663.

P. 662.

Ibidem.

suscipitur coniungendum est ut inter ipsa divini cultus exercitia promptiores reddat, non autem separandum. Hodie ieiunant ad domandam carnis ferociam, ut aiunt, cras quod à carne detraxerant reddunt, & eandem ferociorem quàm priùs efficiunt.

Ieiunium 4 temporum in Septimanis cinerum à Calisto institutum, ut refert Platina, *Calistus Pontifex in tanta rerum perturbatione tamque sceleratis Impp. nequaquam ab instituto suo discedens constituit, ut ter in anno ieiunaretur die Sabbathi, præsertim frumenti, vini, & olei gratia secundum Prophetiam, videlicet quarto mense, septimo & decimo inchoando annum Hebræorum more. Verum postea mutata sententia id in 4 anni tempora transtulit in vernale scilicet, æstivale, autumnale, & hyemale, quibus temporibus deinceps ratio sacrorum ordinum habita est, cum antea id quidem tantummodo Decembri mense fieri consuevisset.* Ordinationes ministrorum non sunt adstringendæ statis temporibus, ut dixi supra, pag. 581 ubi vide etiam plura de ieiunio quatuor temporum. Bellarminus ordinationes Decembri mense institutas & ieiunium colligit ex Act. 27, sed erat ieiunium illud non Christianorum sed Iudæorum quo designabatur tempus periculosæ navigationis Pauli & vectorum, ut in eum locum observavit Th. Beza, & agnoscit Baronius in an 58. nu. 168. Sic Act. 20. mentio fit Pentecostes, non tamen erat Pentecoste illa Christianorum, sed Iudæorum. Præcipua causam institutionis ieiuniorum quatuor temporum fuit, inquit Bellarminus, ne Christiani Iudæis apud quos solenne fuit jejunium quater in anno Zach. 8. remissiores viderentur. Sed non licet Christianis ritus Iudaicos imitari, ut ait Chemnitius, & Origenes Hom. 9. in Levit. *Qui ergo observat ieiunia ascendat ter in anno in Hierusalem.* Præter pravam æmulationem in ritibus Iudaicis à Deo imperatis considerandum est occasione calamitatum, quarum memoria & miseria adhuc durabat observata fuisse illa jejunia Ierem. 52. 4. 6. 7. & sublata causa cessasse, quod prædixit Propheta Zach. 8. Præterea reprehensione vacare non videtur quod hæc stata jejunia instituerint, ut videtur colligi posse ex Zach. 7. 5 & Chemnitius dicit à Deo per Prophetam reprehensa fuisse, quod non ex prescripto Domini, sed ex suo cerebro instituissent.

Platina in Calisto.

Iejunium tridui ante ascensionem quod jejunium Rogationum vocant unà cum Litaniis instituisse, aiunt Mamertum Viennæ Episcopum. In Anglia sacerdotes lustrant agros, & Litanias, Psalmos, aliasque orationes in campis recitant diebus *Rogationum* ut refert Barrous. A litaniis, id est supplicationibus ceu rogationibus dicti sunt dies isti Rogationes. Litaniæ aliæ sunt dictæ maiores aliæ minores. Majores appellatæ illæ, quæ tribus diebus ante Ascensionem, Minores quæ die Sancti Marci dicuntur. Has majores observant Angli & quidem in agris cum processione. Nam sequitur

Detect pag. 63.

tur sacerdotem Litanias & Evangelia recitantem caterva promiscua plebeiorum, & ex fœce vulgi. An minores etiam nescio. Habent igitur, ut supra dixi, Litanias annuas & hebdomadicas. Mos iste derivatus ab Ethnicis, qui sua habebant sacrificia Ambarvalia. *Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis qui pro frugibus faciunt*, ut describit Sextus Pompeius; *Ab ambiendis arvis hostiæ nomen acquisitum est. Hoc sacrum ita peragebatur. Victimas, suem, scilicet ovem & Taurum, unde Suovetaurilia id sacrificium appellatur, maturis fructibus ter circum arva ducebant, omnesq; postclamantes sequebantur: ex quibus unus querna corona ornatus cum solenni saltatione composito carmine Cereri decantabat laudes, ac postquam vino & lacte libassent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant.* Ieiunium Rogationum *videtur non tam præcepti quàm consilii fuisse, cum satis constet inter Pascha & Pentecosten ex antiquissima consuetudine nulla jejunia imperari*, ait Bellarminus. V. de Rosin. antiq. lib. 4. cap. 17. Bell. de bon. operib. in part. l. 2. c. 21

Iejunium Quadragesimale ceu Paschale etiam observant. Severiora Quadragesimæ exercitia, quæ desunt, restitui optant, ut patet ex Præfatione ante *comminationem in peccatores, cum precibus quibusdam utendis diversis anni temporibus. Post Matutinas preces populo convocato per Campanæ pulsationem, & in Ecclesiam conveniente Litania Anglicana juxta morem assuetum dicenda erit, qua finita Minister suggestum ascendet, ac sic dicet, Fratres, in primitiva Ecclesia pia erat disciplina, ut in initio Quadragesimæ, tales personæ, qui peccatores erant manifesti, ad publicam pœnitentiam essent coacti, & in mundo hoc correpti, quo eorum animæ forent salvæ in die domini, & ut eorum exemplo alii admoniti magis extimescerent peccare. In cuius loco (donec eadem disciplina restitui posset, quod maximè est optandum) visum est, ut hoc tempore coram vobis legerentur generales maledictionis dei sententiæ adversus impœnitentes peccatores collectæ ex 27 capite Deuter. aliisque scripturæ locis, & ut vos ad singulam quamquè sententiam respondeatis.* Sic transtulit Anglicana Musketus. Vbi obiter observa, oportere sacerdotem mutare locum, in loco inferiore litaniam recitare, & ea finita suggestum ascendere, & maledictiones legis generales legere, quas singulas esse debitas his vitiis quæ nominatim recensentur, affirmat populus. Ista loci mutatio videtur inde orta, quod præceperat Dominus ut ederent benedictiones in monte Gerizzimorum, & maledictiones in monte Hebalis Deut. 11 29. Cùm piam disciplinam publicæ pœnitentiæ in initio Quadragesimæ restitui optant, profitentur opera poenalia satisfactionum se optare restitui & ritus quos observabant veteres in pœnitentibus admittendis & reconciliandis. Imponebatur pœnitentia publica feria quarta ante primam Dominicam Quadragesimæ quæ dicitur In capite Ieiunii. Pœnæ Pænitentium multiplices erant, & variæ, ut abstinere a participatione divinorum mysteriorum, non promo-

veri ad ordines, abstinere à Nuptiis, ad militiam sæcularem non accedere, unctione infirmorum carere, singulis diebus jejuniorum ad Ecclesiam venire, mortuos sepelire, diebus dominicis & tempore Paschali, cum fideles stantes orarent, genua flectere ad orandum, non ire ad balnea aut convivia, jejunis, orationi, sacco & cineri incubantes assiduè operam dare. Hæ erant pœnitentium, pœnæ, ut recenset Bellarminus, De pœnitentia lib. 1 cap. 22. Habitum certum quo distinguebantur à cæteris ait fuisse pullam vestem, cilicium, caput detonsum, exceptis fœminis; *Et quamvis tempus pænitendi aliis longius aliis brevius præscriberetur, vt trium, septem, decem aut plurium annorum, tamen singulis annis in 5 feria majoris hebdomadæ omnes reconciliabantur*. Hæccine disciplina illa, quam restitui optant. Nam hæc veterum disciplina, ut ibidem probat Bellarminus. Pœnitentia publica imponebatur feria 4 ante primam dominicam quadragesimæ. *Habemus adhuc vestigium hujus ritus*, inquit Bellarminus, *in consecratione & aspersione, quæ eo die fieri solebat*. Hoc die habent collectam istam Angli, *Omnipotens æterne Deus, qui nihil odisti eorum quæ fecisti, & remittis peccata omnibus pænitentibus: crea in nobis cor contritum, vt dignè peccata nostra defleamus & agnoscamus iniquitates nostras, & à te Deo omnis misericordiæ perfectam peccatorum remissionem consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.* Vides illos se iam seriò accingere ad deflenda peccata, quod toto anno facere debebant, vel peccata toto anno ante commissa hoc exercitio se expiaturos esse putant. Secunda ratio institutæ quadragesimæ est, ut ad sacram communionem, quam in Paschate nullus omittet, per jejunium quadragesimale præparentur, ad saginam spiritualem per per jejunium corporis. In quem finem constituerunt Episcopi Anglicani in synodo 1603, *vt parochiani singuli quotannis ad minimum, nominatim verò in festo paschatis, sicut in libro publicæ Liturgiæ jubentur, possint sacramentum illud*, nempe Cœnam Dominicam, *percipere*. Nonne quia ad Communionem Paschalem præparantur per jejunium quadragesimale, & non aliis temporibus. Innocentius 3 decrevit in Concilio Lateranensi in hunc modum. *Omnis vtriusque sexus fidelis postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pænitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Nota, ait glossa, *quod quilibet fidelis semel in anno pænitentiam accipere debet & communionem*. Hanc constitutionem alia constitutione Provinciali corroboravit Simon Sudbury Cantuariensis, quæ extat in Provinciali Linduo-

Decret. tit. de pœnitent. & remiss Cap. Omnis.

Linduodii titulo de pœnitentiis & remissionibus. Duo mala ex isto more orta sunt; primum quod sacratior habetur cœna Domini in paschate quàm aliis temporibus, 2 quòd propterea negligentior sit populus aliàs in percipienda Eucharistia, cum in primitiva Ecclesia singulis dominicis diebus communicarent. *Accipe quotidie, quod tibi quotidie prosit, qui non meretur quotidie accipere non meretur post annum accipere*, ait Ambrosius. Tertio institutum dicunt, ut Christum eo modo quo possumus, imitemur. Imitamur autem per hoc jejunium, cùm passionem Christi quam hoc tempore ipse pro nobis pertulit, tum etiam illud ipsum jejunium quod nostri causa suscipere dignatus est. Non imitandus est Christus in doloribus quos pertulit pro nobis. Nam non pertulit ut præberet exemplum patiendi vel affligendi, sed ut satisfaceret justitiæ Dei. Passio Christi est imitanda cum vocamur ad crucem, non autem vana superstitione, Alioquin potest & debet quisque perforare manus & pedes, ut Christi vulnera imitetur eique conformis fiat. Christi jejunium non fuit propriè jejunium, nam non esuriebat ante diem quadragesimum, & proinde non erat Christi abstinentia exercitium temperantiæ, sed opus divinum & miraculosum quo legislatorem novi Testamenti se ostendere volebat Christus, sicut Moses qui legem à Deo latam tradidit populo veteri, & Elias qui instauravit, suam vocationem simili jejunio sancitam habuerunt. Nec Moses, nec Elias, neque Christus jejunium 40 dierum ipsi iterarunt vel in veteri vel in nova lege imitandum præceperunt, Chrysostomus, *Non enim] dicit Christus, jejunium suum esse imitandum, quamvis quadraginta illos dies posset proponere, sed discite à me quia mitis sum & humilis corde. Imo verò contra omne quod apponetur vobis*, &c. Augustinus, *Non ergo, quia Christus statim post baptisma jejunavit tanquam regulam observationis tradidisse credendus est, sed planè illo exemplo docuit jejunandum esse, quando fortè acriore luctamine cum tentatione confligitur* Si Christum imitari satagunt, cur non jejunant à sexta die Ianuarii usque ad 14 Februarii. Nam tunc censent Christum jejunasse, & sequitur ex eo quod putant 6 die Ianuarii baptizatum fuisse Christum. Sed jejunium 40 dierum ante Pascha nec Christum nec Apostolos instituisse patet ex varietate in observando dierum numero. Socrates, *Iejuniorum rationem, quæ ante pascha fiunt, aliter ab aliis observatam esse facile est reperire. Nam qui sunt Romæ tres septimanas ante Pascha, Sabbato & Dominico exceptis, simul jejunant, qui autem in Illyrio & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante sex septimanas ieiunia quæ ante Pascha fiunt, ordiuntur, illudque tempus Quadragesimam vocant. Alii præter horum consuetudinem 7 septimanas ante illud festum initium ieiunandi facientes, quamvis quindecim dies solum quibusdam intervallis interpositis ieiunent, nihilominus tamen*

De S. l. 5.

Homil. 47 in Matthæ.

Præfat. in Psal. 30.

Hist. l. 5. c. 21.

men tempus illud Quadragesimam vocant. Irenæus apud Eusebium Hist l. 5 cap. 23. *Non enim de die tantum disceptatio est, sed & de ipsa specie ieiunii. Siquidem alii vnum sibi diem ieiunandum esse putant, alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes diem suum statuunt.* Non loquitur Iræneus de varietate continuandi jejunium sine omni cibo in quadragesima, id est an tempore Quadragesimæ cibus sumendus esset semel, aut semel post biduum aut triduum &c. ut vult Bell. (Non est enim verisimile ultra biduum aliquos continuasse jejunium) sed de determinato tempore Paschalis jejunii nempe quòd varium erat & liberum. *Ignatii epistolas imò & Telesphori, in quibus mentio Quadragesimæ hoc quoque inter cætera probat aut nothas esse, aut saltem post Irenæi tempora interpolatas, quod eas ignoravit Ireneus. De Clemente & Apostolorum Canonibus rectè pronunciavit Gelasius apud Gratianum dist. 15 & 16 quæ scripta etiam Augustini oculos fugerant, vt colligitur ex eius epist. 86 ad Casul.* inquit Tilenus, & totidem pene verbis Iunius, cont. 1 l. 4 c. 9. unde ille istam thesin ut multa alia passim ex ejus operibus transcripsit. Varietas ista dierum antepaschalis jejunii arguit ne vel unum diem jejunii ab Apostolis institutum aut præscriptum. Alia etiam varietas nempe in ciborum delectu idipsum arguit. *Quinetiam non de numero dierum solùm discrepant, verumetiam de abstinentia à cibis variam sequuntur rationem. Nam alii omnino ab omni animantium genere abstinent, alii inter animantia pisces solum comedunt, alii cum piscibus volucres etiam manducant, eisque ex aqua (vt est apud Mosen) nasci asserunt, Alii à fructibus duris integumentis involutis, & ab ovis temperant, alii arido pane solo vescuntur, alii ne illo quidem. Sunt qui cum ad horam nonam ieiunarint, variis ciborum generibus vtuntur. Alia ratione apud alias gentes ieiunatur: cuius rei sunt causæ propè infinitæ. Ac quoniam nemo de ea præceptum literarum monumentis proditum potest ostendere, perspicuum est liberam potestatem in eadem, cuiusque menti & arbitrio permisisse, vt quisque nec metu nec necessitate inductus quod bonum sit, ageret,* inquit Socrates. Quos ritus observent tempore Quadragesimali in Ecclesia Anglicana nondum didici, nisi quod Lincolnienses referunt singulis feriis hebdomadæ, quam sanctam vocant, id est illius qui diem Paschatis immediatè antecedit, haberi singulis diebus præscriptum officium, proprias collectas, epistolas, Evangelia, & quòd die passionis ceu parasceues habent tres collectas. Dies iste ratione mysterii in eo peracti æstimatur præ aliis diebus, & peperit jejunium feriæ sextæ. Sed æstimationem diei præ die vel hoc intuitu, non probasse Apostolos patet ex Roman. 14. In collecta dominicæ quartæ Quadragesimæ habent hæc verba, *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt qui ex merito nostræ pravitatis affligimur,* anglicè, worthily punished, *tuæ gratiæ consolatione respiremus.* Quid aliud sibi volunt ista verba,

Syntag. part. 2 disp. 53. num. 39.

Hist. l. 5. ca. 21.

Epitom. 90 91.

verba, quàm ieiunium quadragesimale suscipi, ut opus pœnale & satisfactorium pro peccatis & negligentiis toto anno commissis, quo Deum placare nituntur, ut ait Bellarminus. Non enim affliguntur aliqua calamitate aut pœna à Deo inflicta in Quadragesima. Imo in collecta dominicæ 2 Quadragesimæ sic orant, *Deus qui conspicis omni nos virtute destitui, interiùs exteriùsque custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.* Habent ante Dominicam passionis septem celebres Dominicas, quarum prima dicitur Septuagesima, secunda Sexagesima, tertia Quinquagesima, quarta prima Quadragesimæ, quinta secunda Quadragesimæ, sexta tertia Quadragesimæ, septima quarta Quadragesimæ, *In dominica Septuagesimæ, quia commemoratur captivitas legitur in officio ex initio Geneseos peccatum primi hominis, & omittuntur omnia cantica læta*, ait Bellarminus. Sic & illi ex eodem Geneseos capite propriam lectionem habent, & intermittunt ab eo die ad Pascha cantica lætitiæ & hallelujah. Habent etiam in Quadragesima frequentiores & crebriores conciones.

De cultu sanct. cap. 14

Stata ieiunii tempora habent annua ut quadragesimæ, menstrua, ut ieiunium quatuor temporum, & hebdomadica, ut ieiunium sextæ feriæ & Sabbati, sic ieiunii etiam ratione observantes dies & annos & menses. Ieiunium probamus, tum publicum urgente aliqua calamitate indictum, aut in gravi aliquo Ecclesiæ negotio ut in pastorum ordinatione, & privatum etiam ad carnis ferociam domandam & terendam superbiam, quando fortè acriore luctamine cum tentatione confligitur, ut modo dixit Augustinus. Non tamen debent publica ieiunia aut privata esse stata & ordinaria. Populo suo Deus unicum tantum ieiunii diem statum imperavit, qui festo expiationis adiungebatur, quod typicum erat & legale. Nam publica quæ usurpantur ob calamitatem, vel quæ ob alia graviora Ecclesiæ negotia indicuntur ieiunia, iis peractis & cessante causa, cessare debent. Nam absque causa impellente, calamitatis aut necessitatis boni alicuius sensu ludicra & frigida erunt ieiunia. Sic etiam privatis ieiunii stata tempora præscribere, ac si tentationis horas & dies dignoscere possent periti isti animarum medici, æquè ridiculum est. *Egregiè verò Bellarminus ideo semel duntaxat Christum ieiunasse coniectat, quia non nisi semel fuerit tentatus, nobis vero singulis annis ieiunandum esse, quia singulis annis pugnandum est. Scilicet*, inquit Tilenus, *statas anni vices servat in Agonibus istis Tentator, sicut Apollo Pythius: ac propterea Ecclesia Romana etiam Bacchanalia eodem mense celebrat quo veteres Romani olim agitabant Quirinalia id est stultorum ferias.* Non idem omnibus tempus luctæ cum tentatore & concupiscentiis carnis. Non aliud propterea jejunium statum nobis imperavit

Syntag. par. 1 disp. 53 th. 35.

Christus aut Apostoli quàm morale & perpetuum, nempe parsimoniam & temperantiam. Naturale autem id est abstinentiam ab cibo & potu stata tempora non imperarunt, sed in genere tantùm, cum oblata esset occasio causa impellens jejunii. *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis totoq; instrumento, quod appellatur testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse iejunium. Quibus autem diebus oporteat, & quibus non oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non video definitum*, ait Augustinus, epist. 68. ad Casulanum. Socrates modo dixit, *Perspicuum potestatem ea in re cuiusque menti & arbitrio permisisse, ut quisque nec metu nec necessitate inductus, quod bonum sit, ageret*. Origenes Hom. 10. in Levit. *Est certe libertas Christiana per omne tempus ieiunandi, non observantiæ superstitione sed virtute continentiæ*. De Montano refert Eusebius, lib. 5. c. 18. quod leges de jejuniis præscripserit, *Hic ille*, inquit, *ὁ νηστείας νομοθετήσας*. Deinde in forma observandum, non mereri nomen jejunii canonicum eorum jejunium. Nam dies jejunii sunt illis tantum dies carnisprivales, ut vocant, & si morem Pontificiorum observant, tum solvunt jejunium hora sexta ab exortu solis, & tamen non pudet in collecta Deo mentiri, cum dicunt, *ex merito pravitatis nostræ affligimur*. Non minuunt, sed mutant delitias esculentorum. Abstinentiam à carne indicunt, cum tamen piscibus benè conditis, vino & opiparis cupediis variisque lautitiis non interdicunt, quod facerent si seriò agere vellent & non cum Deo illudere. Sed oportebat in ciborum delectu Manichæorum, Eucratitarum, aliorumque hæreticorum qui orti sunt in ecclesia primitiva, doctrinam dœmoniacam aliquo modo quamvis alio sed magis specioso titulo ad novissima hæc tempora conservari. Non jam natura caro immunda sed diebus vetitis tantum polluta per præceptum ecclesiæ. De ciborum delectu multi multa scripserunt, proinde missum facio. De facultate vescendi carne concessa per dispensationem Archiepis. & Episcopi vide supra p. 87

Hactenus de Breviario Anglicano, sequitur secunda pars libri Liturgiæ, *Ordo administrandi cœnam Dominicam sive sacram communionem*, quam voco Missale Anglicanum, non solum quia Missæ nomen sacræ cœnæ tribuitur apud veteres, sed etiam quia quadam ex parte repræsentat etiam sacrificium Missæ. Post officium Matutinũ celebrant cœnam, de concione parum solliciti. Perinde est, sive habita fuerit concio necne, vel an an sit aliquis, qui concionem habere posset. Nam Curatus ipse forte nihil supra præscriptam Liturgiam sapit. Imò à Ministris non concionatoribus sacramenta efficaciter administrari definierunt Can. 57. coustitutionum anni 1603. *Cum multi à falsis doctoribus in errorem inducti liberos suos, nisi per ministrum concionatorem nolint baptizari eodemque respectu ad sacram*

cram cœnam, nisi per talem administratum recusent accedere, ac si illorum sacramentorum virtus & efficacitas à Ministri in concionando facultate penderet, cum tamen integra tum baptismi, tum sacræ cœnæ doctrina, quæ ad sacramentorum eorundem administrationem desideratur, in libro publicæ Liturgiæ tam plenè & integrè sit expressa, vt eidem nihil addi possit quod solidum sit & necessarium omnibus tali errore deceptis, mandamus & præcipimus, vt proteruam hanc ipsorum pertinaciam de cætero deponant, ac ecclesiæ institutis hac in parte obsequantur; cum quoad eorundem sacramentorum efficaciam nihil intersit vtrum à Ministro non concionatore an secùs administrentur. Quod si qui deinceps hac in re deliquerint, parochiæque suæ ecclesias eo intuitu declinantes, in alienis, vel sacram cœnam susceperint, vel liberos suos baptizari fecerint, neq; mandato hoc nostro admoniti ab errore suo & illicita hac ratione destiterint; ad loci Ordinarium per Ministrum, Oeconomos, & Inquisitores, vel Assistentes Parochiæ suæ deferantur, talibus censuris ecclesiasticis per eum castigandi, quales adeo obstinatæ peruicaciæ meritò debentur: id est, si contumaces permanserint, primò suspensionis, si vltra mensem deinceps perseverarint, excommunicationis poena coerceantur. Pari ratione, si quis Rector, Vicarius, vel Curatus post præsentium Canonum promulgationem, quamlibet personam, quæ non sit de sua ecclesia, vel parochia, ad sacræ coenæ communionem recipere, vel ex talium liberis aliquem baptizare præsumpserit (eosdem hac ratione in errore suo confirmans) is suspensionis poena eo ipso obstrictum se intelligat, à qua nunquam absoluetur, priusquam sanctè promiserit se hac in parte de cætero nullatenus offensurum. Minister non est de essentia sacramenti quatenus materia & forma constare definitur vel elemento & verbo, sed quatenus est actio sacra minister est de essentia sacramenti. Nam à Christo constitutus est ad hoc officium. Minister autem jure dici non potest qui non διδακτικὸς & habet facultatem concionandi. O miserum gregem cui pastor idolum, & cœco tamen pastori sub pœnis tam grauibus & tam arctis vinculis adstringitur, & quasi mancipatur. *Cum coena dominica celebrabitur, mensa mundo panno lineo operta stabit in medio vel templi vel chori vbi Matutinæ vel Vespertinæ preces dicendæ sunt, ad cujus mensæ Septentrionalem partem Minister stans orabit precationem Dominicam.* Canone 82. constitutionum anni 1603. statutum, *vt eædem mensæ conuenienter & decorè conseruentur, & subinde reficiantur & tempore diuini cultus operiantur tapete ex serico, siue ex alia materia, quæ per loci Ordinarium, sicubi de ea quæstio oriatur, congrua & decora iudicabitur. Ipso autem administrationis tempore panno lineo mundo, (prout tali mensæ conuenit) vestiantur: suoque loco certo consistant, nisi cum sacramentum erit administrandum quo quidem tempore in ecclesia vel cancello eiusdem, ita constituentur, vt tum Minister inter precandum & administrandum commodiùs possit à communicantibus exaudiri, tum communicantes etiam conuenientius, & maiore numero à ministro sa-*

sacramen-

cramentum percipere. Quid sibi vult ista curiositas ornandi, collocandi, conservandi, imo & reficiendi mensam? nonne licebit novam parare potius quàm veterem subinde reficere? Et de operimento unde oriri potest ulla quæstio, cum extra usum necessarium in celebratione, & decorum civile, quod tunc servandum, nihil refert operiatur necne, multo minùs, an tapete ex serico vel alia materia? Ipsa elementa extra usum quid sunt, nisi communis panis & commune vinum? Vel de loco, ubi consistat cur solliciti, cum quovis loco vel angulo extra tempus administrationis collocari possit? Vel dum administratur sacramentum, cur in Cancello ecclesiæ constituenda, cum non sit locus commodissimus respectu totius cœtus, etsi fortè satis commodus respectu paucorum communicantium? Hæccine omnia redolent superstitiosam illam venerationem in papatu exhibitam vasis sacris? Non est ista mensa sacra, propterea quod sustineat calicem & patinam. Hæc enim vasa & instrumenta cōmunia sunt, ut supra diximus, sacris & communibus conviviis, sacræ cœnæ & agapis? Mensa materialis cœnæ Pascalis erat communis, neque eam consecravit Christus, cùm cœnam sacram instituturus & administraturus erat. Celebraturum oportet stare ad mensæ partem septentrionalem, & recitare precationem Dominicam. Cur magis ad Septentrionalem partem quàm Australem aut orientalem? *Tunc recitabit Sacerdos clarè distinctly decem præcepta, & universus populus post singula mandata genibus flexis misericordiam Dei implorabit pro violatione illorum.* De populo respondente, & eadem sæpius repetente diximus supra pag. 622. Cum lex Decalogi monte Sinai data cum fulgure, & tonitru, non tamen ad singula mandata incurvavit se populus. *Tunc per ministrum* Sacerdotem the Priest *stantem ad sacram mensam legetur collecta sive oratio diei assignata,* non tam cœnæ quam diei propria, quia & ipsa cœna, ut olim Missa statis temporibus alias habet atque alias Collectas, Epistolas, & Evangelia, quæ præfiguntur huic liturgiæ parti & huc referenda sunt) *una cum altera Collectarum sequentium pro fœlici statu Regis.* Collectas collectis addunt absque alia intercedente actione, interveniente tantum pausa, ut supra observavimus in officio horario. *Post has collectas Sacerdos, seu quis alius Minister ad id deputatus legat epistolam loco ad id assignato & sic incipiat, Epistola Sancti N. Apostoli scripta ad N. capite N. Epistola finita legatur Evangelium. Evangelium N. scriptum capite N.* Epistolæ & Evangelia sunt lectiones ex Evangeliis, epistolis & prophetis, seu potius fragmenta, non integra capita, & varia sunt pro ratione diei cui assignantur. Nam pro dierum varietate varia habent in cœnæ administratione Evangelia & Epistolas, sicut in missa sub Papatu, alia die Nativitatis, Ascensionis, Circumcisionis quàm aliis diebus; nam Missa præcipuè sanctificat diem. Et licet Angli in singulis Ec-

clesiis

clesiis non administrent cœnam diebus festis, tamen collectas, aliaqne propria missæ diei legunt & canunt, & umbram sine corpore habent. Epistola legenda à sacerdote vel alio ministro ad id deputato. Minister deputatus non est Presbyter, sed alius quis ad hoc officium deputatus. *Solis subdiaconis inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti epistolam legant ad Missam adeo ut potius sacerdos ipse epistolam legere debeat quàm pati ut inferiores Subdiaconis id exequantur*, ut habet ex Micrologo & Bernone Durantus. Evangelii lectio inter Diaconorum officia numeratur; epistola per subdiaconum aut in minoribus ordinibus constitutum, si necesse, legi poterit. Differentiam inter Evangelium & Epistolam observant etiam Angli, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, aut alibi ubi Diaconos habent, & sedentes Epistolam stantes Evangelium audiunt, de quibus ritibus supra diximus. *Post Evangelium sequitur symbolum*, nempe Constantinopolitanum cujus canendi in missa usus antiquior est apud Orientales quàm occidentales, ut ait Bellarminus. *Post symbolum sequatur Concio sive legatur una homiliarum jam editarum, aut in postero publica authoritate edendarum*. Qualesnam edituri sunt conjicere possunt sagaciores qui iudicio pollent, & quò tendunt vel flecti possunt. Hîc vides perinde esse, sive habeant concionem sive homiliam. *Finita homilia aut sermone ad populum Pastor indicabit Festos, aut jejunos dies, si qui fuerint, sequenti septimana. Imprimisque hortabitur ut pauperum meminerint, & eorum inopiam sublevent. Deinde cantentur vel recitentur una vel plures ex sententiis sequentibus, prout ipsi videbitur*. Sententiæ illæ omnes huc tendunt, ut liberales sint in pauperes. *Interea ædiles seu alii quibus illud munus assignabitur, colligent oblatam à populo eleemosynam*, anglicè, the devotion of the people (sic appellatur illa eleemosyna,) *& in cistam ad pauperum usum reponent: Singuli*, everie man and woman, *item consuetas oblationes, & decimas suo tempore pastori persolvent*, In editione Anglicana anni 1607 de decimis nihil habetur, sed de oblationibus diebus oblationum consuetis persolvendis; Post hæc Minister dicit. *Oremus pro statu universalis Ecclesiæ hic militantis*. In oratione ista dicit, *petimus ut clementer accipias hæc munera, atque has preces nostras, quas offerimus divinæ majestati tuæ*. In margine ad hæc verba sic monentur, *Si nulla largiatur eleemosyna omittitur (hæc munera atque.)* Nam si nullus largietur eleemosynam, non potest dicere *hæc munera*. In Iustini Apologia 2 videmus panem, & vinum per populum oblata Episcopo ceu allata (nam utitur verbo προσφέρεται) non autem oblata Deo per Episcopum. *Huiusmodi oblationem panis vini & aquæ fieri vidi Episcopo in Ecclesia nostra Vratislaviensi, quando rem divinam publicitus fecit*, ait Langus Iustini interpres. Vide Mornæum lib. 1 c. 5 de missa. Quod supererat cessit in

Durant. de ritib. l. 2 c. 18

De Miss. l. 2 c. 16.

Quod si iuxta exemplum Apostolicæ indictionis necessario fieri debeant collectæ fidelium in usus pauperū vel pro restauratione ecclesiarum oportet hoc fieri tempore opportuno & loco non inter Missarum solennia, ait Bernoldus vide Cassandr. Liturg. cap. 27.

sustentationem pauperum. Vt oblationes illæ abundare cœperunt pars earum in Ministrorum Ecclesiæ alimenta impensa fuit, ut observat eodem capite, *vnde avaritiæ fenestra patuit, per quam & cæteri abusus catervatim irrepserunt.* Cum oratione Sacerdotis cœperant Deo consecrari oblationes per Episcopum aut Presbyterum more judaico aperta est fenestra superstitioni & execrando missæ sacrificio. Cum itaque & ministrorum & pauperum sustentationi aliter prospectum sit, eundē morem retinere est imitatio ridicula, & Deo offerre in precibus populi eleemosynam absurdum, non est enim eleemosyna propriè dictum sacrificium vel alimentum ministrorum, aut oblatio Deo facta, & exhibita, etsi propter Deum, pauperibus aut Ministris destinentur, (nam ea ratione etiam decimæ erunt sacrificium aut oblatio proprie dicta aut quævis eleemosyna) sed metaphoricè. *Sacerdos dum panem offert & aquam vino miscet & calicem etiam offert, quasdam orationes & deprecationes profert, quibus & oblationem suam & totius populi ad Deum dirigit, & ab eo postulat, vt ei placita sit, & vt dignis mentibus offeratur,* inquit Suarez, & has orationes & benedictiones sacras dicit esse veluti quasdam præparationes oblationis sacrificalis. Præparatoriæ oblationi similis est Anglicana. Dum oblationes suscipiebat sacerdos nihil olim canebatur. *Quod autem tempore huius oblationis aliquid canatur, non constat semper fuisse observatum, nec à quo primum institutum sit, Alii enim Adriano, alii Gregorio, alii Cœlestino id tribuunt,* ait ibidem Suarez. *Offertorium quod inter offerendum cantatur, quamvis à prioris populi, id est Iudaici consuetudine in vsum Christianorum venisse dicatur, tamen quis specialiter addiderit officiis nostris apertè non legimus,* inquit Walafridus Strabo, *sicut & de antiphona quæ ad communionem dicitur, possumus fateri: cum verè credamus prioribus temporibus patres sanctos silentio obtulisse vel comminicasse, quod etiam hactenus in sabbato sancto Paschæ observamus* Vnde infert vir verè nobilis Mornæus priscos illos Episcopos & sacerdotes non dixisse *offero, sacrifico, offerimus, sacrificamus*, sed cum populus obtulisset, Antistitem panem & vinum in usum sacræ cœnæ accepisse, institutionem Christi recitasse, mox ejus exemplo sacramenta distribuisse. Honorius in Gemina animæ ait, *quod cum Ecclesia numero quidem augebatur sed sanctitate minuebatur, quia populo non communicante non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarii formari, & vt populus pro oblatione farinæ denarios offerret pro quibus dominum traditum recognosceret. Qui tamen denarii in vsum pauperum qui membra sunt Christi cederent vel in aliquid quod ad hoc sacrificium pertinet.* Vides quid significent denarii in pauperum usum erogati. *Tunc sequetur hæc exhortatio certis temporibus quando Presbyter,* anglicè the Curat, *videbit populum negligenter accedere ad sacram Communionem.* At satis novit qui sunt accessuri, nam ut in rubrica

In 3 part. tom. 3 disp. 83 sect. 1.

Cap. 22.

Lib. 1 cap. 3

Cap. 58.

prima

prima hujus tituli statuitur; *Quotquot cupiunt fieri participes sacræ communionis indicabunt nomina sua Pastori,* anglicè the Curat, *pridiè aut manè, priusquam inchoentur Matutinæ, vel immediatè post principium Matutinarum precum.* In primitiva Ecclesia frequentius communicabant; cum zelus iste defervesceret, hortati sunt ministri eos qui aderant, ut accederent ad mensam, & dicis causa exhortationem similem retinent Angli, cum tamen, ut dixi, ante administrationem quotquot cupiunt fieri participes sacræ communionis, indicarunt nomina sua Curato. Quàm importuni tamen volunt videri in exhortatione, *Quotquot adestis invito, obsecro per Christum per beatam spem adventus eius & fœlicitatem æternam, non detrectetis accedere; nostis quàm grave sit atque molestum jam parasse splendidum convivium, mensam apparatu magnifico instruxisse, atque dum nihil aliud superest quàm vt accumbatur, convivas nulla justa legitimaque causa renuntiare se non accessuros &c. Qui convivium patrisfamilias recusarunt, quod villam emissent, &c. Est quidem contumelia repulsam dare invitanti, sed ea longè fit major, dum astatur, & interim cum aliis non discumbitur, nec editur neque bibitur: hoc porro est ludibrio haberi mysteria Christi, Dicetur cunctis, Accipite & edite, Accipite & bibite ex hoc omnes: Hoc facite in mei commemorationem, Quo ore? qua fronte? quo animo hæc audietis? Quid erit aliud negligere, contemnere, ac irridere testamentum Christi, nisi hoc fuerit? Quare potius abite, atque sanctis date locum. Sed abeundo, quæso, vobiscum reputate maturè ac graviter, vndenam discedatis: nempe à Deo, à Christo, à fratribus & epulo summæ charitatis?* Quo ore? qua fronte? quo animo audetis vos ludibrio habere mysteria Christi, & ludere tam manifestè in re seria. Nam nemini ministrabitis, nisi qui nomen indicaverit pridie aut mane. Non jam tempus examinandi, approbandi, rejiciendi, dignos vel indignos; an promiscuè omnes invitatis? Quorsum igitur tot monita, hortationes, expostulationes? Videat lector suprà in ordinatione Presbyterorum similem histrioniam. *Aliquando etiam dicetur hoc pro arbitratu Presbyteri,* Anglicè, the Curat, *Dilectissimi &c.* Prope finem hujus exhortationis habentur hæc verba. *Et propterea quod non est fas quenquam accedere ad hæc mysteria, nisi solida fiducia misericordiæ divinæ, & sedata & tranquilla conscientia eo incitatum, Idcirco si quisquam è vobis sit, qui superioribus rationibus non possit pacare conscientiam suam, verum eget ampliore consolatione, tum me petat vel alium aliquem consultum & eruditum ministrum verbi divini & nudet vulnus, vt possit recipere spirituale consilium, admonitionem & solatium, vt conscientiæ levetur onus, & vt ministerio verbi divini consequatur fomentum & beneficium absolutionis ad pacificationem conscientiæ, & amotionem omnis scrupuli, & hæsitationis.* Hic auricularem confessionem sibi vel aliis sacerdotibus fieri aliquatenus postulant Curati & absolutionem promittunt

tunt, qui verbum Dei prædicare nesciunt. A medico indocto libera nos Domine. Sed quorsum ista monet in ipsa actione? An jam tempus opportunum confitendi & absolvendi? Obiter observandum can. 113 statutum quòd si quis peccata sua occulta alicui ministro privatim confiteatur, ne alicui retegat, *nisi sit ex eo genere criminum quorum occultatio ex legibus huius regni sit capitalis: qui contra fecerit eo ipso irregularis esto.* Pœna irregularitatis castigandus qui sigillum confessionis violaverit. *Tunc Minister*, Angli. the Priest *recitabit hanc exhortationem, Dilecti in Domino &c.* Qua finita, *deinde Minister*, the Priest, *alloquetur communicaturos his verbis, Vos quos verè & serio* &c. *accedite propius, vt percipiatis hoc salutare Sacramentum ad vestram consolationem, confitemini humiliter peccata vestra Deo & Ecclesiæ hic congregatæ in nomine ipsius, suppliciter*, anglicè meekly, *genua flectentes. Tunc fiat hæc generalis confessio nomine eorum qui communicaturi sunt, vel per eorum aliquem, vel per vnum ex Ministris aut per ipsum Sacerdotem, omnibus submissè genua flectentibus, Omnipotens Deus* &c. *Tunc eriget se Sacerdos, aut Episcopus si adsit, & conversus* nota, conversus nam quandoque avertit quandoque convertit se ad *populum, sic loquetur.* Paucis verbis orat, ut condonet iis Deus omnia peccata. *Sic Minister*, the Priest, *etiā dicet*, nēpe duas aut tres sententias scripturæ, venite, qui laboratis &c. & similes. *Quo finito Minister*, the Priest, *procedendo dicet, Sursum corda, Responsio, Habemus ad dominum. Minister, Gratias agamus Domino Deo nostro, Responsio, dignum & justum est, Minister, Verè dignum & justum est, quodque Jure debemus nos tibi semper & vbique gratias agere domine, sancte Pater omnipotens & æterne Deus. Sequetur propria præfatio, si quæ sit assignata*, nempe diei, *alioqui statim subjungetur, Ideo cum Angelis, & Archangelis cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum glorioso tuo nomini canimus te sine fine laudantes, ac dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus, Sabaoth, Pleni sunt cœli & terra gloria tua Osanna in excelsis.* Præfatio appellatur, inquit Bellarminus, quia est præparatio & excitatio populi ad illam actionem in qua propriè consistit sacrificium. Finita præfatione, inquit, ducitur Canticum, Sanctus, Sanctus &c. quod quidem partum desumptum est ex hymno Angelorum Isai. 6. partim ex Cantico Hebræorum quod Christo cecinerunt in die palmarum. Expectant statim realem corporis Christi præsentiam. *Tunc Sacerdos apud dominicam mensam*, Auglicè, Gods Board, rectius the Lords Table, *nomine eorum qui communicare volunt, sic orabit genibus flexis. Orat, vt edentes carnem Christi sic edant, vt corpora peccatis inquinata munda fiant perceptione sacratissimi corporis sui*, & bibentium animæ laventur in pretioso sanguine suo. *Tunc Minister erigens se dicet, O Deus omnipotens pater &c. Exaudi nos quæsumus, misericors pater, & concede vt nos sumentes has tuas creaturas panis*

Bel. de miss. l. 2 c. 17.

nis & vini juxta sacrosanctam institutionem filii tui Servatoris nostri Iesu Christi in memoriam ejus mortis & passionis participes simus sanctissimi corporis & sanguinis eius. Qui eadem nocte qua tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, ac dedit discipulis suis, dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similì modo postquam cœnatum est accepit calicem &c. Hîc verba institutionis recitantur Deo, nam recitantur in oratione, & continuata oratione Deo dicuntur sicut in Canone Missæ, audiente quidem sed non audienti communicantium numero, non ut ab instruente per verbum institutionis quod est verbum fidei, sed ut Deo aliquid oblaturo. Horrenda est ista prophanatio verborum institutionis. Vtrum verò, dum Deum alloquitur & recitat verba institutionis accipit panem & poculum in manus, ut in canone Missæ præscribitur, ex liturgia Anglicana non satis liquet, nisi quod innuere videantur verba ista, *has tuas creaturas*, vel in manus sumere vel manibus extensis demonstrare. *Tunc Minister ipse primò recipiet Eucharistiam sub vtraque specie, proximo loco tradet idem reliquis ministris si qui adsint vt præcipuum ministrum adjuvent.* Crederem potius quia distincti erant sub papatu sacerdotes communicantes a laicis. Nam communio laica sacerdotibus ignominiæ & pœnæ loco erat. Et quid opus tot adjutoribus quot sunt mininistri in Ecclesiis Cathedralibus cum forte 4 tantum communicantes. Rituale Romanum hunc ordinem præcipit his verbis. *Postea ad communicandum accedit incipiens ab iis, qui sunt ad partem epistolæ sed primò si sacerdotibus vel aliis ex clero danda est communio iis ad gradus altaris genuflexis tribuatur, vel si commodè fieri potest intra sepimentum altaris sint à Laicis distincti, sacerdotes verò tum soli communicent.* Hîc præcipitur ut statim post consecrationem Curatus ipse primo recipiat Eucharistiam. Sic canone 21 constitutionum anni 1603. *Proviso semper, vt Minister quilibet sacram illam Cœnam administraturus ipse semper primus* nota, semper primus, *communicet.* Quid aliud sibi volunt Rubrica & constitutio ista quàm repræsentationem sacrificii Missæ. Nam sacrificandi actionem in missa præcedere oportet sacramenti distributionem, oblationem sacrificalem ut vocat Suarez & sacrificiũ ac immolationẽ ante epulum Eucharisticum. Alioquin permitteretur ut adiaphoron, sive primus sive postremus communicet. Christus panẽ non sumpsit primus. Nam gratias egit, fregit, dedit, antequã ipse sumeret, ut ipsa verborum series indicat. Nõ dicunt Evangelistę *gratias egit, fregit, manducavit, dedit* &c. Præcipitur in Rubrica, ut consecrans sub utraq; specie sumat. Hoc postulant & pontificii, ut sub utraq; specie integrum conficiat sacrificium & celebret sacramentũ, sed ut sub utraq; specie tradat aliis etiam ministris qui adsunt hîc non præcipitur. De communicantibus

bus, vt illi communicent, vel ut illis tradatur cœna sub utraque specie non sunt solliciti, ideo non repetunt verba *sub vtraque specie.* Imo fallor si hoc necessarium illis videtur, sed ex gratia concessum aliis. *Nam nedum Laici, sed & Clerici, imò sacerdotes ipsi non conficientes communicant tantum sub vna specie*, inquit Durantus. Propterea Mucketus noluit hæc verba Anglicana. *And next deliver it to other Ministers*, reddere *proximo loco tradet eam* vel *eandem* nempe eucharistiam, sed *proximo loco tradet idem reliquis Ministris*, ubi manifestus solœcismus, & idem intelligit *corpus* non sanguinem, quia hunc vult esse verborum sensum. Per *idem* non intelligit Ministrum. Nam non habetur in Anglicana phrasi, ubi habetur *ille he* & deerit vox *id.* Præterea ubi in Anglicano habetur in verbis præcedentibus *cōmunioun* non reddidit *cōmunionem* ut in titulo, sed *eucharistiam*, quam vocem corpori frequentius tribuunt Pontificii. Vel qui Mucketi operam conduxerunt ad transferendum Liturgiam, hunc sensum verborum à Liturgiæ reformatoribus acceperunt, & data occasione istud arcanum mysterium aperient, vel hunc errorem sacrilegum ipsi apud se alunt. In libro Liturgiæ edito regnante Edwardo, Rubrica ista concipitur his verbis. *Tunc surget sacerdos populo adhuc genuflectente & cōmunicabit ipse primo sub vtraq; specie: & deinde ministri, vt possint eum juvare in comunicando populo. Deinde Minister tradet Eucharistiā populo in manus genibus flexis, & cum exhibet panem dicet, Corpus Domini nostri Iesu Christi quod pro te traditum est, conserbet corpus tuum & animam tnam in vitam æternā. Et accipe & ede hoc in memoriam quod Christus mortuus sit pro te, fide illum ede in corde tuo cum gratiarum actione.* In Rituali Romano, *Sacerdos vnicuique porrigens sacramentum, & faciens cum eo signum crucis super pixidem simul dicit: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Signum crucis non habet hîc vim consecrandi, nam præterit consecratio in Missa, tamen omittunt Angli. Sed non sibi constant, cum in baptismo retinent, ubi majorem habet efficaciam & virtutem, sicut suo loco videbimus. Curatus Romanensis orat, ut corpus Domini custodiat animam. Anglicanus, & corpus & animam. Verbum promissionis, quo usus Christus, dum porrigunt sacramentum, neuter usurpat. Esset illud illis absurdum. Nam illa verba, *Hoc est corpus meum*, sunt illis verba consecrationis, quæ nunc porrigentes sacramentum proferre nolunt, ut fecit Christus, quia sic denuo, ut ipsi opinantur, consecrarent, cum prius in oratione ad Deum consecrassent his verbis. De mutato numero plurali in singularem, cum dicunt, *Accipe, ede*, pro *Accipite, edite*, & mutata enunciativa forma in precatiunculæ formam, dicemus statim, cum de genuflexione disserratui sumus. *Minister cum exhibet poculum, dicet, Sanguis Domini nostri Iesu Christi, qui pro te effusus, conservet corpus tuum & animam tuam*

De ritib. lib.

in vitam æternam. Et bibe hoc in memoriam Christi sanguinem pro te effusum esse. Hîc etiam verbum promissionis in precatiunculam mutatur, & Minister ipse tradit singulis poculum in manus, si ut priùs panem, de quo titu statim dicemus. *Tunc Minister dicet Orationem Dominicam. Et populus recitabit post illum singulas petitiones*. De frequenti orationis Dominicæ repetitione, & singularum petitionum vide supra, pag. 627. *Deinde dicetur Oratio sequens, O Domine cœlestis Pater, &c. vel ista Oratio, Omnipotens æterne Deus, &c. Deinde dicatur aut canatur, Gloria in excelsis, &c. Postremo sacerdos, vel Episcopus si adsit, dimittet eos hac benedictione*, Pax Dei *quæ superat, &c*. In libro Liturgiæ prope finem hujus tituli, *De ordine administrandi sacram cœnam*, habentur Rubricæ quædam generales, quarum vna est ista. *Sequuntur Collectæ dicendæ post offertorium, quando non adsunt communicantes, quolibet tali Die vna, quoties occasio datur, post collectas Matutinarum & Vespertinarum precum vel Letaniæ, quæ etiam dici possunt pro arbitrio ministri*. Canunt vel recitant Offertorium, etiamsi nullus adsit qui offerat. Nam nulli offerre debent secundum ritum veterum, nisi qui communicaturi sunt. Si nulli adsunt communicantes, nihil offertur, & tamen hîc dicitur *post offertorium*. Et ista, *Diebus festis si non adsint Communicantes, dicentur tamen omnia quæ præscripta sunt vsque ad finem Homiliæ, addendo orationem illam generalem pro vniversali statu totius militantis ecclesiæ, atque vnam aut alteram è Collectis præcedentibus, vt occasio erit*. Hîc habemus Missam siccam. Nam licet non celebrent singulis festis sacram cœnam, collectas Missæ diei festi recitant, & umbram sine corpore habent, ut supra dictum. In libro liturgiæ ante titulum de Cœna habetur eiusmodi titulus, *Collectæ, Epistolæ & Evangelia ad sacram communionem sive in cœna Domini dicenda per totum annum*, & dicunt, etiamsi non celebretur cœna. *Missa sicca*, inquit Durandus, *dicitur, quoniam, si sacerdos non potest conficere, quia forte jam celebravit, vel ob aliam causam potest accepta stola epistolam & Evangelium legere & dicere Orationem Dominicam, & dare benedictionem, quinimo si ex devotione non superstitione velit totum officium Missæ sine sacrificio dicere, accipiat omnes vestes sacerdotales, & Missam suo ordine celebret usque ad finem Offerendæ, dimittens secreta, quæ ad sacrificium pertinent. Præfationem vero dicere potest, licet in eadem videantur Angeli invocari ad consecrationem corporis & sanguinis Christi, de canone vero nihil dicat sed orationem dominicam non præmittat, & quæ ibi sequuntur sub silentio dicenda non dicat: calicem vel hostiam non habeat: nec de his quæ super calicem ceu eucharistiam dicuntur aliquid dicat vel faciat. Potest etiam dicere, Pax Domini sit semper &c. & exinde Missæ officium suo ordine peragat. Melius est tamen alia omittere*. Hîc vides Missam siccam Romanensium esse solum paulò locupletiorem Anglicana. Rubricam istam de Missa sicca illustrabit

Rational. lib. 4. cap. 1. num. 23.

strabit

strabit Rubrica in libro Edward.6. *Diebus Mercurij & Veneris Litania Anglicana canatur vel dicatur omnibus locis sicut à serenissimo Rege est præscriptum. Cum autem non adsunt communicantes tamen diebus dictis post Letaniam Sacerdos indutus Alba aut linea cum cappa recitabit ea quæ in cœna Domini recitari solent vsq; dum perveniat ad Offertorium. Tunc enim post vnam aut alteram Collectam dimittet populum cum benedictione consueta. Nusquam celebretur cœna Domini vel Missa ut vocatur, sine communicantibus.* Bucerus dicit hoc esse quoddam cœnæ Dominicæ simulachrum à perversitate Romanensium Antichristianorum mutuatum, valere ad confirmandum superstitiosis impiam Missæ fiduciam, & refert quasdam nobiles fœminas palam ausas petere memorias dum deessent communicantes, & repertos sacrificulos qui tales celebrarent memorias in gratiam superstitiosorum hominum etiam eodem tempore & templo quo cœna ipsa exhibita à Ministris ordinariis. *Et quam possit habere rationem,* inquit, *ex verbo Dei cæteras preces, Psalmos, & divinas lectiones, quarum rerum omnium per se eadem est dignitas, eadem divina vis, dicere ministros aut communibus vestibus, aut sola indutos simplici alba illa linea, atq; aliis in locis quàm ad mensam Domini: istam autem dimidiatam Missam dicere vestibus omnino Missalibus & ad Domini mensam? Defugienda est igitur & hoc abusu tollenda species mali, præscindendaque offendiculi occasio in Missam adhuc superstitiosis: & agendum quod fidem Christi certo ædificet, non vel ex parte simulandum quod gerere non est propositum.* Missam siccam alii inter Pontificios etiam Nauticam ceu Navalem vocant, quia in mari & fluctibus celebrari solet, quibus locis propter motum & agitationem fluctuũ Missę sacrificium non celebrandum censent. Sequitur ista Rubrica, *Ac ipsa quidẽ cœna Domini nunquam celebrabitur nisi justus sit hominum numerus, qui cum Ministro* the Priest *communicent, prout ipsi videbitur. Quod si non sint plures in parœcia, quàm viginti maturæ ad communicandum discretionis, nulla tamen communio erit, nisi quatuor vel minimum tres cum ministro* the Priest *communicent. In ecclesiis verò Cathedralibus & Collegiatis, in quibus plures existunt ministri* Priests *ac Diaconi omnes singulo die Dominico ad minimum cœnam cum Ministro, nisi legitima excusatio intercedat participabunt.* Vides hîc quàm propè accedant ad privatam Missam. Etsi enim nolunt sacerdotem solum sibi celebrare, & Eucharistiam percipere, justum tamen numerum communicantium definiunt tres communicantes præter Ministrum, & quidem in loco publicorum conventuum & contra præceptum Apostoli qui 1. Cor. 11. vult, ut alii alios expectent, ut omnium una sit communio, & ne separatim Eucharistiam celebrent. *Itaque fratres mei cum convenitis ad vescendum alius alium expectate.* Quæque factio propriam cœnam pręoccupabat alios in cœtum venientes pręvertendo v. 21. quod non erat cœnam Domini, sed suam cœnam edere.

Censura Liturg. cap. 3.

Nam

Nam dominus omnibus suis discipulis eam dispensavit. *Ad invicem expectandum dicit Apostolus, ut omnium oblatio simul celebretur, ut & omnibus ministretur*, inquit Ambrosius in locum illum. Praeterea 1 Cor. 10 17. panis fractionem unitatis & mutuae charitatis symbolum esse ait. *Quoniam unus est panis, unum corpus nos illi multi sumus, nam omnes ex uno illo pane participamus.* Id est inquit Paraeus, *Cur panem frangimus hoc est panem unum dividimus in multas partes, quas singuli accipimus & manducamus? Ad significandum, quod sicut particulae multae sunt unus panis, de quo omnes participamus, sic multi nos sumus unum corpus h.e. virtute hujus sacramenti coalescimus in unum corpus invicem, & cum Christo.* Et proinde sensus erit *quoniã unus panis* est nempe quem frangimus & in multas partes dividimus sic *multi efficimur unum corpus quia omnes de uno illo pane fracto & distributo manducamus.* Quod enim frangitur unum fuit, & unum facit eos qui illud participant. *Unus panis erat mole & massa*, inquit, *in veteri Ecclesia, quando ex oblatione farris unus panis Eucharistiae consecratus frangebatur in unitatis symbolum, qui mos diu obtinuit.* Eadem unitas repraesentabatur per multa grana ex quibus unus panis, & multas uvas ex quibus vinum conficitur. Cum igitur Eucharistiae perceptio sit non modo sigillum promissionum Dei, sed etiam professio non modo conjunctionis nostrae cum Deo, verum etiam fraternae dilectionis & coalitionis in unum corpus, qui separatim ab aliis Eucharistiam percipiunt profiteri eo ipso se nullam habere cum coeteris communionem ceu societatem colligit Cartwrightus. Si dixerint Formalistae se optare ut omnes communicent & hortari in hunc finem in exhortatione post offertorium cum jam accipit Missa fidelium; respondeo primò ludicram esse illam exhortationem, & dicis tantum causa recitari, ut supra ostendimus. Praeterea non sat est optare & hortari, sed isti tres aut quatuor monendi sunt, ut expectent diem ordinarium quo celebranda coena in publico Ecclesiae coetu. Et quamvis haec tempora zelo & charitate defervescente non tam frequentes ferent coenae celebrationes quam in primitiva Ecclesia, tamen saepius celebranda & statis temporibus omnes adigendi sunt ad Eucharistiã percipiendam, qui non censuris Ecclesiasticis ob crimina & scandala arcendi. Ex sola negligentia vel contemptu, vel superstitioso metu ut abstineant non sunt ferendi. *Qui enim ea sunt voluntque perseverare animi impuritate, & nolunt (nam possunt quicunque volunt) Christi communionem ad salutem suam promovendam percipere, hi in judicium condemnationis & Evangelium audiunt, & cum Ecclesia Christi precantur. Nam, ut D. Chrysostomus verè scripsit, Qui indignus sit horum sacramentorum perceptione is etiam indignus est, qui precibus Ecclesiae intersit, mensaeque Domini adstet, imò indigni omnes hujusmodi sunt, quos Domini terra sustineat, sustentet, tegat coelum. Qui enim in ullo*

Repl. 1 pag. 116.

Censura in ordinat. ministerii Eccl. p. 460.

peccato perseverant scientes, hi filium Dei conculcant pedibus, & habent sanguinem testamenti prophanum, inquit Bucerus. Nec minus graviter verbis sequentibus. *Et quid isti nauseantes librum vitæ æternæ homines sua à sacra cœna abstinentia aliud significant, cum velint haberi Christiani, quàm plus Christi exhiberi in hoc sacro atque Evangelio & baptismate, aut saltem requiri plus dignitatis, hoc est fidei & sanctimoniæ ad recipiendam Christi servatoris communionem per sacramentum Eucharistiæ quàm ad recipiendam eam communionem per Evangelium & baptisma? Nec est quod isti de reverentia sacramenti prætexant, & sua indignitate. Nemo enim indignus domini sui mensa habetur, quàm qui retinet peccandi voluntatem, ea vero nunquam non deponenda est. Et mira sanè sacramenti reverentia, qua contemnitur, & saluifica in eo oblata filii Dei communicatio repudiatur.* Et infra, *Quam ergo tandem ob rem ista amatur communicatio Christi ex mensa ejus ab ejus communicatione quæ percipitur verbo & precibus sejuncta, cum planè constet hanc sacrorum Christi distractionem isti ferri acceptam Antichristo? Ab Apostolis enim per omnia Ecclesiæ memorabilia tempora, mensa domini præsentes ei omnes pariter communicabant, ita vt dominus hoc suum memorabile instituit, quique id facere neglexissent excommunicabantur, vt legitur in Act. Apost. 9.* Intelligit Canones qui vulgo Apostolorum nomine circumferuntur, ubi canone 10 sic statuitur. *Omnes fideles qui conveniunt in solennibus sacris ad Ecclesiam, scripturas Apostolorum & Evangelium audiant. Qui autem non perseveraverint in oratione vsque dum Missa peragitur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes convenit communione privari.* Sic Anacletus Epist. 1. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Item ex Concilio Martini Bracarensis cap. 83 habetur decretum in Gratiano hujusmodi. *Si quis intrat in Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audit, & pro luxuria sua se avertit à communione sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, vt possit communione percepta indulgentiam promereri.* Ambrosius ait, *Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Hilarius, *Si non sunt tanta peccata vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis, & sanguinis Domini separare.* Ex his patet, vel pro superstitioso, qui inani metu detinetur habendum, vel pro prophano, qui peccandi propositum profitetur, & à sacra cœna abstinet, ac neutrum ferendum. *Nam quid possit omnino homini in Christum baptizato obstare, quo minus oblatam Christi accipiat gratus, & hoc sacramento communionem, cum ex ea mensa Domini administratur, quàm quod nolit in Christo vivere & habere ipsum viventem in se, repudietque ita baptisma suum, in quo hanc communio-*

De consecr. dist. 2 c. 18.

Ibid. c. 14. Cap. 15.

communionem primam recepit, fœdusque salutis omne ei renuntiet? inquit Bucerus, & lectorem remittit ad Chrysostomi homiliam 3 ad Ephesios. Contra qui se indignum sentit & fide infirmum eo ipso dignior est. *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere*, ait Ambrosius. Et, *qui vulnus habet medicinam requirit*. Cum ita se res habeat, audiamus quid consulit Bucerus. *Atque quos publica doctrina & hortatu huc non poterunt permovere, ut eos privata admonitione & obtestatione eò adducant: ut desinant tandem cibum vitæ æternæ tam impiè ad æternam ipsorum perniciem fastidire. Qui vero nec sic permoveri se sustineant, ut & S. cœnæ, quotiescunque ea festis diebus publicè celebratur adsint, nisi justis negotiis impediantur, cumque adfuerint salvificam Christi communionem è mensa ejus non accipiant, hi certè debent excommunicari, ut qui baptisma abnegent suum, & fœdus æternæ salutis Domino & Ecclesiæ palam irritum habeant, Ecclesiamque eos ab hac sua pernicie revocantem audire obstinatè recusent.* Præcipua negligentiæ causa est quod opus censent præparatione per opera pœnitentiæ, sicut in ante paschali jejunio, vel quod paschatis cœnam celebriorem & sacratriorem aliis existimant propter quadragesimalem præparationem, & propterea ad tempus illud præcipuè differunt, quia præparationem ad tempus antepaschale differunt. Etsi ad tria tempora obligantur per canonem 21 & Rubricam, tamen nominatim ad percipiendum illud sacramentum in festo paschatis adstringuntur. Rubrica sic præcipit. *Atque hic observa unumquemque è paræcia ter ad minimum singulis annis communicare oportere, nominatim verò ad pascha, ac sacramenta cæterosque ritus juxta hujus libri formam percipere.* Tolle quadragesimale jejunium & paschatis solenniorem Missam, deinde constituantur non tria tantum sed sex vel duodecim stata tempora celebrandæ sacræ cœnæ, experientur totum Ecclesiæ cœtum toties frequentaturum locum publicum & percepturum sacram Cœnam. Si qui negligentiores sint aut contemnant vel ejicere vel poenis & censuris in ordinem cogere possent. Et qua ratione ad tria tempora rubrica vel canone obligant, eadem & ad duodecim, si consultum ipsis videbitur, obligare possunt. Et hoc velle videntur cannone 22 constitutionum anni 1603. *Cum laicorum quisque ad sacræ Cœnæ communionem ter quotannis obligetur, multique nihilo secius vix semel communicent, ministris omnibus præceptum volumus, ut quotiescunque sacramentum illud celebrare voluerint, parochianis suis solenniter in Ecclesia inter preces matutinas idque præcedente die dominico, quo melius veniant præparati, id denunciare non omittant: quas utique monitiones parochiani vicissim suscipere, ac eisdem parere sub periculo & pœna legis tenebuntur.* Si sub poena obstringere possint ad tria tempora possunt & ad plura. Dico igitur tollendum & temporum solennium & præparationum discrimen, quo sublato communicantium numerosos

L. 5 de sacr. cap. 4.

Censura pa. 451.

rosos cœtus habebant etiã absque obligatione ad pœnam. Rubrica autem supra dicta non tam propter communicantes quàm propter missam ipsam trium ad minimum numerum desiderat. Non enim dissimilis est decreto quod extat in Gratiano. *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solennis celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis, Orate pro me, aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi.* Obiter notandum quod in dicta Rubrica additur, *Unusquisque porro ad Pascha computum cum suo Rectore, Vicario, Ministro,* Angli. or Curate, *ejusque vel eorum deputatis annuatim instituet, eisdemque omnia Ecclesiastica debita eo tempore solita numerari persolvet.* Et in alia Rubrica sic edicitur, *Si vero quicquam panis vel vini superfuerit minister,* the Curate, *ad suos usus capiet:* Nihil hic cedit pauperibus, devorat reliquias Curio, etsi de ipsius alimento & sustentatione aliunde prospectum sit. *Panis autem ac vinum in communionem præparatum per Ministrum, atque æditous,* by the Curat and Churchwardens, *Parœciæ sumptibus parabuntur, ipsique Parœcii ejusmodi pecuniarũ summis reliquisque impensis, quas domatim hactenus singulis diebus dominicis pro eisdem erogarunt, liberabitur.* Si sumptibus parœciæ parabuntur panis & vinum per Curionem & æditous, quid retinent offertorium & oblationes, cum hunc in finem præcipuè obtulerint vel potius attulerint veteres panem & vinum & disponebant in mensa unde sumpsit partẽ Minister, consecravit & distribuit cõmunicantibus. Si quod præcipuũ in oblationibus abrogatum, vel alio modo & tempore comparatur quàm per oblationẽ, cur in aliis oblationes retinent. Refert liturgię Examinator ad Westmonasterium cœnam ministrari rotundis placentulis, & conjicit Prelatos pedetentim superstitionem provecturos. Hostiæ rotundæ non modò nihil faciunt ad ædificationem, sed etiam grave offendiculum præbent infirmis, dũ detinentur in errore inveterato de corpusculo Christi in hostia latente, & obfirmantur pontificii. Sacramentalis analogia spiritualis nutritionis obscuratur. *Nam propriè loquendo panis non sunt, sed tenues lamellæ ceu minutiæ viscosæ ex farina & aqua, ferro calente compressæ nutritioni inutiles difficiles, concoctu, ut fatentur Medici. Ideo pharmacopæi non panes sed Nebulas appellant, ventriculum instar glutini cujusdam turgere facientes, ut apparet ex fumigatis, quæ lentore etiam collam superant, ita ut pro cera hispanica ad literas obsignandas à multis usurpentur.* Panis autem sacramentalis talis esse debet, ut vi sua nutritia possit repræsentare nobis spiritualem nutritionem per Christi corpus. Impediunt etiam vel potius omnino tollunt ritum fractionis à Christo institutum, nec ad distributionem satis cõmodæ sunt. *Notum est enim quanta curâ subtiles illas & pluma leviores placentulas in patellis gestare oporteat. Sollicitè cavendum est, ne qua frangatur,*

De Consecr. dist. 1 ca. 61

Paræus de symbol. lib. 1 cap. 6.

gatur, ne qua excidat, ne duæ pro vna fortè arripiantur, aut halitu ministri dissientur. atque diffugiant, cuiusmodi non raro contingere ipsimet non ignorant. Gregorii ætate primum cœpit immutari panis Eucharisticus in placentas rotundas in sacrificio Missæ, quas Coronas oblationum vocabant, ut ibidem probat, sed hæ coronæ oblationum majores erant, & frangi ac distribui commodè poterant. Bernoldus Presbyter, expositor ordinis Romani ut creditur, qui vixit circa annum 1089 ait, ante suam ætatem oblatas ex pugillo similæ ad speciem Coronæ confectas fuisse, & tortam panis vocat. De nummulariis autem hostiis paulò ante ipsius ætatem introductis, & nondum ubique receptis, sic scribit. *Si nihil omnino debet fieri intra vel extra templum Domini absque mensura & ratione, videntur Oblatarum minutiæ ad Christum & Ecclesiam nihil pertinere, quia sunt absque mensura atque ratione.* Cassander in Liturgicis Bernoldi sententiam de hostiis nũmulariis his verbis explicat, *Plura ab eodem auctore alioqui prudenti, pio & Ecclesiasticarum traditionum studiosissimo in eam sententiam dicuntur, qui indignissime tulisse videtur ætate sua in quibusdam ecclesiis oblatas panis, quæ prisca ecclesiæ consuetudine ad vsum sacrificii ad mensam domini à populo fideli offerebantur ad imaginẽ nummorum & ad tenuissimã quandam & levissimã formam à veri panis specie alienam fuisse redicta. Quare per contemptum minutias nummuliariarum oblatarũ appellat, imaginariam & vmbratilẽ levitatem illis tribuit, & indignas esse panis vocabulo pro sua tenuitate, ac propter eas officium atque religionẽ Ecclesiastici officii multum per omnẽ modum confundi asserit, pluribusque & acerbioribus dictis eas insectatur.* Cum transubstantionis commento simul excogitata est ista hostiarum numulariũ forma, ut populo faciliùs persuaderent post consecrationẽ non remanere panem, sed esse Christi corpus sub specie panis, cum tam subtilẽ & minutam formam & umbrã ac spectrum panis potius quã verum panẽ viderent & in ore liquescere sentirent absq; manducatione. Propter execrandã idololatriam cui inserviunt, & confusionem quam efficiunt in administratione cœnæ præcipuè ἀρτοκλασίαν excludendo, abrogandę sunt, non autem revehendę in ecclesias reformatas. Forma panis de se est indifferens, nam perinde est sive sit quadrata sive rotunda, sive globosa & sphærica sive plana placentę forma sive oblonga, modo frangi & distribui cõmodè possit. Sed forma quæ fractionem & distributionem excludit, & analogiam significationis obscurat non est indifferens. Panis fermentatus etiam multo aptior est quàm azymus ad sustinendam sacramentalem analogiam. *Nutrire quidẽ potest etiam infermentatus panis, sed cõcoctu difficilior est, fermentatus autẽ & nutritioni & digestioni est accõmodatissimus fatente Galeno,* inquit Paræus, & panẽ fermentatum magis separare dominicã cœnã à Iudaismo quàm infermentatũ dicit, & panes azymos cum ipso festo azymorum per Christum sublatos,

Liturgici ca. 27 p. 61.

De symbolis l.1.c.10.

Apparetque panes infermentatos Iudaeorum quibus vesci septem integris diebus tenebantur, non fuisse delicias aut cupedias, sed cibum insuavem ac miserum Ægyptiacæ miseriæ symbolum atque μνημόσυνον. Christus panem azymum usurpavit in cœna, non propter mysterium aut significationem, sed propter temporis circumstantiam. Nam instituit post esum agni Pascalis quo tempore non licebat habere panem fermentatum. Necessitate igitur adactus pane azymo celebravit; quod si extra festum azymorum instituisset, proculdubio pane fermenmentato celebrasset. Instituit autem ea nocte qua traditus est ob varias, quas vocant, cōgruentias. Hostiæ igitur infermentatæ non magis pertinēt ad sacramentū cœnæ dominicæ, quàm aliæ ceremoniæ paschatis Iudæorū cum festinatione fugā ex Ægypto significantes. Pergo. Canone 24 Constitutionum anni 1603 statutum in hunc modum, *Per Cathedrales omnes & Collegiatas ecclesias sacram cœnam in festis solennibus administrari volumus, nonnunquam per episcopum (siquidem præsens extiterit) nonnunquam vero per Decanum, quandoque etiam per canonicum vel Præbendarium (ministrum ibidem maximè eminentem) eundemque decente capa amictum ac adjutum ab Evangelij & epistolæ lectoribus (iuxta Admonitiones in septimo Elizabethæ promulgatas) idque iis horis, & cum illa prorsus limitatione, quæ in libro publicæ Liturgiæ præfiniuntur.* Et sequenti Canone, *In Cathedralibus & Collegiatis ecclesiis cessante coena Dominica satis erit tempore Divinorum Superpelliceis duntaxat uti: nisi quòd ecclesiarum Collegiatarum Decani, Magistri ac præfecti, itemq́ Canonici & Præbendarii (dummodo graduati) cum Superpelliceis Caputia gradibus suis respectivè congrua inter rem divinam gerere tenebuntur.* Sed de vestibus sacris dicemus ad finem huius capitis, quia omnibus Liturgiæ officiis communes sunt. De variis gesticulationibus quibus utuntur modo avertendo modo convertendo se ad populum, modo genua flectendo & statim erigendo se ad aliam orationem recitandam, deque orationum duplicatione, repetitione, responsionibus, &c. diximus supra in Officio horario. De Organis & musica instrumentali, & cantu alternato usurpatis in eorum Missa aliisve Officiis diximus capite octavo. Si quis videret cœnam administratam in Cathedralibus ecclesiis, altaria, capas, superpellicea, genuflexiones, adorationem, oblationes, & alia de quibus supra dictum, & musicam instrumentalem & vocalem audiret diceret ovum ovo non esse similius quàm Romanensi Missam Anglicanam.

De geniculatione in percipienda eucharistia dissertaturus præmittam ob majorem perspicuitatem, quæ habet magnus ille Iosephus Scaliger in libro 6 de emendatione temporum de translatis ritibus clausulæ cœnæ Paschalis ad cœnam Domiuicam. Per φρατρίας (id est contubernia quæ συμπόσια & πρασιαὶ dicuntur Marc. cap. 6.) epulis Pascalibus discumbebant & operam dabant. Duplici cœ-

na fungebantur in ritu agni Paschalis. Quinetiam omnia solennia maxima, ut Pascha, Pentecoste, Scenopegia, florentibus opibus Iudæorum ac templo stante, semper duarum cœnarum commissione transigebantur. In priori hostiis immolatis vescebantur. Hoc erat sacrificium illius diei. In altera quædam canebantur ἱλαστικὴ καὶ εὐχαριστικὰ & vocabatur δεῖπνον ἀπολυτικὸν cœna dimissoria, quæ erant veluti secundæ mensæ apud Gentiles. Nam apud illos mensis secundis libabatur, ac potio in calice circumferebatur, & vinum mensis secundis libamentis Deorum impendebatur. Sic Hebræi, quos simiarũ instar imitati Gentiles, epulis sacrificii functi secundis mensis gratias Deo agebant & potionem circumferebant. Secundæ mensæ aliorum solennium variis bellariis instruebantur, easque aut Græco verbo ἐπικώμιον aut patrio *Kinnuah* vocabant. In paschali autem epulo convivæ interdicebantur omni genere bellariorum. In locum enim bellariorum afferebatur in tryblio acetarium ex intybis & lactucis agrestibus, quorum quia tristis succus & amarus, propterea ex aceto ac aliis nescio quibus embamma conficiebatur, in quod azyma & amara illa olera intingebantur: vocabatur *charoseth*. Id hodie conficitur ad spissitudinem illius embammatis, quod nonnulli mustaceam, Galli Mustardam vocant. Erat enim satura olerum amarorum, quæ aliis eiusmodi spissabatur. Primum offam azymam in illud intingebat Paterfamilias quam devorabat, deinde sub gausape aut mappa aliam tortam azymam reservatam in tot frustra frangebat, quot in contubernio sive φρατρίᾳ convivatores erant. Frustum erat magnitudine olivæ quod singillatim & ordine omnibus porrigebatur. Paterfamilias offam in tryblio intinctam devoraturus carmen benedictionis præmittebat. *Benedictus es Domine, Deus noster, Rex sæculi, qui sanctificasti nos mandatis tuis, & præceptum dedisti super esu panis Azymi.* Hoc carmine functus paterfamilias, & primus omnium azymis operatus, cum τὰ κλάσματα azymi contubernalibus aut domesticis distribueret, hoc carmine, stante templo, sacrum prosequebatur, *Iste est panis ærumnæ quem comederunt maiores nostri in terra Ægypti. Quisquis esurit accedat & Pascatizet, cuicunque opus est, accedat, & Paschatizet* His peractis poculum delibatum tradebat proximo, ille secundo, secundus tertio, donec per totam φρατρίαν circumferretur potio. Carmen autem quo poculum prosequebatur huiusmodi erat, *Benedictus es Domine Deus noster Rex sæculi qui creasti fructum vitis.* Poculum autem illud vocabatur *Kos hillel* ποτήριον ὑμνήσεως. Poculum autem hymneseos ideo vocabatur, qnod hymno post potionem decantato abibant. Hymnus enim ille erat τὸ ἀπολυτικὸν τοῦ δείπνου. Nam canon Paschalis disertè interdicebat post poculũ laudationis aliquid cibi aut potus sumere. *interdicitur aliquid comedere post poculum hymni.* Vt cœna duplex, ita & lotio, una quotidiana non solum

Iudæis

Iudæis sed & Gentibus usitata. Quia enim in lectis discumbentes epulabantur, propterea prius depositis soleis lavabant, ne scilicet pulverosis pedibus strata inquinarent. Iudæi superstitiosiores non pedes tantùm, sed & totum corpus intingebant. Puriores verò à superstitione pro universali illa βαπτίσει contenti erant ποδονίπτρῳ, hoc est pedilavio. In ritu autem Paschali aliam habebant lotionem post esum agni, de qua Canon. *Opus est secunda lotione tingi intybis*. De duplici lotione aliisque ritibus noctis Paschalis ex Iudæorum rituali habet ista. *Quam diversa hæc nox à cæteris noctibus, quòd in alijs noctibus semel tantum lavamus: in hac autem bis. Quòd in reliquis noctibus comedimus sive fermentum sive azymum: in hac autem omnino Azyma. Quòd in reliquis noctibus vescimur oleribus omne genus: in hac autem intybis. Quod in omnibus noctibus tam edentes quàm bibentes vel sedemus vel discumbimus: in hac autem omnes discumbimus*. In ultimo paschate, quod celebravit Christus lotio iterata fuit, primum ex consuetudine quotidiana, vt discumberent & agnum comederent. Deinde δείπνου γενομένου ex ritu pascatis. Petrus itaque non quod iterum lavare necesse sit miratur, ut qui sciret in prima Azymorum hoc solere fieri, & lotionem iterari, sed quod discipulus à Magistro, famulus à Domino, homunucio a vero Deo διακονεῖται. Fuit etiam duplex cœna in continenti, cum duæ lotiones vtramque præeant; una ordinaria in qua Agnus quoque comeditur, altera in qua fractio panis azymi & intinctio azymi in tryblio embammatis, Ioh. 13. 26. & denique post poculum hymnus cantatur ex ritu paschali. Hactenus Scaliger. Lotis igitur pedibus discubuerunt, agnum cum pedibus azymis comederunt, hac cœna peracta surrexerunt, ut alia oblatione ad secundas mensas sese compararent. Christus more inusitato pedes discipulorum lavit, qui illius pedes lavare potius debebant, ut humilitatem eis hoc humilitatis suæ exemplo iam decessurus commendaret. Rursum discumbunt in lectis, herbis amaris vescuntur Christus caput hujus contubernii, offam in embamma intingit dedit Iudæ, qui statim exiit. Aliam tortam azymam ad cœnæ clausulam reservatam accipit Christus, benedixit, sed aliis verbis quàm Paterfamilias solebat, benedixit autem autem & sanctificavit, ut esset corporis sui symbolum & pignus. Quibus verbis sanctificavit & bene dixit non exprimitur, fregit & dedit, non singulis, sed proximis, & dixit porrigens, non verba illa solennia quæ usurpabat paterfamilias, *Iste est panis miseriæ, &c.* sed *accipitec, dite, hoc est corpus meum, &c.* Panem miseriæ sacramentum fecit panis vivifici. Similiter accepit poculum, gratias egit, & benedixit, non illa solenni verborum formula quam usurpabat paterfamilias, dum poculum hymni in manus sumeret, sed mutatis

tatis verbis ad præsens institutum sanctificavit ut fieret symbolum sanguinis sui. Poculum tradidit proximo, ille secundo, secundus tertio, donec per totam φρατρίαν circumferretur, & dum porrigit dixit, *bibite ex eo omnes. Hoc est enim sanguis meus novi fœderis* &c. *De Missa l. 1 c. 1.* his omnibus absolutis hymnum cecinerunt. *Et hic proculdubio hymnus ille*, inquit Mornæus, *qui in Azymorum solenni ritu cœnam claudere solitus, psalmus, si ritualibus Iudæorum fides 114 & 115 vel si Burgensi à 113 ad 119 omnes.* Sed an Christus & Apostoli hos psalmos cecinerint, incertum, cum pleraque alia mutaverit Christus in cœnæ clausula. Hunc solennem hymnum magnum Hallelujah vocant Iudæi.

Gestus seu situs corporis in percipienda Eucharistia non est indifferens, ut volunt quidam, qui perinde esse censent, sive sedendo sive stando sive transeundo, sive genua flectendo quis percipiat. Transeundo aut inambulando Eucharistiam percipere confundit ordinem institutum à Christo, & ritus quosdam institutionis excludit. Genua flectere non modo excludit ritus institutionis, sed etiam præceptum secundum de vitanda idololatria multis modis violat. Stando circum mensam percipere Eucharistiam de ritibus & forma institutionis nihil detrahit, non tamen est situs convenientissimus, quia non ordinarius convivarum gestus, & propterea obscurat dignitatem illam ad quam nos evexit, & familiaritatem ad quam vocavit dominus. Sedendo percipere convenientissimum, quia sic nec ritus institutionis violantur, nec superstitionis aut idololatriæ periculum secum trahit situs iste, dignitatē & familiaritatē ad quam vocati sumus meliùs exprimit, & exemplo ipsius Christi & Apostolorum in prima institutione, & Apostolicarum post Ecclesiarum nobis commendatur. Christus & Apostoli in prima cœna non stantes aut transeuntes, sed accúbentes perceperunt elementa. Sunt inter nostrates qui fatentur Christum & Apostolos accubuisse, dum vescerentur cœna Paschali, at non dum celebraretur sacra cœna Novi Testamenti, quia, inquiunt illi, cum solenne fuerit Christo dum oraret aut gratias ageret, genua flectere, credendum est Christum & Apostolos, dum gratias ageret & benediceret, geniculatos, nec postea mutasse gestum illum ante peractā cœnam. At Evangelistę dicunt *edentibus illis*, nempe discipulis de cœna secunda postquam rursus discubuissent. Si edentibus illis, etiam discūbentibus illis. *Vnde, quod dicit Matthæus cœnantibus autem eis accepit Iesus panē & benedixit, & quod Marcus ait, & manducantibus illis accepit Iesus panem & benedicens fregit, idem est, ac si dixisset, recumbentibus illis*, inquit Baronius. *Annal. tom. 1 an. 34. num. 44.* Sed Matthæus & Marcus, inquiunt, interpretandus est per Lucam Evangelistam, & Paulum Luc. 22 19, 1 Cor. 11 24. *Similiter postquam cœnavit* &c. Respondeo illud dici de poculo non de pane. *Similiter*, id est, ut sumpsit panem & gra-

tias egit, sic etiam postquam cœnavit, sumpsit poculum & gratias egit, &c. Edentibus illis sumpsit panem, sed intercedente actionis parte prima inter cœnam paschalem & poculum jure dicere potuerunt Lucas & Paulus, *Similiter postquam cœnavit* &c. Nec necesse erat ut Bellarminus eorum sententiam amplecteretur, qui ex his verbis colligunt Christum instituisse sacramentum sub specie panis in ipsa cœna Paschali, & non nisi multis interjectis sumpsisse poculum, cùm contrà credendum potius sit *per modum unius signi* tantum mysterium instituisse, & nulla alia interjecisse. Nam per verba illa *edentibus illis* aut *cœnantibus illis* nihil aliud significatur, quàm dum adhuc comederent, & nondum desierant, non autem quod postea pergerent comedere de cœna paschali ante benedictionem poculi. Frustra igitur hinc colligit cœnam sub unica specie, nempe panis, propriè loquendo fuisse institutam. Detur etiam dixisse Evangelistas de pane, Christum postquam cœnasset eum sumpsisse, gratias egisse, tamen non sequeretur non edentibus illis sumpsisse. *Quamvis autem totum sacramentum post cœnam institutum fuerit, in ipsius tamen cœnæ fine institutum est cum adhuc discumberent & manducarent. Nam manducarunt cibos alios quousque ad institutionem cælestis cibi ventum est. Ideoque Matthæ. & Marc. aiunt, Manducantibus ipsis effectum esse hoc sacramentum. Adhuc enim manducabant cum dominus accepit panem, benedixit, & fregit.* Quod de Christo genua flectente, dum oraret aut gratias ageret, afferunt, si semper ita fecisse intelligant, falsum. Cum paterfamilias in clausula cœnæ paschalis erat benedicturus, non surrexerunt ille & reliqui convivæ, ut genua flecterent. Brevior erat solennis verborum formula, & citius absoluta quàm ut potuissent commodè surgere & in genua rursum procumbere. Eundem morem servasse Christum credibile est, & probatur certum esse ex eo, quod nunquam benedicentes ulli creaturæ procubuerint Iudæi in genua. Qui benedicit maior est eo cui benedicit, quatenus nempe benedicit. Ideo cum benedicerent sacerdotes populo, levarunt, cum certæ personæ, imponebant manus, non procubuerunt ante populum vel certam illam personam cui benedicebant, sic cum rebus aliis inanimatis, ut cibis benedicebant sive communibus sive sacris, non procubuerunt in genua. Christus cum Emaunte sederet ad mensam benedixit Luc. 24 30. *Et factum est, quum discubuisset cum eis sumpto pane benedixit:* quem locum quidam interpretantur etiam de sacra coena. Sic Matth. 14 13. *Et jussa turba per herbas discumbere acceptis quinque illis panibus, ac duobus piscibus suspiciens in cœlum benedixit.* Discumbentibus illis benedixit quinque panibus, & tantùm levavit oculos. Oculorum elevatio fuit quidem Christo familiaris, ut hîc vides & Marc. 6 & 7, Luc. 9, Ioh. 6 11 & 17. Ambrosius in coena etiam oculos ad coelum sustulisse dicit, præterea nihil.

De Eucharistia l. 4 ca. 27.

Barradius tom 4. l. 3 c. 2.

De sacram. l. 4 c. 5.

Dico

Dico igitur contrà nunquam Christum aut Iudæos aut Apostolos dum benedicerent ulli creaturæ procubuisse in genua, partim ad vitandam omnem idololatriæ speciem, partim ut dixi, ut superioritatem ceu maioritatem, ut ita dicam, benedicentis in hoc actu ostenderent. Ineptè & absque ullo scripturæ exemplo facere mihi videtur, qui elementis panis & vini in sacra coena benedicturus procumbit in genua. Præterea nec illud verum Christum extra benedictiones hasce, semper in genua procubuisse, dum oraret, Ioh. 17 tantum levasse oculos dicitur, & excitaturus Lazarum, Ioh. 11, etsi opus editurus extraordinarium & miraculosum. Quod si & istud etiam daremus, dum benediceret Christus, illum & Apostolos genua flexisse, non tamen sequeretur gestum illum continuasse. Nam poculum circumferebatur à primo ad proximum, & sic deinceps. At cum isto ritu non convenire geniculationem gestum adorantis ipsi fatentur. Præterea, si mutasset situm corporis in coena Paschali, nempe accumbendi mensæ, in genuflexionem in coena Evangelica non id celassent Evangelistæ. Nam cum alia omnia, quæ mutata, enarrant, rem tanti momenti, nempe mutationem gestus ordinarii & communis in gestum adorationis & aliûs naturæ non omisissent. Nam si mutasset, instituisset. In quem enim finem alioqui mutasset, nisi ut ostenderet in Evangelica coena adorandum, non discumbendum ut in coena paschali. Si instituisset, tunc peccassent & adhuc peccarent omnes Ecclesiæ geniculationem in percipienda Eucharistia non usurpantes, quod ipsi formalistæ non audent asserere; denique, cum Christus porrigeret panem, dixit, hoc est corpus meum, non concepit precatiunculam, cujus prætextu geniculationem suam palliare student Adversarii. Nec stetisse Christum & Apostolos patet, quia gestum illum aut corporis situm non ferebant lecti tricliniares, in quibus discumbebant mensæ accumbentes in coena Paschali. Nam oportebat mutato situ in coena Evangelica, vel stare super lectos, vel inter lectos & mensam. Priori modo nimis remoti fuissent à mensa, posteriorem non ferebat lectorum tricliniarium dispositio & collocatio circa mensam. Si tantum intervallum fuisset inter mensam & lectos tricliniares, tum in coena paschali discumbentes in lectis non potuissent commodè percipere, quæ disponebantur in mensa. Non stetisse in coena paschali fatentur, quia Evangelistæ dicunt disertè eos accubuisse. Futiles istæ assertiones confutatione non sunt dignæ si non Episcopus Roffensis, & post eum duo inter nostrates doctorculi contra unaninem interpretum cum veterum tum recentiorũ consensum audaci impudentia incertum asserere non dubitarent. Cum igitur nec genua flexisse, nec stetisse in coena Evangelica constat, sequitur accubuisse. Testimonia accumulare vel veterum vel recentium auctorum esset otio in re tam manifesta

abuti. Sufficiat versus iste. *Rex sedet in Coena turba cinctus duodena. Se tenet in manibus Se cibat ipse cibus.* Turrecremata vocat versum antiquorum, vide etiam Aquinatem 3 quæst. 81 art. 1. Sed audiamus quid contrà Tilenus. *At enimvero piaculum est à Christi exemplo discedere, quem in hoc epulo non solum non flexisse genua, sed etiam in lecto accubuisse docet historia sacra. Cur igitur vos veterem illam in lectis tricliniaribus cubandi consuetudinem in sessionem versam tam æquo fertis animo? Reperitur quidem vocabulum Iashab, quod propriè est sedere, etiam accumbendi significatione, vt Ezech. 23 41 vbi mulier κατακλῶσι in lecto sedere dicitur. Christum vero decubuisse & vos vrgetis & Iohannis in Christi sinu recumbentis situs, & vocabula ἀναπεσεῖν ἀνακλίνειν, ἀναπίπτειν ab Evangelistis vsurpata manifestè evincunt. Cur coetera primæ illius coenæ adiuncta insuper habetis neglectis temporis, quod vespertinum, loci, qui privata domus; panis, qui azymus erat, circumstantiis? Cur privatam coenam prius non sumitis, eaque peracta in secundis demum mensis sacram hanc celebratis? Cur pedilavium diserto Christi mandato subnixum omittitis? Ioh. 13 14. Neque vero negari potest inter sacramentales ritus olim vsurpatum fuisse τὸ ποδόνιπτρον; antiquatum tandem postquam considerarunt Ecclesiæ antistites, Christum regionis ac temporis illius ratione habita nihil aliud præter promptum alacremque ad quævis mutuæ charitatis & ædificationis officia præstanda animum hac synecdoche designasse; quomodo & Paulus diaconissarum sedulitatem & diligentiam hoc quasi documento explorandam esse docet, 1 Tim. 5 10. Nimium verò in re tam seria ridicularii sunt, qui in sessionis ritu expressam nostræ cum Christo societatis & vnionis imaginem cerni negatur. Quasi vero aut in hoc corporis situ, non nisi ad corporis nostri in vulgaris cibi sumptione quietem, & refectionem apto, sita sit vnio merè spiritualis ac planè μυστηριώδης, aut Iudas quoque quem mensa sua dignatum Christus, eodem cum reliquis modo accumbere passus est, vnionis illius fuerit particeps, aut Christus jam ad dextram Patris sedens in supremo exaltationis gradu, non minus hodie præsens sit corpore, quoties Eucharistiam celebramus, quàm fuit in illo postremi agonis vestibulo, infimoque suæ κενώσεως gradu: denique sessio non minùs ad sacramentales ritus pertineat, quàm ipsa symbolorum consecratio, panis fractio, distributio, sumptio, & manducatio: quod si qui asserunt eadem illi διατάξεις ἀρραγεῖς etiam lectos tricliniaries, mensamque sacramenti partes integrantes esse deinceps affirment.* Nihil hîc novi affert Tilenus, & confutavit ista omnia author parasynagmatis, sed dissimulat Tilenus. Dixit author ille Christum & Apostolos discubuisse ex more & consuetudine gentis, quem in conviviis frequenter vsurpabant maximè in coena paschali, ut patet ex verbis quæ supra vidimus descripta è Rituali Iudæorum, & collocatam fuisse mensam in coenaculi vel aulæ medio, ut ministri à tergo stare possent & ministrare convivis qui dicti sunt propterea *stare a pedibus* ut probat ex Seneca

De summa Eccl. l. 1. c. 39.

Seneca & Suetonio Petrus Ciacconius in tractatu de Triclinio, & quandoque lectos Tricliniaries tam altos fuisse præsertim divitum ut oporteret per gradus ascendere. Inde colligit ineptiisse Roffensem, qui dixit peccatricem Luc.7 38,quæ dicitur stare ad pedes Christi retro, & rigare pedes ejus,& capillis capitis sui extergere, fuisse in illo ministerio in genua provolutam, & stare ibi significare in genua procumbere. Secundo dixit ridiculum esse imitari Simiarum instar situm corporis, qui usurpabatur ex more gentis nec ordinariè quidem sed in lautioribus epulis; sat esse, si more gentis nostræ sedeamus. Nam sunt tantum nationales hæ differentiæ,sedere erectum vel inclinatum in cubitum. Et ut non adstringimur vino rubro aut Iudaico magis quàm albo aut Gallicano, sic non modo & formæ in situ corporis. Qui stat erectus vel qui in parietem inclinatus,uterque stare dicitur, sic,qui erectus vel in cubitum inclinatus sedet, uterque sedere dicitur, & tam exiguam esse differentiam dixerat author ille inter utrumque corporis situm,ut non modo Anglicana versio indifferenter utrumque *sedendi* verbo exprimat, sed etiam ipsa scriptura ut Ezechiel 23 41. *Hic situs neque planè jacentis est, neque planè sedentis, idcirco Hebræi hoc dixerunt Sedere in lectis Ezechiel 23 41, de muliere delicata & peccatrice, Sedet in lecto magnifico & mensa instructa est ante ipsum,& in superiore loco Mosis de fratribus Iosephi, Onkelos verbum hebraicum quod sedere significat, expressit verbo aschad quod Syris est accumbere*, inquit Casaubonus. Vides verbum *jashib* etiam de iis dici, qui in lectis tricliniaribus decumbunt, sic Genes. 43 33, sedent fratres Iosephi in convivio quod ipse illis exhibet, cum tamen Iosephus eandem fratrum Iosephi historiam commemorans κατάκλισιν illis attribuit. Non sequitur igitur, imitandum exemplum Christi sedendo, Ergo eodem modo sedendum. Nam ex regionis consuetudine sic faciebant. *Rabbi Schelomo modum accumbendi Iudæorum indicat, explicans vocem jattu his verbis. Vox jattu accipienda est notione Mesiba accubitus: quia omnis accubatio ad epulas fit cum inclinatione: accumbens enim innititur sinistræ suæ.* Sunt qui à Romanis,alii qui à Persis hunc morem convivandi transiisse ad Iudæos censent, sed ex 1 Sam.9 22, Proverb.7 14 16, Cantic. 1 12, patet antiquissimis temporibus coepisse. Et videtur primos homines, ut conjicit Causaubonus, humi jacuisse cubito sinistro innixos primis sæculis,quia probabile non est illo rudi sæculo mensis,scamnis,sedilibus, cathedris nondum inventis sedisse, more nostro. *Postea lecti sunt, inventi, mensæ, scamna, cathedræ, & totum instrumentum domus ad usus huius vitæ necessarium. Tum etiam sedendi ratio hodierna est inventa, & hominibus industriis à voluptate alienis facile probata atque passim recepta consuetudine jacendi in morem sedendi vertente.* Hic mos observatus à Iudæis præsertim in paschate, ut supra dictum

Exercit. 61 pag. 490.

Casaub. ibi

Exercit. 37 p. 489.

Scalig. de emend. temp. l.6.p.534.

tum. *Hinc patet quare Dominus* ἐν ἀναγέῳ μεγάλῳ ἐστρωμένῳ *velit ſibi parari paſcha. Intelligit enim cœnaculum magnum lectis ſtratum quos Hebræi Meſibboth, ſicut ipſos diſcumbentes Meſibbim vocant.* Vox *Meſab* Cantic 1. 12. accubitum ſignificat circularem propriè, ait Buxtorfius in Lexico: *in orbem enim antiquitus ſedebant*. Hunc morem hodie non obſervant ipſi Iudæi, ſed ſedent more noſtro. Cum igitur accubitus iſte ſit genus quoddam ſedendi,; & non planè jacentis, ſed partim jacentis partim ſedentis ſitus, ut ſupra dixit Caſaubonus, imitatio non ultra genus ipſum ad modum nationalem extendenda eſt, ſed ſufficit illum ſervare qui analogicè illi reſpondebat, & quem aliâs Iudæi ipſi uſurpabant. Hæ voces ἀναπίπτειν, ἀνακεῖσθαι, & ἀνακλίνειν, quandoque uſurpantur ab Euangeliſtis ad hunc ſitum exprimendum, ſed impropriè, iudicio Athenæi. Nam primam de animo propriè dici vult Athenæus, l.1.c.18. & idem ſignificare quod contriſtari & parvi facere, ſecundam de ſtatuis: tertiam pro κατακλίνεσθαι, poni Matth. 8. 11. vult Theod. Beza. Præterea, ut in forma panis & forma fractionis judaicum morem obſervare neceſſe non eſt, ſic nec in ſitus forma vel poſitura corporis, modo genere idem ſit analogicèque ex more gentis ei reſpondeat. Denique Apoſtolicæ, quæ poſtea ſequutæ ſunt eccleſiæ hunc morem accumbendi non obſervarunt, ſed communem ſedendi. Nam cum à lectorum convivialium, ſive diſcubitoriorium numero antiquitus domos appellabant οἶκον τρίκλινον πεντάκλινον δεκάκλινον ἑκατοντάκλινον, & Plutarchus divites illos νεανιεύεσθαι hoc eſt luxuriari ceu ineptire dixerit ſympoſ. 5. qui domos τριακοντακλίνους id eſt triginta lectorum & ampliores ædificant, non eſt credibile eccleſiam Corinthiacam aliaſve eccleſias Apoſtolorum ætate in lectis diſcubitoriis accubuiſſe vel ad ſacram Euchariſtiam percipiendam vel ad agapas. Præterea non erant commodi in conventibus Chriſtianorum, ubi cœtus erant numeroſiores quàm qui requirebantur ad unum contubernium in cœnaculo ad cœnam paſchalem, nec tam commodè poterant auribus percipere verba concionantis. Quod ad cætera illius primæ cœnæ adjuncta tempus veſpertinum, locum, panem azymum, pedilavium, &c. Reſpondeo non eſſe eandem horum & geſtus ceu ſitus corporis rationem. Nam lotio pedum peracta fuit ante ſecundam cœnam cœnæ paſchalis quæ duplex erat, antequam comederent acetarium, ut patet ex ſuperioribus, cum de cœna Evangelica nihil fuerat inſtitutum ante ſecundæ illius cœnæ clauſulam, & propterea non ſignificabat præparationem ad euchariſtiæ perceptionem ſed eo ſigno Chriſtus humilitatem & charitatem eos docebat jam

mi-

migraturus, nec ritum sed rem ipsam illis commendavit. *Nam hoc mandatum praecepit humilitatem & charitatem, vt exponunt Chrysostomus & Cyrillus, non autem ipsam materialem lotionem pedum, vt patet ex praxi ecclesiae: nunquam enim putarunt se habere speciale mandatum de lotione pedum,* ait Bellarminus. Ideo mirum non est non usurpatam in Ecclesia Romana cum in Mediolanensi servabatur tempore Ambrosij ut sacra ceremonia, sed ridicula imitatione. De stulta aemulatione huius ceremoniae sic Lutherus in Genes. 43. *Fuit pulcherrima consuetudo,* nempe lavandi pedes *in populo Iudaico, hodie verò exolevit, & mansit tantùm ceremonia in Ecclesia Papistica quam solenniter observant Reges Episcopi & Abbates in die coenae Domini, cum succincti linteo lavant pedes duodecim pauperum, & postea coenantibus ministrant. Ita enim voluerunt imitari exemplum Christi, vt superbirent & gloriarentur in illo opere, interea verò occidunt Christianos, & persequuntur verbum.* Praeterea ait, *Principes aliqui & Papistae toto anno non lavant pedes pauperibus, cum lavant certo tempore eliguntur homines prius loti.* Dixit supra Scaliger ποδόνιπτρον usurpatũ fuisse non solum in hac coena paschali, cum Christus instituturus erat sacrã coenam, sed etiam aliis coenis paschalibus, nunc autem nihil singulare fuisse, nisi quòd Christus discipulorum pedes lauerit, qui illius lavare potius debebant. Lotionis pedum fratrum peregrinorum in populo Iudaico, & illius, cuius mentio 1. Tim. 5. 10. alia ratio, ut notum est. Non erat ceremonia sed reipsa opus charitatis praestitum à servis vel famulis & à Diaconissis peregrè advenientibus. Videmus igitur non esse parem rationem sessionis quae lotionis pedum. Quae Christus huius ministerii occasione egit similiter non sunt imitanda, nec habent eandem rationem quam positura corporis, vt quod Christus exuit se pallio, & discubiturus rursus induit, vt regerit in authorem Parasynagmatis Doctorculus quidam. Nam ἱμάτια, id est pallium posuit, quia habitum servi assumpsit ut ministraret discipulis lauando ipsis pedes. *Servorum erat sine pallio aut alia veste exteriore tunicatos & cinctos vel etiam linteo succinctos ministrare.* Ingenui, qui servilia munera erant obituri, servilem illum habitum assumpserunt. *Pallium & omnis exterior vestis, qua brachia includit, inepta est ad ministeria quae liberum brachiorum motum requirunt: ideo servi ponere soliti: ideo etiam Christus ponit.* Cum occasione pedilavii tantùm exteriorem vestem ceu pallium posuisset, quidni absoluto hoc ministerio mensae accubiturus rursus indueret. Praeterea nondum ventum erat ad institutionem coenae, non igitur propter coenam Evangelicam magis quàm propter paschalem hoc fecit. Veniamus ad circumstantias, & alia adjuncta primae illius coenae tempore institutionis. Dixit author Paras. cum transiit Christus à clausula coenae Paschalis ad institutionem coenae Evangelicae quaedam mutasse, quaedam retinuisse caetera necessitate quadam

De effect. sacram. c. 27.

Casaub. exerc. pag. 425

quadam legis & præcepti impediente mutare non potuisse. Inter duas vesperas agnus Paschalis commedendus; Vespera mutari non poterat in tempus matutinum absque miraculo, nec fas erat propter ritum Paschatis. Pane azymo celebravit non fermentato, quia durante festo nefas erat habere fermentatum panem, & legem Dei de azymis violare noluit Christus. In cœnaculo ceu privata domo etiam paschatis occasione. Non poterant omnes uno loco comedere. Ideo qui erant peregini cœnacula conduxerunt. Cœnacula autem meritoria quæ locabant ii, qui cœnaculariam exercebant, olim in superiori ædificii parte extructa fuerunt. Qui omnium tenuissimi erant cœnacula tegulis proxima conducebant. Inde Iuvenalis, *Vltimus ardebit quem tegula sola tuetur. A pluvia molles vbi ponunt ova columbæ.* Futile est igitur quod contra sessionem regerunt, quòd Christus non mutaverit cœnaculum superius in locum aliquem inferiorem. Circumstantiæ loci & temporis communes sunt omnibus actionibus humanis, & eas determinatas servavit Christus quas necessitas legis vel occasio præsens cogebat. Cum in cœnaculo & privata domo occasione tantum Paschatis celebravit cœnam, nugatur qui quærit cur magis in superiore cœnaculo quàm in inferiore, cum in neutro, nisi ex temporis hujus circumstantia necesse erat illi cœnam instituere. Quod etiam in tam parvo cœtu, factum eadem occasione. Nam tot adesse oportebat, qui agno comedendo sufficerent. *Sciendum est prodente Iosepho lib. 6. cap. 31. de Bello Iudaico agitata fuisse hæc convivia in privatis ædibus κατὰ φρατρίας: i. per contubernia non pauciorum quàm denûm virorum, interdum etiam vicenûm*. inquit Theod. Beza in Math. 26. 20. Fulco in hunc locũ ait verisimile alios præter 12 Apostolos adfuisse, quia vix poterant viri 13 comedere solidum agnum anniculum, & non negari alios adfuisse, sed ullum ex duodecim Apostolis abfuisse. Sed sat est, quòd non plures convivæ, quos Hebræi *filios societatis* vocabant, requirebantur, quàm qui justum contubernium constituerent, & ea occasione in tam parvo cœtu. Nam totus populus in contubernia ista divisus erat, nec à suis contuberniis & societatis filiis avocandi erant. Sed accumbendi situs in genuflexionem facilè mutari poterat. Non enim speciali lege Paschatis adstrictus erat ad accubitum, nec ad standi situm. Nam dubitant Barradius, Suarez, & Iansenius, num imperatum fuerit Israelitis ut comederent agnum stantes, & nullam circumstantiam earum quæ præscribuntur Exod. 12. id cogere dicunt. Nam etsi baculos in manibus tenere ibi adstringebantur, non tamen sequitur propterea stetisse. Sed quia recepta est altera sententia respondetur non imperatum fuisse, nisi prima illa vespera in Ægypto observandum. *Cum in lege præcipiatur, vt in procinctu & stantes atque calceati agnum immolarent, Christus tamen cum discipulis discumbens in triclinio* ἑορτάζων *pascha*

De emendat. temp. l. 6. pag. 534.

simmov

immolavit. Non videntur Israelitæ in procinctu pascha vllum comedisse, præter primum illud quod ex Ægypto migrantes comederunt. Procinctus enim significabat necessitatem properandi, & imminentis hostis periculum. At deinceps nullo hoste imminente securi, non autem stantes sed sedentes pascha semper comederunt, cuius securitatis manifesta hodie extant in Rituali Iudæorum argumenta, inquit Iosephus Scaliger, *Sciendum est*, inquit Tremelius in Matth. 26, *ibi nempe Exod. 12, præcipi, qua ratione exituri ex Ægypto prima illa vice comedant pascha, paulò antequam exeant ex Ægypto & iter ingrediantur, quia ita exigebat illius temporis necessitas. Sed in lege deinde vbi præcipitur, vt ceremonia illa agni Paschalis quotannis renovetur, ea non adduntur. Quapropter omnes Hebr. doctores, tum antiqui tum recentes, summo consensu dicunt mandatum illud de aspergendis sanguine postibus, de induendis calceis accingendis lumbis, atque sumendis baculis, & cum festinatione agno comedendo, non se extendisse ad generationes sequuturas, sed tantum fuisse illius noctis qua egressuri erant ex Ægypto. Imo antiquissima fuit apud eos traditio (quòd in Talmund tractatu de paschate commemoratur) vt manducaturi Pascha in signum libertatis adeptæ discumberent.* Sic nec ad discumbendum adstringebatur Christus ulla speciali lege paschatis. Cum igitur absque ulla violatione divini instituti mutare potuit accubitum in alium corporis situm & tamen noluit, eo ipso docuit retinendum illum situm eive analogicè respondentem more gentis, ut communem epulis & conviviis sacris veteris & Novi Testamenti. Et proculdubio ex analogia juris communis & consuetudinis in aliis epulis sacris intellexerunt Iudæi post primam illam vesperam non amplius standum, sed more aliis epulis sacris communi sedendum vel discumbendum, & propterea Christus eundem situm retinuit in epulo Eucharistico Novi Testamenti. Vnde vides non sequi pari ratione concionantem debere imitari Christum sedendo quia sedit Christus dum doceret, Nam in eo non imitandum ostendit ipse Christus, qui modo stetit ut Luc. 6 modo sedit ut Mat. 5 prout ferebat opportunitas loci vel temporis, & Apostoli stabant exhortantes Act. 13, & qui prophetabat 1 Cor. 14 30. Et dum starent exhortantes aut prophetantes Apostoli aut prophetæ sedebant auditores. *Audientes sedere prophetantes stare significat dicendo, Quod si alii sedenti*, inquit Cajetanus 1 Cor. 14 30. Et Act. 20 9 *sedebat quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, dum dissereret Paulus.* Et nos hîc in convivarum æquè ac ipsius Christi accubitu imitationis exemplar propositum nobis dicimus. Præterea instituit Christus actionem ritualem, ubi exhibetur symbolum & signum sensibile objectum oculis discipulorum. Coram objecto quovis sensibili non licet liberè & indifferenter quemvis situm corporis usurpare. Præterea hîc habetur nova institutio ritualis actionis. In primis institutioni-

bus sacrarum ceremoniarum solet idea perfecta rituum omnium & actionum describi, ut exemplar imitandum, & quis Christo accuratiùs depingere potuit verbis, actionibus, gestu aut situ corporis, quid imitandum. Censeo igitur quæcunque Christus vel mùtavit transiens à clausula cœnæ Paschatis ad institutionem cœnæ Evangelicæ, vel retinuit, si mutari facile potuissent, nulla vel naturali necessitate vel divinæ legis instituto impediente, imitanda esse. Quamvis enim nec in miraculosis operibus, nec actionibus naturalibus, ut edendi bibendi &c. Christum imitari teneamur, tamen in moralibus & ritualibus imitari debemus, præsertim iis quæ instituens observavit Christus. Cum igitur Christus & Apostoli, dum Christus institueret cænam, accumbentes, & proinde quodammodo sedentes, ut suprà dictum, de sacra cœna participarunt, nos eundem corporis situm more gentis nostræ in hac sacra cœna observare debemus. Exemplar primæ institutionis imitatæ sunt Ecclesiæ Apostolicæ. Cum enim sacra cœna cum agapis in quibusdam Ecclesiis conjuncta fuerit, & cõmunis mensa utrisque, non est verisimile in agapis sedisse, in sacra cœna stetisse, multò minus in genua procubuisse. Conjunctas fuisse dicit Casaubonus, cum ait, *Paulus totam illam Corinthiorum actionem quæ sacro & communi convivio constabat à potiori parte vocat Cœnam dominicam.* Augustinus non modo conjunctam, sed agapis permixtam fuisse putat sacram cœnam, teste Baronio, *Corinthios autem inter cœnandum miscentes sacra communibus, quod correxit Paulus, Eucharistiam sumere consuevisse Augustinus epist. 118 ad Ianuarium affirmat.* Et num. 136 ait, *scriptum à Philone convivium sacris videtur admixtum.* Philo autem de Essenis loquitur non de Christianis; sed sive Esseni sive Christiani fuerint illi de quibus scribit lib. de vita contemplativa discumbebant super στιβάδας storeas. Locum Philonis illustrat Iosephus Scaliger alio Cassiani Monachi collat. 1 cap. ult. *Iis ipsis, quibus insidebamus, Psiathiis admones incubare, embrimiis pariter capiti nostro cervicalium vice suppositis, quæ crassioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis, sesqui pedali intervallo moliter nexa nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem fratribus in Synaxi considentibus* &c. Si tales Corinthiorum agapæ quales fuerint Essenorum, non modo conjunctæ erant, sed confusæ sacra cœna & agapæ, & in utrisque sedebant vel discumbebant. Correxisse hanc confusionem Apostolum ait Augustinus, non autem situm corporis. Hæc ejus verba, *Non debent fratres mensis suis ista miscere sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat.* Paulus factiones & contentiones reprehendit. Quæque factio aliam prævertebat ut in agapis sic & in cœna, quia conjunctæ erant. *Ideo,* inquit Bilsonus, *separatæ Agapæ & separatam cœnam secum traxerunt, quæ ministrabatur iis dum sederent ad mensas immediatè vel an-*

Exer. 16 pag 511.

Tom. 1 Annal. 57. num. 130.

Elencho tri. hæresin c. 26

De obedient. pag. 460.

te vel post agapas, & censet potius post convivium celebratam sacram cœnam exemplo primæ cœnæ. Sedisse in sacra cœna innuere etiam alibi videtur Apostolus reprehendens eos, qui in idoliis idolothytis vescebantur. Dicit eos accubuisse in idoleio id est in æde idolorum, 1 Cor.8 10 & 1 Cor. 10 21, ait eos non posse hoc facere. *Non potestis mensæ domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Potuerunt quidem naturali modo & facultate locomotiva accumbere & mensis dæmoniorum & mensæ Domini, sed moraliter & rectè utrumque facere non poterant. *Possumus enim quod de jure possumus.* Nam qui accumbit mensæ in idolejo profitetur consortium cum idolo, & se approbare sacrificium participando de epulo post sacrificium. Qui extra idoleion vescebatur idolothytis, si coram infirmo, præbebat offendiculum, qui in idoleio alio etiam modo peccabat, ut jam dixi. Hac collatione inter participationem utriusque mensæ videtur inquam Apostolus innuere mensæ domini participes fuisse sedendo, sicut dæmoniorum accumbendo. Si Ecclesiæ Apostolicæ hoc situ corporis usæ sunt in sacra cœna, vel cum commendavit nobis Christus eam instituens, cur non meminit illius Apostolus, inquies, 1 Cor. 11, quando recitat institutionem. Respondeo & alia etiam omisisse ut illud quod habent Evangelistæ, & *dedit discipulis suis*, quod brevitatis causa & ut notorium & perspicuum tacet Apostolus. Sic contrà ubi Evangelistæ habent *quod pro vobis traditur* Apostolus habet *quod pro vobis frangitur.* Apostolus repetit ea tantum quæ ipse Christus cœnam instituens egerat aut dixerat, non autem alia, quæ erant communia utrique coenæ Paschali & Evangelicæ, ut fuit accubitus, quæ non à Christo instituente & celebrante sed ab Evangelistis recensentur & Christus ex re præsenti præsupponit. Sic Paulus de sessione nihil eo loco memorat quia præsupponit prius ad mensas sedisse, ut patet ex aliis locis supra dictis, nec in hoc peccarunt Corinthii, sed quòd separatis mensis de sacra Coena participabant. Præterea nihil de legitimo ministro sacramenti dicit, quia præsupponit. Sed, inquient, Apostoli etiam observarunt alia adjuncta primæ cœnæ, ut tempus vespertinum. Nam Centuriatores dicunt Apostolos celebrasse noctu. Respondeo non id absolutè dicunt sed tantum *videtur*. Chrysostomus homil. 7 in 1 Cor. 11 contrà asserit manè celebrasse. Verior est sententia media eorum, qui dicunt pro re nata vel vespere vel mane celebrasse. *Neque Apostoli ad tempus vespertinum sese adstrinxerunt, sed pro occasione cœnam administrarunt, aliâs diurno tempore, ut legere est, Act. 2 46 aliâs intempesta nocte ut Act. 20, quo facto satis ostenderunt tempus cœnæ esse indifferens.* Si quando celebrarunt vesperi aut noctu ut Act. 20, quem tamen locum aliter alii interpretantur, non ob imitationem id factum sed occasione urgente aut persecutione cogente. Ibi Apostolus

Paraus in 1 Cor. 11.

stolus discessurus protenderat sermonem ad mediam noctem & propterea ministrata est coena noctu. Quando ejusmodi occasiones urgent, nos idem facere noctu & privatis in locis non prohibemur. Qui autem tempus vespertinum imitandum existimabant, non observabant, quòd ex circumstantia temporis & occasione Paschatis tantum noctu instituerit Christus. Error iste occupavit

Hist.l.5 c.21 Ægyptios. *At Ægyptii,* inquit Socrates, *qui Alexandrinis finitimi sunt, & illi qui Thebaidem incolunt, Sabbato synaxin exequuntur illi quidem: sed non, ut mos fert Christianorum, mysteriis participant. Nam ubi epulati sunt, & variis cibariis se saturarunt, sub vesperam oblatione facta, mysteriis communicant.* Hinc tamen colligi potest sedentes communicasse mysteriis. Nam qui tempore vespertino & non nisi post vulgarem coenam, coenam sacram celebrarunt, in situ corporis etiam imitatos fuisse non dubium est & quidem singulis sabbathis. Sed die anniversario, qui dicitur Coena domini, etiam aliis locis sedisse communicantes mysteriis, & eodem modo celebrasse, quo in prima coena patet ex vestigio ejus moris qui adhuc manet in Monasteriis Benedictinorum. *Unde nimirum ritus ille ad*

De origine errorum circa cœnam cap.4. *nos dimanavit, quo vel hodie in Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis Benedictinorum in die Cœnæ Domini ante parasceven cœna Domini palam & splendidiùs celebratur. Nam Evangelium Iohannis à Diacono publicè prælegitur, & dulcissima illa colloquia Christi, quæ abiturus cum discipulis habuit, recitantur: interim ordine dispositis mensis convivæ assident, panem azymum frangentes, & calicem invicem propinantes & in totum veteris cœnæ vestigium præferentes,* inquit Bullingerus. Hunc morem observasse videntur olim omnes fideles hoc die anniversario. Nam Concil. Carth.3 Can.31 decretum, *Ne sacramenta altaris nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Sic in tertia parte Decreti habemus decretū Soteris Papæ ejusmodi. *In cæna Domini à quibus-*

De consecr. dist.2 c.17. *dam perceptio Eucharistiæ negligitur: quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, (exceptis iis quibus pro gravibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat.* Glossa ibi *Sic olim: modo sic non est, sed monachi faciunt.* Quem morem Monachi nunc servant in die Coena, eundem omnes servasse videntur. Notanda sunt verba Concilii Carthaginensis *excepto die anniversario, quo cœna Domini celebratur.* Aliis diebus Eucharistiam percipiebant, sed hoc non erat coenam celebrare. Hoc die anniversario coenam celebrabant, id est eodem modo, quo Christus coenam instituit, illi celebrarunt, & primæ coenæ formam repræsentarunt. Cum igitur datur Eucharistia singulis genibus flexis, hoc non est celebrare coenam. At Christus coenam instituens celebrare coenam jussit. Qui coenæ formam mutant & ordinem, dant quidem Eucharistiam, sed non servant mandatum. Chrysostomus etiam Homil.27 in 1 Cor.

11,

11, absque ulla mentione diei hujus anniversarii ait, *& hoc facis, cum ad Christi mensam discumbis in die illa, qua carnem ejus lingua attingere dignatus es.* Waldenses in Apologia contra binas literas Doctoris Augustini sedisse in primitiva Ecclesia asserunt his verbis. *Ex isto manifestum est, quòd primitiva Ecclesia hanc fidem habuit, & illam confessa est, & non fecit reverentiam huic sacramento, quia illo tempore exemplo Christi sedentes statim acceperunt, & nihil retinuerunt, nec extra domum extulerunt, & hæc institutio diu stetit, sicut Chronica gestorum testantur.* Mornæus libro 4 de Eucharistia hæc habet. *Mitto sacram cœnam olim convivii instar, in quo discumbebatur, celebratam, cuius etiamnum in Benedictinorum mandato vestigium.* Nec dubito verba illa quæ habentur in Liturgia Anglicana in exhortatione post Offertorium, *est quidem contumelia repulsam dare invitanti, sed ea longè fit maior, dum astatur, & interim cum aliis non discumbitur, nec editur neque bibitur,* & illa, *nostis quàm grave sic atque molestum, jam parasse splendidum convivium, mensam apparatu magnifico instruxisse, atque dum nil aliud superest, quàm vt accumbatur, convivas nulla justa legitima* &c. etsi iam dicis causa recitantur ab Anglis, tamen olim seriò dicta, & cum hæc verba haberet Minister ad populum, solitos accumbere mensę. Sed sufficeret nobis idea primæ cœnæ, & praxis Ecclesiarum Apostolicarum ceu ævo Apostolorum. Nam ubi non dari potest specialis ratio quæ moveret Christũ aut Ecclesias illas primævas, ad aliquid instituendum aut observandum, quæ temporibus his non conveniret, ibi imitandi sunt. Acta enim Apostolorum in politia Ecclesiæ sunt exemplar politiæ Ecclesiasticæ. *Christus ita instituit hoc sacramentum,* inquit Lutherus, *vt in eo mensæ nobis assidendum sit. Sed mutata sunt omnia, & in locum divinarum institutionũ successerint inanes hominum constitutiones.* Atque hæc de adjunctis primæ cœnæ, quod non eadem ratio accubitus, quę aliorum adjunctorũ. Christus cum mutare potuerit in genu flexionem tamen noluit, sed retinuit. Retinuit autẽ Christus & retinuerunt ecclesię Apostolicę, ut situm epulo eucharistico convenientissimũ & aptissimũ, atq; ita non tã instituerunt quàm retinuerunt, ut sitũ usitatũ in omnibus epulis sacrificialibus. Israelitæ post sacrificia habuerunt sua convivia religiosa & sacra in loco sacro, quibus accũbebant qui obtulerant sacrificia, quem morẽ imitati sunt idololatræ & ethnici. Vt in festo aurei vituli Israelitę *obtulerant holocausta, & applicarunt eucharisteria seditq; populus ad edendũ, & bibendũ deinde surrexerunt ad ludendum* Ex. 32 6. *Illud quidem constat vel ex ea historia quam refert Herodotus in Clio de Cleobi & Bitone veteres intra ipsum quoq; templũ solitos fuisse solennia sacrificiorũ convivia agitare, quod apparet ex Aristophane in Pluto. Imo solennes epulas solebant a sacrificiis auspicari,* inquit Beza in 1 Cor. 8 10, quo loco testatur Apostolus mensis Dœmoniorum eos accubuisse. Post sacrificium peractum transferebantur ex altari ad

Vide Lydii Waldensis tom 1 Apol. pag. 43.

Cap. 7.

Vide apud Muscul. loc. com. de cœna.

mensam carnes immolatitiæ, ut ex iis comederent, qui eas obtulerant. De improbis fœneratoribus scribit Amos, cap. 2. 8. super vestimenta in pignus accepta discumbunt iuxta quodvis altare. *Paraphrastes Ionathan, vt notat Rabbi Schelomo, per vestimenta denotari putavit isto loco lectos, nempe tricliniares, quos in ædibus Deorum, & in ἐιδωλίοις sibi parabant, vt in iis epularentur, & comederent idolothyta de quibus Paulus 1. Cor. 10.* Sic Æneid. 8. sacrificium Evander & Æneas clauserunt convivio. *Vescitur Æneas simul & Trojana iuventus Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.* Partes etiam ceu μερίδας secum domum asportabant, ut domesticis distribuerent & ad amicos mitterent. Sic in novo testamento post sacrificium Christi in cruce peractum, habemus illius sacrificii epulum in sacramento eucharistiæ, & mensam cui & nos accumbere debemus. Retinuerunt Christus & Apostoli eundem situm corporis, quem Israelitæ in suis epulis sacris, in novo epulo, quod non minus lætum est & gratulatorium quàm illorum. Non dicimus in hoc corporis situ sitam esse vnioné merè spirituale, ut nobis affingit Tilenus. Imo nec unionis hujus signum esse dicimus. Societatis & familiaritatis qua nos dignatus est dominus, signum esse quid prohibet, ut in omnibus epulis, ad quæ invitant nos principes & Magnates, cum eadem dignantur mensa, testantur amicitiam, charitatem, societatem, familiaritatem, dignitatem quam nobiscum communicare volunt; quod signum est ex more omnium gentium receptum, & quasi naturale. Huius imaginem in veteri testamento habemus. Dum enim ex victimis convivia instruere offerentes sacrificia volebat Deus, & coram se eadem agitare in tabernaculo vel templo, Deut 12: non obscurè testabatur, quòd communibus secum epulis dignatus sit. *Nam cum semper inter eos qui communi mensa vterentur, summa fuerit necessitudo,* inquit Stuckius, *Deus ad suam cum populo illo familiaritatem, consuetudinemque arctissimam testificandam sibi ab illo carnes, sanguinem, fruges in altari atque mensa offerri voluit, non quòd his indigeret, sed vt ostenderet se quasi communem cum illo populo habere mensam, esse illius convivam perpetuum, atque ita familiariter cum ipsis habitare, & illorum consuetudine atque officiis delectari. Vicissim se illis benignè velle facere, à quibus tam piè atque amanter ad communem mensam invitetur. Hinc & mensa sive altare, in qua dapes illæ Deo offerebantur, Domini mensa, & ipsæ dapes Domini panis atque cibus à Malachia appellantur,* Malach. 1. 7. 12. Altare erat quasi mensa Domini, & coram Domino eisdem epulis vescebantur in mensa sua offerentes. In novo testamento Christus communem mensam instituit qua eandem societatem atque familiaritatem designaret, & melius repræsentaret quàm in veteri testamento. Nam in novo testamento sunt omnia clariora quàm in veteri. Non jam separata est mensa Domini à mensa populi sui. Sed una & eadem est & dici-

Antiquitat. convivial. l. 1. p. 122.

tur

tur mensa Domini, cum in veteri Ecclesia exteriori specie erat tantùm quasi eadem. Non aliam habet jam mensam populus quàm Domini mensam. Sunt qui huic corporis positurae alias attribuunt significationes, ut quietem mentis, ceremoniarum legis cessationem quam non probamus. Alii cœnam sacramentalem cœnae cœlestis figuram faciunt. *Et in nostra cœna typus est futurae cœnae, ac mensae Domini, de qua Luc. 22. 29* ait Musculus in Math. 26. *Probabile mihi videtur eucharistiam nostram dici figuram cœlestis convivii in gloria*, ait Spalatensis in appendice ad Nazianzenum, l. 5. c. 6. de repub. eccles. Aquinas ait esse non modo signum rememorativum passionis praeteritae, demonstrativum praesentis beneficii, sed etiam prognosticum id est praefigurativum futurae gloriae. Iohannes Alasco in Liturgia peregrinarũ ecclesiarum Londinensium regnante Edward. 6 edita dicit sacram cœnam esse futurae gloriae praefigurativam, & hac ratione praeter alias urget restitui hunc sedendi morem in sacra cœna. Verum quidem est alludere Christum ad cœnam eucharisticam, Luc. 22. 29. cum dixit, *Ego pasciscor vobis, prout pactus est mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super thronos, &c.* Et metaphoricè describere piorum felicitatem in cœlis per accubitum in conviviis, cum dicit, *Multos ab Oriente & Occidente venturos & accubituros cum Abrahamo & Isaaco & Iacobo in regno caelorum.* Et parabolicè idem depingere in persona Lazari recumbentis in sinu Abrahami, Luc. 16. *Alludit ad accubationem epularem amicorum in conviviis. In lectis ita accumbebant, ut qui primus accumberet reclinata superiori parte corporis in sinistrum cubitum (quemadmodum etiam omnes accumbebant) ad caput lecti resideret capite leviter erecto, & pulvillis suffulto, ut pedes suos porrigeret pone tergum secundi; qui verò secundus accumbebat, is obvertebat occiput suum ad sinum & umbilicum primi, pedes autem post tergum tertii. Ita tertius & quartus, unde qui secundus accubuerat, accumbebat quasi in sinu primi, quomodo tertius in sinu secundi, & sic deinceps, quomodo legimus unum è discipulis recubuisse in sinu Christi, Ioh. 16. quoniam Christus accumbens in superiori parte lecti habuit Iohannem proximum, qui proinde dicitur recubuisse in sinu Christi. Retinebant enim in illo convivio epularem amicorum accubationem. Iam hinc petita est metaphora sinus Abrahae quemadmodum docere possunt verba Christi, Mat. 8. 11. ubi dicit accubituros cum Abrahamo, &c. Accubituros ab hac metaphora convivii, accubituros cum Abrahamo, ita ut paulo plus exprimatur in sinu Abrahami, quàm illud tantùm accubituros, nempe ita quasi charos futuros Abrahamo, ut omnes quasi proximi ei, & in sinu accumberent.* Ex his scripturae locis colligunt cœnam Dominicam esse cœlestis convivii praefigurativam, & Iohannes Alasco ait se dubitare, num afficiatur gloria Christi, & aeterna sua foelicitate, qui sessionem symbolum illius aeternae foelicitatis quod commendavit nobis

De rep. l. 5. c. 6.

Part. 3 qu. 60. art. 3.

Rainold. censura de libris Apochryphis praelect. 79.

bis

bis ad ineffabilem fidelium consolationem, ex ecclesiis eliminatam vellet. Habemus quidem imaginem & repraesentationem cœlestis illius convivii, & æternæ foelicitatis & in situ sedendi, requiei nostræ & refrigerii in coelis, non tamen auderem asserere esse earum rerum futurarum typos distinatos, etsi ad ea alluserit Christus. Sed rei præsentis, spiritualis convivii quod agitat interius in anima cum fidelibus Christus Apocalyps. 3.30. quod est coelistis convivii pignus & prægustatio, demonstrativum signum est, & hac ratione accubitus aut sessio signum dici potest illius societatis, familiaritatis, communionis, & dignitatis quibus anima interius fruitur, dum externa symbola percipiuntur. Nam hoc indicat hic situs quasi naturaliter & inter omnes gentes. Sed signum unionis esse nullius inter nostros unquam asseruit. Vnio significatur per manducationem & potationem. Christus est & conviva & convivium. Quatenus conviva, accubitu vel sedendo profitemur dignitatem illam & communionem ceu societatem cum Christo, ad quam nos vocavit. Quatenus conviuium & dapes nobis propositæ, edimus & bibimus, ut testemur nos carne eius & sanguine pasci, nosque illi uniri. Vnio à communione distinguenda est, & utriusque signa distinguuntur. Quod de Iuda igitur infert Tilenus, quia mensæ accumbebat, fuisse ex nostra sententia unionis illius participem, non sequitur; primùm quia in hoc situ non dicimus sitam esse unionem cum Christo. Deinde quia non omnes qui sunt participes exteriorum rituum aut symbolorum, sunt etiam rerum significatarum compotes. Denique quod ad unionis signum quod in manducatione, potatione, nutritione situm dicimus, ne illius quidem particeps erat Iudas. Statim enim post intinctam offam in tryblio embammatis exiit ante institutam cœnam. Nec panem Domini, nec panem Dominum comedit. Dico igitur nos hunc situm corporis observare, non solum quia aptissimus ad quietem corporis, sed etiam propter decorum quod in convivio isto symbolico servandum, & repræsentationem illius societatis & communionis, qua nos dignatus est Christus, & qua interim interius spiritualiter fruitur & sese oblectat anima. Iohannes Alasco dicit sessionem non solum nobis commendari in celebratione cœnæ per Christi exemplum, per significationem mysterii, nempe requiei nostræ in Christo, & præfiguratione gloriæ futuræ, sed etiam præcipi his verbis, *Hoc facite*, quia hæc verba complectuntur omnia quæ dixerit aut fecerit. Hæc sunt ipsius verba reddita gallicè (nam nondum mihi contigit videre editionem latinam) quæ sequuntur. *Finalement nostre session en l'vsage de la cene du Seigneur, ne nous est pas seulement recommandée par l'exemple du Seigneur Christ, et par la signification de son mystere, qui est de nostre repos en Christ, ou par l'imitation figuratiue de nostre gloire future au royaume de dieu par la session à ce banquet*

Liturg. fol. 84.

banquet. Mais aussyil semble, qu' à peu pres il nous soit commandè,par les parolles du Seigneur disant, Faictes cecy. Car on ne peut nyer, que par ce commandement, tout ce que le Seigneur Christ à enseignè & fait, ne soit comprins. Et puis qu' il n' y a point de faute, que Christ n' ayt institue sa cene, ses Apostres estans a table : on ne peut aussy nyer, ceste session auoir vne partiè de l'action en la mesme institution de la cene, & par ainsy ne pouvoir estre separeè de ce commandement (Faictes cecy.) Et objicientibus eadem ratione observanda,tempus vespertinum, privatum cœnaculum, &c. respondet tempus & locum fuisse tantum circumstantias accidentarias actionis, non partes,ut est sessio. *Car le temps & lelieu ne sont point l' action mesme, pour pouvoir estre comprins aux parol de ce commandement Faictes cecy comme la session : laquelle on ne peut nyer, quelle ne soit partie de l'action mystique, observee du Signeur.* Doctorculi nostri replicassent sedere esse in categoria [illegible] non [illegible]. At situs voluntarius præexigit actionem , qua quis componit partes corporis ad talem positionem , puta genuflexionem aut sessionem, estque illius terminus. Præterea ait per circumstantias loci & temporis non violari institutionem , sicut sessionem abrogando. Tandem concludit retinendam quoad fieri potest, sessionem. *Toutes ces objections doncques n' empeschent point, que la session publique ne doive estre observee (quand on le point faire) en l' action de la cene du Seigneur. Premerement à cause de l'exemple de Christ & des Apostres , qu' il vaut mieux suyure que l'abolir. Puis à reason du pleine mystere d'vne tresgrande consolation de nostre plaix , & repos ia acquis en Christ par sa mort. Et puis à cause de la figure de nostre gloir celeste à veuir figurée en ceste session. Finalement pour l' amour du commandement du Seigneur Christ (faites cecy) duquel on ne doit aucunement exclure la session, quand on la peut retenir.* Diximus supra , quomodo olim aliter darent eucharistiam , aliter celebrarent cœnam, & ad cœnæ celebrationem sessionem usurpabant, cujus adhuc vestigium manet apud Benedictinos. At Christus his verbis *Hoc facite* cœnam celebrare jussit , non simpliciter sacramentum conficere & Eucharistiam dare, & propterea ob cœnæ repræsentationem dicta est postea cœna domini. Miror itaque in synodo Cracoviensi anno 1573 decretum fuisse contra sessionem his verbis, *Conclusum est vt secundum morem primitivæ Ecclesiæ libertati Christianæ inter nos ceremoniæ permittantur , monitis tamen fratribus si qui sessione in sacra cœna vtuntur , vt eam ceremoniam Arrianabaptistis propriam relinquant.* Sic in Vlodislaviensi Synodo generali anno domini 1583, Conclus. synodica 6. *Quod attinet ad ceremonias cœnæ Domini sententia jam olim in Sendomiriensi synodo agitata , & conclusio in generali Cracoviensi atque Petricoviensi synodo facta ac repetita in hoc etiam Wlodislaviensis synodi consessu approbata est,nempe ne in vsu sit sessio ad mensam domini in vllius huius nostri consensus Eccle-*

Folio 86.

Folio 87.

Vide consensum Polonicum in syntagmate confessionum.

ßiis Poloniæ Lituaniæ &c. Nam hæc ceremonia licet cum cæteris libera, Ecclesiis Christianis & cœtibus Evangelicis non est usitata tantumque infidelibus Arrianis cum Domino pari solio sese collocantibus propria: dicunt irrepsisse in Ecclesias illorum malo auspicio Arrianorum & hortantur fratres, ut sessionem commutent in ceremonias in Ecclesiis Evangelicis per Europam consuetas. Miror, inquam potuisse eos latere in ritè reformatis Ecclesiis tum Belgicis tum Scoticanis sessionem usurpatam, ante annum 1583 quo habita synodus illa. Iam annos 63 à prima reformatione hunc situm corporis observavit Ecclesia Scoticana, ubi nullus in hunc usque diem Arrianismum professus est, nullus vel ob levissimam Arrianismi suspicionem citatus aut accusatus coram Ecclesiasticis synodis aut consistoriis. Miror etiam magis, quod nobilis & eruditi illius Poloni Iohannis Alasco scripta, qui scripsit de ordine ministerii ecclesiastici ante annum 1556, Poloni non legerint, & de more observato in Ecclesiis per eundem restauratis nihil audiverint. Falsum est igitur, quod asserunt nullibi in Europa tunc usurpatam fuisse sessionem, & futile, quod aiunt sedentes pari solio cum Christo se collocare, nisi forte intelligant Arrianos secundum principia doctrinæ suæ se pari solio collocare cum Christo divinitatem Christi impugnantes, quem sensum ipsorum verba habere videntur. Nam alioquin dominarent Apostolos & Ecclesias Apostolicas. Ipsi Benedictini non sentiunt se pari solio collocari cum Christo, cum die anniversario Cœnæ Domini sacram cœnam celebrant. Nec Mephiboseth Davidi, nec David, dum privatus, Sauli sese pares sentiebant, nec inferiores magnatibus & principibus cum dignantur eos communi mensa, nec collocavit Christus solium suum in mensa Dominica, sed familiariter se præbet ut convivam, & amanter ut convivium. Mixtæ erant synodi consensus Poloniæ. Alii in Synodo amplectebantur Augustanam, alii Helveticam, alii Bohemicam confessionem; Non mirum est igitur consensisse in situ confessionibus illis respectivè conveniente, & earum Ecclesiis antea usitato, sed quod major pars consenserit (nam non omnes approbasse videntur, ut verba illa indicant. *Rogamus & hortamur fratres* &c) sessionem abrogandam ut ceremoniam nullibi consuetam in Europa in Ecclesiis Evangelicis ex ignorantia facti processit. De jure non tam crassè definiunt, nam fatentur sessionem liberam esse. Sed in libro de disciplina edito apud nos anno 1560 approbatur, ut huic sacræ actioni aptissima, & exemplo Christi nobis commendata. Iohannes Alasco non modo commendatam exemplo Christi & Apostolorum, & ob significationes utilem, sed etiam præcepto imperatam asserit, cum dixerat Christus, *Hoc facite.* Pergamus. Quod ait Tilenus secundum nostram doctrinam sessionem non minus ad Sacramen-

talem

ales ritus pertinere, quàm ipsam symbolorum consecrationem, panis fractionem, distributionem, sumptionem, manducationem, respondeo; si qui forte sentiunt (nam omnium sententias viritim non rogamus) sessionem esse aptissimam positionem membrorum ad quietem corporis, & præterea nihil, illi sacramentalem ritum non existimant situm esse in hoc situ corporis. Sed qui significationem illam, quam apud omnes gentes habet, etiam in hac sacra cœna retinere existimant, nempe communionis, societatis, atque familiaritatis, qua dignatus est nos Dominus (ut ego quidem existimo, & quomodo communis illa & quasi naturalis significatio negari possit, non video) tamen non eandem rationem esse dicunt hujus ritus, & consecrationis, fractionis, sumptionis, manducationis. Nam etiam eorum rituum quos hîc opponit sessioni, non tamen est par necessitas. Fractio est ritus, & ceremonia mystica, non tamen tantæ necessitatis, ut sine ea non posset consistere sacramentum, quia est pars tantùm integrans, non essentialis. Vt partes hominis essentiales sunt anima & corpus; integrantes caput, brachia, manus. Sic cœnæ partes essentiales sunt ritus, & signa, & promissio ritibus ac signis annexa. Fractio est tantùm pars integrans. Et cum partes integrantes sint duplices; à quibusdam pendet essentia quarum una sublata, destruitur totum, ut præciso capite aut evulso corde destruitur homo. Sic in cœna sublatis symbolis pane, vino, & ritibus benedictonis, distributionis, manducationis, haustonis, quorum uno deficiente deficit sacramentum. At sunt aliæ partes integrantes, quæ ejusmodi dependentiam non habent, quarum una deficiente manet essentia, ut in homine oculi, aures, nares, brachia, manus, pedes. Sic in cœna fractio, inquit Paræus in 1 Cor. 11. Non omnia quæ dixit aut fecit Christus sunt caput, cor cœnæ dominicæ, sed alia sunt ut oculi, alia ut aures, alia ut brachia, alia ut digitus. Vt tamen homo non absque injuria vel minimo digito privandus ne deformis & mancus fiat, sic nec cœnam sacram vel minimo digito mancam probare demus. *Aliud est sacramentum aliud legitimus usus sacramenti. Potest illud esse integrum sine isto*, inquit ibidem Paræus controvers. 2. Et quandoquidem in hanc comparationem cum oculis, auribus, digitis, aliisque secundi generis partibus incidimus, ut fractionem sessioni præferendam concedimus, sic separatam poculi & panis benedictionem secundum exemplum Christi sessione longè inferiorem esse non dubitamus. Conjuncta enim utriusque benedictio nihil de benedictione minuit alios ritus institutionis non excludit, non confundit, sicut sessio commutata in genuflexionis aut transeundi gestum, sed salva manent omnia & integra. Imò dubito an separationem vel conjunctionem ritum diceremus. Nam nullum usum hujus separationis video, aut quid in eo latere possit mysterii. Videtur

detur hic fuisse mos diebus festivis in omnibus conviviis apud Iudæos, ut refert Stuckius, ut non modo in initio pater familias, quem *Baal Habaiith* id est οἰκοδεσπότην dominum familiæ vocant, primum benedicat pani, deinceps poculum vino repletum dextra manu apprehendat & consecret; benedictionis formula dicta primus vinum degustet, mox aliis mensæ decumbentibus degustandum porrigat. Finito etiam convivio gratias agunt. *Habent præterea Iudæi plures adhuc benedictiones, quibus in festivis conviviis utuntur, cum inter edendum lautum aliquid apponitur. Cum enim melius vinum apponitur, dicunt, Benedictus sis tu domine Deus noster, qui bonus es, & benignè facis omnibus, & hanc benedictionem appellant* bircath tob vehammetib, *id est benedictio Benigni & Benefactoris. Cum aromata apponuntur, dicunt, Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, creator arborum aromaticarum. Hanc benedictionem vocant* Bircath hammugmar, *Benedictio consummati scilicet convivii, quia ultimò apponi solebant aromata aliaque odoramenta. Cum suave odoramentum aliquod apponitur, dicunt Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui creas species aromaticas. Hanc benedictionem nuncupant* Bircath Hamulcak, *id est benedictio delitiarum vel rei appetitæ. Cum fructus arborum apponuntur, dicunt, Benedictus sis Domine Deus noster qui creas fructus arborum. Cum apponuntur opsonia, dicunt, Benedictus sis Domine Deus noster, qui creas genera ciborum. Hanc benedictionem vocant* Bircath hapharphereth, *id est benedictionem opsonii. Ex his omnibus apparet veteres illos Iudæos nullos cibos absque benedictione & gratiarum actione sumere fuisse solitos. Huc nimirum & Apostolus respexit*, 1 *Tim*.4, nempe si lautiores sint, nam *super carnibus, piscibus ovis, oleribus, caseo & pulmento nullam benedictionem recitant, de quo tale Rabbinorum præceptum extat, Res quæ propter convivium in convivium offeruntur non egent benedictione, ut caro, pisces, olera, caseus, pulmentum.* Videmus separatas vel peculiares benedictiones fuisse morem Iudæorum in conviviis, & nullam esse differentiam realem inter communem & peculiares benedictiones, magis quam inter illorum morem frangendi panem, tunc usitatum, & nostrum. Sed redeamus ad sessionem: etsi non æquiparemus consecrationi vel manducationi, aut etiam fractioni, tamen non temere ab ea recedendum existimo, cum tantæ sit utilitatis ratione significationis. Sollicitè cavemus ne panis sit ex alio frumento quàm tritico, etiam ubi difficulter comparari potest, cum non constat fueritnè triticeus quem consecravit dominus, & accubitum, de quo satis constat, omittimus, imo fratres vi ab eo depellimus. Aliud consulunt Poloni, de quibus supra in synodo Petricoviensi 1578. *Sed quia vulgus ac homines simpliciores mutatione rituum offenderentur, & ad ceremonias suæ consuetudini dissimiles omnino adduci non possent, ac si cogerentur, eo forsan res deveniret, ut disciplina Ecclesiastica*

Antiquitatũ convivialiũ lib.2 cap.36

in

in eos extendenda esset, qua quidem propter externos ritus homines pios ferire, neque est Domini voluntas, neque purioris Ecclesiæ mos. Monendus est lector nos sessionem existimare retinendam in ipso actu perceptionis Eucharistiæ. Nam tum actu agimus convivarum partes; in orationibus & gratiarum actionibus posse cœtum fidelium in genua procumbere non negamus, quia in precibus etiam extra Eucharistiam id agere licet. Adstandi mensæ morem, ejusmodi quem in primo paschate dicuntur servasse Iraelitæ, præferendum censemus mori eorum qui transeuntes vel adstantes singuli separatim è manu ministri accipiunt elementa. Quia priori modo nihil mutatur nisi unicus ille situs sessionis; at posteriori violatur ordo institutionis, ut statim docebimus; tamen sessionem priori præferimus, quia obscuriùs repræsentat dignitatem illam & societatem qua nos dignatus est Christus quam accubitus. Christi cœna non fuit stataria aut inambulans, sed discubitoria, cui analogicè respondet nostra sedentaria. Sed metuo præterea, ne obliquè carpant Christum, Apostolos, & fideles primitivæ Ecclesiæ, ac si non cum ea qua decebat reverentia, Eucharistiam percepissent. Nam etiam ubi scamna & sedilia ad manum habere possunt, venerationem prætexunt, ac si sedentes aut discumbentes omnes officio suo antehac nunquam rite defuncti fuissent. Si cui ista de significatione sessionis vel de præcepto non perplaceant, fruatur iudicio suo, modò concesserit rem liberam esse, & convenientissimam propter decorum hujus convivii; reprehendi non posse, nec commutari promiscuè in quamlibet aliam positionem partium corporis, aut quemlibet gestum, ut transeundi aut genuflectendi. Nam præter illum standi circa mensam, in nullum alium commutari jure posse existimamus, etiamsi sessio nullo præcepto munita, aut significatione ornata esset, minimè omnium vero in genuflexionem. Largiamur itaque in sequentibus utrumque liberum sedere vel stare circa mensam non tamen licebit genua flectere ob rationes quæ sequuntur.

Primum argumentum contra genuflexionem in percipienda Eucharistia ducimus ab exemplo Christi, Apostolorum, & fidelium in primitiva Ecclesia. In prima cœna, nec Christus, nec Apostoli procubuerunt in genua, sed accumbentes mensæ perceperant elementa. Ne vel benedictionis ceu gratiarum actionis tempore mutarunt accubitum in genuflexionem, quod tamen tam facilè facere potuerunt ac Naucratitæ qui quoties ad festi Apollinis Comæi aut Vestæ solennes epulas conveniebant, postquam in tricliniis discubuissent, solebant surgere in genua, dum sacrorum minister preces patrias recitabat: Etsi mutassent, tamen in ipsa perceptione elementorum eum corporis situm non servarunt, ut supra probavimus. In dubiis animæ insistendum est in via tutiore. Cum in gestu

Vide Casau. exerc. p. 540

Athenæus lib. 4.

latere possit periculum, nonne tutius imitari exemplum Christi & Apostolorum, quàm aliorum qui errare judicio vel affectibus abripi à recto tramite possunt. *Qui verò ut à Deo mandatum est, sine adoratione accipiunt, securi sunt se à mandato Dei non deflectere, qua securitate nihil melius est, quum quid operis instituimus. Habent Apostolorum exemplum quos non legimus prostratos adorasse, sed ut erant discumbentes, accepisse & manducasse. Habent Apostolicæ Ecclesiæ usum, ubi fideles non in adoratione sed in fractione panis communicasse à Luca narratur. Habent Apostolicam doctrinam, qua Paulus Corinthiorum Ecclesiam instituit, professus se à Domino accepisse quod tradebat*, inquit Calvinus. Et nosne religiosuli Christo & Apostolis religiosiores videri volumus? Christus in prima cœna fuit non solũ institutor quâ dominus sed etiam minister. Non modo instituit & docuit quomodo celebrãda & administranda, sed ipse celebravit & administravit, & tamen non procubuerunt aut surrexerunt in genua, cum traderet panem vel poculum. Et jam tradit nobis homuncio Domini servus, & tamen genuflectere oportet? Si dixerint Christum in statu humilitatis non fuisse adoratum, contrarium evincetur his locis. Magi adorarunt in præsepi Matth. 2. leprosus Matth. 8. Discipuli, Matth. 14. Syrophœnissa Matth. 15. cœcus sanatus, Ioan. 9. Dicit Bellarminus quod *non poterant semper prostrati cum Christo agere & præsertim in cœna quando recumbere cum eo illis necesse erat. Itaq; certis vicibus illum proni adorabant, aliâs autem mente & animo venerabantur agnoscentes verum Dei filium.* Verum, non semper potuisse prosterni, nec necesse erat. Nam cum actionibus vitæ humanæ naturalibus & civilibus fungebatur, & hoc modo cum eis conversaretur & convesceretur, non potuerunt, nec necesse erat, ut semper adorarent prostrati, sed Bellarminus ipse ait, *Ubique Christus adorari potest & debet, quando cum eo tractare debemus, non enim convenit illi adoratio, quia in cœlo est vel in alio loco, sed quia Deus est,* & probat iisdem scripturæ testimoniis, quæ modo attulimus. At jam tractarunt cum eo de re maximi momenti, & in actione sacratissima & mystica. Hac igitur vice, si unquam ulla, proni adoravissent. Ait necesse fuisse illis cum eo recumbere in cœna. Quænam quæso illa necessitas, quæ adorationem externam prohiberet. Nullum obstabat impedimentum naturale. Potuerunt tam facile in genua surgere quàm Naucratitæ in precum recitatione. Obstabat igitur decorum convivii, & ordo quem in posterum volebat Dominus servari in celebranda cœna. Tilenus idem κρυπτοφόρητος quærit quod Bellarminus, *At enimvero, inquiunt, rigidi magistri, foeda est hypocrisis & manifestæ adulationis speciem habet in hac liturgia, cultu & reverentia superare velle ipsos Apostolos, qui cum Domino accumbentes ne præsentem quidem isto supplicum gestu sunt venerati. Nos verò jam retudimus hoc telum,* falsum, *haud metuendum ei qui considerarit*

Instit. l. 4. c. 17. §. 35.

De eucharistia l. 4. c. 30.

Cap. 29.

ravit ex familiari consuetudine primisque tyrocinii rudimentis discipulorum cum Domino in servi forma incedente conversantium & de divina ejus maiestate non magis cogitantium, quàm deinde à mortuis excitatum crediderunt, perperam peti absolutam normam ac canonem reverentiæ ac cultus quo illum jam supra omnes coelos evectum, nec amplius secundum carnem noscendum, à nobis affici par est, adeo vt necesse non habemus formam accubitus à Christo usurpatam imitari. Et nos ista iam retudimus confutando Bellarminum. Præterea, post Christi resurrectionem & ascensionem non prostrati aut genua flectentes adorarunt. Et veteres & Pontificii variè interpretantur locum Luc. 24. Quidam Emaunte discipulis ministrasse eucharistiam sentiunt, sic etiam Melanchon. Secundum eorum interpretationem discumbentibus ministrasse sequitur, ut disertè ibi dicitur. Sed quia alii tum Patres, tum Pontificii, tum nostri contrariam tuentur sententiam, quæ mihi etiam probabilior videtur, mitto. Post ascensionem Christi, cum jam exaltatus ad summum gradum Christus & glorificatus, non tamen adorarunt Christum procumbentes in genua in percipienda eucharistia. Mensam circundabãt assidendo vel adstando (non enim jam ponimus inter has duas situs species differentiam; utramus eligant) non autem adgeniculando. Mensæ communes erant, ut supra diximus, agapis & sacræ cœnæ. *Sed hoc nimirum Harchium & alios nonnullos malè habet* (inquit Theod. Beza) *quod in nostris ecclesiis stantes, nec positis ad terram genibus, alicubi etiam sedentes, & rursum alibi, vt in Anglia ad mensam discumbentes symbola ex Pastorum & Diaconorum manu accipiamus. Imo etiam non desunt, qui pastores vellent in illis, si non origine, ac certè vsu verè Baaliticis vestibus apparere. Scilicet quum ipse adstans ad mensam Dominus verè adorandus quà Deus, & quà Deus & homo simul coenam instituebat surrexerunt Discipuli singuli vt in genua procumbentes panem illum & vinum illud ex manu ipsius acciperent. Et ignorabant scilicet ipsi Apostoli quo ritu deinceps celebranda mysteria ecclesiis traderent. Agapas quidem certè constat vix ac ne vix quidem genuflexionem admisisse.* Vides Agapas non admisisse genuflexionem in sacra cœna, nam conjunctæ erant, ut supra diximus. Sed ut obiter perstringam eos, qui transeuntes vel adstantes ministro symbola è manu eius accipiunt, notandum etiam hunc morem Agapas vix à ne vix quidem admisisse. Nulla enim maior difficultas, aut maius impedimentum genuflexionis quàm huius ritus. Nam qui potest adstare ministro, æquè facile potest adgeniculari. Præterea ex ipso Diaconorum officio mensis ministrantium colligere possumus non diu post Apostolorum tẽpora symbola percipientes in genua incubuisse. Cum panẽ & vinum in disco & calice per mensas circumferebant, & ex iis communicantes sumerent panem & vinum, aliisque porrigerent & propinarent, nemo dixerit tunc geniculatos, cum ne postea quidem

De cœna Domini contra dogmata Iodoci Harchii pag. 182 volum. 3.

Iustini

Iustini ætate verba illa protulerit Diaconus inter distribuendum; Iustinus ait, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, *dant*, id est porrigendo discos & calices offerunt vel concedunt *unicuique præsentium partem capere de pane, super quo gratiæ sunt actæ, & vino & aqua*. Non dicit eos in manum dedisse. Sed licet hoc dixerit Iustinus, non tamen protulerunt inter distribuendum verba Diaconi, ut postea cum diceret inter dispensandum Diaconus, *Sanguis Christi, calix vitæ*, aut simile quid, cum porrigeret poculum. Si verba inter distribuendum non protulit, num verisimile est accipientes è manu eius in genua procubuisse. Multo minus credendum est superiori sæculo id fecisse, cum non aliter Diaconi dispensabant, quàm circumferendo calices & patinas per mensas, ut in agapis. Atque hic videtur ortus & progressus; sublatis agapis, vel ubi nonerant agapę, circumulisse primum calices & patinas, & unicuique permisisse, ut de pane & vino partem caperent. Tandem ministrum dedisse singulis panem non Diaconum vt prius, & Diaconum calicem, & tunc diaconum usurpasse verba inter dispensandum, quod neutiquam eius officio conveniebat. Et inde orta est ista Diaconi functio quæ hodierno die differt à Presbyteri officio sola consecratione eucharistiæ & potestate remittendi & retinendi peccata. Nam prædicare non minus potest quàm Presbyter, si permiserit episcopus, quo non permittente nec Presbyter concionari potest. *Diaconi ergo fuerunt olim*, ut ait Stuckius, *Dominici & sacrosancti illius epuli quasi dapiferi atque pocillatores*. Sed progressi paulum ultra aureum Apostolorum sæculum redeamus. Nam de posterioribus sæculis infra dicemus. Dico igitur etiam post exaltatum Christum non procubuisse in genua in actu participationis symbolorum. Secundo non minus adorandum fuisse Christum in statu humilitatis quàm exaltationis hac vice, cum tractarent cum eo de re maximi momenti. Tertiò non tam à præsentia Christi instituentis & ministrantis argumentum ducimus, quàm à Christo ipso exhibito in symbolis. Non minus exhibitus fuit Apostolis quàm nobis, & exhibitus ut crucifixus & fractus, & humiliatus, ut nobis, tamen prætextu tanti beneficii adorationis gestum nempe genuflexionem non usurparunt. Dicunt geniculatores non ratione præsentiæ corporalis se de geniculis adorare. Perinde est igitur sive Christus aderat sive aberat, sive humiliatus sive exaltatus fuerit, cum Apostoli cœnæ symbola participabant. Debebant in actu sumptionis, mandacationis, potationis, adorare alia ratione, si hos monitores habuissent, nempe ob Christum non instituentem & ministrantem, sed ipsis exhibitum ut escam & potum spiritualem unà cum symbolis, in genua surrexissent, & si tunc non satis memores officii sui postea id fecissent,

Antiquit. convivialium l. 2. c. 21. f. 222.

fecissent, diximus supra Apostolos sacram cœnam celebrantes non mutasse verba Christi in precatiunculam, & proinde si inter dispensandum dixerint, hoc est corpus meum, non geniculatos fuisse symbola participantes. *Hac igitur institutione formati cœperunt Apostoli sacrosanctum frequentare mysterium propter causam quam Christus expresserat, & formam servantes in verbis, & materiam tenentes in rebus, sicut Apostolus Corinthiis protestatur dicens, Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis* &c. inquit Durandus. Rationale lib. 4 cap. 1.

2 Argumentum contra genuflexionem in actu percipiendi Eucharistiam ducimus à nomenclaturis quas huic sacramento tribuit sacra scriptura. Vocatur *Mensa Domini*, & *Cœna Domini*. Geniculatio non convenit mensæ aut cœnæ, vel conjungantur, mensæ conviviali. Nunquam auditum convivas è mensa conviviali dapes porrectas geniculando accepisse, cum vel reges & principes subditos suos hoc honore dignati sunt. Cum David post prostratum Goliathum die novilunii cum Saule accumberet, non geniculando manducasse & bibisse sequitur. Nec geniculantes Mephiboseth vel Chimham filius Berzillai participes erãt mensę Davidis. Apud Romanos servi exæquato cũ Dominis jure convivati sunt in Saturnalibus, imo Domini servis ministrarunt. Ordinariè non admittebãt, ad mensam nisi cum manumittebat ita ut mensę cõmunicatio esset manumissionis signum. Hinc Tertul. *Atqui & vestis albæ honore & annuli aurei nitore, & patroni nomine, & tribu, mensaque honorantur.* Libr. de resur. carnis. Mensarum usus varius est & multiplex, ut scribarum, œconomorũ, negotiatorum, artificum & opificum, nummulariorum, feneratorum, ad scribendum, ad rationes excepti & expensi publicas privatasque computandas, ad monetam permutandam, mercaturam, negotiationemve exercendam, aliave opera efficienda, sed nos de mensa conviviali agimus. Prioribus illis non solent ad geniculari multò minùs convivialibus mensis. Convivialium mensarum usus est non modo ut sustentet dapes, sed etiam ut accumbant convivæ, assideant, vel adstent, si lubet, mensæ, quod tamen postremum in conviviis nunquam nisi à festinantibus aliâs ceu extra convivium, usurpatum. Ex mensis scamna non facimus, cum sedendi situm urgemus, ut quidam regerunt, sed assidendi super scamna aut sedilia, vel accumbendi vel adstandi situm requirere mensam convivialem dicimus, & non in hunc usum duntaxat excogitatas, ut super eam disponantur dapes, & convivis geniculantibus dapes è mensa porrigantur. Nam sic sufficeret in abaco collocare dapes & porrigere convivis. Sic in sacra cœna, si hic sit usus mensæ solum, ut sustentet elementa, quæ inde porrigenda sunt à ministro cuique sigillatim geniculanti, aut ei adstanti ceu transeunti, sufficeret abacus vel humile scamnum, & longitudo & latitudo mensæ altaris sufficeret, quam *oportet esse tantæ longitudinis & latitudinis*, ait Suarez,

In 3 part. Aquin tom. 3. disp. 81. sect. 5.

ut capere possit pedem calicis & hostiam seu patinam, ut possint post consecrationem supra illam collocari. Non autem oportet scrupulosè in hoc laborare, ut calix & patina seu hostia, quoad omnes partes suas super lapidem constitui possint; satis enim est, ut quoad maiorem partem supra illum collocari valeant, dummodo firma sint, & sine periculo cadendi, quæ omnia sunt assumpta ex communi Doctorum sententia in 4 dist. Quid proclivius quàm à brevioribus istis mensis, quæ conviviales mensæ dici jure non possunt, transitum ad altaria facere. Mensam requirimus & mensæ convivialis usum, nempe ut accommodent se mensæ communicantes assidendo vel accumbendo, vel si volunt etiam adstando quod jam largiendo dicimus, ut invicem sibi porrigant panem & poculum, quod fieri debere statim docebimus. *In humanis mensæ & salis communicatio amoris causa est & signum*, inquit Chrysostomus in 1 Cor 11, *quanto magis id erit in communione mensæ & panis domini.* Communicabant autem non sigillatim adeundo & participando, sed simul mensæ accumbendo vel assidendo. *Atque huc facit præclara illa Ben Syræ Rabbi sententia, Mensa parata sive posita contentio tollitur, qua significatur mensæ communione sive conviviis sæpe tolli contentiones, rixas, inimicitias, & gratiam reconciliari. Eius rei exemplum vulgò profertur à Iudæis de Isbosetho filio Saulis, in cujus ædibus cum exarsisset altercatio, servus eius adornato convivio eam diremit.* Plutarchus lib. 2 Sympos. problemat ultimo ait, non edendi & potandi, sed simul edendi potius, ac compotandi gratia nos invicem ad convivia vocamus, & antiquam illam cuique cibi potusque portionem in convivio tribuendi consuetudinem improbat, quod ἀκοινώνητον quiddam & ἀνελεύθερον, id est à communitate alienum, atque illiberale esse videatur. Et lib. 7 Sympos. in præfatione, dicit Romanos festivi cujusdam hominis dictum semper fere in ore habuisse, qui cum solus aliquando coenasset, eo die se non cœnasse, sed edisse tantum dixit. Sic cœnam vult dictam Plutarchus esse quasi κοινὴν id est communem ἀπὸ τῆς κοινωνίας id est communione, cujus nimirum sit conciliatrix & interpres, & quòd communione atque amicitia tanquam condimento semper indigeat. Hinc est quod Ethnici convivium & mensam res quodammodo sacras esse existimabant. *Ante focos olim scamnis considere longis Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.* Scythæ habuerunt jusjurandum solenne per convictum seu convivendi convivandive consuetudinem. Cum itaque hoc sacramentum dicitur mensa & cœna Domini, mensæ usus & cœnæ species servanda est. Mensæ autem usus est non solum ut super eam symbola collocentur, sed etiam, ut convivæ accumbant, assideant vel adstent, tum ut participent, tum ut aliis tradant. Cœnæ etiam species idipsum requirit. *Mitto sacram cœnam olim convivii instar in quo discumbebatur celebratam*, ait Mornæus. Si olim, cur non nunc etiam

Stuckius antiquit. convivial. l. 1 fol. 8.

Ovid. Fast. 5

eodem

eodem modo instar convivii celebranda. At, inquiunt, mensa Mosaica, quæ sustinebat 12 panes & mensa propositionis dicta, non admittebat accumbentes vel adstantes. Verum, quia erat tantum typica mensa illa Panaria, & adumbrabat Christum, qui est panis vitæ, vel verbum & doctrinam. Vnde Chrysostomus prædicationem Evangelii vocat appositionem mensæ spiritualis, ut habet Casaub. exerc. p. 527, vel mensa Ecclesiæ, panis Christi symbolum erat. Diximus mensarum usum multiplicē & varium esse etiam in prophanis. Sed nos à mensæ convivialis usu usurpato in sacra cœna argumentum ducimus. Altare etiam dicitur mensa Domini, quia quæ in altari consumebantur, erant quasi Domini solius. At in novo Testamento communis est, ut supra dictum, mensa Domini & populi, & non dicitur Domini, quia Dominus solus possidet mensam illam, sed quia Dominus eam instituit. In Ecclesia primitiva appellatio *Domini* familiaris fuit Christianis, cum de Christo loquerentur ut observat Rhenanus in Tertullianum de Corona Militis. Mensa Domini igitur & mensa Christi idem significant. Et mensa Christi dicitur, non quod Christus eam sibi soli reservavit, sed quia ipse eam mensam nobis instruxit, & convivam offert & convivium. At inquiunt, cum cœna Domini vocatur mensa Domini, intelligitur ipsa Eucharistia & symbola, non materialis mensa. Falsum, nam utrunque intelligitur. Apud authores prophanos mensa quandoque significat ipsa cibaria, unde primæ & secundæ mensæ dicuntur primi & secundi cibi, sed tum metonymica & impropria locutione semper mensa materialis connotatur. Cum ait Apostolus, 1 Cor. 10 18, *Qui edunt victimas sunt consortes altaris*, altaris appellatione intelligit carnes in altari oblatas, tamen altare ibi intelligitur. Sic cum ver. 21, ait *non potestis poculum domini bibere*, intelligit vinum in poculo, sed poculum materiale simul intelligitur adhibitum in cœna. Sic cum ait non posse esse participes mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum, intelligit symbola sacræ cœnæ convium idolothytorum. Sed quia locutio est impropria & metonymica, quod proprium etiam intelligitur cujus ratione dicuntur mensæ, nempe habuisse in conviviis idolothytorum materialem mensam cui in idoleis accumbebant, & in cœna Domini similiter mensam materialem cui assidebant. Vnde ex hoc ipso versu colligit Th. Beza ignota fuisse Apostolicis Ecclesiis altaria; Ethnicos habuisse in idoliis mensam habuisse cui accumbebant, ait idem 1 Cor. 8 10. Cum igitur metonymicè à materiali mensa denominetur hoc sacrum epulum, mensæ usum & gestum convenientem urgemus. Adgeniculatio nunquam fuit situs conveniens & aptus ad quietem corporis convivæ, nec esse potest commodus, ideo nunquam usurpatus ab ipsis barbaris. *Genuflexio quæ est nota adorationis potest esse actus pœnitentiæ, propter pœnalitatem quam habet adjunctam*, *In 3 part. tom 1 pag. 764.*

adjunctam, inquit Suarez. At convivarum ſitus non debet habere adjunctam pœnalitatem, ſed debet eſſe aptus & commodus ad quietem corporis. Si dixerint ſe adgeniculari, non quia aptiſſimus vel convenientiſſimus ſitus, ſed ob adorationem, tunc longiùs adhuc recedunt ab uſu menſæ, & menſam in aram transformant. Menſa convivialis in actu convivandi convivantis ſitum congruum exigit, alienum repudiat. Ne quis fortè putet propterea nos exiſtimare menſam materialem rem ſacram aut ſymbolum ſacramentale, cum nec calicem propter contactum vini, nec patinam propter contactum panis res ſacras æſtimamus, multo minus menſam materialem, quæ calicem & patinam ſuſtentat, inter res ſacras numeramus. Sunt hæc tantum inſtrumenta & vaſa neceſſaria, communia ſacris & civilibus epulis, ut ſupra ſæpius monui, tamen ut poculum neceſſarium ad vinum, ſic menſa non modo ad ſuſtentanda elementa, ſed etiam ad convivarum accubationem ceu ſeſſionem ut convivii ſpeciem & cœnæ ſacræ formam ſervare poſſint. Sitne quadrata an rotunda, humilis an ſublimis, brevis an perpetua, latior an anguſtior, non litigabimus, modo talis ſit formæ, ut communicantes inſtar convivarū ſedentes vel diſcumbentes cœnam celebrare poſſint. Nec de materia menſæ litem movebimus. Terra eſt communis menſa, & ſuppeditat nobis aream ad ſuſtentandum cibaria, & ſedes ad accumbendum. Menſa Turcarum ex corio fit, explicatur & contrahitur ut marſupium, diſcumbunt non cubito innitentes, ſed decuſſatim pedibus inter ſe complicatis more ſartorum. Si ad Chriſtianiſmum converſi eodem more, cœnam celebrarent, ritè celebrarent. Sive humi ſedeant cubitis innitentes, ſive coxim, ſive porrectis cibiis, aut ὀκλὰξ poſitis & implicitis ut Turcæ, ſive menſis artificialibus, humilibus, vel altioribus aſſideant ſecundum morem gentis ſuæ communicantes, non laboramus, quia omnes licet vario modo convivii ſpeciem retinent, & cœnæ formam obſervant. Imo deficiente vino aliud genus liquoris analogum Norvegis conceſſiſſe papam, quia non poteſt ibi diu conſervari vinum, refert Volateranus. Sic ubi panis triticeus non poteſt comparari, poſſunt celebrare cum pane ex alio frumento. Nam ſi ſit panis nutritius rite celebratur. Gregorius Epiſcopus Theopolitanus, ut refert Evagrius, *immaculato Chriſti corpore eis*, nempe militibus, *diſtributo* (*erat enim ſacro ſancta illa dies, quæ ſanctæ Domini Paſſioni proxima eſt*) *cum omnes, qui circiter duo millia erant toris in herba ad eam rem confectis accumbentes cœna excepiſſet, poſtridie domum rediit*. Non habebant ad manum menſas artificiales, tamen naturalis menſæ uſu ſpeciem & formam convivii obſervarunt. Nota obiter, accubuiſſe milites & toros in herba ad eam rem confectos, & diem hunc fuiſſe diem proximum paſſioni Domini, & proinde diem illum anniverſarium qui dicitur

Hiſtor. lib. 6 cap. 12.

cœna

coena domini, quo die ritè coenam celebrare solebant veteres. Nam dies ille est proximus diei passionis. Quid opus erat toros ad accubationem conficere, si non hoc die secundum morem, non à Monachis solum ut nunc, sed ab omnibus fidelibus tunc coena celebrata fuisset instar convivii & eodem modo quo prima coena. Potuerunt enim vel stare vel geniculari, nisi diei illius solennitas prohibuisset. De mensæ igitur materia vel figura non sumus solliciti, modo servetur decorum civile gentis, aut regionis in qua vivitur, quantum fieri potest, sed de usu mensæ. Talem volumus mensam super qua sic collocentur symbola, ut communicantes convivarum instar, coenā celebrare possunt. Si aerem condensare & in hunc usum vertere possunt, nobis perinde erit. Vt igitur Paræus fractionem panis probat esse ritum sacramentalē, quia inde denominatur eucharistia, *A quo ritu*, inquit, *totam Eucharistiam denominaverat Ecclesia Apostolica, is proculdubio est sacramentalis & necessarius*, sic nos usum mensæ convivialis dicimus esse necessariū ad legitimam administrationē, quia à mensa & coena denominatur coena Domini, & mensa Domini in sacra scriptura, & ab ecclesia Apostolica. Patres diu retinuerunt nomen mensæ, & Eucharistiam vocarunt sacram mensam, coelestem mensam, mysticam mensam, terribilē mensam, rationalem mensam, spiritualē mensam, sed usum mensæ, unde primum denominationē illam sumpsit, non diu retinuerunt, nisi die illo anniversario, qui dictus coena Domini aut etiam Sabbatis ut apud Ægyptios. *Quàm non longè ab Apostolorum ætate cœna Domini tacta rubigine fuerit, sed humanæ confidentiæ procacitas est, quæ se continere nequit quin semper in Dei mysteriis ludat & lasciviat*, inquit Calvinus. *Imitati sunt* nempe veteres, *propius Iudaicum sacrificandi morem quàm aut ordinaverat Christus, aut Evangelii ratio ferebat*. Sed replicant adversarii, si denominatio vim aliquam habet, vespere aut noctu celebrandum hoc epulū, quia appellatur coena, Gregorius Magnus hanc rationem reddit appellationis. *Hoc convivium Dei, non prandium sed cœna vocatur, quia post prandium coena restat; post cœnam verò convivium nullum restat, & quia æternum Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit vt hoc non prandium sed cœna vocaretur*. Chrysostomus existimat dictam coenam dominicam à Paulo 1 Cor. 11 ut remitteret illos jam inde ad illam vesperam, in qua Dominus tremenda mysteria tradidit. Sed Casaubonus aliā reddit, quæ verior est. *Fortasse etiam ejus appellationis hæc quoque ratio redditur non malè, quod δεῖπνον maius est aliquid quàm ἄριστον & sacris epulis convenientius. Nam veteres Græci & Latini prandebant parce, & vt plurimum soli cum suis; invitationes ad coenam fiebant. Coena Domini privatæ epulæ non sunt naturâ suâ, sed publica quædam omnium fidelium invitatio*. Et probat Plutarchi testimonio qui lib. 8 problemate 6 ait *Coenam Romanis dictam ob κοινωνίαν* communionem.

Instit. l. 4 ca. 17. §. 43.

Ca. 18 §. 11.

Hom. 26 in Evangelia.

Exer. pag. 511.

nionem. *Veteres enim Romanos solos modicè prandere solitos, cænare verò vnà cum amicis.* Photius observat Paulum quando dixit ἕκαστος τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει, *usurpasse* δεῖπνον *pro* ἄριστον κατὰ τὴν τότε συνήθειαν, *hoc, vt videtur significans, priscis temporibus omnia convivia fuisse appellata* δεῖπνα, *etiam quæ non fierent in fine diei.* Et infra, *Sane, quum in multis Paganicis sacris epulæ agitarentur,* δεῖπνα *illa nominari invenias non* ἄριστα. *Sic in Oschophoriis Atheniensium inter alia ministeria fuerunt mulieres, quæ* δειπνοφόροι *dicebantur.* Vide etiam Concilium Ancyranum, ubi δεῖπνα vocantur convivia idolothytorum. Δεῖπνον, *vt & eius compositum* σύνδειπνον *generatim pro quovis convivio sive epulo accipitur,* inquit Stuckius, *quocunque tempore illud celebratur, & apud Homerum quidem non est definiti temporis, vt ex multis locis constat.* Lucas cap. 14 mysterium regni cœlorum ceu vocationem gentium ad regnum cœleste depingit convivii magni similitudine, quod δεῖπνον appellat, Matthæus cap. 22 idem convivium ἄριστον, id est, prandium vocat. *Propterea quod hæc duo vocabula,* inquit Stuckius, *vt supra ex Athenæo probavimus sæpe numero apud auctores confunduntur, & vnum pro altero sumitur.* Et capite nono ait, *Magis proprium vocabulum, quod semper pro vespertino epulo vsurpatum est* δόρπος *sive* δόρπον. Vbi etiam observat latinum quoque cœnæ vocabulum olim teste Festo pro coena usurpatum. *Cœna porrò (quæ sæpe generatim pro quovis convivio accipitur, dicta est, teste Plutarcho, quasi* κοινὴ ἀπὸ τῆς κοινωνίας *hoc est communis à communione quod nimirum vt Athenæus quoque testis est, Romani in prandio quidem soli atque seorsim, vnde etiam* μονοφάγοι *a Græcis fuerint dicti, in cœna autem cum amicis accumbentes edere consueverunt.* Vides dictam δεῖπνον non δόρπον, & coenæ vocabulum latinum, quo vox græca vocum penuria exprimitur, communionionem requirere & latiùs etiam accipi. Hoc sacrum convivium igitur δεῖπνον dicitur, & propter hanc communionem convivarum etiam coena dicitur, & quia lautius est convivium. Manet itaque firmum quod diximus, retinenda ea à quibus hoc sacrum convivium denominationes ceu nomenclaturas sumpsit, mensam & δεῖπνον, eorumue usum & speciem, & proinde situm convenientem mensæ conviviali. At, inquiunt, est convivium spirituale, & proinde alius situs quàm qui in prophanis conviviis usurpatur, tam sacro convivio convenit, respondeo esse non purè spirituale, sed mysticum & symbolicum, ubi exhibentur signa sensibilia,

Pag. 511.

Antiq. convivial. l. 1 c. 8.

sibilia, & proinde exterius repræsentandam speciem illius convivii spiritualis, quod interius agitant animæ fidelium cum Christo, qui ingreditur in animas & coenat cum eis & illæ cum Christo, ut dicitur Apoc. 3 quomodo Christus, Apostoli, Apostolicæ Ecclesiæ, & veteres præsertim anniversario coenæ Domini celebrarunt. Deniq; prædicatio evangelii est convivium spirituale & spirituale mensam appellat Chrysostomus, tamen propter externum ministerium & modum huius convivii agitandi non flectimus genua. Sed de isto argumento plura dicemus suo loco. Oleum & operam perdunt, qui hoc convivium à prophanis in multis differre ostendunt. Novimus enim multa licere in conviviis prophanis, quæ hîc non sunt licita. Formam tamen & speciem convivii retinendam dicimus, quam tollit geniculatio, & ritus celebrandi quos Dominus author & institutor convivii præscripsit, non satietatem corporis aliosve mores & ritus conviviorum cujusq; gentis in sacram coenam introducere volumus.

3 Argumentum contra genuflexionem in percipienda eucharistia, sumitur ab aliis ritibus, quos instituit Christus, qui genuflexione tolluntur, & excluduntur. Qui ritus vnum aut plures ritus à Christo institutos excludit, non est legitimus. Nam ritus institutionis præcepto generali *Hoc facite* comprehenduntur. At genuflexio in percipienda eucharistia ritus à Christo institutos excludit. Excludenda igitur à participatione symbolorum. Fractionis ritus est ritus imperatus, vt pluribus argumentis probat Paræus, lib. 2. de symbolis eucharistiæ. Verum quidem est geniculationē non excludere necessariò fractionem. Potest enim minister panem frangere, priusquam distribuerit partes fractas geniculantibus. Refert tamen Paræus Lutherianos veram fractionem sacramentalem non retinere. *Argumentum nonum quod Lutheriani quoque fractionem habeant, ridiculum est, & prophanum effugium. Quasi verò sit fractio sa-sacramentalis à Christo instituta; cum vel cocus, vel Pharmacopæus, vel æditus, ex lamina ferrea minutias nebularum scalpro excidit, & rotundat.* Et in 1 Epistolam ad Corinthios ait, neminem non intelligere orbiculos scalpro circinare, eosdemque distribuere, non esse illud frangere, quod Christus in cœna sacra instituit. *Fractio sacramentalis exemplo Christi in vsu sacramenti à ministro ecclesiæ personam Christi sustinente fieri debet. At orbiculorum sculptura fit ad furnum, vel domi à Coquo, vel Apothecario vel æditu0.* Hostiæ nummulares fractionem excludunt apud Lutheranos. In Liturgia Anglicana nulla mentio fractionis sacramentalis. Vnde colligo non esse illis ritum sacramentalem, nec ea uti, nisi forte in quibusdam locis qui puriorem politiam restitui optant, hunc etiam ritum restituerint. Hoc certum impune posse omnes omittere, etiamsi non ubique obtinet rotundarum placentularum usus. Hanc conjicio causam. Triformem illam

De symbol. Euchar. p. 166.

in 1. Cor. 11 controvers.

illam fractionem quam habent Pontificii, non habent illi, ut patet ex libro liturgiæ. Cum tradunt geniculanti non proferunt verbum promissionis, *Hoc est corpus meum*. Prolata erant verba illa in oratione, antequam ipse sacerdos sumeret eucharistiam, & postquam ipse sumpserit iam intempestivum putant frangere ob mysticam significationem corporis Christi pro nobis fracti. Nam Christus ante distributionem fregit. Sic verbum promissionis transponendo, vt alia inter distribuendum geniculantibus vsurpent, ritum illum necessarium in liturgia sua omiserunt. Alius fractionis usus, ut per partes distribui inter plures possit, in quo etiam usu mysticam membrorum unionem & dilectionis vinculum significari ostendit Apostolus 1.Cor.10.17. A fractionis ritu eucharistiam denominatam fractionem panis, ait Paræus. Syrus interpretes, Act.2.24. & 20.7. fractionem panis interpretatur eucharistiam. *Cum illud quod est in Domini mensa benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum communitur*, ait Augustinus. Vides etiam ob distributionem fractum panem post benedictionem ceu sanctificationem. Secundo cum singulis geniculantibus porriguntur elementa, mutantur verba institutionis. Christus dixit in plurali numero, *Accipite, edite*, non in singulari, *accipe tu, ede tu, bibe tu*. Fennerus in doctrina de sacramentis, ait, *Hanc loquutionem* (nempe numero plurali) *aptissimam esse ad denotandam ecclesiæ in hoc opere communionem & societatem, Christo per ministrum omnes convivas, quasi uno communis amoris & dilectionis indicio hortante, vt sint hilares, & vnà eandem escam spiritualem fide manducent*. Si dixerint ministrum debere singulis applicare promissiones Evangelij. Verum, sed an propterea singulis tradendo symbola & sigilla, id est, annon potest fieri applicatio, nisi mutando ordinem celebrandi quem instituit Christus. Cum concionatur, applicat promissiones Evangelij, non tamen dicit singulis, *Tu* vel *ille*. Applicant singuli credentes. Nam applicatio non est unius ministri, sed etiam credentium fide apprehendentium promissiones indefinitè enuntiatas. Languet etiam meditatio accipientium symbola, cum singulis sigillatim verba illa dicuntur, *Accipe tu, ede tu, &c.* Nam suspendunt meditationem suam alii, dum ventum fuerit ad ipsos particulariter, atque ita torpent; cum contra si pluribus simul in plurali diceretur, *Accipite, edite*, statim & simul junctis meditationibus excitarentur. Mutant etiam verbum promissionis in precatiunculam, *Corpus Domini custodiat, &c.* Habent hæc verba, verum, in Canone Missæ suæ, sed proferunt non populo, sed Deo quasi aliquid oblaturi, ac si piaculum esset distribuere geniculantibus priusquam protulerint illa verba, & panem & vinum iis consecrarint. Doctorculus quidam apud nos dicit Christum dixisse primùm, *Accipite, edite, hoc est corpus meum, &c.* Deinde, cum distribueret, dixisse singulis, *accipe tu, ede tu, &c.*

Epist. ad Paulinum.

& alio-

& alioquin inquit, daret ceu distribueret, priusquam esset sacramentum. Intelligit priusquam prolata fuissent verba illa, *Hoc est corpus meum*. Est istud Pontificiorum quorundam delirium, qui ut consecrationis vim verbis illis, *Hoc est corpus meum* alligarent, fingunt Christum bis dixisse, *Hoc est corpus meum*. Sed hoc commentum repudiat Suarez. *Vbi nulla, inquit, ratio cogit, non oportet ordinem textus mutare, præsertim, cum ab Evangelistis & Paulo tanta consensione observatus sit. Itaque postquam Christus accepit & benedixit panem, illum in partes sufficientes distribuit & in patina accommodatè posuit, ac porrexit discipulis suis, dicens verba consecrationis, quibus finitis singuli partem suam acceperunt.* Evangelistæ vno consensu narrant Christum accepisse, benedixisse, fregisse, dedisse, & dum daret ceu porrigeret dixisse, *Hoc est corpus meum*. Eundem ordinem in re tenuisse credendum est, quem Evangelistæ servant in narratione: non autem confugiendum ad deliria & figmenta cuiusvis Doctorculi ad stabiliendam aut tuendam consecrationem Pontificiam. Christus inter distribuendum non dixit singulis, *Hoc est corpus meum*, multo minùs precatiunculam Gregorianam, aut quid simile. Si singulis elementa in manus tradidisset oportebat singulis repetere quædam verba. Non enim mutum dedisse singulis elementa ipsi affirmabunt. Sed puderet ipsos Pontificios eiusmodi tueri assertiones. Christus igitur cum non aliam verborum formulam concepit inter distribuendum, quàm quæ concipitur forma enunciativa, formam enunciativam in precandi formulam mutare non debemus. Nam forma enunciativa verbum promissionis concipitur. Non tribuimus vim magicam consecrandi his verbis vt Pontificii, nec Deo proferenda in oratione, ut faciunt etiam Angli, dicimus, nec damnamus recitationem verborum institutionis ante inchoatam gratiarum actionem ceu benedictionem, sed suo loco, nempe inter distribuendum proferendum verbum promissionis desideramus cum sigilla promissionis accipiunt fideles, etiam si millies recitarentur ante inchoatam benedictionem verba institutionis. Non sat est recitativè verba institutionis & quasi in cumulo proferre, & ab actione separare, sed singulos ritus singulis verbis in ipsa actione & celebratione accommodare & applicare debemus, vt fecit Christus, præcipuè autem istud verbum promissionis, cum eius sigilla porriguntur. Modò enunciativa forma proferatur, sicut fecit Christus, & promissionis forma servetur, licet aliqua mutatio fieret in verbis, nullam movebimus litem. Si quis inter distribuendum diceret, *Hic panis est signum & sigillum corporis*, vel *hoc est sigillum corporis*, non sumus tam superstitiosi conceptarũ formularum cultores, ut vim omnem amittere verbum promissionis putemus, aut religionem esse in numerato tenere verba. Sed formam enunciativam in precatiunculam Gregorii Magni tempore usurpatam

In 3. part. disput. 58. sect. 2.

Corpus Domini Iesu Christi custodiat animam tuā ad vitam æternā, aut aliam similem, mutare vel omnino omittere, & alia verba usurpare, ac si hoc loco nempe nempe inter distribuendum quęvis potius alia quàm verba ipsius Christi dulcissima & consolationis plena essent proferenda & qua forma aut formula protulit Christus ego certè non probo. Si dixerint se protulisse ante inchoatam benedictionem, recitando verba institutionis, præstitisset potius non recitasse, quàm nunc omittere. Angli dicent se protulisse in oratione & benedictione, sed ineptè & absurdè verbum promissionis quod inter distribuendū populo annunciandū in benedictione Deo proferunt. Iste ordo duplicē peperit actionē, unam sacrificii offerendi, aliam dandi Eucharistiam. Si inter distribuendum usurparentur verba Christi, sicut ipse Christus usurpavit dicendo, *Hoc est corpus meum,* nunquam introductum fuisset execrandum Missæ sacrificium. Sed cum hæc verba simul cum benedictione ceu gratiarum actione conjungerentur, & Deo proferrentur, ac si hæc esset verborum series, *Accepit panem, benedixit dicens, Hoc est corpus meum, fregit, dedit discipulis,* & alia inter distribuendum substituerentur, quàm quæ Christus usurpavit, ac si alia verba inter distribuendum locutus fuisset ad Apostolos, & hæc verba iterare, esset denuò consecrare, prior pars actionis transiit in sacrificium missæ, posterior in communionem ceu administrationem sacramenti Eucharistiæ, vel duplex consideratio sacrificii nempe & sacramenti excogitata est. Dicimus igitur hæc verba, *Hoc est corpus meum*, restituenda in suum locum, id est proferenda esse post benedictionem & fractionem inter distribuendum, ut obstruatur rima ista per quam omnes Missæ abominationes ingressæ sunt, & inter alias ista geniculatio, etsi non statim cum ista verborum transpositione, & ut actio non sacrificii, sed cœnæ celebretur ritibus & verbis Christi. In administrando baptismo servamus eandem verborum formulam, & in Eucharistia administranda invertimus omnia, ac si majori licentia ludere & lascivire liceret in his mysteriis quàm in illis. Tertiò, geniculatio in percipienda Eucharistia tollit illam distributionē symbolorum, quam communicantibus imperavit Christus. Cum Christus dixit *Accipite, edite,* innuitur non tradidisse singulis in manus symbola panis & vini. Nec obstat verbum ἔδωκε. nam non sequitur immediatè & singulis tradidisse in manus. *Imperavit eis* nempe discipulis *ut facerent discumbere omnes,* nempe quinque millia virorum συμπόσια συμπόσια *per convivia super viridi gramine. Discubuerunt igitur sigillatim per areolas,* partim *centeni,* partim *quinquageni. Et acceptis quinque illis panibus ac duobus illis piscibus, quum suspexisset in cœlum benedixit ac fregit panes, deditque discipulis suis, ut illis apponerent, & duos pisces partitus est omnibus*, Marc. 6 41. Non tamen vel Christus vel discipuli dederunt immediatè & sigillatim quin-

que

que millibus virorum, sed apposuerunt eis panes. Cum igitur Matthæus ait, *dedit discipulis panes, discipuli verò turbæ*, non sequitur Christum dedisse singulis panes, aut discipulos sigillatim quinque millibus; Nam Marcus ait tantum apposuisse eis, id est, posuisse coram eis. Si igitur verbum *dedit* per se positum id non cogit, multò minus, cum dans ait accipientibus in plurali numero, *Accipite, edite, bibite*, non in singulari & sigillatim cuique, *Accipe tu, ede tu*. Cuique & sigillatim si dedisset non dixisset, *Accipite, edite, bibite*. *Non est verisimile*, inquit Cajetanus, *quod singulorum ori imponendo singulas partes porrexit, vel manu sua ad manus eorum, sed exhibuit & obtulit particulas sacri panis in patina, à singulis particulam propriis manibus accipiendam. Crediderim ego, quod sicut vnum calicem communem omnibus tradidit, ita in vna patina panem in duodecim buccellas fractum manibus propriis accipiendum tradiderit, & quod Ecclesia vsum hunc patinarum Apostolica traditione accepit. Ita quod sicut calicem vnus discipulus dedit alii, ita patinam cum pane sancto propinquiores Iesu remotioribus successivè porrexerint.* Sic Suarez, *Vt est probabiliter opinio, & verba ipsa indicant, non applicuit ipse propria manu panem consecratum ad ora Apostolorum, sed obtulit tantùm catinum, & ipsi propriis manibus sumpserunt, quod in calice est evidentius, accipite & dividite inter vos. Fuit ergo per proprias Apostolorum manus ab vno in alium delatus.* Hæc ingenua & liberalis confessio concedit poculum ab uno ad alium delatum, & non è Christi manu, sed ex patina panē sumptum; Th. Beza sentit etiam panem distribuisse & invicem porrexisse. *Præterea*, inquit, *si Christus, singulis panem illum in os ingerere voluisset, certè pro accubitus ratione, aut ipsi Christo aut discipulis paulo remotiùs discumbentibus surgendum è mensa sigillatim fuisset, etiamsi in medio illorum Christum discubuisse dicamus, sicut actio illa repræsentari à pictoribus consueuit. Nihil autem tale ab Evangelistis narratur, imò sicut initio convivii poculum vicino præbitum jussit Christus vt postea alii aliis traderent: ita probabile est panem à Christo fractum & traditum, eos ex discipulis, qui remotius discumbebant ex vicinorum manu accepisse. Probabile est*, inquit Piscator, *dominum panem confregisse in duas partes, earumque alteram dedisse illi qui proximus ipsi accumbebat ad dextram, alteram vero illi qui ad sinistram, vt isti deinceps proximè accumbentibus porrigerent, donec singuli particulam sibi decerpsissent, qualem quidem processum observatum fuisse in poculo, ita scilicet vt illud dederit alteri ex proximè accumbentibus, ac tum deinceps singuli ordine alii aliis κατα κυκλοποσιαν istud porrexerint, & alii ab aliis acceperint, colligitur ex verbis, Bibite ex eo omnes, item ex verbis apud Marcum, & biberunt ex eo omnes. Nec non ex verbis apud Lucam de poculo convivii paschalis accipite hoc, & dividite inter vos. Nam in vtroque poculo parem processum observatum esse probabile est.* I Lucam cap. 22 corrigit istam sententiam de poculo convivii Paschalis, ut

Vide locum in Cassandr. Liturg. c. 31

In 3 part. disp 72 s. 1.

Epist. 2.

Piscat in Matth. 26.

statim videbimus de uno tantum poculo nempe Eucharistico loquutos Evangelistas. Tossanus in Matth. 26. *Credibile est dominum panem fractum in duas partes dedisse in manus proximè assidentium ad dextram & sinistram, ut sibi mutuo porrigerent, donec singuli particulam sibi decerpsissent. Non enim tunc Christus ex mensa surrexisse vel Apostolorum aliquis dicitur*, & *Luc. 22. Christus accepto poculo cum gratias egisset, dixit Accipite hoc & partimini vobis ipsis*. Non solùm ex verbis illis *Accipite, edite, bibite*, colligimus non sigillatim cuique dedisse symbola Christum, sed etiam ex præcepto Christi cum traderet poculum dicentis, *dividite inter vos*, Luc. 22. 17. At non de poculo Eucharistico respondent sed Paschali ista dicuntur. Nam de poculo Eucharistico agitur ver. 20. Respondeo utrobique agitur de eodem poculo, & quod de poculo Eucharistico dicitur hoc præceptũ patet ex protestatione, quæ subjungitur ver. sequenti, *dico autem vobis me non biburum ex fructu vitis, usquequo regnum Dei veniat*. At hanc eandem protestationem de poculo Eucharistico habent alii Evangelistæ Matthæus & Marcus Matth. 26 29, Marc. 14 25 qui tamen de poculo paschali nihil loquuntur. Si dixerint Christum bis protestatum, primùm de poculo Paschali, deinde de Eucharistico, tam facile rejicitur quàm asseritur, quod dicunt, quia est nuda assertio absque illa probatione. Præterea sic sibi contradiceret Christus. Nam si de poculo paschali protestatus sit se non amplius biburum ex fructu vitis usquequo regnum Dei venerit, non bibisset postea de poculo Eucharistico. Non bibit, inquiunt de poculo Eucharistiæ. At contra, dicunt Evangelistæ Matthæus & Marcus postquam porrexit poculum Eucharisticum protestatum se non amplius ex fructu vitis biburum usque ad diem illum quum ipsum biburus esset novum in regno cœlorum. Ergo jam biberat. Bellarminus ut in transubstantiationis aut realis præsentiæ figmentum declinet ictum, quia dicitur fructus vitis etiam post consecrationem, negat protestationem Matthæi & Marci referendam esse ad poculũ Eucharisticum. At de nullo alio quàm Eucharistico poculo loquitur versu præcedente, & ex his ipsis locis colligunt ipsi Pontificii vinum esse elementum sacramentale in Eucharistia. Gabriel Biel ex hoc ipso Lucæ loco id probat. *Est autem materia consecrationis vinum de uva vitis expressum. Ratio principalis est institutio Christi: qui in vino vitis hoc sacramentum instituit. Unde Luc. 22. Accepto calice dixit, dico vobis non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat, & Mar. 14. Iam non bibam de genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei.* Unde infert, quod nec vinum pomorum aut artificiale, sit apta materia consecrationis, *quia non est vinum vitis, nec est simpliciter vinum, sed æquivocè & secundum quid*: nec in uva vinum non expressum, *quia liquor ille in uva magis habet rationem comestibilis quàm potabilis*, nec

In Canonem Missæ lect. 35.

agrestam,

agrestam, quia nondum habet vini speciem : sed est in via ad vini generationem, nec acetum quia non est ejusdem speciei cum vino, sed est vinum corruptum. Vnde fit reditus de aceto in vinum. Chrysostomus, *ipse quoque bibit ex eo, ne auditis illis verbis dicerent, Quid? ergo sanguinem bibimus & carnem comedimus? & perturbarentur.* Miror itaque Musculum dubitare num Christus manducarit panem, & biberit vinum Eucharisticum, cum ipse fateatur vinum fuisse in poculo Eucharistico, cum Dominus protestaretur. *Existimo*, inquit, *neminem esse qui neget vinum in poculo fuisse, cum dixerit dominus Matth. 26 Luc. 22 haud bibiturum se amplius.* Hieronymus ait, quòd Christus erat & *conviva & convivium, comedens & qui comeditur.* Hymni duo veteres manducasse panem canunt, *Se tenet in manibus Se cibat ipse cibus. Se nascens dedit socium, Convescens in edulum.* Aquinas, *Christus ea quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit, vnde ipse prius baptizari voluit quàm aliis baptismum imponeret.* Non opus erat ut baptizaretur propter se, baptizatus tamen propter exemplũ. Manducavit & bibit in cœna Eucharistica ut præberet nobis exemplũ, & ostenderet se non modo convivium esse, sed etiam convivã. Constat igitur protestationem Christi referendam non ad poculum paschale sed Eucharisticum, vel ad ultimum illud Paschale poculum quod in Eucharisticum translatum est quod idem, nempe poculum hymni. *Canon Paschalis disertè interdicebat post poculum laudationis aliquid cibi aut potus sumere. Interdicitur aliquid comedere post poculum hymni* Huc alludit protestatio Christi, *non amplius bibam &c. Alludit ad morem, quo nefas erat post illud poculum ἀπολυτικὸν quicquam cibi in posterum diem capere.* Christus mortem suam prædicens protestatur se non illa nocte solum sed omnino non amplius bibiturũ vinum, donec biberit novum in regno cœlorum. Matthæus & Marcus de poculo Eucharistico loquuti tantum semel protestationem subjiciunt. Lucas ut protestationem non bibendi jungeret cum protestatione non edendi ampliùs de paschate, anticipavit institutionẽ Eucharistiæ, quæ immediate sequitur protestationẽ, ubi mentionem poculi denuò fieri oportebat. Anticipationis & inversi ordinis hoc indiciũ est, quod cũ de poculo Eucharistico quatuor ista memorent alii Evangelistæ 1 gratiarum actionem 2 distributionem & præceptum ut ex eo biberent, 3 assertionẽ quod esset ipsius sanguis 4 protestationem, quod non amplius bibiturus &c. assertio solum ponitur ver. 20 quia tria reliqua jam dicta erant ver. 17 nec opus erat repetere. Similis inversio ordinis observatur eodem capite, ubi post institutionis & celebratæ cœnæ narrationem Christus ait, *Ecce manus eius qui me prodit mecum est in mensa.* Cum tamen Iudas ante institutam cœnam Eucharisticam egressus fuerat. *Quod post calicem datum traditorem commemorat, prætermissa recapitulare videtur,* inquit Zacharias Chrysopolitanus Anticipationem de poculo

Homil. 83 in Matthæ.

Loc. comm. De Cœna.

Ad Hedibiam.

Part. 3. qu. 7: art. 1.

Scaliger de emendat. tẽp. lib 6.

Bez annot. in Marc. 14 25.

Harm. Evan. l. 4 c. 156.

De enchir. c.11. observavit Augustinus l. 3 de consensu Evangelistarum cap. 1 ubi dicit, Lucam non narrasse historiam suo ordine sed per anticipationem narrasse id quod suo loco Matthæus & Marcus narrarunt, ut fatetur Bellarminus, sed dicit Augustinum non satis expendisse hunc locum. Dicit sed non probat. *Respondendum potius*, inquit

Lib. 3. cap. 1 Iesuita Barradius, *Christum unum tantum calicem discipulis propinasse sanguinis sui: Lucam verò de illo uno atque eodem calice bis locutum, quæ sententia est Divi Augustini l. 3 de consensu Evangelist. cap. 1. Euthymii Matth. 26 & Iansenii. Probatur quia Lucas prioris calicis traditioni eadem verba subjicit, quæ Matthæus & Marcus scribunt dictata Christo, cum calicem veri sanguinis sui tradidit, scilicet non bibam à modo de hoc genimine vitis &c. Ergo idem erat calix sanguinis. Præterea Lucas nullam fecit mentionem esus agni aut azymi panis. Neque dicit, accepto agno vel accepto pane gratias egit &c. quorsum igitur de solo calice hoc dixit, cum in cœna potus sit inferior & posterior cibo? Sanè propterea de solo calice loquutus est; dixitque Christum illo accepto egisse gratias, quia calix ille ad agni etiam non pertinebat, sed calix sanguinis erat. Usus autem est præoccupatione, ut Augustinus docet, præoccupationis verò sive anticipationis causa fuit, ut protestationem non bibendi conjungeret cum protestatione non manducandi. Bibisse autem sanguinem probabiliter etiam colligitur*, inquit Suarez,

In 3. part. tom 3. disp. 75. sect 5. *ex sequentibus verbis ejusdem Lucæ, Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Nam licet à Luca hæc verba referantur ante consecrationem, videtur tamen id factum esse per anticipationem: nam & Matthæus & Marcus post consecrationem illa referunt, & ita intellexit Augustinus, lib. 3. de consens. evangel. c. 1. & Chrysost. homil. 83. in Matth.* A patribus & Pontificiis veniamus ad Neotericos no-

In Luc. 22. stros, *Ordinis inversio aliqua*, inquit Piscator, *quatenus pars actionis circa vinum narratur, v. 17. & 18. ante actionem circa panem. Nam verba illa de poculo cœnæ dominicæ intelligenda esse liquet ex Marco, qui verba illa, dico me non bibiturũ, &c. verbis de poculo cœnæ dominicæ pronunciatis continenter subiungit.* Tam manifestum est & perspicuum esse hoc loco inversionem ordinis, ut Theod. Beza non Evangelistam anticipationem aut præoccupationem, sed scribam transponentem versus, hunc ordinem versuum, quem habemus, nobis de-

Annot. in Luc. 22. 17. disse conjiciat. *Quod si quis hic esset conjecturæ locus, dicerem transpositos fuisse versiculos, & 16 versiculo annectendos, qui nunc 19 & 20 habentur, quibus subjiciantur, quos nunc 17 & 16. numeramus. Sic enim omnia prorsus inter se, & cum Matthæo & Marco pulchrè consenserint: & in Apocalypsi duas fortasse non ineptè similes transpositiones observavimus.* Theobaldus Meuschius in defensione Harmoniæ

Harm. evang cap. 4. generalis approbat conjecturam Thod. Bezæ, & ait, incuria transcribentium transpositos ver. 17. & 18. & ex vers. 20 assumptos. *Accedit*, inquit, *quod Matthæus ac Marcus illud, Amen dico vobis quod*

quod non bibam de fructu vitis in institutione sacri calicis non habent. Verosimile est igitur & prope necessarium hos versiculos ex sacræ cœnæ institutione huc esse à scribis traiectos. Christum verò non bis juxta quorundam sententiam distribuisse calicem, semel in celebratione veteris paschatis pro more hebræorum, & rursum in sacræ cœnæ institutione *sed semel tantum post cœnam juxta Lucæ testimonium, inde concludi potest, quod Iudæi panem & poculum soliti sunt distribuere prorsus in fine Paschatis, quibus distributis, quicquam porro gustare ea vespera nefas erat. Prorsus igitur statuendum est Christum observasse veterem ritum in distribuendo pane & calice, sed in planè novum & excellentiorem vsum convertisse. Augustinum igitur sequor, ex quo apparet in ecclesia jam olim receptum fuisse, sic ista cum aliorum Evangelistarum narratione conciliare, vt semel tantum dicatur Christus poculum vnum & idem, nempe sacramentale discipulis præbuisse.* Et paulo post, *Et operæpretium est in his advertere* ὕστερον πρότερον *Lucæ continuum. Cum enim initium sermonis Paschatis interrupisset, & sacræ cœnæ institutionem inseruisset, ea absoluta non redit ad initium sermonis, vnde digressus erat, sed retrorsum regreditur incipiendo ab ultimis, & sic pergendo ad priora, donec eo in sermone perveniat, unde primò digressus erat. Sed hæc melius conspicientur in subiecto diagrammate*

Ordo Lucæ.

1	5	4	3	2
Prędictio mortis, v. 15. & 16.	Institutio cœnæ, v. 17.21.	Querela Christi. v. 21.21.	Contentio discipulorum, & informatio, v. 23.28.	Promissio figurata occasione cōtentionis, v. 28. 29.30.

Si cui non arridet coniectura de transpositione, inversionem tamen ordinis & anticipationem ob rationes jam dictas concedere oportet, præsertim cum alia similis inversio habeatur eodem loco. Præceptum igitur, *Dividite inter vos*, referendum est ad poculum eucharisticum. Sic Mornæus de Eucharist, l. 1. 12. Calvinus institut. l. 4. c. 17. s. 43. Bilsonus de obedientia pag. 495. Willetus in Synops. de euchariſt. quæst. 4. p. 545. Iuellus de privata Missa divis. 8. hoc præceptum ad poculum eucharisticum referunt Vt poculum, sic etiam panem divisum fuisse, & distributum, eumque porrexisse sibi invicem credere suadent analogi utriusque symboli ritus, & quæ suprà dicta sunt de pane porrecto. Sed detur poculum invicem porrigendum non panem, hoc vnum excludet geniculationem. Non enim bene convenirent ista duo, vt Minister poculum tantùm proximo porrigat, & ut panem sigillatim distribuendo

buendo causa obambularet circum mensam vel mensas. Si non geniculandum dum dividitur poculum, nec cum dividitur panis, nisi panem senserint majori cultu dignum, quàm vinum. Qui de geniculis adorant, invicem sibi poculum porrigere nequeunt, nisi geniculationem adorationis gestum huic etiam actioni communicent, quod absurdum esse non negabunt Adversarii. At, inquiunt, verba illa, *Dividite inter vos*, vel *Partimini vobis ipsis*, non hoc postulant, ut invicem sibi porrigant, sed sufficit, si omnes biberint ex poculo, & postquam hauserit quisque partem suam reponat in mensa, vel in manu ministri ut alii accipiant, vel ut ille det caliis. Sensus igitur erit, videte ne quis ebibat totum vinum quod est in poculo. Sed prius illud nunquam fuit usurpatum in ulla convivii specie, nempe ut bibentes ex eodem poculo non porrigerent invicem aut traderent in manus proximi, sed reponerent in mensa, ut proximus, si velit accipiat, nec ullum usum habet, nisi forte superstitionis ridiculæ, ac si prophanum quid esset è manu proximi sumere poculum. Posterius est contra Christi præceptum, imperantis ut ipsi sibi partiantur, & contra morem & ritum usitatum in clausula Paschatis in qua poculum circumferebant invicem sibi porrigentes, à qua clausula cœnæ Christus sacræ cœnæ ritus transtulit. Si panem proximis ad dextram & sinistram accumbentibus tantum tradidit, & illi aliis ut volunt, Beza, Piscator, Tindallus & alii, multo magis credendum poculum etiam aliis tradidisse. Apostoli in sacra cœna quemvis fidelium cœtum repræsentabant, ut fatentur. Non pendet virtus aut efficacia sacramenti à morali dignitate vel ministri consecrantis vel proximi dispensantis. Et qui ministrum Christi personam gerere dicunt nihil inde lucrantur, cum Christus ipse non dederit poculum sigillatim & singulis, nec singuli reposuerunt in manum Christi priusquam traderetur proximo. Tertullianus ait, *quòd non de aliorum quam præsidentium manum eucharistiam sumimus*. In Apologetico cap. 39. ait, quod *præsident probati quinque seniores*. E Seniorũ igitur manu sumebant eucharistiam in Africa. At non sic ab initio. Iustinus ait, Diaconos unicuique præsentium obtulisse, ut partem caperent de pane super quo gratiæ actæ sunt, & vino & aqua. Obtulerunt nempe in patina & poculis. Quo sensu Clemens Alexandrinus ait, *Etiam eucharistiam, cum qui iam, vt mos est, diviserint, permittunt vnicuique ex populo eius partem sumere*. Sed detur utrumque symbolum Diaconos fidelibus in manus tradidisse, non in vasis obtulisse vel apposuisse, non tamen tunc sentiebant nefas esse ex aliorum quàm ministri manu accipere elementa. Si antehac è manu solius ministri accepissent, non detulissent Iustini ætate hoc officium Diaconis. Imò in Liturgia, quæ ascribitur Iacobo Diaconorum officium est circumferre discos & calices. Diaconi primo utrunque elementum ministrarunt,

De coron. militis.

Apol. 2.

Stromatum lib. 1.

ministrarunt, ut refert Iustinus. Postea Sacerdos panem Diaconus calicem dispensavit. Cyprianus lib. de lapsis, *Solennibus ad impletis, diaconus calicem offerre præsentibus cœpit.* Vnde Laurentius diaconus & martyr dixit Sixto. *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem.* Rationes hujus differentiæ, quas affert Thomas 3 part. q. 82 art. 3 sunt ridiculæ, ut quod *sanguis Christi continetur in vase, vnde non oportet quod tangatur à dispensante, sicut tangitur corpus Christi nempe à sacerdote.* Nam de dispensatione non de tactu jam questio est, & hac ratione sequeretur antea diaconos circumtulisse patinam, & permisisse, ut fideles caperent elementum panis. Sed differentia inde orta videtur, ut ait ibidem Saurez, quod quando Sacerdos cœpit singulis & sigillatim ministrare, ipse præcedens tradidit illis panem, & subsequutus diaconus ministravit calicem. Sed introducta communione sub una specie panis cessavit dispensatio poculi per diaconum. Videmus non statim irrepsisse superstitiosum morem accipiendi elementa è manu ministri. Quod ad alterum illum morem reponendi in mensa, ubi assidebant aliis qui percepturi erant Eucharistiam, de eo ante nostram ætatem somniasse credo neminem, & eandem superstitionem redolet, ac si è manu proximi accipere nefas esset. Nam nulla alia potest reddi ratio peregrini istius ritus, & à primæ cœnæ forma, & à more gentis in omni cycloposia, ubi idem poculum dividunt, recedentis. Dicimus itaq; Christum præcipiendo, ut Apostoli poculum sibiipsis partiantur, voluisse fideles in sacra cœna invicem sibi poculum porrigere. Hac forma celebrare cœnam Benedictinos refert Bullingerus. Sed, utcunque illi celebrant, Apostolos hoc modo partitos poculum, nempe tradendo aliis, ut solebant poculum hymni, non est dubium. Si quis usum hujus ritus quærat, prætcrquam quod dictas de sacramentalibus symbolis opiniones superstitiosas ex animis hominum evellit, amicitiæ & charitatis, mutuæque benevolentiæ signum est. Habebant Græci diem solennem, quem *philotesium* appellabant, quo calicem primum à pocillatore sumebant, & parum ex eo præbibentes quod magnæ amicitiæ erat symbolum, illum deinde, cui volebant porrigere solebant, atque hoc quidem illis erat προπίνειν. *Hesychius indicat*, inquit Stuckius, *hanc philotesiam adhiberi post cœnam, cum in signum amicitiæ ex eodem poculo de eodem vino bibunt omnes.* Sumitur φιλοτησία cùm pro ipsa propinatione ceu invitatione ad bibendum, quæ amicitiæ & benevolentiæ ergò fit, tum pro die festo & solenni quo illa olim celebrabatur, tum pro poculo quo hujusmodi fit salutatio hinc κρατὴρ quoque φιλοτήσιος dictus est. *Philotesia*, inquit, *est phiala quæ in compotationibus datur. In iis enim amicitiæ ergò humaniter se mutuò excipientes vini calicem sibi invicem porrigebant, quem philotesiam appellabant, metonymicôs nimirum, quia symbolum erat amoris & amicitiæ,* Antiquit. cõvivia. lib. 3 cap. 10.

citiæ, quo nomine verissimè quis illud sacrosanctæ Domini cœnæ poculum insignierit. At κρατὴρ φιλοτήσιος in manum tradebatur. Vnionis cum Christo signum situm est in manducatione, potatione, nutritione; communionis signum, in eo quòd ejus mensæ accumbentes ipsum convivam habemus; communionis inter nos quòd ex eodem pane & vino partes capimus; amicitiæ & mutuæ benevolentiæ signum in eo præterea quod eidem mensæ accumbentes invicem aliis craterem Philotesium porrigimus. In Ecclesia veteri ante mysteria solebant se mutuo osculo salutare. Habebant etiam agapas cum cœnis conjunctas, quæ à mysteriis toto genere diversæ erant, & de quarum origine controvertitur, ut supra dixi cap. 9, nec ubique earum usus obtinebat. Vterque mos abrogatus est, nihil enim de iis dominus sacram cœnam instituens statuit. Sed de isto signo speciale præceptum tradidit dicens *Partimini vobis ipsis*, cum reliquos ritus omnes generali tantū mandato, *Hoc facite* complexus fuerit. Bibere ex eodē poculo non tam bene exprimit hanc mutuam amicitiam ac benevolentiam, sicut cum porrigimus aliis, ut jure crater philotesius dici possit. Denique geniculando Eucharistiam accipere è manu ministri ataxiam introduxit in cultum divinum, Nam dum geniculantes percipiunt symbola, & illi unà cum ministro celebrant unam actionem, reliquus cœtus canit psalmos, aut attendunt lectioni scripturarum, & proinde est cœna privata non publica, licet in loco publico, quam interim celebrant geniculantes. Non recens est, fateor, hic mos canendi psalmos, dum distribuerentur elementa. Nam Augustinus ætate sua testatur psalmos cecinisse inter offerendum & distribuendum. *Inter hæc Hilarius vir tribunitus Laicus Catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione ubicunque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondi jubentibus fratribus.* Quo spiritu morem istum reprehenderit Hilarius, aut quibus argumentis defenderit Augustinus, nescio, sed meritò reprehendisse, & pio zelo Hilarium judico. Tam manifesta est hîc ataxia, ut nullis argumentis defendi queat. In uno eodemque cœtu pars una cum ministro in una parte vel angulo templi exercet se in uno cultus genere, nempe distribuendi & percipiendi symbola, & interim dum minister alloquitur geniculantes inter distribuendum, loquitur in reliquo cœtu lector & legit scripturas sacras, aut canunt psalmos, & exercent se in alio genere cultus, & nesciunt quid rerum geritur inter ministrum & geniculantes, nisi quantum oculis intuentes conjicere possint. Nunquam probavit Deus, ut in uno eodemque cœtu uno eodemque momento duæ simul divini cultus partes administrarentur. In quem finem

Retract. lib. 2 cap. 11.

jussit Apostolus convenire ἐπὶ τὸ αὐτὸ ad celebrandam cœnam, si cum convenerint in vnum locum, tamen in uno eodemque loco separatas habeant mensas, vel in angulo aut per se fiant participes Eucharistiæ. Si baptismus administraretur in una templi parte, & reliquus cœtus in alia interim caneret psalmos aut legerent scripturas absurditatem istam facile agnoscerent. Hæc ataxia in cœnæ administrationem inde irrepsit, quòd sigillatim datur cuique in manum Eucharistia, & quia tæderet reliquum cœtum toties eadem verba repetita, quoties dat symbola minister, audire, lectionem & cantum psalmorum excogitarunt ad levandum fastidium, & sic duæ simul voces diversis auribus insonant. Quod si mensis perpetuis accumberent, ut apud nos in more positum est, & in loco templi patentissimo, tum non tæderet vel participaturos, vel qui hactenus participarunt, eadem verba rariùs repetita audire, & dum alloquitur minister inter distribuendum alios accumbentes forte 60 vel 100 una vice, silere, & cum surgentibus à mensis & aliis succedentibus simul canere, aut lectioni historiæ passionis attendere. Nã interim dum alloquitur inter distribuendum accumbentes, alii percipiunt fructum, dum sui officii & præsentis beneficii admonentur. Nam apud nos Minister finita concione recitat verba institutionis, habet exhortatiunculam & admonitionem, deinde benedicit, finita benedictione ceu gratiarum actione, ait, Dominus noster ea nocte qua proditus est accepit panem & gratias egit, sicut nos jam egimus & fregit, sicut & ego jam frango, & dedit discipulis suis dicens (tum tradit proximis à dextra & sinistra) hoc est corpus meum &c. nihil addit verbis Christi, nihil mutat, nihil diminuit, tum proximi frangunt majoris fragmenti ceu partis particulam, & reliquum tradunt proximè assidentibus, quandiu restat fragmenti pars reliqua, tum qui ministrant mensis, ubi deficit unum fragmentum, patinam offerunt, unde alius simile similiter fragmentum ceu κλάσμα majus sumit, & frangens tradit proximo, & sic deinceps. Similiter poculum tradit proximis minister prolatis verbis Christi, nihil addendo, miscendo, mutando, minuendo, & illi tradunt proximè assidentibus in manus, & ubi defecerit vinum, denuo implent qui ministrant &c. Simulac utrunque symbolum tradiderit proximè assidentibus prolatis tantùm verbis Christi, dum tradunt alii aliis proximè assidentibus panem & poculum, minister quandiu actus manducandi & bibendi durat, alloquitur accumbentes, inculcat memoriam beneficiorum quæ nobis parta sunt per Christi mortem & passionem, hortatur ut fide & mente ascendant ad cœlos cœlorum, ut perpendant quid significent illa symbola, & quæ sit analogia inter signa & res signatas, ut jam seriò instituant vitæ emendationem, ut fœdus cum Domino renovent. Hæc & id genus alia audiente universo totius Ecclesiæ cœtu ingerit men-

tibus participantium, & aliorum etiam qui participarunt, atque ita omnes hîc fructum percipiunt, etiamsi qui jam actu non percipiunt symbola. Dum surgunt illi à mensis, & succedunt in eorum locum alii, & silet minister, surgentes à mensa, accedentes ad mensam & universus totius Ecclesiæ cœtus, simul canunt, vel legit lector historiam passionis. Sed dum minister loquitur, & dum accumbentes invicem tradunt symbola non legitur historia passionis aut canuntur psalmi nec expedit. Nam non sunt singula quæ leguntur aut canuntur in ipso actu manducationis & potationis apta meditationis præsentis materia. Sed minister dum loquitur, aptat verba actioni, & soliloquia animæ juvat, & torpescentes piarum sententiarum ejaculationibus excitat. Si universus Ecclesiæ cœtus posset una vice & simul accumbere mensis, esset jucundius & commodius, ut sic omnes simul manducent, bibant, meditentur, canant, audiant alloquentem ministrum. Sed ubi illud non potest fieri, tamen quàm propè possunt accedere ad unam communem mensam & actionem, adniti debent omnes, nempe tot mensis accumbendo quot commodè capere potest amplitudo vel angustia loci, & ut interim cum accumbentibus animo & spiritu præsentes sint alii, quæ alloquitur ad eos servus Dei audiant. Augustinus hoc ipso loco dicit hunc morem canendi psalmos, cum distribueretur populo, tum cœpisse in Ecclesia Carthaginensi. Non ergo ubique vel ab initio mos iste obtinuit. *Offertorium*, inquit Walafridus Strabo, *quod inter offerendum cantatur, quamvis à prioris populi consuetudine in usum Christianorum venisse dicatur, tamen quis specialiter addiderit officiis nostris apertè non legimus; sicut & de antiphona, quæ ad communionem legitur, possumus fateri: cum verè credamus priscis temporibus patres sanctos silentio obtulisse vel communicasse, quod etiam hactenus in Sabbatho sancto Paschæ observamus.* Credit Walafridus silentio olim fideles communicasse, non autem psalmos cecinisse, cum communicarent, aut symbola distribuerentur. Silentio proculdubio communicasse credit, quia non erat actio illa interturbanda alia actione, sed mentes communicantium meditabantur quæ erant præsenti actioni propria. Sed tædio cæperunt affici alii spectatores, quia singuli è manibus ministri & diaconi elementa accipere solebant, inde psalmorum cantus inter distribuendum excogitatus. Sed non sic ab initio. Et credimus primis temporibus, cum simul omnes vel quoad poterant, mensis accumberent, post tradita elementa à ministro proximè assidentibus, vel silentio eos communicasse meditantes de re præsenti, vel potius ministrum sententiis jaculatoriis ad rem præsentem aptatis communicantium mentes inter meditandum exuscitasse. Hac forma celebrarunt nostri sacram cœnam jam annos sexaginta, & testor, si unquam aliàs in hac actione potissimum,

Cap. 22.

mum, nempe dum alloqueretur accumbentes minister post tradita symbola, raptos fuisse spiritu pios omnes, tum accumbentes suis vicibus tum qui accubituri erant, aut à mensis surrexerant; & contrà ubi singulis ministrantur elementa sigillatim sive stantibus, sive geniculantibus, sive à reliquo cœtu separatis, friget tota actio, & frigent ipsi communicantes. Vidimus quantam ataxiam invexit ista geniculatio in percipienda Eucharistia, mutando verba institutionis, pluralem numerum in singularem, enunciativam verborum formam & verbum promissionis in precatiunculam, verbum promissionis transponendo, & ante distributionem cum benedictione conjungendo, eique vim consecrandi alligando, ritum illum porrigendi panem & poculum & accipiendi è manibus fidelium excludendo, & duas actiones cultus divini in uno eodemque cœtu uno eodemque momento conjungendo vel potius confundendo. Istorum pleraque non geniculationis solius sunt propria, sed etiam cujusque corporis situs, quo è manu solius ministri accipit symbola, qui Eucharistię particeps factus est. De industria Ecclesiæ nullius reformatæ morem carpo, sed cum geniculationis vitia & incommoda detegendi onus incumbit, nihil dissimulandum erat quod in hoc genere veritatem propugnantibus nobis & scrutantibus scripturas occurrere potuit, paratis interim rectiora docentibus cedere. Et vicissim petimus ut monita nostra æqui bonique consulant omnes boni, nec contemnant. *Sed vide, frater charissime,* inquit Cyprianus, *si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter vel simpliciter non hoc servavit & tenuit quod nos Dominus & exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia domini venia concedi, nobis verò non poterit ignosci qui nunc à domino admoniti & instructi sumus.* Verba extant in decreto Gratiani. *Et de hoc quoque ad collegas nostros literas dirigimus,* ait idem Cyprianus, *vt vbique lex Evangelica & traditio dominica servetur, & ab eo quod Christus & docuit & fecit non recedatur. Quæ vltra jam contemnere, & in errore pristino perseverare, quid aliud est quàm incurrere in objurgationem domini.* Item, *Religioni nostræ congruit & timori & officio sacerdotii nostri custodire traditionis dominicæ veritatem, & quod prius videtur apud quosdam erratum domino monente corrigere, vt cum claritate sua & majestate cœlesti venerit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit.* Item, *quod si nec minima de mandatis dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia infringere fas non est.* Cyprianus licet media annorum centuria tertia & prope Apostolorum tempora vixerat, tamen ad primam originem, legem Evangelicam & traditionem Dominicam errantes revocat, & ad Pomp. contra Epist. Stephani monet, ut *in aliquo si nutaverit & vacillaverit veritas*

De Consc. dist. c. 3. Cyprianus.

ad originem Dominicam & Evangelicam & Apostolicam traditionem revertamur, inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit, & si aqua veritatis quæ pura è fonte profluebat, vitio interrupti aut bibuli canalis vel plane defecerit, vel putidas sordes contraxerit reficiendum ac confirmandum, ut eadem integritate ac ubertate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur, *Indignus est Domino*, inquit Ambrosius, *qui aliter mysterium celebrat quàm ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit, quàm datum est ab auctore.* Tossanus Orat. de cœna Domini. *Principium erroris circa cœnam domini, nec minima superstitionis occasio proculdubio fuit, immutatio ceremoniarum à Christo institutarum, & accumulatio illarum, quas humana ethelethrescia successu temporis excogitavit.* Cum fractione panis Lutherani dixissent sacram cœnam assimilari prophano symposio & rusticorum comessationi, respondet Paræus non argumentum sed virulentam blasphemiam esse, ac si eucharistiam in prophanum symposium convertisset Christus. *Aut nescivit scilicet quomodo cœnam suam à comessatione rusticorum discerneret? Quando piæ mentes observant institutionem Christi non dubitant, sed certò sciunt, fidem & obedientiam suam placere Deo. Tunc verò necesse est eos dubitare, quando institutionem Christi non observant, sed violant aut mutant.* Item. *Observatio ordinis divinitus sanciti & mandati neutiquam potest dici non necessaria, sed est prorsus necessaria, quàm chara nobis est salus nostra. Neque est innovatio, sed mandatum vetus & obligatio vetus. Si novum nobis videtur, pudeat nos ignorantiæ nostræ & diuturnæ prævaricationis.*

In 1. Cor. 11

De symbol. euch. l. 1. c. 3. p. 136. p. 116.

Cap. 7.

4 Argumentum. Ritus sacri ab Antichristo instituti sunt rejiciendi, maxime ii qui ad actum crassissimæ idololatriæ usurpati sunt, tum ob decorum, tum ob scandalum & periculum. At geniculatio in percipienda eucharistia ab Antichristo instituta, & ad idololatriæ crassissimæ actum nempe ἀρτολατρείας usurpata est. Etsi per se res adiaphora esset geniculatio in percipienda eucharistia, aut à patribus piè instituta, tamen cum postea ab Antichristo inquinata superstitione & fœdissima, quæ unquam fuit, idololatria contaminata, quandoquidem non est res necessaria, ex ecclesia abolenda est, ut aperta idolomania. *Non placuit*, inquit Theod. Beza, *vel sedentibus vel stantibus vel accedentibus panem in manum porrigi, ut olim fiebat, sed attolli panem quasi venerandum. Postea adhibita est genuflexio, & buccellam in os ingerere maluerunt reverentiæ nimirum causa. Atqui hoc primum fuisse horrendæ illius artolatriæ initium quæ ne nunc quidem aboleri potest, quis tandem non videt? Quæ cum ita se habeant, & honorum istorum præposterè sacris nostris habitorum tristissimus eventus satis superque doceat, quanto satius fuerit in simplici Christi institutione acquiescere, quàm præpostero zelo quicquam istorum comminisci? mihi quidem omnium optimè facere videntur qui ista, quamvis non per se*

Beza epist. 8.

impia (id est dato non concesso quod per se non sunt impia. Nam impiam geniculationem ob institutionem violatam docuimus, & idololatricam esse statim docebimus) *tamen ut minimè necessaria & parum quidem utilia etiamsi quis illis* (nempe altaribus, rotundis panibus, genuflexione causa reverentiæ, operoso cantu) *rectè utatur*, (quod tamen fieri non potest,nam inter alia dicit rotundos panes singulis porrigi cœpisse,& ritum à domino institutum fuisse abrogatum) *plurimum autem noxia,ut tristissima ecclesiarum facies ostendit, non minus sedulò quàm apertas idolomanias abolent.* De rebus adiaphoris à Patribus ad pium usum institutis & usurpatis, sed postea superstitione & idololatria contaminatis vide plura capite nono. Ritus ab] Antichristo [institutos multo magis rejiciendos eodem capite probavimus. Petrus Martyr,in epistola ad Dominos Polonos evangelium profitentes, & ecclesiarum ministros, in hunc modum consulit. *Itaque satagite fratres domum Dei ab Antichristis contaminatam, & prope funditus eversam instaurare, atque ædificando id quæso diligenter curate, ut pravas falsasque opiniones radicitus extirpetis, quod ideo moneo quod nonnullos interdum viderim, qui mala folia, flores, fructusque superstitionum solùm abraserint, radicibus tamen pepercerunt, quæ tamen postea maximo cum damno vineæ Domini repullularunt. Averruncentur sub ipsis initiis mala semina & putres radices. Nam si à principio negligantur (scio quod loquor) postea multò difficilius tolluntur, idque providendum est ut in sacramentis & præcipuè in eucharistia quàm sincerissimè fiat. Ibi sunt,ibi, mihi crede, idololatriæ pestifera semina,quæ porro nisi sublata fuerint,nunquam Ecclesia Christi puro sincero que cultu erit ornata.* Et infra, *In ritu verò administrandorum sacramentorum, is amplectendus est, qui fuerit quàm simplicissimus atque à Papisticis nugis atque ceremoniolis maximè remotus, & ad puritatem qua Christus cum Apostolis usus est, plurimum accesserit. Si verò,* [inquit Bucerus, *diligimus Deum, & Sospitatorem nostrum Iesum Christum ex tota anima, &c. nihil sane ad extremam reliqui facimus detestationem & severissimam profligationem omnis eius impietatis atque abominationis, quam Satan per Antichristos suos invexit contra hæc sanctissima mysteria, nihilque prorsus apud nos loci invenient vel retinebunt eæ res omnes, verba & gestus, in quibus vel appareat esse aliquid tantis impietatibus affine,*&c. vide supra pag. 542. Paræus contra hostias nummulares hoc ipso argumento utitur. *Prima causa est*, inquit, *quia hostiæ nummulares neque à Christo,neque ab Apostolis, neque a veteri ecclesia, neque à Patribus orthodoxis, sed à Papa Romano, postquam iam in Antichristum degeneraverat, originem trahunt, à quo tanquam ipsissimo Antichristo Evangelicas etiam in rebus adiaphoris quàm longissimè sejunctas esse convenit. Secunda, quia in honorem idoli Mayzim primùm introductæ sunt,ut horribilem Missæ idololatriam & transubstantiationem confirmarent, cui confirmandæ etiamnum in Papatu serviunt.*

Pag. 1121.

De symbol. eucharist. l. 1. c. 11.

serviunt. Sic nos genuflexionem in percipienda eucharistia ab initio superstitionis suæ maculam habuisse, ab Antichristo non à Christo, Apostolis, aut veteri ecclesia originem traxisse dicimus, & in honorem idoli Mayzim primùm introductam, ut horribilem Missæ idololatriam, transubstantiationem & carnalem præsentiam confirmaret, cui confirmandæ etiamnum in papatu servit in ipso actu idololatriæ & adorationis transubstantiati panis, & esse quasi vitalem ceremoniam artolatriæ. Dicit quidem Theod. Beza, adorationem in percipienda eucharistia artolatriæ occasionem aperuisse. *In ipsa panis sumptione*, inquit, *adoratio apud mensam, quàm sit periculosa, utpote quæ artolatriæ occasionem aperuerit, unde tandem homines ad metousiam præcipitavit Satan res ipsa demonstrat*. Sed si adorationis nomine geniculationem intelligit, non assentior. Nam constat carnalis præsentiæ errorem & transubstantiationis monstrum ante genuflexionem introducta fuisse. Non possunt adversarii vel unum scriptorem proferre ante annum millesimum, imo ante Honorii tempora, qui testetur genuflexionem in percipienda eucharistia usurpatam fuisse. *Non movet nos rigidum Gnosticorum supercilium*, inquit Tilenus, *ut nostram cum prisca ecclesia ὁμογνωμοσύνην tueri desinamus. Eius consuetudinem tum alii, tum in primis Origenes, & Cyrillus, in mystagog. commemorant: ac frustra sunt vestri, imo & secum pugnant ipsi, cum aiunt Origenem, non de synaxi, sed de ea quæ quovis loco ac tempore Christo exhibenda est reverentia agere: ac Catecheses illas nomen Cyrilli falso præferre. Verum, si quod vos vultis, Origenes sibi voluit, sequetur & ubique etiam extra sacram synaxin, quotiescunque aliqua de Christo vel in sermone mentio, vel animo cogitatio incidit, in genua esse procumbendum, quod vosmetipsi ridiculum & absurdum judicatis. Cyrilli Catecheses nimis levi de causa in suspitionem νοθείας vocantur: puta quòd in indice Græcorum librorum, quos Respub. Augustana emit à quodam Corcyræo tribuantur cuidam Iohanni Hierosolymitano. Aliter iudicat Casaubonus; suique judicii adstipulatores laudat Hieronymum, Theodoretum, Photium, Damascenum, alios, adversus Baronium, pag. 660.* In Homilia 5. in diversa loca evangelii quæ tribuitur Origeni habentur quidem hæc verba, *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis poculum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas, & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Respondit author Parasynagmatis eadem verba velle personatum illum Origenem proferri cum pastor ingreditur in alicuius ædes, quod observat Bilsonus in libro de Obedientia, pag. 549. Præterea non esse genuinum opus Origenis fatentur ipsi Pontificii. Dicit Possevinus falso tribui Origeni has homilia in titulo *Dionys. Areopagita.* Bellarminus ait, quod *Homiliæ in diversa*

Quæst. 143.

Cap. 22.

diversi loca Evangelii sine dubio non sunt omnes Origenis. Sed dissimulat Tilenus & præterit ista ac si non legisset. Denique hîc nihil habetur de geniculatione de qua jam controvertitur. Quod ad Cyrilli catecheses respondet author ille fuisse etiam supposititias, & in hunc finem citavit Molinæum libro de Eucharistica idipsum sentientem. Adde Spalatensem. *Cyrillum Hierosolymitanum Catecheses scripsisse indubitatum esse asserit Bellarminus, non tamen omnes eas, quæ nunc Cyrilli nomine circumferuntur veras Cyrilli Hierosolymitani Catecheses esse indubitatè consentiunt: & mihi sane valde sunt suspectæ. Nam & longè posteriora tempora olent. Ordo enim ille liturgiæ, quem Cyrllus hic noster Catethes. quinta mystagog.* (ex qua testimonium pro genuflexione affert Bellarminus) *refert, totus est in liturgia, quæ fide tamen nutare dicitur, Iacobi fratris domini, primi Hierosolymorum Episcopi. In ea vero liturgia nihil habetur de lotione manuum, nihil de osculo nihil de illis verbis, Habemus ad dominum, Gratias agamus domino Deo nostro) quæ videntur ex nostra latina missa desumpta. At lotionis manuum, & horum verborum ante missæ nostræ præfationem nulla extat memoria antiqua.* Certum igitur est vel supposititias esse vel interpolatas. Hardingi ætate non extabant nisi in scriptis. Veteres epistolarum Ignatii mentionem faciunt, non tamen sequitur nos genuinas Ignatii epistolas habere, sic nec Cyrilli Catecheses non esse interpolatas, si apud veteres de iis mentio facta sit. Præterea non ait personatus Cyrillus *flectu genu*, aut *cade pronus*, sed *accede pronus*, quod quis facit non genua flectendo, sed accedendo & inclinando superiorem corporis partem ceu truncum. Nam qui incumbit in genua, non accedit. Cum de adoratione loquuntur Patres, vel spiritualem Christi adorationem & mentalem intelligunt, vel si quando de symbolis externis, ut unus Theodoretus, adorationem largè sumunt pro reverenti & decenti symbolorum usu ac tractatione. Sic interpretatur Theodoretum Billsonus libro de obedientia pag. 534 & pag. 557 ait adorationem & Græcis scriptoribus & scripturis sacris, cum tribuitur mortalibus aut creaturis, significare solummodo reverentem usum, & citat locum ex Gratiano de Consecration. dist. 3 sect. Venerabiles in glossa. *In hoc sensu possumus quamlibet rem sacram adorare.* Ethnici hujus reverentiæ ratione Christianis adorationem Bacchi & Cereis affinxerunt, quia in sacris mysteriis symbola panis & vini acceperunt cum gravitate & reverentia, & hymnis precibus aliisque exercitiis religionis sacram actionem celebrarunt, non tamen inde sequitur Christianos in genua procubuisse coram pane & poculo magis quàm adorasse solem aut nubes, aut caput asini coluisse, vel infanticidii reos fuisse, sicut calumniati sunt ethnici: *A Cererè & Libero Paganorum diis longè absumus,* inquit Augustinus, *quamvis panis & calicis sacramentum nostro ritu amplectimur.* Sed de geniculis adorasse cum symbola

De script. Ecclesiast. pag. 84.

De rep. Eccl. Eccl. l. 5. ca. 6. num. 69.

Cōtra Faustum.

bola acciperent è manibus ministri vel diaconi ante annum millesimum nullus veterum retulit. Imo ante Honorii 3 tempora ostendant, si possunt genuinum alicujus scriptoris testimonium. Nec instituit Honorius iste, ut genua flecterent in percipienda Eucharistia vel in elevatione hostiæ in missa. *Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam*, inquit, *ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris se reverenter inclinet.* Non ait, *in genua procumbat*, sed tantum se reverenter inclinet, nempe caput vel truncum corporis parum inclinando. Quod si idem tunc factum, cum perciperent Eucharistiam, dixerint, id verisimile esse non negabo. Sed illud erat venerationis quam adhuc imaginibus exhibent signum, non adorationis. In genua non procubuisse dum elevaretur hostia patet ex verbis sequentibus. *Idem faciens cum eam defert Presbyter ad infirmum.* Id est reverenter se inclinent cum præterit eos Presbyter deferens hostiam ad infirmum. Non autem voluit ut procumberent in genua in plateis cum præteriret. De geniculis non adorasse veteres, dum sumerent symbola Eucharistiæ, vel illud arguit, quod die dominico solebant hanc sacram actionem celebrare, quem propterea Chrysostomus humilia 5 de resurrect. vocat *diem panis*. At die dominico stabant orantes, & toto temporis intervallo inter pascha & pentecosten etiam extra diem dominicum. Si stabant inter orandum, non est probabile de geniculis adorasse cum perciperent Eucharistiam, sed potius contrarium, nempe stetisse. Nam si in genua procumbendum, inter orandum id fieri potissimum debet. Stantes non genua flectentes orasse patet ex canone 20 Concilii Nicæni, Hilarii prefatione in Psalmos, Ambrosii serm. 62 Augustini epistola 119 c. 14, aliisque patribus & Conciliis. *Ex quo intelligimus*, inquit Bellarminus, *nondum esse 500 annos ex quo ritus hic cessavit.* Sed audiamus quid respondet Tilenus. *Sic porro excipitis: Cum vetus traditio vetuerit genua flectere diebus dominicis, totoque pentecostes tempore, quo tamen minimè intermissus fuit usus cœnæ dominicæ, satis constat neminem eam de geniculis accepisse. Rectè sanè. Verum eadem traditio, quæ certis diebus genua flectere prohibuit, non sedere sed stare jussit orantes, unde precationes stationes appellatas fuisse observant eruditi: quem morem sublatum esse cum ne vobis quidem doleat, cur displicet ex antiquitate retentus in Anglia mos, eodem corporis gestu ac schemate quo oramus, etiam Eucharistiam sumendi? Certe Paulum Ierosolyma proficiscentem paulo ante festum Pentecostes, non stantem, sed flexis genibus orasse legimus Act.* 20 30. Sic doctorculi nostri respondent, veteres judicasse eundem corporis situm convenientissimum in percipienda Eucharistia, quem precationibus aptissimum existimabant, nos igitur eorum exemplo, cum jam genuflexionem judicat Ecclesia aptissimum gestum orantis, Eucharistiam percipientes eundem situm corporis

Decretal. l. 3 tit. de celebr. Miss. cap. Sane.

De cult. sanct. cap. 11.

poris

poris observare debere. Sed replicari potest facillimè. Non judicarunt veteres convenientissimum stare inter orandum. Nam tunc extra diem dominicum non orassent genibus flexis. Author quæstionum quæ extant apud Iustinum, ait quòd *Genuum inclinatio in precatione magis peccatores Deo commendat, quam si stantes orent.* Quæst. 115. Non steterunt igitur quia gestus aptissimus inter orandum, sed significationis ergò, ut significarent gaudium suum propter resurrectionem Christi, de quo tamen ritu non somniarunt Apostoli, ut patet ex loco illo Act. 20. Nam ibi genibus flexis oravit Paulus inter Pascha & Pentecosten. In ritibus significantibus & ceremoniis symbolicis non esse imitandos Patres supra capite nono probavimus. Et in hoc ipso ritu non imitantur veteres ipsi pontificii. Nam Bellarminus testatur annis ab hinc prope quingentis desiisse hunc morem, & Cassander in defensione libelli de officio pii viri ait illius consuetudinis nullum nunc in Ecclesia vestigium esse reliquum. Opera pag. 855. Sed missa significatione ad ritum ipsum redeamus. Dicimus præterea stare non esse orantis proprium, sed commmunem gestum confitenti fidem, ceu symbolum recitanti, aut audienti verbum vel lectum vel prædicatum. Sed geniculatio est adorantis gestus. Non sequitur igitur ex eo quod stabant tum orantes, tum eucharistiam percipientes, ergo nunc de geniculis excipienda symbola, quia nunc de geniculis inter orandū adoramus. Nam non solū erat situs ille cōmunis oranti & aliis, sed etiam iste liber est non imperatus, ut fuit ille. Nam de geniculis oramus liberè, non quòd obligati simus ullo præcepto, sicut ad geniculationem in percipienda Eucharistia vi adigere nos conantur. Sed pergunt nostri doctorculi, & dicunt fieri potuisse quod extra precum tempus die dominico genua flexerint, cum fierent symbolorum participes, vel extra diem dominicum. Nam extra diem dominicum hanc sacram actionem quibusdam locis celebrarunt veteres. Incumbit illis onus probandi qui nobis obtrudunt ritum istum, nos tamen illis morem geremus, & probabimus extra actum orandi in genua non incubuisse. Diximus potius inter orandum quàm aliàs flectenda genua, & si non tunc geniculati, non geniculatos in aliis actionibus sacris. Si significationis ergò non geniculati sunt inter precandum, perderetur omnis fructus & utilitas illius significationis, si statim in alia actione in genua procubuissent. Vbi quæso retinuissent hoc signum gaudiį & lætitię magis quàm in convivio cœnę Eucharisticę & actu ipso convivandi. Præterea Tertullianus non de orante, sed de adorante in genere loquitur, *die dominico*, inquit, *jejunare nefas ducimus, & de geniculis adorare*, non ait orare sed adorare. De corona militis. Concilio sexto in Trullo celebrato can. 90 decretum in hunc modum. ***Post vespertinum sacerdotum ad altare sabbatho ingressum, ex consuetudine quæ servatur, nemo genu flectat usque ad sequentem vespe-***

ram in die dominico, in qua post ingressum in vespertino seu completorio genua rursus flectentes domino preces sic offerimus. Zonaras in scholiis in eundem canonem. *Medio illo tempore nullo modo in genua procumbendum esse denuntiat. Nam eo quidem elapso, licet genu flexo precantes haud peccabimus.* Hieronymus adversus luciferianos loquitur in genere de adoratione. Addunt alii inter orandum vel tempore precum, quia aliâs extra diem dominicum de geniculis adorare tempore precationum nefas non erat. Alexandri tertii decreto excipiuntur tantùm consecrans & consecrandus in ordinationibus. *Diebus dominicis & aliis præcipuis festivitatibus inter pascha & pentecosten genuum flexio nequaquam debet fieri: nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto. In consecrationibus autem Episcoporum & Clericorum ordinationibus, consecrans & consecratus tantum genua flectere possunt, secundum quod consecrationis modus requirit.* Vides excipi consecrantem & consecratum in ordinationibus, non autem consecrantem aut percipientem symbola. *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.* Alex. 3 vixit circa annum 1159. Aliis diebus extra diem dominicum synaxin quibusdam locis habuisse concedimus, sed de geniculatione in actu participationis symbolorum nihil legimus. Nec est verisimile alium corporis situm usurpasse quàm quem usurpabant die dominico. Ægyptios in sabbato synaxin celebrasse & post cibum supra ostendimus, & sedisse potius quàm stetisse, non autem geniculatos fuisse. Verba Dionysii Alexandrini ad Xystum Romanum Episcopum non restringuntur ad ullum diem. De quodam qui se ab hæreticis baptizatum dolebat, sic refert. *Cum enim & gratiarum actionem in Ecclesia audivisset, & ad illam unà cum aliis Amen succinuisset, mensæ adstitisset, manus ad suscipiendam sanctum cibum extendisset, illum etiam accepisset, & prolixo iam tempore corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi particeps fuisset, non sum ausus eum denuò baptismate initiare.* Non modo indicat adstitisse mensæ, sed etiam innuere videtur unà cum aliis adstitisse, & extendendo manum ad symbola è mensa non è manu ministri accepisse. Ait prolixo jam tempore hæc fecisse. Si geniculatio fuisset situs ordinarius, & die dominico solum interdicta ob solennitatem & ritus diei, ordinarii non extraordinarii situs mentionem fecisset. In Homilia de encæniis quæ Chrysostomi nomine circumfertur, habentur hæc verba. *Stemus trementes, timidi, dimissis oculis, renata autem anima gementes, sine voce iubilantes corde. An non vides eos qui sensibili, corruptibili, temporali & terreno regi assistunt, quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc & illuc mittentes.* De accubitu supra attulimus ipsius Chrysostomi testimonium. Tertullianus iis qui putabant sumpta Eucharistia se soluisse jejunium, ait. *Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit,*

Decret. l. 2 tit. 9 de feriis cap. Quoniam.

Euseb. hist. l. 7 cap. 8.

resoluit, an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio, si & ad aram Dei steteris? Nonne accepto corpore Domini & reservato, vtrunque salvum est, & participatio sacrificii & executio officii, id est, jejunii, inquit Mornæus resp. ad Burdegal. p. 65. Stationis nomine jejunium intelligit, vide Baronium ann. 262, num. 65. Non jejunarunt die dominico. Intelligit igitur aliis diebus stetisse ad mensam quam aram Dei vocat, & Eucharistiam accepisse, non tamen propterea devotum Deo obsequium, jejunii Eucharistiam sumptam soluisse. Stetisse veteres non geniculatos patet ex more qui adhuc durat in Ecclesiis Orientalibus. *Quare Orientales Ecclesiæ adorationem sacramenti admiserunt nusquam, non quæ Patriarchæ Constantinopolitano obsequuntur, non quæ Antiocheno. Et in Abyssinis etiam ipsis hodie stantes sacramenta participant, nec eo minus reverenter.* Apud Cassandrum in Liturgicis cap. 9 extat *Ordo celebrandæ Liturgiæ in regno Preste Iohannis ex opere Lusitanico, & postea Italico Francisci Aluares*, ubi habentur hæc verba. *Eodem modo datur communio illis, qui stant ante primam cortinam & aliis qui stant juxta alteram cortinam. Postea secularibus, qui stant iuxta portam principalem tam viris, quam mulieribus. Dum datur communio, aut aliud quippiam officii fit, omnes stant erecti.* Sedisse etiam quibusdam locis & temporibus veteres supra probavimus. Et ubicunque vespere cœnam celebrarunt, in aliis etiam ritibus multo magis primæ cœnæ formam observasse credimus, quem morem servarunt primitus non solum die qui vocatur Cœna Domini, sed etiam aliis, & quidem frequentius, ut patet ex epistola Cypriani ad Cæcilium, ubi Pamelius num. 48 sic annotat. *Hinc colligitur bis in die solere quosdam offerre semel mane & semel vesperi. Quod adhuc suo tempore in vsu fuisse quibusdam in die Coenæ Domini testis est Augustinus dicta epistola nempe* 118. *Imo durasse videtur ea consuetudo ad tempora vsque Honorii* 3 *per quem sublata est ea. Te referente de celebratione missar. Et etiam aliis diebus id liberum fuisse tradit Walafridus Strabo dicti libri cap.* 21. De cœnâ ibi loquitur Cyprianus perstringit enim nonnullos delicatulos qui saporem vini redolere nolentes cœnis matutinis abstinuerunt & vespertinas tantum frequentabant. Sed geniculatos fuisse, dum symbola acciperent ante Honorium 3 id est annum 1216 qui testetur neminem proferre possunt. Cum Alexander 3 sæculo superiore neminem nisi consecrantem & consecratum genua flectere die dominico permittat, ne vel inter orandum, certum est symbola Eucharistiæ percipientem non flexisse genua. Ex dictis colligimus ab Antichristo adulto & in tenebris Papatus densissimis introductam geniculationem ad panis in Christi corpus commutati honorem, & constabiliendum transubstantiationis commentum. *Quærit ille*, nempe Calvinus,

Mornæus de Miss. lib. 4 cap. 7.

Lib. 2 ep. 3.

nus, inquit Tilenus, *institut. l. 4 c. 10 v. 30 sitne humana traditio geniculatio quam repudiare vel negligere cuivis liceat; respondetque sic esse humanam ut sit divina.* Geniculationem agnoscimus esse signum humiliationis & adorationis quod natura ipsa nos docet, & in orationibus probamus, licet non necessariò & ab invitis extorquendum sit, quod hypocritas potius quàm pios cultores efficeret. Quid opus erat igitur Tileno congerere exempla quorundam sanctorum, qui genua inter orandum flexerunt, cum à nemine inter nostros negetur. Potest quidem quandoque accidere, ut inter orandum non possit quis legitimè genua flectere, ut statim docebimus. Sed controversia nostra est de geniculatione in actu participationis symbolorum. Dixitne Calvinus hanc esse juris partim divini, partim humani? Cur non congessit hujus geniculationis exempla Tilenus; *Quorsum ergo*, ait Tilenus, *nova hæc vos incessit religio, ut vereamini ne post debellatam Pontificiæ idolomaniæ excetram populus tot jam annos puriore doctrina imbutus, ob non minus laudatum quàm antiquum hunc γονυκλισίας ritum in fœdissimum illius Lernæ barathrum revoluatur? Longè iustior est metus, ne perfractis superstitiosi zeli clathris, contemptui & prophanæ licentiæ habenas laxet populus, & dum sacrorum symbolorum venerationem refugit, ne Christum quidem adoret. Qui contesserationis cum Pontificiis speciem vitandam clamitatis longè periculosiorem cum Socinianis syncretismum non animadvertitis. Istis solenne est assidere mensæ Eucharistiæ; genua flectere obstinatè renuunt, ne cultum Deo debitum Christo quem Deum esse negant exhibere, videantur.* Nec laudatum nec antiquum hujus γονυκλισίας ritum probavit Tilenus; nos ab Antichristo invectum docuimus. Dixit Tilenus cap. 16 Parænesеos, ubi de dierum festorum observatione disserit, in adulta novi Testamenti Ecclesia tam firma ac robusta non esse omnia ejus membra, ut non semper longè maxima pars ex lactentibus adhuc constet, quæ per partes & gradus indies sit provehenda & paulatim de mysteriis religionis erudienda, & fidi pastoris esse cogitare non modo quid fieri debeat, verumetiam quid fieri possit, quid humani ingenii præsertim in rudi plebecula capiat feratque imbecellitas, jam ait non verendum, ne populus tot annos puriore doctrina imbutus ad idolomaniam Pontificiam revoluatur. Geniculatio in percipienda Eucharistia est idolothyton Antichristi & in cultu crustuli panis statum habet solennem. Cum igitur idem ritus eodem momento, eadem forma, in eodem actu usurpatur, quo apud pontificios, adeo ut externa specie ne hilum quidem differant, si restitueremus, offendiculum poneremus corã infirmis fratribus & facto nostro induceremus ad idolomaniam illam debilitatã, sed non dum prorsus debellatam, & radicibus evulsam ex omnium animis, nec id sperandũ, donec debellatus fuerit Antichristus & deturbatus è solio suo quod in templo Dei possidet & debellata fuerit pravitas cordis

humani

humani, & naturalis proclivitas ad idololatriam & superstitionem. Experientia trium annorũ in nostra ecclesia, plurium in Anglicana, quàm periculosa sit ista contesserationis ceu conformitatis species cum pontificiis edocti sumus. Nosne Lynceos oculos habemus quibus ingenii humani figmenta, & superstitionis semina ac radices quæ in intimis cordis latebris delitescunt, perspicere possimus. Deum coram quo omnia sunt nuda & aperta, ducem & monitorem sequamur qui hanc normam præscripsit populo suo, nempe vitandam omnem conformitatem cum idololatis ne illaquearentur, neve illum colerent, sicut illi colunt Deos suos. De conformitate cum Idololatris in ritibus sacris, eiusque scandalo & periculo videat lector quæ dicta sunt capite nono à pag. 536. ad 360. Periculum conformitatis in hoc ipso ritu subesse judicarunt Theologi reformatarum ecclesiarum eruditissimi: *Cum autem videamus*, inquit Bucerus, *quàm potentibus, & pestiferis præstigiis Satan per suos Romanenses Antichristos ut omnem Christi servatoris nobis sensum & adorationem eripiat, panem nobis pro Christo adorando tot jam sæculis obtruserit, debemus quæcunque isti artolatriæ videntur favere, ad eandem in simpliciorum hominum cordibus retinendam, ab Antichristis adhiberi, quàm possumus longe & purè ab ecclesiis profligare.* Pestifera idololatriæ semina in hoc sacramento, nisi penitus averruncentur, repullulascent, ait Petrus Martyr in epistola ad Polonos. *Scio quod loquor*, inquit. Innuit Apostasiam ecclesiæ Anglicanæ temporibus Marianis. Nam scripsit epistolam illam anno 1556, & post fugam suam ex Anglia. Theod. Beza in ipsa panis sumptione quàm periculosa sit adoratio monet quæst. 243. Hooperus in Ionam situm & gestum corporis in actu participationis symbolorum ab omni idololatriæ specie, suspicione, ad eamve propensione liberum esse debere ait, & propterea optat, ut geniculatio interdicatur. In Harmonia synodorum Belgicarum habemus cap. 13. ista verba, *Liberum est stando, sedendo, vel eundo cœnam celebrare, non autem geniculando ob ἀρτολατρείας periculum.* Ait Tilenus longe periculosiorem cum Socinianis syncretismum nos non animadvertere. Et p. 49. monet, ne *Papanæ superstitionis odio in impium & epicureum prolabamur contemptum.* Imitatio Christi, & Apostolorum, & ecclesiarum Apostolicarum non est syncretismus cum Socinianis. Hunc morem jam annos 60 observavimus, & ne vel unus apud nos vel Socinianus, vel Anabaptista, vel Arrianus, vel Arrianabaptista notus, vel levissima Socinianismi, Arrianismi, aut Anabaptismi suspicione notatus. At Armininianos plerosque non modo ritu sed re quoque & doctrina Socinianis conformes esse satis constat. Nec adhuc constat quæ monstra hæreseon alit Tilenus, & alii illius sectæ duces & Antesignani. Monet cavendum, ne perfractis superstitiosi zeli clathris contemptu & prophanæ licentiæ habenas laxet populus.

Censura cap. 4.

In Ionam serm. 6.

populus. Metuit, ubi nullus metus. Nunquam peperit situs, quo nos utimur, prophanitati licentiam aut contemptum. Sedentes servamus modestiam, gravitatem, silentium, attentionem, decorum. Qui a sessione metuit multò magis ab accubitu metueret, quo Christus & Apostoli in prima cœna usi sunt. Athenæus veterum modestiam in festivitatibus describens, refert eos κοσμίως κωμοφορεῖν, id est, decorè & temperanter celebrasse. *Vnde neque accumbere moris apud antiquos, sed sedentes epulabantur.* Et tamen accumbentes Christus & Apostoli primam cœnam celebrarunt. At ait Tilenus, *Si nefas vobis quicquam cum Pontificijs habere commune, nemo vestrum deinceps sive publicè in cœtu ecclesiæ, sive domi suæ in conclavi orans, genibus incumbat.* Non sunt ista confutatione digna, & ideo leviter perstringo. De geniculatione inter precandum habemus exempla Christi & Apostolorum. Habemus & alia multa communia cum Pontificiis, scripturam sacram, symbolum fidei, & sacramenta, quæ non rejicienda, quia ea inquinavit Antichristus, *Hæc enim, ut nobis nulla potest impiorum vitiare perversitas, ita nec propter illorum abusum intermittere debemus*, ut rectè monet Bucerus. Genuflexionem inter orandum commendat nobis & scriptura & natura. At geniculatio in percipienda Eucharistia est Antichristi institutum, & idolomaniæ execrandæ in eo ipso actu etiamnum in Papatu servit. Non sunt igitur debellatæ ut vocas idolomaniæ trophæa rursus erigenda, aut excetræ illius excrementa cum magno sponsæ Christi dedecore & ecclesiæ periculo & detrimento recipienda. *Paulò acriore scalpro pertundenda fuit ista τῶν Σαρυγγιῶν vomica,* inquit Tilenus, *quandoquidem hic nonnulli supra modum paratragœdiant lymphatico terrore omnia complentes, ac reviviscentis in Scotia Papatus hæc quasi signa attolli, brevique omnia in antiquum chaos reditura παλαὶ πάντα vociferantes: quorum intemperies, si nulla sanabilis est parænesi, vereor, ne tandem excita illa, quæ χαμαιπετὴς à Poeta dicitur, Erynnis obstipas cervices, rigidosque poplites non amplius flectere studeat, sed frangere incipiat.* Antichristis commenta sunt Papatus signa, & trophæa, & eriguntur ubicunque restituuntur. Si non acriori scalpro pertunderetur vomica ista, quàm calamo gregarii istius Theologastri, nunquam sanaretur. Nulla hoc capite argumenta attulit pro geniculatione in actu percipiendi Eucharistiam, quæ non refellent apud nos mulierculæ. Non jocor. Reddantur omnia lingua vulgari quæ hoc capite pro geniculatione dicta sunt, & concedatur libertas refutandi, ego mulierem deligam, quæ doctorum judicio palmam referet. Impetrabis. Fac, sodes, periculum: nihil nisi convitia & verborum ampullas habes Thraso, de quibus suo loco.

Vide Stucki. Antiquit. cōvivii fol. 225

Censur. cap. 9.

☞

5 Argumentum. Geniculatio in actu participationis symbolorum non solum est periculosa ob speciem conformitatis cum idolomania Pontificia & ad eam inductiva, sed etiam per se idololatrica

trica est. Probatur. Genua flectere ob reverentiam sacramenti ceu symbolorum est idololatria. At in hoc actu genua flectunt ob reverentiam symbolorum. Pontificii de geniculis adorant ratione transsubstantiationis, Lutheriani ratione consubstantiationis, non tamen omnes: utrique ratione corporalis præsentiæ. Anglicani Formalistæ quantum ex Hookeri, Roffensis, Suttoni scriptis colligere possumus, nolunt nos anxiè inquirere in modum præsentiæ. Hookerus dicit meditandum potius, quid sit quid accepimus, quàm disceptandum de modo. Roffensis laudat veterum sobrietatem, qui anxiè scrutati non sunt, utrum *con sub in* an *trans* præsens sit corpus. Sic cuique liberum relinquunt judicium suum de modo præsentiæ, & proinde incertum quo animo & qua intentione de geniculis adorent, Pontificia, Lutheriana, an utraque promiscuè, vel an neutra. Sed admittatur sana verborum interpretatio, & orthodoxa sic omnium Formalistarum sententia de præsentia Christi in sacra cœna, tamen alio genere cultus inferiore & minus crasso, idololatrico tamen peccant, quia ob symbolorum reverentiam genibus incumbunt. Dicunt se tamen non dirigere adorationem ad symbola sed ad Christum, licet coram symbolis adorationem illam exhibent Christo. Quod si verum esset, non tamen ab idololatriæ reatu liberi essent. Est hæc adoratio eadem cum illa quam Durandus, Holcot, Picus Mirandulanus, Alphonsus, Petrus Cluniacensis & alii Pontificii imaginibus concedunt. Dicunt illi honorem se non terminare in imaginem, sed solum per illam & in illa se honorare exemplar, ut refert Bellarminus de sanctorum Imaginibus cap. 20, qui phrasin per illam & in illa cum phrasi *coram illa* eandem esse interpretatur cap. 21, & Suarez in 3 partem Thomæ tom. 1 disp. 54, sect. 3. *Aiunt enim*, inquit Suarez, *non aliter neque alia ratione adorari imagines, nisi quia coram eis, & circa illas exhibentur externa signa honoris, ut genuflexio, deosculatio, inclinatio vel apertio capitis & similia, affectus tamen interior* (*aiunt*) *quatenus est affectus honorandi ceu exhibendi signum reverentiæ ceu servitutis nullo modo dirigitur ad imaginem, sed solum ad prototypon, tanquam ad unicum adorationis objectum.* Potest illustrari ista sententia similitudine quam habet Bellarminus cap. 20 *Legatus Regis*, inquit, *aliquando honoratur ut legatus, & tunc ipse propriè honoratur licet propter aliam honoretur, propriè autem in ipso Rex tunc honoratur. Id clarius apparet, quando unus pro alio accipit possessionem aliquam: vel cum funus celebratur absente corpore circa statuam, & fiunt erga statuam omnia quæ circa corpus fierent.* Dicunt Formalistæ symbola non esse *objectum quod* adorationis vel objectum *per illud*, aut *in illo* sicut illi Pontificii faciunt imagines, sed objectum *à quo significative*, id est quo viso corda nostra excitantur ad spiritualem contemplationem Dei vel Christi ad quem orationem dirigimus sicut audito verbo. Sic Mor-

 tonus

tonus in defens. ceremoniarum pag. 285 & dicit adorationem relativam Pontificiorum illorum esse *aliquatenus Inhæsivè in objecto*, vel *adhæsivè per objectum*, suam autem & aliorum Formalistarum *abstractivè ab objecto*. Sed illud *aliquatenus* nihil est, & non minus abstractè adorant Pontificii illi imagines, quàm ipsi symbola. (Nam adhuc ponimus non alio modo eos adorare) idcirco debuit *objecto quod* adorationis opponere objectum adorationis *coram quo*. Nam *in illud* & *per illud*, *& coram illo* eadem sunt ex illorum sententia. At objectum *coram quo*, & objectum *à quo significativè* illis eadem sunt. Nam illorum sententia imagines non sunt adorationis objectum formale, quia adoratio non fit ratione imaginis sed prototypi, nec est etiam materiale objectum. Picus Mirandul. & Durandus dicunt adorari solum, quia ad præsentiam imaginum adorantur prototypa, quæ per imagines ad memoriam revocantur. *Sed hoc revera nihil aliud est*, inquit Suarez, *quàm dicere imagines esse occasiones, vel signa excitantia hominem ad adorandum Prototypa*. Item, *si tantum in earum præsentia adorantur prototypa, tunc imagines non deserviunt, nisi vt occasiones vel signa excitantia memoriam*. Non inhæsivè in objecto vel adhæsive per objectum adorant exemplar ceu prototypon alio modo quàm quòd materialiter coram objecto memoriam excitante adorant prototypon. Nulla est igitur differentia inter adorationem relativam illorum Pontificiorum & Formalistarumcum, sacramentum vocant objectum à quo significativè:nã imagines in quarũ præsentia adorabant erant tantùm objectũ à quo significative & repræsentativè. Petrus Martyr ad locum Nazianzen. in orat. de obitu Gorgoniæ, objecto 38 respondet super altare quidem coli Christum, sed coli in symbolo, sicut in symbolo significatur. Respondet Bellarminus. *Si colitur in symbolo, vel est ipse revera in eo vel non est. Si est, errant Sacramentarii, qui id negant. Si non est : ergo licet saltem coram symbolis procumbere, & ibi Christum licet absentem adorare. Ergo licet Eucharistiam & imagines Christi venerari, neque est idololatria, vt ipsi passim clamant.* Mortonus, ut Petri Martyris sententiam explicet, adducit alium Locum ex 4 class. locor. communium cap. 10 ubi dicit adorationem *consistere in invocatione, confessione, quæ duplex est & cordis & oris, atque in gratiarum actione. Ea autem debentur & Deo & Christo, vbicunque se nobis declarant. Hoc autem fit modo triplici. Primum verbo interno, cum subit animos nostros vi divini spiritus aliqua vehemens cogitatio de Deo & Christo, tunc adoratio consequitur, quia vel fatemur, vel invocamus, aut gratias agimus. Declarant quandoque ista nobis per externa verba, cum sanctas scripturas ipsi legimus, aut sacras audimus conciones, tunc sæpenumero incitamur ad invocandum, vel ad alia quæ spectent ad cultus rationem. Demum se declarat Deus externis signis, vt in monte Syna; Esaiæ sub forma Regis in solio*

Disp. 53 s. 3

De Euchar. l. 2 c. 18.

Pag. 263.

In solio suo considentis, in arca fœderis, aut in sacramentis, & ibi quoque adoratio impenditur. Sed quemadmodum Augustinus admonebat sistendum non esse gradum in carne, sed accedendum ad divinitatem, ita hic ego moneo adorando, cum percipimus Eucharistiam, non esse consistendum in symbolis, sed adorandum in spiritu & veritate Christum sedentem in cœlis ad dexteram patris. Quod quia simpliciores non intelligunt propter confirmatum & roboratum errorem transubstantiationis, ideo existimarim non esse inutile, si ab adoratione externa puta à prostratione vel genuflectione temperaremus, quoad isti docerentur. Adoratio interna potest absque periculo adhiberi, neque externa sua natura esset mala. Multi enim piè genua flectuut & adorant illis verbis Evangelii auditis. Et verbum caro factum est: nec tamen ipsa verba dicenda sunt adorari, verùm significata? Quod idem hic fieri quid prohibet, modo non adorentur symbola, sed quod per illa significatur? Verum hoc tempore ob prædictam causam, fortassis adoratio externa non est opportuna, nisi frequens de his rebus esset in concionibus mentio. Integrum hunc locum transcripsit Mortonus in eoque gloriantur Formalistæ, ac si esset oraculum quoddam. Inde colligit Mortonus Petrum Martyrem nihil aliud voluisse, cum responderet ad locum Nazianzeni, quàm *significativam relationem à signo ad rem significatam. Nam geniculans, dum Eucharistiam percipit, debet ea visa abstrahere cogitationes suas ab obiecto sensibili, & elevando ad cœlos tum cor tum oculos adorare id est invocare, confiteri, gratias agere Deo & Christo.* Significativam relationem à signo ad rem significatam quis negat, Sed an adoratio relativa ad rem significatam coram re significata dirigenda non sit eadem cum adoratione illa pontificiorum illorum modò dictorum, Durandi nimirum Picti Mirand. &c. quæritur. Prorsus eadem. Nam & illi abstrahunt internam adorationem ab objecta imagine, quæ memoriam excitat, & coram qua adorant prototypon per imaginem ad memoriam revocatum. Petrus Martyr scripsit, quæ supra dicta sunt, cum esset professor Oxoniensis, quando in Anglia receptus erat mos ille ad placandũ Pontificios, & postea cum scripsit contra Gardinerũ & incumberet illi onus propugnandi ea quæ scripserat, aliquo fuco geniculationẽ oblinire oportebat. Ex geniculatione probat contra Gardinerum non sequi carnalem & localem præsentiam corporis Christi. *Quemadmodum*, inquit, *cum auditur illud in symbolo, Et verbum caro factum est, aut oratio aliqua consimilis, permulti Christum adorant, cum tamen corpus eius præsens non habent; Quare cum percipiuntur sacramenta audiunturque promissiones ad ea spectantes, si Dominum adoremus, non propterea illius realem corporalemque præsentiam testamur.* Et Col. 366. *Quare si adoratio ea quæ ab Antichristi mancipiis contra verbum Dei impenditur, picturis & imaginibus nõ ad signa refertur, sed ad res significatas, cur non potest idem fieri in sacramentis, etiamsi in illis non adsit realiter & corporaliter caro*

Pag. 285.

Contr. Gard. edit. Bas. 1581. col. 160.

Christi. Item, *qua fronte hic nobis objiciunt absentiam corporalem magis hic impedire adorationem, quam in statua aut cruce.* Et Col. 381. *Si regem in suis insignibus, in literis, in nunciis, in sigillis veneramur, quamvis eum sciamus in illis non esse inclusum, quid obstat, quominus fideles venerari possunt Christum in recto sacramentorum usu, etsi ille contineatur in cœlis.* Verum est non sequi necessariò corporalem præsentiam carnis Christi ex geniculatione in percipienda eucharistia; possunt enim ista duo separari exterior geniculatio, & opinio corporalis præsentiæ carnis Christi, quod ad Gardineri argumentum pro corporali præsentia refellendum sufficit. Sed in usu sacramentorum, id est, in ipso actu percipiendi eucharistiam geniculandum, eoque modo adorandum Christum corpore absentem ante nostram ætatem nemo unquam sensit. Ni si existimassent superioribus sœculis carnem Christi corporaliter præsentem in cœna, nunquam incubuissent in genua. Corporalis præsentia & transubstantiationis monstrũ geniculationé pepererunt, quod non ignorabat Petrus Martyr, *Ista autem adoratio*, inquit (nempe eucharistiæ) *propter vestram transubstantiationem & realem præsentiam invecta est in ecclesiam. Quare non tantum eam verumetiam ejus radicem & matrem penitus oportuit profligari.* Ideo geniculationem istam nunquam concoquere potuit. Nam etiam cum eius nuditatem tegere cogitur, ingenuè fatetur propter eiusdem opinionis de corporali præsentia carnis Christi vel confirmationem vel renovationem periculosam esse. *Quamvis*, inquit, *ut quod mihi videtur, dicam, ad evitanda superstitionum pericula nolim hoc tempore adorationis externæ signa in eucharistiæ perceptione adhiberi utut non ad symbola panis & vini sed ad ipsum Christum in cœlis regnantem dirigerentur.* Tamen videmus quomodo nullam ponit differentiam inter modum adorationis coram imagine, & coram symbolis. Argumenta quibus tuetur, sunt potius folia ficulnea quibus tegit eius fœditatem. Dicit imagines esse inventa humana, symbola autem Christi instituta, Col. 381. At debuit probare instituta fuisse in hunc finem, ut coram eis Christum absentem adoremus geniculando. Sacramenta instituta fuerunt à Christo, ut essent signa & sigilla promissionum, sed non ad statum accommodatum ad adorationem: Nam alioqui sequeretur coram omnibus rebus procumbendum quas instituit Christus. *Illi adorarunt ad præsepe. Nos monemur, ut eundem Christum adoremus in perceptione sacramenti, idque mente saltem sublata in cœlum. Nam ut prostrato corpore aut genuflexione eo tempore adoremus verbo Dei non monemur. Imo Christus eucharistiam Apostolis unà secum sedentibus aut discumbentibus, exhibuit*, inquit P. Mart. Nomine imaginis comprehenditur synecdochicè quicquid homo in hunc usum instituit, nempe ut coram eo cultum Deo exhibeat, etiamsi à Deo ad alios usus institutum, aut à Deo creatum ut Sol, Luna, & omnis exercitus

Col. 521.

Col. 160.

Col. 385.

exercitus cœlorum. *Statim audito nomine Iesu caput aperimus*, inquit, *& in Italia cum in Evangelio legitur. Et verbum caro factum est, cumque ex symbolo recitatur, Et homo factus est, omnes adstantes procumbunt. At cum Christus in ijs verbis pura sinceraque fide adoretur, an in illis credimus realiter & corporaliter esse Christum.* Non credimus in verbis illis esse corporaliter Christum, sed prolatis verbis illis inclinandum caput, aut in genua procumbendum non esse, magis quàm prolatis illis, & *crucifixus est*, aut *resurrexit*, aut *intercedit pro nobis*, & mille alijs; & cur magis cum recitantur aut canuntur verba illa in officio quàm dum concionator eadem pro concione profert. Par sanctitas omnium verborum sacræ scripturæ, significatio varia. Alia comminationes, alia admonitiones, alia beneficiorum commemorationes continent. Auditis comminationibus non prosternimur corpore, nec cōmemoratis beneficiis aliis. Si singula verba, vel in officio, dum legitur sacra scriptura vel canitur, aut dum concionator citat aut interpretatur, quæ memoriam alicuius beneficii refricant, eamque excitant, excitarent etiam ad adorationem externam, quas gesticulationes haberemus in sacris conventibus; & si quisque, prout movetur, aut afficitur, affectus suos signis externis exprimeret, quantam varietatem gestuum eodem momento haberemus, surgentibus his, sedentibus illis, geniculantibus alijs, aliis capita aut crura inclinantibus. Attentio hîc requiritur discipuli, non gestus adorantis, vt statim docebimus. De nomine *Iesus* dictum supra, pag. 623. Præterea, non est par ratio verborum & symbolorum. Verba tenues vanescunt in auras. Symbola permanent & visui obiecta sunt. *Vocem verborum vos audivistis, ac similitudinem nullam vos animadvertistis præter vocem*, Deut. 4.12. Deus in nulla similitudine apparere voluit populo ne ea abuterentur ad idololatriam, etsi vocem formarit qua locutus est ad populum. *Quemadmodum cives & proceres Imperatorem ipsum venerantur in purpura, aut in diplomate, quem tamen satis sciunt in rebus illis præsentem non contineri ita nos in eucharistia adoramus corpus & sanguinem Domini, quæ tamen scimus in ea realiter & substantialiter non adesse*, ait P. Martyr. Item, *Non creditis Imperatorem præsentem esse in suo diplomate, Ergo illum non potestis venerari sedentem in throno.* Et supra. *Regem in suis insignibus, in literis, in nunciis, in sigillis veneramur quamvis eum sciamus in illis non esse inclusum.* Respondeo, satis firma sunt ista contra corporalem præsentiam, sed geniculationē nostram nihil juvant. Nam à veneratione politica ad adorationem religiosam non sequitur. Venerantur absentem Imperatorem in diplomate, in literis, in nunciis, in sigillis, in insignibus, in purpura, non tamen adorant etiam politicè & civiliter genibus flexis absentem Imperatorem aut regem in sigillis, nunciis, diplomate, literis, insignibus, aut purpura. In Anglia ubi mores Persici & Orientales

Col. 381.
Col. 1028.

entales

entales obtinent, coram cathedra honoris vel purpura de geniculis adorant etiam absentem Regem, ut audio, sed non in diplomate & sigillis, literis & nunciis, in quibus absentem quibusdam signis venerantur. Indigent imperatores & reges his subsidiis & mediis ad tuenda dignitatem suam, ne vilescat exilis eorum Majestas, partim propter infirmitatem humanæ naturæ, quam communem habent cum aliis ex fœce vulgi, nam sunt eiusdem carnis & sanguinis participes, plerumq; ob vitia & scelera personæ quorū ratione Cathedra aut vilis pannus dignior esset veneratione quàm illi. Præterea, ut ait Augustinus. *Multa de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia sive adulatione pestifera.* Symbola eucharistiæ, si propriè loquamur, non sunt purpura honoris ceu status, ut vocant, per quam ad Christum deferenda adoratio. Nec purpura ipsius personæ regiæ sub qua latet caro Christi, ut pontificii fingunt de speciebus panis. *Ideo*, ait Suarez. *Primo & per se adoratur Christus, qui est unicum suppositum hujus sacramenti ad quod per se tendit adoratio. Coadorantur autem species tanquam Christo conjunctæ, & cum illo unum componentes. Quando adoratur persona Imperatoris coadoratur thronus vel purpura ejus.* Dicit species esse veluti thronum in quo Christus continetur, seu quasi vestimentum quo tegi voluit. Sed Christus non latet vel sub substantia panis, ut volunt Lutheriani, nec sub speciebus, ut volunt Pontificii. Sicut non coadorantur vel substantia vel species ut purpura personæ, vel thronus regis, quia loco non conjunguntur cum carne Christi, sic etiam non ut purpura honoris. Nam Christus non instituit ut corpore suo absente ab eoque & loco & supposito separatis elementis sacramentalibus, coram eis adorationem deferant corpori suo. Mediatæ venerationis signa habent principes ob causas supra dictas sed omnem adorationem religiosam quæ Deo deferenda, Deus vult immediatam esse. Sunt quidem symbola sacramentalia sigilia promissionum divinarum, & ideo reverenter & decenter tractanda, non tamen vel adoranda, vel coram iis adorandus Christus, sicut qui funus celebrant circa statuam absente corpore, nec sic civili adoratione de geniculis adorant subditi, cum accipiunt diploma vel sigilla diplomatis regii, etsi honorem quendam exhibent. Honorat omnis qui adorat non autem adorat omnis qui honorat. A veneratione igitur politica ad adorationem religiosam non sequitur. Adorandum dixit supra P.M. Deum vel Christum ubicunque se nobis declarant. Declarant autem tribus modis. Primum verbo interno cum subit animos nostros vi divini spiritus aliqua vehemens cogitatio de Deo & Christo, tunc adoratio consequitur, quia vel fatemur vel invocamus vel gratias agimus. Si adorationem externam intelligit, non sunt ista simpliciter & absolutè concedenda. Nam potest gratiarum actio vel invocatio

De Civit. Dei l. 10 cap. 4.

Tom. 3 disp. 65 sect. 1.

vocatio mentalis esse licita, cum adoratio externa non sit licita. *Itane ubi legitima est adoratio, cuiquam mortalium illegitima potest videri geniculatio*, inquit Tilenus? *An metuendum ne immodicus Christo honos exhibeatur?* Non est metuendum, ne immodicus Christo honos exhibeatur, sed ne honos Deo aut Christo proprius communicetur creaturæ vel re vel specie. Si socios Danielis sistere coram statua aurea jussisset Nebuchadnetzar, num prostravissent se aut in genua procubuissent, licet animos eorum subjisset vehemens cogitatio de Deo, quam in tam gravi tentatione subituram fuisse non dubitamus. Orassent mente & spiritu & invocassent Deum auxilium gratiæ divinæ implorando, non tamen genibus flexis coram imagine. Obstabat hîc impedimentum, dices, nam interpretati fuissent servi Imperatoris eos adorasse statuam. At illud est quod volumus, non ubicunque licita interna adoratio, legitimam esse geniculationem. Sed ad alia exempla accedamus. Nehemias orabat mente & spiritu dum staret coram Rege, proculdubio quia tum subiit mentem vehemens cogitatio de Deo. Sed an rectè fecisset, si coram Rege in genua procubuisset. Obstabat & hîc dices impedimentum. Verum, & mille impedimenta obstare possunt. Non ergo ubicunque legitima est interna adoratio, ut ait Tilenus, legitima est geniculatio, vel quandocunque subit animum vehemens de Deo aut Christo cogitatio, aut aggreditur gravis tentatio. Hîc in sacramentalium symbolorum participatione obstant etiam impedimenta, ut statim docebimus. Deinde ait P. Martyr, *Declarant quandoque se nobis per verba externa, cum sanctas scripturas ipsi legimus aut sacras audimus conciones tunc sæpenumero incitamur ad invocandum, vel ad alia quæ spectant ad cultus rationem.* Verum; incitamur ad invocandum & adorandum, sed in ipso actu audiendi, vel legendi geniculandum vel Deum invocandum non sequitur. Genuflexio est signum externum adorationis internæ, dum vel mente vel voce etiam invocamus & gratias agimus. Nam geniculando excipere verba ex ore lectoris aut concionatoris prolata ratione sanctitatis esset idololatria. Invocare aut gratias agere voce non concederent ipsi Formalistæ. Mente tamen, dices, invocare possunt vel gratias agere. Ergo & geniculari. Nego posse invocare & gratias agere quenquam dum audit. Oratio vel gratiarum actio animum attentum & ab omni alio cultus divini exercitio liberum exigit. Officium similiter auditoris est audire & verba reponere in thesaurum cordis. Non potest quis uno eodemque momento attentus esse prout debet ad verba concionatoris vel lectoris, & ad verba mentalia seu conceptus mentis suæ, orationemque coram Deo instruere. Id est simul audire loquentem Deum & alloqui Deum alloquentem. Nam Deus alloquitur nos in verbo suo sive lecto sive

prædi-

prædicatio, & nos alloquimur Deum orando aut gratias agendo. Si quis principem, aut eius nuncium aut legatum sic supplicitet rogaret dum alloquitur eum princeps, vel legatus principis, insanire vel illudere videretur. Præterea fingatur possibile utrunque simul eodemque momento præstare posse, non tamen est interna invocatio vel gratiarum actio tunc signis externis adorantis significanda coram hominibus. Optimè distinguit Perkinsus in tractatu de Idololatria Orationem in publicam privatam, & secretam. Publica est, quæ loco publico, à persona publica authoritate munita concipitur. Privata à privato, in loco privato, cum privatis signis & gestibus. Secreta est, quæ in mentis recessu concipitur & in secreto cordis conclavi Deo offertur. Hujus orationis signa sunt supprimenda. Sic Nehemias orabat coram Assuero, Nehem 2. 4. Supplex oravit Deum cœli nempe tacitè in secreto cordis sui, cum dixisset illi rex, quid illud est super quo requiris. Non procubuit in genua aut orantis signa alia expressit. Sic Channa loquebatur cum animo suo, tantum labia eius movebantur, vox autem eius non audiebatur, 1. Sam. 1. 13. Vnde colligit errare eos, qui putant templum esse locum aptissimum orationis secretræ aut privatæ. Si igitur daretur posse secretas orationes simul consistere cum attentione & officio auditoris, non tamen sequeretur secretam & purè mentalem orationem apertis signis & in propatulo præsertim geniculando manifestendam. Sed contra prohibet Christus, & Pharisæos damnat quod amarent in compitis & quadriviis stantes precari, ut spectentur ab hominibus, & gloriosam sanctitatis prędicationem consequerentur. *Demum se declarat*, inquit, *aliquando Christus & Deus, externis signis ut in monte Sina, Esaiæ sub forma Regis in solio suo considentis, in arca fœderis, aut in sacramentis, & ibi quoque adoratio impenditur*. Sed non est par ratio istorum signorum. Nam in monte Sinai declaravit se Deus per signa præsentiæ suæ. Sic in rubo ardente præsens erat Deus, & è medio eius inclamavit Mosem. Apparitionem numinis Græci ἐπιφάνειαν vocant, quoquo tandem modo Deus aliquis præsentiæ suæ signum dedisse crederetur, inquit Casaubonus. In sacramentis Deus se non manifestat hominibus per apparitiones & visiones. Ideo ait Augustinus, *honorem tanquam religiosi habere possunt, stuporem tanquam mira non possunt*. Cum manifestat præsentiam suam extraordinariam per indicia & signa miraculosa, adorandus est & interiori & exteriori adoratione. Sed in sacramentis non eo modo se declarat nempe per signa præsentiæ sed per signa voluntatis suæ. Sic arca erat symbolum præsentiæ divinæ, & propterea vocatur facies Domini, ut Esa. 1. 12 *Cum venientis ad visendum faciem meam*. Sic accipit Dilsius, Psal. 22. 30. *Coram facie tua genua flectent*, & metonymicè etiam Deus, ut 1. Sam 4. 7. *venit Deus in Castra*, id est arca, & Psal. 24 &

Exer. pag. 285.

De trinit. l. 3. c. 10.

Animadv. [illegible] 39.

Dominus

Dominus exercituum, Rex gloriæ, Dominus potens bello. Cherubini extendentes alas super operculum propitiatorum quasi sedem facientes repræsentabant Iehovam insidentem arcæ. Inde Deus insidens quasi cherubinis dicitur habere templi pavimentum quasi scabellum pedum ejus, unde dicebantur adorare ad scabellum pedum eius, cum adorarent versus templum ratione illius præsentiæ divinæ in arca, & promissionis Dei promittentis se auditurum invocantes ex loco illo. Sed prædixit Ieremias *futurum ut non dicant amplius arca fœderis Iehovæ*, Ier. 3. 11. *Sublata & prohibita post ascensionem omni adoratione ceremoniali, sive corpore sive anima ad certum locum in terris directa, sicut dicit, Hora venit cum neque, &c.* Ioh. 4. 23. *ac proinde nec in poculo cœnæ nec in altari, nec in manu ministri. Per synecdochen enim tollit circumstantiam omnem loci certi, ad quem in terris dirigitur adoratio Dei, quod ostendit antithesis manifestè, sed in spiritu & veritate.* Corpus Christi arca fœderis adumbrabatur, & sicut ad locum in quocunque erat arca fœderis, non propter locum, sed propter arcam in eo loco præsentem converti oportebat, sic nunc converti nos oportet ad locum illum ubi præsens est corpus Christi, quia in Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & massam naturæ humanæ in unionem hypostaseos suæ sumpsit. *Trahit enim natura hæc creata, finita, circumscripta adorationem huius personæ ad omnem locum, in quo ipsam subsistere substantia sua certò constat. Nam hic est Dominus & Deus tuus Iesus Christus, Hunc adora, ubicunque se corpore suo, vel sensu vel verbo præsentem testatur.* At testatur verbo corpus suum esse in cœlis, & nunquam patefacit præsentiam suam in sacramento per apparitionē aliquam ullave indicia externa. In veteri testamento nec manna demissum de cœlo panem Angelorum, vel geniculantes collegerunt, vel manducarunt, nec agnum paschalem, etsi erant signa sacramentalia. Alio igitur modo declaravit se in arca fœderis, alio in sacramentis etiam veteris testamenti. Sic etiam in novo Testamento declarat non præsentiam in sacramento, sed voluntatem ut in verbo, nempe se offerre fidelibus carnem & sanguinem Christi, si fidem habeant. Nam sacramentum est verbum visibile. *Symbola illa quæ adduntur ad verbum Dei, interim dum celebrantur mysteria, non dubito plurimum facere ad certitudinem. Sunt enim obsignationes promissionum, tamen illa Christum magis præsentem nobis constituere quàm verba, aut promissiones pernego,* inquit idem P. M. contra Gardinerum, col. 735. Et Col 396. *Non enim credimus corpus Domini latere in pane, aut in ejus speciebus, nisi forte ut res significata dici potest latere in signo, magna mysteria latere in sermone, aut libro, nimirum per significationem. Ad hunc modum non negamus corpus & sanguinem Christi latere in pane & vino.* Si Deus non dat indicia præsentiæ suæ in symbolis, nec Corpus Christi præsens lateat in pane & vino, vel, ut ait col. 407,

Kuchlini. disp. eccl. pag. 597.

Ibid.

Col. 735.

407, illis quasi quibusdam involucris tegitur, sed ut res significata in signo, quod etiam non proprie dici potest, ideo addit *nisi forte*, non est eadem ratio arcæ & signorum apparitionis, ac sacramentalium ratio. Tanta est distantia inter signum & rem significatam quanta inter cœlum & terram. Conjunguntur non situ naturali, sed σχέσει & relatione. Præterea si coram symbolis geniculandum, quia sunt objectum à quo significativè, sequeretur in elevatione hostiæ procumbendum in genua. Nam tunc est objectum à quo significativè, nam est consecrata & jam celebrantur mysteria. Significationis fructus melius percipitur, inquit Bellarminus, videndo Eucharistiam in mensa, quàm eam manducando. Nam dum manducatur continuò perit significatio. Refert quidem Cartwrightus plurimos post consecrationem pectus tundere, etsi eminùs & remoti à mensa sedeant in aliquo angulo templi, nec video quid impediat, si adorandus Christus adoratione externa, cum repræsentatur in symbolis caro & sanguis ejus. Denique si adorandus Deus aut Christus externa adoratione, quando se declarat, tum etiam coram sole, luna, stellis, & abiectissima quavis creatura geniculandum esset. Nam per opera creationis declarat se Deus, & non sunt inuenta humana. Negamus itaque procumbendum coram symbolis, quia sunt obiectum à quo significativè & memoriam excitant ad cogitandum de Deo, & sic per illa honorem deferenţ ū adrem significatam. Adorationem tamen internam recto sensu concedimus Dixit, ut supra ostendimus P.M. *Nos monemur, ut eundem Christum adoremus in perceptione sacramenti idque mente saltem sublata in cœlum. Nam ut prostrato corpore aut genuflexo adoremus eo tempore verbo Dei non monemur. Imo Christus Apostolis secum sedentibus &c.* Adorandum sublata mente in cœlum non negamus. Sic col. 390. *Cumque patres ibi adhibuerunt adorationem, externa elementa non colebant, sed ad Christum ipsum regnantem & assidentem in cœlo ad dextram patris mentem fidemque transmittebant.* Sic nos mentem fidemque ad cœlum transmittendam agnoscimus. Et col. 408. *Nam etiam cum verba Dei, quæ auribus nostris haurienda sunt, & animis ac mentibus excutienda, prudenter admoneri solemus à concionatoribus, ut mentem altiùs attollamus, non sono aut compositioni verborum attendamus, sed ad significata, hoc est ad magnifica consilia atque opera Dei nostras cogitationes referamus.* Sic & in his mysteriis admonendi sunt homines, ut se altius & sublimius attollant, sed adoratio interna sic sumitur in sensu communi. Nam colimus fide, spe, & charitate, ait Augustinus. At ob actus fidei aut charitatis vel spei mentem elevantium non geniculamur, sed cum adorat anima inter invocandum & orandum, non tamen semper, ut supra dictum, propter externa, quæ occurrunt, impedimenta. At dicunt Formalistæ in actu percipiendi Eucharistiam orat & gratias agit anima

De Euchar. l. 4. cap. 23.

anima interius. Nam meditamur, de Christi morte, meditantes de Christi morte non possumus non recordari vitæ per mortem Christi partæ; tanti beneficii memoriam recolere non possumus, quin simul refricetur memoria miseriæ nostræ, meditatio de miseria ministrat materiam orationis, ut per mortem Christi vitam adipiscamur, & memoria beneficii gratiarum actioni occasionem ministrat, & materiam suppeditat. Tota vis hujus argumenti pendet à memoria passionis & mortis Christi, & innititur huic propositioni tanquam fundamento. Quandocunque reminiscor mortis Christi debeo vel possum licitè geniculari; Probatur, quia non possum recordari mortis Christi quin simul beneficii & miseriæ, & proinde debeo orare aut gratias agere. *At variis modis possumus recordari beneficii quo Christus redemptor sua morte nos affecit*, inquit Becanus. *Primò ex perceptione sacramenti Eucharistiæ, quòd in eum finem à Christo institutum est. Secundo ex lectione Evangelii, in quo mors & passio eius describitur. Tertiò ex aspectu imaginis, quæ ipsum aut passionem eius repræsentet.* Si visa imagine crucifixi recordatus fuero passionis Christi, & beneficii per eam parti, an memoriæ actum obruere teneor; si non, tunc etiam orare & gratias agere licet, & proinde geniculari, ut vult argutator iste. Si dixerint non parem esse rationem imaginis & symbolorum sacramentalium, respondi supra, primò non ergo veram esse majorem propositionem. Deinde non necesse est, ut sit par ratio, sufficeret quod imaginum usus historicus & memorialis sit licitus, ut jam Formalistæ profitentur. Si usus imaginum historicus & memorialis sit legitimus, tum licebit coram imagine crucifixi geniculari, quia orare licebit. Nam coram omni signo memoriali licito procumbere licebit. Symbola sunt legitima signa, quia à Deo instituta, imago crucifixi, quia à Deo permissa, ut jam supponitur ex adversariorum sententia. Nulla ratio reddi potest differentiæ, nisi quod Deus instituens signa sacramentalia simul instituisset ut coram eis procumberemus, simulac intuiti fuerimus & recordati passionis & mortis Christi. At hoc falsum est. Non instituit ad statum adorationis, ut supra dictum. Si dixerint illa esse sacra symbola. Imagines non item. Vt mittam, imaginem hoc ipso quod assumitur ad hunc usum esse etiam sacram, tamen sequitur ob sanctitatem ipsorum symbolorum procumbendum in genua coram symbolis, quod quid aliud est quam de geniculis adorare ob reverentiam ipsorum symbolorum, quod est idololatricum. Sed largiamur Formalistas usum historicum & memorialem imaginum aversari, tamen in statu accommodato ad adorationem symbola sunt imaginum nomine vetita in secundo decalogi præcepto. Præterea, ait Becanus, ex lectione Evangelii refricatur memoria passionis Christi. Sic in Evangelii prædicatione crucifigitur Christus coram ocu-

De Communione sub utraque specie cap. 12.

lis nostris, ut ait Apostolus ad Galatas. Lectio & prædicatio Evangelii sunt media à Deo instituta, & dum legitur historia passionis Christi, vel prædicatione Evangelii crucifigitur, etsi recordamur beneficii redemptionis & miseriæ nostræ, non tamen invocamus vel gratias agimus, aut geniculamur. Falsum itaque est, quotiescunque recordamur beneficii redemptionis aut miseriæ nostræ, debere nos orare & gratias agere in anima interiùs. Falsum quoque posse nos geniculari, quoties orationes secretas concipit anima interiùs, quia idololatria aut hypocrisis vitanda, aut alia obstant impedimenta. Falsissimum quoque ab invitis geniculationem adorantis signum esse extorquendam. Secretæ orationis signa sunt reprimenda, ne erumpant & spectentur ab hominibus. Tyranni contrà volunt signa in propatulo conspici. Dixi ne quidem orandum, dum audimus verbum Dei lectum aut prædicatum, aut in actu percipiendi symbola Eucharistiæ. Quid, inquiunt, an non cum fame spirituali & siti ardenti attendendum ad verbum & sacramenta maximè. Sed sitis & desiderium cordis non est oratio. *Nam quamvis opus orationis supponat affectum religiosum in voluntate erga Deum, desiderium nempe obtinendi ab ipso aliquid ex apprehensione propriæ indigentiæ & divinæ liberalitatis potentis remedium afferre, ille tamen, vt manet in voluntate, nondum dicitur oratio, quousque opere intellectus loquentis cum Deo exprimatur, atque hoc propriè est à Deo petere, nempe desiderium aliquid ab eo obtinendi tanquam à superiore ei manifestare,* ait Vazquez. At licetne, dum audimus legentem aut concionantem aut percipimus symbola, opere intellectus loqui cum Deo, & explicare desideria animæ. Imo licet, præsertim cum imbecilitatem fidei sentimus, dicere Deo interiùs, Credo Domine sed succurre incredulitati meæ; si quid solatii percipit etiam gratias agere, sed non sunt orationes istæ & gratiarum actiones continuæ, & vt psalmista ait, instructæ, Psal. 5 4, *Iehova mane auditurus es vocem meam, mane dispositurus sum,* Hebr. instructurus nempe orationem *coram te, & speculaturus.* Dicit se ordine dispositurum orationem coram Deo. Oratio mentalis duplex est. Alia est continua, durabilis, permanens, & ex instituto, ut cum ad orandum assignatur pars horæ aut temporis notabilis, cessando ab omnibus aliis actionibus externis, & motionibus sensibilium objectorum, solis interioribus actibus vacando, & cum Deo loquendo per intellectum, omnia nostra desideria explicando, & petendo quæ desideramus. Alia oratio discreta dici potest, quia interrumpitur, & transitoria & jaculatoria, quando mens ad momentum subtrahitur in ipsismet actionibus & occupationibus externis, ad Deum ascendit, & petiones quàm citissimè ejaculantur. Transitoria seu jaculatoria oratio mentalis cum quacunque actione & occupatione misceri potest. Nulla occupatio potest esse tam vehemens & continua

De adorat. l. 1 cap. 2.

tinua, quin permittat huiusmodi mentis recessus vel fugas ad petendum auxilum divinum, aut ad referendum in Deum id quod agitur sive occupatio sit sacra sive civilis, & ut ait Chrysostomus homil. 79, ad populum, *etiam in medio strepitu & clamore hominum.* Sic non modo concioni attendentes, aut symbola sacramentalia percipientes, sed etiam in quotidianis epulis, cum manducamus & bibimus, potest quisq; absq; impedimento attentionis aut actionis externæ se ad momentum substrahere, Sic arator dum arat, faber ferrarius dum ad incudem sudat. In omni denique actione externa sacra aut civili, & in omni loco, ad mensam, in fluvio, in arboris cacumine, potest mens per breves & jaculatorias orationes, & actus momentaneos se subtrahere. Non tamen propter breves & transitorias orationes geniculandum, non modo quia secretæ orationis signa sunt reprimenda, sed etiam, quia mens subtraheretur ab attentione ad actionem externam, sive sacram sive civilem. Si quando intermittere actionem externam permittitur, & lubet geniculari, si non aliud externum prohibeat impedimentum externum, ut supra dictum, jam non erit amplius oratio jaculatoria, & momentanea, quæ non impedit actionem externam, sed erit durabilis, & continua, licet non prolixa, ratione notabilis partis temporis. Istas orationes jaculatorias in percipienda Eucharistia probamus, sicut etiam inter audiendum conciones, sed durabilem, continuam, perseverantem orationem, quæ sola & non nisi debito loco & tempore geniculatione exterius manifestanda est, vel inter concionandum, vel dum symbola percipiuntur, non concedimus. Oratio mentalis diuturna & aliquantulum durabilis requirit permanentem attentionem, & proinde subtraheret mentem ab attentione ad externam actionem, cui ex mandato Dei vacare debemus. Dum concionatur legatus Dei, debeo attentus esse ad verba, & Deum alloquentem per nuncium suum audire, verba auribus haurire, & rem mente percipere. Sic dum percipiuntur symbola, debeo & ad Christum alloquentem in verbo promissionis & dicentem, hoc est corpus meum, & ad signa & ritus externos attendere, eorum significationem & analogiam perpendere, edere, bibere, & analogicè in mente eosdem actus exercere qui ritibus externis analogicè respondent, exercere, fide apprehendendo carnem & sanguinem Christi, & fide manducando, & bibendo, applicãdo Christum, ejusque beneficia, & nos illi uniendo, eamque unionem & conjunctionem hoc modo confirmando. Actus elicitus fidei est animæ actus præcipuus, qui jam debet esse in opere; aliarum virtutum actus requiruntur. prout imperata fuerit earum cooperatio. Sed dum auribus, oculis, manibus, dentibus exteriùs, auribus, oculis, manibus, dentibùs fidei interius occupamur, orationem continuam & durabilem absq; mentis divagatione ab opere præcepto & imperato in-

struere non possumus. Habemus simile quo ista illustrentur in hoc ipso sacramento. Quærunt scholastici, num Christus protulerit verba quinque consecrationis, antequam traderet discipulis elementa panis & vini. Suarez ait priùs consecrasse quàm daret panem, *Licet enim, vt rectè dixit Thomas, simul potuerit dare, & verba consecrationis proferre, id tamen verum est, morali non me a bisica concomitantia, quia scilicet simul cœperit porrigere & quasi offerre panem & verba proferre; secundum physicam autem durationem verius est priùs absoluisse verba consecrationis quàm panem vel vinum discipulis dederit. Nec verò timendum est, quod objicit Soto, ne videlicet multitudine actionum Christus impediretur. Nam perfectissima attentio poterat simul has actiones omnes exercere.* Dubitant, num Christus potuit simul & uno actu & dare panem discipulis & offerre Deo, animo ad utrumque attento. Quidam non potuisse asserunt, alii potuisse Christum, quia habuit attentionem perfectissimam. Sed de non ente hîc litigant quòd ad actum attinet. Nam non obtulit Deo corpus suum sub speciebus panis, dum porrigeret discipulis suis, sed obtulit panem ut symbolum corporis sui discipulis, hoc est dedit, & proinde non erat hîc in porrigendo panem multiplex actio, & quod fingitur de perfectissima attentione χιμαιρογενὲς est, nec extra Christum locum habet in hominibus, & Christum hîc secundam physicam durationem duas actiones successivè peregisse, ait Suarez. Patet itaque non simul orare nos posse, & aliam actionē internam simul peragere, præsertim cum simul celebratur actio externa, variisque actibus & ritibus pluribus constans. Cum Christus panem sumpsit in manus, erat gestus orantis nempe demonstrantis rem cui benedicturus erat, sic cum imponebantur manus in ordinationibus aut ægrotis sanandis. Nam in benedictionibus & consecrationibus signa demonstrativa rei vel personæ benedicendæ aut consecrandæ sive imponendo manus, sive extendendo super rem, sive in manus sumendo, ut solebant panem & poculum Iudæi, erant orantis gestus, ut supra diximus, ubi de impositione manuum egimus. At manducare, bibere panem vel poculum, ori admovere, non sunt gestus orantis. Quod de oratione diximus, de gratiarum actione similiter affirmandum est. Gratiarum actiones, ut petitiones; aliæ sunt durabiles & continuæ, aliæ jaculatoriæ. Has non illas permittit actus percipiendi Eucharistiam, id est, accipiendi, manducandi, bibendi. At inquiunt, à gratiarum actione appellatur hoc sacramentum Eucharistia. Verum; sed à patribus non à sacra scriptura. Præterea à gratiarum actione quæ concipitur initio celebrationis denominatur tota actio Eucharistia. *Eulogia & Eucharistia vtraque vox à parte vna totam Domini actionem denotat*, inquit Casaubonus. Et à Patribus panis ipsa Eucharistia dicitur, quod non propriè dici potest, sed potius, ut loquitur Iustinus ἄρτος εὐχαριστηθεὶς dicendus

In 3 part. tom 3 disp. 58. sect. 2.

Exerc. p. 517

dicendus est id est panis super quo gratiæ actæ sunt. Actio accipiendi symbola, manducandi, bibendi non potest dici gratiarum actio. At, inquiunt, imperatur omnibus anunciare mortem Domini. Sed non omnes, qui participant annunciant verbis, sed facto, dum percipiunt Eucharistiam, manducant, & bibunt. Ergo dicitur hoc sacramentum Eucharistia non solum ratione gratiarum actionis, qua inchoatur & clauditur sacra hæc actio, sed etiam actionis intermediæ, ministri & populi. Respondeo ad Iesuiticum istud argumentum. Nam sic Rhemistæ interpretantur verba 1 Cor. 11 26 hac commemoratione mortis Domini nihil aliud intelligi quàm repræsentationem in facto per hujus sacræ cœnæ actiones externas. Sic Bellarminus dicit quòd *sacrificium est quædam oratio, ut sic dicam, realis non verbalis.* Fulco respondet etiam Patrum judicio non actione & facto solum repræsentandam, sed etiam verbis commemorandam passionem & mortem Domini, & proinde cum doctrina & concione celebrandam, etsi prolixa concio non sit semper necessaria, sed brevis & succincta explanatio institutionis, & usus sacramenti sufficeret. Sic Willetus de sacramentis quæst. 1. Pezelius in refutat. Catechismi Iesuitarum ait annunciare mortem Domini non esse similitudine facti repræsentare, sed inculcare memoriam Christi & beneficiorum ejus, eorumque usum & fructum explicare. Alludit Dominus ad annunciationem vel commemorationem quæ fiebat in Paschate Exod. 13 18, *cujus versiculi prima vox est vehiggadeha & annunciabis. Et voci respondet apud Paulum in explicatione* αὐτοῦ *Sacramenti* καταγγέλλετε *annunciate,* 1 *Cor.* 21 26, inquit Casaubonus. Ab hoc præcepto Dei originem videntur habuisse *Agadoth* Iudæorum. Erant autem *Agadoth* homiliarum genus quibus scripturarum mysteria explicabantur derivata voce à radice נגד *gad indicavit, explicuit.* Commemoratio itaque verbalis imperatur à Christo & præstatur à ministro in hac sacra actione, & à populo consentiente attendente & approbante. Sed non est ista cōmemoratio verbalis propriè gratiarum actio, sed prædicatio mortis & passionis Christi, & beneficii redemptionis, multo minus commemoratio illa realis, quæ ex repræsentatione facti in symbolorum usu oritur. Vtraque refertur ad honorem Christi, non tamen vel hæc vel illa est propriè gratiarum actio. Nam, ut ait Aristoteles, *Honoris partes sunt sacra, memorationes, decantationes carminum, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, primi consessus, sepulchra, publici ritus, inclinari, loco cedere* &c. Non omnes honoris partes una gratiarum actionis specie comprehenduntur, sic nec cultus divini partes. Cyrillus ait ad cultum divinum, *pertinere, sacrificia, festivitates, hymnos gratiarum actiones, adorationem, preces, confessiones, celebritates.* Præterea, si in verbali commemoratione non geniculandum, multo minus in repręsentationis facto. Restat

De Miss. l. 2 c. 4.

P. 421.

Exerc. p. 324

1 Rhetor. cap. 5.

Contra Iul. lib. 4.

stat igitur ut gratiarum actiones mentales in actu percipiendi symbola non aliæ sint quàm jaculatoriæ. Sed replicat Tilen. *In qualibet precum ejaculatione cuilibet semper & ubilibet in genua procidendum esse nemo putat nisi fanaticus. At in synaxi, in ecclesiastici cœtus Liturgia, ubi coram Rege Regum ac Domino Dominantium se sistunt subditi, æternaque supplicia meriti codicillos veniales, ac restitutionem in integrum supplicibus precibus efflagitant; si inæstimabilis beneficii diploma sacrosancto sigillo munitum singuli καθ' ἕκαστον accipientes procumbant, & corpore ad demississimam animi significationem composito, tum indignitatem suam tum immensam redemptoris bonitatem ac φιλανθρωπίαν profiteantur ac testentur; tam illi apud æquos pietatis æstimatores ab omni hypocriseos & adulationis specie aberunt quàm vos à reverentia & obsequio Deo, Dei vicariis principibus præstando abestis.* Conviciis virulentis ad suum locum reservatis videamus quid ponderis inest his verbis. Concedit fanaticus iste, non semper & ubilibet in genua procidendum in precum eiaculatione, at in synaxi ubi coram rege Regum se sistunt & supplicibus precibus codicillos veniales efflagitant, & inæstimabilis beneficii diploma sacrosancto sigillo munitum accipiunt, procumbere debent & profiteri indignitatem suam & immensam redemptoris bonitatem. Si in synaxis parte aliqua quæ ejaculationes tantùm permittit procidendum sentit, fanaticus est. Nam, si actio quantumvis sacra, cui miscentur ejaculationes, non sit actio adorationis, non est procumbendum in genua. Nam genuflexio est signum adorationis. Verbi prędicatio non est adorationis actus, nec eius correlatum verborum perceptio & mente & auribus. Proinde in genua incumbere non debent, etiamsi frequentes habeant ejaculationes, quæ citius transeunt quàm possit componi corpus ad situm genuflexionis, & de attentione mentis ad actionem nihil subtrahunt, sicut facerent genuflexiones. Si in una parte liturgiæ sacræ id non fieret, nec in alia quæ est ejusdem naturæ. Nam nec actus ministri distribuentis elementa & recitantis verbum promissionis nec accipientiũ symbola, manducantium, bibentium sunt actus adorationis nec gestus orantium. Sistunt se coram rege Regum codicillos veniales flagitantes, cum confitentur peccata, quod faciunt inchoantes liturgiam, etiam quando non celebratur cœna; & quia sunt in actu adorationis signis adorationi convenientibus etiam exterius adorant. At dum diploma legitur vel explanatur idque audiunt auditores, non sunt hi actus adorationis. Sed dices hîc diploma datur singulis καθ' ἕκαστον, Ergo singuli debent accipere genibus flexis. Negatur sequi. Nam accipitur etiam diploma καθ' ἕκαστον, dum prædicatur verbum & per claves regni cœlorum aperiuntur fores, remittuntur peccata pœnitentibus, & καθ' ἕκαστον sibi quisque fidelium accipit diploma

diploma oblatum, & applicat promissiones Evangelii. At hîc dices, accipit diploma sigillo munitum quisque καθ' ἕκαστον. Verum, sed sigillum non est diplomate dignius aut præstantius. Si diploma quisque καθ' ἕκαστον non accipit geniculando, nec cum sigillo debet. Nam nec in honorem & reverentiam sigilli geniculandum, quia terminaretur adoratio in sigillum, nec coram sigillo adorandus Deus aut Christus, etsi adoratio deferatur ad Deum vel Christum & sigillum non sit objectum *quod* adorationis. Nam venerationes politicæ non sunt norma & regula adorationis religiosæ, ut supra dictum. Adorationem religiosam vult immediatam, & nullum intercedere vicarium objectum. Præterea ut sacramenta sunt sigilla promissionum sic sunt symbola spiritualis refectionis, quæ nobis in hoc sacramento offertur. In ipso convivandi actu non supplicum sed convivarum partes agere nos voluit Christus, & profiteri non indignitatem & miseriam damnati ad supplicium, sed dignitatis & honoris convivæ. Non in omni actu liturgiæ sacræ repræsentamus gestum supplicum, sed modo supplicum, modo auditorum, modo convivarum. Christus & Apostoli & Apostolicæ Ecclesiæ hoc modo celebrarunt, qui non ignorarunt quas partes agerent in hoc actu & repræsentarent, Christus talem instituit formam & ordinem celebrandi hanc cœnam, ut non modo non exigat in actu convivandi hanc geniculationem, sed excludat. Non enim potest geniculatio cōsistere cum iis ritibus quibus celebrata fuit prima cœna. Si minister enunciativa verborũ forma dicat porrigens proximis panem, hoc est corpus meum, & poculum, hoc poculum &c. & diviserint inter se mensæ accumbentes non possunt geniculari adorationis ergò. Geniculandum ob commoditatem situs nemo etiam inter barbaros dixerit. Habent & aliam similitudinem formalistæ priori similem. Si quis accepturus esset donum à principe coram populo civilis reverentiæ & adorationis notas & signa exhiberet, nisi rusticus agrestis, & officii sui ignarus esset. Respondeo, si è manu ipsius princips acciperet, civilis reverentiæ & honoris signa, ni exhiberet, rusticus habeatur. Deinde varii sunt gradus honoris civilis, & varia signa. Non ubique nec semper de geniculis accipiunt dona è manu principis. Si princeps invitaret subditum ad convivium, an de geniculis adoraret principẽ etiam in ipso actu convivandi. Tertiò symbola sunt tantum signa & pignora doni illius quo donat nos dominus, non ipsum donum. Symbola accipiunt omnes accumbentes non donum. Ratione illius actus qui est communis, & visibilis non illius qui est internus in occulto cordis & peculiaris, componendũ est corpus. Quarto non minus in verbo quàm in sacra cœna hoc donum accipiunt fideles. At dices, non καθ' ἕκαστον, ut in

cœna. Imo non nisi καθ' ἕκαστον, ut in cœna. At inquies, non alloquitur unumquemque singulariter in verbo, sicut unicuique dat καθ' ἕκαστον symbola in cœna. Sed, quæro ego, quis instituit, ut traderet unicuique καθ' ἕκαστον in cœna. Est ille mos vester & institutum humanum, non domini & ataxiam invehit in administrationem cœnæ. Christus dixit, *Accipite, edite, bibite, dividite inter vos, non accipe tu, ede tu*, &c. Præterea, etsi instituisset dare unicuique καθ' ἕκαστον symbolum tantum daret minister, Deus donum, nec semper in ipso actu percipiendi symbola, percipiunt fructum fideles. Denique redolent ista omnia realem præsentiam corporis Christi, ac si tum primùm aut tunc solum acciperemus corpus Christi. Symbola Christum nobis præsentem magis constituere quàm verba, aut promissiones constanter pernegat P. Martyr, vide supra. Non inchoatur nostra unio per hæc sacra mysteria, sed confirmatur & conservatur, inquit Iuellus contra Hardingum. *Licet in mysterio possit intelligi, tamen verius corpus Christi, & sanguis ejus sermo scripturarum est*, ait Hieronymus. Idem, *porro quia caro domini verus est cibus, & sanguis eius verus est potus juxta Anagogen hoc solum habemus in præsenti seculo bonum, si vescamur carne eius cruoreque potemur, non solum in mysterio, sed etiam in scripturarum lectione. Verus enim cibus & potus, qui ex verbo Dei sumitur, sacra scriptura est. Hoc quod modo loquimur*, inquit Origines, *sunt carnes Christi. Est & mensa lectionum dominicarum, in qua spiritualis doctrinæ cibo alimur*, inquit Hilarius. Eadem beneficia obsignabantur sacramentis veteris testamenti. *Quicunque*, ait Augustinus, *in manna intellexerunt Christum eundem quem nos spiritualem cibum manducaverunt*. Pergunt adhuc formalistæ, & quærunt. Cur aperto capite sedemus in actu percipiendi Eucharistiam, si non liceat etiam geniculari. Respondeo ne in civilibus quidem paria esse honoris & adorationis signa. Honoramus etiam æquales & inferiores capite aperto; *Honorat omnis qui adorat, non adorat omnis qui adorat*, inquit Augustinus. Honorem & reverentiam non negamus, nec venerationis signa. In canone 18 constitutionum anni 1603, sic statuerunt Episcopi Anglicani. *Nullus in Ecclesiis vel capella inter rē divinam caput suum operiet, nisi ex causa infirmitatis, quo casu pileolo aut rica*, Angl. Night cap or Coife, *utendum*. Dum recitatur liturgia nolunt capite operto quenquam interesse. Sic & hîc distinguimus nos inter hanc actionem & verbi prædicationem, quia nihil hîc humanum, sed divina omnia. Verba ipsius Christi sonant aut sonare debent, & elementa quæ tractamus manibus sunt ex ejus instituto sacra symbola. *Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus eadem sunt quæ sacerdotes nunc pronunciant, ita & oblatio eadem est, eademque*

baptismo

Art. 1 p. 1:6
In ps. 147.
In Eccl. ca. 3
Origines in Numer. hom. 16.
Hil. in psal. 127.
De util. pœnitent. cap. 1
In 2 Tim. hom. 2.

baptismi ratio est, adeo omnia in fide consistunt, inquit Chrysostomus. Idem, *Et vox illa quidem semel dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem*. Veneratio ab adoratione distinguenda est. Adorationis signa cum nulla actione sacra consistere possunt quæ non sunt adorationis actio. Actus percipiendi symbola aut audiendi verba scripturæ non sunt actus adorationis. Nullius igitur momenti est quod objiciunt ex Psal. 95, cum comparemus coram domino flectenda esse genua. *Venite, incurvemus nos & procumbamus, flectamus genua coram Iehova qui fecit nos*, ait propheta. Hortatur ut veniant pii ad templum, & coram Domino vel facie Domini, ut dicit ver. 2 qui insidebat arcæ, incurvent se & genua flectant. An sequitur in omni actu liturgico genua flexisse. Hortatur ad gratiarum actionem, ut patet ex ver. 2. In canone Parasynagmatis nostri pro geniculatione ex hoc loco elicitur argumentum tale. *A Deo ipso imperatum nobis, ut cum accedimus ad colendum eum*, to worship him, *procumbamus & flectamus genua coram domino qui fecit nos*. Lingua nostra vulgari est homonymia in voce *Worship*. Nam hac voce in lingua nostra redduntur λατρεύω Phil. 3 3 & Act. 24 14, & hoc sensu respondet hebraicæ voci *gnabad*, Exod 3 12, Deut. 10 12 2 Sam. 15 8. Et σέβομαι Act. 18 7 13, cui respondet Hebræum *Iarè*, Isa. 29 13. Et θρησκεία Col. 2 18 23. Et προσκυνέω Math. 2 2, Revel. 11 16, Revel. 13 4 cui vox Hebraico *hishtachvah* respondet quæ propriè incurvare se aut prosternere significat. Sic lata significatione θρησκεία & cultum in genere significat, stricta & angusta significatione προσκύνησιν. Priori sensu omnes sacræ actiones sunt partes cultus divini, sacramentorum administratio, verbi prædicatio, psalmorum cantus, preces &c. posteriori, tantùm cultus adorationis. Non imperat sed hortatur & invitat propheta ad cultum adorationis cujus signa externa erant incurvare, in genua procumbere. Non sequitur igitur in qualibet parte liturgiæ & cultus Divini procumbendum indifferenter in genua. Nobilis est ista pars liturgiæ symbolorum distributio, participatio, & usus non tamen est cultus adorationis. Nullane hîc igitur, dices, humilitas mentis requiritur. Maximè. Sed differunt humilitas & adoratio. Nã humilitas moderatur affectum honoris, adoratio reddit alteri debitum honorem ratione dignitatis vel excellentiæ. Virtus humilitatis moderatur affectum propriæ excellentiæ & dignitatis & intra suos limites cõtinet, ne ulterius procedat, ne displiceat Deo inferiorē esse & sub illius potestate & imperio esse. Adoratio præterea etiam honorem debitum defert. Humilitati opponitur superbia. Humilitas semper & præcipuè in cultu Divino requiritur non in adoratione solum, sed etiam in omnibus aliis partibus, ubi tamen cultus adorationis non celebratur. Sed, inquiunt quid magis prohibet inclinare

Homil. & prod. Iud.

nare genua coram pane in mensa aut manu ministri, quàm coram arbore, cathedra, scamno, aut pane communi in mensa dispo sito. Respondeo non posse nos inclinare genua, dum oramus, quin objiciatur nobis aliquid visibile & sensibile, sed id fit fortuitò & casu eligentibus nobis locum commodum & aptum ad corporis quietem, ne inter orandum mens distrahatur incommoda corporis compositione, non ex proposito vel præcepto. Coram cibo communi apposito in mensa oramus quidem, sed non flectimus genua, nisi quando fortuitò id aliquis fecerit, quia oratio illa est benedictio cibi ad usum nostrum. Nunquam solebat benedicens, ut qui major re cui benedicitur, coram re benedicta genua flectere. Et si quis benedicens cibo genua flecteret, tamē non esset cibus objectum vel terminativum vel vicarium adorationis, sed subjectum benedictionis recipiendæ & impetrandæ à Deo. Nullus unquam panem communem sanctificatum post consecrationem mensæ accipiens & manducans unquam adoravit genibus flexis. At panem consecratum in sacra cœna accipiunt & manducant de geniculis adorantes. Nulla hîc ratio differentiæ, nisi quod ille communis, hic vel ipsum corpus domini; ut opinantur Pontificii, vel quia sanctus panis, ut volunt Formalistæ. Nam damus id solum sentire. Panis est objectum *quod*, sanctitas est ratio adorationis ceu objectum *quo*, sicut in Rege persona Regis honoratur per se, ut *quæ* Regia dignitas per se, ut *qua*. Honoratur autem panis ratione huius sanctitatis & sacræ significationis geniculatione, quæ est nota adorationis soli Deo propriæ, quam recusavit Angelus. Isto indicio dignoscere possumus panem consecratum ante manducationem esse objectum adorationis terminativum, non vicarium tantum, vel ut illi prætexunt, objectum à quo significative, quia etiam manducantes adorant de geniculis, cum jam non amplius sit objectum *coram quo*. Quis unquam objectum coram quo vel à quo significativè, sibi inter adorandum primum proposuit deinde manducavit vel immutavit, alioue modo statim consumpsit. Hucusque dedimus non terminari adorationem in objectum, sed præscindi & abstrahi ab objecto, tamen ostendimus ejusdem esse generis cum adoratione quam Durandus, Holcot, Picus Mirandulanus & plures alii imaginibus concedunt, nempe esse vicarium objectum adorationis. Sed certè crassior illa idololatria qua adoratio terminatur in imagine hîc etiam reperitur. Pontificiorum pars maxima docet imagines venerandas per se & propriè, ut in se considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris, quia in imagine verè inest aliquid sacrum, nimirum similitudo ad rem sacram & dedicatio ceu consecratio ad cultum divinum. Adoratio ista est etiam relativa & respectiva. Priori modo transiit honor imaginis immediatè & formaliter ad exemplar. In hac adoratione honor terminatur in

Bell. l. 2. Imag. sanct. cap. 21.

ipsam

ipsam imaginem & transit ad exemplar mediatè, & quasi consequenter. Nam qui honorat imaginem alicujus honorat propter eum, cujus imago est, & proinde honor imagini verè exhibitus redundat in prototypũ, ut qui facit eleemosynam pauperi, Christo fecisse dicitur, licet immediatè eleemosyna tendat in pauperem, quia, qui eleemosynam fecit pauperi propter Christum facit, & Christum honorat in paupere. Sic explicat hanc speciem adorationis Bellarminus. Cum adoratur quis propter intrinsecam excellentiam, quæ est in aliqua persona, ad quam res talis aliquam habitudinem habet vel conjunctionem, dicitur adoratio respectiva. Priori modo adorabilis est tantum res intellectualis, quia sola illa est capax honoris & excellentiæ propter se honorabilis ceu adorabilis, ut virtutis, sanctitatis, dominii &c. Posteriori modo adorabiles sunt res inferioris ordinis, quia cum non propter se sed propter alicujus rei dignitatem & excellentiam colantur, honor illis exhibitus non in illis subsistit, sed in ipsas personas propter quas adorantur, redundat. Sic Suarez definit & distinguit adorationem absolutam & respectivam. De priori modo respectivæ adorationis diximus, jam de posteriori agamus. Colligimus eos deferre adorationem symbolis ex eo quod symbola accipientes, tractantes, manducantes, & bibentes de geniculis adorant. Non id faciunt ratione brevis illius precatiunculæ, quam habet minister cum porrigit symbola dicens, *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat* &c. Nam quàm primum accedunt ad mensam forte decem aut 16 simul, priusquam sigillatim dederit cuique symbola minister, procumbunt, & citius absoluitur precatiuncula quam potest accipere symbola & ad os deferre, & tamen durat geniculatio dum manducat & bibit. Est & illud signum, quòd non ratione illius precatiunculæ, quia in aliis precibus & orationibus liturgiæ, ubi genuflexionem præscribunt, non tamen severiùs animadvertitur in eos, qui genuflexionem omiserint, sicut in eos qui in hoc actu non inclinati fuerint in genua. Quatumvis reverenter componat quis corpus & gestum corporis, si nõ geniculatus fuerit & sacra cœna secludetur, & variis modis castigabitur & tandem excommunicationis gladio ferietur, & in ipsum ministrum etiam, si non geniculantibus ministraverit secundum Canonem 27 constitutionum anni 1603, *Ministri cum cœnam Domini administrant, neminem scienter ejusdem facient participem qui in genua non fuerit inclinatus, sub pœna suspensionis* Nec ulla in hoc canone mentio precatiunculæ, sed tantum participationis sacræ cœnæ. Sic canone 23 ubi cœnæ usus frequenter Academicis indictus, *volumus*, inquiunt, *vt vnoquoque anno quater ad minimum ejusdem* nempe sacræ cœnæ *sint participes idque in genua reverenter, vt par est, inclinati.* Nec in canonibus suis hac ratione imperant, aut imperatam dicit Mortonus. Etsi hac ratione indicerent,

rent, esset tantum fallacia. Nam non precatiunculæ tempore tantum genua flectunt. Est & illud signum quod non ratione illius precatiunculæ, quia in Canone parasynagmatis nostri quem consciis & consultis Episcopis ex Anglia accepimus, non indicitur ista precatiuncula, & potest minister liberè uti inter distribuendum eadem verborum forma qua Christus, dicens *hoc est corpus meum*, ut & plerosque formalistas dixisse arbitror. Denique mutatio formæ enunciativæ verborum promissionis in precatiunculam est institutum humanum. Nec asserent, puto, formalistæ vel necessarium vel melius omittere formam enunciativam quam usurpavit Christus & uti precatiuncula, nisi Christum aptissimam formam non usurpasse dixerint & tamen geniculationem urgent. Deinde non ratione mentalis orationis, aut gratiarum actionis in actu illo de geniculis adorant. Nam non possunt continua & durabilis oratio aut gratiarum actio cum alia actione etiam interna simul consistere, nedum externa simul & interna absque distractione, & cum debita attentione, cum utraque actio suam attentionem exigit. Quod ad ejaculationes momentaneas, eæ miscentur & misceri debent omnibus actionibus externis, & misceri possunt absque mentis substractione ab actione vel interna vel externa, ut supra dictum, sed non mutatur nec mutari potest aut debet compositio aut positura corporis propter istas ejaculationes. Nec in canone Parasynagmatis nostri ulla mentalis invocationis aut gratiarum actionis mentio, sed tantum meditationis & elevationis cordis. Sed meditatio non est invocatio aut gratiarum actio, nec quævis elevatio cordis. Nam quid est meditatio nisi *studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans*, ut definit Bernardus in Scala Claustralium & Augustinus de spiritu & anima cap. 32, *Meditatio est occultæ rationis studiosa investigatio.* Meditatio practica ordinatur ad excitandum vel accendendum affectum, veritates considerando, illarum rationes perpendendo, novas inquirendo, ad mores & actiones applicando, quandoque ad invocationem præparando, à qua separari potest temporis intervallo. Nam in meditatione post discursus rationis tandem concluditur quid desiderandum, timendum, petendum, quomodo de se, de Deo, de honore, divitiis, fama, gloria, rebus æternis aut caducis cogitare debeat. Inquisitio est sicut motus, scientia est velut terminus. Scientia ista ordinatur quandoque ad excitandum & præparandum affectum ad orationem propriè dictam seu invocationem. *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem compunctio devotionem, devotio perficit orationem*, inquit August. libro de spirit. & litera. Oratio omnis cum meditatione aliqua conjungitur & miscetur, sed non omnis meditatio cum oratione. Nam meditatio aliqua vel simplex consideratio objecti præcedere debet, ut desiderium excitetur

tetur à quo prodit oratio, sed non contra omnis meditatio cum oratione. Quævis elevatio mentis similiter non est invocatio aut gratiarum actio. Nam etsi oratio præsertim mentalis definiatur ascensio mentis ad Deum, non tamen omnis ascensio mentis ad Deum est oratio propriè dicta. Nam aliis etiam actibus mentis versamur circa Deum, & mente sublata in cœlum per fidem in actu participationis sacræ cœnæ opus esse concedimus. Sed ejusmodi meditationes, & mentis elevationes non sunt orationes propriè dictæ ceu invocationes quibus alloquitur Deum anima (jaculatoriæ petitiones misceri frequenter & obiter possunt) & proinde geniculationis situ ut signo & nota non sunt manifestandæ. Quis meditationis aut elevationis mentis, quæ ab invocatione & gratiarum actione, aut peccatorum confessione separatur, signum externum geniculationem dixerat. Sed ne hoc quidem colligi potest è verbis Canonis meditationem & mentis elevationem in actione ista necessariam, sed gestum ceu situm corporis humillimum in meditatione & elevatione cordis esse huic tam divinæ & sacræ actioni nempe perceptioni carnis & sanguinis Christi aptissimum & decentissimum, id est gestum ceu situm corporis humillimum quo in meditatione & elevatione cordis utimur, in hac tam sacra actione usurpare debemus. Nec in ullo canone aut constitutione Anglicana reperio ratione invocationis mentalis aut gratiarum actionis hanc geniculationem indictam, sed solum ratione ipsius actus participandi. Nam etsi quis invocaverit aut gratias egerit mentaliter, sed sensibus exteriorribus & corporis organis, & actibus fidei solùm interius occupetur circa objectum externum & internum, tamen rite participabit omnium judicio. Nam gratiarum actionem & invocationem vel confessionem mentalem ipsi formalistæ non dicent, arbitror, necessariam in ipso actu. Si non sint necessariæ in ipso actu, ut actu exerceantur, non illarum ratione indicitur geniculatio. Nam actus contingentis & non necessarii ex præcepto signum constans statui non debet, nec statuere solent prudentes. Esset præterea ineptum & ridiculum imperare alicui privato geniculationem ob mentis orationem secretam coram ecclesiæ cœtu. Nunquam ecclesia geniculationem indixit ob secretam cuiusvis privati orationem coram cœtu ecclesiæ, sed simul vocalem exegit. Ex dictis patet non ratione precatiunculæ vocalis, nec ratione mentalis orationis geniculari formalistas, sed respectu actus percipiendi ceu participandi, accipiendo, manducando, & bibendo. Et si dicerent ratione utriusque, profiterentur primùm se cum Deo ludere & non seriò agere, orando & interim in aliam actionem, & mente, & sensibus & membris corporis incumbendo & vacando, quæ suam attentionem requirit. Deinde sequeretur etiam actum istum alterum ejusdem geniculationis participem esse. Nam si utriusque

&

& orationis & actus percipiendi causa fiat, cũ actus percipiendi eius notæ externæ honoris & reverentiæ particeps est. Et proinde perinde erit sive ratione unius actus percipiendi, an simul etiam orandi ceu utriusque indicatur, i. sive actus participandi sit causa totalis an partialis genuflexionis. Sed neminem unquam tam absurdè sensisse iudico, ut putarit orandum, dum alia actione externa occuparetur & distraheretur, non sub ipso papatu. Etsi in hoc actu id sensissent, tamen sibi constabant. Nam opinabantur panem & vinum fuisse carnem & sanguinem Christi, & Christum ipsum localiter in symbolis existere, & actiones suas occupari circa eundem Dominum Christum quem realiter in manu, ore, & stomacho habebant, Sicut si quis Christum in carne versantem inter orandum, & ad pedes prouolutus apprehendisset & amplexus fuisset, quia actio externa circa eundem peracta fuisset ad quem dirigebatur oratio. Sic Iacob luctans cum Angelo petit ut benedicat ei priusquam discesserit. Nec sentio ego formalistas has duas actiones vno eodemq; momento orationis nempe ceu invocationis & gratiarum actionis, & percipiendi eucharistiam conjungere vel potius confundere velle, nisi cum pontificiis existimarent corpus Christ corporaliter existere in symbolis, etsi de modo existentiæ utrum per transubstantiationem an consubstantiationem *in*, *sub*, *cum*, an *trans* nondum definierunt, nec nos anxiè inquirerè volunt. Si dixerint non utriusque ratione, sed actus percipiendi causa solùm in genua se procumbere, ne inepti videantur vel illusores in cultu divino, nec aliud profitentur, ut supra probauimus, tum sequitur actum percipiendi solum hac honoris & adorationis nota & signo honorari. At actus percipiendi signo geniculationis honoratur, vel quia in illo actu occupantur circa corpus Domini realiter in symbolis existens vel quia fide apprehẽditur, velut in symbolis significatur & exhibetur. Si ratione priore, tunc eorũ ut Pontificiorum ἀρτολατρεία eadem. Non secunda, nam sequeretur vbicunque & quandocunque manducamus carnem & sanguninem Christi, fide apprehendimus, manducamus & bibimus, præsertim in cultu divino nos debere reverenter inclinari in genua & adorare, idque sub eadem pœna qua indicitur in eucharistia. At in promissionibus evangelii offertur, & nos fide appprehendimus, edimus & bibimus carnem & sanguinem Christi. *Primum hoc mihi monendus es lector*, (ait Petrus Martyr contra Gardinerum) *ne putes ex omni parte doctrinæ, cum ei habetur fides, sumi corpus Christi, dum enim aut recitantur comminationes de gehenna, aut provocamur ad misericordiam, aut narrantur impiorum hominum res gestæ, aut orbis creatio commemoratur, nec nostra communio cum Christo, nec Christi nobiscum proponitur, nec corpus Domini nostra causa ad mortem traditum describitur cum tamen ex illa quoque parte scripturarum lectores*

Col. 549.

& auditores plurimum ædificentur. Atque ita istæ quoque partes aliquo modo dici possunt panis & cibus animorum, quemadmodum Chrysostomus ait, quamvis propriè appellari non possunt corpus Christi. Et hoc illud est quod supra monui corpus Christi minus latè patere quà sacras scripturas. Pars illa scripturarum qua proponitur communio nostra cum Christo, vel corpus Domini nostra causa ad mortem traditum describitur, dici potest corpus Christi. Quandocunque in promissionibus Evangelii offertur Christus cum omnibus beneficiis suis, debemus fide apprehendere Christum, ejus sanguinem & carnem bibere. Petrus Martyr asserit part. 1 contra Gardinerum ad solutionem 32 objecti, sermonem de Eucharistia non institui capite sexto Evangelii secundum Iohannem. Sic Gabriel Biel, Nicolaus Cusanus, Cajetanus, Tapperus, Hessalius, Iansenius & alii Pontificii, ut fatetur Bellarminus de Eucharistia lib. 1 cap. 5. Augustinus tract. 25 in Iohan. ait. *Vt quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti,* & tract. 26. *Credere in eum hoc est manducare carnem ejus.* Et Bellarm. ait dicta hæc esse ab Augustino de fide incarnationis. Augustinus etiam de doctrina Christiana l. 3 c. 16, dicit illa verba, *nisi manducaveritis carnem filii hominis*, nihil aliud significare, nisi passioni Domini communicandum, & mente suaviter cogitandum Christi carnem pro nobis crucifixam. Sed in re perspicua non immorabor. Cum igitur in promissionibus Evangelii offertur nobis caro & sanguis Christi & prædicatione Evangelii crucifigitur, & exponitur nobis, nos fide apprehẽdere debemus, mãducare & bibere. At cum sic offertur caro & sanguis Christi in promissionibus & prædicatione Evangelii in genua non est procumbendum, nec illud urgent Formalistæ. Sequitur igitur illos geniculari ob participationem & manducationem non simpliciter fidei sed sacramentalem, & proinde vel coadorant tantum species sicut Pontificii, & adorant corpus Christi sub speciebus latens sicut coadoratur purpura cum persona Regis, vel ipsa symbola venerantur hac adorationis nota, id est adorant. Nam geniculatio est adorationis Deo soli debitæ nota & signum in sacra scriptura. Et propterea adoratio in symbola terminatur, in iis hæret & sistitur. Nam etsi propter aliud, rem ipsam significatam ejusque excellentiam honoratur, id fit consequenter & per redundantiam, per se tamen & ob suam sanctitatem extrinsecam qua ad sacrum usum dedicantur, sicut qui dat eleemosynam pauperi propter Christum & proinde utrovis modo committitur idololatria, Nam adorationem nullam vult dominus creaturæ communicari etiamsi honor resultat in ipsum Dominum ex adoratione creaturæ Non respectivam vel mediatam sed absolutam vult adorationem Dominus. Facessant ambages, cum occasio hujus instituti satis arguit ob reverentiam sacramenti indictam fuisse genuflexionem. In prima

reformatione Liturgiæ Anglicanæ regnante Edwardo 6, genuflexio in actu percipiendi Eucharistiam erat res libera, liquet ex regulis de ceremoniis in ordinatione Ministerii Ecclesiastici in Anglia apud Bucerum in scriptis Anglicanis. *Episcopus in celebratione cœnæ & administratione sacramentorum induat lineam aut Albam & Cappam vel Casulam, & habeat baculum pastoralem. Quantum ad genuflexionem, & consignationem signo crucis, elevationem manuum, tunsionem pectoris, & similes gestus, liberum erit cuique suam sequi sententiam.* Gardinerus, Bonnerus, & alii, ut conflarent odium in liturgiam, inter alia exprobrarunt, non debita veneratione & reverentia celebrari sacram cœnam. Pontificii multa minitantes in articulis suis petierunt, ut major reverentia deferretur sacramento. Ex adversa parte alii abrepti zelo editis libellis famosis sacramentum altaris vocarunt, *the sacrament of the helter*, id est, sacramentum capistri; alii, rotundum Robertum *round Roben*, alludentes ad rotundam placentulam seu hostiam; alii Iohannem in pixide, *Iack of the box.* Ne ista concertatio in nervum erumperet, ad demulcendum Pontificios Ridleius in concione habita ad ædem Pauli eo usque provectus est, vt plura non desiderarent Pontificii, & in secunda reformatione liturgiæ indicta genuflexio, addita hac ratione *ne prophanetur sacramentum.* Partim turbas metuebant, partim hallucinati sunt (nam in diluculo reformationis omnia non poterant viri illi alioquin magni discernere) quod non perspicerent genuflexionem in honorem & reverentiam sacramenti esse idololatriam, licet inferiorem illa crassa Pontificiorum ἀρτολατρείαν Roffensis qui quinto ab hinc anno scripsit tractatum de genuflexione in sacra cœna, ait, geniculandum ob venerationem divinorum mysteriorum. Magna, inquit, & tremenda mysteria magna humilitate mentis, & humiliatione corporis accipienda sunt. Notum est Patres sacramenta appellasse [illegible] μυστήρια φρικτὰ μυστήρια. Et ut tremenda viderentur, ritus occultabant à catechumenis & Paganis. *Illud verò cujusmodi est, quòd cum hoc sit religionis Christianæ proprium, vt clam nihil agat (Satanicum enim est lucem fugere) plerique tamen ex vetustissimis illis Christianorum sacra non aliter quàm Cereris mysteria quædam occultanda censuerunt, adeo vt ne Catechumenis quidem adspectandum admiserint & totam illam actionem in qua quicquid paucis & simplicibus figurabatur verbo suo clarè & ea lingua quæ ob omnibus intelligeretur explicato palam prædicari & promulgari voluit ac præcepit Dominus; sicut & ipsemet factitavit, in αἰνίγματι quædam & ne ipsis quidem mystis plerunque intellecta sacra transformarunt* Honorem tanquam religiosa habere possunt stuporem tanquam mira non possunt, ait Augustinus. In Canone Parasynagmatis nostri censuerunt sacram cœnam celebrandam cum genuflexione ad debitam æstimationem tam divini mysterii. Et quia in

Pag. 455.

Pag. 124.

Beza epist. 8.

in canone dicitur *mysterii* non *mysteriorum* putant hoc pacto se effugium invenisse. Ipsi tamen per mysteria nos fieri participes carnis & sanguinis Christi scripserunt. Sed Patres eucharistiam vocant mysterium. *Dicitur etiam antomasticè τὸ μυστήριον, aut numero multitudinis τὰ μυστήρια,* inquit Casaubonus. Si dixerint mysterii nomine intelligi participationem carnis & sanguinis Christi, quia illius mentio in verbis narrativis, vt loquuntur, Canonis, tunc ubicunque accipimus & manducamus carnem Christi, debita æstimatione tam divini mysterii debemus in genua procumbere, ut cum offertur in prædicatione & promissionibus evangelii. Nam tunc etiam ob reverentiam Dei præsentis in cœtu piorum tempore publici cultus, & debitam æstimationem tam divini mysterii, & memoriam unionis adeo mysticæ (nam his tribus rationibus in Canone nostro innituntur) in genua incumbendum esset. Basilius de publico cœtu, ait, in Psal. 18. *Assistunt verba describentes Angeli, adest & Dominus affectus intrantium considerans.* Origines ait, quod *Christiani omni die carnes agni comedunt, id est carnes verbi Dei quoti die sumunt.* Item, *Bibere dicimur sanguinem non solum sacramentorum ritu: sed & cum sermones ejus recipimus in quibus vita consistit, sicut ipse dicit, Verba quæ ego loquor Spiritus & vita sunt. Dicite mihi,* inquit Augustinus, *quid vobis plus esse videtur, verbum Dei an corpus Christi. Si verum vultis respondere, hoc vtique dicere debetis, quòd non non sit minus verbum Dei, quàm corpus Christi, &c. Quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi in terra cadere sua negligentia permiserit.* Item, *Christum prædicari per linguam, per epistolam, per sacramentum corporis & sanguinis ejus.* Sacramentum est verbum mutum & visibile, verbum est quasi sacramentum loquens, sacramentum auribus exhibitum. Verbo Evangelii tanquam semine incorruptibili regeneramur & unimur cum Christo. Tilenus in syntagmate, *Verbo Dei annunciato & fide percepto verè regeneramur, verè Christo inserimur, verè illud virtutem & potentiam Dei ad salutem omni credenti experimur, atque hoc pacto in communionem omnium quæ filius Dei nobis peperit, quæque per verbum illud significantur, beneficiorum societatem admittimur. Ita etiam visibile & palpabile illud verbum puta sacramentum eundem planè vsum nobis præstat duplici sicut verbum natura & essentia præditum.* Cum igitur non in verbo sed in sacramento geniculationem nobis obtrudunt, mysterii voce sacramentum intelligunt, sicut veteres (qui tamen in actu percipiendi eucharistiam geniculati non sunt) & proinde adorationem honorariam de geniculis deferri symbolis sequitur, ac si non satis debita æstimatione ceu veneratione acciperentur & manducarentur, nisi de geniculis. Vox *mysterium* in sacra scriptura significat quandoque totam doctrinam Christianam, & Apostoli vocantur dispensatores mysteriorum Dei, nempe verbi, & sa-

Exercit. p. 550.

In Genes. hom. 10.

In Num. hom. 17.

In l. 50. homiliarum. Hom. 26. tom. 10.

De trinit. l. 3. c. 4.

De sacram. natura thes. 30.

cramentorum, & totius doctrinæ Christianæ. Aliquando capita quædam doctrinæ Christianæ peculiariter ita vocantur, ut 1. Cor. 15 51. Ephes. 5. 32. 1. Tim. 3 16. Sed ecclesia jam inde à principio ferè *non solum in commune omnia religionis arcana nominavit mysteria & sacramenta, sed peculiariter doctrinæ illi quam De signis Augustinus & Lombardus appellant, Græci συμβολικὴν θεολογίαν eas dictiones accommodavit. Sacramenta enim μυστήρια nuncuparunt rerum invisibilium signa visibilia quæ Deus ipse in ecclesia sua instituit.* Non igitur respectu actus illius participationis carnis & sanguinis Christi simpliciter, sed respectu mysticæ participationis in symbolo genua flectunt, cum tamen percipiunt rem ipsam cum symbolis tantū fideles, impii & hypocritæ symbola tantum accipiunt & adorant omnes. Nec tunc primum datur nobis caro & sanguis Christi, sed cum efficaciter vocati & justificati; tunc dicitur dari & offerri nobis, quia quoties promissiones Evangelii explicantur, passio & mors Christi describitur, vel repræsentatur in verbo & sacramentis, toties invitamur ad actum fidei, qua primùm apprehendimus Christum ejusque carnem manducavimus & de sanguine hausimus, eliciendum, exercendum, & iterandum ad habitum fidei confirmandum. Illorum verba & phrases redolent carnalem præsentiam corporis Christi in symbolis acsi daretur in symbolis latés localiter corpus Christi. Sed quandoquidem illud non apertè profitentur, geniculationem tamen evicimus indictam ob venerationem sacramenti, ne prophanaretur. Crebrò habent in ore dictum, quod sequitur, formalistæ. Non possumus satis reverenter accipere sacramentum. Non negat Mortonus episcopus Cestrensis, sed respondet: primò, Num censetis non posse sacramenta prophanari. Prophanari possunt nomen Dei, veritas & res sacræ omnes. Nullus nostrum contrarium asserit. Cavendam dicimus prophanationem, & venerationem symbolis ut rebus sacris deferimus, reverenter & decenter accipiendo, tractando, deferendo ad os, manducando & bibendo. Sed an prophanantur, nisi etiam procumbamus in genua. Si indignè accipimus, manducamus, & bibimus, quia non geniculamur, tum prophanarunt veteres qui stando, ecclesiæ Apostolicæ quæ sedendo, Christus & Apostoli qui accumbendo celebrarunt. *Non contemnantur sacramenta, ut mania & vana signa, rursumque non illis plus tribuant homines, quàm ipsorum ferat institutio.* Pergit Mortonus, & ait, *Ecclesia nostra judicavit aptissimum, ut nos externa reverentia in modo percipiendi eucharistiam testaremur debitam æstimationem ejusmodi rituum, qui ad tam sacrum usum consecrati sunt, cujusmodi est communio corporis & sanguinis Christi.* His verbis habemus glossam perspicuam in Canonem Parasygnagmatis nostri. Videsne apertè & disertis verbis fateri ecclesiam Anglicanam indixisse genuflexionem in actu percipiendi eucharistiam ob debitam venerationem rituum sacrorum

Casaub. exer. pag. 553.

Loc. com. pa. 1111.

Defens. ceremonia p. 270

sacrorum, & proinde symbolorum, nam & symbola ad eundem usum consecrata sunt, & ritus sunt actiones circa symbola. Nam ritualis actio per se nulla esset veneratione digna multò minus adoratione de geniculis. Perinde est igitur, cum dicitur, ne prophanetur sacramentum, utrum symbola, an actiones circa symbola, id est ritus intelligas. Nam actiones absque symbolis ne cogitatione quidem separari, aut sacramentum fingi possunt corporis & sanguinis Christi. Sed ipsius Mortoni verba quæ præcedunt, indicant symbola ipsa simul intelligi, quia ait indictam geniculationem ad obstruendum os adversariis, qui symbola vocarunt *prophana elementa, panem pistoris, vinum Oenopolæ*. Sed remedium morbo nocentius, si morbus dicenda adversariorum malitia, & scandalum acceptum non datum. Non est committendum peccatum ob salutem fratrum infirmiorum, etsi omittenda quandoque quædam bona non necessaria sunt ad tempus, multo minus ad demulcendum hostes. Sic Huttonus ait eos geniculari ad statuendum discrimen inter panem communem & vinum, & sacramentalia, quibus majorem deferimus reverentiam, quia sunt amplius quid quàm communis panis & vinum commune, & ut alii sigilla majori veneratione digna sentiant. In genua inclinari ad testandum æstimationem ceu venerationem debitam symbolis aut ritibus symbolicis est communicare creaturæ signum proprium adorationis religiosæ soli Deo debitæ, & proinde idololatria. Si quis dixerit non existimare omnes geniculantes se committere peccatum, idololatriæ, quia non eo animo de geniculis accipiunt symbola, respondeo, possunt isti Romam proficisci, & è manibus ipsius Antichristi accipere corpus Domini sub speciebus, quia secreta animi intentione aliud intendunt quàm Pontificii, vt volunt isti Nicodemitæ. Sed sciant interpretativè coram Deo & hominibus se haberi idololatras. Nam in quavis ecclesia qui paret canoni, secundum mentem & sensum Canonis de facto & obedientia eius iudicandum est, & de privata intentione per publicam. Ismenias inclinans se coram rege Persarum ut levaret de terra annulum quem de industria è manibus excidere passus est, adorasse regem censebatur, licet hîc alia ratio inclinationis facile prætexi poterat, Sanè si de privata intentione judicare liceat, non dubito plerosque nulla habita ratione vel Dei vel sacramenti in genua procumbere, ut morem gerant Principi, & adorare illo situ nec Deum nec sacramentum, sed Regem. Athei, & sceleratissimi, quique ad hoc officium præstandum sunt primi & promptissimi, sequuntur Laodicæni. Sed non sic cum Deo ludendum. Non debet quis in cultu religionis in genua procumbere, nisi ob adorationem, & ob adorationem non ullius creaturæ quantumvis sacræ, ejusve honorem & venerationem, sed solius Dei. Nec potest legitimus usus hujus genicu-

lationis excogitari ab ulla ecclesia. Nam vel ob cõmoditatem situs corporis instituerẽt quod barbarę gentes non facerent, aut qui sensu cõmuni non destituuntur, vel ob adorationẽ eamq; civilẽ aut religiosã. Civilis hîc in cultu divino locum non habet. Oportet ergo ob religiosam. Religiosa vel defertur ad Deum vel ad symbola. Non ad Deum, nisi cum Deo ludere liceat, & lascivire in cultu divino; quia adorans de geniculis Deum, non debeo alia actione externa vel interna occupari & exerceri; ut supra dictum. At hîc in ipso actu percipiendi Eucharistiam, adorationem de geniculis imperare, esset duas actiones simul indicere. Oportet ergo adorationem ratine illius actus percipiendi Eucharistiam imperari, ut cum debita reverentia & veneratione accipiatur. At genuflexio est adorationis Dei signum & exterior nota, de religiosa loquor non de civili, Ergo, actus percipiendi symbola non est celebrandus cum isto signo, vel actus percipiendi rem signatam magis in symbolo quàm in verbo. Nam utrovis modo, fieret ratione symbolorum & rituum circa symbola. Nec negant Formalistæ, ut vides, hac ratione se de geniculis adorare, nec negare possunt, nisi velint in absurditatem illam incidere de adoratione Dei conjuncta cum alia actione, & profiteri se Deum irridere. In usu rerum tum temporalium tum spiritualium distinguenda sunt, & suis vicibus & ordine servanda ista tria, præparatio ad usum & sanctificatio, ipse usus, & post usum & perceptum fructum gratiarum actio. Sic præparamur ad usum cibi communis mensam consecrando & ad usum communem sanctificando, deinde utimur, post usum gratias agimus. Sic ad verbi prædicationem præparamur per preces & orationem: deinde utitimur attentè auscultando & mente percipiendo. Sic ad cœnam sacram præparatur totus cœtus per preces, deinde utimur, prout ut instituit Christus, post usum gratias agimus. In ipso usu singulos orare aut gratias agere, nisi per mentales ejaculationes quæ immisceri & debent & possunt omnibus nostris actionibus, est absurda ataxia, confusio Babylonica, & à Babylone primum orta. Imò plus quàm babylonica. Nam illi censebant, dum erant in usu, se Deum & Dominum ipsum in dente & ventre habuisse, dum de geniculis adorabant. Iam divulsa exteriori adorationis nota ab objecto ad quod in initio referebatur, in eodem actu adhuc retinetur, & simul adoratio de geniculis, & externa actio percipiendi symbola conjunguntur, mutato objecto, & proinde absurdius, nisi ad vitandam istam absurditatem disertis verbis faterentur se de geniculis adorare, ne sacramentum prophanetur, vel ob venerationem & æstimationem debitam ritibus & symbolis sacramentalibus, quia consecrati sunt ad usum sacrum, quod est idololatricum.

Sequitur tertia pars Liturgiæ Anglicanæ quam Rituale Anglicanum vocare possumus. Quæ de Eucharistiæ distributione dicta

sunt

sunt, huc etiam referri possunt & debent sed in sacra cœna habemus præterea missæ repræsentationem & formam, ideo Missale vocavimus. In Rituali Anglicano post cœnæ administrandæ ordinem sequitur, *Ordo Baptismi servandus in Ecclesia*, ubi agitur primum de baptismo publico deinde de privato. In Rubrica sic statuitur. *Cum die Dominico, aut aliquo festo infantes fuerint baptizandi, parentes eorum vel præcedenti vesperi vel mane ante initium matutinarum precum Ministrum* the Curate, *ejus rei admonebunt, & deinde susceptores* the godfathers and godmothers, *unà cum populo, & infantibus ad baptisterium*, the font, *parati sint, statim à finita posteriori lectione vel matutinarum, vel si commodius ministro videbitur, vespertinarum precum.* Publicum baptismum diebus dominicis reliquisque festis administrandum volunt, ut veterum consuetudinem quàm propè possunt, imitentur, sicut aiunt his verbis Rubricæ, *Ex vetustis scriptoribus apparet sacramentum Baptismi apud veteres duobus tantum anni temporibus, paschatis scilicet & Pentecostes vulgo ministrari solitum, quibus quidem temporibus publicè celebrabatur in præsentia totius Ecclesiæ. Hanc consuetudinem jam quidem exoletam, quamvis propter multas causas non posset commodè restitui, visum est tamen quàm proximè poterimus sequi.* Laudabilenè fuerat baptismi administrationem publicam restringere ad duo solennia tempora paschatis aut Pentecostes aut solius Paschatis, ut in Thessalia teste Socrate. *Aliam præterea consuetudinem in Thessalia esse cognovi, nimirum ut diebus festi Paschatis duntaxat baptizent. Ob quam causam omnes, paucis admodum exceptis, absque baptismate moriuntur.* Nullos fuisse statos dies baptismi Apostolorum ætate ait Cassander. *Nam initio cum Apostoli jussu mandatoque Christi provincias obirent, & Ecclesias ex gentibus ad Evangelii communionem accitis passim constituerent, adulti Apostolorum doctrinæ consentientes nullo temporum aut locorum delectu statim post fidei professionem ab Apostolis vel Apostolorum discipulis baptismi sacramento in Ecclesiam Christi cooptabantur, quanquam eo tempore infantes quoque præsertim ægros per baptismum Christi consecrandos oblatos fuisse credendum est. Postea verò per urbes & provincias Christiana plebe augescente, singulis locis certi Episcopi & inspectores ac curatores fidelis populi attributi sunt. Quare per omnes fere Ecclesias summo consensu receptum est ut statis tantum diebus, hoc est, instante nocte dominicæ resurrectionis, & sacræ Pentecostes solennibus ritibus, in Ecclesia tantum civitatis ab Episcopo & Præsbyteris baptismus administraretur, ut qui per annum ex Paganis vel Iudæis prædicatione & exhortatione præfectorum vel piorum hominum adducti, Christo nomen dare statuerant, sub illud tempus in civitatem venientes præceptis huius religionis voce catechistarum ad hoc institutorum imbuerentur, quæ institutio Catechismus dicebatur, id quod certis quoque diebus fiebat, qui Scrutiniorum dies vocabantur.* His statis

Hist. l. 5. ca. 21.

Expositio de auctor. consuetud. bapt. infantes.

tis diebus ad suscipiendum baptismum confluebat magna multitudo adultorum. Offerebantur etiam pueri & infantes. Sed nulla hîc ratio cur adstringi debuerat duobus tantùm anniversariis diebus Paschatis & Pentecostes administratio baptismi, aut cur in civitate potius quàm in suis Ecclesiis particularibus baptizarentur, aut quòd infantium baptismus unà cum adultorum baptismo iis statis diebus alligaretur. Sed cum Ecclesia jam incrementum non capiat ex infidelibus & cessat ratio, licet levissima, illius instituti, in quem finem ad hunc morem accedere conantur. *Cum jam vero Christiana religio totas provincias & nationes complecteretur, jamque omnes Christi fidem profiterentur, soli fere infantes à parentibus fidelibus ad baptismum afferri cœperint, quapropter observatio illa statorum dierum necessaria visa non est, eaque obsolescente, paulatim in omnibus nationibus Christiani nominis consuetudo quocunque tempore baptizandi tantummodo infantes, quam nunc in Ecclesia usitatam videmus, obtinuit, nisi quod Æthiopes in hunc usque diem baptismi officio Sabbatum vel dominicum diem assignant. Nonnullæ autem Ecclesiæ apud Græcos & Siculos Epiphaniorum diem huic sacræ actioni dedicabant*, ait ibidem Cassander. Quod in Rubrica baptismum quovis die dominico celebrari permittitur, probo. Nam dies dominicus veteribus, teste Chrysost. dictus dies panis & dies lucis *quia eo die in Ecclesiis sacramenta administrabantur. Nam dies panis eò dicebatur, quod administratio esset Cœnæ: dies lucis, quod baptismi administratio in eo observaretur. Nam Baptismum veteres φωτισμὸν appellarunt, diemque baptismi diem τῶν φώτων id est luminarium & baptizati νεοφώτιστοι dicebantur.* Quòd ad baptisterium attinet, idem quod de aliis sacramentorum vasis mensa calice & patina judicamus. Sunt ista necessaria ut vasa & instrumenta ad usum symbolorum sacramentalium, sed non sunt ex hoc usu sacratiora aliis locis aut vasis baptisteria aut fontes lapidei. In Concilio Meldensi, ceu Illerdensi decretum, *ut omnis Presbyter qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat quod extra Ecclesiam non deportetur.* Quod vas conveniens in hunc usum permiserint, bene est, sed quod extra Ecclesiam deportari vetuerint, superstitiosum. Baptisteria ipsa olim extra Ecclesiam. *Ex Nazianzeno orat 40 Paulino epist. 12 ad Severum & aliis antiquis decretis colligere licet olim hunc baptismi locum ab ecclesia separatum fuisse*, inquit Suarez. Sic etiam Durantus, *Antiquitus unum tantum per singulas urbes fontem sive locum quem baptisterium appellabant, propè maiorem Civitatis Basilicam maiores nostri condiderunt quod ad hæc usque tempora observatum Pisis, Florentiæ, Bononiæ, Parmæ & aliis plerisque Italiæ urbibus intueri licet in quo uno tingebantur iuvenes, senes, divites & pauperes.* Et infra, *Baptisteria moris erat extra basilicas extruere.* Et infra, *Post hæc baptisteria in Ecclesiis fieri ceperant prope νάρθηκα id est templi vestibulum.* Et sic in Anglicanis

Junius in Gen. cap. 2.

In 3 part. tom. 3.

De ritib. l. 1. c. 19.

glicanis Ecclesiis prope ostium habent fontem lapideum ad quem accedere oportet Curatum baptizaturum infantem, nec caret significatione ritus iste, nempe significans ingressum in Ecclesiam. Et fontem hunc sacrum existimant, alioqui frustra mutaret locum Curio. Nam faciliùs & commodiùs potest ex vase mundo aquam sumere absque ulla loci mutatione. Sed ut pro mensis introducta sunt altaria lapidea & fixa, sic pro vasis fons lapideus in baptisterium (nam baptisterium utrumque significat & fontem & locum ubi fons ille situs erat) & fontem hunc sacrum vocarunt, & regenerationis sacrarium. Sed de locis vasis & instrumentis divini cultus sæpius diximus ex usu sacra non esse, sed posse ad alios usus liberè converti. In Liturgia quæ exstat in scriptis Anglicanis Buceri stare jubentur susceptores cum infantibus ante ostium, ubi preces quædam concipiuntur, & alia quædam peraguntur, priusquam ingressi fuerint ad baptisterium. Tertio hîc observandum tempore officii horarii finita posteriori lectione vel matutinarum vel vespertinarum precum ministrandum baptismum, nulla concionis habita ratione. *Cumque*, ait Bucerus, *nec ad matutinas preces soleat Ecclesia coire, præstaret sane baptisma administrari statim à sacra concione cum frequentissima adhuc est Ecclesia, priusquam S. Cœnæ administratio incipiatur & ut veteres Ecclesiæ solebant, & hodie nonnullæ morem retinet.*

Cum susceptores unà cum populo & infantibus ad baptisterium parati adsunt, *minister interrogabit utrum infantes baptisati sint, necne. Quod si respondeat non esse baptisatos* tunc monet, ut Deum invocent, ut baptizati aqua & spiritu sancto recipiantur in sanctam Christi Ecclesiam, & ejusdem viva & vera membra efficiantur, quia Christus dixit neminem ingredi posse in regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. *Tunc dicet minister Oremus*, in precatiuncula ait, *& per baptismum dilecti filii tui Iesu Christi ad mysticam ablutionem peccatorum Iordanis fluvium, & reliquas omnes aquas sanctificasti.* Non Christi baptismus, sed institutio sanctificat aquas in hunc usum. *Servit hec loquendi forma superstitiosæ opinioni, quasi aquis vis quædam sanctificandi sit baptismati impressa; ut semper ad magicas rerum mutationes tradenda homines propendent: quod transubstantiationis cōmentum, &c. Adhæc, ut baptisma nobis sit sacramentū peccata abluendi, id meruit nobis Dominus non tantum certè suo baptismate in Iordane, sed &, ac multo amplius, baptismate crucis. Denique peccatorum ablutio quanquam ad eam conferendam baptismate aqua adhibeatur, tamen non aquæ hoc, sed Christi Domini opus est.* Deinde iterum orat nulla intercedente alia actione inter hanc & priorem precatiunculam. In hac precatiuncula ait, *ut accedentes ad sacrum baptisma tuum per spiritualem regenerationem, peccatorum remissionem consequantur.* Remissionem peccatorum ceu

Pag. 578.

non imputationem non consequimur per spiritualem regenerationem. Pro *accedentes* Bucerus voluit substitui *adducti*. *Tunc dicet Minister*, the Priest, *Audite verba Evangelii scripti per divum Marcum capite decimo*, nempe ver. 13 14 15 16. *Perlecto Evangelio hac brevi exhortatione vtetur minister super verbis Evangelii*. Finita ista exhortatiuncula 10 aut 12 versiculorum orat rursus paucis. *Tunc minister hac oratione ad susceptores vtetur*, ubi ait, *Itaque cum hac promissione Christus se obstrinxerit, infantes etiam istos per vos vades & fidejussores suos polliceri renunciaturos se diabolo & omnibus operibus eius, constanter fidem habituros in sancto Dei verbo, obedienterque eius mandata observaturos. Tunc Minister*, the Priest, *vt sequitur, susceptores interrogabit. Renuncias ne diabolo & omnibus operibus eius, inani pompae*, &c. *Responsum, Illis ego omnibus renuntio, minister, Credis ne in Deum patrem omnipotentem* &c. & percurrit articulos fidei. *Responsum, Omnia haec firmiter credo. Minister, Cupisne in hanc fidem baptizari? Responsum. Cupio.* Eadem habent interrogata ad infantes vel susceptores infantium nomine quae in veteri Ecclesia habebant ad adultos Catechumenos, quod quàm ineptum & ridiculum sit audiamus virum clarissimum Th. Bezam. *Sed longè maior fuit succedentium Episcoporum negligentia, qui quod eorum causa institutum erat, qui adulta aetate à Paganismo ad Christianismum post Catechismum transibant, ad Christianorum infantes postea transtulerant. Hoc an sit factum, si quis ambigat, consideret obsecro Baptismi formulam qualis ab vltima vsque vetustate accepta apud Papistas nunc etiam servatur, eo tantum excepto, quod paucula de suo adjecerunt, & peregrinam linguam, quae tum erat in Occidente & Meridie vulgaris, retinuerunt. Ibi enim qui baptizandi sunt, non tantum fidei rationem reddere sed etiam accedere iubentur, quod etsi postea nonnulli (inter quos est Augustinus) aliqua interpretatione excusare sunt conati, qui dixerint sponsores ipsorum infantium nomine compellari, & respondere, tamen quis non videt infirmum hoc esse commentum, vt quod per abusum qui ex adultorum baptismo in infantium baptismum irrepserat, obtinuerat, aliquo colore tegeretur? Quaeso enim, si non nisi praeeunte praesentis fidei sponsione, administrari debet baptismus (nisi enim id statuatur cur, obsecro, baptizandus infans, de fide sua compellatur?) quorsum properatur baptismus, ac non potius cum Catabaptistis, quod absit baptismum eousque differimus, dum baptizandus fidem suam profiteri possit? Neque vero dubito, quin hac Episcoporum negligentia, quos oportuit infantium baptismum ab adultorum baptismo, quod ad externas ceremonias attinet, baptismum diutius differrent, & id quidem non rectè.* Et epist. 12, *puerorum autem baptizandorum interrogationem non dubitamus ex eo invasisse Ecclesiam, quod Episcoporum negligentia retenta sit eadem in baptismo infantium formula quae initio in adultis Catechumenis vsurpabatur, id quod etiam ex aliis multis quae in baptismo papistico adhuc vigent, perspicere licet. Itaque*

Epist. 8.

sicut

sicut Chrisma & exorcismus, quantumvis vetusta, optimo jure abolita sunt, cuperemus quoque istam non modo supervacuam sed etiam ineptam interrogationem omitti, quamvis illam in epistola quadam Augustinus ipse aliqua interpretatione tueatur. Hunc Catechismum infantium irriserunt quidam & meritò, cum infantes, nec possunt in fide instrui, nec diabolo renunciare. Dionysius de Hierarch. Eccles. cap. ult ait quosdam irrisisse mysteria baptismi, quòd qui infantes offerunt pro eis abrenunciant, & fidei sacramenta profitentur, respondet. *Non quod, ut illi ridentes dicunt, alium pro alio divinis sacris initiet. Non enim hoc ait. Ego pro puero abrenuntio aut promitto, sed puer abrenunciat & profitetur id est profiteor* &c. Si dixerint infantes polliceri per vades & fidejussores suos se diabolo renunciaturos, &c. nec id fieri potest. Non potest quis pro fide aliena fidem jubere, aut certo affirmare parvulos rata habituros quæ eorum nomine spondet. In liturgia prima interrogabant ipsos infantes *N. puer abrenuncias* &c. & responderunt Patrini, sed eòdem res recidit. *Rationem in se nullam habet, ut roges eum, qui, quid dicas, non intelligit, & alius respondeat pro eo, quod ille perinde percipit, idque facias de rebus maximis, & quæ à propriis cujusque fide per omnia pendent, uti sane est renunciare Satanæ & studiis ejus & credere in deum. Solebant Marcionatæ, cum moreretur aliquis ex Catechumenis eorum sub lectulo mortui aliquē, abscondere, cumque mortuum interrogare, num velit baptizari. Illo vero nihil dicente, ut mortuo, respondebat ejus vice, qui latebat sub lecto se velle tum baptizabant hunc hominem pro mortuo,* ut refert Chrysost. in 1 Cor. 15. *Quantum differt ab hac Marcionatorum amentia infantium nostrorum catechismus, quo rogantur infantes & respondent eorum vice susceptores. Vivunt quidem infantes, sed tantundem intelligunt tam de interrogationibus, quæ fiunt ad eos per ministros, quàm de responsis quæ dantur, pro eis à compatribus & commatribus. Et hæc præpostera agendi ratio non parum dedit occasionis permultis, ut eò citius ad Anabaptistarum sectam inclinarent, vel quod ad pædo baptismum attinet,* inquit Bucerus. Sed quàm longè recesserunt ab ista amentia, quod jam rogantur susceptores hac forma verborum, *Abrenuncias, credis,* &c. Nam tantundem intelligunt de interrogationibus quæ ad compatres fiunt, quam de responsis, & eorum vice tum rogantur tum respondent susceptores. *Optarim igitur omnes illas hujus Catechismi, nescio cur ita vocati, interrogationes fieri ad ipsos compatres & commatres ad hunc vel similem modum, Vultis vos pro vestra parte dare fidelem operam, ut hic infans cum eò adoleverit, discat religionis nostræ Catechismum, eoque percepto renunciet Satanæ, & credere profiteatur in Deum patrem & filium* &c. Sed illi veterem & ridiculam illam formam retinent, licet infantes ipsos nomine non compellent, sed susceptores eadem forma interrogant, ut infantium vicem repræsentantes. Non de sua opera & officio rogantur, sed de fide infan-

Bucc. pag. 480.

Pag. 481.

tum abrenunciatione Satanæ &c. Rectè quidem Bucerus monuit mutandam formam interrogandi, si simul ad parentes interrogata dirigenda monuisset. Quod ad obligationem qua susceptores se obstringunt ad instituendos infantes, à responsione illa diversa est. Nam tunc non infantium sed suo nomine responderent, & symbolum recitarent non infantium nomine sed suo, ut testentur se veram fidem profiteri in qua instituturos se pollicentur infantes. Sed susceptores infantium nomine respondent, ideo manus suas imponunt capiti baptizandi, & nomine ejus symbolum profitentur, & in papatu orationem dominicam etiam recitant. Qui baptizabantur statis temporibus Paschatis & Pentecostes, distinguit Cassander in tres ordines ratione graduum ætatis. *Erant primo adulti, qui quòd ætatem haberent, ipsi pro se respondebant. Erant & pueri ea ætate, ut ipsi quoque per se acceptam Catechismi doctrinam hoc est Orationem dominicam & symbolum reddere possent, qui tamen patrinorum quos vocant seu susceptorum præsidio aliquo opus habebant. Quare cum ad confessionem faciendam consisterent, pedem suum susceptoris pedi imponebant. Erant tertio loco infantes & parvuli qui à susceptoribus dextro brachio gestabantur, & per ora gestantium solennem illam Satanæ abrenuntiationem & fidei professionem edebant.* Vides susceptores non nomine suo sed infantium respondisse. Liberi fidelium comprehenduntur in fœdere, unde fit ut participes etiam sint sigilli fœderis. Fœdus autem ictum est cum parentibus, qui fidem ex sua parte profitentur, & Deus profitetur se esse Deum parentum & seminis eorum. Fidei suæ professionem suo nomine edendo testantur parentes se esse in fœdere, & hac ratione non ratione fidei infantium infantibus ut semini suo sigillum fœderis petunt. Unde etiam sequitur parentes ipsos hanc fidei professionem debere edere, non alios, quia parentibus & eorum semini promisit Dominus se fore Deum, & infantes non sunt patrinorum semen aut liberi. Præterea incumbit parentibus cura & onus instituendi liberos jure naturali & obligatione divina. Susceptores ceu patrini nulla obligatione nisi voluntaria obstricti defunctoriè promittunt institutionem in fide & piam educationem infantium. *Stipulamur ab iis qui offerunt, ut adultos erudiant in ea fide in qua baptizantur; si nemo fidejubeat, propbanari baptismum certum est. Si vero promittant fidejussores, quod non est in eorum potestate, palam luditur Deus, præsertim, si hoc notum sit non seriò sed defunctoriè tantùm promitti. Nam si astutè fallunt culpa vacuus est Minister. Cæterum minimè dubitamus, non alios esse idoneos sponsores, nisi penes quos sit præstandi facultas, hoc est qui infantem habituri sunt in sua potestate, vel qui patris aut matris rogatu fidem suam Ecclesiæ obligant,* inquit Calvinus. Cum igitur susceptores, qui de fonte baptizatos suscipiunt eos non habeant in potestate sua, quomodo possunt obligare fidem suam Ecclesiæ, & recipere

Expos. de autor. consuet. baptiz. infant.

Epist. 149.

recipere in se educationem baptizatorum. Et quamvis parentum rogatu quis obligaret fidem suam Ecclesiæ, nisi renunciarent parentes juri suo & patriæ potestati (cui jure divino vel naturali non possunt) frustrà promitteret. Susceptores id est qui baptizatum de fonte susceperunt, Dionysius vocat ἀναδόχους. Iustinus quæst. 56 offerentes, Tertullianus de baptismo cap. 18. Sponsores, August. ser. 116 163 & 215 fidejussores epist 23 ad Bonifac. fidei datores vel, ut Durantus & alii fidei doctores, quia symbolum & orationem dominicam, atque ita fidem filios quos de fonte susceperunt, docere jubentur. In synodo Moguntina can. 47 vocantur compatres spirituales, & filiolos suos catholicè instruere jubentur. Higinus papa can. in Catechis. de consec. dist. 4 appellat patrinos. *Propterea hi patrini vocantur, quia dum regenerandos ad vitam novam offerunt quodammodo adiutores sunt ipsius regenerationis novæ*, ait Durantus. Ministerium istud suscipiendi è fonte baptizatum elogium patris non meretur, nedum patris spiritualis. *Ex hac igitur occasione*, nempe baptizandi infantes, *inventum est, ait Walafridus Strabo, ut patrini vel matrinæ adhibeantur, suscepturi parvulos de lavacro & pro eis respondeant omnia, quæ ipsi per ætatis infirmitatem confiteri non possunt. Pariterque debet spiritualis pater vel mater, ei quem de fonte regenerationis suscepit, cum ad intelligibilem pervenerit ætatem, insinuare confessionem quam pro eo fecit, ut qui aliena confessione, sicut paralyticus fide portantium meruit à peccatorum solui languore studeat saluti præstitæ vivere non indignè, & sua impleat executione, quod illorum confessus est ore, si non vult salvatione carere quam illorum meruit fide. Non autem pater debet vel mater de fonte suam suscipere sobolem ut sit discretio inter spiritualem generationem atque carnalem.* * Vides errorem ex quo orta sit patrinorum institutio, ex eo nempe quod putarent eum qui de sacro fonte levaret infantem suscipiens illum de manu sacerdotis esse patrem spiritualem, & nefas existimabant eundem esse patrem carnalem & spiritualem. Cum igitur tam putrido fundamento innitatur eorum institutio, ad utrumque errorem corrigendum parentes in suum locum restituendi sunt. Illi fidei professionem edere debent, quia fides est conditio fœderis ex parte parentum. Illi soli præstare possunt & debent quod sanctè promittunt de educatione & institutione in fide, quia soli habent liberos in potestate sua. *Si nossent susceptores*, inquit Elias Cretæ metropolitanus in responsis ad Dionysium Monachum de diversis ejus interrogat. lib. 3 juris Orientalis, *quæ à magno Dionysio definita sunt, & quatenus curam & sollicitudinem habere debent ejus, qui per spirituale lavacrum regeneratur, & ab illis suscipitur, vix quidem ad susceptorum munus prodirent etiam ardentius accersiti ceu invitati.* Cum itaque susceptores alii præter parentes hanc curam suscipientes negligentiores fiut & pro joco & ludo habeatur istud

Cap. 26.

* Sic Canone Anglicano 29 statutum. *Parentes liberorum suorum baptismati interesse non impellentur: neque etiam eisdem permittetur pro propriis infantibus ad sacrum fontē Susceptorum loco respondere. Præterea nulli susceptori aut susceptrici licitum erit aliis verbis in respondendo uti, quam quæ in libro publicæ liturgiæ hanc in partē sunt præscripta.*

istud officium sponsorum paternitas spuria germanam officio suo submovens, non est ferenda in Ecclesia. Non est in rebus seriis cum Deo ludendum aut periclitanda fides promissionum solennium coram Deo & Ecclesia. Eliguntur indigni & inepti qui rudimenta fidei in qua promittunt se educaturos filios suos spirituales ignorant, vel quibus gratificentur amicos vel vicinos. Recte quidem Bucerus interrogationum formulas mutandas monuit, si simul ad patres dirigendas cõsuluisset, quibus præcipue hoc onus educationis incumbit. Quæ de patrinis dicta sunt multò magis contra matrinas valent. De impedimentis matrimonii ortis ex imaginaria ista cognatione spirituali nihil jam dicam; cum Anglicana duntaxat examinare instituerim. Quæri potest an saltem adhiberi possunt, ut testes baptismi. Respondeo hoc quidem levius esse & tolerabile, sed tamen supervacaneum, si ordine & decenter omnia gererentur in ecclesia. Nam quid opus est testibus particularibus, cum nonnisi præsente totius ecclesiæ cœtu administrari debeat baptismus, & si forte oblivioni traderent fere omnes qui sunt membra ecclesiæ, tamen ordo ecclesiæ postulat vt quæ geruntur tanta solennitate, Presbyterii authoritate & cura consignentur tabulis ecclesiasticis, sicut & literis & monumentis baptizatorum nomina mandata fuisse memorat Cyrillus catechesi 1. Nec debent, si rite omnia peragerentur, ut dicet, nisi ecclesiæ cœtu ejusque Presbyterio præsente infantes publicè baptizari.

Post interrogata Minister petitiones quasdam recitat & singulis suum *Amen* subjicit. Deinde habet precatiunculam brevem, ubi habentur ista verba, *Concede vt omnes servi tui in hac aqua baptizandi accipiant plenitudinem gratiæ tuæ*, quæ verba usurpabant 2 Edw. cum singulis mensibus aquam in fonte mutarent. *Tunc*, id est finita precatiuncula, *Minister infantem in manus accipiens nomen interrogabit, & ipsum nomine compellans, in aquam cautè & circumspectè immerget dicens, N. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spritus sancti. Amen. Quod si infans infirmus sit satis fuerit aquam illi leviter infudisse, dicens ut supra.* Immersione an aspersione conferatur baptismus per se adiaphoron concedimus. Sed infantes præsertim in regionibus, ubi aer inclementior, immergi non expedit. In Liturgia quæ extat in scriptis Anglicanis Buceri sic celebratur hic actus. *Tunc Sacerdos accipiet puerum manibus & postulato ipsius nomine ter merget eum in aqua. Primò tingatur dextro latere: deinde sinistro: Tertio tingatur versa facie pueri ad fontem. ita tamen vt proinde fiat cum his verbis. N. Ego te baptizo. Si fuerit autem puer imbecillis sat erit infundere super ipsum aquam. Patrini autem imponent manus puero & sacerdos induet eum veste linea dicens, &c.* De veste linea nihil jam indicitur in Liturgia Anglicana. Trinam an vnam mersionem

P. 437.

observent

observent nec ne nescio. Vetustissima est trinæ mersionis ceremonia ad significandum tres personas trinitatis. Sed cum Arriani abuterentur ad significandum tres naturas, Gregorius statuit ut in Hispania una uterentur mersione. Pro regionum varietate una vel trina est hodie mersio in Papatu. In initio una tantum fuit mersio. Trina mersio in signum trium personarum est ceremonia significans à spiritu sancto non instituta in scriptura sacra. *Deinde*, nempe postquam baptizaverit, *facto crucis signo in fronte infantis, dicet, Nos recepimus* Angl. we receiue, recipimus *hunc infantem in cœtum gregis Christi, & illum notamus signo crucis, in testimonium quod ipsum posthac non pudebit confiteri fidem in Christum crucifixum & sub ejus signo contra peccatum, mundum, & Satanam viriliter pugnare, fidelemque eius ministrum & militem ad vitæ finem usque permanere. Amen.* De signo crucis statim differtabitur. *Tunc Minister*, the Priest, *dicet, Cum iam, Charissimi, isti infantes renati sint & insiti in corpus ecclesiæ Christi, gratias agamus Deo pro istis beneficiis, & vnanimi consensu Deum omnipotentem comprecemur, vt secundum hoc initium in vniversa reliqua vita dirigantur. Tunc dicetur, Pater noster qui es in cœlis, &c.* addit precatiunculam pro baptizato. *Denique susceptoribus convocatis minister hanc admonitionem addet, Quoniam infantes isti, &c.* admonet, ut meminerint officii sui esse diligenter curare, ut quàm primum per ætatem poterint, instituantur, quàm solenne votum quàm sanctam professionem per ipsos fecerint, &c. *Mandabit etiam minister, vt pueri ad Episcopum adddu cantur confirmandi, quam primum ediderint articulos fidei, orationem Dominicam & præcepta Decalogi, & in catechismo eum in finem promulgato, plenius aliquantum instituantur: prout in eodem præscriptum est.* De catechismo ceremoniali & confirmatione supra diximus.

Quod ad consignationem frontis baptizati per signum crucis sciendum est in liturgia Anglicana quæ extat in scriptis Anglicanis Buceri, præceptum ut ante baptismum & ingressum in ecclesiam consignarent, dum starent ante ostium, & primam partem actionis celebrarent. *Hic petat sacerdos de nomine pueri, quo indicato Patrinis imprimat signum fronti & pectori pueri dicens, N. puer, recipe signum sanctæ crucis tam in fronte quàm in pectore in testimonium, quod non pudefias confiteri fidem in Christum crucifixum & viriliter pugnes sub ipsius vexillo contra peccatum, mundum, & diabolum, & perseveres fidelis miles & servus vsque ad finem vitæ. Amen.* Verba ista non probat Bucerus, *non quod illa sanctum in se votum non contineant, sed quod jubentur dici ad infantem, qui ea non intelligit. Nihil tale docet scriptura, & scenica omnia ac ludicra debent ab his mysteriis abesse procul cum omni superstitione & specie magicæ applicationis. Optarim itaque ea verba mutari in formam precis eiusmodi. Da huic, O Deus, infanti, figmento tuo, sic meritum, ac vim excipere crucis filii Dei vt eius ipsum nunquam* P. 453.

pudeat

pudeat, semperque crucifigatur mundo, & ei mundus, depugnetque strenuè sub hoc signo contra peccatum, mundum, & Satanam, atq; perseveret fidelis in tua iustitia atq; obsequio usq; ad finem vitæ suæ. Signum ipsum tamen non indecens nec inutile existimat, *si adhibeatur, modo purè intellectum & religiosè excipiatur nulla nec superstitione adjuncta nec elementi servitute, aut vulgari consuetudine.* Frigida est & diluta ista censura, nec satis expendisse videtur huius signi usum vel potius abusum. Nec mirum, non enim potuit omnia discernere in diluculo reformationis. In Liturgia Anglicana postea reformata præcipitur, ut statim post immersionem vel aspersionem consignetur signo crucis in fronte, cum alia verborum formula, nempe, *Nos recipimus, &c.* De quo censuram venerabilis Presbyteri Theod. Bezæ audiamus. *Crucis verò consignatio etsi vetustissima est, tamen quid utilitatis afferat, sanè non video, & quamvis mirificè & prorsus ὑπερβολικῶς à Chrysostomo præsertim quasi quædam religionis summa commendatur, tamen quum neque authoritate verbi Dei, neque ullo Apostolorum exemplo (ἀπόκρυφα enim illa nihil moror) nitatur, id est, quum omni Dei verbo destituatur, nec sanè etiam ad decorum ullo modo pertineat. Denique cum maximè abominandæ superstitioni, & omnium horribilissimæ illi hyperduliæ crucis aditum primum patefecerit, multò minus velim illam inter ἀδιάφορα numerare, quàm æneum illum serpentem Ezechias: cuius quidem sanctissimi regis hac potissimum in re, evertendis crucis & crucifixorum idolis exemplum imitari Christianos omnes principes sanè oportuit.* Quatuor dicit contra crucis consignationem. Primo nihil utilitatis adfert. 2. omni Dei verbo destituitur. 3. ad decorum nullo modo pertinet. 4. aditum primum patefecit horribilissimæ hyperduliæ crucis. Vnde infert, etsi vetustissima sit, abolendã. Dei verbo destitui, Christi vel Apostolorum exemplo aut instituto, palam est. In canone 30 constitutionum anni 1603 de signo crucis in baptismo, ut legitima ejus ceremoniç ratio omnibus constare possit, regulas & observationes quasdam omnibus ecclesiç Anglicanç membris commendant. Primo observandum volunt, quod etiamsi Iudæi & ethnici Apostolos reliquosque Christianos irriderent, quòd eum prædicarent, in eumque crederent qui crucis morte esset affectus, tantum abesse, ut vel Apostoli vel reliqui Christiani crucis opprobrio seipsos passi sint à professione sua deterreri, ut in eadem exultandi potius & gloriandi animos inde sumerent. *Imo Spiritus sanctus per Apostolorum ora ipsum crucis nomen Iudæis utique invisum, usque adeo honoravit, ut non modo Christum ipsum crucifixum sub eodem comprehenderet, sed & mortis ac passionis Christi vires, effectus, ac merita unà cum solatiis, fructibus, ac promissis universis quæ nos ex eisdem aut percipimus aut in futurum expectamus. Secundo honor ac dignitas crucis nomini acquisita etiam & signo crucis vel ipsa Apostolorum ætate (neque enim contrarium ostendi potest) existimationem peperit honorificam, adeo ut Christiani haud*

Epist. 8.

haud multò post in cunctis actionibus suis eodem uti cœperunt, eo ipso palam & apertè testatum facientes (etiam ad stuporem Iudæorum) se minimè sibi pudori ducere, quod illum agnoscerent pro Domino & salvatore suo, qui crucis mortem pro ipsis pertulisset. Sic argumentantur. Spiritus sanctus per Apostolorum ora nomen crucis honoravit. Honor & dignitas crucis nomini acquisita etiam signo crucis existimationem peperit honorificam vel ipsa Apostolorum ætate. Crucis nomine metonymicôs Apostolus exprimit genus mortis ignominiosæ quam in cruce oppetiit, & hujus mortis ignominiosæ merita fructus & beneficia. Supplicium crucis erat atrox, ignominiosum & Dei ipsius ore maledictum Deut 21 23, Gal 3 13 quod subire oportebat Christum, ut nos à maledictione legis liberaret. Ideo non solùm passionem & mortem Christi simpliciter prædicat, sed mortem crucis in specie, quam crucem vocat figuratè, ut diximus. Num sequitur dignitatem ullam acquisitam nomini crucis propter significationem? Ex significatione propria quænam, quæso, dignitas accrescit voci. Mors significat idem propriè, & passio quod crux figuratê, num præterea ullus honor acquiritur nomini mortis aut passionis, quia mortuus aut passus Christus. Nobilis aliquis suspensus in patibulo non patibulo honorem, sed sibi ignominiam acquirit. Christus ignominiam pertulit & dolores in cruce quatenus crux est & per se, quod devicta morte & instrumentis mortis triumphavit, non cruci tribuendum. Crux, clavi, lancea mortis instrumenta & aculei sunt despicienda & contemnenda, ut hostium tela & arma post partam victoriam & celebratum triumphum. Deinde non sequitur à nomine ceu locutione figurata ad ipsum signum. Nam vocum & verborum significatio est necessaria ad exprimendos animi conceptus & res, quas significant. Signa realia & repræsentationes rerum per res, actiones, aut gestus mutorum sunt adminicula qui aliis modis sensa animi exprimere non possunt. Non sequitur igitur, voce crucis significat Apostolus genus supplicii quod pro nobis passus est Christus exaggerationis ergò ut atrocitatem supplicii evidentius exprimeret. Ergo & crucis figuram ad eundem finem, nempe genus supplicii exprimendum in aere digito pingendam vel super frontem, multò minus honorificè æstimandam, cum ne ipsam vocem propter significationem veneremur. Quod dicunt Apostolorum ætate honorificam fuisse existimationem huius signi tam facilè rejicitur quàm asseritur, Vbi petunt contrarium ostendi januam traditionibus ἀγράφοις aperiunt. Sufficit ab authoritate sacræ scripturæ argumentari negativè. Nec institutum nec exemplum ullum habemus Apostolorum, aliorumue Christianorum ævo Apostolico, nec statim post Apostolorum tempora. Tertullianus quidem suo sæculo usurpatum hunc ritum refert in libro de Corona militis, cum ait, *Ad omnem*

progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, & calceatum ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quacunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Et lib. 2. ad uxorem *Latebisne tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas.* In lib de Coron. Militis numerat inter observationes inveteratas, sed ut alia ejusdé farinę de quibus constat ab Apostolis tradita non fuisse ut prægustatio lactis & mellis in baptismo, abstinere per integram hebdomadam ab omni lavacro post baptismum, trina immersio, die dominico non jejunare, nec de geniculis adorare, Eucharistiam & victus tempore & cœtibus antelucanis non nisi de præsidentium manu sumere. Mos iste usurpatus tum cum superstitiones aliæ complures in Ecclesiam irrepserant, ut patet ex enumeratis illis traditionibus quarum quædam apud ipsos Pontificios cessarunt. Qui Patrũ nęvos occultare cupiunt, dicunt veteres Christianos hoc externo crucis signo sese consignasse, ut publicè testarentur coram Ethnicis se Christianos esse, nec probrum ducere crucem Christi Iudæis scandalum, gentibus stultitiam. Hanc quidem rationem affert postea Cyrillus Hierosolymitanus, *non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidentes signaculum crucis digitis imprimamus.* Et Augustinus, *In fronte illam figat, ubi sedes pudoris est, ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur, unde non erubescitur.* Sed Tertullianus nec unicã nec præcipuã hanc causam usurpati hujus moris reddit. Nam ait ad omnem progressum atque promotũ, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, frontẽ sese terere signaculo crucis, & proinde sive aderant infideles sive non aderant & in propatulo & in occulto. Nonne etiam lectulos signabant? Affictã potius postea hanc rationẽ existimo non tam ipsius signi quàm frontis signati respectu. In hunc finẽ potius adhibuissent signũ permanens in materia aliqua in fronte gestando, sicut Iudæi phylacteria quàm signũ transiens, si hęc fuisset ratio. Sed zelo absq; scientia, etiã si hæc vera causa, abreptos non dubito. Nam non adstringimur ad profitendum fidem Christianam semper & ubique corã hostibus fidei & infidelibus. Sæpius occultanda veritas & ad tẽpus ejus professio intermittenda, ne coram canibus & porcis projiciamus margaritas, aut veritatem ludibrio, nosmetipsos periculo exponamus. Multo minus professionis notas externas & insignia à nobis ficta ostentare coram infidelibus nondum edoctis mysteria religionis Christianæ debemus. Nam hoc pacto vel irritabant infideles, & in rabiem verterunt, vel majori ludibrio Christianam religionem exposuerunt, & offendiculum coram infidelibus posuerunt qui propterea Christianos *crucis religiosus* appellabant, ut refert Tertullianus, quia hoc signum religiosè in omnibus fere actionibus usurpabant. Erat scandalum datum. Nam in re non necessaria neque instituta a deo occasionem impingendi prębuerunt. Si usurpati hujus

Cap. 11.

Catech 13.

De verb. Domin. ser. 8

ritus hæc vera causa, sequeretur invectum fuisse studio contendendi cum ethnicis qui crucem Christi exprobrarunt Christianis. Fulco ait partim studio contendendi cum ethinicis partim æmulationis & certandi cum hæreticis usurpasse hunc ritum. In Annotationibus in Luc. 24. Valentinum hęreticum primum auctorem colligit ex Irenæo l. 1 c. 1. Valentinus Æonem crucis sine figura fuisse dicit usque ad Christi adventum & vim purgativam habere. Sed sive studio contendendi cum ethnicis sive æmulandi, sive ut signum memoriale passionis primum usurparint, in ipsis incunabulis superstitione multiplici inquinatus fuit, ut patet ex verbis Tertulliani. Ideo quæ sequuntur in Canone Anglicano ultro concedimus, nempe, *Hoc Crucis signū non modo ipsi, idque cum ostentatione quadam solebant adhibere, quoties Iudæis passim occurrerent, sed & liberos suos cū baptismatis aqua abluerentur eodem signari faciebant, ut eos per crucis symbolum illius servitio dedicarent, cujus in baptismo collata in ipsos beneficia crucis nomine essent repræsentata.* Tertulliani & Cypriani ævo baptizati ungebantur. Oleum simplex vel mixtum ceu Chrisma cum crucis signo imprimebatur, unde unctio ista post baptismum dicta signatio, & consignatio. Hinc est, quod ait Tertullianus, *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur ut anima muniatur.* Sic Cyprianus, *Vngi necesse est baptizatum*, & epistola ad Iubaianum de hęreticis baptizandis ait opus esse ut qui in Ecclesia baptizantur, *signaculo dominico consummentur.* De Novato dictum, *quod reliqua consequutus non est post morbum quæ juxta Ecclesiæ Canonem consequi debebat obsignationem videlicet ab Episcopo collatam: Quum autem illa potitus non sit, quomodo spiritum sanctum est consequutus.* Cornelius Novatum in lecto baptizatum cum in gravem morbum incidisset, putat non accepisse spiritum sanctum, quia post baptismum non obsignatus. *Sequitur*, inquit Ambrosius, *spirituale signaculum, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis spiritus sanctus infunditur.* Vnctio chrismatis baptismo haud aliter ferè atque calix sanguinis domini corporis dominici sacramento conjungebatur. Et quemadmodum baptizati Chrismate ab Episcopo confirmari, ita quoque qui corporis dominici sacramentum acceperant, ab Episcopo, Presbytero, vel Diacono calice sanguinis domini cōfirmari dicebantur. Confirmatio Chrismatis auctarium quoddam sacri baptismatis habita fuit. Confirmatio Chrismatis, quæ per Episcopum fiebat post baptismum (nam baptizati omnes in civitate temporibus statis Paschatis & Pentecostes) contempta aut neglecta saluti officere credebatur. Non statim neque immediatè post immersionem aut baptismū adhibebatur, sed aliquot ceremoniis interjectis, ut putat Cassander. Honorius Augustodunensis octavo demū die baptizatos mitras deposuisse, & ab Episcopo in fronte consignari consuevisse refert. Tantum temporis intervallum

De resur. carnis
l. 2. ep. 2.
Euseb. hist. l. 6. c. 42.
De sacram. li 3 cap. 2.

tervallum interjectum in initio non videtur, ut supra observavimus capite 5. Cum crescente fidelium numero Episcopus preses plificata dignitate, prolatata ditione, & aucta potestate non poterat omnes baptizatos in civitate confirmare, quia nec omnes ad civitatem confluere poterant, nec potuit ille ad singulos baptizatos in pagis & villis excurrere ad confirmandum chrismate, statutum dicunt à Sylvestro Pontifice, ut in omni baptismo Presbyteri statim in vertice inungerent & signarent, ne forte absque unctione omni chrismatis morerentur, priusquam adveniret Episcopus qui in fronte signaret. In Alexandria tamen & Ægypto consignabat Presbyter, non expectato Episcopi adventu. Ista confirmatio quæ Tertulliani & Cypriani ætate conjungebatur cum baptismo ejusque quasi auctarium erat, adeo necessaria habebatur, ut qui eam non consecutus esset, spiritum sanctum nondum accepisse sentiebant non absque summa injuria in baptismum. Cum igitur exemplo Patrum tuentur Anglicani consignationem post baptismum, sciant primum consignationem illam non fuisse absque unctione, & parem fuisse utriusque vetustatem & necessitatem. Si igitur unum recipiunt, restituant & alterum. Imo restituant etiam albas vestes, prægustationem lactis & mellis, & similia. Secundo non sic fuisse ab initio. Nam Iustinus describens ritus baptismi, ut profitetur & pollicetur, accuratissimè, neutrius meminit, nec unctionis nec signationis post baptismum. Tertiò non sunt imitandi veteres in tam manifesta & aperta injuria in sacramentum baptismi à Christo institutum crucem oleosam cum aqua baptismi in eodem solio collocantes. Chrisma adjectum quod eo tanquam visibili signo spiritus sanctus designaretur. Quia non descenderant linguæ igneæ in baptizatos, & dona visibili aliquo signo ut tempore Apostolorum, excogitarunt chrisma quo tanquam visibili signo designabant spiritum sanctum descendentem in baptizatos. Quòd quam ridiculum, & ineptum, ne quid gravius dicam, socors est, qui judicare nescit. Chrisma autem, ut dixi, non imprimebatur absque signo crucis. *Omnia chrismata sacerdotalis ministerii figura crucis perficiuntur.* Hæc autem unctio præcipuè crucis signum exigebat, & autonomasticè consignatio dicitur. Quarto istud baptismi auctarium, quod Tertulliani & Cypriani ætate conjunctum erat cum baptismo tum adultorum tum infantium, postea sub Papatu ab eodem avulsum & peculiare sacramentum Confirmationis constitutum est, & chrisma simul cum consignatione frontis externũ ejus symbolum constitueruut. Nam in confirmatione hac verborum formula utuntur, *consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine patris & filii & spiritus sancti.* Angli hæc duo divellunt. Signum crucis in baptismi auctario retinent, & proinde veterem confirmationem, & aliam

De consec. dist. 5 ca. 10.

aliam nihilominus confirmationem habent à baptismo avulsam interjecto septennio aut decennio, vel majori intervallo temporis. & sic duas habent confirmationes, quod hucusq; non auditum in Ecclesia. In confirmatione solum dicunt Episcopi manus imponentes, *Defende Domine hunc puerum cælesti gratia, tuus, ut semper maneat, quotidieque magis tuo sancto spiritu augeatur, donec ad æternum regnum perveniat.* Amen. Reliqua in baptismi auctario habent *Nos recipimus hunc infantem in cœtum gregis Christi, & illum notamus signo crucis in testimonium, quod ipsum posthac non pudebit confiteri fidem in Christum crucifixum, & sub ejus signo contra peccatum mundum & Satanam viriliter pugnare,* &c. Quæ verba (exceptis prioribus, *Nos recipimus hunc infantem in cœtum gregis Christi* de quibus infra) ad confirmationem referenda sunt, si sibi constarent, ut patet ex Rubricis & precatiunculis confirmationis in libro liturgię, ubi in confirmatione per impositionem manuū & orationem vires & defensionem accipere se dicunt contra insultus peccati, mundi, & diaboli & armari ad pugnam spiritualem, quod in baptismi auctario profitentur. Et hæc omnia referunt ad confirmationem Pontificii, sicut à baptismo eam avulserunt. In baptismo autem Presbyter non consignat vel inungit chrismate frontem nec cum tali verborum formula aut sensu de constantia in professione fidei aut pugna spirituali. Sed postquam baptizavit statim *intingit pollicem in sacro Chrismate, & ungit infantem in summitate capitis in modum crucis dicens, Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & spiritu sancto, qiq; dedit tibi remissionem peccatorum,* hîc inungit, *ipse liniat te chrismate salutis in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam.* ℟. *Amen.* Sylvestrum dicunt instituisse ut Presbyter baptizatum illiniret chrismate in vertice, ne si inexpectata mors accideret, baptizati absente Episcopo sine hac saltem ceremoniali unctione vita fungeretur. Illa unctio quæ fit postea ab Episcopo ab ista ceremoniali differt, inquit Durantus, qua *ad altum effectum est instituta, neque baptismi aut alterius ullius sacramenti est ceremonia, sed ipsa confirmationis essentia.* Vides Præsules Anglicanos nec veterem Tertulliani & Cypriani ævo formam confirmandi servare, nec recentiorem Pontificiorum, sed veterem dividere, vel potius ex una duplicem confirmationem constituere, vnam ut baptismi complementum & auctarium retinere, alteram à baptismo disiungere interjecto plurium annorum intervallo. Quintò, expendenda & illa verba Canonis Anglicani, *ut eos per crucis symbolum illius servitio dedicarent, cuius in baptismo collata in ipsos beneficia crucis nomine essent repræsentata.* Non in hunc modum loquuti veteres illi de signo crucis post baptismum. Nam sentiebant dedicatos, priusquam ventum ad consignationem crucis Chrismalis in fronte. Ad confirmationem prius baptizati, & dedicati

Ritual. Rom. p. 22.

De ritib. lib. 1 c. 19.

dedicati, ut dictum, hoc signo externo vtebantur. Hic tamen vides, vt disertis verbis profitentur infantes per crucis symbolum dedicari servitio Christi. Mortonus humanam dedicationem ait esse duplicem, unam declarativam per modum protestationis, aliam consecrativam per consecrationem. Si quis voto vel promissione Oratorium aut capellam à communi usu segregaret ad cultum divinum, eique assignaret, dicitur dedicatio per protestationem. Deinde propter solenniorem appropriationem ad cultum divinum requiritur consecratio episcopalis, ut per preces aliasque ritus religiosos locus ille publicè dedicetur eidem cultui, & hæc dicitur dedicatio per consecrationem. Sic ait infantem dedicari Deo per consecrationem in baptismo gratiæ sacramento secundum verba formalia institutionis. Sed dedicatio quæ fit per signum crucis, non fit per ullam propriam consecrationem Deo, vel tesseram gratiæ à Deo acceptæ per eiusmodi signum, sed tantummodo declarativum testimonium officii quod postea baptizatus præstare debet per constantem & visibibilem professionem Christianæ fidei, & tantum differre quantum sacramentalis stipulatio cum Deo, & moralis repræsentatio aut potestatio coram hominibus. Respondeo, dedicationem loci quam ille vocat *per protestationem* præcedere judaicam illam episcopi consecrationem vel simplicem benedictionem. *Ecclesia potest esse sufficienter dedicata divinis officiis*, ait Suarez, *etiamsi benedicta non sit*, multò magis etiam si non sit consecrata chrismate. Per solam deputationem extrinsecam potest ad ministeria sacra & celebrationem cultus divini destinari, & à prophanis usibus segregari absque Chrismate consecrationis, aqua benedicta, aut precibus consecratoriis. Protectio à dæmone, impetratio præsentiæ divinæ ad audiendas preces etiam privatas in illo loco deputato magis quàm in alio non dedicato & similia quorum causa dedicationem consecrativam adhibent, sunt superstitiosorum figmenta. Sed admittamus utramque dedicationem locorum declarativam & consecrativam. Declarativa fit per Dominum declarantem verbis vel con signatis tabulis alienationem ceu resignationé loci in usum cultus divini. Recipit ecclesia & consecrat locum Deo ejusq; cultui. Declarativa hîc præcedit non sequitur consecrativam dedicationem. Parentes afferunt liberos suos ad baptismum, & declarant se eos segregare ab infidelium numero ad cultum religionis Christianæ, nec velle eos ad cultum alium abducere, petit igitur recipiant, & dedicent per preces & ritus sacramentales baptismi, quibus recipiuntur membra ecclesiæ & initiantur in sacram militiam ceu in numerum militum cooptantur, id est, petit dedicationem consecrativam. In rituali Romano sacerdos quærit à Susceptoribus ceu Patrinis stantibus ante ostium *quid petis*? respondet, *Fidem*. Deinde post exorcismum & ritus alios celebratos,

De relig. tom. 1 pag. 361.

librados, *Sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem & introducit eum in ecclesiam dicens, N. ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam æternam. Amen. Cum fuerint ecclesiam ingressi sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicet, Credo in Deum, &c.* Et sic progreditur ad baptismum. Sic in Liturgia quæ extat in scriptis Anglicanis Buceri, stant ante ostium, dum precibus quibusdam aliisque ritibus absolutis recipit infantem, *Tunc sacerdos apprehensa dextera pueri unius, quem alii sequentur ingrediatur in ecclesiam & accedat ad baptisterium dicens.* Deinde progreditur in baptismum. Hic videmus dedicationem declarativam parentum additis quibusdam frivolis ritibus recipientis, & dedicationem consecrativam per baptismum. Post dedicationem consecrativam præposterè, inepte, & imperitè instituitur alia dedicatio declarativa. Nec in ulla quæ unquam extitit liturgia post baptismum habentur ista aut similia verba, *Nos recipimus hunc infantem in cœtum gregis Christi.* Nam protestatio ista ceu professio post baptismum in protestatione baptismi ipsius comprehenditur, nec post istam dedicationem per modum protestationis quæ sequitur baptismum, sequeretur alia dedicatio consecrativa. Præterea in utroque stipulatio fit Deo coram ecclesia. Dedicatur militiæ sacræ & servitio Imperatoris summi licet coram ecclesia. Promittit Deo idque profitetur coram ecclesia se pugnaturum contra mundum, &c. Præterea baptismus est dedicatio non modo consecrativa sed etiam declarativa per modum protestationis. Nam hoc symbolo non modo initiamur & consecramur, sed etiam protestamur ceu publicè testamur nos esse membra ecclesiæ, militiæ Christi nomen dare. Denique quis instituit signum crucis ut sit tessera militum Christi. Solius Imperatoris est præscribere & determinare qua tessera distinguendi sunt ipsius milites. Vivo Imperatore nemo alius signum militare potest aut debet determinare. Miles vicissim non aliud sibi eligit, sed hoc signum suscipiens obstringit se duci jurejurando præstito se non deserturum eum in prælio, nec sacramentum abjecturum, id est tesseram. Verba igitur Canonis, *& symbolo honorifico per quod infans illius obsequio qui crucis mortem subiit in perpetuum votus esset & mancipatus*, confirmanda fuissent authoritate aliqua scripturæ. Nonne detrahitur baptismi symbolo officium suum & tribuitur symbolo ab hominibus institutio? Baptismus introducit in Ecclesiam & mancipat baptizatum obsequio Christi, & propterea dicitur sacramentum quasi sacrum juramentum. Usurpat igitur officium sacramenti cum introducendi officium arrogat. *Etiamsi sacramenta vetera*, inquit Bellarminus, *non efficiebant gratiam justificantem tamen efficiebant legalem munditiam & introducebant in populum Dei. At nemo potest determinare aliquid ad legalem munditiam efficiendam aut ad introducendum*

Pag. 17 18.

Pag. 456.

De sacram. l. 1. cap. 18.

in certam rempublicam, nisi qui author est illius legis & Reipublicæ. At author legis & Reipublicæ Christianæ non determinavit signum crucis ad introducendum aliquem in Rempublicam Christianam, nec in ullum alium usum. *Quæ enim scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri*, ut dicitur in decreto Gratiani part. 1 dist. 11 c. 5. Sed fortè dicent se hoc symbolo non introducere baptizatos in Ecclesiam, sed receptum esse in gregem, postquam baptismum susceperit, crucis signo nondum superveniente, & proinde non potestate aliqua quæ signo crucis affingitur, ut explicant sententiam suam in canone 30. Verum est verba illa, *Nos recipimus hunc infantem in cætum gregis Christi* præcedere verba illa, *& illum notamus signo crucis*, sed prænotatur in fronte signo crucis ante prolata illa verba posteriora, imo dum recitantur verba institutionis vulgò signant, quod non negat Mortonus, licet ineptè hoc facere & imperitè dicat. Tamen si quis post prolata verba institutionis signaret, dum ait *Nos recepimus* &c. nec ineptè nec imperitè facturum diceret, sicut pleríque faciunt. Si non hoc symbolo recipitur infans, cum dicit *Recipimus*, cur ait *recipimus* post baptismum, & non potius *recepimus*. Sicut Mu[illegible]ketus in latina editione, ut à reformatis Ecclesiis & Pontificiis occultaret istud mysterium, reddidit Anglicana verba, *We receiue nos recipimus*, in præterito tempore *nos recepimus*. Sed pergamus ad alterum officium consignationis crucis, nempe dedicandi & mancipandi obsequio & sacræ militiæ Christi cujus mors hoc symbolo repræsentatur, his verbis, *notamus illum signo crucis in testimonium* vel signum ceu symbolum token *quod ipsum posthac non pudebit confiteri*, &c. id est hunc infantem recipientes in cætum gregis Christi notavimus signo crucis, ut vidistis spectatores, in signum ceu testimonium, quod non pudebit ipsum confiteri fidē & pugnare adversus &c. id est hoc signo dedicamus & mācipamus obsequio & militię Christi, imo hoc symbolo certiores reddimus quod non pudebit &c. confiteri & pugnare, & permanere fidelem militem ad finem usque vitæ. Et hunc esse verborum sensum probat Parkerus ex verbis epistolæ quæ legitur dominica 22 post Trinitatem sumpta ex Phil. 1 6. *Persuasum habens per ipsum, fore, vt qui incepit in vobis opus bonum persiciat vsque ad diem Iesu Christi*, & ex simili in confirmatione. Nam in confirmatione *per impositionem manuum & orationem vires & defensionem accipiunt contra omnes insultus mundi & diaboli*, ut dicitur in Rubrica ante Catechismum. Minorem virtutem tribuere signo crucis, quod Hookerus *sacrum signum*, & canon Anglicanus *honorificum symbolum* appellat, quàm impositioni manuū in confirmatione non est verisimile. Imo crux ista nihil aliud est quàm symbolum confirmationis à Chrismate separatum, quod in baptismi clausula & complemento adhibebant veteres illi quorum

De cruce part. 1 p. 34

authe-

authoritate ceremoniam istam tuentur, frontis signationem dicit Bellarminus esse manus impositionem. *Bis enim Episcopus manus confirmandis imponit, ut ex pontificali Romano intelligi potest, semel cum super eos manus extendit atque orat & rursum cum signat in fronte atque ungit. Ipsa enim unctio & signatio cum manu fiat, manus impositio rectissimè dicitur.* *De confirmatione cap. 2.* Et patres *qui hoc in loco dicunt per impositionem manus dari spiritum sanctum, iidem alio loco dicunt dari per unctionem Chrismatis & aliquando utrumque simul conjungunt.* *Cap. 9.* Tertullianus *libro de resurrectione carnis tractans hunc ritum, dicit carnem ungi, signari, & manus impositione obumbrari, tamen in libro de præscriptibus, solum exprimit signari in fonte.* Utcunq; hoc certum unctioné chrismatis in fronte baptizati factam cum figura crucis, & Bellarminus dicit unctionem chrismatis ad crucis figuram in fronte iam esse materiam proximam sacramenti confirmationis. Et causam reddit ex Augustino, cur in fronte accipitur hoc sacramentum, *quia frons est locus pudoris. Datur autem hoc signaculum, ut non erubescamus dominum confiteri, etiam coram persequutoribus.* *De Confirm. cap. 8.* Eusebius de Episcopo quodam sic refert. *Qui Episcopus eum baptismi sacramento illuminavit, postea verò sigillo domini tanquam perfecta & tuta ejus animi custodia obsignavit.* *Hist. l. 3 c. 17* *Ubi apertè loquitur*, inquit Bellarminus, *de sacramento Confirmationis quod est sigillum dominicum in fronte impressum, & custodiam præbens per gratiam quam confert.* *Cap. 3.* Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum ait, *At si tu per baptismum te ipsum obfirmaveris, ac præclarissimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet & corpus unctione & spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo primigenosque tuente cruore: quid tibi accidet.* Ex his patet consignationem ctucis baptismo conjunctam, quam imitari se dicunt Angli, fuisse confirmatoriam & certificatoriam. Quod si vel aliam confirmationem præter istam, sicut nunc habent Angli, veteres illos Cypriani & Tertulliani ævo habuisse probare possunt formalistæ, aut consignationem frontis aliam post baptismum ceu cum baptismo conjunctam quàm istam confirmatoriam, aut post avulsum istud auctarium à baptismo, interrecto plurium annorum intervallo, ut in papatu, retentam nihilominus frontis consignationem, præsertim in hunc usum, nempe in testimonium vel symbolum constantiæ in fide & pugna spirituali, aliquid dicerent. Fateantur igitur etsi more Pontificiorum habeant confirmationem avulsam à baptismo, retinere se nihilominus vel potius, restituisse, sed ineptè, absurdè, imperitè, post avulsionem, veterum illam confirmationem, cum utramque nulla unquam Ecclesia ab initio postquam invecta est ista consignatio, celebrarit. Sequitur igitur ex dictis consignationem crucis in fronte baptizati esse sacramentum, signum certiorem reddens baptizatum de spiritus sancti gratia animam roborante contra impetus diaboli, præsertim

tim tempore persecutionis, ad constanter profitendum fidem. Et ideo verba illa *in testimonium quod ipsum posthac non pudebit ipsum confiteri* &c. indicant effectum hujus sacramenti, nempe fore ut posthac non pudebit confiteri, & pugnare, & permanere militem, &c. non autem simpliciter officium, nempe quod non debeat erubescere etsi hoc quoque includitur in effectu. Et verba illa *in token* reddi possunt, & hîc reddi debent, ut ex circumstantiis & quæ modo ostendimus, colligitur, *in argumentum, pignus, indicium, ἀσφάλισμα*, baptizatum constanter professurum fidem & præliaturum. Nihil hîc deest de sacramenti definitione. Si confirmatio Anglicana sit sacramentum, quod puto me supra evicisse, certè & ista consignatio erit sacramentum, de gratia spiritus sancti, ejusque virtute & assistentia infallibili certiorem reddens baptizatum, Et proinde falsum, quod supra dixit Mortonus esse dedicationem declarativam tantum per protestationem, vel testimonium declarativum professionis. Esto, profiteatur hîc baptizatus aut ejus vice alius se præliaturum, & permansurum militem fidelem Christo, & ipsum dicare sese militiæ Christi, sed dedicatur consecrativè etiam per ministrum externum symbolum conferentem & tesseram sacramentalem gratiæ spiritus animam custodientis & munientis, ut Tertullianus & Nazianzenus loquuntur, & roborantis. Non dedicat se activè solum per protestationem declarando & promittendo se præliaturum, sed etiam passivè dedicatur per consecrationem. Consecratur autem signo crucis, absq; chrismate quidem quo usi veteres, tamen eodem modo. Eadem tribuunt cruci simplici quæ cruci oleosæ ceu chrismali, manuumve impositioni post baptismum tribuerunt illi. Eamque, si lubet, reducere jam diu eliminatam quasi postliminio possunt. Nam sunt gemelliparæ crucis consignatio post baptismum & chrisma, & par utriusque vetustas. Hoc opus hic labor est, eruisse mysterium hujus ceremoniæ, ejusque nuditatem retexisse, quam tot glossis inuoluunt. Nulla itaque hic nova confutatione opus est. Quæ contra confirmationis sacramentum dicta sunt, & pro baptismi dignitate & fine, hîc similiter pro baptismo contra crucem istam consecratoriam & confirmatoriam militare possunt. Non hîc prætermittendum; quod Hookerus signi crucis virtutes laudibus efferens ait nullum esse medium efficacius ad custodiendum ab eo quod æternam meretur ignominiam, & frontis signationem devotionem interiorem accendere, & exuscitare operando in imaginationem & per phantasmata, non vult tamen usum ejus esse vulgarē & frequentem ne vilescat hoc sacrum signum. At hac ratione sequitur non esse frequenter geniculandum in precibus ne vilescat geniculatio, nec oculos in cœlum levandos, nullum denique sacrum ritum sæpius celebrandum. Præterea damnabit veterum morem, qui ad omnem processum at-

De polit. Eccl. l. 5 §. 65.

que

que promotum ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, mensas, lavacra, sedilia, cubicula, signabant se signo crucis. *Crebro signaculo crucis munias frontem tuam*, inquit Hieronymus epistola ad Demetriadem. *Ad omnem incessum manus pingat Domini crucem*, inquit idem epist. ad Eustochium. Præterea hoc pacto major honos & existimatio acquireretur signo crucis. Sed quæro primum cur non saltem inter sacra ministeria & tempore cultus divini sæpius hunc ritum usurpant. In sacra cœna si non in ipsa consecratione panis per quinque verba, cur non post consecrationem cruces pingunt sicut in missa solent Pontifici, super oblata & ante & post consecratiom, vel circa ipsum sacerdotem. Imo cur in Confirmatione non signant signo crucis, ubi maxime usurpari hic ritus, si ullibi, debet, cum jam *pueri eam ætatem attigerint, qua tum per suam carnis infirmitatem, tum per varios hujus mundi & diaboli insultus in maximo periculo constituuntur ne in gravissima peccata prolabantur*, ut ipsi dicunt in Rubricis Confirmationis. Forte quia hoc factum in clausula baptismi, cum frontem notarunt signo crucis, & piaculum esset iterare. Denique quomodo signum crucis operatur in imaginationem & per imaginationem in mentem & affectus, cum mens præcurrat ipsum signum. Non enim quis pingeret crucem, nisi prius ejus figuram haberet pictam in phantasmate. Crux materialis quæ ex improviso nobis occurrit prævenit forte actum memoriæ, eumque excitat, vel appensa fronti imaginationis sedi, ut ait ille, non autem signum crucis à nobisipsis pictum in aere aut fronte. Revehant igitur cruces materiales potius quàm signa crucis. Sed nulla nobis memorialia signa sunt tuta & sine periculo præter verbum & sacramenta, ut dictum capite nono, præsertim materialia. Mira est operatio signi crucis pictæ aut impressæ in fronte, si etiam infantes excitat ad devotionem. Alioqui in quem finem hanc virtutem hujus signi nobis commendat Hookerus, qui ejus usum vulgarem non vult, nec adultis permittat crebrò pingere aut imprimere, quibus majori auxilio opus est contra tentationes & insultus Satanæ & carnis (si tam efficax sit remedium contra tentationes,) quàm infantibus. Nam ad infantum consignationem tuendam hoc puerili argumento utitur. Largiamur eos non tribuere consignationi frontis post baptismum officium proprium sacramenti, obsignandi nempe baptizatis promissionem præsentiæ divinæ & auxilii ad finem vitæ, tamen officium significandi quod habent sacramenta commune cum aliis signis, habet etiam istud signum. At nulla signa invehenda in Ecclesiam præter ea quæ dominus instituit. Dominus autem sola sacramenta instituit, nec ea instituisset, si non alius fuisset eorum usus quàm significatio, nempe obsignatio promissionum, ut sæpius monuimus capite nono, ubi de ritibus significantibus & ceremoniis symbolicis

egimus, præsertim ubi idem significatur per signa vel ritus à Deo institutos. Canon Anglicanus signum crucis appellat tesseram & signum meritorium Christi. Sed aqua baptismi est tessera meritorum Christi, & quidem sacramentalis obsignans nobis eorum applicationem & proinde præstantius & magis honorificum symbolum quàm signum crucis quod de cœlo non est sed ex hominibus. Præterea non est nudum symbolum, sed imago. *Crux etiam sola refert ipsum Christum crucifixum*, inquit Bellarminus. Si crux materialis sit imago, signum crucis transiens erit etiam imago. *Si in ipsa cruce imago Christi depicta seu affixa sit, non est dubium quin adorari possit cultu latriæ, vel potius coadorari simul cum ipso Christo. Denique etiamsi nulla alia hominis figura, sed tantum crucis in illa appareat, eodem modo & respectu adorari potest. Quia hujusmodi crux etiam per se sola repræsentat non solùm aliam crucem, sed etiam Christum ipsum per modum crucis extensum*, ait Suarez. Non adoratur imago crucis propter materiam, quia argentea aut aurea, sed propter figuram. Et rationem differentiæ inter crucem & clavos ac lanceam hanc ponit Suarez, quòd sola crux est figura Christi; & ideo imago crucis quæ etiam est imago Christi adorabilis est, non verò imago clavi aut lanceæ. Figuram crucis repræsentare dicit personam per similitudinem, Christum nempe extensum super crucem, non autem clavos & lanceam. Dicit tamen *si hæc interdum depingantur ad passionem Christi repræsentandam veneratione digna esse posse, quia habent sacrum usum, & rationem imaginis sacræ. Quando autem hoc modo repræsentant, ex circumstantiis & modo imaginis colligendum est.* Si clavi & lanceæ latiore sensu dici possunt imagines, crux hoc saltem sensu dici posset, etiamsi non repræsentaret Christum crucifixum per similitudinem. Secundo decalogi præcepto interdicuntur non solum imagines personam repræsentantes per similitudinem, sed imagines rerum ad personas peculiari aliqua ratione spectantium, Israelitæ cum aureum vitulum adorarunt non putabant aureum vitulum Deum repræsentare per similitudinem, nec ipsi Ægyptii. Ægyptii canes & vitulos adorabant, non quod Deos forma & figura canibus aut vitulis similes existimabant, sed quia eorum stemmata & insignia erant dum erant in vivis. Ægyptii bovem erigentes in monumentum beneficii a Iosepho collati in ipsos, si bovem adorassent, bos fuisset imago Iosephi non stricta significatione repræsentans figuram corporis, (nam stricta significatione repræsentabat per similitudinem tantum bovem agriculturæ instrumentum) metonymicè repræsentaret ipsum Iosephum, cujus erat monumentum, & tamen esset imago vetita secundo decalogi præcepto. Nam perinde erit, sive similitudinem ipsius personæ, sive rei personæ adoraveris. Crucem Cstristi rem Christi dicunt & sanctificatam ex contactu corporis Christi. Cum igitur crux materialis

De Imag. cap 30.

In 3 partem Aqui. tom. 1 disp. 56 s. 2

lis sit imago quædam personæ, saltem rei personæ, signum crucis erit etiam imago Christi. Signum crucis dicit Suarez *esse venerabile & adoratione dignum. Habet enim usum & significationem sacram, nec refert quod in materiis ceu actione transeunti constituatur, quia sola diversitas materiæ, quando figura & significatio est eadem, adorationem non impedit.* Certum est signum crucis peperisse primùm cruces materiales; deinde imaginem crucifixi. Primùm simplici crucis signo utebantur, deinde cruce materiali. Tertio affixerunt imaginem crucifixi; easque adorarunt. Quàm fœda & horrenda idololatria inde secuta vel ex his paucis patebit. In pontificali Romano part. 2, de benedictione novæ crucis *Pontifex* id est Episcopus *flexis ante crucem genibus ipsam devotè adorat & osculatur*, nempe postquam imposuit thus in thuribulum, aspersit crucem aqua benedicta, & eam incensavit, ut ibi dicitur. Quid est devotè adorare & osculari nisi religiosè colere. Nam cruces ligneæ aut lapideæ non sunt concives nostri nec in mundana nec in cœlesti republica. Non igitur capaces civilis adorationis. Incensandi nomine intelligit Pontificale incensum adolere. Bellarminus de Eccles. triumphante l. 1, c. 13 ait, *Suaves odores etiam cruci offerimus in Ecclesia.* In Brevario Romano etsi reformato in parte hyemali ad 3 Martii in festo inventioinis sanctæ crucis habentur hæc verba. *O crux ave spes unica. In hoc paschali tempore, Auge piis justitiam, Reisque dona veniam.* Petunt à cruce veniam & augmentum justititiæ. Ex hoc hymno collegit Thomas Aquinas imaginem crucis adorandam latria. Et in Antiphona ibidem dicitur. *O crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare mundi talentum, dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.* In Breviario veteri secundum usum Sarum die inventionis sanctæ crucis ita invocatur. *Ara crucis, Lampas lucis, Vera salus hominum, nobis primum fiat patronum Quem tulisti dominium.* Sequuntur & ista, *Salve lignum vitæ, dignum Ferre mundi pretium: Confer isti Plebi Christi Crucis beneficium.* Vides orationem dirigi ad crucē, quandoque, ut ad impetrandam per eam quandoque ut per ipsam præstandum petendo, non solum gratiam, augmentū justitiæ & veniam reis, sed etiam salutem, id est gloriam. Solebant pontificii superioribus annis, ut bene observat, Rainoldus, distinguere inter mediatorem intercessionis & salvationis. Sed utrumque cruci, ut vides, tribuerunt. Sic feria sexta majoris hebdomadæ ceu die parasceves *à summo Pontifice ad infimum caudatarium omnes crucem adorant & osculantur*, ut refert Magister ceremoniarum l. 2. Cum igitur latria eadem exhibeatur à Pontificiis imagini crucis & Christi, quæ ipsi Christo, ut patet ex effectibus propriis latriæ invocando, & thus adolendo, quàm horribilis idolomania tandem invecta

Sect. 5.

De lib. Apocryph. prælect. 241.

vecta sit ex hujus signi usu satis liquet, Christus in imagine conclusus, in idolum transformatus, & gloria ejus imagini communicata. De cruce aerea eam esse adorandam dixit supra Suarez. Sic etiam Vasquez. *Non solum crux illa in qua Christus mortuus est, sed quæcunque crucis figura, vel in materia permanenter sculpta aut depicta, vel in aere aut manu aut digitis expressa aut ex stulanda & adoranda est.* Passim habes lector apud scriptores nostros exempla & testimonia idololatricæ adorationis crucis & imaginis crucifixi. Ideo plura de isto abusu dicere non opus est. Aliis etiam modis in fœdam & execrandam superstitionem abiit ipsum signum crucis. Vim ei tribuerunt ad effectus mirabiles. Bellarminus dicit signum crucis operari mirabilia, ut signum divitus institutum. Terret & fugat dæmones, pellit morbos & omnia mala, sanctificat ea quibus imprimitur. Ex instituto Dei & ex opere operato valet signum crucis contra diabolum. Nam Iudæi & Pagani sine ulla fide in Christum, solùm intendentes facere quod Christiani faciunt, fugarunt dæmones signo crucis. Morbos pellit & cætera mala ex opere operantis, ut signum fidei & fiduciæ, vel ut invocatio meritorum Christi signo expressa. Nam etiam nutibus orare nos dicit. Sanctificat ea quibus imprimitur, oleum, ramos, candelas, & eadem ratione, nempe quia benedicentes commendamus Deo res illas per merita Christi. Quod explicitè petimus precibus idem implicitè petimus per signum crucis. Imo negari nec debet nec potest, inquit, quin etiam aliqua sanctitas accedit rebus, cùm signantur cruce, sanctitas nimirum in relatione consistens, qualis est crucis, clavorũ, vestiumque, aliarumq; rerum quę tetigerunt Christum & Sanctos, & qualis est eorum qui tangunt reliquias sanctorum. Nam sanctificantur aliquo modo qui tangunt reliquias. Hæc Bellarm. de Eccles. triump. l. 2 c. ultimo. *In Missali Romano à Pio 5 reformato c. de benedictionibus aquæ, ceræ, aliarumque rerum, ubicunque occurrit vocabulum benedictionis, collocant crucem rubram: neque hoc faciunt tanquam ceremoniam adhibentes, sed quod vim putent sanctificationis ab ea cruce pendere, quod tacitè in aliis locis observant, ubi ascribitur nota crucis; adscribitur autem semper, ubi occurrit vocabulum benedictionis, quod occurrit ubicunque de benedictionibus creaturarum disserunt. Aliquando autem expressè significant se hoc velle per signum illud crucis sanctificari creaturas, & virtutem illis cœlestem infundi. Exempli gratia in benedictione candelarum rogant Deum, ut benedicat creaturæ ceræ supplicantibus ipsis, deinde adjungunt, ut benedictionem cœlestem infundat ei per sanctam crucem: tertio verò loco postulant, ut cera talem signaculo crucis sanctæ fortitudinem & benedictionem accipiat, ut quibuscunque locis accensa, sive apposita fuerit, discedat Diabolus.* Verbo Dei & precibus sanctificantur creaturæ ad usum à Deo institutum, non autem crucis signaculo sive cum oratione sive sine oratione.

De adorat. l. 3 disp. 2 cap. 2.

Rainold censur. de lib. Apocryph. prælect. 181.

Anglica-

Anglicani præsules dicto canone de signo crucis agnoscunt abusum signi crucis. *Fatendum est*, inquiunt, *crucis signum decursu temporis in ecclesia Romana graves abusus pertulisse, præsertim postquam eam Papismi labes & corruptela semel pervaserit. At*, inquiunt, *rei abusus legitimum ejus usum nequaquam tollit.* Verum, si ea re uti necessarium sit. At signo crucis uti vel ante vel post baptismum, vel in ulla actione sacra aut religiosa non est necesse, nec à deo institutum. Quorum usus non est necessarius nec divinitus institutus, & absque vel levissimo cultus divini detrimento tolli potest, nec absque periculo & metu eorundem abusuum retineri aut restitui, abolendus est. At hujus signi usus (ponamus jam adiaphoron fuisse in initio) non fuit à Deo institutus, absque levissimo cultus divini detrimento tolli potest, semper eisdem corruptelis obnoxius est. Multo magis igitur abolendus, quàm serpens æneus qué in pulveré comminuit & sustulit Ezech. etsi à Deo institutum in monumentum salutis. Nihil est igitur quod dicunt, se signo uti quomodo usi sunt Patres, non ut Pontificii. Nam primo patres ipsi eo usi non sunt legitimo modo. Augustinus tract. 118. in Iohan. ad finem. *Quid est*, inquit, *quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium; sive ipsi aquæ qua regenerantur: sive oleo quo Chrismate inunguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* De usu signi crucis in baptismo, ait Cyprianus nos *signaculo Dominico consummari.* Etsi commodè & legitimè usi essent Patres, tamen propter adorationis & operationis, qui post adnati sunt, abusus, non est amplius ferendus, quandoquidem nec à Deo institutus sit signi hujus usus religiosus, nec jacturam aliquam pateretur cultus divinus etiamsi tolleretur, ut supra dixi, & pluribus ostendi capite nono de adiaphoris non necessarius superstitione vel idololatria contaminatis. Iam enim ponimus per se usum hujus signi religiosum esse adiaphoron, quod negavimus ob rationes supra dictas. Præterea falsum eos rectiùs uti consignatione crucis post baptismum quàm Pontifici. *In ecclesia Anglicana*, inquiunt, *congruis omnibus ac idoneis cautelis & exceptionibus contra Papisticam superstitionem atque errorem munitus semper fuit, prout in eiusmodi casibus fieri consuevit.* Et probant duobus argumentis. *Primò enim ecclesia Anglicana jam inde à Papismo abolito semper sensit & docuit, & hodie etiam sentit & docet signum crucis in baptismo adhibitum de ipsius sacramenti substantia haudquaquam existere. Nam ut primum Minister infantem immergens in aquam, vel eiusdem faciei aquam inspergens hæc verba recitaverit, Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, infans continuò plenum & perfectum baptismi sacramentum consequitur, adeo ut signum crucis post adhibitum ad baptismi virtutem aut perfectionem nihil adjiciat, nec idem omissum de eius efficacia aut substantia quicquam detrahat.* Sic impo- Can. 30.

nunt.

nunt simplicioribus ac si Papisticum nihil redolerent, cum nec Pontificii ipsi sentiunt unctionem ceremonialem cum signo crucis in vertice statim post baptismum (consignatione frontis non utuntur) esse necessariam ad efficaciam baptismi. *Unctio Chrismatis in vertice introducta videtur*, ait Bellarminus, *quia non semper est episcopus qui possit continuò dare sacramentum confirmationis. Ideo enim interim ungitur non quidem in fronte sed in vertice, Chrismate ab episcopo consecrato.* Cum igitur signum crucis post baptismum sit tantum sacramentale & sacramentalia non sentiunt esse necessaria ad sacramentorum esse, sed esse tantum de solennitate, sequitur non existimare suam consignationem esse necessariam ad essentiam baptismi, *Fatentur enim omnes Catholici ceremonias ecclesiasticas non esse præcipuum cultum, nec ab iis pendere essentiam & efficaciam sacramentorum*, ait Bellarminus lib. de effectu sacrament, cap. 30. cap. 30. Nec veteres suam consignationem ideo necessariam post baptismum existimabant, quòd baptismus non esset sine eo integer quoad essentiam & efficaciam, tamen ea baptizatum ipsum confirmari & consummari putabant; baptizatum omnia consequutum sentiebant quæ ad baptismum requirebantur, non tamen plenum Christianismum, vel adhuc aliquid deesse ad confirmandum & consummandum illud quod per baptismum adeptus erat. Sic Pontificii confirmationem quam à baptismo avulserunt existimant necessariam non ad salutem baptizati vel efficaciam & substantiam baptismi. Nam sentiunt posse absque confirmationis sacramento salute nos posse frui, etsi sentiunt officere saluti quoad gradum gloriæ. Nihil hîc igitur dicitis quod non dicent Pontificii. Facitis vero multo minus. Nam vestra consignatio crucis habet vim sacramenti confirmationis Pontificiæ, ut supra probatum, & proinde est sacramentum, non sacramentale, & idcirco magis necessaria baptizato etsi non baptismo, quàm Pontificiorum consignatio in vertice. Nam sacramentum est magis necessarium quàm sacramentale ceu ceremonia sacramentalis. Imo ad ipsum baptismum necessariam nonne existimant ex populo ij qui renuunt Patrinorum officium in baptismo ubi non ministrabitur cum signo crucis, qui infantes deferunt, ubi baptismus cum signo crucis ministrabitur, relicta parœcia sua, ubi desierat usus illius ritus. Refert præterea Parkerus infantes quosdam fuisse rebaptizatos, quia prius baptizati absque confirmatione crucis. Horrendum auditu. Nec veteres ob defectum consignationis vel in fronte vel in vertice baptismum unquam iterarunt, vel Pontificii ob defectũ consignationis ceremonialis in vertice, vel cõfirmationis ceu cõsignationis in frõte. Novatus in lecto baptizatus non rebaptizatus cum cõvaluit, quia statim post baptismũ cõsignationem istam nondũ acceperat. Sed hoc in Novato damnat Cornelius quod post morbũ obsignationẽ illam consecutus non est. Supplebant

De cruce part. 1 p. 94

plebant quæ deerant, non iterabant ipſum baptiſmum. *Secundo* inquiunt, *palam eſt in libro publicæ liturgiæ infantem poſtquam ſuſceperit baptiſmum (crucis vtique ſigno nondum ſuperveniente) in Chriſti gregem ac eccleſiam, tanquam perfectum eius membrum receptum eſſe, ipſius adeo baptiſmi virtute, non autem poteſtate aliqua quæ ſigno crucis affingitur.* At nec aliud ſentiunt Pontificii de ſua conſignatione in vertice,imo nec de confirmatione,quæ fungitur officio veteris conſignationis in fronte. *Alter effectus nempe confirmationis*, inquit Bellarminus; *eſt character quo adſcribimur in Chriſti militiam, ſicut per baptiſmum in Chriſti familiam.* Per baptiſmum receptus in familiam, jam recipitur poſt baptiſmum in cœtum ceu gregem militantium, mancipatur obſequio Chriſti, & per crucis ſymbolum dedicatur illius ſervitio,cujus in baptiſmo collata in ipſos beneficia crucis nomine ſunt repræſentata, vt dicitur in canone Anglicano. Conſignatione Anglicana adſcribuntur poſt baptiſmum in militiam, ſicut in confirmatione apud Pontificios. Conſignatio Pontificiorum poſt baptiſmum non habet iſtud officium,nempe adſcribendi in militiam,ut patet ex verbo annexo conſignationi Anglicanæ & oratione quæ recitatur ſtatim poſt baptiſmum cum baptizatum inungit in vertice ſacerdos & ſignat cruce. Oratione illa nihil habetur de militia ſpirituali. Verbo annexo conſignationi Anglicanæ in militiam adſcribuntur, & crucis ſymbolum accipiunt in ſignum, & ἀσφάλειαν constantiæ in profeſſione ſidei & pugna ſpirituali,quod officium eſt confirmationis. Aquinas part. 3. qu. 75. art. 9. *Signantur confirmandi Chriſmate ſigno crucis in fronte, vt in manifeſto oſtendant ſe Chriſtianos eſſe, & ne nomen Chriſti ob timorem vel erubeſcentiam prætermittant.* Concil. Florentinum. *Ideo in fronte vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat & præcipuè crucem ejus propter quod crucis ſigno ſignatur.* Hoc idem verbum cum ſigno crucis habent Angli. Videmus itaq; non muniiſſe congruis cautelis contra ſuperſtitionem Papiſticam, ſed abſurdiùs uti iſta conſignatione frontis quàm illi verticis. Puderet Pontificios duas confirmationes retinere. Conjicio præſules Anglicanos aſſignaſſe huic conſignationi crucis officium iſtud adſcribendi in militiam Chriſti, & obſignandi gratiam roborantem in hunc uſum, ne ſi decederent abſque confirmatione Epiſcopali, confirmationis beneficio deſtituerentur baptizati, ſicut Pontificii verticis unctionem per Preſbyterum inſtituerunt, ne fortè omnis unctio chriſmatis deeſſet, ſi decederet baptizatus ante epiſcopi adventum; niſi quod unctionem illam ſentiunt eſſe ceremonialem, non parem cum ſacramento confirmationis, ſicut Angli conſignationem crucis. Si utramque unctionem Pontificii officio eandem ſtatuerent tum Angli eſſent Pontificiis ſolummodo pares. Sed abſurditate ſuperant, ut dixi, ipſos Pontificios. Eſto non abuterentur

De Sacram. Confir. cap. 11.

uterentur signo crucis, tamen cũ res adiaphora (ut jam ponimus) nō necessaria tot sæculis superstitione contaminata abusui & corruptelis eisdem obnoxia sit, quæ jam olim adnata sunt & adhuc vigent in regno Antichristi, retineri non potest absq; periculo & magno scandalo. Pōtificii obfirmātur in crucis adoratione & usu Sanderus imaginū usum probat legitimum per crucis usum apud Anglos, de cult. imag. c. 13. Qua fronte possumus damnare eorū consignatione frequentē quandiu eandē in bap. retinemus. Qui abusus irrepserunt ex usu hujus signi in baptismo refert Parkerus, qui tractatum de cruce edidit crucem crucis. Refert multos renuere officium susceptoris ubi non ministratur baptismus cum signo crucis, iter suscipere ad alias parœcias ubi ritus ille usurpatur, quosdam rebaptizatos ob illius defectum, susceptores inclinare genu dum consignatur frons baptizati ad fontem, & suam etiam frontem sæpius interim consignare, & spectatores eminus manum osculari & corpus inclinare dum pingit crucem sacerdos, disertis verbis prædicare Christianismum nondum esse adeptum qui non fuit cruce signatus in baptismo, parentes quosdam liberos suos non signatos cruce in baptismo preterire dum testantur morituri. Preterea in funere rubras cruces super pectus mortui consuere, & albas cruces supra feretrum in vestibulis ædium, aut in superliminari januæ collocare, & emicare ex sinu & circa pectora multorum. Non mirum populum delabi ad veterem superstitionem, cum in baptismo signum crucis tam honorificè usurpetur pro symbolo dedicationis & consecrationis infantium & adscriptionis in sacram militiam. Si quis hîc nihilominus retinendum dixerit, & erudiendum populum, sciat quod nulla necessitas retinendi; In quem finem igitur docebit legitimum usum hujus signi quod nunquam à Deo institutum, cum vix ac ne vix quidem ea quæ Deus instituit eorumq; rectum usum & principia religionis Christianæ sæpius inculcata rude vulgus capit; plerisque locis non est qui frangat esurienti panem; plerisque sic erudiunt, ut utilitatem hujus signi laudibus efferentes superstitionem foveant. Iam annos 60 usi sunt isto signo. Num docuerunt legitimum usum hujus ceremoniæ, vel an satis efficax remedium contra hunc morbum experti sunt. Nonne quæ supra retulit Parkerus vanitaté hujus effugii ostendunt Nonne Hookerus magister ceremoniarum ait crucis signum esse sacrum signum, signum filii hominis, consecrare semen nostrum Deo, esse efficax remedium contra tentationes carnis aut diaboli. Cum in liturgia & Canone nihil nisi superstitionem loquitur signum crucis, quomodo potest populus rectum ejus usum doceri. Sed de prætextu docendi rectum usum vide plura capite nono. Nunquam erat usus religiosus hujus signi legitimus. In quem finem igitur remedium abusus per doctrinam prætexunt. Simulant se superstitiosum usum non probare.

De cruce part. 1 p. 83 84. 2 part. pag. 76.

Polit. l. 5. sect. 65.

Sic

Sic Pontificii superstionem mulierculatũ in usu crucis damnabunt. Valentinus hæreticus genuit hunc ritũ, Montanus aluit, Orthodoxi æmulationis studio ne hæreticis pietate in Christum, & notis externis Christianæ professionis hæreticis inferiores viderentur, amplexi sunt. Tertullianus inter orthodoxos primus, qui ejus efficaciam & utilitatem scriptis prædicavit. In libro de Corona militis, ait Christianos hoc per traditionem observasse, nempe ut frontem crucis signaculo tererent. Sed *perperam illum interpretaris, si per nomen traditionis Apostolicam traditionem eum significasse putas. Quancunque enim non scriptam consuetudinem fideles observarent, illam quoniam ab aliquo tradita fuit, à quo usus ejusdem manavit, per traditionem ipse invectam affirmat. Quod quidem tum de Iudaicis ritibus affirmat qui Apostolorum tempora antecesserunt, ut fœminis eorum velamen capitis solenne fuisse: tum etiam de Christianis qui subsequuti sunt, nec tamen sunt Apostolici, ut ter mergitari qui baptizantur, & lacte melleque pasci. Quinetiam (quod planè ipsum Apostolos istic non intellexisse arguit) omni fideli (ejus judicio) liceat ejusmodi ritus constituere modo constiterint ratione, neq; autorem respiciamus oportet, sed autoritatem, & traditionem colamus, quocunque traditore censeatur.* Eodem libro de Corona militis de velamine dicit. *Si legem nusquam reperio, sequitur ut traditio consuetudini morem hunc debeat habiturum quandoque Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis.* Quod ratione putabant suffultum, si consuetudine roboratum, Apostolicam auctoritatem habere dicebant. Præterea traditiones vel veteres observationes vocat, quæ tamen non erant universales, ut Eucharistiam sumere de præsidentiũm manu. Nam Iustinus ait Diaconos obtulisse fidelibus elementa. Consuetudines Africanas igitur vocat traditiones Tertullianus. Hieronymus epist. ad Luc. *Unaquæque provincia præcepta majorum leges Apostolicas vocat.* Iustinus Martyr & Clemens Alexandrinus hujus ritus non meminerunt. In sacra scriptura crucis nomine efficacia mortis Christi, ejusve prædicatio aut ob promulgationem professionemve afflictio significatur, signum ipsum vel lignum crucis nobis nunquam commendatur, magis quàm patibulum, sica, gladius, securis quibus sublati è medio Martyres.

Raineldus colloquio cum Harto cap. 8 sect. 4 p. 342.

Privatus baptismus sequitur *eorum qui necessitate urgente in privatis ædibus baptizantur per Ministrum Parochiæ, vel per alium legitimum ministrum cujus operâ pro ratione temporis uti licebit. Ecclesiarum pastores & ministri subinde populum admonebunt, ne baptismum Infantium longiùs differant quàm in diem dominicam, aut festum proximè sequentem natales infantium nisi gravis admodum causa per Ministrum approbata coegerit. Commonefaciant etiam, ut sine gravi & necessaria causa domi intra privatos parietes infantes non baptizent. Cum autem magna illos & dura necessitas urgebit, hunc in modum facient. Primùm le-*

gitimus minister & qui præsentes fuerint, Dei gratiam & auxilium invocabunt, dicens orationem dominicam, si temporis angustia permiserit. Oratio dominica est generalis; aliam precatiunculam præscripsissent ratione materiæ & sensus magis appositam & baptismi administrationi aptiorem. *Deinde vero unus nomine ipsum compellans, vel in aquam immerget, vel aqua perfundet dicens, Ego te baptizo* &c. Quis iste unus. In Anglicanis habentur hæc verba. *Et compellato ab uno eorum qui præsentes fuerint, infante, legitimus minister vel in aqua immerget vel aqua perfundet.* In Rituali Romano, *Legitimus quidem baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho vel ab Ordinario loci delegatus: sed quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo potest sine solennitate à quocunque baptizari in qualibet lingua sive clerico, sive laico etiam excommunicato sive fideli sive infideli, sive Catholico sive hæretico, sive viro sive fœmina servata tamen forma & intentione Ecclesiæ.* Hoc vult Muckerus, unum præsentium etsi non sit Parochus aut sacerdos immergere infantem in aquam. In libro qui extat inter scripta Anglicana Buceri, habentur hæc verba. *Primò qui adfuerint dicant orationem dominicam, si tempus ferat. Tunc unus imponet nomen infanti, & merget in aquam, vel infusa aut inspersa super eum aqua, dicat: Ego te Baptizo.* Sed de Ministro Baptismi seorsim dicemus. Sequenti Rubrica habemus ista verba. *Ne dubitent autem quin puer hunc in modum legitimè & plenè baptizatus sit: nec debet postea in Ecclesia baptismus repeti. Quod si tamen infans ad hanc rationem baptizatus vixerit, vehementer expedit, ut in ecclesiam adducatur, quo minister experiatur & probet, num legitimè domi baptizatus. Quod si illi qui infantem sistent, respondebunt iam baptizatum esse, ulteriùs interrogabit. Per quem sit baptizatus? Qui præsentes fuerint, cum baptizaretur? Utrum Dei gratiam & auxilium in illa angustia invocaverint? Quo liquore illum baptizârint? Quibus verbis baptizatus sit? Utrum credant infantem legitimè baptizatum.* In libro Buceri his verbis concipiuntur interrogationes 2. 3. & 4. *Utrum invocarint Deum dicta Dominica prece? Quæ fuerit materia? Quæ forma baptismi?* In editione Anglicana Liturgiæ anni 1607. de invocatione nihil habetur, & post 2 interrogatum habentur ista verba. *Et quia evenisse potest quod quædam quæ essentialia sunt huic sacramento, omissa sunt, præ metu aut festinatione in eiusmodi extremitate, ulteriùs quæro.* Et quærit, qua materia & quibus verbis baptizatus fuerit, & num credant plenè & legitimè baptizatum? Hæc sunt essentialia de quibus quærit. Videmus quomodo Sacramentum indignis modis administrari permittunt, & prophanari, quod tanto metu, tanta festinatione administrari oporteat, ut tamen accidere possit, quod nullum sit sacramentum, quia deest quid essentiale. Sic etsi animi proposito & intentione statuunt ministrare sacramentum, evenire tamen potest ut nullum conficiant.

Pag. 6.

Hoccine

Hoccine non est sacramentum contemptui & prophanationi exponere? *Quòd si minister ex responsionibus adferentium infantem intelligit omnia ritè & legitimè facta, baptismum non repetet, sed assumet illum in gregem & populum Christianum, dicens. Ego vos certiores facio, quòd rectè præstitistis vestrum officium hac in re, iustumque ordinem retinuistis in baptismo huius infantis, qui natus in originali peccato, & sub ira divina, nunc est per lavacrum regenerationis in baptismo in numerum filiorum Dei relatus, & hæres factus vitæ æternæ, &c. Legitur Evangelium Marc. 10. vt supra in baptismate publico. Sequetur etiam hortatiuncula superius præscripta, donec perventum fuerit ad postremam sententiam.* Postea minister cum susceptoribus recitant orationem Dominicam. *Deinde minister quod sit nomen infantis interrogabit, quod cum susceptores pronuntiaverint, Minister addet, Tunc istius infantis nomine renuncias Diabolo, &c.* & respondet Susceptor seu Patrinus. Deinde orat pro infante; *addatur admonitio ad susceptores, vt supra in publico baptismo. Quod si, vt aliquando contingit, infantem adferentes incertas responsiones fecerint, affirmaverintq́ se nescire, quid in tanta mentis consternatione cogitarint, fecerint, dixerint, tum minister ad rationem publici baptismi superiùs præscriptam omnia peraget, nisi quod in immergendo infante sic inquiet. Quòd si antea non sis baptizatus N. ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* In Anglicana editione anni 1607. sic habent verba. *Quòd si ex incertis responsionibus ad quæsita Sacerdotis colligi non possit infantem baptizatum aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quæ sunt partes essentiales baptismi, tunc sacerdos ad rationem, &c.* De legitimo ministro hîc altum altum silentium. Nam sive Sacerdos, Diaconus, aut Laicus baptizaverit sive mas sive fœmina, modò aqua baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, perinde erit. Validus erit baptismus, nec à laico aut fœmina baptizatum, baptizabunt. Etiamsi γυναικοβαπτισμὸν disertis verbis non præcipiunt in casu necessitatis, ratum tamen habent, permittunt, etsi non imperant, ut patet ex verbis supra dictis. In colloquio Hamptoniensi dixit Archiepiscopus Cantuariensis non probari apud eos baptismum ministratum à Laico vel muliere, sed inquiri in eos in Episcoporum visitationibus, & censuris castigari. Fieri potest, Curione aut parocho non expectato, quando commodè in ejus adventum differre possunt, si usurpaverint illud ministerium, increpatione aliqua levi levius corripiantur, ratum tamen habent ipsum baptismum. Sed cum festinatione opus, tunc nec reprehensioni locus erit. In Rituali Romano habetur ista Rubrica. *Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus subdiacono, Clericus laico, & vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius, quàm virum baptizare infantem, non omnino editum, vel nisi fœmina melius sciret formam & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, vt fide-*

les præsertim obstetrices rectum baptizandi ritum probè teneant & servent. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo quando alius non reperitur qui baptizet, neque tunc ullam contrahunt cognationem quæ matrimonii usum impediat. Sic, si verum quod dixit Archiepiscopus, corripiuntur laici aut mulieres tantùm ob violatum ordinem non præmonito prius Sacerdote. In hunc finem ministri baptismum in articulo necessitatis differre vetiti canone 69 constitutionum anni 1603. *Si quis Minister de infirmitate aut mortis periculo infanti cuilibet infra suam Parochiam nondum baptizato imminente, debitè, & citra fraudem commonefactus, & ad locum, ubi dictus infans existet, ejus baptizandi causa rogatus accedere vel planè recusaverit, vel per contumaciam aut latam negligentiam tempus ita produxerit, ut cum tempestivè posset dictum locum adiisse, & infantem præfatum baptizasse, is tamen ejusdem culpa expers baptismi moriatur, dictus minister trimestri suspensioni subjacebit, neque absolutionis gratiam consequetur, antequàm coram loci ordinario culpam præteritam agnoscens, pro cætero polliceatur se in hoc genere scienter nequaquam peccaturum. Proviso semper, ut in illis parochiis in quibus Curatus aut substitutus extiterit, præsens constitutio non ad ipsum Rectorem aut Vicarium, sed ad dictum Curatum vel substitutum illic præsentem extendatur.* Quod ad formulam illam verborum conditionalem, *quod si antea non sis baptizatus N. Ego te baptizo*, habent ut pleraque alia à Pontificiis. *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis. Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum es, ego te baptizo.* In Rituali Romano habetur hæc Rubrica. *Cum baptismum iterare nullo modo liceat si quis sub conditione sit baptizandus ea conditio explicanda est hoc modo. Si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris &c. Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter & ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum.* Quibus casibus sub conditione baptizandi infantes ibidem indicatur. *Si infans caput emiserit & periculum mortis immineat baptizetur in capite: nec postea si vivus evaserit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit quod vitalem indicet motum, in illo si periculum impendeat, baptizetur: & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est; Si non es baptizatus ego te baptizo &c. Infantes expositi & inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismò non constat, sub conditione baptizentur.* Sacerdos Anglicanus sub conditione baptizat, si incertæ sint responsiones susceptorum ad ipsius interrogata. Sed quærerem ego, quid si antè baptizatus, prout illi legitimum æstimant baptismum, nonnè jam rebaptizatus erit. Quòd si ante baptizatus, ego te non baptizo. An non baptizas, cum sacramentum baptismi celebras vel an scenica est actio illa qua immergis vel aspergis infantem dicens, Ego

te

te baptizo. Siccine ludis in sacris ecclesiæ. Est baptismus, non est baptismus. Dubium hîc nascitur facti ex dubio juris. Si enim non haberent ratum baptismum ministratum in privatis ædibus per laicum, marem aut fœminam, sed irritum & nullum pronunciarent, quia jus baptizandi non habent, tum de facto satis constaret non fuisse baptizatum nec opus esset ulterius inquirere, sive dubium sit negativum & nulla appareant judicia, sive positivum & appareant aliqua indicia sed non sufficientia. Nam in neutro acquiescendum esset sed ministrandus rite baptismus. Nec tamen erit baptismi iteratio, quia prior ille baptismus nullus erat & irritus. Eorum qui in Ecclesia participes facti sunt cœnæ alia ratio est. Quidam sacerdos credens se baptizatum & in fide baptismi persistens obiit, postea compertum est quod non fuerat baptizatus quæsivit Episcopus Cremonensis à Papa Innocentio tertio utrum Ecclesia debeat eum habere pro baptizato, ita ut possit pro co orare, respondit, *Presbyterum quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christiani nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter*, ubi glossa, *Nota quod per fidem quam quis habet de baptismo, licet non sit baptizatus, sed in fide illa decessit, salvatur.* Decretal. l. 3 tit. 43 cap. 2

Baptismus non est administrandus nisi in publico totius Ecclesiæ cœtu, sive cœtus ille congregatus fuerit in loco publico sive premente aliqua necessitate in privatis ædibus aut aliis locis privatis. Nam cœtus Ecclesiæ particularis non alligatur templis, basilicis, aut oratoriis. Vbicunque Ecclesia in unum coire potest, ibi sacramenta administrari debent non extra cœtum in angulo aut privatis ædibus. Nam sacramenta sunt actiones sacræ quibus fœderati non modo symbola externa gratiæ percipiunt, sed etiam *inter se mutuæ charitatis vinculo & quasi fraternæ societatis contesseratione conjunguntur*, ait Tilenus. Habemus invisibilem & spiritualem communionem cum universa Ecclesia Eandem profitemur fidem, eundem cultum. Non tamen communionem habemus in iisdem numero exercitiis. Quòd immediate cum Ecclesia universali commune obtinere non possumus, mediatè per nostram unionem cum cœtu quovis visibili particularis, alicujus Ecclesiæ assequimur, nempe communionem omnium bonorum & sacrorum Ecclesiæ. Qui hunc ordinem violant istam unionem mediatam non profitentur. Violant autem qui separatim à reliquo Ecclesiæ cœtu sacramenta celebrant, cum particularis quisque cœtus tam exiguus sit aut esse debeat, ut facilimè ei adunari possint, & cum iis unam eandemque actionem celebrare; atque ita profiteri unionem cum ecclesia universali eo ordine quem dominus instituit. Particularis quisq; cœtus habet claves sacramentorum. Claves sacramentorum Syntagmat. p. 2 disp. 45. thes. 6.

cramentorum traditæ ſunt Eccleſiæ, ut ait Chryſoſtomus, l. 3. de ſacerdotio, etiamſi diſpenſatio myſteriorum eorumve adminiſtratio commiſſa ſit Paſtoribus. Cum miniſter igitur adminiſtrat non tamen ſolus habet omnem poteſtatem, ut ſeparatim & quibuſlibet miniſtret pro arbitrio, ſed eccleſiæ approbationem, conſenſum, & præſentiam accedere oportet. Vbi duo aut tres convenerint in nomine Chriſti policitus eſt Chriſtus ſe fore in medio eorum, Mat. 18.20. *Ne ampliſſimus quidem cœtus illuſtriorem promiſſionem jactare poteſt*, inquit Tilenus in Paræneſi. Verum eſt Chriſtum eſſe præſentem, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine ipſius, non tamen ſequitur quemlibet cœtum adeo exiguum conſtituere Eccleſiam viſibilem præditam poteſtate miniſtrandi ſacramenta & exercendi juriſdictionem eccleſiaſticam. Nam ſic duo conſtituerent eccleſiam & ritè celebrarent miſſam privatam ſacerdotes Pontificii. Nam ait, *Vbi duo aut tres*, &c. multo minus ſequitur, duos aut tres qui hactenus ſunt membra alicujus cœtus, ſeparatim poſſe ſacramenta celebrare. Non convenirent illi in nomine Chriſti. Chriſtus tantùm indicat exiguum numerum cœtus fidelium alicuius eccleſiæ particularis non obſtare, quin præſentia ſua eos dignetur, non quod præciſè duo aut tres conſtituerent eccleſiam, præſertim ubi aliis aggregari commodè poſſunt. Nam ſi poſſibile eſſet vel commodum, ut totus orbis Chriſtianus in unum gregem conſociari poſſit, non deberet eſſe niſi unus cœtus viſibilis omnium fidelium in eccleſia militante. Præterea, etſi præciſè verba de binario aut ternario interpretanda eſſent, à minori ad majus argumentaretur Chriſtus. Nam ſi in medio duorum aut trium congregatorum in nomine ipſius ad exercitia privata præſens fuerit, multo magis erit in cœtu majore totius eccleſiæ ad publica coactæ. Baptiſmus eſt ſacramentum initiationis & introductionis in

Epiſt. 185. Eccleſiam. *Imprimis autem obſervandum eſt*, inquit Calvinus, *cum iſtud ſacramentum complectatur ſacram & ſolennem introductionem in eccleſiam Dei, ſitque teſtimonium cœleſtis noſtri municipatus in quem adſcribuntur illi, quos Dominus adoptat ſibi, fas non eſſe adminiſtrare baptiſmum, niſi in cœtu fidelium. Non quidem ut templum requiratur, ſed ut vbivis numerus aliquis fidelium conveniat qui eccleſiæ corpus efficiat, & qui baptizat pro paſtore agnoſcatur.* Bucerus in cenſura liturgiæ An-

Cap. 9. glicanæ a concione baptizandos infantes conſulit hoc argumento. *Natura enim docente ſolent homines eos quos in honeſtum collegium ſuſcipere decreverunt, atque ſocietatem, ut in Academiis, & multis aliis longè minoris momenti ſocietatibus hominum fieri videmus, id facere, cum collegæ frequentiores convenerint: ut ita quaſi ab omnibus illi in collegam recipiantur, & ſinguli officia collegarum eis deferant, ad eaq; ſe ita publicè invicem adſtringant.* In libro liturgiæ Anglicanæ in Rubricis publici baptiſmi, conſuetudinem jampridem exoletam miniſtrandi

baptiſmum

baptiſmum duobus tantum temporibus Paſchatis ſcilicet & Pentecoſtes imitandam, quoad poſſunt, indicant. *Quamobrem admonendus eſt populus commodiſſimum eſſe, ut baptiſmus Dominicis tantum & reliquis feſtis diebus adminiſtretur cum maxima populi frequentia confluxerit, tum ut congregatio præſens recens baptizatos teſtetur recipi in numerum Eccleſiæ Chriſti, tum ut omnes qui adfuerint ex infantium tinctione propriæ profeſſionis in baptiſmo factæ admoneantur.* Adde & tertium, nempe quia cœtus Eccleſiæ particularis eſt corpus cujus baptizandus eſſe debet membrum, & jus ſuum habet in recipiendo in gremium ſuum. Sicut non niſi convocato Eccleſiæ cœtu & congregato in nomine Domini reſecandum eſt membrum à reliquo corpore, ſic nec niſi convocato in nomine Domini recipiendum, & uniendum corpori. *Qui clamitant publicum noſtri in Eccleſiam ingreſſus teſtimonium eſſe baptiſmum, ideoque publicè adminiſtrandum non cogitarunt eandem fuiſſe rationem circumciſionis, quæ licet extra templum facta, non propterea erat irrita,* ait T le ius. Sat eſſet, ſi non extra cœtum particularem cujus erat membrum circumciſi fuerint, ſive in templo ſine in ſynagoga, aut proſeucha ſive in privatis ædibus. Sed alia circumciſionis ratio ut infra oſtendemus. Præterea circumciſionis nota carni impreſſa per ſe teſtabatur de circumciſione, cujuſmodi notam viſibilem non reliquit baptiſmus in baptizatis, ideo extrinſeco teſtimonio opus eſt. Reſpondet Paganos nonnullos fuiſſe recutitos. Non fuit ergo, ſemper indubitatum gratioſi fœderis ſignum aut ſigillum, amputatum præputium. Reſpondeo. Qui non erat ex ſemine Abrahami, cum quo initum fœdus non poterat iis eſſe ſignum fœderis. Sic nec eſſet baptiſmus infidelibus aut paganis; etſi eū uſurparent. Sed contra qui ex populo Dei erant ſecundum carnem ſi hanc notam circumciſionis in carne impreſſam habebant, iis ſignum fœderis erat, & quia aſpectabile & permanens, baptiſmo magis opus eſt externo teſtimonio Eccleſiæ quàm circumciſioni. *At, inquit, iniquiſſimum certe foret, ſi nemo deinceps nobis γνήσιος habendus eſſet Chriſtianus, niſi qui baptiſmi ſui teſtes αὐτόπτας magno numero queat producere.* Haberi poteſt γνήσιος Chriſtianus etiamſi non conſtat baptizatum fuiſſe multò magis etiamſi teſtes magno numero producere nequeat. Imo Innocentius 3 papa Preſbyterum illum qui diem extremum ſine unda baptiſmatis clauſit, quia in Eccleſiæ ſide & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, cæleſtis patriæ gaudium adeptum eſſe non dubitavit. Non ſequitur adminiſtrari debere ullo caſu baptiſmum extra cœtum Eccleſiæ, modo poſſint teſtes teſtes aliquos αὐτόπτας producere, partim quia publicum Eccleſiæ teſtimonium irrefragabile eſt, & majori authoritate præditum, quàm privatorum quorum teſtimonia plerumque ſunt obnoxiè dicta, nec ſatis compertæ fidei, quos ſi de forma, materia, miniſtro &

Parœneſ. c. 14.

ritibus privati baptismi percurreris, nihil fere certi elicies, vel cui fidem tutò adhibeas, partim quia Ecclesia nonmodo testium officio fungitur testando infantem vel adultum fuisse baptizatum, sed etiam matris recipientis in sinum sinum. *At quod publici juris est,* inquit Tilenus, *publicum negotium esse non desinit, ne in civilibus quidem rebus, etiamsi in privatis ædibus geratur.* Non à privatis ædibus sed à privato cœtu arcemus negotium istud publicum. Publicus autem cœtus est vel corpus ipsum Ecclesiæ coagmentativè vel Presbyterii repræsentativè. In civilibus publica negotia publicè tractantur vel in civium conventu vel coram iis qui corpus politicum repræsentant, prout actionis natura secundum leges & mores civitatis postulat. Baptismi administratio secundum leges Ecclesiæ in publico ipsius Ecclesiæ conspectu celebrari solet (sicut ordinatio, excommunicatio, pænitentium reconciliatio, conversorum ad fidem confessio) non in Consistorio etsi sit cœtus repræsentativus Ecclesiæ. Obstetrices aliæque mulierculæ, non constituunt publicum Ecclesiæ coetum vel coagmentativè vel repræsentativè, etiamsi adsit minister Sed in coagmentativo non in repræsentativo Ecclesiæ coetu actionem istam celebrandam ipsius actionis dignitas postulat. Ecclesiæ praxis consistorialem ceu Presbyterialem illam nunquam existimavit. Non sequitur, ut vult ex nostris principiis sequi Tilenus, religiosiores nos esse Paulo & Sila, quibus nec nocturnum tempus intempestivum nec sordidus carcer locus parum honorificus ad sacri lavacri administrationem videbatur Act. 16 33, aut fidelibus, qui ardentibus persecutionum incendiis in cryptis & hypogæis noctu convenerunt. Nec à loci nec à temporis ratione sacramentorum dignitatem pendere dicimus, & noctu & in cryptis & locis sordidis, sive persequutione sive alia occasione premente rite celebrari sacramenta concedimus; Nec à ministro nec à suscipiente sacramentum baptismi, nec ab ipso Ecclesiæ coetu recipiente pendet dignitas sacramenti, tamen digna celebratio sacramenti & legitima administratio pendet à ministrante, percipiente, & recipiente, eorumque præsentia & officio respectivè, ut loquuntur, hanc actionem celebrantium. Minister auctoritate à sponso & sponsa munitus ministrat; qui baptizatur, suscipit, Ecclesia recipit, approbat, & precibus ac benedictionibus assistit. Baptizati commentariensis & Lydia eorumque domestici extra publicum Ecclesiæ coetum, quia nondum constitutus erat coetus publicus, cui adiungerentur, aut Ecclesia constituta. Multa potuerunt Apostoli quæ imitari non possunt ordinarii Ecclesiæ ministri, & multa fiunt in Ecclesia nascente ejusque constitutione, quæ in Ecclesia constituta non sunt imitanda aut ferenda Circumcisionis etiam in veteri testamento alia etiam ratio quàm baptismi in novo; licebat in privatis ædibus circumcidere licet quandoque,

conventu publico celebrabatur. Præstituit præterea diem certum circumcisioni Deus, baptismo nullum, nec eandem necessitatem. Sacramenta sunt non tantum symbola gratiæ nobis exhibitæ, sed etiam notæ externæ professionis nostræ, & ut Aquinas loquitur, protestationes fidei nostræ coram mundo. Publicè igitur in visibili coetu Ecclesiæ, ubi coram mundo publicè profitemur fidem nostram, debent celebrari. Præterea propter ipsorum sacramentorum vindicationem à neglectu, contemptu, & hæreticorum depravata, laicorum, quos vocant, aut mulierculárum, aut ipsorum ministrorum præpropera & indigna administratione, in publico Ecclesiæ coetu sunt celebranda. Privata baptismi administratio efficit plerosque publicam negligere aut contemnere ut rem nullius momenti, vel non magnæ utilitatis. Ministrat occasionem prophanandi: nam præter aquam & determinata verba elemento annexa, absque vel concione vel explicatione institutionis aut usus, absque ullis precibus, permittunt ministrare baptismum. Verbo fidei & precibus ac gratiarum actione sanctificandæ sunt creaturæ ad tam sacrum usum. Imo fatentur in materia & determinata verborum formula turpiter errare posse ministrantes præ nimia mentis consternatione, & incertos reddi quid cogitarint, fecerint, dixerint. Inde etiam excuderunt baptismum incertum & conditionalem. Nam & incerti sunt, num rite baptizaverint, & alium baptismum æquè incertum celebrant, dicentes, *Quod si antea non sis baptizatus, Ego te Baptizo.* Ergo si antea baptizatus non baptizat, Nam hac lege solum baptizat, & sic dum baptizat non baptizat, nec seriò & certo animi proposito aut intentione baptizare audet. Hac etiam occasione hæretici clam irrepere & baptizare possunt infantes fidelium, & constat in Anglia plerosque infantes baptizare sacerdotes missaticos in privatis ædibus, cum obstetrices aliive laici in sese officii illius ac ministerii culpam suscipiunt. Ansam etiam arripere possunt ipsi ministri clam depravandi legitimam baptismi administrationem, & quos libet ritus, usurpandi. Cum igitur sacramentum baptismi ratione suscipientis sit nota professionis & protestatio fidei coram mundo, & ratione ministrantis à ministro legitimè vocato ministrari debeat, & ratione Ecclesiæ tum testantis de baptismo tum recipientis confederatum in suam fraterternitatem illius præsentiam desiderat, & ratione administrationis, prophanatione, contemptu, & depravatione vindicanda sit, in publico Ecclesiæ conventu celebrari debet. Nec rationem ullam obtendere possunt adversarii, cur spretis his legibus in privato quolibet coetu administrari permittunt, ratumque habent, nisi pontificiorum erroneam illam à necessitate baptismi ad salutem ductam. Necessitatem baptismi ad salutem tueri videntur Formalistarum principes. In Rubrica ante catechismum confirma-

Part. 3 qu. 7 art. 5.

 tionis

tionis hæc habent verba. *Ne quisquam verò putet, ex dilatione confirmationis quicquam detrimenti filiis suis accessurum, sed apud animum constituat ex Dei verbo clarum & perspicuum esse infantes baptizatos omnia habere ad salutem necessaria, certoque certiùs salutem consequi;* Anglicè, and are undoubtedly saved, *& absque omni dubio salutem consequntor.* De baptizato non dubitant, de non baptizato igitur dubitant. Cantuariensis Episcopus Whitgiftus in colloquio Hamptoniensi hęc effatus est. *Si infans moritur baptizatus, est indicium certissimum salutem consequutum esse, cum contra conditio infantũm sine baptismo morientium incerta sit.* Christus Iohannis 3 5 per aquam non baptismum fluminis, sed flaminis intelligit. Nam post aquam ἐξηγητικῶς addit vocem spiritus qui cum aqua sæpius confertur Ioh. 4 14 & 7 37, Ezech. 47 2 Heb. 10 23. Et ver 6 & 8 non amplius aquæ sed spiritus meminit. Vno & eodem gradu necessitatis ponit aquam & spiritum sanctum, at ij si pontificij non eundem necessitatis gradum affirmare audent. Nulla hic Verbi mentio, an propterea absque verbo ministrari potest baptismus. Pręterea sequeretur omnes baptizatos damnari, si de externo baptismo intelligenda essent verba, & sic everteretur libera Dei electio & foedus Dei initum cum parentibus & semine, & myriades martyrum qui pro Christo mortem oppetierunt, gehennę adjudicarentur. Ambros. in orat. funebri ad sorores Valentiniani Imperatoris, qui obiit in expeditione belli ante baptismum. *Celeritate temporis non voluntate, eo munere est fraudatus. Qui accepit spiritum tuum, an non ad gratiam tuam.* Infantes non afferimus ad baptismum, ut per eum accipiant remissionem peccatorum, sed quia promissione foederis inducimur ad credendũ, quod antè ut electis Dei remissa sint eis peccata, ideo baptismum ut sigillum remissionis petimus, *Vide etiam,* inquit Bernardus, *ne fortè hoc Salvator cum diceret, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, cautè & vigilanter non repetierit, qui baptizatus non fuerit, sed tantum qui non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem & sine ipsa nihil.* Non licebat circumcidere mares ante diem octavum, num propterea omnes qui obierunt ante diem octavum exclusi sunt è regno coelorum, infantes qui à Herode deleti sunt Matt. 2 puer Davidis 1 Sam. 12 & alii. Non audet id asserere ipse Bellarminus l. 1 de Baptis. c. 6 prop. 1 & ex causa differri etiam potuit circumcisio ultra diem 8 ut in deserto factum. Qui non circumciderit se, id est circumcidendum non curaverit, exscindetur ille homo è populis suis Gen. 17 14. De contemptoribus loquitur Dominus, qui circumcidi carnem suam in sese aut suis certa malitia negligerent, non de infantibus qui nesciunt dextram in sinistris discernere, ut patet ex ratione addita *fœdus meum irritum fecit,* quod non nisi de voluntariè peccantibus dicitur. vide ibi Iunium. Ipsi pontificii concedunt conversionem

Epist. 77.

versionem & martyrium posse supplere defectum baptismi, quod non posset fieri, si aqua baptismi ad salutem absolutè necessaria esset. Veteres qui baptismi celebrationem statis temporibus paschatis & pentecostes alligarunt, baptismum non sentiebant necessarium ad salutem. Nam hujus consuetudinis occasione multi mortui sunt sine baptismo, ut testatur Socrates l. 5 c. 21. Certum est veteres plerosque baptismum distulisse ad ætatem paulo provectiorem Ipse Constantinus Imperator, *ut ei in mentem venit extremus ejus vitæ dies, existimaretque hoc tempus opportunum esse ad delenda illa errata, quæ quoniam mortalis erat, admiserat, crederetque arcanorum mysteriorum efficacia & salutaris lavacri initiatione mentem expiari,* se baptizari voluit, ut refert Eusebius in vita Constantini. Lib. 4. c. 61. Distulit baptismum ad vitæ terminum ultimum superstitiosè quidem, tamen non existimabat damnatos omnes qui absque baptismo morerentur. Nam expositus erat periculis multis, ut alii mortales, quæ ex improviso eripere animam potuissent. Cur igitur distulisset, si absolutè necessarium sensisset. Idem dici potest de Clinicis adultis, qui in lecto decumbentes, & non nisi morti vicini baptizati sunt, etsi antè baptismum suscipere potuissent. Catechumenorum aditus ad baptismum tot scrutiniis & ritibus cruciarunt, ut sæpius sine baptismo mortui fuerint. Iste error de absoluta baptismi necessitate alias absurditates multas peperit. Necessitatis præpostero & superstitioso prætextu inducti sunt ut infantes quibus unum membrum promineret ex utero materno baptizandum censerent. Renasci non posse Augustinus ait, qui natus nondum est. Innocentius puerum, simul ac in lucē editus est, baptizandū putavit. Præposterus iste necessitatis prętextus introduxit etiam baptismum privatū per personas privatas, etiam mulieres cum ad legitimam administrationem sacramenti Minister legitimus necessariò requiratur. Etsi enim minister non sit de essentia sacramenti, ut constat elemento & verbo, est tamen de essentia administrationis baptismi, id est ratus non esse debet baptismus ille quem non administravit minister legitimus. *Baptismum à mere privatis aut etiam quod indignius est, à mulieribus administratum nullo loco neque numero habemus,* ait ipse Tilenus in syntagmate. Part. 2 disp. *Nam si ne terrena quidem respub. ratum habet, quod privatus quispiam nullis ab ea mandatis instructus licet autoritatem ementitus gesserit, quanto minus Christo & Ecclesiæ hæc ordinis divini corruptela probari poterit. Frustra in necessitatis quam vocant casu huic ἀταξίᾳ & ἀπειθείᾳ quæritur latebra. Neque enim ulla ejusmodi necessitas incidere potest, quæ legem ab ipso Christo latam evertere nos cogat nam huic parere summa est necessitas. Neque dissimulatione fovendus est hic error, sed docendi potius homines, non ab externo baptismo aquæ quam minister aspergit, sed ab interno spiritus baptismo, quem Christus, ubi visum, etiam absque externo largitur, pendere*

 salutem:

salutem: & sacramenti non privationem sed contemptum exitiosum esse. Non aliis sacramentorum administrationem commisit Christus quàm iis quibus commendata est verbi prædicatio, Quibus diplomatis interpretatio iis & sigilli dispensatio demandata est. Baptista ait se missum ad baptizandum Iohan. 1 33. Baptizandi officium & predicandi conjunxit mandato suo Christus Mat. 28. In Conc. Can. 100. Carth. 4 sic decretum, *Mulier baptizare non præsumat* Epiphanius l. 3 hæres. 79 contra Colyridianos Baptismum mulierũ hæresim vocat. Clemens in constitutionibus Apostolicis ait esse præter legem & impium, quod baptizent mulieres. *Quòd si hactenus mulieribus do-* Lib. 3. c. 9. *cendi munus non commisimus, quomodo munere sacerdotali fungi præter naturam eisdem quispiam permittet? Hic enim est error gentilium Deum negantium deis fœminis sacerdotes fœminas eligere: at non est hoc à Christo constitutum. Quod si à mulieribus baptizari oporteret, profecto Christus à matre sua baptizatus esset & non à Iohanne, aut cum nos ad baptizandum misit, misisset quidem mulieres nobiscum adhoc.* Nec jussit nec per scripturam tradidit, utpote qui nosset κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῆς φύσεως καὶ τὴν εὐπρέπειαν τοῦ πράγματος, *naturæ convenientiam & rei decorum.* Eædem rationes militant contra omnes privatos vel quos laicos vocant. Ideo capite sequenti ait, *Immo neque laico permittimus facere aliquod opus sacerdotale ut sacrificium aut baptismum, aut impositionem manus, aut benedictionem sive magnam sive parvam. Nemo enim sibi sumit honorem, sed qui vocatus à Domino.* Imo nec clericis permittit potestatem babtizandi. De ministro circumcisionis, sicut baptismi nulla extat lex, mandatum nullum. *Probabile est*, ait Bucanus, *ex Iohannis circumcisione & Abrahami exemplo singulas familias per se eam administrasse convocatis vicinis. Administrabatur domi apud parentes, quòd circumcisio non posset sine acerbissimo infantis cruciatu fieri, ut vulneri absq; mora remedium adhiberetur*, loc. 46. Zepperus de sacramentis, pag. 251 *Non legimus speciale circuncidendi mandatum olim sacerdotibus in veteri testamento datum fuisse, quemadmodum novi testamenti ministri ecclesiæ baptizandi mandatum habent.* Barradius in Evangelia tom. 1. l. 9. cap. 2. *Nec igitur peculiarem locum nec peculiarem ministrum circumcisio, nisi forte chirurgum postulabat.* Sic Suarez in 3. part. tom. Disp. 29, s. 2. Hodie indifferenter circumcidit *Mohel*, id est, circumcisor in ædibus vel in synagoga. Cum igitur de ministro circumcisionis sicut de baptismi ministro non extat certa lex aut institutio, non sequitur alios quàm ministros Evangelii posse baptizare quia alii quandoq; quàm sacerdotes circumciderunt.

In libro Liturgiæ Anglicanæ post baptismum sequitur *Confirmatio, in qua Catechismus ad pueros instituendos continetur. Visum est neminem ad confirmationem admittendum, nisi qui materna lingua fidei articulos, Orationem Dominicam, decalogi præcepta expeditè poterit & memo-*

memoriter pronunciare & ad reliquas item quæstiones brevis illius Catechismi respondere, quas episcopus vel pro illius arbitrio alius quicunque proposuerit. Hæc autem ratio plurimis de causis commodissima videtur. Primum, quia cum pueri ad maturiorem ætatem pervenerint & didicerint, quæ & quanta susceptores ipsorum nomine in baptismo promiserint, ipsi proprio, ore proprio consensu publicè in conspectu ecclesiæ eadem agnoscant & confirment, profiteanturque se divina gratia adjuvante conaturos ea omnia fideliter observare, quibus jam suis verbis, sua confessione assenserint. Secundò quoniam Confirmatio illis adhibetur, qui jam baptisati sunt, vt per impositionem manuum & orationem vires & defensionem accipiant contra omnes insultus peccati, mundi & Diaboli, cōmodissimè administratur, cum pueri eam ætatem attigerint, qua tum per suam carnis infirmitatem, tum per varios huius mundi & diaboli insultus in maximo periculo constituuntur, ne in gravissima peccata prolabantur. Tertiò, quod non alienum sit à consuetudine primitivæ Ecclesiæ, qua susceptum erat, vt confirmatio adhiberetur illis, qui ad maturiorem ætatem pervenissent, vt ipsi jam in religione Christiana instituti suam ipsorum fidem publicè profiterentur, & promitterent se divinæ voluntati & mandatis eius obtemperaturos. Ne quisquam verò putet ex dilatione confirmationis quicquam detrimenti filiis suis accessurum, sed apud animum constituat ex Dei verbo clarum & perspicuum esse infantes baptizatos omnia habere ad salutem necessaria, certòque certiùs salutē consequi. Quamprimùm pueri materna lingua memoriter teneant Articulos fidei, orationem dominicam, & præcepta decalogi, poteruntque respondere ad questiones istius catechismi, vel ab episcopo, vel ab alio quovis pro illius arbitrio propositas, tum vt testem habeant, confirmationis suæ per aliquem susceptorem ad episcopum confirmandi adducentur. Episcopus autem hoc modo confirmabit. Episcopus. Auxilium nostrum in nomine Domini. Responsum. Qui fecit cœlum & terram. Episcopus. Sit nomen Domini benedictum. Responsum. ab hoc præsenti tempore in omne vsque ævum Episcopus. Domine exaudi quæsumus orationem nostram. Responsum. Et clamor noster ad te perveniat. Episcopus. Oremus Omnipotens æterne Deus, qui hos servos tuos per aquam & spiritum sanctum regenerare dignatus es, omniaque iis peccata condonare, confirma eos, &c. vide supra pag. 358. *Tunc episcopus manum in singulorum capita imponens, sic dicet, Defende Domine, hunc puerum coelesti gratia, tuus vt semper maneat, quotidieque magis tuo sancto spiritu augeatur, donec ad æternum regnum perveniat. Amen. Episcopus addet. Oremus. Omnipotens æterne Deus, qui & voluntatem nobis & facultatem addis ad ea facienda quæ bona sunt, & tuæ maiestati grata, supplices tibi preces fundimus pro his pueris super quos ad exemplum sanctorum Apostolorum tuorum manus imposuimus, vt certiores eos hoc signo redderemus tuæ in ipsos benignæ voluntatis, paterna tua manus, quæsumus, semper eos protegat, & defendat Spiritus sanctus, eos*

perpetuò,

perpetuò, & sic in scientiam & obedientiam verbi tui inducat, vt tandem vitam æternam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit & regnat verus Deus in omne ævum. Amen. Episcopus tandem benedicet pueris. Cuiusque parochiæ minister, vel alius quisquam ab eo designatus Dominicis & festis diebus paulò ante vespertinas preces publicè in templo pueros eò missos pro temporis ratione diligenter instituet & examinabit in aliqua parte istius Catechismi, prout ipsi commodum & oportunum videbitur. Parentes simul & Domini curabunt vt filii & servi nondum in Catechismo instituti, tempore constituto ad templum veniant obedienter audituri & etiam ministris obtemperaturi, donec in hoc libro præscripta memoriter dedicerint. Sacerdotes ipsi plerisque locis non intelligunt catechismum illum brevem. Doctor *Worship* pro concione ad ædem Pauli asserint mille esse in Anglia Sacerdotes qui distinguere nescirēt inter *ovis* & *navis*, quę verba expunxit Episcopus vel ejus sacellanus cum typis mandaretur concio illa. Sed qui intelligunt, negligunt, & nihil minus quam catecheticam institutionem curant. *Quoties Episcopus indicaverit pueros aliquo oportuno in loco ad confirmationem coram se adducendos, tum cujusque parochiæ administer omnium puerorum in sua parochia nomina qui articulos fidei, orationem dominicam, ac decalogi præcepta recitare possunt aut ipse afferet, aut per scripta ad Episcopum mittet: tum etiam significabit, quot eorum sint, qui cæteris quæstionibus hoc Catechismo descriptis accommodatè possunt respondere. Nemo autem ad sacrosanctam communionem prius admittatur quàm & Catechismum dedicerit & confirmatus fuerit.* De Confirmatione Anglicana vide dissertationem quæ habetur supra à pag. 347 ad 367 & quæ dicta sunt de signo crucis post baptismum.

A Sheep and a Ship.

Post confirmationem episcopalem puerorum sequitur in libro Liturgiæ *Forma solemnizandi matrimonium. Primum Banna edenda sive promulganda sunt tribus diebus Dominicis vel festivis divinorum officiorum tempore populo præsente iuxta antiquum morem. Quòd si personæ matrimonio conjugandæ in diversis degant Parochiis Banna promulgari in singulis debent. Nec præsumat minister vnius parochiæ sacram matrimonii ceremoniam ceu solemnizationem peragere, nisi ab alterius Parochiæ ministro certior factus fuerit in scriptis de bannis tribus vicibus promulgatis.* Canone 62 constitutionum anni 1603. sub pœna suspensionis ad triennium prohibentur matrimonium celebrare, nisi banna matrimonialia per tres dies dominicos fuerint denunciata publicè in Ecclesiis parochialibus aut capellis, ubi contrahentes commorantur, & tempore divinorum: additur exceptio, *absque facultate ceu licentia ab aliquo eorum, qui in hisce constitutionibus designantur indulta & concessa.* Designantur autem canone 101 quem vide supra capite 3 pag. 87 88. Si facultatem ceu indulgentiam impetraverint, prohibentur tamen ministri matrimonium

celebrare

celebrare, nisi tempore precum publicarum intra horas 8 & 12 duntaxat, in Ecclesiis vel capellis, ubi partium altera commoratur. Præterea etiamsi trina bannorum indictio *præcesserit, nec vlla proinde dispensatio requiratur, priusquam parentes aut gubernatores contrahentium, si 21 ætatis suæ annum non compleverint, consensum suum vel personaliter, vel per testimonium luculentum dicto ministro significarint*, non celebrabit. Sed vide supra cap. 5 p. 445. Redeamus ad librum liturgiæ. *Constituto nuptiarum die in navem Ecclesiæ sive frequentiorem cœtum, convenient, qui sunt connubio copulandi cum amicis & vicinis. Ac ibidem tum minister*, the Priest, *incipiet sic. Convenimus in hunc locum, dilectissimi, coram Deo atque in conspectu Ecclesiæ ejus, vt hunc virum, mulieremque hanc sacro sociemus conjugio: quod vivendi genus honorabile primum ab ipso Deo in paradiso, dum adhuc homo in innocentia persisteret, institutum est, mysticam illam inter Christum & ejus Ecclesiam nobis præfigurans vnionem*, &c. Monet deinde, *si quisquam sit, qui iustam causam proferre poterit cur legitimè isti conjungi nequeant, aut jam palam denunciet, aut in futurum reticeat perpetuò. Atque personas conjungendas matrimonio alloquens minister dicet, mando, præcipioque vobis* &c. mandat, si quod noverint impedimentum, ut illud modò confiteantur. *Quo nuptiarum die, si quisquam allegabit & denunciabit impedimentum quodcunque, quo minus isti nequeant ex Dei lege hujus regni statutis matrimonio conjungi, & seipsum vnà cum fideiussoribus idoneis obligare velit personis sic copulandis, vel sufficientem cautionem deponat, ad satisfaciendum plenè pro omnibus sumptibus quos personæ copulandæ sunt facturæ, se causam probaturum, tum solennizatiò proroganda est in illud tempus dum rei veritas planè constet. Si nullum impedimentum denuncietur, tum minister virum alloquetur N. vis habere hanc mulierem in sponsam, vt cum illa in sacro coniugii statu iuxta Dei ordinationem simul vivas? vis eam diligere, consolari, honorare & tam infirmam quam sanam conservare, atque repudiatis aliis omnibus illi soli adhærere, quàm diu vita vtriusque vestrum duraverit? respondebit vir. Volo. Tunc minister mulierem alloquetur. N. vis habere hunc virum in sponsum, vt in sacro conjugii statu juxta dei ordinationem simul vivas* &c. *Respondebit mulier, Volo. Tunc dicet minister. Quis hanc mulierem tradit vt huic nubat viro. Tum minister mulierem de manu parentis vel amicorum acceptans, admonebit virum, vt dextram mulieris prebendat, & sic vterque alteri mutuam fidem præstabit, viro sic dicente. Ego N. accipio te N. in vxorem mihi, vt te ab hoc tempore in futurum præ aliis melioribus sive deterioribus ditioribus, sive pauperioribus habeam, teneam, diligam, & foveam, tam sanam quàm infirmam, donec mors nos disjunxerit juxta Dei decretum, atque in huius rei confirmationem, fidem meam astringo. Tunc manus dissolvent, & mulier rursum viri dextram apprehendens dicet. Ego N. accipio te N. mihi in maritum, vt ab hoc tempore in futurum*, &c. *His*

r [illegible] sic gestis coniunctas manus relaxabunt. & maritus annulum vxori dandum libro imponet vnà cum pe[illegible] un[illegible] ministro ac sibi servienti debitis with the accustomed duties to the Priest and Cleark. Et minister acceptum annulum tradit marito, vt eo digitum annularem sinistræ manus vxoris exornet, & vir à ministro instructus dicet, Ego te hoc annulo mihi spondeo, te corpore meo honoro, with my body I thee worship, & bonorum meorum omnium participem facio. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Liber Buceri sic habet. Tunc vir det mulieri annulum, & aliis munera, aurum & argentum, & ponet super librum, quem sacerdos manu tenet, ac Presbyter accepto annulo tradet viro, vt imponat quarto digito mulieris, dicens: Cum hoc annulo te mihi desponodeo, hoc aurum & argentum tibi dono, cum meo corpore te honoro, & omnibus fortunæ bonis te amplifico in nomine patris &c. Postquam annulum vir reliquerit in annulari digito, videlicet quarto sinistræ manus mulieris, dicet Minister. Oremus. Æterne Deus creator, conservatorque totius generis humani, omnisque gratiæ spiritualis largitor & autor vitæ æternæ, mitte desuper benedictionem tuam super hos famulos tuos, hunc virum atque hanc mulierem, quos in tuo nomine benedicimus, vt sicut Isaac & Rebecca summa fide inter se vivebant, sic isti duo firmius persolvant custodiantque votum ac fœdus inter se initum (cujus est annuli hæc datio acceptioque argumentum & arrha) & vt in mutuo amore & pacis vinculo perseverent, atque reliquam vitam vniversam ad legum tuarum normam dirigant. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen. His dictis minister, the Priest, eorum dexteras iunget dicendo. Quos Deus conjunxit homo ne separet. Ad populum vero minister sic. Quandoquidem N. & N. in sacrum consenserint conjugium, idque coram Deo atque hac Ecclesia sunt contestati, cumque ad eius rei confirmationem mutuò sibi fidem sposponderint, datoque & accepto annulo, atque dexteris coniungendis idem palàm declarârint: idcirco eos maritum vxoremque esse pronuntio. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Insuper addet hanc benedictionem minister. Deus Pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus vos benedicat, tueatur, & protegat: misericors Dominus suo vos favore benignè respiciat, atque omni vos benedictione spirituali, & gratia repleat, vt in hac præsenti vita sic mutuo diligatis, quo in futuro sæculo vita fruamini æterna. His ad hunc modum finitis ministri vel clerici Dominicam mensam versus procedentes sequentem psalmum vel dicent vel cantabunt, nempe Psal. 128 vel 67. Liber Buceri sic habet. Tunc ingrediantur chorum ministris aut clericis canentibus psalmum, & adhuc chorum ingredi apparet. Finito Psalmo & genuflectentibus viro & muliere ante mensam Dominicam, minister etiam ad eandem stans, & in eos respiciens, dicet Kyrie eleeson. responsum. Christe eleeson. Minister, Kyrie eleeson. Pater noster qui es in cœlis &c. & ne nos inducas in tentationem. Responsum. Sed libera nos à malo. Minister Domine salvum fac servum tuum & ancil-

lam

lam tuam. R. sponsum. Qui sperant in te. Minister. mitte eis Domine auxilium de sancto. R. sponsum. & eos semper protege. M. Esto eis turris fortitudinis, R. à facie inimici. M. Domine exaudi preces nostras. R. Et clamor noster ad te perveniat M. Deus Abraham Deus Isaac &c. orat ut sicut super Abrahamum & Saram ad eos mirificè consolandos benedictionem miserit, ita mittere dignetur benedictionem suam super hos famulos &c. & statim aliam habet precatiunculam, *Misericors Domine ac cœlestis pater cuius munere gratioso genus humanum propagitur, prosequere quæsumus hos famulos tuos benedictione tua ut & liberorum procreatione fiant fœcundi, & sancta dilectione & honestate vitam prorogent, donec filios filiorum videant in tertiam & quartam generationem ad laudem & gloriam tuam* Amen. Sed istam precatiunculam omittit, si mulier parere desierit. Deinde tertiam habet ubi ait, *ac voluisti ut de viro ad imaginem & similitudinem tuam creato mulier sumeret vivendi principium, atque eos copulando statuisti nunquam licere separare, quos tu matrimonii lege unum fecisti: Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, ut in ea spirituale coniugium & unionem Christi & Ecclesiæ significares & repræsentares, respice propitius supra hos famulos, ut non solum hic vir juxta verbum tuum uxorem diligat, sicut Christus Ecclesiam suam qui seipsum pro ea tradidit, amando itque fovendo ut suam ipsius carnem, verùm etiam hæc viro suo sit amans ut Rahel, sapiens ut Rebecca fidelis & obediens ut Sara &c. Tunc dicet Minister O omnipotens Deus* &c. his verbis iterum benedicit. *Incipiet postea communio & post lectum Evangelium concio sequetur, in qua de more, quoties nuptiæ erunt celebrandæ, mariti & uxoris officia debita explicabuntur juxta sacras scripturas. Quod si non sit qui concionetur, ipse minister populum alloquetur his verbis. Quicunque* &c. legit versus aliquot Ephes. 5. coll. 3, 1 Pet. 3 1 Pet. 5 Ephes. 3. *Qui sacro coniugio copulantur, eodem nuptiarum die debent sacram synaxim recipere.*

Indictio nuptiarum (quam Banna vocant, & dirivant quidam à voce παν, quia omnibus innotescit, vel quia integram & perfectam denunciationem, primam secundam, tertiam significat, mutato π in β) laudabilis est. Hunc morem observant & pontificii, nam illi in pronao statim post offertorium banna promulgant. Sed ut apud illos, sic apud Anglos facilè potest impetrari dispensatio ceu remissio denunciationum, & ex canone ordinis & eutaxiæ causa condito quæstum faciunt uberrimum. Vide supra pag. 87. Quod ad locum celebrandi, nullum censemus alio sanctiorem, quin in eo rite celebrari possit, & proinde non minus ritè in choro vel pronao quam in navi. Imo in prætorio vel quovis loco publico in hunc usum destinato ritè celebrari potest. In portis civitatum celebratum legimus contractum matrimonialem Ruth 4. Iudæi hodie in privatis ædibus aut cubiculo celebrant. Cœtum etiam frequentiorem

quentiorem probamus, non tamen cœtum publicum totius Ecclesiæ particularis necessariò adesse debere existimamus, & apud nos ſæpius ſolent celebrare matrimonia extra ſacra & publicum conventum totius Eccleſiæ. Nam non eſt actio iſta merè Eccleſiaſtica quæ deſiderat præſentiam totius cœtus particularis illius Eccleſiæ cujus perſonæ contrahentes ſunt membra, ſicut adminiſtratio ſacramentorum. Eſt contractus civilis ſed divinus etiam, quia intervenit Dei authoritas, id eſt inſtitutum, quo ſtatuit vinculum hujus contractus non temere diſſolvendum aut violandum, non tamen ſequitur non niſi Eccleſiæ interventu celebrandum, niſi velimus quæcunque Deus inſtituit etiamſi non ad uſum ſacrum, in Eccleſia celebranda. Non excludimus præſentiam totius Eccleſiæ, imo nec infidelium, aut quorumvis qui adeſſe cupiunt, ſicut in portis civitatum omnibus acceſſum patuiſſe non dubium eſt, ſed neceſſariam eſſe ejus præſentiam negarem. Sufficere exiſtimo ſi frequentior ſit cœtus in loco publico, modo non relinquatur cujuſvis arbitrio hunc numerum definire. Tempus, locum, cœtum, legibus definiri oportet propter incommoda & pericula quæ ex clandeſtinis matrimoniis emergere poſſunt. Miniſtri benedictionem tamen non ſpernimus. Non eſt de eſſentia contractus præſentia & benedictio miniſtri. Decrevit quidem Concilium Tridentinum nulla & irrita fore matrimonia quæ contrahuntur ſine Parœci aut alterius ſacerdotis de ipſius Parœci ſeu Ordinarii licentia & duorum vel trium teſtium præſentia, cum tamen miniſtros hujus ſacramenti dicunt Pontificii eſſe ipſos contrahentes non parœcos aut ſacerdotes. Cum ſacramentum iſtud conſtare poſſit materia, forma, efficiente, & fine abſque præſentia & benedictione ſacerdotis, quomodo irrita decernere poſſunt, ubi deſunt iſta duo. Miniſtri tamen præſentiam & benedictionem probo, non quod celebrationem iſtam actum propriè Eccleſiaſticum exiſtimem, ſed quia civilibus etiam actibus benedictionis ergò intereſſe poteſt, ut in Regum inauguratione. Poſſe miniſtrum benedicere in Regum inauguratione neminem dubitare arbitror. Si igitur miniſter benedixerit ſive in loco illo, ubi ſolet convenire Eccleſia, ſive alio quovis loco publica authoritate indicto, nihil preter officiũ faceret. Sed iſta damnamus, primò quòd matrimonium ſacramentum conſtituant, & in modum ſacramenti celebrant. Sacramentum eſſe dicunt diſertis verbis in homilia de juramento, ubi baptiſmum & matrimonium ſacramenta eſſe dictitant. Et in liturgia ſæpius inculcant ſacram ſignificationem unionis Chriſti cum eccleſia, & dicunt Deum conſecraſſe copulam conjugalem tam excellenti myſterio, ut in ea ſpirituale conjugium & unionem Chriſti & eccleſiæ ſignificaret & repreſentaret, alludentes ad locum Apoſtoli, Ephes. 5. 32. & myſterii vocem quam vetus interpres ver-

tit sacramentum non ad conjunctionem Christi cum ecclesia, ut facit Apostolus, sed ad conjunctionem uxoris & mariti referentes. Praeterea separationem quoad thorum & mensam post divortium propter adulterium concedunt, non tamen separationem quoad vinculum. Pontificii hac ratione praecipuè matrimonium dicunt indissolubile nempe quia est sacramentum. *Quod unus uni indissolubili vinculo ita jungatur, ut quovis occurrente incommodo, etiam amissa spe prolis sejungi nequeant, sine magno mysterio esse nequit,* inquit Bellarminus. Item, *illa omnimoda insolubilitas in unis nuptiis non potest referri in causam ordinariam & certissimam, nisi in signum conjunctionis Christi cum ecclesia, in quam causam perpetuò Augustinus eam insolubilitatem refert.* Item, *Cur igitur matrimonium sit omnino insolubile, illa est potissima causa, quia significat divina institutione insolubilem conjunctionem Christi & ecclesiae.* Insolubilitas matrimonii quoad vinculum igitur arguit matrimonium esse Anglis sacramentum, & ideo verba illa in liturgia usurpant, *quandiu vita utriusque vestrûm duraverit,* & *donec mors nos disjunxerit.* Probat etiam Aquinas matrimonium esse *sacramentum à signo & conjecturis, ut etiam nos supra fecimus,* inquit Bellarminus, *est enim signum hujus rei, quod matrimonium sacerdotali benedictione ornetur, & quod ad ecclesiae ministros pertineat causas matrimoniales judicare.* At haec signa & conjecturas habent etiam Angli. Conjunctionem matrimonialem imaginem quandam esse conjunctionis Christi cum ecclesia eamque repraesentare concedimus, non tamen propterea sequitur esse sacramentum magis quàm conjunctioné palmitum cum vite, aut capitis cum corpore. Nullum hîc elementum, nec verbum promissionis, & communis est iste contractus membris ecclesiae veteris & novi testamenti, ethnicis & Christianis, & in ipso innocentiae statu conjunctio Adami & Evae erat imago conjunctionis Christi & ecclesiae per naturae conformitatem & charitatem ac animorum unionem. Quomodo igitur sacramentum esse potest novi testamenti. Sed de spurio isto sacramento videat lector quae passim habent scriptores nostri. Quod ad ritus celebrationis attinet, si celebraretur matrimonium non ut sacramentum, aut actio propriè ecclesiastica, sed ut contractus civilis, rituum usurpationem liberiorem non negarem. Sed quod in ecclesiae coetu publico & inter sacra his ritibus celebraretur matrimonium ut res sacra, non probarem. *Ut quod annulum maritus uxori dandum libro imponit unà cum pecuniis ministro ac sibi servienti debitis, & minister annulum acceptum tradet marito, ut eo digitum annularem sinistrae manus uxoris exornet, dicens, Ego te hoc annulo spondeo, &c.* & minister inter orandum narrabit Deo quod annuli traditio & acceptio sit arrha & argumentum initi inter eos foederis. Quid ineptius? In Rituali Romano, *Parochus accipit annulum & arras de manu sponsi, & benedicit.* Benedictio annuli.

De matrim. cap. 2.

Cap. 4.

Cap. 8.

nuli. *Benedic ✠ domine annulum hunc quem nos in tuo nomine benedicimus ✠ ut quæ eum gestaverit fidelitatem integram suo sponso teneat, in pace & voluntate tua permaneat atque in mutua charitate semper vivat. Per Christum Dominum. Resp. Amen.* Iterum orat ut Dominus mittat *benedictionem super hunc annulum, ut quæ hoc fidelitatis signo insignita incesserit, in virtute cœlestis defensionis ad æternam vitam sibi proficiat. Per Christum. Resp. Amen. Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis & Filii & Spiritus ✠ sancti descendat, & maneat super hunc annulum, & has arras. Resp. Amen. Postea aspergit annulum, & arras, & sponsos, & assistentes, aqua benedicta in modum crucis. Tum accipiat annulum, & dicat, Benedic Domine hunc annulum ut ejus figura pudicitiam custodiat. Et sponsus acceptum annulum de manu sacerdotis imponit in digito annulari sinistræ manus sponsæ, sacerdote dicente, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Liturgia Anglicana vult annulum imponi libro prius quàm accipiat eum sacerdos, & sacerdotem tradere deinde marito, ut imponat eum digito sponsæ. In quem finem ista fiunt divinare nequeo, nisi ut sic sanctificetur & benedicatur aliquo ritu annulus, priusquam tradiderit eum sponsæ. Ritus iste annuli è sponsalibus in matrimonium contractum irrepsit. Arræ nomine in sponsalibus datum fuisse annulum refert Plinius. *Qui ob obligationem,* inquit, *aureos gerebant annulos in publico tantum utebantur eis; intra domos verò ferreis. Quo argumento etiam nunc sponsæ annulus ferreus mittitur, isque sine gemma.*

Lib. 33. c. 1.

Et communem sponsionibus omnibus arram fuisse annulos ostendit, ex eo quod annulo omnia signarentur, ut intacta essent, & vindicarentur à rapina. Promissionis, & reconciliationis arrabonem fuisse & evectionis ad dignitatem patet ex Thamaris, & Josephi historia, & filii prodigi parabola, Gen. 38. & 41. & Luc. 16. Annulus igitur, fidei arrhabonem habebat, & in sponsalibus fidem faciebat promissionis nuptiarum: & ea desponsata præsumebatur, quæ annulum in digito deferebat. Mulier quæ virum desponsatum prosequebatur, ad probationem exhibebat testes; quòd adversarius ejus eam desponsationis annulo publicè subarrasset. Vide Decretalium, l. 2. tit. 27. cap. *Tenor literarum.* Ex libro precum Iudaicarum hæc habet Drusius, *Qui despondet mulierem, adducit testes & desponsat coram eis pecunia aut re aliqua æquivalente etiam obolo quem dat ei coram illis & dicit. Esto mihi desponsata hac re secundum legem Mosis & Israel. Quod si non adfuerint testes, desponsatio ejus nulla est etiamsi ambo confessi fuerint. Quod si desponsaverit eam socio suo, seu alteri, dicit, Esto desponsata N. annulo hoc secundum legem Mosis & Israel.* Interdum consensus exprimitur per verba de futuro, (& tunc dicuntur sponsalia seu matrimonium contrahendum) hac vel simili verborum forma. Promitto quod accipiam te in uxorem. Interdum per verba de præsenti (& tunc dicitur matrimonium

Præterit in novum test. cap. 1.

nium contractum hac vel simili verborum forma. Accipio te in uxorem, vel volo te in vxorem. *Sponsalia per verba de futuro dicta fiduciatio fiunt altero ex 3 modis, si per simplicem promissionem, vt promitto quod accipiam te in maritum, & similia. Secundo per juramenti fidei interpositionem, vt juro vel fidem meam promitto, quod accipiam te in maritum. Tertio per subarrationem, vt cum datur pecunia vel annulus vel alia res per legalitatem matrimonii contrahendi*, ut definitum in synodo Lingon. Videmus igitur annuli traditionem usurpatam fuisse & quidem civiliter in sponsalibus. Cur autem insignita annulo sponsa in quarto à pollice digito, quem medicinalem vocant hanc rationem reddunt, quia in eo est vena quædam sanguinis ad cor usque perveniens, vel, ut Gregorius Tholosanus ait. *Ex communi consensu annulum in digito qui minimo vicinus est, quem etiam medicinalem vocant, manu præcipuè sinistra gestatum, quòd nervus quidam de corde natus prorsum pergit vsque ad digitum manus sinistræ minimo proximum, & illic desinit implicatus cæteris eiusdem digiti nervis: & ideo visum veteribus, vt ille digitus annulo tanquam corona circundaretur*. Hunc ritum Bucerus in censura probat quidem his verbis. *Subjicitur alius ritus, vt annulum, & si quod aliud signum desponsationis sponsus velit dare sponsæ, sive aurum sive argentum vt ista sponsus prius ponat in librum sacrorum, & inde minister sponso illa reddat, quo ipse ea sponsæ tradat, præscriptis in libro verbis. Et hic admodum commodus ritus esse videtur, si modo, quid ista omnia significent, populo subinde explicentur. Vt quod annulus & cætera dona, quibus sponsus sponsam ornare vult, prius in librum sacrorum deponuntur, & a ministro sponso rursus traduntur tribuenda ab eo sponsæ, significare oportere nos nostra omnia priusquam illis vtamur, offerre Deo cuius sunt, & consecrare, & illa tanquam ex ipsius manu accipere ad illius gloriam vsurpanda. Ita annuli insertionem in proximum minimo digitum manus sinistræ: in quo digito aiunt nervum quendam prodeuntem de corde finiri, cæterisque nervis eius digiti implicari significare cor sponsæ debere semper sponso esse devinctum vinculo amoris perpetuo, vt annuli nullus finis est. Sic reliqua munera omnium facultatum atque totius vitæ communicationem.* In hoc Buceri testimonio gloriantur Formalistæ, cum tamen multa alia non emendent quæ Bucerus in sua censura reformari volebat. Sed audiamus quid Replicet Cartwrightus, *Quandoque bonus dormitat Homerus. Nam primùm ostendi non licere nova signa aut sacramenta instituere, Præterea periculosum esse præsertim hic, vbi confirmatur falsa & Papistica opinio sacramenti, & tertio tam ineptas fingere allegorias deponendæ pecuniæ, rotunditatis annuli, & mysterii quarti digiti (liceat mihi salva eius reverentia dicere) valde ridiculum; Et quarto quod vult ministrum eiusmodi nugas pro concione explicare, non sapit eruditionem & iudicium M. Buceri.* Quam facile est ritibus ineptissimis bellas affingere allegorias. Si hunc ritum concederemus nullum

ritum

Bcobelli decret. p. 416.

Syntag. lib. 8. cap. 7.

Censura cap. 20.

1 Repl. contra Whitgift. p. 159.

ritum symbolicum quantumvis ridiculū Romanensium repudiare jure possemus. De ritibus symbolicis diximus supra cap. de adiaphoris. Hunc ritū civiliter in sponsalibus usurpatū non damnamus, nec in ipso fœdere nuptiali damnaremus, si fœdera nuptialia civili modo celebrarentur, nempe ut sponsus imponat annulum digito sponsæ, aut sponsi socius ut apud Iudæos, observatum. Nam ministri quatenus minister, officium istud non est, sed potest quivis alius eum ritum administrare. Sed ut imponat libro sacrorum & deinde tradat sponso sive minister sive alius etiam in sponsalibus superstitiosum esse quis non videt, & excogitatum ut suppleret vicem benedictionis Papisticæ, ac si contactu libri sanctificaretur annulus. Annulum ejusve ritus introducere in Ecclesiam, & ex eo sacrum symbolum constituere, ex ritibus circa eum ritus sacros, ut hîc fit, non est ferendum. Ecclesia consideratur duobus modis, vel ut cœtus sacer fidelium, vel ut communis civium. Posteriori modo si consideretur annuli traditio usurpari potest (non tamen cum impositione super librum sacrorum) ubi congregantur ut cives ut in prætorio, aut foro, aut portis civitatum. Sed in Ecclesiam ut est cœtus sacer fidelium in unum coeuntium ad Deum colendum, ejusque cultum celebrandum, nulli ritus symbolici à Deo non instituti sunt introducendi. Minister benedicere, orare, hortari, admonere potest. Quatenus civis & socius sponsi aut paranymphus, potest multa facere extra conventum publicum Ecclesiæ, quæ non facit ex officio quatenus minister. Hoc respectu potest annulo sponsam desponsare, non tamen sanctificando, vel crucis benedictione, vel deponendo super librum sacrorum, aut Deo in oratione explicando quid significet istud symbolum ejusque ritus. Sed celebrant matrimonium, ut sacramentum in cœtu sacro & inter sacra, & annulus ejusq; ritus sunt hujus spurii sacramenti sacramentalia. Habet annuli ritus annexum verbum, quod interpretari nequeunt ipsi formalistæ. *Ego te hoc annulo mihi spondeo, te corpore meo honoro.* Quid si volunt illa verba *te corpore meo honoro,* definire non potest Hookerus, sed varos sensus excogitavit. Anglicana, *With my body I thee Worship* possunt reddi *corpore meo te colo vel adoro.* Nam vox *Worship*, vulgo significat adorare vel colere, præsertim in sacris. Nolunt tamē ista verba expungere & planiora substituere, quæ facilè intelligerent rudiores, sed ridiculam istam verborum formulam retinent. Et quamvis substituerent *honorandi* vocem alludentes ad locum Petri 1 epist. 3 7, tamen ista verborum formula, *te corpore meo honoro* inepta esset & ridicula. Nam Apostolus loquitur de cura, & sollicitudine mentis, protectione, tutela & debita æstimatione, sicut vocabulum honoris, hebræorum phrasi, largiùs sumitur. Sed honorare corpore quomodo dici debeat maritus sponsam magis quàm sponsa maritum non capio. Nam

jus

Jus habet uterque in corpus alterius reciprocum. Sed an iste σωματος λογος, qui in sacris usurpandus, sicut usurpant illi, videant pudentiores. Præterea ait vir à sacerdote instructus, vel potius sacerdotem benedicentem subsequens. *Ego te hoc annulo mihi spondeo* &c. *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Nam duplex est sacerdotalis benedictio in Matrimonio, inquit Bellarminus *Una quæ datur in contractu de præsenti, cum Sacerdos dicit, Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & hæc fere in domo privata dari solet, altera est benedictio, quæ datur in templo tēpore missæ, cum adjunctis variis precibus.* Si illa verborū formula, *Ego vos*, &c. sit benedictio, & ista, *Ego te spondeo hoc annulo &c. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* An non igitur annuli traditio ceu impositio benedicitur. Et sic duob. modis sanctificatur annulus ante per impositionē super librum, & iterum cum imponitur digito sponsę. Bochellus ex synodo Turonensi 1583. habet istam formam. *Postea dicat Paræcus, Iuratis vterque Deo, & promittitis invicem hanc fidem perpetuò seruare? Vterque respondeat, Iuro & promitto. Hoc facto dicat Sacerdos, Et ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filii, & Sp. sancti. Per hanc autem formulam annuli benedicti in digito mulieris apponi soliti vsum in omnibus fere Diœcesibus obseruari solitum, aliosque ritus ab Ecclesia receptos reprobare non intendimus.* Vides in Gallia Romanenses in annuli benedictione eadem formula verborum uti, quam Bellarminus benedictionem appellat. Cum missa celebrant hoc sacramentum. Incipit communio, & post lectum Evangelium concio sequitur, in qua mariti & uxoris officia debita explicantur. Si non sit qui concionetur, ipse sacerdos recitat quædam fragmenta ex epistolis. Sed possunt conducere concionatorem si Parœcus non sit satis aptus. Nam venales sunt apud eos conciones baptismales, nuptiales, funebres, præsertim ubi Parœcus ipse donum non habet. Post enarrata officia debita percipiunt Eucharistiam qui connubio juncti sunt. Sic inter missæ solennia enarrantur debita officia. Cœna non administratur in publico Ecclesiæ conventu, nec ab omnibus percipitur, sed in modum missæ oblatæ pro conjugatis celebratur. Cum annulo super librum sacrorum deponitur pecunia sacerdoti ejusque ministro debita. Non habent tempus magis oportunum pendendi debita, quam inter ipsa sacra. Sacra dico, nam sacramentum celebrare se existimant. Sed oblationum nomine cohonestatur ista pecunia. Ideo super librum sacrorū deponi arbitror. De oblationibus sæpius supra diximus. Ex synodalibus Rhemensis & Trecensis Ecclesiæ habet Bochellus decretum istud. *Probibemus sub pœna excommunicationis sacerdotibus, tam Curatis quàm Capellanis, ne aliquid petant vel exigant ante benedictionem nuptialem pro matrimonio celebrando, gratis tamen oblatum recipi potest, & post matrimonium celebratum exigi, secundum*

De matrimonio ca. 8.

Pag. 427.

Pag. 440.

laudabilem Ecclesiæ consuetudinem pro labore, quæ consuetudo à jure minime improbatur. Et Odo Parisiensis episc. in synod. *Prohibetur districtè sub pœna suspensionis, ne ullus sacerdos aut Capellanus aliquid exigat ante benedictionem nuptialem, sive pro testimonio ferendo, sive pro matrimonio celebrando, occasione ferculorum quæ debentur pro nuptiis: celebrato autem matrimonio recipiat fercula, & exigat, si necesse fuerit, sicut consuetum est.* Nos nec tempus, nempe inter sacra, nec modum nempe vel oblationis vel precii pro re sacra, propter simoniæ speciem, probamus. Nam sacramentum esse illorum opinione pluribus indiciis ostendimus, cum tamen non sit ista actio propriè Ecclesiastica id est Ecclesiæ peculiaris, sed ritè coram magistratu celebrari possit, ut hîc in Hollandia. Habent & tempora feriata, quibus nuptias celebrare non licebit. Inter impedimenta matrimonium contrahendum impedientia, sed non dirimentia contractum, numerant pontificii tempus feriatum, sic etiam Angli. *Solemnizatio*, inquit Lindwodius, *non debet fieri, nisi post banna canonicè edita, & non potest fieri à dominica prima adventus usque ad octavam Epiphaniæ exclusive, & à septuagesima usque ad primam dominicam post Pascha inclusive, & à prima die rogationum usque ad septimam diem festi Pentecostes inclusivè, licet quoad vinculum his diebus contrahi possit.* Hæc tempora feriata adhuc observant Angli, cum tamen Pontificii in Concilio Tridentino, tantum *ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclusive*, solennium nuptiarum prohibitiones observari præceperit: in aliis vero temporibus nuptias solenniter celebrari permittit sess. 24 cap. 10. *Quocunque tempore potest matrimonium contrahi coram parocho; sed nuptiarum solennitates, convivia, traductio ad domum, & carnalis copula certis temporibus prohibentur.* Sic explicant Cardinales interpretes Concilii. At cum conjugium semper fuerit honorabile inter omnes, etiam in statu innocentiæ, nullum tempus tam sacrum quod eius celebratione polluatur. Benedictio nuptialis est etiam ritus sacer. Et si ob carnalem copulam à solennitate abstinendum, eadem ratione abstinerent conjugati tertiam fere anni partem. Præterea si facultate & gratia canonis ab Episcopo concessa celebrari possit matrimonium his temporibus vetitis, absque gratia & facultate illa non erit impurior celebratio. Tantæne virtutis & efficaciæ sunt dispensationes, ut quod alioqui pollueret sacrata tempora, jam non amplius polluet? Vel an vis ista inest nummis quibus redimitur facultas illa? Quovis igitur anni tempore contrahi possunt & celebrari matrimonia, nisi in luctu publico vel privato. De remissionibus denunciationum, Vide supra pag. 87 & causis matrimonialibus pag. 443 444 445, de precatiuncularum concatenatione, responsoriis &c. diximus in genere in officio horario.

Provinc. l. 4 tit de cland. desp. onsa. cap. quia verb. solemnizat.

Sequitur

Sequitur in libro Liturgiæ, *Ordo visitationis infirmorum. Ingrediens Sacerdos domum infirmi dicat. Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. Tunc accedens ad ægrotum genibus flexis dicat. Ne reminiscaris Domine iniquitates nostras, vel peccata parentum nostrorum. Parce nobis Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretiosissimo sanguine ne in æternum irascaris nobis, Kyrie eleeson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, pater noster qui es in cœlis &c. Min. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. M. Domine salvum fac servum tuum. R. Qui suam fiduciam in te collocat M. mitte ei auxilium de sanctuario tuo R. Et eum perpetuò potenter defende. M. nihil prævaleat inimicus in eum. R. Et filius iniquitatis non noceat ei M. Esto ei Dominus turris fortitudinis R. A facie inimici eius. M. Domine exaudi orationem nostram. R. Et clamor noster ad te perveniat. Oremus.* Recitat duas precatiunculas. Deinde *utatur autem minister ista ad ægrotum exhortatione. Hoc scias charissimè frater,* &c. Perfecta exhortatione præscripta. *Sacerdos recitabit articulos symboli, quemadmodum fit in baptismate. Tunc examinabit illum Sacerdos, num sit in charitate cum omnibus hominibus, exhortans illum, ut ex toto corde condonet illis à quibus iniuria affectus fuerit. Et si aliquos ipse offenderit aut iniuris affecerit, precetur, ut sibi condonent, & pro sua facultate illis satisfaciat. Et si ante non condiderit testamentum, tunc condat, & dicat quæ ei debeatur, & vicissim quæ debeat, propter quietem posteritatis & amicorum. Sæpe autem in concionibus divites & potentes moneat de condendo testamento, dum valent. Hæc verba superius repetita ante enunciari possunt, quàm Minister precationem ordiatur, prout sibi visum fuerit. Hic ne omittatur, quin Minister agat cum infirmo de eleemosyna danda pauperibus. Si ægrotus sentit suam conscientiam gravatam esse aliqua in re, de illa Sacerdoti privatim confiteatur, & finita confessione, minister utetur hac forma absolutionis, Dominus noster Iesus Christus qui dedit potestatem Ecclesiæ absolvendi à peccatis verè pœnitentes & credentes in eum, ipse ex infinita misericordia indulgeat tibi peccata tua. Ego verò autoritate ipsius mihi concessa absolvo te ab omnibus peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Deinde minister recitabit subsequentem collectam, dicens, O misericordissime Domine* &c. Tunc oret *minister hunc psalmum* nempe 71. *Antiphona. Salvator mundi salva nos. Qui per crucem & pretiosum sanguinem redemisti nos, adjuva nos, te rogamus ô Deus. Collecta. Omnipotens Deus.*

Canone 67 constitutionum anni 1603 ministro concionatori permittitur aliis verbis consolari ægrotantes quàm verbis præscriptis in liturgia. Ministro non concionatori non permittitur, nisi forma in libro publicæ liturgiæ concepta. Miserrimus ille Curio qui nec concionandi nec ægrotum consolandi, nisi verbis præscriptis, donum habet. Rituale Romanum in Rubricis de visitatione & cura infirmorum monet, ut Parochus *accedat ad ægrotum ita*

Pag. 120. *paratus ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent, quibus eum in domino consoletur, excitet, ac recreet. Hortetur que, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, divinam misericordiam imploret, & infirmitatis pœnas tanquam paternam Dei visitationem patienter ferat, & ad salutem suam provenisse credat ut vitam moresque suos melius instituat.* Si hæc faceret Parochus Anglicanus, ægrotantes efficacius moveret, quàm recitando præscripta quædam verba. Sed ipsam formam præscriptam videamus. Ingreditur, accedit ad ægrotum, & priusquam alloquutus fuerit, vel intellexerit, vigiletnè an dormiat, procumbit in genua, & dictis Antiphona, *Ne reminiscaris* &c. & parva litania, oratione dominica, precatiunculis & exhortatione &c. de bonis magis sollicitus quàm de solamine animæ, monet ut condat testamentum. Non est sacerdotis officium istud curare. Confessionem privatam ægrotantis audit & absoluit, etiamsi nec concionari queat, nec conscientiam gravatam aliquo peccato erigere. Et absoluit more pontificio, non ut minister declarando & pronunciando peccata esse remissa, sed ut judex per definitivam sententiam, dicens *Ego te absolvo ab omnibus peccatis.* Quod ad formam & ordinem precationum duximus supra in officio horario. Frigida & ieiuna consolatio est hæc formularum recitatio.

In liturgia Anglicana visitationi infirmorum subjicitur *Communio infirmorum. Cum omnes mortales subjecti sint infinitis periculis, infirmitatibus & ærumnis, & semper incerti sint quando ex hac vita erit emigrandum, ideo ut semper sint parati, & in expectatione mortis, quandocunque Deus voluerit, Pastor subinde, sed præsertim pestis tempore, admoneat parochianos, ut frequenter communicent sacramento corporis & sanguinis Domini. Sic enim cavebitur, ne cum subitò fuerint correpti morbo, soliciti sint pro sacra communione.* Bucerus hanc rubricam sic

Censura cap. 22. corrigendam judicat. *Pro eo, quòd in prima de hoc ritu præceptione ponitur, ministros debere populum diligenter adhortari, ut mensa Domini frequenter communicet, maximè pestilentiæ tempore) poni optarim, ut communicare mensa Domini omnes velint omni die Dominico.* Frequenter cõmunicare cum volunt, non simul totum cœtum invitant & hortantur, sed singulos ut sæpius percipiant eucharistiam, etsi 4 tantum aut sex una celebrent. Pergo. *Verum, si infirmus non poterit venire ad ecclesiã, & petit sibi dari sacramentum in Domo sua, significabit tum demum postridie, aut primo mane parocho, quot cum ipso vnà velint communicare. Nactusque idoneum in ægrotantis domo locum, in quo reverenter administrare queat, ac præsente sufficienti hominum numero, qui cum ægro sacram communionem (omnibus adhæc necessariis) participare possint, ibidem administer sacrosanctam communionem celebravit. Oremus. Omnipotens æterne Deus, &c. misereatis huic servo*

tuo

tuo infirmo, & præsta vt patienter hanc infirmitatem ferat, &c. Epistola Heb 12 fili mi ne negle.eris, &c. Evangelium Iohan. 5. Amen, Amen, dico vobis, qui sermonem meum audit, &c. Minister. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Minister. Sursum corda, &c. vsque ad finem, vt supra dictum est. Cum venitur ad distributionem sacramenti corporis & sanguinis Christi, sacerdos primò communicet, deinde alii cum ægroto, qui sese ad hoc præpararunt. Verùm si quis, quod periculosissimè ægrotet, vel quòd ministrum suo tempore non admonuerit, vel quòd justo communicantium numero egeat, vel propter aliud quodcunque legitimum impedimentum, sacramentum corporis & sanguinis Christi non percipiat, tamen eum minister ita instituet, vt si vere de peccatis resipiscat, & Iesum Christum in cruce pro eo mortem pertulisse, & propter ejus redemptionem suum sanguinem fudisse firmiter credat, beneficiorum ex eo acceptorum recolens, immortalesque gratias agens, eum corpus & sanguinem servatoris Christi (quantumvis ore sacramentum non percipiat) ad suæ animæ salutem vtilissimè manducare & bibere. Si eodem tempore visitatur, & recepturus sit sacram communionem ægrotus, licebit sacerdoti (quo citius officium vtrunque absolvat) visitationis finem facere, cum ventum fuerit ad Psalmum, In te Domine speravi. Atque mox inchoare officium sacræ communionis. Pestis, sudoris, vel similibus valetudinis & morborum infestis temporibus, cum nemo parochianorum aut vicinorum propter contagionis metum ad communicandum vnà in ædibus ægroti adduci possunt, minister (si æger id enixè petat) cum eo solo communicare poterit.

Privatam cœnæ administrationem in una Rubrica non admittunt, quando deest justus communicantium numerus, & tamen rubrica ultima, Pestis, sudoris, vel similibus valetudinis & morboborum infestis temporibus permittunt ministrum solum cum solo ægroto celebrare cœnam. Quomodo ista consistant, non video. Quantulum differt à Missa privata, cum minister & ægrotus soli celebrant? Observandum etiam & illud, cum nemo parœcianorum aut vicinorum infestis temporibus propter contagionis metum ad communicandum unà in ædibus ægroti adduci possunt, minister tamen ac si ab omni contagionis metu aut periculo liber esset, cum ægroto sacram hanc actionem celebrabit. Præterea quem justum definiunt communicantium numerum? Tres aut quatuor justum conficient numerum, etiam in loco publico, ut patet ex Rubricis in ordine administrandi cœnam. Vide supra, pag. 726 Si in templo vel ecclesiasterio tres aut quatuor justum conficient numerum communicantium, eundem numerum in privatis ædibus procul dubio probabunt. At si locus publicus cœnam publicam non efficit extra publicum eccl. si conventum, certe nec ædes privatæ efficient. Multis modis missam dici posse privatam ait Bellarminus, nempe vel ratione loci cum celebratur in privato o-

 ratorio,

ratorio aut sacello, aut loco privato, vel ratione temporis, cum diebus profestis celebratur, vel ratione finis, cum pro aliquo negotio particulari aut homine celebratur, aut à paucitate eorum, qui intersunt, ut dicatur publica, quæ fit coram populo qualis est Missa quæ dici solet Parochialis vel conventualis, quæ non celebratur nisi populus adsit, privata autem ad quam non expectatur populus, sed pro arbitrio sacerdotis habetur, sive multi adsint sive pauci. Quinto quæ celebratur in eodem templo, sed non ad summum altare, ubi celebratur missa solennis. Vltimò in qua solus sacerdos communicat. Nos illas privatas censemus quæ non sunt parochiales vel conventuales, et si conventuales fuerint seu parochiales non sunt privatæ dicendæ vel temporis vel loci ratione. Missas omnes conventuales esse debere id est in publico ecclesiæ conventu celebrari supra probavimus, pag. 727. Alius alium expectate, ait Apostolus 1. Cor. 11 Convenire vult in unum & unà celebrare sacram cœnam. Nam cœna est non modo sigillum promissionum, sed etiam symbolum conjunctionis nostræ cum ecclesia. Communionem habemus cum ecclesia universa spiritualiter per fidem, sed in exercitiis religionis & cultus divini unionem profitemur mediatè per communionē sacramentalem cum visibili aliqua & particulari ecclesia. Qui separatas mensas à publico conventu habere volunt, ab ista professione discedunt. Non modo unà celebrarunt, sed etiam ex uno & eodem numero pane manducarunt & eodem poculo biberunt in ecclesia primitiva, ad quem morem alludere videtur Apostolus 1 Cor. 10. 17. vide supra p. 727. *Cæterum in primitiva ecclesia, omnes qui celebrationi missarum intererant, singuli diebus communicare solebant, eò quod Apostoli omnes de calice biberunt, Domino dicente, Bibite ex hoc omnes. Offerebant enim magnum panem, & omnibus sufficientem, quod adhuc Græci servare dicuntur*, inquit Durandus. Honorius in gemma Animæ cap, 58 refert olim sacerdotes de singulis familiis farinam accepisse & ex farina collatitia panem magnum confecisse, *quod adhuc*, inquit, *Græci servant*. De Abyssinis refert Franciscus Alvares, quod *in ecclesiis album faciunt magnum aut parvum pro multitudine gentis, quia omnes communicant, & pro magnitudine faciunt crassum dividio digito aut integro, aut etiam crassiorem magno digito. Infundunt vinum calici factum ex uvis pressis magna quantitate*. Vide Cassandrum in Liturgicis. Dionysius in Hierarchia eccles. cap. 3. Ignatius Epist. ad Philadelph. Anselmus in 1. Cor. 10. unius panis meminerunt. Nec frangebatur iste panis, priusquam benedixerat minister & in hunc usum habebant cultrum quem sacram lanceam appellabant, ut observat Iuellus, Artic. 11. Musculus in locis communibus ait, *quod pulchre tamen ad significandum unius & eiusdem sanguinis mysterium, unde ex aquo potant fideles omnes, unius poculi usus facit*. Sed cur magis unum poculum

De miss. l. 2. cap. 2.

Rational. lib. 4. cap. 53. num. 3.

Cap. 11.

Loc. de cœna

culum quàm unum panem nobis commendaret, non capio. Vtrum panis deberat massa & unitate numerica sive physica per partium continuationem unus esse, an morali conjunctione multarum partium, sicut plura fercula dicuntur unum convivium, non contendimus. Sed quomodo in celebranda cœna unitatis & communionis mysterium repræsentarunt in primitiva ecclesia ostendimus, cum non modo sacramentalem communionem coluerint ἐπὶ τὸ αὐτὸ convenientes ad celebrandam cœnam, sed etiam de pane & poculo numero uno omnes percipiebant. Tres aut quatuor separatim à reliquo cœtu celebrantes sive in loco publico sive in privatis ædibus cum ægroto, sacramentalem illam communionem cum reliquo cœtu neutro modo profiteatur, nec in unum convenientes, nec de eodem numero pane participantes. *At*, ait Tilenus, *cum ægrotus in postremo agonis sui actu constitutus, diraque ante actæ vitæ peccatorum imagine conterritus maximè opus habet, quo uno ignita mali illius iacula extinguantur, fidei scuto: quis dubitabit, obsecro, omnia admovenda esse præsidia & adminicula, quibus quassatus calamus sustentari, fumans ellychnium aliunde adfusoque oleo flammam concipere, in illaque corporis animique caligine ac vertigine luculentius splendescere queat.* Omnia adminicula sunt admovenda quæ unicuiq; admovenda docet scriptura absque violato ordine publico. Quæ publicè instituit Dominus celebranda non sunt administranda unicuique in loco privato. Verbi applicatio & privatæ exhortatiunculæ sunt media & instrumenta efficacia & potentia ad solamen & salutem cuiusvis in agone mortis constituti. *At*, inquit, *interim qui in carne vivunt, quod pluribus offertur sensibus, firmiùs utique apprehendunt, quàm quòd solo auditu percipitur, neque enim Dei promissio sed infirma hominis fides hisce tibicinibus fulcitur*, & signorum ac symbolorum usum de quo nullus dubitat, nobis commendat. Sed de legitimo usu signorum quæritur. Vsum publicum non privatum nobis commendavit scriptura. Prętereà ex usu publico fructum percipimus, non solum eo ipso momento quo symbola accipimus, sed singulis postea momentis per omnem vitam in gravissimis tentationibus, quibus concutiuntur quandoque fideles. An tunc ministranda est iis eucharistia extra publicū cōventum, vel quod majus, an propterea prævertendum tempus celebrationis cœnæ sacræ in cœtu publico. Essetne illud gratiam alligare externis signis. Cum quis in agonis actu extremo constitutus de remissione peccatorum dubitat, refricatur ei memoria baptismi, non denuò baptizatur. Baptismi semel suscepti fructus utilis est usque ad extremum halitum. Sic eucharistiæ perceptæ in publico conventu fructus unà cum actu transeunte celebrationis non transit, sed permanet & vim suam exerit, quando non sumus in ipso actu percipiendi. Iudæi moribundi agnum non manducarunt publicum ordinē

violantes

violantes. Agnus quem in paschate comederunt, morientium fidem sustentabat, ut signum & symbolum, & venturi messiæ typus. Hic autem violatur ordo publicus & legitimus usus sacramenti, cum tollitur sacramentalis illa communio totius cœtus. At dices, colunt illi tres aut quatuor vel fortè plures communionem sacramentalem cum reliquo cœtu, quia idem est sacramentum. At sic coleret communionem sacramentalem quæque parœcia cum omnibus per orbem terrarum ecclesiis particularibus, quia eadem est materia & res significata, & conveniunt in specie signa. At non est illa cõmunio sacramentalis, quòd in specie idem sit sacramentum, sed in individuo, ut argumentatur Apostolus. Qui unum eundemque numero panem comederunt, saltem uno eodemque loco & tempore, communionem sacramentalem colebant, non illi qui in locis diversis, magis quàm qui pascha in diversis cœnaculis celebrarunt, de uno eodemque agno participarunt. De illis qui uno in loco & unà celebrarunt, dicit Apostolus, quod coalescunt in unum corpus. Multi unum corpus constituunt, qui de uno pane fracto & distributo manducant. Cœtum Ecclesiæ corpus vocat, & corpus effici dicit per sacramentalem communionem. Qui ergo separatim sacramentum celebrant, per sacramentalem communionem sese corpus à reliquo Ecclesiæ cœtu separatum constituunt, publicum ordinem Ecclesiæ, & sacramenti mysteria & usum violant. Præterea, ut de privató baptismo diximus, sacramentum cœnæ superstitioni, neglectui, contemptui, depravationi sic exponitur. Nam spe cœnæ domesticæ & privatæ negligitur publica, unde conventus infrequentiores dum celebratur cœna in locis publicis. Gratiam alligant externis signis carnales, & præpostera fiducia ac operis operati errore salutem à symbolis externis suspendunt existimantes periclitari animam, si sine isto viatico è corpore migraverit. Hæc tamen etiam administrantes corrumpere possunt multis modis legitimam ejus administrationem. *At*, inquit Tilenus, *incommoda quæ è [illegible] adducunt, fidi Ecclesiæ antistites nullo negotio amolientur, neque enim sine sontica causa Eucharistiam in privatis ædibus celebrari patientur, aut sanis ac bene valentibus domi eam percipiendi spem vel potestatem facient. Et Pontificiorum errorem de alligata signis salute, atque, ut Barbari loquuntur, de opere operato, recta plebis institutione, & Catechesi pridem profligatum, tam postico quàm foribus excludent.* Istud κρησφύγετον de remedio doctrinæ nihil iuvabit, ut sæpius monuimus capite de adiaphoris, & ubi de signo crucis egimus. Non sunt ubique concionatores qui erudiant plebem, sed miserrimi sacerdotes, & cœci Curiones plerisque locis, & ubi sunt concionatores vel non concionantur, vel adulterant verbum & hujus viatici utilitatem ipsi prædicant vel negligentiores sunt, vel nihil promovent. Præterea

Parænes. cap. 13.

terea quid opus remedio, ubi curari potest ipse morbus absque ullo incommodo. Nam nulla hîc necessitas vel præcepti divini vel medii ad salutem. Qui enixè petit Eucharistiam vicinus morti, laborat graviore morbo animæ quàm corporis, & per doctrinam & institutionem curandus ille morbus, non fovendus. Quandiu prætexit non posse pacari conscientiam annunciatione promissionum Evangelii nisi symbola perceperit, indicium est metuere se absque symbolo fraudatum iri re aliqua viatico scilicet animæ. Curanda est ista diffidentia vel imperitia vel superstitio; ne spe inani & falsa lactatus nimium symbolis adhærendo vero viatico fraudetur. *Sacramentum*, ait ipse Tilenus in syntagmate, *est actio publica à publicis ministris in Ecclesia publicè obeunda. Nullaque necessitas, vel idonea causa adferri potest, cur actio sacra & publica transeat in privatam, quia Dei ordinatio nobis summa lex, suprema necessitas, cui potius parendum quam populari ignorantiæ, & infirmitati indulgendum.* Quid sibi volunt appellationes cœnæ, συνάξεως, Liturgiæ, nisi solum ritè celebrari sacramentum istud, cum in publico conventu in unum coacto administratur. Cœnam Romanis dictam ob κοινωνίαν communionem docet Plutarchus. *συνάγειν est cogere cœtum ad aliquid agendum, vel congregare amicos ad convivium. Unde est in septimo Athenæi ἀπὸ συμβολῶν συνάγειν de symbolis convivari. σύναξις idem prorsus est ac συναγωγή. Nam & synaxis & synagoga ab eodem verbo deducuntur.* Cœnam synaxin appellarunt veteres, quia in synaxi ceu synagoga id est congregatione vel conventu Ecclesiæ celebrabatur, etsi Dionysius alias more suo affingit rationes. Liturgiæ vox quodvis publicum ministerium significabat, & λειτουργὸς publicum ministrum, unde quidam λιτουργὸς scribunt, quasi ὁ τὰ λιτὰ ἔργα ἔχων. λιτὰ dicebantur δημόσια id est publica. Liturgiæ vox cum ministerium significat & ordinem in sacris celebrandis, obtinuit tamen, ut liturgia peculiariter diceretur sacræ cœnæ administratio. Appellationes istas cum cœnæ imposuissent veteres agnoscentes actionem hanc esse publicam, & in publico conventu administrandam, etsi irrepente & invalescente superstitione legitimam administrandi formam statim corruperunt, & in judaicum sacrificandi morem commutarunt, non tamen extra conventum publicum celebrarunt apud ægrotos. Probat Tilenus per canonem Concilii Nicæni morem hunc fuisse vetustum dandi Eucharistiam ægrotantibus, aut in extremo mortis agone constitutis. De lapsis & pænitentibus, ita decreverunt Patres Nicæni, non de omnibus ægrotis. Ruffinus sic habet, *de his qui vita excedunt pœnitentibus, decernimus vacuum nullum debere dimitti.* Eucharistiam dari permittunt lapsis, in quos etiam resipiscentes plus æquo rigidiores fuerunt. Qui rigidiorem patrum disciplinam in lapsos & pænitentes agnoscunt, agnoscant etiam in ista indulgentia errare quoque potuisse. Sed quibuscunque

Part 2 disp. 60 thes. 17.

Casaub. exercit p 537. 538.

Vvvvv

l uſ unque ægrotis datam fuiſſe Euchariſtiam etiam ante Concilium Nicænum non invitus concedam. Iuſtini ætate ad clinicos & ægrotos delata erat per Diaconos eo tempore quo celebrabatur in publico cætu. Poſtea etiam extra tempus celebrationis & tandem cum pompa lucis & campanæ. Sed apud ægrotos in privatis ædibus extra publicum conventum adminiſtratam cœnam apud veteres nuſquam, puto, reperies, nec ullibi ante ſuperioris ſæculi tempora. Si imitandi ſunt patres in uno, imitemur etiam in altero. At quanta ſuperſtitio ex illo veterum more nata eſt? Euchariſtiam ex hac vita migrantibus ad cæleſtem patriam neceſſarium exiſtimabant ſubſidium & viaticum. In papatu ſine hoc viatico nullum patere aditum ægrotanti ad regnum cœlorum exiſtimant, aut ſaltem peſſimè cum iis agi, & ſalutem periclitari, & contrà immediatè adire cœlum angelis ſtipatum, qui ſacro viatico corporis Chriſti iter illud formidoloſuum ingreſſus fuerit. Ex prava intertatione verborum Iohannis 6 veteres collegerunt Euchariſtiam dandam non modo adultis, ſed etiam infantibus, & infantibus neceſſariam ſenſit ipſe Auguſtinus. Vnde mos ille obtinuit ſtatim poſt baptiſmum infantibus Euchariſtiam in os ingerere. Nec recens eſt iſtud inſtitutum ſed vetus. Cyprianus de lapſis, Auguſtinus l. 3 de Trinitate cap. 10 & epiſt. 23 illius ritus meminerunt, & duravit mos iſte dandi infantibus Euchariſtiam annos 600 ut patet ex capitulis. Caroli magni & Ludovici Pii cap. 161. *Vt Presbyter ſemper Euchariſtiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.* Cypriani & Tertulliani ævo Euchariſtiam domum detulerunt. *Dimiſſus*, inquit Cyprianus, *& adhuc gerens ſecum, ut aſſolet, Euchariſtiam* Tertullianus lib. 2 ad uxorem, *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit, panem illum eſſe non credet qui dicitur.* Hic tamen mos poſtea antiquitatus eſt. In Concilio Cæſarauguſtano anathema fertur in eos, qui ſecum Euchariſtiam deferunt & in Eccleſia non conſumunt. Cum igitur Tilenus veterum fuiſſe morem dandi Euchariſtiam in articulo mortis conſtitutis, non novitium aut pontificium fuiſſe ex canone Concilii Nicæni colligit, innuere videtur iſta duo, primum nihil pontificium eſſe quod non nuperum & novitium, cum ab Apoſtorum ævo cœperit myſteriū iniquitatis; deinde laudabiles fuiſſe quoſcunque veterum, mores tamen cum pudeat ipſos pontificios nuditatis patrum, & ritus eorum antiquarint, in quoſdam anathema denunciarint. *Extiterunt olim qui è loco Iohannis 6 & altero ejuſdem cap. 35 ad literam acceptis neceſſitatem quandam baptiſmi & Euchariſtiæ defenderent ita præciſum, ut damnari omnes neceſſariò crederent, qui neque baptiſmi neque Cœnæ facti fuiſſent participes. Itaque mortuos baptizabant, & ſymbola Euchariſtiæ panem & vinum in os illis indebant.*

De ſpectaculis num. 6.

Caſaub. ex. exerc. p. 578

Vtraque

Vtraque consuetudo damnata fuit in Concilio Carthag. 3 can. 6. Cum tam turpiter errarint veteres circa sacramenta, non sunt à nobis imitandi. *Ista infirmiorum levamenta extra ordinem olim adhibita infirmitatem publicam totius Ecclesiæ magis foverunt & auxerunt, quàm privatam ægrotantium sanarunt. Intolerabilis verò hæc erat prophanatio, qua olim mortuis sacra symbola, non sine Dei & Ecclesiæ ludibrio ingerebantur, quæ hujus mysterii prophanatio frequentibus synodorum Canonibus tandem est sublata, quemadmodum & mos ille infantibus Eucharistiam instillandi jure est abolitus,* dixit olim in syntagmate suo Tilenus. Part. 2 disp. 61 thes. 38, 39. Concedunt ipsi Formalistæ in libro Liturgiæ instituendum esse ægrotum, corpus & sanguinem Christi ad salutem semanducare & bibere, si verè de peccatis resipiscat & firmiter credat Christum pro eo mortem pertulisse, quantumvis ore sacramentum non percipiat, & volunt ut æquo animo ferat, quò ei non administratur illi Eucharistia, quia impedimentum justum obstat. Impedimentum justum dicunt, quòd ministrum tempestivè non præmonuerit, quòd gravissimè laboret, quòd desit justus communicantium numerus. At justus communicantium numerus in Ecclesia visibili & constituta nullus est extra ipsam particularem Ecclesiam. Nam communio sacramentalis est nota Ecclesiæ visibilis, quam notam privati cœtus in eadem Ecclesia usurpare non debent. Duodecim imò 200 extra publicum conventum non magis constituent justum numerum communicantium, quàm tres aut quatuor. Et qua ratione instituendi sunt ægroti se edere carnem & bibere sanguinem Christi, etiamsi sacramentum ore non percipiant, quia non adsunt tres aut quatuor qui unà communicent, eadem debet institui se edere carnem & bibere sanguinem Christi, etiamsi sacramentum ore non perceperint cum jam non datur occasio & commoditas publici conventus, ubi celebrari debeat. A sanctuario arcendis Judæis promittit Deus se fore sanctuarium Ezech. 11 16. Si necessarium fuisset morientibus viaticum Eucharistia, Apostolus Iacob. 5 illius meminisset. Præterea frustrà hîc cautiones & leges quasdam præscribunt. Nam *hic difficillimum est cavere, ne alios superstitio, alios ambitio, & vana ostentatio ad petendum sollicitet,* ait Calvinus. Epist. 363. Præcepit Deus ne extra locum quem designaturus esset, carnem immolatitiam comederent, ne forte ipsa sacrificia contemnerentur. Quòd quibusdam legibus concedant quidam privatam cœnæ administrationem, non probo. Nam nullæ leges aut cautelæ efficient rem ipsam legitimam, cum semper dissoluitur communio sacramentalis totius Ecclesiæ particularis per cōmunionem sacramentalem cœtus privati in eadem Ecclesia. Cum, fateantur Rhemistæ in Ioh. 6 eos edere carnem, bibere sanguinem Christi, qui voto & desiderio adjungunt se iis, qui actu percipiunt Eucharistiæ sacramentum, & baptismi ac Eucharistiæ antè sæpius

perceptæ fructus nobis semper utilis sit, & actualis Eucharistiæ perceptio in privato cœtu etiam frequentiori publicum ordinem violat & sacramentalem communionem Ecclesiæ cujusque visibilis notam, superstitionem, contemptum neglectum parit, non est administranda in privato cœtu cœna dominica.

Sequitur *Sepultura. Sacerdos procedet obviam feretro ad ingressum Cœmiterii, & dicat, aut ministri & clerici, qui cum eo sunt, canant euntes vel ad templum vel ad sepulchrum has antiphonas Ioh. 11. Ego sum resurrectio &c. Iob. 19. scio quod redemptor &c. 1 Tim. 6 nihil intulimus &c. Cum ventum est ad sepulchrum, dum cadaver paratur imponendum, dicatur aut canatur Iob 14, homo natus &c. Antiphona. Medii vita in morte sumus, quem quærimus adjutorem nisi te Domine? qui pro peccatis nostris juste irasceris. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Salvator amaræ morti ne tradas nos &c. Dum cadaver terra injecta operitur, Sacerdos dicat Cum Deo visum sit ex immensa sua misericordia animam charissimi fratris nostri nunc defuncti ad se suscipere, corpus suum sepulchro committendū curamus, terram terræ, cinerē cineribus, pulverē pulveribus cum certa & constanti spe resurrectionis ad vitam æternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ juxta potentiam operationis suæ, qua potest sibi subjicere omnia. Tum recitatur Antiphona. Audivi vocem de cœlo dicentem, scribe, &c. Apoc. Deinde legitur lectio, 1. Cor. 15. Finita epistola minister dicet Kyrie eleyson, Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster qui es in cœlis &c. Minister. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Amen. Min. Oremus. Omnipotens Deus apud quem vivunt spiritus illorum qui hinc decesserunt in Domino, & quicum animæ electorum, postquam exuerunt onus huius carnis, lætitia & fœlicitate fruuntur, gratias agimus tibi immensas, propterea quod expedire voluisti N. fratrem nostrum ex ærumnis huius mundi impii, precantes ut placeat infinitæ tuæ bonitati brevi explere numerum electorum tuorum, & maturare gloriam regni tui, ut nos unà cum fratre nostro, & omnibus aliis vita defunctis in vera fide & confessione nominis tui, consequamur perfectam absolutionem & beatitudinem tum corporis tum animæ in tua perpetua & sempiterna gloria. Amen.* Collecta. *Misericors Deus Pater, &c.*

Canone 67 constitutionum anni 1603 indicitur, ut cum aliquis ex morbo decumbens in periculo mortis videtur constitutus, minister eundem visitet, *nisi exploratum sit vel probabiliter suspectum morbum esse contagiosum*, & tamen in libro liturgiæ, etiam pestis, sudoris, aut similium morborum infestis temporibus, minister tenetur solus cum solo celebrare sacramentum, si id enixè petierit ægrotus. *Morte verò jam ingruente, aliqua campana pulsabitur, neque minister supremo officio suo hac in parte deerit. Cum autem expiraverit, si ut quē expirare eum contingat, campana per breve tantummodo spacium*

utrinque

utrinque pulsabitur, quod idem tam ante quàm post sepulturam, observandum decernimus. In liturgia Anglicana deest *Ordo commendationis animæ*, qui habetur in rituali Romano pag. 141 & seqq. In canone isto non præcipiunt sed consulunt, ne supremo suo officio hac in parte desit minister, nec quid dicet, præscribitur. Addendum erat, si officio suo defungi queat. Rituali Romano de pulsanda campana habetur rubrica in ordine commendationis animæ. *Tunc, ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus ad significandum fidelibus in urbe vel loco, aut extra in suburbanis existentibus instantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare possint. Egressa anima de corpore statim dicatur hoc responsorium, Subvenite Sancti Dei &c. Interim detur campanæ signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur.* In canone Anglicano statuunt ut morte ingruente pulsetur ictibus ab uno latere, cum autem expiraverit, utrinque. Pulsata campana incerti sunt qui sonitum audiunt, cujus animam Deo commendare debent sitne frater & fidelis an excommunicatus vel infidelis. Nam non nisi permittente parocho pulsari vix credo. Quod etiam postquam expiravit utrinque pulsatur per breve spacium campana, in quem finem fiat nescio, si non in eundem quem respiciunt Pontificii, nempe ut suffragiis suis animam è corpore egressam juvent. Sic cum tam ante quàm post sepulturam pulsatur, cum deducitur mortuus cum cantu antiphonarum ad templum vel sepulchrum. Nam si vel orandum vel canendum, vel lectiones recitandæ, habent templum in quo hoc officium celebrare possunt, postquam defuncti sunt officio suo erga defunctum. Cum in oratione post corporis inhumationem dicit Sacerdos, *Precantes ut nos unà cum fratre nostro, & omnibus aliis vita defunctis in vera fide & confessione nominis tui consequamur perfectam absolutionem & beatitudinem tam corporis quàm animæ*, nonne orat pro fratre mortuo. Antiphonarum cantu & precum recitatione, dum comitantur funus, nonne error ille orandi pro mortuis confirmatur. Parochus primus inijcit terram in sepulcrum super cadaver, & quædam verba profert. Estne ministri munus sepelire mortuos? Non licebat sacerdotibus in veteri testamento interesse funeri, ne pollucrentur Levit. 21 quod jam licere fatemur ministro, tamen inde colligimus non fuisse partem muneris sacerdotalis hymnos aut psalmos canere aut preces fundere in funere mortui, vel concionem funebrem habere. Nec sacerdotes, nec levitæ, nec prophetæ eo munere in mortuorum exequiis functi sunt. Orationes funebres Nazianzeni & aliorum ab Atheniensium more videntur derivatæ. Qui mos in republica magis tolerabilis erat ubi Oratores mortui laudes prædicabant quàm in Ecclesia. Cum in omni funere non haberentur, patet in Ecclesiam introduci non Pag. 168.

posse absq; invidiosa prosopolepsia Ditiores hoc officio cohonestabuntur, neglectis pauperibus. Nam ad singulas funerationes non potest concionari. Etsi aliâs ratione dignitatis personarum alios aliis anteponere ei liceret, in ministerio tamen fungendo nihil faceret cum pauperum contumelia. Incumbit illi quidem ex officio solari viduas & orphanos, qui tunc temporis maximè egent consolatione. Conciones funebres in Anglia venales sunt, ut olim in papatu missæ. Imo pontificii dicunt majoris constare conciones funebres quàm missas. Nam cum 4 denariis missam, concionem non absque 4 florenis comparare possunt, nulli tamen harum concionum magis avidi sunt quam pontificii, quia missæ vicē supplere putant. Mercenarius concionator ad prędicandū potius mortui laudes, quàm dei verbum conductus, iniquissimum fœneratorem, scortatorem egregiū, dei expertē in mundo, qui ne vel unam forte concionem unquam audiverat, sanctorū albo inscribet, & toga lugubri aut amphori mercede promeriti ratione donabitur. Meritò igitur in synodo generali convocata Middelburgi anno 1581 canone 48 decretum *funebres conciones è medio tollendas nec iterum instituendas*, ut habet Schultingius in Aracrysi Hierarch. lib. 9 p. 5. Et synodi Provincialis Ecclesiarum Hollandiæ & Zelandiæ Dordraci celebratæ anno 1574 can. 47. *Funebres conciones introductæ, commodè & utiliter è medio tollentur, ubi non sunt injunctæ omittentur, ad evitanda pericula superstitionum quæ inde emanant. Ex eadem causa compulsationes campanarum tempore sepulturæ defunctorum omnino non debent tolli.* Nec solum conciones istæ funebres venales, sed etiam parœni officium in deducendo funere, canendo, legendo, &c D[illegible]bus super feretrum & cadaver, agapis erogatis & eleemosyna, & aliis ritibus vulgo usurpatis nihil dicam. Quod enim excommunicatos fideles qui ritus Anglicanos papatus reliquias amplecti nolunt, post obitum absolui oporteat, priusquam in ad cœmeterium sepulturæ locum admissi fuerint, supra diximus.

Sequitur *gratiarum actio pro mulieribus post partum. Accedet mulier in Ecclesiam, ibique in loco convenienti genua flectet juxta eum locum, in quo mensa Domini collocata est, & Minister mulieri propè adstans, hæc verba dicet, vel similia, sicuti ipsa occasio postulabit. Quandoquidem omnipotenti Deo ex sua bonitate visum sit, tibi salvam liberationem dedisse, inque magno partus periculo præservasse, maximas propterea gratias Deo ages & orabis. Deinde hunc Psalmum dicet minister*, nempe Psal. 121 *Levavi oculos meos, &c. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster qui es in cœlis &c. Et ne nos inducas in tentationem. Responsum. Sed libera nos à malo. Minister. Salvam fac Domine hanc famulam tuam. R. Quæ sperat in te. M. Esto illi turris fortitudinis. R. A facie inimici ejus M. Domine exaudi preces nostras R. Et clamor noster ad te perveniat. M. Oremus: Omnipotens*

Deus,

Deus, qui liberasti mulierm hanc famulam tuam à magna pœna, & in partus periculo, Concede quæsumus, misericordissime pater, vt ipsa tuo auxilio & fideliter viuat, & ambulet in sua vocatione, secundum voluntatem tuam in hac præsenti vita, ac etiam particeps fiat æternæ gloriæ in vita futura, Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen. Mulier quæ venit ad gratias agendas, solitas oblationes offerre debet, & si celebrata fuerit communio, convenit, vt ipsa sanctam quoque communionem recipiat.

Hæc pars in libro Liturgiæ 2 Edw. inscribitur *Purificatio puerperarum*. Vulgo dicitur, *the Churching of women*. In Ecclesia Orientali, ubi fœminæ quadragesimo à partu die infantem in templum deferunt vocant ἐκκλησιάζειν. Ritus iste introductus ad imitationem Purificationis Iudaicæ, ut patet tum ex nomine tum ex ritu ipso. Nam quæ ratio reddi potest, cur pro ista liberatione quæ est ordinaria, gratiæ magis agendæ sint in Ecclesia, & liturgia peculiaris præscribatur, quàm pro liberatione à naufragio, incendio, aliisve periculis extraordinariis, aut pro liberatione mulierum magis quàm virorum, si non id fieret κακοζηλίᾳ Iudaica. Refert author petitionis ad Reginam Episcopos quasdam mulieres castigasse, quia hunc ritum omiserunt. Quandoq; purificantur domi, ut refert Examinator libri liturgiæ, & sic vel in arrogantiæ earum morem gerit Parochus, vel in superstitione obfirmat, dum completo mense se purificari volunt, etiamsi nondum valetudinem recuperarint. Nec unquam ante præfinitum tempus egreditur puerpera, etiamsi ipsa obstetrice validior sit & robustior. Cum prodit in publicum, obvelatur tota fere facies, ac si puderet eam commisisse quid impudicum. Cum pervenerit ad ecclesiam, genua flectit juxta eum locum, in quo mensa Domini collocata est. Liber Buceri, qui erat Edwardi, sic monet, *Genuflectat mulier ante ingressum chori*. In Rituali Romano habentur hæ Rubricæ. *Si qua puerpera post partum, juxta piam ac laudabilem consuetudinem ad ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura, petituraq; à sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo & stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores ecclesiæ accedat, vbi illam foris ad limina genuflectentem & candelam accensam in manu tenentem aqua benedicta aspergat, deinde dicat, &c. Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in ecclesiam, dicens, Ingredere in templum Dei, &c. Et ipsa ingressa genuflectit coram altari, & orat gratias agens de beneficiis sibi collatis, & sacerdos dicit, Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, Pater noster, &c.* Sic hîc genuflectere oportet juxta mensam, ac si locus ille esset aliis sacratior, proculdubio, quia altaris vicem supplet, imo mensa ut altari utuntur in celebratione cœnæ, sicut supra ostendimus. Certior redditur quod interdiu eam sol non percutiet, aut luna noctu. Nec tam gratias agit, quàm pe-

Pag. 62.

Pag. 149.

tir. Petit autem pro ea sacerdos auxilium, vt fideliter vivat & ambulet in vocatione sua, ac si ex puerperio immunda esset, nec quid aggredi auderet absque ista purificatione. *Parochus Romanensis dimittit cum ista benedictione. Pax & benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.* Peracta precatiuncula offert oblationes. Liber Buceri sic habet, *Mulier offeret Parocho vestem lineam, qua puer in baptismo fuit indutus juxta morem hactenus observatum.* An hunc morem nunc observent, nescio. Oblationes tamen offerunt ut in eo quoq; eo propius accedant ad purificationem Iudaicam. *Quum autem impleti fuerint dies purgationis eius à filio aut à filia, afferto agnum anniculum in holocaustum & pullum columbae, aut turturem in peccatum, ad portam tentorii conventus sacerdoti. Qui offerens illum coram Jehova expiationem faciet pro ea, sic purgata erit a profluvio sanguinis sui. Hæc esto lex puerperæ à mare aut à fœmina.* Levit. 12. 6. 7 De Iudaizante ecclesia in ritibus diximus capite nono, vide pag. 509. & seqq. De privata cœna jam sæpius dictum.

Sequitur *Comminatio in peccatores, cum precibus quibusdam vtendis diversis anni temporibus. Post matutinas preces populo convocato per campanæ pulsationem, & in ecclesiam conveniente, Litania Anglica juxta morem assuetum dicenda erit: qua finita minister suggestum ascendet, ac dicet. Fratres in primitiva ecclesia pia erat disciplina, vt in initio Quadragesimæ tales personæ, qui peccatores erant manifesti ad publicam pœnitentiam essent coacti, & in hoc mundo correpti, quo eorum animæ fuerint salvæ in die Domini: & vt eorum exemplo alii admoniti magis extimescerent peccare. In cuius loco (donec eadem disciplina iterum restitui possit, quod maxime est optandum) visum est, &c.* vide supra, pag. 711. In libro Buceri hujus partis hic titulus, *Die cinerum ceremoniæ.* De cujus diei ritibus vide pag. 712. Vice huius publicæ pœnitentiæ, leguntur comminationes & execrationes in impenitentes ex Deut. 27. & aliis scripturæ locis. Vide censuram, p. 711. 712.

Hactenus de vocatione & functione Presbyteri Anglicani ejusque partibus. Subjicit Mucketus,

In his fere omnibus peragendis congruo superpelliceo & caputiis, si gradum aliquem in Academia susceperunt, indui.

In his fere omnibus, nempe in precibus matutinis & vespertinis, administranda cœna & baptismo, celebrando matrimonio, defunctos sepeliendo, puerperas purificando. Canone 17. constitutionum anni 1603, sic decretum. *In omnibus vtriusque Academiæ collegiis & aulis præfecti ac Socii, cæterique Scholares ac studiosi in ecclesiis & capellis suis per singulos dies Dominicos & festivos, eorumq;*

vigilias

vigilias tempore divinorũ superpelliceis (juxta Ecclesiæ Anglicanæ mores ac instituta) vtentur: quotquot verò gradũ aliquem susceperint, caputia hoods *suo cujusque gradui competentia superpelliceis suis superinduent.* Canone 24 cœnã administrantibus in Ecclesiis Cathedralibus in festis solẽnibus, sive sit episcopus, sive decanus, sive præbendarius vel Canonicus, Capę usus imperatur. Canone 25 Superpelliceorũ & Epomidum Anglicè Hoods, usus, cœna administrata, in Ecclesiis Cathedralibus indicitur. *In Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, cessante cœna dominica, satis erit tempore divinorum Superpelliceis duntaxat vti: nisi quod Ecclesiarum collegiatarum Decani, magistri & præfecti, itemque Canonici, ac Præbendarii (dummodo graduati) cum Superpelliceis Caputia gradibus suis respectivè congrua inter rem divinam gerere tenebuntur.* Canone 58 sic constitutum. *Minister quilibet, dum vel publicas preces recitat vel sacramenta administrat, aliosve Ecclesiæ ritus peragit, decente & congruo Superpelliceo, eoque manicato induetur, quod communibus parochianorum impensis comparabitur. Siqua autem controversia super eiusdem materia vel competente decentiori oriatur, ordinarii discretio eandem terminabit. Quotquot verò ex ministris gradum aliquem in Academia susceperint, ii inter sacra peragenda Superpelliceis suis adiicient & Caputia singulorum gradibus convenientia, quorum tamen vsu Ministris minimè graduatis, sub pœna suspensionis, interdicimus. Nihilominus & huic ministrorum classi (loco Caputiorum) Liripipia* tippets *permittimus ex nigro (modo ne serico) suis Superpelliceis iniiciendo.* Canone 74 statutum ut prælati & Clerici certa & præscripta forma habitus uterentur in omnibus locis & conventibus tàm intra quàm extra Ecclesiam, quo à populo discerni possint ac internosci, *vt ea ratione honorem & existimationem specialibus omnipotentis Dei nuntiis & ministris debitam consequantur. Statuimus & ordinamus, vt omnes Archiepiscopi & Episcopi, consuetum ordinum suorum habitum non intermittant. Similiterque, vt omnes Decani, Collegiorum præfecti, Archidiaconi, & Præbendarii Cathedralis & Collegiatæ cujusque Ecclesiæ (modò in sacris ordinibus constituti) Doctores in Theologia, jure civili, & medicina, Baccalaurei in Theologia, Magistri artium, & Baccalaurei in jure civili (si quidem Ecclesiasticum aliquod beneficium obtinent) togis cum collaribus erectis, manicisque ad manum contractioribus, vel laxioribus (prout in Academiis vsitatum est) vnà cum Caputiis, vel Liripipiis ex serico, & pileis quadratis de more vtantur: vt & alii omnes ministri ad idem munus admissi, vel admittendi, prædicto vestitus genere (exceptis tantũ Liripipiis) consuetum induantur. Pari ratione vlterius decernimus, vt Ecclesiastici omnes superius nominati in itinere vsitatius gerant palliacũ manicis (quæ vulgo Presbyterorũ pallia appellantur) sine fimbriis, limbis, fibulis oblongis, aut scissuris,* without gards, welts, long buttons or cuts. *Nullus item in quocunque ordine Ecclesiastico positus, pileolo vllo lineo acupicto,* any coife or wrought night-cap *vtetur, sed simplice*

tantùm ex nigro serico, tramoserico satten, *aut holo serico* velvet. Et infra, *Ceterum in privatis ipsorum domiciliis ac Musæis decentis cujuslibet & scholastici vestitus usum (modo ne scissuris aut puncturis variegati* cut or pinckt) *dictis personis Ecclesiasticis permittimus; proviso, uti ne in publicum nisi promissis vestibus* cassocks *induti prodeant, nec tibialia gerant colorata*, light coloured stockins. *Tenuioribus verò sive Beneficiatis sive Curatis qui talarium togarum sumptibus non sufficiunt, liberum erit togis uti curtioribus ad formam prædictam comparatis*. De vestitu communi clericorum similia statuerunt olim Stephanus, Peccham, & Stratfordus Cantuarienses Archiepiscopi. Stephanus, *ut tam Archidiaconi quàm decani, & omnes alii in personatibus & dignitatibus constituti, item ut omnes decani rurales & Presbyteri decenter incedant in habitu clericali, & cappis clausis utantur. Idem quoque observent officiales ipsorum Archidiaconorum, cum fuerint in consistorio.* Peccham, *ut quilibet Clericus constitutus in sacris ordinibus vestem exteriorem gerat dissimilem militari vel laicali, utpote anterius & posterius non birratam vel saltem ex forma militari vel laicali congrua honestate dissimilem.* Stratford, *ne incedant publice clerici veste superiore brevi aut stricta notabiliter, aut cum longis & latis excessive manicis cubitos circumquaque non tegentibus.* Similia habentur etiam decretalium libro 3 tit. de vita & honestate clericorum. Apostolus ministrum vult esse κόσμιον compositum in vestitu 1 Tim. 3 2, non autem ab aliis omnibus habitu secerni. Nam idem præcipit mulieribus, nempe ut amictu honesto cum verecundia & modestia ornentur, non cincinnis vel auro vel margaritis vel pretioso vestitu 1 Tim. 2 9. *Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano*, ut ait Hieron. *Vestes pullas æque devita* ait idem, *ac candidas. Ornatus, ut sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias alterum gloriam redolet. Parsimoniam cum veste humili non reprobamus sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus* dixerunt Gangrenses in Concilio suo. Infucatum vocant non pretiosè fucatum. Hic peccant ipsi Episcopi præ aliis, Decani, Archidiaconi, aliique in dignitatibus constituti. Nam Episcopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habere debet, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærere, secundum canonem 4 Concilii Carthag. *Clericus nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat* can. 45 ibidem. Quærunt tamen illi decorem & auctoritatem his externis mediis. Canones prohibentes vel colorem vel formam levitatis indicia probamus, non tamen formam præscribentes particulariter. Linduodius ait, *quod licet certi colores & formæ prohibeantur clericis, tamen non habent certum habitum eis deputatum nec in colore nec in forma, & ideo possunt qualicunque veste uti eorum statui congruenti, dummodo eis non sit expressè prohibita.* Distinctionem levitatis & gravitatis agnoscimus sed in forma & figura aliam

Provinciale Lindwod. li. 3 tit. de vit. & honest. Cler.

Ad Eustoch. de custod. virg.

Ad Nepotia.

Provl. l. 3 tit. 1 c. 1 verb. habitu Cler.

aliam præterea distinctionem in qua non gravitatem, sed merum discrimen statuunt, constituere canone aliquo, Episcopos otio nimio abundare arguit. Quis enim usus esset hujus discriminis in vestitu? An, ut in Canone Anglicano dicitur, *Vt Prælati & Clerici tam in externo honore quàm interna reverentia propter ministerii sui dignitatem haberentur, vt certa & præscripta forma vtentes in omnibus locis & conventibus tam intra quàm extra Ecclesiam discerni possent ac internosci, vt ea ratione honorem, & existimationem specialibus omnipotentis Dei nunciis & administris debitam consequerentur.* Caputiis & Liripipiis, erectis collaribus, manicis contractioribus, pileis quadratis &c. scilicet, conciliatur honor & existimatio Dei nunciis & administris. *Omnia opera sua faciunt vt spectentur ab hominibus, dilatant enim Phylacteria sua & producunt fimbrias palliorum suorum amantque primos accubitus in cœnis, & primos consessus in conventibus & in foris salutationes, & vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi,* Matth. 23. 5 6 7. Nam nescio in quem alium finem internosci cupiunt in omnibus conventibus, nisi propter salutationes, primos accubitus & cõsessus. Apostoli non discernebantur ab aliis vel fidelibus vel infidelibus vestitu. Quod referunt de Iohannis petalo ostendimus esse meram fabulam. Præterea si verum, fuit singulare in Iohanne. Non sequitur omnes Apostolos vestitu ab aliis separatos fuisse, sicut nec ex eo quod referunt Iacobum Apostolum fratrem Domini nunquam induisse laneam vestem, sed sola syndone linea usum. Sed de communi non de sacerdotali habitu loqui Clementem monet Iunius, quia sacerdos ortu erat, ut refert Clemens, & sacerdotibus templum ingressuris vestes lineæ imperatæ sunt. Apostolus cum pœnulâ reliquit Troade, num pallium Presbyteri induit accincturus se ad iter, 2. Timoth. 4. 13. Ex quo loco Th. Beza redarguit pictorum inscitiam, *quibus vsitatum est, cum laxis vestibus ac planè togatos Apostolos ineptissimè pingere, quos dubium non est vel penulatos potius vel qui fuit veterum Christianorum habitus, palliatos, aut Iudæorum more longioribus, sed succinctis vestibus oberrasse.* Apostoli idiomate & dialecto potius noti quod Galilæi, quàm certo habitu quod Apostoli. In veteri testamento non fuit præscripta Sacerdotibus & Levitis certa forma aut figura vestitus extra sacra. Peniculamentum in oris vestimentorum erat ipsis commune cum aliis Israelitis, Num. 15. 38. Prophetas extraordinem excitatos extraordinario quoque amictu usos testatur Zacharias, cap. 13. *Ita erit die illo, vt erubescant illi prophetæ quisque à visione sua, quum prophetaverit; neque induent togam villosam vt mentiantur,* Zach. 13. 4. Elias vir pilosus, id est villosa veste amictus, & cingulo pelliceo accinctus dicitur, 2. Reg. 1. 8. Togam villosam injecit Elizæo, cum vocatus & assumptus fuit in numerum Prophetarum, 1. Reg. 19. 19. Sic Iohannes baptista extra ordinem excita-

Cont. 5. l. 2. cap. 40.

tus ad prædicandum resipiscentiam & remissionem peccatorum extraordinario quoque amictu vocationem suam indicabat. Cujus exemplo si qui certam amictus formam præscribi ministris evangelii volunt, victus quoque leges imponant. Nec facilè concederem prophetas veteris testamenti toga villosa semper indutos fuisse, sed tantùm cum prophetarent. Nam Zacharias ait, erubescent prophetæ illi quisque à visione sua cum prophetaverit, neque induent togam villosam, ut mentiantur. Cum signis externis conversione & resipiscentia opus esse monere volebant, cujus signum externum erat cilicium aut toga vilis, quandoque alia signa usurpare volebat Dominus præter illud vulgare, quibus miseriam & calamitatem venturam quodammodo repræsentarent. *Abi & solve istud cilicium*, id est togam villosam, *à lumbis tuis, & calceamentum tuum extrahe de pede tuo, qui fecit ita incedens nudus & discalceatus*, ait Dominus Ies. 20. Schaul à Schemuele quæsivit ubi nam esset Domus Videntis, cui respondit Schemuel, ego sum Videns, 1. Sam. 9. Si fuisset ordinarius vestitus prophetæ toga villosa, facilè ex vestitu potuisset dignoscere Schemuelem fuisse Videntem seu prophetam. Sed detur ordinariè usos fuisse prophetas toga villosa, erat tamen ut dixi habitus extraordinarius, quem sic describit Iunius. *Erat autem in vetere illa Addereth Sehar, id est, toga sive abolla maior, eaque villosa atque impexa & rudis, plerimùm coloris nativi, id est, coloris fusci, quoniam his vestibus nullo studio aut accuratione opus est. Neglectæ sunt & neglectum præ se ferunt, nec Dominum suum in cura purgandi aut eluendi occupant. Hunc colorem Carthusiani ante annos 460 in usum revocarunt.* Si episcopi Prophetarum exemplo extraordinario vestitum præscriptum clero indicere volunt, induant ipsi togam villosam aut cilicium, vestes horridas & asperas, ad demonstrandum mundi contemptum. Sic maiorem consequentur honorem & reverentiam quàm liripipiis ex serico, aut tunicis ex holoserico, etsi hîc quoque à sanctitatis simulatione metuendum esset. Nam monachorum vestibus sepeliri salutare habetur in papatu. Sed redeamus. Pastores in primitiva ecclesia ab aliis Christianis præscripta amictus forma non secernebantur. Pallium de quo Tertullianus loquitur, non erat pallium presbyteri, sed commune Presbyteris cum aliis Christianis. Christiani conversi posita toga, quæ Romanorum erat indumentum, assumpserunt pallium Græcorum & Philosophorum habitum frugalitatis gratia, tanquam vestem simpliciorem & simplicitati religionis Christianæ respondentem; unde vulgari convitio *Græci* dicti, & ab iniectione pallii, quod tunicæ superimponebant, *imponentes*, & quoties Christianus aliquis prodiisset, statim illud è trivio audiebat: *γραικὸς ἐπιθέτης* ad impostoris nomē allusione facta, ut observat Rhenanus. Iustinus & Hermes Philosophi ad Christianismum conversi

Cont 5 l 2 c. 40. n. 1.

pallium

pallium vestem philosophicam retinuerunt. Epitogia, liripipia, pilei quadrati, bardocuculli & id genus aliæ vestes, non ante excogitata quàm Antichristus clerũ eximere tentavit à jurisdictione & potestate principum, ut suum stabiliret in quolibet regno regnum, & natione à natione distinctam, quam peculiari forma vestitus ab aliis subditis secernendam è re sua fore sentiebat. Si discrimen ullum in forma vestitus admittendum esset ob honorem cleri, tamen non esset illud probandum quod Antichristi jurata mancipia à plebe discriminat. Nam sic dum secernitur à plebe clerus, cum clero Romano confunditur, quod tam absurdum est & inordinatum, ac si in castris confunderentur tesseræ militares. Histrionicus præterea est iste habitus & ridiculus, distinguens signis quæ nulli usui inseruiunt, nec ad ornatum, nec ad commoditatem. Pendet a scapulis caputium, sicut quandoque morionibus, nec commodum utenti nec decorum. Renuit Bucerus uti pileo quadrato. Cum quæsivissent ab eo quid impediret, quia, inquit, caput mihi natura rotundum formavit. Sic refert Pilkingtonus epistola ad Comitem Leycestrensem. Eodem fere modo argumentatur Tertullianus contra coronam militis. *Tam contra naturam est*, inquit, *florem capite sectari quàm cibum aure, quàm sonum nare. Omne quod contra naturam est monstri meretur notam, penes nos verò etiam elogium sacrilegii in Deum naturæ dominum & auctorem.* Rogerus Anglicanæ Ecclesiæ Protomartyr pileum renuit, nisi manicæ sacrificuli calicem apponerent, ut discrimen servaretur inter eum & socrificulos: Scōmate isto indicare voluit non modo discrimen servandum inter ministros Christi & Antichristi, sed etiam pileum non decere ministrum. Philpotus maluit secludi à nationali conventu Cleri, quem domum convocationis vocant, quàm interesse cum pileo & liripipio. Hæc habet Foxus in Actis & Monumentis Martyrum. Hoc igitur volumus, etsi concederemus vtile fore discrimen inter ministrorum aliorumque fidelium habitum, tamen nec assumendum habitum cleri Romani, nec alium quemvis histrionicum. Si ob commodum reipublicæ utile aut necessarium esset discrimen inter ministros & alios cives, eo casu non improbandum concedo, sed hac lege, ut non quâlibet pro arbitrio suo præscribat formā magistratus. *Quid si enim jubeantur ministri perinde, vt moriones ac histriones vestiri. Amon manifestũ esset ludibriũ ecclesiastici muneris*, ait Beza. Quid si habitum sacerdotalem plerisque etiam Papistis ridiculum in communi usu præscriberet Magistratus? Christus ludibrio exponeretur in servis suis, sicut in persona propria, cum ab Herode ad Pilatum missus, & contumelia in ipsum redundaret Evangelium, quo nihil illis charius esse debet. Sentio igitur, etiam dicto casu, non absque vel libera electione vel consensu hoc jugum ministris Evangelii imponendum esse, cum ad discrimen eo casu servandum

De Coron. mil. cap. 5.

Epist. 12.

vandum in genere parati sunt. Qui alios instituere & monere jubentur, ignari sunt scilicet quomodo ipsi decorum servent in vestitu 1 Tim. 2. 9 1 Pet. 3. 3. Est præterea in hoc discrimine non modo conformitas cum habitu Cleri Romanensis sed etiam eadem quæ apud illos confusio. Nam non modo Episcopis & Presbyteris, sed etiam aliis in dignitatibus cōstitutis, doctoribus juris civilis & medicinæ, Baccalaureis in jure civili & magistris artium, si Ecclesiasticum aliquod beneficium obtinent, eadem habitus forma præscribitur. Sic honor externus & reverentia quam prætexunt debitam Dei nunciis & ministris, communicatur doctoribus & Baccalaureis juris civilis, & beneficio non officio honor defertur. Quid Episcopis cum medicorum aut doctorum juris civilis præscripta vestitus forma. Sed transeamus ad alterum usum vestium nempe in sacris. Superpellicei ceu vestis lineæ usus in sacris distinctionis gratia non indicitur. Quid enim opus distinctione in sacris, ubi ipsa actio ministrum sacra administrantē distinguit à reliquo cætu. Non ornatus aut gravitatis causa: nam tunc etiam extra sacra eo uti deberent. Etsi usus albarum ceu candidarum vestium apud veteres frequens fuerit & fere vulgaris, hoc tamen sæculo comœdum in theatro, histrionem aut morionē, non virum gravem deceret. Sequitur ergo ob ceremoniam aliquam ejus usum nobis commendari & obtrudi. Imo profitentur ob significationem. Significat autem sanctitatem & puritatem quæ in ministro præsertim, dum ministrat sacra, requiritur. Est igitur vestis symbolica Sicut color albus est naturalis, purus, sincerus, lucidus, ita ad puritatem & sinceritatem repræsentandam & significandam adhibetur & hæc est analogia signi & rei significatæ. At ceremonias aut res symbolicas in Ecclesia Christiana instituere & signis à Deo institutis addere nobis non permissum probavimus capite nono de adiaphoris. Ministri, inquit, P. Martyr, sunt angeli & nuntii Dei. Angeli semper fere albis apparuere vestibus. Ergo qui hæc defendunt prætexere poterunt honestam justamque significationem à scripturis non alienam. Intelligit angelicam puritatem & sanctitatem. Sed albæ vestes quibus apparuerunt Angeli, respondet Cartwrightus, significabant puritatem naturæ angelicæ quæ reipsa angelis inerat, & proinde non erat falsum signum, vel potius eorum gloriam vel utramque. Si ullius ponderis esset ista ratio ministri potius debent uti alis, quia alati describuntur. Nam alis repræsentabatur velocitas ad præstandum quæ à Deo imperata forent. Ratione officii & ministerii non puritatis naturæ assimilantur angelis ministri Dei nuntii. Sed huic argumento non fidit ipse P. Martyr, Quid alii prætexere possunt qui Superpellicei usum defendunt, potius indicat quàm seriò argumentatur. Idem Martyr qui affectu præpostero erga Hooperum ductus consuluit

Epist. pag. 1088.

potius

potius cedere, quàm deserere ministerium, mutavit sententiam, Vide supra pag.602. Christus sacram cœnam celebrans nullas nisi commmunes habuit vestes, quod agnoscunt ipsi Pontificii. *Planè etsi Christus cœnæ sacramentum instituens non aliis quàm propriis vestibus usus sit, Ecclesia tamen variis rationibus sacerdotes ac ministros ad offerendum & sacrificandum ordinatos, non sine ornamentis mysticis ad hoc officium sanctitatis sacris operari constituit*, inquit Durantus. Suarez etiam absque vestimentorum apparatu cœnam celebrasse fatetur. Vestes sacerdotales non esse Apostolicas asserit Walafridus Strabo. *Primis temporibus*, inquit, *communi indumento vestiti missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur*, vide supra pag.542. De candida veste primus loquitur Hieronymus cujus ætate rituum multitudine oppressam Ecclesiam conqueritur Augustinus. *Quæ sunt*, inquit, *inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint?* Nullæ inimicitiæ, si tantum mundicies spectetur. Sed lib.13 comment in cap.44. Ezech ait, *Per quæ discimus, non quotidianis & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum sed munda conscientia & mundis vestibus tenere Domini sacramenta.* Probat exemplo veteris testamenti, communibus vestibus non utendum in ministerio, ac si pollutæ essent, quod quid aliud est quàm Iudaismum in Ecclesiam invehere. *Deinde institutum fuit*, ait Ivo Carnotensis, *auctore S. Hieronymo in cap.44 Ezechiel.ne cum pollutis pro usu vitæ communis vestibus sacra conficiantur, ut discant Ecclesiastici, cum munda conscientia & virtutum vestibus adornati, Domini sacramenta tractare.* Ante Hieronymum candidæ vestis meminit nullus author probatus. Erat quidem albæ vestis apud veteres usus frequens. Salomon ait, *Quovis tempore vestimentæ tua sint candida.* Diebus festis & in conviviis coloris albi usus obtinebat tū apud Iudæos tum apud Romanos. Philo de vita thoaretica testatur Iudæos olim dierum festorum convivia λευχειμονοῦντας hoc est, albatos ceu candidatos agitare fuisse solitos. In manumissionibus apud Romanos servi candidati ad cœnam Domini sui admittebantur. Honorum & magistratuum petitores candida toga induebantur. In sacris quoque vestimenta sacerdotalia erant alba & pura, id est nullo colore infecta, aut sordibus polluta. *Procedunt castris, puraque in veste sacerdos*, ait Virgilius. Romanorum & togam albam & tunicam & calceos & omne vestem cottidianam docet Lipsius Elect l.1 c.13 & togas vulgo fuisse coloris albi non candidi. Albus color nativus lanæ est, candidus propriè splendens, ille qui est ab arte. Ideo Polybius togam Petitorum λευκὴν maluit dictam quàm λαμπρὰν. Nam Petitores non contenti insito lanæ colore cretæ quoddam genus addebant

De ritib. lib. 2 c.9 num.3

In 3 part. tom.3 disp. 82 s. 2.

Hierony. l. 1 advers Pelag.

Epist. 124.

bant, ut splendesceret vestis. Propter has togas albas fullonum apud veteres creberrimus usus, qui maculas scilicet & sordes è toga eluebant, & addito furfure ac creta iterum candidam faciebant. Quandiu alba toga in usu communi, discrimen nullum fuit inter cives à colore vestis, nisi quod divites, munduli, & elegantes semper in toga sua à fullone nivea, vulgus togis magis pallentibus & sordidioribus vestiebatur, diebus tamen festis togas recentes & usu nondum sordidas induebant. Viri nobiles & illustres rei facti per dies judicii sumebant hanc togam sordidam posita nivea, ut miserabiliores essent in veste plebeia. Hæc Stuckius ex Lipsio. Non desiit usus albarum & candidarum vestium ætate Hieronymini, ut patet ex epistola ad Marcellam de ægrotatione Blesillæ ubi de Christianis agens qui propter vestitum viliorem, à Paganis nonnunquam etiam à pseudo Christianis, riderentur. *Nos, qui serica veste non utimur, Monachi judicamur: quia ebrii non sumus, nec cachinno ora dissolvimus, continentes vocamur, si tunica non canduerit, statim illud è trivio, impostor & Græcus est.* Vbi patet adhuc durasse usum albarum vestium etiam in communi usu; & Christianos tunicis candidis indutos rigidiores quorum tunica sordidior licet alba, non tamen candescebat, irrisisse. Candidas tamen vestes retinuerunt in baptizatis. Nam baptizati in vigilia paschatis incedebant veste candida induti per octo dies, atque octavo demum die vestem albam deponebant. Vnde & in cœnæ dominicæ administratione colligit Stuckius album vestitum antiquitus adhibitum ex eodem Hieronymi loco, lib. contra Pelagium. *Verisimile est, cum eos qui sacrosancti illius epuli communione fruebantur, tum eius sacerdotes atque Diaconos albas vestes gestasse.* Non solum Presbyteros & Diaconos, sed etiam alios fideles in cœnę celebratione albis vestibus usos opinatur. Et conjectura valde probabilis est, partim quia assueti erant in paganismo diebus festis autlętitię togas recentes sumere usu non sordidas, partim quia Hieronymus ait, *Quæ inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem.* Mundior erat & candidior cotidiana veste licet alba sed sordidiore. Nam in publicis conventibus sordes non erant affectandæ, maxime ab iis qui publicè in conspectu totius cœtus fungebantur ministerio suo, ut Presbyteri & Diaconi, aut sacris initiabantur ut baptizati. Istam munditiem majorem civilis decori & honestatis causa usurpatam ad mysticas & morales significationes postea detorserunt. Vt candida vestis apud Romanos insigne erat manumissionis, in baptismo liberationis è servitute peccati & Satanæ ad serviendum Deo in vitæ puritate & sanctitate signum interpretati sunt, & mundiorem presbyterorum & Diaconorum vestitum in sacris quàm extra sacra, munditiæ mentis symbolum. Obsolescente paulatim communi albarum vestium & succedente nigrarum usu

Antiquit. convivi fol. 239.

usu mansit nihilominus in sacris earum usus. Chrysostomi ætate nigrarum vestium usus communis crebrior erat apud Episcopos præsertim & sacerdotes, nondum tamen omnino desierat; Sisinnius cuidam ex Arsacii necessariis sciscitanti, cur veste Episcopo insueta vteretur, nempe alba, respondit. Tu prius dic mihi, ubi sit scriptum, episcopum debere nigra veste vti. Ex quibus patet nondum exolevisse usum vestium albarum. Alioquin pro ostento habitus fuisset Sisinnius. Merito tamen reprehensus Sisinnius, quòd iis uteretur, cum alii eiusdẽ ordinis & functionis episcopi nigris vestibus uterentur. Imo cum maximo in pretio esset earum usus rigidi & graves non amabant eximium illum candorem in vestibus. Cato in toga nec laxitatem nec nimium candorem desiderabat, unde unus apud Horatium. *Exiguaque togi simulat tesquore Catonem.* Conjicio itaque idem accidisse albis vestibus, quòd linguæ latinæ, cujus usus olim vulgaris adhuc manet in sacris. Sed sive, affícta solum significatione, manserint, sive introductæ fuerint ad significandum mysteria religionis aut officia pietatis, vel Iudæorum imitatione vel æmulatione cum ethnicis, superstitionis maculam inde acceperunt. Nec ob materiam, nec colorem, nec formam artificialem litem moveremus, modo decens esset habitus, sed usum mysticum significandi, & commonefaciendi de officio nostro sanctitate & puritate mentis in sacris administrandis probare nullo modo possumus. Nec, cur magis à ministrante quàm percipiente sacra assumendæ sunt, capio, aut cur à baptizatis magis quàm eucharistiam accipientibus, vel à baptizatis aut communicantibus magis quam aliâs orantibus, aut psallentibus, aut concionanti aûscultantibus. Nam in omnibus aliis requiritur ista mentis munditics & puritas in sacris, æquè ac in Presbyteris & Diaconis aut baptizatis. Videmus itaque quomodo albæ vestes quæ apud ethnicos & Iudæos erant lætitiæ indicia sicut nigræ aut pullæ luctus, adhibitæ sunt à veteribus ad symbolicam puritatis & sanctitatis significationem. Quando verò alba vestis cœperit esse linea non constat. Nam candidæ vestes apud veteres Romanos erant laneæ non lineæ. Herodotus testatur sacerdotes Ægyptiorum vestibus lineis indutos. Plinius l. 19, *vestes lineas sacerdotibus Ægyptiis gratissimas esse eo genere lini, quod gosypion & Xylon vocant, vnde Xylina dicta sunt quibus nulla sunt candore mollicieve præferenda.* Hieronymus in Ezech. 44. *Vestibus lineis vtuntur Ægyptii sacerdotes non solum intrinsecus sed & extrinsecus,* Hinc dicti a poeta *turba linegera.* Durandus hanc rationem reddit hujus ritus. Inde est quod potius lineis vestibus utuntur, *quia sicut linum multo labore ad candorem perducitur, sic necesse est per multas tribulationes ad regni gloriam pervenire.* Videtur lineam vestem elegisse, quia ad candorem lucidiorem perduci possit quam lanea. Superpelliceum sic describit Durandus. *Est & alia quædam*

Socrat. l. 6. c. 22.

Ration. l. 3. ca. 1. nu. 15.

Rational. l. 3 ca. 1 nu. 10. *vestis linea quæ superpelliceum dicitur, quo quibuslibet servitiis altaris & sacrorum vacantes super vestes communes uti debent. Superpelliceum autem primò propter sui candorem, munditiam ceu puritatem castitatis designat. Iuxta illud, omni tempore vestimenta id est opera tua sint candida & munda: propter nomen verò suum carnis mortificationem figurat. Secundo dictum est superpelliceum, eo quòd antiquitus super tunicas pelliceas de pellibus mortuorum animalium factas induebantur, quod adhuc in quibusdam Ecclesiis observatur, repræsentantes, quod Adam post peccatum talibus vestitus est pelliciis. Tertiò denotat innocentiam: & ideo ante omnes alias vestes sacras sæpe induitur, quia divino cultui deputati innocentia vitæ cunctis virtutum actibus superpollere debent. Quarto propter sui latitudinem congruè charitatem designat. Vnde super prophanas & communes vestes induitur: ad notandum quòd charitas operit multitudinem peccatorum. Quinto propter sui formam, quia in modum crucis formatur, passionem Domini figurat; quodque illud gerentes crucifigi debent cum vitiis & concupiscentiis. Fiunt autem superpellicea in quibusdam locis de Chrismalibus lineis quæ ponuntur super infantulos baptizatos.* Videmus usum & multiplicem significationem superpellicei. Walterus Cantuariensis in constitutione provinciali sic statuit, *Præcipimus etiam ut qui altari ministrat suppelliceo induatur.* Vbi Linduodius. *Altari ministrat videlicet Præsbytero celebranti assistens; & idem in tempore missæ ministrans, vel potest intelligi de sacerdote quovis tempore accedente ad altare, ut aliquid faciat vel disponat circa corpus Christi, ut videlicet illo tempore sit indutus suppelliceo. Et juxta communem intellectum dic suppellicio .i. veste linea ad talem usum præparata. De qua tamen veste non memini me legisse in toto corpore juris canonici vel civilis, nec etiam in sacra scriptura. fit tamen de eo mentio infra titulo de Ecclesiis ædificandis cap. Vt parochiani. Et potest significare per tunicam lineam, qua induebantur filii Aaroni in veteri lege. De qua legitur Exod. 28, ad finem. Sed æstimo, quod propriè suppelliceum est indumentum de pellibus confectum; sed in nostro communi usu intelligitur, ut prius dixi.* Capite citato *Vt parochiani* sic distinguit à Rocheto. *Superpelliceum habet manicas pendulas, sed Rochetum est sine manicis & ordinatur pro clerico ministraturo sacerdoti, vel forsan ad opus ipsius sacerdotis in baptisando pueros, ne per manicas ipsius brachia impediantur,* Non modo ad missę sacrificium sed etiam ad alia officia quæ erant præparationes vel appendices missæ adhibebatur. *Ordo ad faciendā aquam benedictam. Die Dominica in sacristia præparato sale & aqua benedicenda Sacerdos celebraturus missam vel alius ad id deputatus alba vel superpelliceo indutus cum stola circa collum primo dicit* &c. Vnde Latimerus cum in degradationis solennitate detraheretur ei superpelliceum dixit. Non possum jam amplius parare aquam benedictam. Vestes sacerdotales omnes sacras existimant Pontificii, & vim habere muniendi sacerdotes à tentationibus maligno-

Provinc. de offic. Archid. cap. Sint Ecclesiarum.

Missale Roma. p. 90.

rum

rum spirituum ut patet ex benedictione sacerdotalium indumentorum. Orant, ut Deus qui per Mosen famulum suum pontificalia & sacerdotalia ceu levitica vestimenta ad decorem & honorem nominis sui decrevit hæc indumenta sacerdotalia, desuper irrigante gratia sua ingenti benedictione purificare, benedicere, & consecrare dignetur, ut divinis cultibus & sacris mysteriis apta & benedicta existant. *His quoque sacris vestibus pontifices & Sacerdotes seu Levitæ tui induti ab omnibus impulsionibus seu tentationibus malignorum spirituum muniti & defensi esse mereantur; tuisque mysteriis aptè & condignè servire & inhærere, atque in his tibi placitè & devotè perseverare, tribue.* Cum igitur præter usum symbolicum aliis insuper modis pollutæ fuerint in papatu, ex Ecclesia ejiciendæ sunt. *Polluetis tectorium sculptilium argenti tui, & amictum fusilis ex auro tuo: separabis ea, ut laborantem ex mensibus; apage dices unicuique eorum*, Ies. 30 22. In constitutionibus anni 1571 sic statuerunt Episcopi Anglicani. *Nullus nec Decanus, nec Archidiaconus, nec Residentiarius, nec præpositus, nec Custos, nec Præfectus alicuius collegii, aut Ecclesiæ Cathedralis nec præses nec rector, nec quisquam ex illo ordine, quocunque nomine censeatur, utetur posthac amictu illo, quem appellant Grajum Amicium, aut alia veste simili superstitione contaminata.* Hac ratione nec capa nec superpelliceo uti debent, cum superstitione contaminata fuisse negare non possunt. Etiamsi concederemus symbolicum usum vestium in sacris esse rem adiaphoram, tamen propter alios abusus & scandala, non sunt vel retinendæ vel revehendæ in Ecclesiam. Nam adiaphora quorum usus non est necessariis, polluta superstitione, ex Ecclesia eliminanda sunt, ut supra probavimus capite nono. Sacræ vestes referebantur præcipue ad honorem sacrificii missæ & corporis Christi in sacramento Eucharistiæ. Dum prædicatur verbum nec Pontificii nec Angli urgent usum sacrarum vestium, ac si nulla virtutum insignia gerere debeant sanctitatis & puritatis dum tractant mysteria sacræ scripturæ. Fuit idolothyron igitur in Papatu superpelliceum sicut aliæ vestes sacræ. Etsi quod sit res munda, converti possit ad usum aliquem communem, ut ad discos & calices tergendum, aut pauperum nuditatem tegendum, ad eundem tamen aut similem usum in sacris nostris adhiberi non potest. *Cæterum substantiæ mundæ ut Dei res, & hac sua conditione communes usui: sed ipsius usus administratio interest. Nam & ego mihi gallinaceum macto non minus quam Æsculapio Socrates: & si me odor alicujus loci offenderit Arabiæ aliquid incendo, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Si enim verbo nudo conditio polluetur, ut Apostolus docet: Si quis autem dixerit, hoc idolothytum est, non contigeris: multo magis cum habitu, & ritu & apparatu idolothytorum contaminatur*, inquit Tertullianus de corona militis. Item, *Si in idolio recumbere alie-*

Missal. Rom. p. 101.

Cap. 10.

num est à fide, quid in idoli habitu videri? Anglicani formalistæ eodem habitu utuntur in iisdem sacris, & eodem tempore quo Pontificii. Sic obfirmantur pontificii in cultu idoli sui, & coram fratribus offendiculum ponitur. Referunt Cartwrightus & ministri Lincolnienses in sua Apologia multos existimare superpelliceum esse rem adeo sacram, ut renuant accipere sacramentum à ministro non utente superpelliceo. Capa Cathedralibus Ecclesiis peculiaris, & in cœnæ administratione usurpata, præter significationis symbolicæ & appropriationis ad cœnam abusus, habet etiam pompæ inanis & theatricæ speciem. Tota est ex holoserico,& fulget auro. *Episcopus in celebratione cœnæ & administratione sacramentorum induat lineam aut albam & cappam, vel casulam & habent baculum pastorale.* Sic præscribitur in libro Edwardi; & formam istam præscriptam observare tenentur Episcopi per rubricam in Initio Liturg. Eliz. 1 ca.2. Non tamen utuntur omnibus his indumentis sed pro arbitrio cum tamen in ministros ob omissionem superpelliceí non minus sæviunt, quàm si facinus aliquod commisissent non nisi exauctoratione, & deprivatione expiandum. Contra vestium sacerdotalium, usum, abusus, scandala & mala ex eorum usu nascentia scripserunt Cartwrightus & alii, ego tamen Zanchii potius verbis quàm aut meis aut aliorum quæ reliqua sunt subjiciam, etsi eadem habentur in Cartwrighto, quia inter Zanchium & Episcopos Anglicanos major intercessit familiaritas. Quæ sequuntur videtur scripsisse hortatu alicujus Episcopi Anglicani, cum Regina volebat albam casulam & alia indumenta pontificalia & sacerdotalia imponere Episcopis & sacerdotibus, quæ forte usu exolescebant. Non quod sentiam ullo conscientiæ sensu Episcoporum ullum ea odisse, sed ne exponerentur ipsi ludibrio, si novo isto ornatu qui jam fere exoleverat, prodiissent in conspectum populi. Nam non tam rigidi fuissent ἐργοδιῶκται in alios inferiores sacerdotes ob vestem lineam, si religionis & cultus divini decoro & simplicitati consultum voluissent, quod observat Parkerus in libro de Cruce, part. 1 pag. 151. Sed Zanchii argumenta militant contra omnes vestes sacerdotales & in specie contra vestem lineam, quæ argumenta etiam valida sunt contra alias ceremonias papatus reliquias in Ecclesia Anglicana ideo coronidis vice ad finem hujus capitis de ceremoniali functione Presbyteri Anglicani apposui. Habentur verba in Epist. ad Elizab. Regi. scripta ann. 1571

Buceri scripta Angl. p. 455.

Quod si res ita se habeat, non video quomodo possit tua S.M. bona conscientia vestes de quibus quæstio est, & alia id genus papisticam adhuc superstitionem redolentia, & semel ab Ecclesiis profligata, iterum piorum Episcoporum conscientiis proponere resumenda: atque ita proponere, ut illos suo cogat mandato ea recipere. Principio enim hoc pugnat cum prima & principe Regii officii parte. Si enim curandum est imprimis

primis Magistratui, vt purus putus conservetur Dei cultus, & si ob hanc causam ableganda sunt, omnia quæ hunc cultum aliquo modo vel per se, vel ex accidente violare possunt; eaque omnia ad regulam verbi Dei & ad priorem atque Apostolicam, adeoque puriorem & simpliciorem religionis formam pro virili revocanda sunt. Denique si vt Apostolus præcipit, abstinendum est non solum ab omni malo, verum etiam ab omni specie mali, quorsum, obsecro, Serenissima & piissima Regina ea in Ecclesiam Dei ex mandato Regio inducere, quæ cum puritate cultus Apostolici pugnant; quæ superstitionem Papisticam redolent; quæ neque ad ædificationem piorum, neque ad ordinem aut ad ornatum, nisi meretricium faciunt, quæ denique nullam Ecclesiæ vtilitatem adferre sed contra, multa ei mala dare possunt? Certum est ista de vestibus lege pios quosque omnes offensum iri, impios autem gavisuros in sinu & plura inde speraturos: medios verò h. e. eos qui recens ab impietate ad pietatem conversi sunt, sed nondum bene firmati, periclitaturos: & si ex humano judicio aliquid dicendum sit, magis ad veterem superstitionem, ad quam natura ferimur, respecturos, quàm in veram religionem oculos fixuros ac firmaturos. Ac proinde istud decretum ad pietatem omnino nihil, ad impietatem verò fortassis multum, profuturum. Etsi enim vestes istæ per se hoc est sua natura malæ non sunt, aut immundæ, tamen propter præcedentem eumque recentem abusum immunditiâ prorsus non carent. Certè negari non potest, quin saltem occasiones sint aperturæ multorum malorum, & gravissimarum superstitionum. Sunt autem etiam occasiones malorum vitandæ. Quorsum igitur illa Ecclesiæ obtrudere, è quibus vtilitatis nihil sperari potest, damni autem plurimum; hoc est enim tentare Deum. Meminerit Sereniss. M. T. non sine causa scriptum fuisse; Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Neque temere Apostolum jussisse, vt expurgemus vetus fermentum, quòd modicum fermenti totam massam corrumpat Neque stultè improbari Iudæos ab Osea, quòd surculum (superstitionum) ex Israele transtulerint in hortum suum hoc est in veram Ecclesiam. Nihil planè piissima Regina nobis negotii esse debet cum Papistis, ad religionem quod attinet, nisi in iis quæ communia habent cum Apostolis. Cur, obsecro, improbantur in scripturis Reges aliquot, tametsi alioqui pii, quod fana in montibus, ante ædificatum templum à sanctis patribus extructa, in quibus coli solitus erat Iehova, non sustulerint? nimirum quòd ædificato jam & ordinato templo nolebat Deus vlla alicuius aliûs sacelli vestigia extare. Ergo patefacto etiam regno Christi locum habere amplius non debuerunt ceremoniæ & vestes Aaronicæ. Proinde meritò curarunt Apostoli eas post Christi ascensionem tollendas, vt ne vllæ quidem superessent reliquiæ. Si verò illi piè sustulerunt, impiè igitur papistæ illas revocarunt. Vtrum autem melius sit sequi Apostolorum piam simplicitatem, an verò Papistarum impiam pompam, quis est qui nesciat?

Gravius malum fuerit credat S: M.T. ista talium vestium papisticarum revocatio, quàm prima fronte fortassis, oculatissimis etiam hominibus videri queat. Videor enim videre & audire monachos è suggestis vociferantes, & suos in sua impia religione T.S.M. exemplo, confirmantes & dicentes. Quid? quòd ipsa quoque Regina Angliæ doctissima & prudentissima paulatim incipit ad sanctæ Romanæ ecclesiæ redire religionem; resumptis jam sanctissimis & sacratissimis clericorum vestibus? Sperandum est fore, vt reliqua etiam omnia sanctæ R. E. dogmata, ritus, sacramenta, tandem aliquando postliminio revocet. Has & similes voces proculdubio prudentissima Regina, Monachi & Jesuitæ è suggestis vsurpabunt. Nullam enim occasionem prætermittunt suas confirmandi superstitiones. Quid igitur aliud est hasce vestes putidas, & alia Papisticæ ecclesiæ rudera in ecclesiam Christi revocare in hoc tempore, quàm occasionem, eamque optimam, Papistis se & suos in suis superstitionibus confirmandi dare? Et verò etiam ad hanc rem, quasi opem ferre? Audiamus autem prophetam, quid ad Iosaphatum Regem Juda opem Achabo præbentem „ dixerit. Tu impio auxilium ferre, & diligere eos (audes) qui Dominum „ oderunt? Ob hanc rem super te indignatio à Domino. Quid item aliud fuerit hæc res quàm infirmos à studio puræ religionis revocare, & vt retrò in Ægyptum respiciant ac redeant, tacitè monere? Facilis enim est ad impietatem relapsus infirmis hominibus; quippe qui ad superstitiones nostrapte natura sumus propensi. Tollendæ igitur sunt occasiones ad impietatem relabendi: tantum abest, vt dari debeant. Quid sibi obsecro voluit Deus, quum vetuit ne araretur in bove & asino; & cavit, ne idem ager diversa sereretur semente, & ne quisquam vestiretur veste ex lana & lino contexta? Res est Deo odiosa & execrabilis, si idem ager Domini colatur ab Episcopis impiis simul & piis, si in eadem ecclesia cum doctrina Evangelii doctrina etiam papistica doceatur, si denique sacramenta, ceremoniæ, & ritus ex Apostolicis & Papisticis conflati, vsurpentur; & ex iis ceu veste ex lana & lino confecta, ecclesia vestiatur. Quæ enim convenientia lucis ad tenebras? Detestanda igitur nobis etiam esse debet talis, hoc est, turpis & impia mixtio. Ac proinde quæ Dei non sunt, sed eorum qui cultum Dei contaminarunt, prorsus abjicienda; id quod & Dominus fieri jussit, quum mandavit, vt eorum qui suaserunt, vt post Deos alienos iremus, omnia funditus perderentur & vestimenta totaque supellex igni cremaretur, idque in medio foro: nempe in abominationem talium seductorum, & vt sint anathema Domino. Quis autem ignorat inter supellectilem seductoris Romani, istas etiam vestes contineri. „ Nec adhærebit, inquit, de illo anathemate quicquam in manu tua vt „ avertatur Dominus ab ira furoris sui, multiplicetque te, sicut ju„ ravit patribus tuis, &c. Quid igitur inducere vestes has Antichristi supellectilem in ecclesiam Christi aliud est quàm Deum ad iracundiam provocare, & ejus furorem adversus nos accendere? Certum est, si quis verus sit amicus Christi eum nunquam curaturum, vt

ornamen-

ornamenta Antichristi in ædibus suis habeantur; nedum ferat in templo Christi. Quis enim sui hostis insignia in suis ædibus, præsertim verò in locis honoratioribus ferat? Ac si quid Deus destructum & abolitum velit; qui sumus nos, qui illud denuò audeamus ædificare? Deus autem post Christi mortem vestimenta omnia Aaronica atque Levitica abolita voluit; & nostro tempore, Evangelii splendore fugatas velle se omnes, tum impias tum vanas Papisticas ceremonias, pompas, imposturas, fucos, satis apertè vbique declaravit: quòd hæc nihil ad pietatem accendendam, multum autem ad restinguendam valeant. Neque certè videre possum quò tandem istæ spectent vestes, nisi reipsa (vt jam ad alterum caput veniam) ad pulchram istius Anglicanæ Ecclesiæ ex Evangelio reformatæ faciem, imo totum corpus dedecorandum ac dehonestandum: non secus atque si pudica ac honesta alicujus Regis filia, vestimentis quibus scortum aliquod famosum & insigne solitum erat ornari, induatur; & ita induta, in medium prodire iubeatur. Quis verò hoc probet, aut tolerandum esse censeat? Ergo etiamsi nullo alio, hoc saltem nomine, obtrudendæ non sunt Ecclesiæ Christi, id genus vestes; quod meretrix Romana, iis vt sua natura minimè malis, ad malum tamen, & ad suas tegendas scortationes, vel potiùs ad alliciendos homines ad scortandum, abusa est, & adhuc abutitur. Sunt enim pompæ istæ omnes & ceremoniæ papisticæ nihil aliud quàm fuci meretricii ad hoc excogitati, vt homines ad spiritualem scortationem alliciantur. Annon igitur turpe est hos habere in Ecclesia Christi? Si serpens æneus, qui institutus fuerat à Deo, & quidem ad salutem Israelitarum, per pium regem Ezechiam, quia illo contra verbum Dei abutebantur Israelitæ, sublatus est: & ab hoc facto summè laudatur Ezechias, quòd illum scilicet serpentem redegerit in cineres, eosque in profluentem, ne vllum vnquam ejus extaret vestigium, projici jusserit, quanto magis istæ impuræ vestes profligandæ sunt ex Ecclesia Dei, quibus Apostoli nunquam vsi sunt, vsa est autem meretrix Romana, in cultu idolatrico & ad homines seducendos? Neque enim honestum est, vt quæ in Dei contumeliam vsurpata diu fuerint, si res sint per se ἀδιάφορα: ea in Ecclesia, cum discrimine etiam salutis piorum, retineantur. Multo vero minus istud vestium genus, quod nihil aliud est, quàm inventum hominum vel Satanæ potius, ad simplicium seductionem excogitatum. Nemo nostrum est qui nesciat, quanta laude dignæ sint illæ Respublicæ, quæ legibus cavent ne cives exoticas induant vestes, neve eas in Rempub. inducant, quòd corruptelæ sint bonorum honestorumque morum adeoque ipsarum Rerump. Quomodo igitur laudari vnquam poterit istud, quod tuæ M. proponitur consilium, nempe vt vestes Reip. Christianæ tempore Apostolorum & Apostolicorum virorum incognitæ in ecclesiam Christi introducantur? Si verò exoticum vestiendi genus in republica bene instituta non toleratur, quanto minus idololatricæ & & gentilitiæ vestes in ecclesia, vbi Deus in spiritu & veritate colendus est, & vbi paucas easque simplicissimas ceremonias esse vult, ferendæ sunt?

Si item lege cavit Deus, ne virilibus vestimentis induatur mulier: neque vicissim cum muliebribus vir, quòd vtrunque sit per se turpe atque inhonestum, & pugnans cum natura; cur igitur pii episcopi & servi Christi vestibus impiorum sacrificorum, & Antichristi mancipiorum vestiantur vel potius dehonestentur, ac deformentur? Cur non potius ab illis, sicut diversæ sumus religionis, sic etiam externis symbolis, veluti sunt vestes, in officiis saltem ad Dei cultum pertinentibus, obeundis, discernamur? Voluit hoc certe Deus & exegit à suo populo, vt ipso quoque diverso vestiendi genere à prophanis gentibus discerneretur, atque ita se nihil velle habere cum gentibus commune, hoc etiam publico symbolo protestaretur. Quidni enim idem & nos faciamus? An non sumus populus Dei? An non manet æquitas eiusdem præcepti? Ac si honestum ab honore dicitur, qualis honor, quæso, fuerit ecclesiæ Christi, quòd episcopos in administratione evangelii & sacramentorum habeat larvis papisticis indutos & personatos; ita vt risui potius omnibus sint futuri, quàm in aliqua apud populum veneratione? Qualis & tuæ S. M. apud veras ecclesias, verosque fideles laus, quòd tales nugas in suam ecclesiam revocari permittat? Non est igitur res honesta, vt ad tales larvas suscipiendas sancti cogantur episcopi. Neque enim revera, res est honore & laude digna; neque nomen virtutis meretur. Quis enim, si tua S. Maiestas mandaret, vt omnes Angli posito avito & illo quidem gravissimo & honestissimo vestitu, Turcicas induant tunicas, aut habitu, vt vocant stratiotico, vestiantur; Quis, inquam, edictum hoc vt honestum approbaret? Multo certè minus laudari potest, si pii episcopi iubeantur posito vel saltem alteratro honesto & vetusto quem etiam Apostoli vsurparunt, vestitu, communi, sc. sed gravi & honesto, ridiculas & execrabiles impiorum sacrificorum vestes induere. Quod verò ad tertiam officii Regii partem attinet, nihil isto consilio ad turbandum publicam ecclesiæ pacem accommodatius. Omnis enim novitas præsertim in religione, vel per se, si mala sit, bonam turbat pacem, vel si bona, occasionem dat ex accidenti committendis inter se hominibus, malis nimirum cum bonis. Sed sicut in rebus per se bonis vt in reformandis ad voluntatem Dei ecclesiis contemnenda est pacis illius impiæ h. e. mundi turbatio: (Christus enim non venit suo evangelio vt talem servet pacem, sed potius vt tollat & gladium mittat) ita certè rebus adiaphoris vrgendis, turbare pacem ecclesiarum, & bonos cum impiis, aut etiam bonos inter sese committere, vsque adeo iniquum est, vt defendi nullo modo possit; vt non immeritò Victorem episcopum Romanum hoc nomine reprehenderit Irenæus, sicut antea dictum est. Est enim necesse, vt tunc ecclesiæ scindantur in partes quo quid detrimentosius? Exempla quæ passim occurrunt in historiis ecclesiasticis, satis apertè & dilucidè, quod dico, confirmant. Quot & quantæ, obsecro, turbæ in primitiva ecclesia, inter eos qui præter evangelium ipsam quoque vrgebant circumcisionem & legem, & inter illos, qui eas meritò reiiciebant excitatæ fuerunt? Quanta porro mala hæc dissensio dedisset ecclesiæ Christi, nisi Apostoli maturè occurrissent in

Synodo

Synodo Hierosolymis coacta; & causa apertis scripturarum testimoniis & firmis rationibus legitimè cognita atque discussa? Si tua S. M., sicut debet & esse & videri vult Apostolica, imitetur in hac parte Apostolos, neque aut imponet ipsa jugum hoc cervicibus discipulorum Christi, aut etiam ab aliis imponi permittet. Quòd si videat Episcopos de hac re inter se dissidere cogat synodum, & curet controversiam scripturis disceptandam & cognoscendam, ac tum demum quod perspicuis testimoniis & rationibus non infirmis fuerit demonstratum: illud etiam omnibus servandum proponat, & ut servetur, edicto mandet: atque ita ex Ecclesia tollat dissidium. Est enim omnino tuæ S. M. curandum, ut nihil in religione inmutetur aut innovetur nisi ex verbo Dei. Hac ratione vera Ecclesiarum pax atque concordia & unitas conservabitur. Contrà verò si fiat, quid aliud id fuerit, quàm unitatem tollere & Christianam pacem turbare? Neque illud mihi videtur silentio prætereundum, quò ista rei novitate, non solum publica in isto regno pax turbabitur, verumetiam alibi extra regnum multis occasio dabitur novas in Ecclesia excitandi rixas; idque non sine magno pietatis detrimento, & cursus Evangelici retardatione. Nemo enim hominum nescit, plerasque omnes Ecclesias, quæ propter Evangelium a Romano Pontifice defecerunt, non solum talibus vestibus carere, verum etiam illas abominari. Neque tamen etiam alias deesse, quamquam priorum respectu perpaucas, quæ vestes illas in papatu repertas adhuc retineant, quemadmodum & alia nonnulla mordicus retinent: idque propterea, quod de principio reformatores illarum Ecclesiarum viri alioqui magni, & servi Dei fidelissimi, non ausi fuerint (nam neque illud expedire judicarunt) omnia papistica penitus tollere. Verum, ut fit, sua cuique placent. Sua autem voco, non tam quæ quisque excogitavit, quàm etiam quæ sibi quisque ab aliis inventa deligit, accipit, retinet, persequitur. Si verò accedunt aliorum quoque exempla magis ac magis in iis obfirmantur; nec solum obfirmantur, verum etiam ut reliquos omnes in suam pertrahant sententiam, omnem dant operam; & vocibus ac scriptis imo manibus & pedibus nullum non movent lapidem. Quid igitur futurum sit, si tua S. Ma. quòd ei à nescio quibus suadetur de recipiendis vestibus, & aliis papisticis nugis consilium illud admiserit, facilè videmus. Exemplo enim tuæ S. M. excitati nonnulli homines malè feriati, scribent & spargent per totam Germaniam libellos de his rebus quas adiaphoras vocant; nimirum licêre eas admittere: imò quò minùs Papistæ à nobis alienentur, atque ita propiùs ad concordiam accedatur, omnino esse admittendas. Quasi verò papistæ, etiam si nos omnia ea admitteremus concordiæ causa, correcturi unquam sint doctrinam, & falsa impiaque dogmata, apertas, abominabilesque superstitiones & idolomanias è suis Ecclesiis profligaturi vel ulla ratione deposituri. Non deerunt igitur, qui talibus libellis si spargantur, respondeant. Ita ex Anglicano isto igne novum quoque in Germania & in Gallia fiet incendium, cui suffundent frigidam Papistæ. Egregium verò beneficium. Quis

 igitur

igitur jam non videat istud consilium non aliò spectare quàm ad omnium Ecclesiarum perturbationem? Ad summam verissimum & certissimum longaque experientia probatissimum est aureum illud docti cujusdam viri dictum: Res adiaphoras hoc est quæstionem de rebus adiaphoris esse τὸ χρύσεον τῆς ἔριδος μῆλον. Atque hæc de publicæ pacis perturbatione satis. Quid verò de privatorum fidelium conscientiis dicam? eas isto de super induendis lineis vestibus mandato supra modum turbari res ipsa docet. Conquerentur enim vehementer; ita ut eorum querulæ voces ac gemitus in Germaniam usque penetrent & audiantur. Quàm grave autem sit, ideoque ingratum flagitium, piorum conscientias turbare, docet scriptura sancta: partim cum jubet ne contristemus spiritum sanctum, neve ut pusillos scandalizemus; partim cum graves minatur pœnas iis qui hæc non verentur facere: partim etiam cum exempla sanctorum proponit, atque " Pauli, qui sic loquitur. Si esca, inquiens, scandalizat fratrem meum; " non manducabo carnes in æternum, ut non scandalizem fratrem meum. Regulam enim iis verbis suo exemplo tradit generalem ex doctrina Christi desumptam, nempe nullam rem adiaphoram esse admittendam, nedum aliis urgendam, multò verò minus edicto mandandam: si in ea admittenda, urgenda, mandanda, animi bonorum & conscientiæ fidelium offendantur. Res enim pretiosissima est & Deo carissima, tenella, deique timens conscientia. Quomodo igitur probari potest consilium de lege vestium sacerdotalium in ministerio utendarum per Regium mandatum edicenda? Nam (ut multa in pauca contraham) si sunt hujusmodi vestes fidelibus proponendæ, aut proponendæ sunt ut adiaphoræ, aut ut necessariæ. Si hoc, impiè nos facimus, quòd quæ Christus voluit esse libera, nos ea faciamus necessaria. Si illud, relinquendæ igitur sunt liberæ Ecclesiis. Iubendo autem & cogendo, ex liberis facimus necessarias, atque ita in idem facinus delabimur. Deinde aut sunt à Deo per Mosen institutæ, aut sunt per Christum, Deum sc. in carne manifestatum traditæ; aut per Spiritum sanctum in Apostolis agentem & loquentem ordinatæ; aut sunt ab hominibus vel piis vel impiis. Quæ à Deo per Mosen institutæ fuerunt ceremoniæ, & leviticæ vestes; illæ omnes ex voluntate Dei finem habere debuerunt post Christi mortem, ut passim in scripturis præsertim in epistolis Pauli ad Colloss. & ad Hebræos liquidò apparet. Quare revocari non possunt sine transgressione voluntatis divinæ. A Christo fuisse traditas dici non potest, cum nullum de hac re exstet verbum, sed contrà potius non semel omnium Mosaicarum ceremoniarum finem venisse, disertè docuit. Idem de Apostolis dico & aio. Reliquum igitur est, ut dicantur esse ab hominibus. Si piis aut ad ædificationem, aut ad ordinem, aut ad decorum fuerunt ab illis institutæ. At nunc, neque ad ædificationem faciunt hoc est ad promovendam pietatem, sed contrà potius ad eius spectant eversionem; ut antè visum est. Neque ad ordinem ullum bonum sed potius ad ἀταξίαν. Sic enim confunduntur pii cum impiis Episcopi, cum tamen etiam vestimentis ut alteri ab alteris discernantur, æquum sit. Nec

denique

denique faciunt ad decorum sponsæ Christi, quemadmodum paulò ante à nobis demonstratum fuit. Non sunt igitur nobis admittendæ. Quæ verò ab hominibus Spiritu Dei destitutis inventa sunt, ea nihil ad nos. Denique Apostoli iis vestimentis usi non sunt. Nullum enim authenticum habemus testimonium. Est autem Ecclesia, sicut in doctrina, sic etiam in ceremoniis, & in vestimentis ad illius Ecclesiæ Apostolicæ regulam, informanda. Quorsum igitur hæ vestes in Ecclesia? Cujus nam authoritate probari possunt? Quæ utilitas, quisve salutaris usus ex iis accedere potest populo Christiano? A nobis verò contra demonstratum est iis pietatem labefactari, purum Dei cultum violari, papisticam superstitionem paulatim revocari, pios offendi, impios in suis impietatibus confirmari, imbecilles in fide in discrimen salutis conjici; occasiones multorum malorum dari: Monachos & alios Papisticos concionatores ad suos in superstitione confirmandos juvari, iram Dei adversum nos provocari; quæ Deus destructa vult, ea à nobis reædificari, totam Ecclesiæ faciem commaculari & dedecorari; contra honestas leges de non induendis exoticis vestimentis turpiter peccari; atque ita totam Ecclesiam dehonestari. Ad hæc publicam Ecclesiæ, imo multarum Ecclesiarum pacem turbari; Episcopos inter se committi; piorum conscientias gravari, & animos bonorum offendi: Spiritum in illis sanctum contristari; denique pomum ἔριδος ceu in mensam deorum projici.

CHAP. XII.

De Diaconorum Vocatione & Functione.

Ecclesiastici in parochiali Ecclesia, ut dicitur in tabulis Hierarchiæ, sunt minister & Diaconus. Hactenus de ministro sive Presbytero, sequitur

Diaconus, in quo considerantur similiter, Externa vocatio & functio. Externa vocatio ad gradum sive ordinem, idque prorsus ut in ministro, nisi in quibusdam, ad beneficium prorsus ut in Ministro. Functio, prospicere pauperibus, Ministro assistere in Cœna celebranda, Benedicere nupturis, Sepulturæ defunctos mandare, Baptizare, & concionari si ad id vocetur.

Formam ordinandi Diaconos istam habent. *Primùm die statuto per Episcopum jam adventante fiat exhortatio piè munus & officium exponens eorum, qui ministerium quodvis Ecclesiasticum suscepturi sunt,*

quamque necessaria sint in Ecclesia Christiana hujusmodi ministeria, luculenter ostendatur, nec non quo in pretio haberi debeat vocatio apud populum Christianum. Exhortatione peracta Archidiaconus, vel qui vicem ipsius gerit, eos, qui ad Episcopum veniunt admittendi, præsentabit, hujusmodi verba præfatus. Reverende Pater in Christo, præsento tibi personas hic adstantes vt admittantur ad munus diaconatus. Episcopus excipiens ait. Vos verò summopere caveatis personas istas jam nobis præsentatas tam doctrina quàm probitate morum dignas esse & habiles, qui munus suum exerceant ad gloriam Dei & ædificationem ecclesiæ. Archid. respondet. Ego quidem tales eos comperio tum ex aliorum de illis iudicio, tum ex meo ipsius examine. Tum Episcopus ita populum alloquetur. Fratres, si quis vestrum sciat impedimentum, vel quodvis crimen enormius in istis personis, quæ nunc ad officium Diaconatus præsentantur, quo minus ad ipsum admitti debeant, jam prodeat in Dei nomine & impedimentum illud sive crimen, quodcunque tandem fuerit, ostendat. Quod si crimen aliquod, vel impedimentum fuerit objectum eorum alicui, abstinebit Episcopus ab ejus ordinatione, donec reus à tali criminatione se liberum esse probaverit. Posthæc Episcopus eos qui digni fuerint reperti, commendans precibus vniversi cœtus, vnà cum clericis & plebe præsente Litaniam cum precationibus sequentibus recitabit. Precatio. Omnipotens Deus, qui divina tua providentia diversos ministrorum ordines in ecclesia tua constituisti & sanctos Apostolos tuos inspirasti divinitus, quo tempore illi S. Stephanum protomartyrem vnà cum aliis ad istud Diaconatus munus eligebant, dignere, quæsumus, vicissim istos famulos tuos, qui nunc ad similem administrationem vocantur, misericordiæ tuæ vultu clementer intueri: ita instrue illos sacrosanctæ veritatis tuæ doctrina, ita morum innocentia & vitæ integritate adorna, vt & verbo & exemplo in hoc suo munere fidelem tibi præstare possint operam ad nominis tui gloriam & incrementum ecclesiæ propter meritum Iesu Christi Salvatoris nostri qui vivit & regnat tecum vnà cum Spiritu sancto & nunc & in æterna sæcula, Amen. Hic sequuntur precationes, quæ sunt propriæ dici in celebratione S. cœnæ. Epistola verò legatur ex priore ad Timoth. cap. 3. à versu octavo ad finem capitis, vel ex Act. cap. 6. à vers. 2. ad 8. Ante lectionem autem Evangelii Episcopus in cathedra sedens curabit juramentum de suprema Regis potestate contra iurisdictionem & authoritatem quarumcunque potestatum & principum externorum singulis, qui ordinandi sunt, administrari, atque suscipi sub hac verborum formula. Ego A. B. palam testor, &c. His peractis singulos ordine suo percontatur. Num credant se interno sp. sancti instinctu vocatum esse ad istud munus suscipiendum. Num persuasum habeat se juxta voluntatem Domini & legitimam regni Angliæ constitutionem vocatum, & similia. Sed hæc interrogata præcipue sunt notanda. *Episcop. An omnes S. scripturæ libros Canonicos tam*

veteris

veteris quàm novi testimanti firma fide amplecteris? Resp. Amplector. Episcop. Num statuis in ea quæ tibi mandata fuerit ecclesia, diligenter illas ad populum ibi congregatum perlegere? Resp. Statuo. Episcop. Diaconi munus in eo præsertim consistet, vt præsto sit Presbytero, dum sacris administrandis incumbit in ecclesia sibi assignata, suamque præstet operam in celebratione S. cœnæ ac distributione sacramenti. Item S. scripturas atque homilias populo perlegere, Iuniores in articulis fidei erudire, infantes baptizare, necnon verbum Dei prædicare, dummodo ab Episcopo censeatur idoneus, qui ad id muneris admittatur, Spectat insuper ad ejus officium, siquidem talis cura erit etiam necessaria, inquirere de conditione ægrotantium, pauperum & infirmorum in sua parochia degentium, vt eorum cognomina, domicilia, inopiamque innotescat pastori, qui sua ad gregem religiosa cohortatione curabit piorum animos excitare ad necessaria vitæ subsidia aliisque eleemosynas in illorum sustentationem subministrandas. Hæccine tu libentur & alacriter præstabis? Resp. Præstabo Deo auxiliante. Episc. Anne omni studio & diligentia curabis sic tuam ipsius & familiæ tuæ vitam ad normam doctrinæ Christianæ dirigere, vt quantum in vobis fuerit, salutaria ovibus Christi exempla vosmetipsos præbeatis? R. Ita faciam Deo juvante. Episco. Nunquid Ordinario tuo, aliisque præcipuis Ecclesiæ ministris obedientiam cum reverentia præstabis, piis eorum monitis libenti animo obtemperans? Resp. Conabor hoc facere adjuvante domino. Tunc Episcopus manibus singulorum capitibus separatim impositis hæc verba pronunciet, Potestatem habeto Diaconatus officium administrandi in illa Ecclesia quæ tibi fuerit commendata: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Amen. Hoc facto tradet Episcopus singulis in manus N. Testamenti codicem, hujusmodi vtens verbis. Habeto quoque potestatem Evangelium in Ecclesia Dei legendi, nec non prædicandi, si quando more legitimo ad id muneris admittaris. Sequatur statim Evangelii, quod ejus diei proprium fuerit, lectio per eum præstanda quem Episcopus designaverit. Mox ad sacram cœnam se accingat Episcopus omnibus qui ordinantur manentibus cœnamque, S. vnà, cum eo percipientibus. sacra cœna peracta post collectam vltimam, & immediatè ante benedictionem, ista quæ sequitur, precatio adhibeatur. Omnipotens Deus, &c. eaque fide ac integritate in hoc inferiori munere sese gerant, vt digni aliquando reperiantur, qui ad graviora in Ecclesia tua ministeria suscipienda vocentur, &c. Hîc demum oportet Diaconum intelligere permanendum ei esse in suo recens suscepto munere, ad minimum per integrum anni spatium, nisi fortè ob causas non leves aliter visum fuerit Ordinario suo. Ita enim in rebus ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus promptior & peritior evadet. Si verò fidelis repertus fuerit in munere suo fungendo, poterit postmodum in Ordinem Presbyteri cooptari à suæ Diœceseos Episcopo.

Multa hîc sunt communia cum forma ordinandi Presbyteros vt

 Archidia-

Archidaconi examen & præsentatio ordinendi, & quòd episcopus à populo quærit; num sciant impedimentum aliquod aut crimen gravius in præsentatis quominus ad officium Diaconatus admitti debeant, qui forte neminem eorum unquam ante viderat; quòd juramentum primatus & fidelitas exigit, quòd manibus singulorum separatim manus imponit, quòd codicem novi testamenti in manus tradit, quòd sacra cœna actionem claudit. De quibus vide supra Cum imponit manus, ait, Potestatem habeto Diaconatus officium administrandi in illa ecclesia quæ tibi fuerit commendata. Ordinatur igitur absque titulo incertus adhuc in qua ecclesia ministraturus est. Et quamvis in tabulis Ecclesiastici in parochiali ecclesia dicantur Minister & Diaconus, tamen non habent Diaconos in ecclesijs parochialibus, sed tantum in Cathedralibus, vt referunt authores admonitionis ad Parliamentum, nec negat Whitgiftus p. 690. Imo non pudet afferere Diaconorum civitatis ministerium non tam operosum fuisse, quin omnibus ecclesiis civitati adunatis, (diœcesin intelligit) ministrare potuerint. Quodnam quæso eorum ministerium; cantare Evangelium, dum episcopus aut eius vice alius cœnam celebrat, homilias legere, infantes baptizare, nupturis benedicere, sepulturæ defunctos mandare, necnon verbum Dei prædicare, dummodo ab Episcopo censeatur idoneus, qui ad id munus admittatur. Præcipuam muneris sui partem nempe eleemosynas colligere & distribuere pauperibus, negligit. De ægrotantum conditione, pauperum & infirmorum, inquirere monetur, & referre ad pastorem parochiæ. Sed quomodo possunt inquirere de ægrotantium; & infirmorum in sua parochia conditione qui in nulla ministrant parochia, sed in ecclesia Cathedrali quæ nullius parochiæ est, sed communis totius Diœceseos Basilica? Baptizare possunt non minùs quàm Presbyteri, & prædicare verbum etiam, si episcopus idoneum senserit absque alia vocatione ad gradum Presbyteratus aut ministerii. Deniq; quid potest Presbyter quod non potest facere Diaconus. Nam presbyter non potest concionari nisi vel privilegio vel speciali aliqua facultate concessa ab Episcopo. Duo tantum excipit Downamus, in quibus differt à Diacono Presbyter, consecrare Eucharistiam, & retinere ac remittere peccata, ceu absolvere, nempe in foro pœnitentiæ. Nam publicam pœnitentium reconciliationem Diaconis concedit Bellarminus. *Diaconorum*, inquit, *baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Eucharistiam deferre, ac præbere laicis, ac breviter omnia facere, quæ Episcopi & Presbyteri faciunt; excepta consecratione corporis Domini & ordinatione Clericorum, & aliis officiis quæ requirunt potestatem ordinis.* Probant formalistæ Diaconi officium esse baptizare, quia Philippus vnus è 7 Diaconis ecclesiæ Hierosolymitanæ baptizavit Samaritanos. At non erat tunc Diaconus ecclesiæ Hierosolymitanæ,

Defens l. 3. cap. 4 sect. 24.

De Clericis cap. 13.

nx, ſed Evangiliſta, & ſic diſerte dicitur Act 21 Prædicare Diaconos poſſe eiuſdem Philippi & Stephani exemplis probant ſicut Pontificii. Sed Tileni verbis potius quàm Iunij à quo ipſa fere verba accepit, reſpondeo. *Exempla Stephani & Philippi, ex quibus illum prædicaſſe, iſtum baptizaſſe, Act. 7. & 8. volunt adverſarii, nihil huc pertinent. Nam aliud eſt Apologetica oratione ad populum uti, aut cauſam dicere apud Iudices, quod fecit Stephanus, aliud ordinario verbi miniſterio fungi. Philippus verò ex Diacono evangeliſta factus eſt, vel extraordinem à Deo per Angelum vocatus, quod innuere videtur ſingularis illa revelatio, Act. 26. vel priuſquam Hieroſolymis diſcederet, ab Apoſtolis ad hunc miniſterii gradum provectus eſt.* Syntagmata part. 2 diſp. 21. Theſ. 24. Diſputavit & contulit in ſynagoga ſecundum morem Act. 6 9. Non erat illud prædicare in Eccleſia. Et Act. 7 forenſi more ſe defendit, & præclaram confeſſionem edidit, ſicut poſt protomartyrem multi martyres fecerunt vel in judicum conſeſſu vel in corona populi. Imo Doctores & Prophetas vel Evangeliſtas fuiſſe ante quàm creati Diaconi, ait Saravia *Inferioris ordinis doctoribus Prophetis, & Evangeliſtis plus erat otii* (nempe quàm Apoſtolis;) *quorum tunc temporis magis partes erant audiendi quàm docendi: tamen & docuiſſe ſuo modo ex Stephano & Philippo conſtat.* Defenſ. ca. 7. ſect. 1. Quod ſi verum, ſequeretur Stephanum & Philippum baptizaſſe aut prædicaſſe quatenus doctores aut Evangeliſtæ, non quatenus Diaconi, & Doctorem aut Evangeliſtam poſſe Diaconi, non autem Diaconum peragere poſſe opus Evangeliſtæ aut Doctoris. Sed falsò aſſeritur fuiſſe ſimul Diaconos & Doctores vel Evangeliſtas. Num derelicto ſermone Dei debebant vacare menſis, cum Apoſtoli donis ſuperiores doctoribus & Evangeliſtis dereliquerint menſas ut poſſunt vacare ſermoni & doctrinæ. Vel in tam ampla meſſe operarios ullos deſides fuiſſe, aut otio abundaſſe cum Saravia ſomniabimus? Quæ ſpiritus ſanctus in Apoſtolorum perſonis ſejunxit, homo ne conjungat in ordinariis miniſtris. Si extraordinarii, dum ſimul & in una civitate omnes miniſterio fungerentur æquum non exiſtimabant, à ſermonis & doctrinæ cura diſtrahi propter pauperum curam, ordinarii duo aut tres (aut forte unus) utrique muneri pares erunt? Apoſtolus Rom. 12 8, dum cuique in corpore membro officium ſuum tribuit, Diacono officium diſtribuendi eleemoſynas bona fide & ſine perſonarum reſpectu aſſignat. *Qui diſtribuit cum ſimplicitate.* Alios conſtituit Deus Apoſtolos, alios Prophetas, alios doctores, alios opitulatores nempe Diaconos, alios gubernatores, nempe Seniores, 1 Cor. 12 28, non eoſdem Apoſtolos & opitulatores, vel opitulatores & doctores. In Epiſcopo ceu Preſbytero exigit Apoſtolus ut ſit διδακτικὸς non item in Diacono, ſed tantùm ut teneat myſterium fide in munda conſcientia, quod cum in omnibus Chriſtianis requiritur, maximè tamen in iis, qui ad publicam adminiſtrationem

tionem in Ecclesia vocati sunt. *Cum Ecclesiæ corpus prælucere oporteat omnibus, etiam qui foris sunt, in his pietatis Christianæ charitatisque documentis, meritò viros idoneo testimonio ornatos plenos fide, & Spiritu sancto, & sapientia, eligi & adhiberi voluit ad publicam hanc in Ecclesia sua procurationem Act. 6 3, ut certiore cum notitia, majore judicio & autoritate graviore ἄνευ προσωποληψίας à Diaconorum collegio oblationes sanctorum dispensentur*, inquit Iunius. Ideo Act. 6 jubent Apostoli ut deligant 7 viros spiritu sancto plenos. Nam oportet esse inculpatæ & integræ vitæ, graves & honestos, non vino aut turpi lucro deditos ne in suspicionem malæ obitæ administrationis incurrant, & prudentes qui querimonias pauperum expendere, ægrotantium, advenarum incolarum, vinctorum, captiuorum miserias & egestatem atque inopiam discernere, & prout cuique competit, & ex ærario suppetit, sublevare. Non est igitur colligendum sublimius quoddam officium esse Diaconorum cura pauperum, propterea quod Apostoli jubent deligere viros spiritu sancto plenos & prudentes; partim quia tunc temporis Ecclesia sanctorum virorum copia abundabat partim quia quæstura & œconomia ceu dispensatio ærarii Ecclesiastici non nisi probatis & fide dignis committendæ sunt, viris prudentibus & probis qui prudenter & cum simplicitate distribuant. Nec etiam mirum adhibitam impositionem manuum. Nam non est ritus simplex impositionis manuum sacramentum, ut supra probavimus, sed gestus orantibus & benedicentibus valdè familiaris, tum in vetere tum in nouo testamento præsertim in negotiis publicis. Diaconatum esse sacramentum fatetur Bellarminus non esse certum ex fide. Durandus in 4 dist. 24 q. 2 & Cajetanus negant, ut concedit Bellarminus, & valde probabile esse fatetur Victoria de sacrament. q. 226. *Consentit & Aquinas q. 37 art. 1 ad 2 in addit dum rationem sacramenti totam collocat in solo Sacerdotio; in aliis vero nonnisi per attributionem ad illud per quandam participationem: quod non est habere in se formaliter rationem sacramenti, quanquam sibi contrarius idem ibid. art. 2 postea etiam in inferioribus ordinibus agnoscat rationem sacramenti*, inquit Spalatensis. Vrgent manuum impositionem, inquit, sed illa significat orationem super hominem, adhoc ut Deus ipsis assisteret gratia sua in bene adimplendo munere, quod ipsis injungebatur. Objiciunt inamissibilitatem & characterem, sed negatur & inamissibilitas & character. *Nos verò præterquam quod etiam sacerdotium fecimus amissibile, ostendere possumus Diaconi ordinationem esse meram officii injunctionem & liberam deputationem*. Est simplex officium Ecclesiasticum ab Apostlis datum. Quoties ergo quis removetur à tali officio, ne in eo ampliùs se exerceat totum amittit, sive privetur ob demerita, sive promoveatur ad Presbyteratum, cum in officio diaconatus nihil amplius negotii habeat, non est ampliùs Diaconus.

Eccles. l. 2. cap. 4.

De sacr. Ord. cap. 6.

De rep. l. 9. c. 4 nu. 46.

Num. 47.

Ad

Ad tempus & ad nutum ordinatum fuisse Diaconum quendam Sebastianum probat ex epistola Vigilii epist. 5 tom. 1 part. 2 *Vigilius dicit se illum Diaconum ad tempus fecisse. Facere vero Diaconum aliud est, & aliud Diaconi officium facere. Quibus, quæso, verbis potuit significantiùs explicare se etiam pincernam aliquem ad tempus facere, donec alius pincerna venerit.* Primam Diaconorum institutionem non dubitat *fuisse ad hoc tantum, ut solas mensas communes curarent ac temporalium rerum gererent administrationem.* Postea verò invaluisse *in Ecclesia, ut Diaconi occasione præparandæ mensæ communis, & accipiendarum oblationum populi, ac præsertim panis in Eucharistiam consecrandi, etiam sacræ mensæ altarique inservirent. Iustinus Martyr Apol. 2, ad calcem. Ac paulatim Episcopis ita disponentibus, ad alia ministeria accedere sunt permissi. Vt jam meritò duplex Diaconorum genus possumus in Ecclesia distinguere, alterum primæ institutionis ad curam mensarum communium & pecuniarum ac eleemosynarum: alterum verò altaris variisque rerum sacrarum ministeriis ab ipsa ecclesia deputatum. Primum sane quod est proprium & verum Diaconorum genus jam diu in ecclesia cessavit, ex quo pecuniarum & redituũ tota massa ad episcopos & beneficiarios solos transiit, alterum verò vix ad speciem aliqua tamen adhuc servat vestigia.* Ab Apostolis œconomos constitutos existimat ut bonorum temporalium curam gererent, & quæ pro communi fidelium victu conferebantur, colligerent & dividerent, ac mensis ministrarent, & solis mensis quoad cibaria materialia præfectos fuisse Diaconos. Miratur Baronium contendere eos curam habuisse utriusque mensæ communis & sacræ, & in fractione utriusque panis & communis & sacri ponere diaconorum curam pro ministerio quotidiano, ut ita eos faciat ministros altaris. Sed Th. Beza concedit utrumque & easdem fuisse mensas agaparum & cœnæ. *Quod enim dicuntur mensarum ministerio vacasse declarat expressiùs quo spectarit illa colligendarum & distribuendarum* συλλογῶν *&* προσφορῶν *cura, ex quibus agapæ instruebantur; ita ut totius etiam ordinis in toto illo sanctissimo consessu conservandi sollicitudo istis fuerit imposita: sicut sub lege sacerdotibus Levitæ in tota sacrificiorum administratione subserviebant, quibuscum meritò propterea isti Diaconi à veteribus scriptoribus comparantur. Istæ autem agapæ, sicut manifestè liquet Act. 20 7, partim in sumendo communi cibo 1 Cor. 11 20, & quid imprimis in Cœnæ Domini celebratione, partim in sacris deinceps sermonibus erant positæ, 1 Cor 14 26, quod copiosè inter cæteros Iustinus Apologetico posteriore & Tertullianus declarant. Ex his verò apparet, quantam adhiberi curam ab his Diaconis oportuerit, ut ordine exactissimo cuncta in illis cœtibus gererentur, qua de re passim in synodis canonibus sacris præcipitur. Exolescentibus autem illis conviviis mansit eadem Diaconorum cura in liturgiis quod attinet ad sacramentorum administrationem verbi prædicationi & publicis precibus adjunctam.* Nulla hîc confusio

Num. 47. Num. 54. Num. 45. Num. 48. De gradib. cap. 7 sect. 1.

functionum aut usurpatio muneris alieni. Nam cum in celebratione cœnæ ipsi pastores non ministrarunt circumferendo patinas & pocula, alios ministrare oportebat. Quos vero ministrasse existimabimus si non Diconos, qui mensis convivii communis tempore ministrabant. *Quantumcunque verò sacris altaribus appropinquet, & rebus sacris sacrisque exercitiis immisceatur, id tamen totum diaconi vt meri Presbyterorum & Episcoporum ministri peragunt*, ait Spalatensis. Cum concessum Diaconis ministerium altaris ceu mensæ sacræ, dicit fuisse tantum Presbyterorum & Episcoporum meros ministros, quid ergo periculi si prima institutione erant etiam mensæ sacræ ministri. Nam sic nihil attingebant quod Presbytero proprium erat & peculiare. *Res & subministravisse quæ ad sacramenta fuerunt opus de ærario Ecclesiæ, cui præfecti erant, & administrationi eorum operam commodavisse agnoscimus*, inquit Iunius. Duæ partes muneris Diaconatus, una procuratio collectarum quæ erogandæ erant in usus Ecclesiæ & pauperum, & in hac Levitis non erant comparandi. Nam non erat istud Levitarum munus. Alia via lex Dei prospexerat rebus pauperum & afflictorum, per spicilegia, racemationes, decimas tretericas insativos fructus &c. ut bene observat Fr. Iunius. Quatenus ministrabant etiam mensæ sacræ, dum Presbyteri ceu Pastores celebrarent, Levitis assimulari possunt qui sacerdotibus sacrificantibus ministrabant, non tamen in omnibus Levitici muneris partibus cum Levitis comparandi. Quod ad pauperum curam attinet Clemens in constitutionibus Apostolicis hęc officia Diaconis tribuit, si aliquem inopia premi viderit, admonito Episcopo, illi suppeditare, omnes invisere qui visitatione opus habent & de oppressis referre Episcopo, nihil cuiquam dare nisi ex Episcopi sententia, lib. 2 cap. 23 35, lib. 3 cap. 19. Et epist. 1 ad Iacobum fratrem Domini, ut ægrotos perquirant, visitent, & necessaria eis subministrent. Constitutionum lib 8, cap. ult. tamen non permittit baptizare. *Nō nec Diacono fas est offerre sacrificiū vel baptizare aut benedictionē parvam aut magnā facere.* Li. 8 c. ult. Orig. tract. 15 in Mat. *Diaconi autem qui non bene tractant Ecclesiasticarum pecuniarum mensis, sed semper de eis fraudant, & ipsas quas dispensant, non secundū justitiā dispensant & divites fiunt de rebus pauperū, ipsi sunt nūmularii, pecuniarum mensas habentes, quas Christus evertit. Quoniā autem mensis Ecclesiasticarum pecuniarum Diaconi præsunt, docent nos in actibus suis Apostoli* &c. Sed hæc pars muneris cessavit, & pars altera nempe ministerii in sacris mirum in modum aucta est. Nam cum primum in cœna non aliter ac in communi agaparum convivio ministrarunt, nempe circumferendo in vasis symbola & collocando in mensis coram accumbentibus vel astantibus, postea cœperunt ipsi porrigere symbola fidelibus & verba usurpare. Vt tradendo calicem dicebat, *Sanguis Christi, calix vitæ*, ut refert per-

Num. 56.

Cont. 5 l. 1. c. 13. not. 13

Ibid. ca. 14. not. 13.

sonatus

sonatus Clemens constitut. Apost. l. 8 c. 20. Et quod ait cap. 34, *ipse dat populo non veluti sacerdos sed veluti ministrans sacerdoti* nihil est. Nam sacerdotis officium est etsi non cuique porrigere & dare symbola, tamen verba fœderis & promissionum Evangelii proferre. Pedetentim in Presbyterorum munia irruperunt, unde supercilium & arrogantia de qua Hieronymus Epist. 85 ad Evagrium & auctor quæstionum veter. & novi test. quæst. 101. *Cur enim toties nimiæ arrogantiæ arguuntur, & à Conciliis & patribus, ut vidimus, increpantur, nisi quia invidia & æmulatione erga Presbyteros ducti in eorum libenter munera irrumpebant. Nonne eo audaciæ interdum sunt progressi, ut etiam offerre (quod est nunc Missas in Ecclesia Catholica celebrare) non sint veriti, testes sunt Patres Concilii primi Arelatensis, qui lato canone audaciam hanc represserunt. Sic enim statuunt canone 15, de Diaconis, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* Hæc Spalatensis. Mirum igitur non est, si baptizandi etiam ministerium sibi arrogarint, adjutantibus Episcopis, qui diaconos provehebant, ut Presbyterorum gradum deprimerent, & suum eveherent, vide supra pag. 460, 461, 472. Non tamen statim prædicare iis permissum. In Concil. Vasens. 2 can. 2 præcipitur, ut Diaconus, quando non est Presbyter qui prædicet verbum homilias sanctorum Patrum loco concionis recitet. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem, ita ut si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ à Diaconis recitentur. Si enim digni sunt Diaconi quæ Christus in Evangelio loquutus est legere, quare indigni judicentur sanctorum patrum expositiones publicè recitare?* Vnde apparet initio tantum legisse homilias Diaconum absente aut ægrotante Presbytero non autem concionatum fuisse. Progressu temporis adeo immutata fuerunt munera Diaconorum, ut ne vultum quidem primœvæ institutionis præ se ferrent. Vnde in synodo Trullana sub Iustiniano cũ Diaconos suo sæculo diversos ab iis qui Act. 6 instituti, cernerent, duplex diaconorũ genus finxerunt. *Nos Apostolico dicto mentem Patrũ adaptantes invenimus sermonem ipsis esse non de viris qui ministrant mysteriis, sed de ministerio quod in usu mensarum adhibebatur.* Sed quomodo Diaconos prædicare & baptizare permittẽt nisi abutendo exemplis Stephani & Philippi qui erant ex numero illorum 7 Diaconorum. Videmus itaque Diaconum irrupisse in munia Presbyteri, & omnia invadere voluisse, etiam cœnæ celebrationem, nisi repressa fuisset ipsius arrogantia. Sed cur baptismi non cœnæ administratio ei permitteretur, nulla satis idonea ratio reddi potest. Divellunt sacramenta quæ conjunxit Christus & prædicationi verbi adjunxit unumque altero ignobilius reddunt, cum baptismum administrare

Spalat. de rep. l. 2 cap. 4. n. 16.

Can. 16.

possit Diaconus non sacram cœnam. Qui non sunt apti ad docendum cœci curiones ministrare possint cœnam, & Diaconi, quibus concedetur facultas concionandi, non possint cœnam administrare. Quid absurdius? Cum prædicandi & baptizandi officia Presbyteris propria Diaconis concessa sint, non mirum alia inferiora etiam permissa esse, ut mandandi sepulturæ defunctorum corpora, nupturis benedicendi, juniores erudiendi. Lectoris officium commune Presbytero, Diacono, aliisve ad id muneris vocatis. Vtrum Diaconatus sit gradus ad Presbyteratum vide supra pag. 109, 110, de Archidiaconis pag. 459, & seqq. de vocatione Diaconi ad beneficium vide in vocatione Presbyteri ad beneficium, cum eadem prorsus sit.

CHAP. XII.

De Laicis administratoribus in Ecclesia Anglicana.

HActenus de personis Ecclesiasticis administrationem minime judicialem habentibus, sequuntur

Laici habentes nonnullam administrationem, eamque vel in Ecclesia Cathedrali vel parochiali. In Cathedrali sive collegiata, iique sunt vel Externi vel Interni. Externi qui versantur circa publicos illius Ecclesiæ Redditus ut Receptores, Ballivi, Auditores ratiociniorum, Fundos ut Supervisores, Decempedatores; Iura incorporalia ut Curiarum & libertatum Seneschalli. Interni circa divinum cultum occupati ut viri & pueri symphoniaci: Inferioribus ministeriis, intenti, ut custodes fabricæ templi, sacrarii, bibliothecæ, Ραβδοῦχοι sive virgiferi, Campanarum pulsatores & reliqui inferiores ministri.

In Parochiali habentes solam ministerialem magisque servilem administrationem ut Æditui & campanarum pulsatores: aut Ampliori administratione præditi, vt Collectores pro pauperibus iuxta statutum. Synodales testes quos *Sydemen* vocant, qui in inquisitionibus

sitionibus morum & visitationibus adiunguntur Oeconomis. Oeconomini sive Gardiani ecclesiæ, quorum munus est pro eo anno, Foris seu extra ecclesiam vel in ecclesia. Foris seu extra ecclesiam, Redditus ecclesiæ, cogere, custodire, si detinentur lege experiri, rationes referre, contributiones pro operibus publicis fiendas denunciare: inordinatè viventes inquirere, monere scandalosos, ordinario præsentare: Ordinarii mandata exequi & renunciare. In ecclesia; Tempore divinorum Collectiones pro pauperibus extraneis peragere, Absentes observare & mulctam exigere, Silentio & decoro prospicere. Extra tempus divinorum, sarta tecta tueri, Navem templi, Maceriam cœmiterii, Ornamenta & supellectilem reliquam publicis parœciæ sumptibus; Unà cum ministro indicem ecclesiasticum baptismorum, nuptiarum, & sepulturarum custodire: Prospicere ne quis absque facultate legitima sese ingerat ad concionandum: Comparare necessaria, vt libros, ornamenta, supellectilem ecclesiasticam, panem & vinum in S. cœna.

Missa onerosa illa turba ecclesiæ cathedralis, æditui & campanarum pulsatoribus ecclesiæ parochialis veniamus ad oeconomos seu Gardianos, quos Angli *Churchwardens* vocant, & testes Synodales. Ecclesiarum Oeconomi sive inquisitores consensu ministri & Paræcianorum eliguntur, testes Synodales per ministrum & Oeconomos. Oeconomorum & assistentium annua electio in Paschali hebdomada celebratur. Oeconomi *in officio suo vltra annum, nisi de integro ad modum prædictum electi non permanebunt. Omnesque Oeconomi ad dicti anni terminum, vel saltem infra eiusdem termini mensem vnum, pecuniæ tum acceptæ tum expensæ sive in reparationes sive in alios quoscunque ecclesiæ vsus veram & particularem rationem ministro & Parochianis reddent: quinetiam officio suo abeuntes Parochianis cedent quicquid pecuniæ aut alterius rei cuiuscunque ad ecclesiam sive parochiam jure pertinentis in ipsorū manibus residuum supererit, vt per eos in succedentium oeconomorum custodiam per billam indentatam transferatur.* Horum officium quodnam sit vides in tabulis. *Maceriam cœ-* Cons. 89. Mucket. de polit. p. 346.

miterii, navem templi, ejusque ornamenta & reliquam supellectilem, ut libros, eucharisticam mensam, calicem, patinam, eleemosynarum cistam, publicis parochiæ sumptibus sarta tecta & decora tuentur, parant etiam panem & vinum in sacram cœnam, tempore divinorum collectionem peragunt pro pauperibus extraneis, & contributiones operibus publicis in sumendas denunciant. Præterea more ecclesiasticorum Visitatorum (quorum meminit Gregorius Magnus, l. 3. epist. 2. inquirunt nequiter viventes eosque admonent, magis scandalosos episcopo qualibet triennali visitatione, & bis annuatim necessario deferunt, in quibus occupationibus Testes quoque Synodales iis diligenter opitulantur ait Mucketus. Canon. 116. constitutionum anni 1603. sic decretum. *Nullius parochiæ Oeconomi vel Inquisitores sive Assistentes accusationes aut detectiones suas cogentur judici cuipiam ecclesiastico præsentare sæpius quàm singulis annis semel, in iis utique locis, ubi non consueverunt pluries exhiberi, aut bis in diœcesi vel loco quocunque (nisi in episcopi visitatione) pro quibus Parochiæ cuiusque præsentationibus Registrarius cuiuslibet Curiæ, in qua exhibendæ sunt, supra quatuor denarios in uno anno non recipiet; sub poena menstruæ suspensionis à muneris sui exercitio pro singulis ejusmodi delictis.* Vides oportere Oeconomos eorumque assistentes testes synodales pro præsentationibus parochiæ ceu detectionum schedulis salarium dare Registrario, cum potius accipere debeant. Nam crimina detegendo subministrant curiæ Harpyis occasionem & materiam quæstus & lucri uberrimam. Etsi binis tantum vicibus singulis annis excepta triennali visitatione episcopi, teneantur exhibere detectiones, possunt tamen quoties & quando videbitur extra tempus vel tempora præstituta delinquentes deferre & accusare, sed cautum est dicto canone, *ut pro spontaneis hisce præsentationibus nullum feodum aut salarium sub poena prædicta recipiatur.* Vt nihil rapaces Curialium manus subterfugiat, sic decreverunt, can. 119. *Quo melius illis incommodis occurratur, quæ ex detectionum schedulis sive billis (quas vocant) properè & festinanter confectis (in ipsis videlicet diebus visitationum & Synodorum) hactenus constat evenisse, statutum est & decretum, ut quilibet Cancellarius, Archiaconus, Commissarius, Officialis alijque ius dicentes ecclesiasticum, ad tempus oeconomorum iuramento præstando consuetum, itemque Archiepiscopus & Episcopi omnes quoties visitationes suas indicant, parochiarum omnium Oeconomis & inquisitoribus sive assistentibus aut eorum aliquibus tradant aut tradi curent libros Articulorum, de quibus eosdem velint detectiones suas anno insequente ad stata tempora exhibendas instituere: in quo item libro apponetur forma juramenti quo statim ante singulas eiusmodi præsentationes sunt onerandi: ut spatio sufficienti dato ad examinandam & perpendendam tum iuramenti sui qualitatem, tum etiam articulorum, quibus ipsorum detectiones niti debeant, deliberatè & cum fide easdem domi suæ formare possint, ad conscientias suas jurisiurandi religione jam obstrictas*

uti probos & pios decet, liberandas. Omittunt tamen sæpius Oeconomi detectionem criminum, partim præ metu à potentioribus, partim præ incuria aut favore erga sontes ceu reos, unde nefarie perjuri fiunt. Prospiciunt ne quis absque facultate legitima sese ingerat ad concionandum. Sed facultas nulla conceditur nisi formalistæ. Prospiciunt, ut omnes parochiani intersint tempore divinorum, id est dum recitatur aut cantatur liturgia. Non licebit alias frequentare ecclesias vbi habetur concio, nisi denariis aliquot libertatem istam redemerint. Deferunt Prælatorum curiis non geniculantes in sacra cœna, non adducentes pueros ad suscipiendum sacramentum confirmationis Episcopalis, puerperas purificationis ritus omittentes, dies festos non observantes, ministros non orantes in publicis precibus pro episcoporũ Ordine, admittentes ad sacram cœnam viros pios ab eorum officialibus justitiæ causa excommunicatos, cruce in baptismo pueros non consignantes, & si quæ alia sunt delicta contra canones prælatorum commissa. De oeconomis vide plura, pag. 436. Oeconomis, testibus Synodalibus & collectoribus in ecclesia parœciana rudera quædam functionum Diaconorum & Seniorum relicta vel potius imposita sunt, excluso interim è parœciis vero Diaconatu, & consessu Seniorum; extra ecclesiam verò inserviunt ut mancipia ad suffulciendam episcoporum tyrannidem. De Diaconis diximus. De Senioribus hîc etiam loco tam oportuno pauca dicenda sunt; Scripsit nervosè in accurata sua dissertatione contra Dounamum Gersomus Bucerus de Seniorum institutione divina, ego tantum paucis perstringam, quæ in parænesi contrà scripsit Tilenus, vel potius Saravia aut Bilsonus. Nam nihil affert ille novi sicut peritus scriba faceret, nec unquam afferre solet sed vetera omnia.

Presbyterorũ duplex genus in ecclesiis Apostolicis fuisse colligũt nostri ex loco Apostoli, 1. Tim. 5. 17. Quibus argumentis hunc sensum eripere nobis conatur? Primò ait nulli unquã scriptori ecclesiastico aut scripturarũ interpreti peregrini huius & absoni interpretamenti suspicionem in mentẽ venisse, circiter mille & quingentos annos in Heracliti puteo demersum latuisse, Calvinoque demum ac Bezæ patuisse. Respondeo patres omnes literis interpretamenta sua non mandasse, pleraque ipsorum scripta temporum injuria periisse, aut interpolata esse, & Seniorum vsum obsolevisse, priusquam in hunc locum commentarios scripserint. Ad morem sui temporis & præsentem ecclesiæ consuetudinem hunc locum exponentes, respexerunt. Sic mutata fuit Diaconorum primæva institutio vt Patres in Synodo Trullana negarint 7 illos ad ministrandum mensis electos fuisse, Diaconos. Secundò, quid si ante Calvinum & Bezam nullus veterum ita interpretatus sit, Nonne Calvinus aut Beza aliique viri docti nostro & superiori sæculo scrutantes scrip- *Paræneſ. cap. 11.*

turas

turas eruere potuerunt sensum qui ante hac latebat, sicut in multis aliis scripturæ locis fecerunt. Concedunt ipsi Pontificii succedentibus sæculis quædam vberiùs & subtiliùs à posterioribus ecclesiæ Doctoribus pertractata, quàm fuerant à prioribus definita. *Quamlibet ætatem antiquitati semper detulisse: sed illud asserimus*, inquit Salmeron Iesuita, *Doctores iuniores perspicaciores fuisse. Ex hoc loco* (nempe Rom. 5. in quo omnes peccaverunt) *sancti omnes vno loco asseverarunt B. virginem in peccato Originali conceptam fuisse, Chrysostomus, Eusebius, &c. quamvis nullus autor contravenerit, infirmum est tamen ex omnium Patrum consensu argumentum, & contraria sententia potius probabiliter & piè defenditur*, inquit Canus. *Missam facio Augustini & Innocentii sententiam, quæ ex falsa expositione, Ioh. 6.* (*nisi manducaveritis*) *sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, eucharistiam etiam infantibus esse necessariam; res jam ab ecclesia & multorum vsu explicata est, neque Protestantes in hoc à nobis dissentiunt*, inquit Maldonatus. Andradius ait Deum multa revelasse his sæculis quæ latuerunt Patres. Vide plura pag. 544. Tertio ipsi formalistæ alias huius loci interpretationes comminiscuntur, ut genuinæ nebulas offundant, quas nullus Patrum literis unquam consignavit. Vt cum presbyterorum nomine Diaconos comprehendunt. *Presbyteri in duplici discrimine erant*, ait Bilsonus, *alii namque in verbo laborabant alii pauperum curam gerebant. Vtrique duplici bonore, si muneri suo non deessent, digni erant, præcipuè verò qui in verbo & doctrina laborabant*. Interpretationẽ istam elegit Mucket in lib. de polit. p. 346. At nullus veterum ita interpretatus est locum istum. Facilè etiam refellitur. Nam Diaconi nullibi vel presbyteri appellantur, vel προϊστάσθαι dicuntur: imo à προεστῶσι distinguuntur Rõ. 12. Sic alias etiam interpretationes affinxerũt, de quibus non somniarũt Patres. Si nec Pontificios nec formalistas veterũ interpretationes moveant, nosne iis adstringimur? *Nihil autẽ movere nos debet*, inquit Sopingius, *quòd veteres qui in hunc locum scripserunt, non ita interpretati fuerint. Quàm multa enim sunt in hac sic liquidò diffusa evangelii luce ad mentem genuinam sacrosanctæ scripturæ à nostris doctoribus prodita & restituta, de quibus nihil veteribus constitit? Et ne procul abeam, annon plerique patres vnius vxoris virum interpretantur, qui mortua vna vxore nullam superinduxerit? quemadmodũ Diaconissas intelligũt vnius viri vxores, quæ secundo matrimonio non fuerunt copulatæ?* Sed, ut supra dictũ, non potest constare nobis de vnanimi consensu Patrum in interpretatione huius loci. Nam perpaucorum extant scripta præsertim in hunc locum commentantium, & quæ extant pleraque sunt supposititia aut interpolata. Calvini & Bezæ interpretationem hujus loci genuinam esse vel ex eo patet, quod nulla alia quàm commenti sunt vel veteres vel formalistæ huic loco conveniat. Whitgiftus Cantuariensis in Defens. contra primam Replicam Cartwrighti, dicit

In Rom. 5. Dispu. 5.

Canus loc. theolog. l. 7. c. 1. num. 1.

Comment. in Ioh. 6. 53.

Defens. Trid. Conc. l. 2.

De Gubern. cap 10. p. 179.

Respons. ad bonam fidem Sibrandi. pag. 267.

dicit Ministrorum alios prædicasse alios solùm sacramenta ministrasse. Omnes erant duplici honore digni sed maximè qui laborabant in sermone & doctrina. Sed in 2. Replica respondet Cartwrightus, omnes ministros ceu pastores fuisse aptos ad docendum & confutandum. Quod autem Apostolus ait, qui laborant in sermone & doctrina, absque ulla sacramentorum mentione, id fieri quia synecdochicè per partem præcipuam muneris ministri omnes, brevitatis causa, designare voluit. Nam qui laborat in sermone & doctrina ministrat etiam sacramenta. Duo enim ista coniunxit Dominus prædicationem verbi & administrationem sacramentorum. Ministros Apostolicos finxit Whitgiftus ad imaginem Sacerdotum Anglicanorum, quorum maxima pars nequit laborare in sermone & doctrina. Hanc interpretationem nullius Patris authoritate confirmant. Bridgesius defens. pag. 868. ait per presbyteros non laborantes intelligi posse rectores quosdam aut magistratus minores electos ad componendum controversias ceu lites civiles. Et ista interpretatio nulli veterum cognita; litigantes pro arbitrio consenserunt in arbitros. Non erant ulli magistratus constituti in ecclesia qui judicarent de litibus civilibus. Vult ad τὰ βιωτικὰ κριτήρια eligi τοὺς ἐξουθενημένους. *Multa verba facit Beza vt probet judices 1. Cor. 6. non fuisse ex Presbyterorum ecclesiasticorum numero: quod quidem ego ipse facilè concesserim. Nulli enim vnquam huiusmodi constituti sunt*, inquit Sutclivius in disputatione de Presbyterio. Tertia est Sutclivii qui verba illa, *maxime qui laborant in verbo & doctrina superioribus addita*, ait ἐξηγητικῶς, vt qui sint illi qui bene præsunt, doceat, nempe plurimum laborantes in verbo & doctrina, non autem distinguere laborantes in verbo à Presbyteris præsidentibus. Sic verba reddi vult, *Bene præsidentes Presbyteri duplici honore digni habeantur maximè laborantes in verbo & doctrina, non autem vt vetus interpres & nonnulli nuper interpretati sunt, Maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Μάλιστα hoc loco aptius significare plurimum & multum quàm præcipuè & præsertim. At tunc Apostolus dixisset οἱ μάλιστα κοπιῶντες vel simpliciter μάλιστα κοπιῶντες non μάλιστα οἱ κοπιῶντες. In hac eadem epistola ait Apostolus cap. 4. 10. *Deus est conseruator omnium hominum maximè (vero) fidelium.* Deest hîc particula adversativa δὲ post μάλιστα & tamen distinguit fideles ab aliis hominibus. Non enim est iste sensus. Deus est conservator omnium hominum plurimùm fidelium. Sic Tit. 1. 10. *Sunt enim multi subjici nescii & vaniloqui & mentium subductores* μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς *maxime qui sunt ex circumcisione.* Vbi vox μάλιστα mentium seductores ex circumcisione ab aliis seductoribus distinguit. Deest etiam particula adversativa δὲ. Hîc similiter etiamsi non exprimitur particula δὲ distinguit presbyteros laborantes in verbo & doctrina à non laborantibus, & tamen bene præsidentibus. Distinguit operantes

2. part. pag. 31.

Pag. 81.

Pag. 75.

rantes

rantes non explicat conditionem operis. Si conditionem operis explicare voluisset Apostolus, usus fuisset voce ὅπλα ut Rom. 6. 13. vel περισσότερον, ut 1. Cor. 15. 10. Quarta interpretatio est Kingi episcopi Londinens. in concione in Cantic. 8 p. 40. posse hunc locum intelligi de Episcopis senio & annis confectis, qui non possunt laborare in verbo & doctrina. Sed quomodo possunt dici Episcopi ætate & senio confecti καλῶς προεστῶτες, & si bene præesse possent, cur inferiores essent aliis verbo & doctrina laborantibus. Quinam quæso sunt illi qui laborare omnino non possunt in sermone & doctrina, & tamen laudabiliter gubernare? Preterea loquitur Apostolus non de episcopis Hierarchicis, sed de Presbyteris quibus illi præter laborem in verbo & doctrina eique annexis nihil permittunt. Quinta est etiam Kingi, Apostolum velle, non sufficere quod minister bene vivat & integritate vitæ præluceat, sed etiam oportere ut verbo & doctrina pascat. Sed Apostolus non existimat ministros duplici honore dignos propter vitæ integritatem, nisi etiam laborarint in verbo & doctrina. Nam 1. Thessal. 5. 12. 13. Rogat Thessalonicenses ut agnoscant eos qui laborant inter eos & præsunt iis in Domino, & eos supra modum charos ducant propter opus ipsorum. Si propter opus ipsorum digni sunt duplici honore non debetur eis honorarium propter vitę probitatem, Si ob vitæ probitatum, tum omnibus qui moribus prælucent aliis debetur honorarium. Sed probi & pii præeunt exemplo non tamen pręsunt aliis: ducunt exemplo non regunt authoritate. Istam interpretationem, etsi olim Dounamo arrisit, jam non esse tutam existimat, Defens. l. 1. c. 4. p. 93. Sexta est Bilsoni presbyterorum nomine Diaconos comprehendi. Presbyteros alios fuisse dicit qui laborabant in verbo, alios, qui pauperum curam gerebant. At, ut jam diximus, Diaconi nunquam presbyteri appellantur, aut καλῶς προϊστασθαι dicuntur: imo distinguuntur à προϊσταμένοις Rom. 12. 8. Septima est ejusdem Bilsoni qui καλῶς προεστῶτες ad eos pastores & doctores referri posse dicit, *qui in quaque ecclesia resederunt, qui idcirco propriè dicuntur* προϊστασθαι *curam scilicet & inspectionem fidelium habere, velut eius rei gratia loco affixi*: κοπιῶντες *autem ad eos, qui ecclesias invisendi confirmandiq; causa huc illuc commearunt*. Verum quidem est, verbum κοπιᾶν tribui Apostolo, 1. Cor. 15. qui multas peragravit regiones, sed non propterea lassitudinem corporis Apostoli in peregrando denotat. Fœminæ dicuntur vehementiùs laborare in Domino Rom. 16. 6. 12. non ob regiones longè latèque decursas, ut vult Bilsonus. Unde enim constat Mariam & Persida peragrasse regiones propagandi evangelii causa, vel Apostolos circumduxisse fœminas nec sorores nec uxores in hunc

De gubern. p. 179.

Pag. 183.

finem

nem. Loquitur Apostolus tantùm de piis fœminis, quæ conversæ operam ibi navabant in convertendis aliis præsertim fœminis, *quæ ad mulierculas (quod viris pudor erat) secretiùs penetrarunt*, ut ipse ait, *easque non privatim solum evangelii sensu imbuerunt sed ad audiendum Apostolum aliorumque doctorum sermonem foras etiam eduxerunt*. Si ob privatam operam fœminæ dicuntur κοπιᾶν, multo magis Presbyteri dicendi sunt ob publicam simul & privatam Evangelistæ peragrarunt regiones, non tamen ullibi dicuntur κοπιᾶν ut distinguantur ab aliis pastoribus hoc vocabulo, quomodo ergo erit peragrantibus regiones evangelistis peculiare. Preterea si Pastores & Doctores, qui in quaque ecclesia resederunt propriè dicuntur προϊστασθαι curam scilicet & inspectionem fidelium habere, veluti eius rei gratia loco affixi, ut ait Billonus, quomodo comprehendentur Evangelistæ sub iis qui dicuntur καλῶς προϊστασθαι. Relatio quæ est inter προεστῶτες vel προϊσταμένους de ordinariis Presbyteris certo gregi præfectis loqui Apostolum ostendit, non de Evangelistis qui nulli certo gregi præerant. Quem laborem duplici honore dignum judicat, ostendit ex materiæ dignitate nempe qui insumitur in sermone & doctrina. Denique Apostolus, 1. Thess. 5. 12. 13. τοὺς προϊσταμένους & τοὺς κοπιῶντας eosdem facit, non dividit προϊσταμένους in κοπιῶντας καὶ μὴ κοπιῶντας. Sic hîc iidem sunt καλῶς προεστῶτες & κοπιῶντες, discrimen est tantum in materia circa quam versatur quorundam προεστώτων labor, nempe quod quidam laborant in verbo & doctrina. Illi ita interpretantur ac si Apostolus dixisset. Presbyteri duplici honore digni sunt, maximè verò evangelistæ. Octava interpretatio eiusdem Billoni. *Cum in omni verbi Ministro hæc tria requirantur*, inquit, *vitæ probitas, gubernandi solertia & doctrinæ integritas. Laudantur quidem priora duo, primus tamen docendi labor in his jure sibi vendicat. Itaque non duplex hic Presbyterorum ordo, sed duæ pastoralis officii partes notantur*. Et infra. *Cur novum aut inauditum cuiquam videatur, si ministros verbi non κοπιῶντας solum, hoc est gnavos & sedulos ad docendum, sed καλῶς προεστῶτας ad gubernandum inspiciendumque pervigiles esse debere contendimus, quum Apostolus utrunque in Pastoribus iis, quos volumus, conjungat*, 1. *Thess*. 5. 12. 13. *Rogamus vos fratres*, inquit, τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ. Iam agnoscit τὸ κοπιᾶν convenire pastoribus ordinariis & fixis, & probat iisdem tribui προΐστασθαι & κοπιᾶν. Non igitur distinguit inter ordinarios ceu certo gregi ascriptos & extra ordinem huc illuc missos, & proinde interpretationem priorem refellit.

Pag. 184.

Pag. 181.

vbi τὸ κοπιᾷν ad corporis laborem & lassitudinem ob peragratas regiones retulit. Sed nec ista interpretatio cohærere potest. Nam hic erit sensus. Presbyteri ceu Pastores qui bene præsunt, nempe vitæ probitate & gubernandi solertia sunt digni duplici honore, maximè verò ii qui laborant in sermone & doctrina. Sequeretur Pastores ceu ministros bene posse præesse, etiamsi non laborarint in sermone & doctrina, & duplici honore dignos, quod absurdum. Sed dato duplici presbyterorum ordine, tum optimè quadrabit sensus. Presbyteri ceu Seniores qui bene præsunt vitæ probitate & gubernandi solertia duplici honore digni sunt, maximè ii qui non solum vitæ probitate & gubernandi solertia, sed etiam laborando in sermone & doctrina præsunt. Nona est eiusdem Bilsoni, *ducta à vi verbi κοπιᾶν, quod maiore cum conatu & contentione aliquid eniti significat. Tum verò sensus est Presbyteri qui præsunt bene, duplici honore digni sunt, maximè qui in verbo laborant & desudant.* Et hanc esse germanam verbi κοπιᾶν significationem, cum à corporis labore ad animi contentionem traducitur. *πονεῖν simpliciter laborare, κοπιᾶν laboribus frangere & lassare se significat. Qui laborat igitur honorario quidem dignus est, dignior autem multo, qui se laboribus frangendum & defatigandum dederit. Ita Paulus; Pastores sive Presbyteri qui parem muneri suo operam reddunt, duplici honore digni sunt; præcipuè verò ii, qui nullam non laboris contentionem & molestiam quo Christi fidem & doctrinam promoveant, libenter suscipiunt.* Saravia. *Neque enim illud maxime qui laborant in verbo & doctrina aliud quicquam significat, quàm quod superius dixit, qui bene præsunt. Est etiam hæc particula exegetica superioris, vt bene præesse sit laborare in verbo & doctrina. Et opponit sedulos & ignavos otiosis & ignavis, qui nullo honore digni sunt, aut comparat laborantes inter se, quorum alii magis alii minus laborant.* Septimam, & nonam Bilsoni interpretationem conjungit Tilenus. *Quid ergo? inquit, nullumne discrimen inter Presbyteros locus ille Pauli innuit? Imo distinguit etiam eos qui bene præsunt. Nam & inter hos alii aliis sunt potiores & præsunt meliùs non solùm πονοῦντες, id est simpliciter laborantes, sed etiam κοπιῶντες, id est, difficili & ærumnoso labore sese propemodum conficientes, cujusmodi laborem semper fere Apostolus hoc verbo declarat. Horum in numero erant, qui pluribus atque inter se longius dissitis Ecclesiis obeundis ac pascendis destinati, non sine maximis molestiis vltro citroque commeabant, & hostium Evangelii insidiis adpetiti gravissimis sæpe periculis sua capita objectabant, quietiore aliis domi apud suos ministerio fungentibus: qui licet minimè obtorpescerent seduloque munus suum obirent, non tamen iisdem quibus illi ludibriis ac periculis erant opportuni, aut stipendiis digni.* Ista interpretatio quam elegit Tilenus patribus per quindenas annorum centurias

Pag. 182.

Parænes. cap. 11.

centurias patribus incognita Bilsono demum patuit. De Evangelistis ultro citroque commeantibus diximus in interpretatione septima. Si hi soli dicendi sunt κοπιῶν in sermone & doctrina, tum qui domi gregem pascunt, etiamsi se propemodum confecerint, non dicendi erunt κοπιᾶν in sermone & doctrina. Sed nona ista interpretatio concedit etiam convenire posse iis qui affixi sunt certo gregi, quod innuere etiam videtur Tilenus. Sed nec istos distinguit Apostolus ab aliis laborantibus in sermone & doctrina. Nam omnibus προεϊσαμένοις tribuit τὸ κοπιᾶν 1 Thess. 5 12 13. ut fatetur Bilsonus. *Si Paulo scribenti ad Timotheum propositum fuisset graviores doctrinæ partes à levioribus discernere, non quidem eo verbo quod de omnibus doctrinæ administris passim prædicat, usus fuisset, sed quod ipse difficillimis conatibus maximisque defatigationibus significandis adhibere solet*, ut observat Gersomus Bucerus in dissertatione sua pag. 150. Hoc vult, cum Apostolus laborum, qui in Ecclesiæ ministerio subeundi, gradus ceu species aliquot enumerans τὸν κόπον τῷ μόχθῳ infirmiorem statuerit, 2 Cor. 11 27, & alibi etiam extremum laboris conatum assignet huic, inferiorem illi 2 Timoth. 3 8, 1 Thess. 2 9, & κόπος laborem significat cum summa quidem cura & sollicitudine conjunctam, μόχθος verò laborem quo quis fatigatur pressus laboris mole & difficultate, si intentiorem à remissiori opera distinguere voluit, τὸ μοχθεῖν potius quàm τὸ κοπιᾶν dicturum fuisse. Nam τὸ κοπιᾶν nihil aliud emphatice significat, quàm labores curam, sollicitudinem & diligentiam, quam in omnibus pastoribus, qui bene præsunt, exigit natura illius muneris. Nemo bene præesse potest aut regere absque cura & labore. Episcopus est præclarum opus. Apostolus 1 Cor. 3 8, ait unumquemque ministrum accepturum mercedem κατὰ τὸν ἴδιον κόπον secundum suum laborem. Charitas Christianorum communis habet suum κόπον 1 Thess. 1 3, Heb. 6 10. sic officium pastoris & officium Senioris gubernantis & regentis. Qui præest ait Apostolus ἐν σπουδῇ cum diligentia. Nam καλῶς προεστῶς est προϊστάμενος ἐν σπουδῇ, Rom. 12 8. Est igitur προΐστασθαι καλῶς, προΐστασθαι ἐν σπουδῇ quod idem est ac ἐν κόπῳ lento & sedulò invigilare inspectioni & regimini. Ac si dixisset Apostolus Presbyteri προεστάμενοι καὶ κοπιῶντες vel in prostasia laborantes sunt duplici honore digni, maximè verò κοπιῶντες, id est laborant in sermone & doctrina. Pag. 150.

Si hic fuisset sensus quem fingit Saravia, hoc verborum ordine usus esset Apostolus. Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habentor, maximè qui graviores curas sustinent. Vel omittenda fuissent illa verba *in sermone & doctrina* vel subjicienda verbo *bene præesse* ut observat Th. Beza; nec refellere potest Saravia, de gradib. cap. 13 sect. 2. Tantùm respondet Oecumenium aut Chrysostomum hoc non animadvertisse. Rectè etiam Sopingius. *Hæc vox non distinguit labores aut onera eorundem Presbyterorum comparatè inter se, ita vt vnus magis minusve altero dicatur laborare in vno eodemque Presbyteratus munere. Sic enim debuisset dicere. Qui bene præsunt & πονοῦντες laborant aut ministrant in sermone & doctrina Presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui in prostasia ipsa & doctrina κοπιῶντες .i. se defatigant.* Si luculentiora stipendia deberētur iis qui labore se conficiunt, quàm qui simpliciter bene laborant, æmulationes & rixæ nascerentur innumeræ. Archimede aliquo prudenti opus esset in quaque parœcia qui geometrica proportione divideret bona Ecclesiæ, & cuique assignaret salarium κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. Hoc voluisse Apostolum sequitur, si in hac voce situm hîc discrimen inter Presbyteros Pastores, & quo quis diligentius muneri incumbit majori dignus sit honore. Nona interpretatio non arridebit Episcopis. Nam illi non conficiunt se laborando in sermone & doctrina, imo nec gubernandi cura & labore. Curam & laborem, opus & onus rejiciunt in alios, opes & honorem captantes. Sed detur conficere se cura & labore regiminis, nisi etiam labore in doctrina & sermone se conficiant, non debetur iis præ aliis duplex honorarium. Nam in doctrina & sermone laborantes præcipuè dignos duplici honore judicat Apostolus. Decima interpretatio est Downami, qui etsi non negligendam dicit ἔμφασιν vocis κοπιῶ (negligunt Episcopi) tamen non in ea voce positum discrimen inter Presbyteros concedit, sed in verbis sequentibus, in sermone & doctrina. Non notat duas Seniorum species, inquit, sed duo ministrorum ceu Pastorum officia, unum generale bene præesse, alterum speciale, laborare in sermone & doctrina. Bene præesse, inquit, est interprete Hieronymo, implere officium suum, vel ut exponit Syrus interpres bene se gerere in statione sua vel ut alibi scriptura loquitur, egredi atque ingredi coram populo dei, quēadmodum decet ipsos, & istud intelligendū est simul de privata corū conversatione bonis operibus prēeundo, simul de publica corū administratione. Vnde, inquit, comparationem instituit Apostolus inter officia ministrorum, ceu ministros ratione officiorum axiomate relatæ quantitatis, in hunc modum, omnes Presbyteri qui officio suo in genere defunguntur duplici honore digni sunt, præsertim qui laborant vel labores sustinent in verbi prędicatione; quoniam hæc pars muneris est primaria. At non dicit Apostolus Pres-

Ad bonam fidem S. brā di p. 268.

byteri

byteri qui bene præsunt duplici honore digni sunt, maximè *quia* laborant in sermone & doctrina, sed maximè qui laborant in sermone & doctrina. Si priori modo locutus fuisset, tum Presbyteros docentes solùm designasset, & duplici honore dignos monuisset ob administrationem suam, præsertim ob labores quos sustinent in verbi prædicatione. Sed distinguit personas ratione distincti muneris. Omnes Presbyteri duplici honore digni sunt qui bene præsunt, potissimum ii qui præter commune προστασίας officium habent etiam singulare, laborantes in sermone & doctrina. Si de ministris ceu Presbyteris docentibus loqueretur Apostolus, & in *bene præesse* includeret *laborare in sermone & doctrina*, tum dignior honore duplici esset, qui in una parte officii laborat quàm qui in omnibus. Nam qui non in omnibus laborat, non implet officium suum, non bene se gerit in statione sua, nec καλῶς προεστάναι dicendus est. Non igitur comparat partem unam muneris pastoralis primariam cum toto aut aliis partibus. Meluinus noster respondet Dounamo in codice quodam manuscripto in hunc modum. *Heus tu Rhetorcule. Num totum minus aliqua sui parte? Num totum officium ex omni parte naviter & præclarè fungi, est majore dignum honore quàm fungi parte aliqua. Et quum sit honoris tribuendi majoris & minoris contentio, utrum majus honorarium operario debetur propter inchoatum & affectum in parte, quàm propter consummatum & perfectum omnibus partibus officium. Si tu prudentia tua artificiosa duplicem hic judicii logici κρύψιν animadvertisses, defectum puta & inversionem, melius totum hunc locum construxisses hoc modo. Presbyteri qui bene præsunt digni sunt duplici honore. Qui laborant in sermone & doctrina maximè digni sunt duplici honore. Non secus ac si scriptum esset. Quicunque bene præsunt duplici honore digni sunt, tum ii maxime duplici honore digni sunt qui laborant in verbo & doctrina. Sunt enim duo axiomata simplicia generalia affirmata; nisi mavis unum axoma compositum esse & copulatum. Cum omnes Presbyteri qui bene præsunt sunt duplici honore digni, tum maxime digni sunt honore, qui laborant &c. Atque ita responsum ad quæstionem qua quæris, nonne μάλιστα non minus res quàm personas, respectus quàm subjecta distinguit? Iam enim ostendimus ex tua ipsius logica tam res quàm respectus, tam subjecta quàm functiones hic distingui. Neque id particulæ hujus μάλιστα aut significatione magis quàm tota oratione & orationis perpetuitate.* Whitakerus in prælectionibus suis, ut refert in refutatione concionis Dounami Sheervodius, sic locum istum interpretatus illustravit. *Illis verbis*, inquit, *discertè dinguit Apostolus inter Episcopos & inspectores Ecclesiæ: Si omnes duplici honore digni qui bene præsunt, maximè ii qui laborant in sermone & doctrina, perspicuum est fuisse aliquos qui non laborarunt. Nam si omnes fuissent tales, sensus esset absurdus, sed μάλιστα ponit discrimen. Si dicerem*

omnes

omnes Academici qui bene student sunt duplici honore digni, maximè ij qui laborant in studio theologiæ, vel innuo non omnes incumbere studio theologiæ, vel insulse loquor. Quamobrem fateor illum esse sensum maximè genuinum quo Pastores & Doctores discernuntur ab aliis qui solum gubernabant Rom. 12 8, de quibus in Ambrosio legimus in 1 Tim. 5. Idem contra Duræum *Ita ignarus es, vt esse in Christi Ecclesia Presbyteros nescias, qui gubernationi tantum, non verbi aut sacramentorum administrationi operam darent*, In margine citat hunc locum. Cum nulla ex dictis decem interpretationibus ex verbis Apostoli colligi possit, & nostra interpretatio sit plana & aperta non coacta, meritò ex hoc loco colligimus duplex presbyterorum genus sive duos ordines; & collegerunt doctissimi hujus sæculi interpretes, quorum testimonia aliquot nisi passim lectori obvia occurrerent, produxisse. Cum tam apertam & planam interpretationem aliis modis convellere non possint, maximo, quod inde sequetur incommodo, nos premere conantur. Cum honoris appellatione stipendia contineantur, sequitur, inquit Tilenus, & alios Presbyteros nō laborantes in verbo & doctrina duplici honore stipendioque dignos, cum tamen ex Domini præcepto nulla sint constituenda ex ærario stipendia, nisi iis qui Evangelium anunciant, 1 Cor. 9 14 Ignorat Tilenus in Ecclesia Anglicana Diaconos admitti ad beneficia ut in papatu. Omnis minister & operarius etiam pullator campanæ est dignus mercede sua. Honoris nomine non tantum alimenti honor intelligitur, sed etiam reverentiæ, ut ait Ambrosius, aliique interpretes, per duplicem honorem intelligunt exteriorem reverentiam & sustentationē. Chrysostomus honoris nomine subsidium sustentationis intelligit, & duplicem dici vult respectu viduarum, quarum respectu duplici id est duplo maiori alimonia sustentandi. Sed per duplicem nihil aliud intelligit Apostolus quàm multiplicem ut Ierem. 17 18, Esa. 40 2. Concedimus honoris nomine intelligi posse honorarium quoddam qnod propter opus ipsorum eis debetur, non tamen constituit ullam partem essentialem muneris Presbyteratus. Apostolus ipse ne Ecclesiæ oneri esset aut scandalo nullos sumptus à Corinthiis accipere voluit. Num propterea non erat Apostolus. Etsi igitur non accipiunt in reformatis Ecclesiis stipendia seniores non sequitur tamen non esse illos seniores in Ecclesia Apostolica institutos. Si quæsieris an debeatur eis subsidium sustentationis: Respondeo, honorarium debetur, & præmium quoddam propter opus ipsorum, nam operarius est dignus mercede sua, plenum etiam & integrum sustentationis subsidium, si vel quis dono gubernationis præditus præ aliis ad istud munus provectus fuerit, quia necessariam ejus administrationem Ecclesia judicat, & non habeat, unde se & familiam sustentare posset, vel si quis ad inopiam postea redactus fuerit. De perpetuis

Lib. 3. pag. 807.

petuis potissimum loquor, non de temporariis, quibus honorarium durante administratione debetur, non tamen subsidium integrum sustentationis, si ad egestatem redacti fuerint, debetur ex justitia hoc est propter opus ipsorum, sed cum non futuri in opere, ex charitate. Perpetuis debetur honorarium ex justitia & propter opus ipsorum, in casu necessitatis, id est inopiæ vel egestatis etiam integrum & plenum sustentationis subsidium debetur ex justitia propter opus ipsorum Non sunt sub movendi gradu suo simul ac ad pauperiem & egestatem devenerint. Cum Apostolus dicit, maximè qui laborant in sermone & doctrina digni sunt duplici honore, innuit non laborantes in verbo & doctrina non tam dignos duplicata mercede, imo specialè cum sequitur, derogat generali, ac si dixisset Apostolus, Presbyteri duplici honore digni sunt, saltem qui laborant in sermone & doctrina. Nam illi sunt boves triturantes, qui ad Evangelium ἀφωρισμένοι victum aliunde quàm ex Evangelio sibi comparare non liceat. Sed hæc infælicitas horum temporum, quod non ubique sunt perpetui, licet in plerisque apud nos Ecclesiis sunt, & ubi perpetui sunt, bona & opes Ecclesiæ non in publicum ærarium Ecclesiæ colliguntur, sed ab Aulicis, magistratibus, aliisque ordinis inferioris diripiuntur. Posse Seniores, præsertim temporarios, de jure suo remittere in tanta ærarii publici augustia, & honorarium suum condonare quis dubitat. *Sæpe enim*, ut ait Gersomus Bucerus, *quæ debentur prudenti aliqua consideratione, ac benevolo affectu condonantur. Patitur Ecclesia, ut qui Presbyteri creantur, non perpetuè onus hoc sustineant. Ipsos igitur vicissim stipendium, quod aliequi munus eorum merebatur, Ecclesiæ condonare nihil absurditatis habet. Si urgente necessitate aliqua graviori abrogaretur stipendium, quod olim functioni alicui forensi legitimus magistratus decrevisset, ipsa tamen functio maneret, indene jure concludi posset hanc aut per se nullo præmio dignam esse, aut ne suo quidem nomine conferri posse?* Cum indigentioribus Presbyteris stipendium persolvitur, non tamen egestatis sed functionis nomine & ex justitia confertur. *Nam*, ut ibidem ait, *in hujusmodi casu non patitur Ecclesia sibi stipendium condonari, quoniam tales presbyteri adeo tenui facultate sunt, ut operas suas nisi cum rerum suarum graviori dispendio, commodare Ecclesiæ non possint. Sic in negotiis civilibus, qui generosiori mente sunt, non facilè sibi à pauperculo creditas pecunias vel locatas operas condonari sustinet.* Sopingius respondet *nomine quidem honoris intelligi etiam posse subsidia victus, aut τὰ δέοντα, quæ tunc istis Presbyteris largiter suppeditabantur, sed dico non pertinere ista ad necessariò constituendam Presbyteratus essentiam. Quàm multi enim tunc, inter omnes Presbyteros adeoque ipsos Diaconos fuerunt, qui non ex communi ærario Ecclesiæ alebantur, sed ex suo tantum vivebant? Ipse Apostolus Corinthi suis se manibus toleravit, ne Ecclesiæ isti esset*

Dissert. pa. 170.

Resp. ad bonam fidem Sibran. p. 268.

omnes Academici qui bene student sunt duplici honore digni, maximè ii qui laborant in studio theologiæ, vel innuo non omnes incumbere studio theologiæ, vel insulse loquor. Quamobrem fateor illum esse sensum maximè genuinum quo Pastores & Doctores discernuntur ab aliis qui solum gubernabant Rom. 12 8, de quibus in Ambrosio legimus in 1 Tim. 5. Idem contra Duræum *Ita ignarus es, vt esse in Christi Ecclesia Presbyteros nescias, qui gubernationi tantum, non verbi aut sacramentorum administrationi operam darent*, In margine citat hunc locum. Cum nulla ex dictis decem interpretationibus ex verbis Apostoli colligi possit, & nostra interpretatio sit plana & aperta non coacta, meritò ex hoc loco colligimus duplex presbyterorum genus sive duos ordines; & collegerunt doctissimi hujus sæculi interpretes, quorum testimonia aliquot nisi passim lectori obvia occurrerent, produxissē. Cum tam apertam & planam interpretationem aliis modis convellere non possint, maximo, quod inde sequetur incommodo, nos premere conantur. Cum honoris appellatione stipendia contineantur, sequitur, inquit Tilenus, & alios Presbyteros nō laborantes in verbo & doctrina duplici honore stipendioque dignos, cum tamen ex Domini præcepto nulla sint constituenda ex ærario stipendia, nisi iis qui Evangelium anunciant, 1 Cor. 9 14. Ignorat Tilenus in Ecclesia Anglicana Diaconos admitti ad beneficia ut in papatu. Omnis minister & operarius etiam pulsator campanæ est dignus mercede sua. Honoris nomine non tantum alimenti honor intelligitur, sed etiam reverentiæ, ut ait Ambrosius, aliique interpretes, per duplicem honorem intelligunt exteriorem reverentiam & sustentationē. Chrysostomus honoris nomine subsidium sustentationis intelligit, & duplicem dici vult respectu viduarum, quarum respectu duplici id est duplo maiori alimonia sustentandi. Sed per duplicem nihil aliud intelligit Apostolus quàm multiplicem ut Ierem. 17 18, Esa. 40 2. Concedimus honoris nomine intelligi posse honorarium quoddam quod propter opus ipsorum eis debetur, non tamen constituit ullam partem essentialem muneris Presbyteratus. Apostolus ipse ne Ecclesiæ oneri esset aut scandalo nullos sumptus à Corinthiis accipere voluit. Num propterea non erat Apostolus. Etsi igitur non accipiunt in reformatis Ecclesiis stipendia seniores non sequitur tamen non esse illos seniores in Ecclesia Apostolica institutos. Si quæsieris an debeatur eis subsidium sustentationis: Respondeo, honorarium debetur, & præmium quoddam propter opus ipsorum, nam operarius est dignus mercede sua, plenum etiam & integrum sustentationis subsidium, si vel quis dono gubernationis præditus præ aliis ad istud munus provectus fuerit, quia necessariam ejus administrationem Ecclesia judicat, & non habeat, unde se & familiam sustentare posset, vel si quis ad inopiam postea redactus fuerit. De per-

Lib. 9. pag. 807.

petuis potissimum loquor, non de temporariis, quibus honorarium durante administratione debetur, non tamen subsidium integrum sustentationis, si ad egestatem redacti fuerint, debetur ex justitia hoc est propter opus ipsorum, sed cum non futuri in opere, ex charitate. Perpetuis debetur honorarium ex justitia & propter opus ipsorum, in casu necessitatis, id est inopiæ vel egestatis etiam integrum & plenum sustentationis subsidium debetur ex justitia propter opus ipsorum Non sunt sub movendi gradu suo simul ac ad pauperiem & egestatem devenerint. Cum Apostolus dicit, maximè qui laborant in sermone & doctrina digni sunt duplici honore, innuit non laborantes in verbo & doctrina non tam dignos duplicata mercede, imo specialè cum sequitur, derogat generali, ac si dixisset Apostolus, Presbyteri duplici honore digni sunt, saltem qui laborant in sermone & doctrina. Nam illi sunt boves triturantes, qui ad Evangelium *ἀφωρισμένοι* victum aliunde quàm ex Evangelio sibi comparare non liceat. Sed hæc infælicitas horum temporum, quod non ubique sunt perpetui, licet in plerisque apud nos Ecclesiis sunt, & ubi perpetui sunt, bona & opes Ecclesiæ non in publicum ærarium Ecclesiæ colliguntur, sed ab Aulicis, magistratibus, aliisque ordinis inferioris diripiuntur. Posse Seniores, præsertim temporarios, de jure suo remittere in tanta ærarii publici augustia, & honorarium suum condonare quis dubitat. *Sæpe enim*, ut ait Gersomus Bucerus, *quæ debentur prudenti aliqua consideratione, ac benevolo affectu condonantur. Patitur Ecclesia, ut qui Presbyteri creantur, non perpetuè onus hoc sustineant. Ipsos igitur vicissim stipendium, quod alioqui munus eorum merebatur, Ecclesiæ condonare nihil absurditatis habet. Si urgente necessitate aliqua graviori abrogaretur stipendium, quod olim functioni alicui forensi legitimus magistratus decrevisset, ipsa tamen functio maneret, indene jure concludi posset hanc aut per se nullo præmio dignam esse, aut ne suo quidem nomine conferri posse?* Cum indigentioribus Presbyteris stipendium persolvitur, non tamen egestatis sed functionis nomine & ex justitia confertur. *Nam*, ut ibidem ait, *in huiusmodi casu non patitur Ecclesia sibi stipendium condonari, quoniam tales presbyteri adeo tenui facultate sunt, ut operas suas nisi cum rerum suarum graviori dispendio, commodare Ecclesiæ non possint. Sic in negotiis civilibus, qui generosiori mente sunt, non facilè sibi à pauperculis creditas pecunias vel locatas operas condonari sustinet.* Sopingius respondet *nomine quidem honoris intelligi etiam posse subsidia victus, aut τὰ ἐφόδια, quæ tunc istis Presbyteris largiter suppeditabantur, sed dico non pertinere ista ad necessariò constituendam Presbyteratus essentiam. Quàm multi enim tunc, inter omnes Presbyteros adeoque ipsos Diaconos fuerunt, qui non ex communi ærario Ecclesiæ alebantur, sed ex suo tantum vivebant? Ipse Apostolus Corinthi suis se manibus toleravit, ne Ecclesiæ isti esset*

Dissert. pa. 170.

Resp. ad bonam fidem Sibran. p. 268.

 oneri

oneri aut scandalo. Non igitur causa, quod Presbyteros nostros ideo rejiciant, quod jam non ex publico uti Pastores & Doctores alantur. Sic enim & Diaconorum nostrorum ordinem reprobare ipsis promptum fuerit. Tilenus ne quidem Diaconis concederet stipendium, qui negat constitutum ex ærario cōstituenda esse stipendia, nisi iis qui Evangelium annunciant. In syntagmate tamen habet hanc thesin. *Presbyterorum & Diaconorum functiones, certum est veteris Ecclesiæ temporibus fuisse perpetuas, nec sine aliquo Ecclesiarum nævo nunc esse temporarias. Cæterum quia non modo quid fieri debeat, sed etiam quid obtineri possit, spectandum: & hisce temporibus, nec spiritualium charismatum, nec terrenorum commodorum tanta in omnibus Ecclesiis est copia, ut Presbyteri & Diaconi inde sustentari ac perpetuo nexu Ecclesiis obstringi queat: cumque prisci ævi zelus, quo Presbyteri exemplo Pauli, Act. 20 34, 1 Cor. 4 12, 1 Thess. 1 9, 2 Thess. 3 8, manuum suarum labore victum quæritantes, Ecclesiarum tenuitatem sublevabant pridem refrixerit, tolerandum, non simpliciter culpandum est, quod mutatum & emendatum cupiunt omnes boni.* Vult & Presbyteros & Diaconos ex bonis Ecclesiæ, sustentatos fuisse, quod ego certè non assererem. Nam locus Apostoli nihil nisi honorarium non integram sustentationem ex commodis Ecclesiæ adjudicat, ut mihi videtur, Presbyteris non laborantibus in sermone & doctrina. Hactenus locum hunc Apostoli 1 Tim 5 17 vindicavimus, ab interpretamentis adversariorum. Non est tamen unicus iste locus fundus & fundamentum Presbyteriorum illorum, in quibus Seniores verbi divini ministris adjunctos collocamus, ut vult Tilenus. Si concederem Tileno Apostolum hìc nihil innuere de Senioribus regentibus nec unquam in scriptura, Presbyteros appellatos, tamen ex aliis locis evincitur præter ministros fuisse, alios qui regimini Ecclesiæ invigilarunt, quos Paulus προϊσταμένους & κυβερνήσεις appellat Rom. 12 8, 1 Cor. 12 28. At inquit Tilenus, *Quæ ex aliis scripturæ locis ut Rom. 12 8, 1 Cor. 12 28, testimonia adducere consuêstis, tam sunt aliena à Laicis illis Presbyteris, ut ne tum quidem, cum institutum illud vobiscum probarem, ullis fidiculis hinc aliquid exprimi posse existimaverim. Nam præterquam quod qui testimoniis illis utuntur, functiones Ecclesiæ ordinarias ac perpetuas cum extraordinariis ac temporariis donis ac facultatibus spiritus sancti plerumque permiscent; hoc quoque certum est charismata hæc non solùm viris merè laicis, nulloque etiam ex vestra sententia in Ecclesia munere fungentibus, sed quandoque etiam feminis obtigisse idque ex vaticinio Ioelis, quod Petrus repetit, Act. 2 17. Non postremum inter ea dona locum obtinet prophetia: acceperunt tamen illud quatuor filiæ Philippi, Act. 21 9. Et Paulus inter prophetantes commemorat mulieres, 1 Cor. 11 5. Quid propriè fuerint illæ* ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, δυνάμεις *etsi nemo fortassis hodie peni-*

tus

bus intelligat ; nemo tamen nisi qui peponem cordis loco habet, vestros Presbyteros vocabulis illis designari existimaverit, tantisper dum eos qui ab opificum tabernis, ad illam προστασίαν ascendunt, neque extraordinario dono, quod Amos ex pecuario propheta factus accepit ; neque ordinario quod legitimis Presbyteris dari Apostolus, 1 Tim. 4 14 ornatos conspiciet. Dixit modo Tilenus Presbyteros in primitiva Ecclesia, ubi charismatum spiritualium copia, fuisse perpetuos. At unde Presbyteros gubernantes charismatum participes fuisse probabit, si non ex loco illo Apostoli, 1 Cor. 12 18. Nam si charisma gubernandi non datum alicui, propter alia charismata ad munus illud gubernandi promovendus non erat, nedum ut in eo perennaret. Quomodo igitur nunc dissimulat, cum institutum istud nobiscum probaret, se existimasse ex his locis colligi posse in Ecclesia primitiva fuisse quosdam Rectores Ecclesiæ præter ministros laborantes in verbo & doctrina. Charismata extra ordinem collata fuisse aliis quàm ordinariis ministris concedimus, & donum prophetiæ extraordinarium etiam fœminis quodoque collatum. De mulieribus tamen prophetantibus aut orantibus, 1 Cor. 11, vide supra pag 532 433, 534, 535. Sed quomodo, quæso, functiones ordinarias & perpetuas cum donis temporariis & facultatibus spiritus sancti extraordinariis permiscent plerumque, qui his testimoniis utuntur, ostendere debuit Tilenus. Loco illo 1 Cor. 12, enumerare Apostolum functiones tum ordinarias tum extraordinarias negari non potest, Apostolos, Prophetas, Doctores, virtutum operatores, curatores per donum sanationis, opitulatores, gubernatores. Annon hîc quædam sunt ordinariæ functiones, quædam extraordinariæ? Nam per virtutes opitulationes, gubernationes, intelligit ipsos administratores, & abstracta pro concretis posuit, ut ordo & series verborum ostendit. *Constituit Deus in Ecclesia alios, primùm Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes.* Distinguenda sunt ista tria χαρίσματα id est dona ipsa, διακονίαι, id est ministeria ceu administrationes, quibus donorum usus ministratur, & ἐνεργήματα id est operationes & effecta donorum & functionum ceu administrationum illarum. Discrimina sunt donorum, ministeriorum, operationum. Sed unus Deus operatur diversos effectus per hæc diversa diversa dona & ministeria. Nam ministeria hæc diversa habent diversitatem donorum diversitati munerum ἀναλογον. Qui doctoris διακονίαν habet, sermonem scientiæ donum ἀναλογον habere debet. Sic Rom. 12 6, ait ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα habentes autem diversa dona pro gratia quæ nobis data est. Hîc munus ipsum χάριν vocat quod 1 Cor. 12 διακονίαν administrationem ceu ministerium appellat. Nam eodem capite Rom. 12 ver. 3

Apostolatum χάριν sibi δοθεῖσαν vocat & cap. 15, gratiam & Apostolatum κατ' ἐπεξήγησιν, gratiam id est Apostolatum, vel per figuram ἓν διὰ δυοῖν, gratiam Apostolatus. Charismata diversa erant diversis administrationibus analoga. Falsum igitur est tres distinctos ministrorum gradus tantum numerare, Apostolos, Prophetas, Doctores, deinde subjicere dona Spiritus sancti, Apostolis, Prophetis & Doctoribus communia. Nam dona quæ subjiciuntur ut sanationis, operationis virtutum, linguarum, aliis conferebantur præter Apostolos, Prophetas, & Doctores. Si aliis conferebantur, ergo ob munera & ministeria iis analoga. Nam hæc charismata quæ scholastici vocant gratias gratis datas, data ad utilitatem aliorum. Utitur Apostolus similitudine corporis humani. In membris corporis facultates aliquæ cuique parti inserviunt ad propriam utilitatem, aliæ sunt, quibus membra influunt in alia ad eorum utilitatem; ita in corpore Ecclesiæ quædam dona dantur ad singulorũ sanctificationem, alia ad utilitatem totius Ecclesiæ. Dona sanctificationis in quovis membro Ecclesiæ debent etiam in aliorum utilitatem redundare, & è converso charismatum ad aliorum utilitatem collatorum usu recipiens debet suam quoque utilitatem procurare. Sed secundum proprios & intrinsecos fines distinguuntur, & publicum usum in Ecclesia. Charismata igitur data ob ministeria ceu administrationes: Si Deus hæc charismata aliis contulit quàm Apostolis, Prophetis, aut doctoribus, sequetur ministeria ceu munera iis analoga non esse deneganda. Si quis dixerit, verum, charismata habere munera analoga, sed Apostolos, Prophetas & Doctores habuisse illa plura charismata, & proinde analoga eis munera, respondeo, verum Apostolos polluisse præ aliis charismatum copia, & post eos Evangelistas; Prophetas dono prophetandi; Doctores docendi. Doctores tamen omnes habuisse plura charismata quàm quæ erant functioni suæ analoga, ut donum linguarum, operationem virtutum &c. & similia negamus. Habebant ordinaria, aut saltem habere debebant omnes, extraordinaria verò tantum ii quibus peculiariter ea contulit Dominus in illis Ecclesiæ primordiis. Sed aliis præter Apostolos collata fuisse charismata, & ministeriis analogis functos esse, patet ex his verbis. *Num omnes Apostoli? num omnes doctores? Num omnes sunt potestates? Num omnes habent donum sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?* Ac si dixisset, non omnes. *Qui enim habebat donum sanandi curabat solùm, qui autem operationes virtutum etiam puniebat*, inquit Chrysostomus, Item *hic sciebat*, inquit, *quid ipse diceret, sed alteri interpretari non poterat: alius hæc utraque possidebat, vel horum alterum.* Alios tamen præter Apostolos, Prophetas, & Doctores habuisse sua peculiaria charismata ob peculiaria ministeria indicat. Et iterum vers. 28. *Alios constituit Deus in Ecclesia primùm Apostolos secundò*

Prophe-

Prophetas, tertiò doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes, &c. Vox ἔπειτα *deinde* nonne distinguit inferiores administrationes à superioribus Apostolorum, Prophetarum, Doctorum. Dona si quis plura haberet, & in uno tantum antecelleret, à dono præstantiore ministerium sortitus est in Ecclesia, & inde denominatus Propheta, doctor, opitulator, gubernator. Gubernationem esse cuiq; Ecclesiæ necessariam administrationem nullus negabit. Cum igitur gubernationes numerentur inter dona & charismata, gubernatoris munus, cui analogum est donum gubernationis, aliis ministeriis annumerandum est. Et si quis habet donum gubernationis, eoque præpollet aliis, etiamsi non habet sermonem scientiæ aut sapientiæ, donum docendi aut exhortandi, quo dignus censeatur munere doctoris aut pastoris, tamen ad peculiarem illam administrationem Ecclesiæ suo ordine & gradu utilem & necessariam idoneus est. Imo utilior est ista administratio multis quæ ibi enumerantur administrationibus, quippe quæ temporariæ erant & ad confirmationem fidei conferebant. Sed donum gubernationis datur absolutè ad utilitatem ecclesiæ, & ejusdē usus perpetuò necessarius est in ecclesia. Charismata quidem quæ erant usus perpetui in ecclesia conferebantur in primordiis ecclesiæ ad promovendam evangelii prædicationem & ecclesiæ propagationem, pluribus, & majori mensura, & multis etiam modo extraordinario. Nam multos etiam ad Doctorum aut Pastorum functiones, quæ sunt ordinariæ & perpetuæ, collatis extra ordinem donis vocatos fuisse non dubium. Omnibus tamen ad ea munera vocatis non sunt collata extra ordinem dona, & Paulus accuratū examen promovendorū ad gradum episcopatus præscribit. Sic gubernationis donū modo extraordinario quibusdam collatum in tanta charismatum copia verisimile est. Non tamen arcebantur qui ordinariis mediis hoc donum acceperant, magis quàm qui ab Episcopatu non arcebantur, quia extra ordinem non sunt collata illis dona analoga. Gubernatores ergo non magis extraordinariis ministris hîc annumerandi sunt, quàm doctores: etsi simul ut & doctores & opitulatores, cum extraordinariis recensentur. Ἀντιλήψεις, id est, opitulationes sunt ordinariæ Diaconorum administrationes. Chrysostomus dicit Opitulationes esse eos *qui imbecillioribus amplectendis operam impendebant, vicemque oeconomorum in ecclesia præstabant*. Cornelius à Lapide: *Opitulationes, id est qui aliis opitulantur, exercentque circa ægros, pauperes, miseros, peregrinos & hospites opera misericordiæ. Græce* ἀντιλήψεις *susceptiones, hoc est ut alii legunt, subsidia, subventiones.* Hæc Diaconorum administratio est in ecclesia. Nam de privata cujusvis Christiani ex dono charitatis opitulantis non loquitur. Num omnes Apostoli, num omnes prophetæ, num omnes Doctores? Pergo. Num omnes opitulatores?

Hom. 32. in 1. Corinth.

Et quandoquidem hîc gubernationes cum opitulatoribus conjunguntur, adhuc pergo. Num omnes gubernatores? Nam hoc vult Apostolus, hæc charismata eorumque ministeria non omnibus sed certis personis collata. Si opitulatores sunt Diaconi ecclesiæ & ordinarii ministri, qui conjunguntur gubernatores, qua ratione extraordinariis annumerandi sunt? Gubernatores Ambrosius in hunc locum interpretatur *eos qui spiritualibus retinaculis erant hominibus documento*. Si de privata admonitione fraterna loquitur, hoc est omnium fidelium commune officium. At Apostolus hîc loquitur de dono ceu charismate quod non omnibus datum. Si de publica Doctorum vel Pastorum; confunderet non explicaret. Nam hîc separatum gubernationis donũ ceu ministerium recensetur à doctoris vel pastoris administratione & dono, quod quis habet qui tamen non est Pastor vel Doctor. Alter locus Rom. 12. 8. hunc illustrat, judice ipso Bellarmino. *Quæritur*, inquit, *num gratiæ gratis datæ sint tantum novem, ut colligi videtur ex cap. 12. prioris ad Corinthios. Respondeo esse multo plures. Neque enim Apostolus eo loco omnes enumeravit, sed tantum aliquas exempli loco posuit. Id patet ex cap. 12. epist. ad Rom. ubi loquens idẽ Apostolus de eadem re, adjungit ad prophetiam gratiam docendi & exhortandi, item gratiam gubernandi, gratiam ministrandi, gratiam dispensandi, quorum donorum meminit idem Apostolus, 1. Cor. 12. ubi ait, Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophetæ? Nunquid omnes virtutes?* Etsi hoc loco 1. Cor. 12. temporarias simul & perpetuas administrationes enumerat, tamen Rom. 12. perpetuas tantum ecclesiæ functiones recenset. De usu donorum privato non loquitur Apostolus versibus, 6. 7. 8. sed de publico, ut patet ex ipsis verbis. Quis enim dixerit, prophetiam & diaconiam esse privatas functiones aut donorum administrationes. *Quis præter Bilsonum non videt*, inquit Melvinus noster, *Apostolum eleganti & divino artificio veræ logicæ dona & munera in abstracto, ut aiunt, primum generatim dividere in prophetiam & Diaconiam: deinde personas his donis & muneribus præditas quasi in concreto speciatim subdividere*, εἴτε ὁ διδάσκων, εἴτε ὁ παρακαλῶν, &c. *mutata constructione & forma orationis, ut duo prophetantium genera recognoscas. Tum variato loquendi modo*, ὁ μεταδιδοὺς ὁ προϊστάμενος, *ut sub communi Diaconia quam prophetiæ opposuerat, speciei differentes Diaconos propriè dictos, & præfectos sive presbyteros gubernatores facile agnoscas à prophetis subalterno genere divisos.* Hortatus erat Apostolus ne plus saperent quam oporteat, sed ad sobrietatem, ut contineant se intra mensuram doni quod acceperunt & limites ministerii aut officii quod eis commissum: ne quis arrogaret donum, quod non accepit, aut ingereret se in officium quod ei non commendatum. Deus suum cuique admensus est donum & officium. Porro hæc

De gratia & lib. arb. lib. 1. c. 10.

hæc charismata & dona in sequentibus enumerat Apostolus, ac primò quidem illa propria, *quæ ecclesiasticas res & personas concernunt, hæc enim ante omnia rectè ordinanda sunt. Deinde vers. 9. recenset illa dona quæ omnibus Christianis etiam laicis & plebeis sunt communia. Incipit ergo ab ecclesiasticis, & dicit, Sive prophetiam, &c.* inquit Cornelius à Lapide in commentariis in hunc locum. Et infra, *Multi hæc generatim accipiunt de quavis prophetia & ministerio, verum tamen magis genuinè dicemus Apostolum enumerare hic charismatum & functionum ecclesiasticarum genera. Sunt enim duo. Vnum est prophetia, secundum est Diaconia sive ministerium. Prophetiæ nomine intelligit Paulus doctrinam, & ea quæ ad docendi munus pertinent. Diaconiæ verò nomine intelligit alia externa munia, quæ à se abdicarunt, & in Diaconos rejicerunt Apostoli.* Et infra, *Vides hic Apostolum ecclesiasticas functiones stabiles & perpetuas in duo divisisse scilicet in doctrinam sive prædicationem verbi Dei, quæ hic prophetia vocatur, & in Diaconiam* Agnoscit ingenuè Iesuita Lovaniensis cum Toleto & aliis hîc agi de publicis functionibus, etsi in eo hallucinetur, quòd Diaconiam hoc loco strictè pro Diaconorum functione accipiat, ut patet ex subdivisione. Nam Diaconia subdividitur in tres species. Prophetas hîc ait dividi in Doctores & exhortatores. Doctores existimat Apostolos & Episcopos. Exhortatorem, quem Paulus Ephes 4.11. vocat Pastorem, eum scilicet, qui ex officio doctrinam cum exhortatione, monitione, adeoque cum sacramentorum administratione conjungit, vt jam faciunt Parochi. At episcopi etiam exhortantur & administrant sacramenta, & sunt soli κατ' ἐξοχὴν dicendi pastores, si credendum hierarchicis cum Romanensibus, tum Anglicanis. Doctores igitur alii sunt & distincti à Pastoribus. *Enumeratis speciebus & functionibus prophetiæ,* inquit, *enumerat functiones Diaconiæ sive ministerii, easque tres cum suis charismatibus seu donationibus differentibus: prima est, qui tribuit, qui habet functionem & officium distribuendi eleemosynas, vti olim habebant Diaconi.* Per eum qui præest cum diligentia intelligit, eum qui in temporalibus præerat aliis Diaconis, quem postea vocarunt Archidiaconum. Sed incognitum erat illis temporibus Archidiaconorum officium. De προϊσταμένοις igitur aliis quàm Archidiaconis aut Diaconis, de quibus in priori membro loquutus est, accipi verba oportet. Nam distincta ministeria & functiones enumerat Apostolus. Non sunt igitur confundenda, & ipse ait quod hæc præsidentia secunda species Diaconiæ quam Paulus, 1. Cor. 12. 28. gubernationem vocat. Tertiam speciem pertinere dicit ad hospitalarios, & olim ad viduas illas de quibus dixit Apostolus, 1. Tim Diaconiam dividit in tres Diaconatus species, quibus verba Apostoli accommodat, ac si Apostolus de Diaconatu proprie dicto in prima divisione loquutus fuisset. Sed διακονία variè accipitur quandoque

quandoque pro quavis administratione ecclesiastica, ut 1. Cor. 12. 4. vbi prophetiam etiam latitudine significationis suæ complectitur, vnde ministerium Apostolorum, Rom. 11 13. 1. Tim 1. 12 Evangelistarum, 2. Tim. 4 5. Pastorum & Doctorum, Col. 4. 17. Diaconiæ nomine indigitantur, Strictius vt hic, pro omnibus administrationibus quæ prophetiam adjunctam non habebant: strictissimè pro Diaconatu vulgò sic dicto. Videmus itaque in ecclesia ministerium τῶν προϊσαμένων distinctum esse à Doctoris vel Pastoris munere, sicut distinctum est Diaconorum propriè dictorum munus, quod occupatur in inspectione & censura morum citra verbi ministerium, quorum prostasia relationem habet ad gregem ceu ecclesiæ corpus, cujus ipsi sunt membra. Verisimile quoque est, cum peculiari aliqua appellalatione designandi erant, qui regimini præerant, dictos προϊσαμένους aut προεστῶτας id est antistites sive præpositos ecclesiæ. Nam Presbyterorum nomenclatura erat illis cum pastoribus communis. Ex his tribus locis Rom. 12. 8. 8. 1. Corinth. 12. 28. 1. Timoth. 5. 17. colligimus fuisse præpositos ceu antistites alios, præter pastores & doctores, qui in quaque ecclesia pastori ceu pastoribus adiuncti onus gubernationis sustinebant, cui impares erant soli pastores in sermone & doctrina laborantes, si probè officio suo defungi vellent. Quærit Tilenus, num etiam Act. 20. 28. Tit. 1. 7. comprehendantur sub communi Presbyterorum nomine. Quid si dixerimus non comprehendi, an propterea excludendi ex ecclesia quia his locis exclusi. Valet argumentum ab authoritate scripturæ negativè, sed non à particularibus scripturæ locis. Sat est, si aliis scripturæ locis nobis commendentur, & his locis non sint exauctoritati Seniores isti. Si dixerimus comprehendi, tum, inquit, sequetur eos debere pascere, exhortari per sanam doctrinam, & contradicentes convincere. At Presbyteri nostri non sunt διδακτικοὶ neque ἐλεγτικοί. Respondeo, notum quod pascere non modo cibum præbere sed etiam regere significat. Suo quoque ordine, gradu & mensura διδακτικοὺς & ἐλεγτικοὺς esse debere, ut possint & exhortari & refellere, dicimus. Nam horum donorum usu quandoque eis opus est. Habemus Seniores his donis ornatos, qui hanc ipsius Tileni Parœnesin examinare & confutare possunt. In id nitimu, ut ubique his donis præditi eligantur. Si non sit tanta donorum mensura & copia in quaque Ecclesia particulari, ut in ea constitui possit horum seniorum consessus, an propterea ex aliis omnibus Ecclesiis exterminandi, ubi amplior donorum copia & mensura. Sed ut pro concione, doceant, exhortentur, refellant, ad Seniorum munus non pertinet. Sic enim duo ordines Presbyterorum confunderentur. Apostoli, Pastores, & Seniores sunt apti ad docendum, sed

diverso

diverso modo & secundum gratiam ministerii ceu functionis suæ Apostoli ut doceant ut Apostoli, Evangelistæ ut Evangelistæ. Pastores ut ordinarii Pastores: sic Doctores, ut Doctores, & Seniores ut Seniores, id est, ad docendum ea quæ ad ipsorum munus pertinent. Concedit Th. Beza illo loco tit. 1. 9. describere dona pastorum & Doctorum, non omnium qui munere funguntur in ecclesia. Suo tamen modo referri posse ad Presbyteros gubernatores quos jubet oppidatim constituit. Nam in his etiam requiritur donum exhortandi & convincendi, *quantum quidem istud ad ecclesiasticas censuras rectè unà cum pastoribus exercendas attinet? Nam in hoc etiam munere nescit nemo non tantum in moribus peccantes sed etiam vel maximè in doctrina errantes increpari redargui, & ad resipiscentiam adduci oportere.* Pastor etsi sit aptus ad docendum, non tamen ut doceat uti Apostolus. Sic nec Seniores ut Pastores. Misit Iehoshaphatus principes ceu præfectos suos & sacerdotes & Levitas ad docendum per civitates Iehudæ, qui docuerunt in Iehuda, habentes secum librum legis Iehovæ, & obiverunt omnes civitates Iehudæ docentes populum, 2. Chron. 17. 7. 9. Præfecti sacerdotes & Levitæ erant omnes διδακτικοὶ. Non tamen eodem modo docebant præfecti quo sacerddtes & Levitæ, interpretando scripturas, sed generaliter commonefaciendo de iis quæ erant reformanda & in pristinam puritatem restituenda, vel publicis edictis vel in judicum consensu, aut ut oratores Regii capita reformationis & rationes aliquas in corona populi proponendo, non ipsum legis librum exponendo. Sed accipiantur Apostoli verba de pascendi exhortandi & convincendi modo pastoribus proprio, non tamen excludentur iis locis Presbyteri gubernantes. Non enim sequitur, si omnia quæ ibi de Presbyteris dicuntur, non conveniant Senioribus nostris, Ptsbyterorum nomine propterea non comprehendi. De tribu Levitica in genere dicitur, quòd *docent judicia tua Iahakobum & legem tuam Israelem, apponunt suffitum ad faciem, &c. Deut.* 33. 10. non sequitur Levitas apposuisse suffitum. Hoc erat sacerdotibus peculiare: docere populum tamen erat & sacerdotibus & Levitis commune. Sic 2. Chron. 29. ver. 4 5. 11. Iechizkiia *jussit convenire sacerdotes & Levitas, & congregavit eos in plateam orientalem. Et dixit eis, Auscultate mihi ô Levitæ, &c.* & vers. 11. *filii mei nunc ne erretis; vos enim elegit Iehova ut stantes coram ipso ministretis ipsi, & ut sitis ipsi ministrantes & adolentes.* An sequitur omnes Levitas adolevisse, quia in exhortatione sua communi & sacerdotibus & Levitis, non distinguit inter Levitarũ & sacerdotũ munia. Sic Act 20 non sequitur ex exhortatione cõmuni omnes Presbyteros fuisse pastores verbo pascentes. Pręterea capita exhortationis tantum retulit Lucas. Sic Deut. 10. 8. *Tempore illo separavit Iehova tribum Leviticam ad portandum arcam fœderis Iehovæ adstandum coram*

Iehovæ, ut ministraret ipsi & ad benedicendum in nomine ipsius. In his tamen benedictionibus & ministeriis erant quædam sacerdotibus peculiaria, Num. 6.23. Deut. 31.9. Bilsonus dicit Presbyterorum nomine comprehendi Diaconos Act. 14.23 & 15.23. quia non est verisimile ecclesias reliquisse nudas aut vacuas, aut procurationem pauperum neglexisse Paulum & Barnabam. Et Act. 15 23. Presbyterorum ordine recenseri. Si Diaconi Presbyterorum nomine comprehenduntur, eodem jure & rectiùs nos Seniores sub Presbyteris comprehendi asserimus. Similiter respondetur ad illud, quod ait Tilenus, nullum locum esse Presbyteris nostris in Presbyterio cujus meminit Paulus, 1. Timoth. 4. 14. quia laicis senioribus χειροθεσίας jus communicandum non censemus. Et *ut nemo munus hoc suscipere potest absque manum impositione, neminem laicum eas cuique imponere fas & jura sinunt.* Neminem absque impositione manuum munus hoc posse suscipere falsum. Multi apud nos ministri sunt legitimi, quibus nunquã impositæ manus, Habita fuit impositio manuũ apud nos à prima reformatione res adiaphora, sicut olim ipse Tilenus, vide pag. 238. Qui episcopatus invaserunt, hunc ritum urgent ut necessariũ, quia hæc unica pene differentia inter Episcopum & Presbyterum, ut ait Bilsonus. Falsum etiam non posse Seniores laicos manus imponere ordinandis. Fas & jura non sinunt, ais. Quo jure excluduntur? Sunt, inquis, laici. An laici quia ex populo delecti, sic Episcopi, Presbyteri, Diaconi erunt laici, quia omnes ex populo delecti sunt, vel deligi possunt. An quia tractant laica, in ministerio suo. Hoc falsum. Nam tractant negotia Iehovæ, & ecclesiæ. Si Diaconos in clericorum numerum referunt tui formalistæ, qui mensarum & viduarum, ministri tantum sunt, quanto magis nos Seniores ex plebe delectos & ordine legitimo vocatos in administrorum ecclesiasticorũ numero recensebimus. Quod ad cleri vocẽ cõsensu, non agnoscimus. Seniorũ administratio est sacra, & numeratur inter administrationes ceu Diaconias illas, quas in ecclesia constituit Deus. Sed quid si laici etiam, ut vocas, id est fideles & privati in ecclesia manus imponere possũt. In dedicandis Levitis nitebantur filii Israelis manibus suis super Levitas ipsos Numer. 8. 10. Familiaris fuit Hebræis iste ritus in inaugurationibus & benedictionibus quem usurparunt etiam Apostoli ex more, non mutarunt in sacramentum. Vide plura de hoc ritu supra pag. 215. & seqq. ubi probavimus fuisse simplicem gestum orantis hebræis familiarem, signum indicans personam, non significans aut exhibens gratiam, & proinde non fuisse sacramentum. Præterea distingunt formalistæ inter impositionem manuum Presbyteri docentis & episcopi, & dicunt, quod tamen falsum, episcopo competere impositionem manuum consecrationis & creationis ergo, Presbyteros imponere manus tantum ad consensum significan-

significandum, *In Presbyteris impositio manuum est bene precantium signum, quod est in episcopo ordinantis*, inquit Saravia, vide supra, pag. 226. Rectius, nos signum impositionis manuum commune esse Presbyteris docentibus & gubernantibus, & consensus significandi gratia posse Seniores etiam manus imponere, si necessarium videbitur, precibus verò dedicare & consecrare esse solius ministri. Illi volunt episcopum proferre benedictionem vnà cum impositione manuum, non Presbyterum, etiamsi simul imponat manus ad significandũ consensum & assistentiam in precibus Ego pastori ceu Presbytero docenti illam tantùm impositionem manuum reservatam concedo, quæ conjuncta est cum precibus & benedictione. In signum tamen consensus & assistentiæ possunt imponere manus etiam Presbyteri gubernantes. Non imponunt, quia non est necessarium. Nec imponunt, simul omnes vnius classis sympresbyteri, sed plures aut pauciores aliorum nomine. Potest etiam vnus nomine omnium. Denique, etsi daremus esse sacramentum, & hujus sacramenti ministros esse Pastores Presbyteros, non tamen excludentur à Presbyterio, 1. Tim. 4. 14. quia iis non convenit impositio manuum. Nam impositio manuum dici potest impositio manuum presbyterii, etsi non omnes & singuli ex presbyterio habent potestatem imponendi manus. Sufficit quod pars præcipua presbyterii hanc potestatem habeat. Sicut tribus Levi dicitur apponere suffitum, cum tamen solis sacerdotibus id permissum fuerit. Nihil ex his tribus locis Act. 20. Tit. 1. 7. 1. Tim. 4. 14. elicere potest Tilenenus contra functionem presbyterorum gubernantium, nec vllo interpretamento à tribus locis adductis 1. Tim. 5. 17. Rom. 12. 7. 1. Cor. 2. pro eorum prostasia nos depellere. Autor commentariorum, qui inscribuntur nomine Ambrosii, asserit hunc ordinem presbyterorum ceu Seniorum ab Apostolis institutum fuisse, & Senatus ecclesiastici partem alteram constituisse, sed postea interiisse. *Nam apud omnes vtique gentes honorabilis est senectus: Vnde & Synagoga & postea ecclesia Seniores habuit sine quorum consilio nihil gerebatur in ecclesia: quod qua negligentia obsoleverit nescio: nisi forte doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri.* Interpretationes duas hujus loci afferunt Adversarii. Saraviam sequitur Tilenus, & dicit his verbis ætate non officio Seniores designari. *Hos olim ab episcopis & presbyteris propriè dictis, sicubi de rebus maioris momenti incidisset deliberatio, in consilium adhiberi solitos, nec inficiamur, nec, vt idem porro fiat, repugnamus. At qui hoc pacto consuluntur, quamvis subacta rerum vsu prudentia, eruditione, necnon sacrarum literarum peritia, quæ in privato quandoque maior, quàm in aliquo episcopo egregiè sunt instructi, non propterea laici esse desinunt, aut veri nominis Presbyteri fiunt.* Disserit ibi, verum, Ambrosius, de Senioribus ætate, sed arrepta occasione ex nomine Seniorum progreditur ad

 differen-

differendum de munere eorum qui ex ætate Senioribus plerunque deligebantur ad consultationes presbyterii & Seniores erant officio. Dixit supra hoc capite Tilenus Seniores nostros esse similes Mercuriis, quos aiunt Passonem quendam statuarium sculpsisse, qui nihil Mercurio simile, neque intus neque foris haberent, eos ad ecclesiasticæ navis clavum gubernatores collocatos, & nobis esse eos qui ab Apostolo κυβερνήσεις indigitantur, quibus vix inter remiges in transtris, aut etiam in sentina locus erat, ab opificum tabernis ad illam prostasiam ascendere, neque extraordinario dono, quod Amos ex pecuario propheta factus accepit, neque ordinario quod legitimis Presbyteris dari docet Apostolus, 1. Tim. 4. 14. ornatos. Si qui eliguntur dono gubernationis non ornati, non probamus, sed deflemus vel temporis injuriam vel loci abusum, vbicunq; tales reperiuntur. Quando inepti eliguntur vel eligentium peccato fit, vel parœciarum limites constituentium: Retinentur iidem limites plerisq; locis, qui sub papatu determinati, unde in tam angustis limitibus & cœtu infrequentiore non mirum esse tantam penuriam virorum ad gubernationem idoneorum. Nos de ecclesiis, ut colligi & constitui debeant, & de ordine ipso Seniorum qui in ecclesia bene constituta retinendus esset, agimus. Vbiq; adnitendum est, vt maximè idonei promoveantur. Ad pastoris munus ascendunt etiam indigni & inepti, non tamen sequitur nullos eligendos, ad munus Pastorale, etiam dignos, aut ordinem ipsum pastorum abolendum. Vnde verò ascendunt à stiva vel opificum tabernis, modo donis præpolleant aliis, sive ad pastorum sive Seniorum gubernatorum munera, parum refert. *Non quibus vestibus sed quibus spiritus sancti donis splendeant, qui ad sacras functiones adhibentur, quærere nos jubet Apostolus. Nec veterem illam veram ecclesiam puduit à piscatoribus & tabernaculorum confectoribus doceri, ac etiam cùm opus fuit increpari.* Drusius in Act. 18. observat sapientes & Rabbinos plerosq; artificium aliquod exercuisse, ne gravarent alios. R. Iosue coriarius erat, R. Nahum librarius aut scriba, R. Meir scriba, R. Iochanan calcearius aut Sutor. R. Iuda Pistor. Non erat in occupationibus illis immunditics aliqua quæ prophanaret officium aut munus Pastoris aut Doctoris. Multo minus igitur polluitur gubernatoris munus, qui, quæ propriè sacerdotalia, non tractat, sed tantum quæ ad externum ecclesiæ regimen pertinent. Sciat tamē Tilenus multos esse apud nos Seniores gubernantes Tileno natalibus non inferiores, superiores etiam non paucos. Nec solemus nisi cumprimis honestos & in cœtu maxime venerabiles deligere, non semper ditissimos aut nobiliores quia vel onus istud detractant vel inferioribus donis inferiores sunt: alioquin cæteris paribus semper preferimus. Sed jam non repugnat Tilenus, quin episcopi & presbyteri possint in consilium adhibere viros subacta rerum vsu pruden-

Bez. de grad. cap. 21.

prudentia, eruditione, necnon sacrarum literarum peritia instructos. Fatetur etiam quandoque majorem sacrarum literarum peritiam in privato quàm in aliquo episcopo reperiri. Vt sit maior vel sacrarum literarum peritia, aut prudentia privati quàm presbyteri, qui in consilium est adhibendus, non esse necessarium concedet Tilenus. Sit minor vel sacrarum literarũ peritia vel prudentia in gubernando, non tamen contemnenda sunt aliorum consilia. Nam plura vident oculi quàm oculus, & pastor solus sustinere non potest onus gubernationis. Non repugnat, vt viri prudentes adhibeantur pastori in consilium. Sed liberum relinquit arbitrio episcopi aut presbyteri propriè, vt ait, dicti, vtrum adhibeat necne in consilium alios ex grege. *At ne quis existimet seniores istos tantum, quoties pastoribus libuisset et in gravibus duntaxat causis aliquibus accersitos, admissos fuisse existimet, nihil,* inquit author ille, *sine horum consilio agebatur,* vt observat Theodor. Beza. *Ne quis deniq; istud consuetudine quadam, non divinitus factum crederet, faciè postea & nullo magno cum ecclesiæ detrimento sensim concidisse, non dubitat, eos quorũ id culpa accidisset, duorũ gravissimorũ in ecclesia criminum accusare, desidiæ vel potius superbiæ.* Nihil respondet Saravia, ludit tantùm ineptiis cum voce *nihil.* Nam ca. 11 sensum huius vocis *nihil,* vir eruditus sic explicat, *Sic enim in presbyterio partim ex pastoribus, partim ex his presbyteris cõposito præsunt pastores, vt tamen neq; hi absque illis, neque illi absque istis quicquam in morum censura & reliquo ecclesiastico communi vtrisque regimine decernant, sed communi pariq; dicendi sententiam iure, tota hæc res administretur: hoc propterea toto consessu Presbyterii nomen sortito, quod in hac communi functione pastores Presbyteris & Presbyteri Pastoribus (alioqui in iis quæ Pastorum ac etiam Doctorum muneris propria sunt, non primis tantum sed etiam gradu superioribus) exæquentur.* Cur non accusas Episcopos & Presbyteros formalistas, Tilene, desidiæ & ignaviæ, qui vel non adhibent in Consilium vel adhibere dedignantur Seniores prudentia instructos. Num sat erit dicere, & ut porro fiat equidem non repugno. Hæc mens Ambrosii? qui nihil absque eorum consilio geri debere existimat, sicut olim & in synagoga & in Ecclesia factum est. Præterea necessarium & divinitus institutum auxilium Seniorum gubernantium, non modo ut pastorem consilio juvarent, sed etiam ut ejusdem regiminis consortio præditi reprimerent, ejus superbiam aut tyrannidem; Nam frustra adhibebit in consilium, quos vel repudiare vel amplecti pro arbitrio posset. Talesne Seniores habuit synagoga, deinde Ecclesia Christiana, quos pastor ut princeps vel monarcha vocaret ad consilium vel non vocaret pro arbitrio, vel cum vocaverit, consilia eorum & suffragia ut consultiva non ut decisiva accipere, aut rejicere posset. Cum in qualibet ecclesia particulari nõ requiratur necessariò numerosus Presbyterorum, ut vocas, propriè dictorum cœtus,

De Gradib. cap. 13.

& tamen in qualibet Ecclesia particulari jam constituta requiritur, regimen externi, ut vocant fori, & disciplinæ exercitium, sequitur absque auxilio, consensu & consilio seniorum, nec pastorem unum ut Papam parœcianum debere omnia pro arbitrio suo regere. Imo etiamsi numerosus esset Presbyterorum docentium cœtus in quaque Ecclesia particulari, non debent soli Pastores regimen sibi solis vendicare aut ad se pertrahere. Si præter pastores & doctores ad concilia Nationalia & Provincialia admittendi Ecclesiarum legati donis & vocatione instructi, potiori jure ad Senatum particularis Ecclesiæ admittendi sunt. Si consilium Seniorum necessarium in qualibet Ecclesia, tum sequitur officio Seniores adhibendos in consiliũ, sine quorum consilio nihil gerendum. An pastor pro arbitrio suo consuleret promiscuè hos vel illos, quos sibi deligeret pro re nata? Qui sic deligit consiliarios, cõsilio non regitur, nec dirigitur nisi volens. Oportet igitur hos fuisse officio Seniores, sine quorum consilio nihil gerebant Doctores Ecclesiæ, ut vult Ambrosius. Si de ætate tantùm senioribus non officio & vocatione accipienda essent verba Ambrosii, hic esset sensus. *Vnde & synagoga, & postea Ecclesia seniores ætate habuit sine quorum consilio* &c. Habuit synagoga, habuit Ecclesia Seniores ætate. An ulla ætas in qua non habet seniores ætate? Sed Ambrosius ait habuisse & synagogam & Ecclesiam seniores, sine quorum consilio nihil gerebant Doctores. Nam Seniores opponuntur doctoribus; Et quid hoc aliud, quàm synagogam primùm, deinde Ecclesiam habuisse ordinem Seniorum, sine quorum consilio nihil gerebatur. Nam quod ad Seniores ætate, illos semper habet. Ambrosius loquitur de eiis Senioribus quos habuit, jam non habet, sed desidia aut superbia doctorum conciderunt. Et cum hunc morem fluxisse à synagoga refert; Seniores officio, non ætate (etsi seniores ætate præ aliis ad hoc officium delecti) intelligit. Nam alioquin quid singulare in synagoga habuisse ætate Seniores. *Synagogæ seniores*, inquit Tilenus, *populi judices & Magistratus erant divino instituto, non tamen in omnibus, in quibus δύναμις seu facultas ad gerendum magistratum idonea protinus capessendi magistratus erat ἐξουσία seu potestas, Sic & in Ecclesia Seniores seu Presbyteri, alii sunt institutione divina, in quibus δύναμις & ἐξουσία publicè docendi: alii ætate, eruditione, & experientia, qui cum opus est, consuli possunt, Ecclesiam gubernare, ejusque claves quæ publici sunt muneris tractare non possunt.* Absque legitima vocatione neminem, licet donis instructum Seniorem ex officio agnoscimus. Sunt Seniores nostri omnes legitimè vocati, & proinde post vocationem sunt non amplius privati aut idiotæ, (tu laicos vocas) sed Ecclesiæ præpositi & antistites. Cum Seniores officio habuerit synagoga, de Senioribus ætate, iis prætermissis, loquutum esse Ambrosium, non est vel verisimile, nisi quis dixerit prætermissis officio

Seniori-

Senioribus consultos fuisse Seniores ætate. Nec verisimile præter Seniores officio, qui etiam ut plurimum ætate erant Seniores, consultos fuisse etiam alios ætate solum Seniores, nec hujus moris ulla exempla proferunt. Quod dicunt Seniores synagogæ, id est populi Isralitici fuisse magistratus, non nocet. Sat est, si officio non ætate solum, etiamsi magistratus fuerint, habuerit synagoga, id est respublica Israelitica, ut officio non ætate solum Seniores habuisse Ecclesiam Christianam ex Ambrosio intelligamus. Nam, si cum Senioribus, qui erant magistratus in populo veteri comparat Ambrosius Seniores, quos habuit Ecclesia Christiana, comparat Seniores officio cum Senioribus officio, etsi non simile officium fuerit, sed illud politicum, istud Ecclesiasticum. Huc respexit Baronius. Tom. 1. p. 98 *Quemadmodum*, inquit, *apud Iudæos etiam Apostolorum temporibus pristina illa consuetudo vigebat, ut Seniores unà cum principibus Sacerdotum in Concilium convenirent, ac sententiam rogati dicerent, quod multis in locis Evangelistæ testantur, sic etiam ab Apostolis primis illis temporibus esse servatum constat, ut Seniores etiam ad Concilium admitterentur.* Sed cum præter ordinem politicum Seniorum, qui unà cum sacerdotibus & Levitis constituebant synedria politica, erant & in synagogis Seniores, qui non erant Doctores, & tamen gubernabant synagogas, nec absque eorum authoritate & consensu ejectus quis è synagoga, ad Seniores synagogæ cujusque particularis, potius quam synedrii cujusvis politici respexisse Ambrosium inde colligitur, quod de particularibus Ecclesiis loquitur. Nam Ecclesia Christiana ante ætatem hujus authoris non habuit concilia generalia in quibus erant Seniores isti, nec consistorium generale quale nunc papa habet pro tota Ecclesia, multo minùs quibus interfuerunt Seniores officio politico, id est magistratus Christiani. Nam author iste Ambrosio Mediolanensi & vetustior & doctior, est idem qui author quæstionum ex veteri & novo testamento, ut supra ostédimus: p 228. & proinde testimonium quod citat Tilenus ex Ambr. Mediolanensi contra laicos judicantes in causa fidei de Episcopo, nec ab authore illo scriptum est, nec nostris Senioribus nocet, sed Imperatoribus, qui post habito legitimo Ecclesiæ Concilio, & ordine, de Episcopis in causa fidei judicare volebant. In synagogis singulis fuisse præter doctores quosdam Seniores ex reliquo cœtu delectos testatur Hieronymus ad Algasiam quæst. decima. *Præpositos habent synagogis sapientissimos quosque.* Plures fuisse Synagogæ præfectos ceu archisynagogos patet ex Act 13 15, ubi Syrus interpres vertit Seniores Synagogæ & Marc. 5 22. Vbi Theod. Beza. *Hinc autem apparet non temere convenisse cœtus singulis sabbatis, sed certos homines solitos fuisse multitudinem moderari in singulis synagogis ubi Moses explicabatur à Doctoribus qui pharisæi aut scribæ dicuntur, Mat.*

23, 2.

23, 2. *Hi sunt igitur qui Archisynagogi dicuntur, qui particularium etiam Ecclesiarum negotia administrabant, & propterea censentur Ecclesiæ nomine, Matth.* 18, 17. Hunc ordinem hodie habent in synagogis Iudæi, nempe Seniorum qui non docent sed iudicant solummodo, quinque in quaque synagoga hîc Amsterledami. Saraviæ glossema in locum Ambrosii, quod denuò nobis reponit Tilenus, rejicit Dounamus. Sic enim ille interpretatur locum istum. Vnde & synagoga habuit seniores nempe sacerdotum, & postea Ecclesia Christiana similes habuit, sine quorum consilio nihil gerebatur. Ista interpretatio etiam facile refellitur. Nam dicit Ambrosius ecclesiam habuisse Seniores, quod idem ac si dixisset, Iam non habet. Respondet Dounamus habuisse ætate Ambrosii, & adhuc habere Seniores, nempe Presbyteros docentes, vel Presbyterorum Seniores, sed non adhibitos in consilium ut antea. At relativum *quod* refertur ad integrum membrum antecedens. Quod, nempe habere Seniores, sine quorum consilio nihil gerebatur, qua negligentia obsoleverit, nescio. Et ordinem ipsum & usum istorum Seniorum obsolevisse vult ante suam ætatem author iste. Præterea nondum obsoleverat consilium & auxilium Presbyterorum ceu Seniorum docentium, in regimine, Ambrosii Mediolanensis, nedum istius authoris ætate. Fatetur Saravia habuisse Ambrosium Presbyteros, *qui cum eo Ecclesiam Mediolanensem regebant*, tractat. de grad. cap. 12 & eod. cap. defens. sect. 1. *Sed luce clarius est Ambrosium non esse locutum de Presbyteris suis, quos in consilium adhibere potuit, & nihil sine eorum agere sententia, si voluit.* Ibidem, *Ordinatione Presbyteros Ambrosius habebat, nec causam habuit conquerendi illos cōtemni aut præteriri, nisi ipse de seipso conqueri voluisset.* Hieronymus in Esa. cap. 3. Habemus & in Ecclesia Senatum nostrum cœtum Presbyterorum. Non igitur conqueritur Ambrosius Senatum Presbyterorum Episcopo assistentium, aut eius usum obsolevisse. Tertiò, opponit Ambrosius iste Senioribus Doctores, & ait Doctorum desidia aut potius superbia neglectum Seniorum consilium & assistentiam atque ita obsolevisse ordinem ipsum ceu genus illud Seniorum. At Presbyteri Pastores ceu ministri Doctoribus non erant opponendi, cum ipsi sint doctores. Illi διδακτικοὶ esse debent, & ut ait Chrysost. in 1 Tim. 3 acceperunt sicut Episcopi τὴν διδασκαλίαν καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας, μόνῃ τῇ χειροτονίᾳ διαφέρουσι in 1 Tim. 3. Presbyteri officium erat ὁμιλεῖν homilias habere Concil. Ancyr. c. 1. Replicat Dounamus, Cum doctorum id est eorum qui docti aut doctores sunt, titulus communis fuerit, utrisque Episcopis ac Presbyteris, atque ita hoc loco capiendus sit, non tamen sequi, Seniorum nomine alios quàm ministros ceu pastores Presbyteros intelligi, sed hunc esse sensum. Seniorum id est Presbyterorum docentium ceu pastorum assistentiam obsolevisse, vel desidia doctorum id est Pres-

byterorum

byterorum ipsorum, qui propriè commoditatis causa rerum ad gubernationem pertinentium à se decisionem removebant, aut alioquin superbia doctorum, id est Episcoporum, qui omnia in se receperunt, ut sibi aliquid videri possent Sed non opponit doctos Seniores indoctioribus Senioribus. Nam sic opponeret doctos Presbyteros indoctis & tamen prudentibus, sine quorum consilio nihil gerebatur nec Doctores tum episcopos cum Seniores simul doctoribus Senioribus. Si Seniores Doctorum nomine comprehendisset Ambrosius iste, non communi nomine, sed distincta appellatione designasset, quorum Doctorum desidia, quorum superbia neglectum fuerit Seniorum consilium, & dixisset *nisi forte Seniorum desidia aut magis Episcoporum superbia*. Sed ait neglectos Seniores Doctorum desidia aut magis superbia. Non aliorum desidia quàm quorum superbia obsolevisse ait, sed utrum desidia an magis superbia, dubitat. Eisdem Doctoribus tribuit vel desidiam vel superbiam, & disjunctiva particula *aut* disjungit culpas non personas. *Cur tu desidiam doctis, superbiam doctoribus tuis tribuis?* inquit Meluinus noster. *An quia Curiones quantumvis docti, plerunque sunt desides: Episcopi interim fastu turgescunt & superbia efferuntur. At Ambrosius non dicit eorundem Doctorum. Esto: Vocem illam non exprimit, sed tantundem reipsa dicit, quum iisdem desidiam aut superbiam, non his superbiam illis desidiam, quamque cum disjunctione tribuit. Disjunctio est consequentis non antecedentis, non ὑποκειμένου sed κατηγορουμένου.* Præterea, sicut supra dictum est, habebat Episcopus Senatum Seniorum Doctorum quos in consilium adhibebat ætate etiam Ambrosii Mediolanensis; Seniores igitur intelligit author ille, qui non erant Doctores, qui tamen ut in synagoga sic etiam in Ecclesia honorificè olim habiti suo consilio & prudentia Pastoribus adjunctiores & rationes Ecclesiasticas gubernabant. Quandiu ante authoris hujus ætatem obsoleverit ordo istorum Seniorum, eorumque usus non refert, & incertum est. Tertulliani tamen ævo adhuc in pretio fuisse apparet. *Ibidem*, inquit, *nempe in cœtibus & congregationibus Christianorum* (non dixerat antea, *Coimus in cœtum & Congregationem ut ad Deum* &c.) *etiam exhortationes, castigationes & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos, de Dei conspectu: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique Seniores honorem istum non pretio sed testimono adepti.* Non præsidebant plues Seniores prophetantes ceu docentes in quolibet Christianorum cœtu. Genevenses non fuisse primos, qui hunc ordinem post longum exilium revocarunt in Ecclesiam anno 1537 quo primum excogitatum à Calvino, Farello, & Vireto, vel 1541 quo stabilitum asserit, Dounamus, Def. l. 1 c. 4, patet ex testimonio Martini *Apol. c. 39.*

Buceri, quam in dissertatione sua pag. 77 habet Gersomus Bucerus Titulus libri, *Scripta duo adversaria Latomi* &c. Hæc sunt verba. *Illis certe ratio optima est, quam observant fratres Picardi qui fidei suæ confessionem nuper Regi Ferdinando oblatam anno 1535 ediderunt, cum præfatione D. Lutheri, qui soli prope in orbe cum puritate doctrinæ, vigorem etiam disciplinæ Christi apud se retinuerunt, quam laudem ut iis tribuamus, & Dominum qui sic in illis operatur, celebremus, res ipsa nos cogit, etiamsi fratres illi à præposterè doctis nonnullis contemnantur. Ratio vero quam in hac re observant, hæc est. Præter ministros verbi & Sacramentorum habent certum collegium virorum prudentia & gravitate spiritus præcellentium, qui munus obeunt monendi ac corrigendi fratres peccantes, componendi dissidentes, & in causis eorum judicandi. Excommunicationis tamen sententiam, non nisi causa delata ad totam Ecclesiam & communibus sententiis judicata, ferunt, idque per supremum Ecclesiæ Curatorem. De hujusmodi Senioribus scripsit & Divus Ambrosius in epistol. 1 ad Tim. cap. 5. Unde & synagoga* &c. Hîc vides Ecclesias Bohemicas, quæ puriorem doctrinam amplexæ sunt, quasque communitatem fratrum Bohemorum appellarunt, habuisse Seniores gubernantes & judicantes præter ministros verbi Sacramentorum, ante reformationem Ecclesiæ Genevensis, nec ut ordinem nuper institutum cum Ferdinando Regi obtulerunt confessionem fidei, sed ut veterem morem. Doctores præstantissimi hujus & superioris sæculi ex supra dictis scripturæ locis & Ambrosii testimonio collegerunt, hoc Presbyterorum genus fuisse in Ecclesia primitiva, quorum testimonia passim occurrunt Lectori & proinde mitto. Qua ratione defendimus contra Pontificios Concilium generale, quod universam Ecclesiam repræsentat, non esse constituendum ex Presbyteris doctoribus & Episcopis solummodo, sed ex omni genere & ordine hominum (nam soli sacerdotes aut Clerici non constituunt corpus Ecclesiæ universæ) eadem & in particulari quaque Ecclesia Concilium ceu Consistorium ex solis sacerdotibus constitui non debet. Cum Christus Mat. 18, fratrem offensum offendentem Ecclesiæ deferre jubet, num Ecclesiæ nomine unum pastorem vel Episcopum intellexit? At hoc non patitur vocis Ecclesiæ significatio, quæ semper multitudinem ceu cœtum minorem aut majorem significat, nunquam unum. Nec cœtum sacerdotum tantùm significat. Nam sic nullibi in scriptura usurpatur. Nec in quaque Ecclesia sacerdotum cœtum constituendum Christus aut Apostoli instituerunt, & tamen in quaque Ecclesia cœtum aliquem constitui oportebat judicum & gubernatorum, qui censuræ morum invigilarent. Non enim omnes sunt gubernatores, magis quam Doctores aut Pastores. *Quod ad verba Christi attinet, Dic Ecclesiæ, omnino manifestum est*, inquit Musculus, *non intelligenda esse de Catholica, sed unaquaque particulari Ecclesia, præsertim ad morem synagogæ*

Cap. de Eccles. autorit.

instituta

instituta, in qua judicabatur inter fratrem & fratrem, qua de re alias monui. Et hic mos in primitiva quoque servabatur Ecclesia. Nam ibi delecti erant probati seniores, qui vt Tertullianus loquitur judicabant magno cum pondere. Vox *gnedah* cœtum Seniorum non civium tantum significat. Bertramus ait Abenhezram sentire nomine universi cœtus Num. 27 21, intelligi 70 Seniores, & disertiùs id exprimere R. Schelomonem. *Sic certe nomen gnedah id est cœtus de Septuaginta Senioribus, vel de Chiliarchis, Centurionibus &c. accipiendum videtur, Numer. 15 24 &c. vt locum illum concilies cum Levit. 4 13,* ait ipse Bertramus. Vt *Gnedah* utrumque significat & integrum corpus civium, & concilium Seniorum ceu conventum præfectorum, sic & vox Ecclesiæ, cui respondet, vide plura pag 196. Concludimus itaque duplicem ordinem Presbyterorum in Ecclesia primitiva fuisse, docentium & gubernantium, hunc alterum desidia vel magis superbia Doctorum obsolevisse, sed jure restitutum ad pristinum decus & dignitatem in Ecclesiis reformatis, ubi sunt Ecclesiæ bene constitutæ, & quamvis non tanta sit charismatum copia, quanta in primordiis nascentis Ecclesiæ, non tamen propterea ordinem ipsum abolendum. Nam ea ratione & Presbyteros Pastores abolere possunt, quia vel non extra ordinem vel tanta donorum mensura locupletati sunt, sicut plerique in primitiva Ecclesia. Non pari donorum mensura omnia secula dignatur Dominus. Nostrum tamen seculum fœlicius est superioribus omnibus, uno illo aureo Apostolorum sæculo excepto, ut pastorum sic & Seniorum idoneorum copia. Imo Seniores plerique in reformatis Ecclesiis, non modo prudentia & gubernationis dono, sed etiam sacrarum literarum peritia Curionibus plerisque sive Papisticis sive Anglicanis, quibus olim Campianus dixit nihil esse putidius, superiores sunt. Sacerdotalia Senioribus nostris tamen non permittimus, vel verbum prædicare, vel sacramenta administrare, vel excommunicationis sententiam ferre, aut in ordinatione benedictionis ceu consecrationis verba proferre, sed tantum regimen externum Ecclesiæ, quod cum ex parte democraticum sit, & non tamen non prophanum aut sæculare propterea sit, (nam grex non consideratur ut populus regni aut republicæ, sed ut cœtus sacer fidelium evocatus ex mundo, & sponsa Christi) multò minus ex parte Aristocratica Seniorum, ceu optimatum Ecclesiæ particularis prophanari censendum est. Diaconis tamen suis, qui sunt tantum mensarum & pauperum ministri, sacerdotalia permittunt Hierarchici, potestatem prædicandi & baptizandi, & Archidiaconis excommunicandi, & nos Seniores prudentia & gubernationis dono instructos à communi prostasia & regimine externo Ecclesiæ particularis excludemus, qui ne quidem à communi omnium Ecclesiarum concilio excludendi sunt? Recipe, Tilene, collyrium tuum quo curare

De Politia Judaica c. 6.

voluisti cœcitatem nostram, & medice cura teipsum, si forte cæcus sis, sed ego te graviori malo quàm cæcitatis laborare judico.

CHAP. XIII.

De Possessionibus.

HActenus de personis, sequuntur

Possessiones publicæ aut privatæ, Publicæ vel usu tantum non dominio aut fructu, ut cœmiterium, vel usu & dominio, & sunt vel res mobiles, ut libri, vestes, ornamenta, reliqua supellex Ecclesiæ: aut immobiles, eæque civiles, ut prædia urbana; rustica alicui parochiæ spectantia: Ecclesiasticæ, ut navis, Campanile Ecclesiæ.

Privatæ, civiles seu Ecclesiasticæ. Civiles rerum corporalium aut incorporalium. Rerum corporalium, vel prędia urbana, ut domicilia; Vel rustica, aquę, sylvæ, fundi: aquæ, fontanæ, perennis fluvii, palustres, lacustres: sylvę Nemorosæ sive saltus & Ceduæ; fundi: hique sunt Arva, Agri: Agri, pascua, peculiaria vel compascua prata: Atque hęc omnia vel reservata peculiari domini cultori, vel locata colonis sub annua pensione: Rerum incorporalium, qualia sunt jura circa res Ecclesiasticas, ut jus patronatus, nominationis: Civiles, ut Curia Baronis, Letæ, & Hundredi; Emporium, idque vel forum Mercatorium, vel Nundinæ celebriores: Immunitates, libertates: Privilegia alia quæ barbarè franchesias vocant.

Ecclesiasticæ, quas abusive, qui sunt a ratiociniis, vocant spirituales, suntque, aut Beneficia, præsentativa aut Appropriata, & quæ ad ea spectant, viz. Cancellus Chori Ecclesiastici, publici usus privati Dominii; prædia urbana, rustica quæ vulgus Glebam Ecclesiæ

Ecclesiæ vocat; Decimæ: Oblationes: Obventiones cuiusvis generis: Pensiones pro indemnitate, vel huiusmodi causa pendi solitæ: procurationes ratione visitationis, Synodalia ratione Synodi debita: Sportulæ minutæ quæ feoda vocant: quæ ratione quorundam actuum Ecclesiasticorum per tempus immemoriabile solitæ sunt præstari.

De possessionibus in genere supra dictum, & in specie de utensilibus & partibus Ecclesiæ, decimis, oblationibus, feodis, procurationibus, & Synodalibus. Hundredum Smithius in Rep. Angl. ait esse Comitatus partem decimam, vicesimam aut tricesimam: & sic dictam quod olim 100 oppida & castra suo ambitu complecteretur, vel quod regi milites conscripturo, ad castra 100 milites mitttere tenebantur: Letam à demetendo vel invehendo fruges in domini horreum. Pag. 86.

CAP. XIIII.

De Constitutionibus.

HActenus de personis & Possessionibus, sequuntur Constitutiones circa utrasque, Scriptæ vel non scriptæ: Scriptæ Vt statuta Parliamentaria; Provinciales in synodis latæ, & Canones ante hac lati, prout fuerunt usitati 25, Henr. octavi modo non repugnent legibus, statutis, consuetudinibus regni: Nec præjudicent aut minuant prærogativam regiam: Non scriptæ ut consuetudines sive particulares sive generales. Eæque postea in scriptum vel minime redactæ.

Controvertitur apud Anglos, quænam sunt constitutiones Ecclesiæ Anglicanæ. Quidam sentiunt abrogatum jus Canonicum, nisi quantum statutis Parliamentariis ratum habetur. Formalistæ contrà tuentur omnia juris Canonici decreta, quæ antea sub Papatu erant in usu in Curiis Ecclesiasticis, constitutiones provinciales & nationales, modo non repugnent statutis & juri municipali

pali aut nuperis constitutionibus, aut prærogativæ regiæ vim adhuc habere in Ecclesia Anglicana, nec antiquata esse. In Ecclesia Anglicana Archiepiscopi ad nutum regium nationales aut provinciales synodos indicunt, ait Mucketus, sed nec unquam absque particulari nutu regis. Non habent stata concilia vel nationalia vel provincialia. *Vocantur*, ut ait Mucketus, *ad Synodos Nationales & Proinciales solùm Episcopi, Decani, Archidiaconi & duo demum Presbyteri ex singulis Diœcesibus, totidemque ex Cathedralibus Ecclesiis, in his capitulorum, in illis communibus parochorum suffragiis electi: à quibus, cùm de religionis dogmatibus, vel sacris Canonibus fuerit maturè deliberatum & definitum, regia authoritate censentur rata; imo nonnunquam, quo hæc placita synodica arctiùs constringant immorigeros, post regiam illorum confirmationem, à suprema Parliamenti curia, tanquam regni leges promulgantur.* Synodos Provinciales rarò habent. Ab anno 1597, unam tantùm synodũ Provincialem celebrarunt anno nempe 1603 regni Iacobi primo, *quam piorum flagellum meritò dixeris & Pandoram illam, ex cujus pixide innumera illa quæ sunt subsequuta mala in Anglicanam Ecclesiam inundarunt*, inquit Parkerus. Synodum nationalem, quam domum convocationis vocant, habent tantùm tempore comitiorum ceu Parliamenti. Sic nulla stata habent concilia vel Nationalia vel Provincialia. Synodi Episcopales ceu diœcesanæ Concilii nomine non sunt dignæ. Nam *in hisce conventiculis unus tantum judex est, Presbyteri potestatem judicandi non habent, sed solus Episcopus aut Archidiaconus & officialis.* In Provincialibus sunt quidem plures judices, nempe Episcopi, *Presbyteri Cyphrarum interim loco sunt, sic ut revera synodi Hierarchicæ, Episcoporum tantùm synodi sint. Nam cum aliter Presbyteros in synodum non admittunt, quàm quomodo in domum congregationis admittunt, actum de libertate est. Nam Presbyteros in domo congregationis Anglicana, locum tantum vacuum occupare, ut nudum consensum obedientiæ præstent ad ea quæ à superiori domo Episcoporum decernuntur, patebit suo loco fusius.* Quod ad electionem legatorum per parochos Diœceseos attinet, sciendum non convenire in unum Parochos Diœceseos, ut eligant legatos suos. Cum indicta fuit synodus Provincialis anno 1603, *in Diœcesi Salisburiensi, ubi tum eram*, inquit Parkerus, *non in unum locum ad eligendos delegatos clerus convocatus est, sed in diversis, ut divisione, si qua existeret, oppositio imbecillior fieret, imo ut quævis oppositio præcideretur, altero conventu ab altero præjudicato. Atque his conventibus hoc tantum proponebatur, utrum placeret (quod domino Episcopo visum) electionem delegatorum duobus viris committere, cui illi, ut bonas Episcopi creaturas decuit, responderunt Amen. Atque ita domum discessum est.* Atque ita eliguntur legati ad synodum, qui præjudicio occupati in Episcoporum sententiam jurare parati sunt. *Quid igitur miri, si aberraverit prædicta synodus Anglicana? Anhelabat enim ad Hierarchiam*

Muck. de polit. pa. 350

De politeia l. 3 c. 26.

Cap. 25. P. 363. Cap. 28. P. 379. P. 380.

Cap. 26. P. 451.

P. 451.

ebiam stabiliendam, flagrabat odio reformationis: id unum spectabat, ut Helena sua in tuto collocata, debellaretur natio puritanorum, qui adversam reformationem affectabant. A fide dignis accepi non fuisse in synodo illa quatuor, qui non fuerint vel Pluralistæ, vel Non-residentes. An reformationis canones à tali conventu expectandi erant. Sed quid si parochi Dioeceseos, quorum pars maxima aut ignarum aut ignavum pecus, viros pios & eruditos eligeret, quid efficient duo legati ex ampla Dioecesi, cum non solum Episcopi, sed etiam decani, Archidiaconi & duo Presbyteri Ecclesiæ Cathedralis capituli suffragiis delecti, numero maior pars, vincent saniorem. Praeterea exulat è synodis libertas loquendi, *ex eo quod Presbyteri Episcopis obnoxii sunt, sic ut nisi cum periculo obsistere eis aut refragari nequeant.* P. 45[illegible]
Nam si refragati fuerint, extra synodū quæret ep. causas vindictæ, quas facilè inveniet in omissione alicujus ritus Papistici. Dicit Mucketus maturè eos deliberare. *Sed notum est Canones formari Lambethæ, priusquam in synodo ventilentur: notum est quàm parva aut nulla ex scripturis indagatio veritatis in ipsa synodo instituatur: notum est de synodo Anglicana dici non posse, quod de Antiochena refert Eusebius, in singulis conventibus disputationes fiebant, & collationes per Presbyteros & Episcopos in unum locum congregatos: imo ut cum Episcopis disputent Presbyteri, pro summa arrogantia habetur.* Petulans Presbyter haberetur, qui cum Episcopo disputare vellet. Videamus an melius sese res habeant in Synodo Nationali, quam domum Convocationis vocant. *Episcopi in domo convocationis Anglicanæ domum seorsim superiorem habent, Presbyteris interim ad domum quandam inferiorem detrusis.* Apostoli Act. 15 separatum à Presbyteris locum in Concilio non habebant. *Cum Presbyteris in domo Convocationis ceu synodi Nationali sedere dedignantur Episcopi. Etsi inferiori domui Clericorum permittitur suum prolocutorem eligere, Archiepiscopus tamen suam authoritatem retinet, sicut rex in Parliamento, tametsi domus inferior suum prolocutorem habeat,* inquit Whitgiftus. *Ne simus longiores vocē negativam in synodis tribuit Fildus Archiepiscopo & Episcopis, sicut & Rex in Parliamento vocem negativam habet.* Libertati præjudicatur, *primò quod cautum sit, ut nemo in domo convocationis nisi latino sermone loquatur, unde sit ut Laicis (& Laici synodis interesse debent) loquendi nulla potestas concedatur. Præjudicatur secundo huic libertati per προβουλευμα ut mitissime loquamur domus superioris Episcoporum. Fatetur Bridgesius domum superiorem Episcopos incolere ut deliberent de iis, quæ domui inferiori proponenda sunt, ita ut nihil nisi quod est præmansum ab episcopis, ad Presbyterorum concilium deveniat.* De oppressa libertate supra dictum. In Conciliis vel nationalibus vel provincialibus, laicis quos vocant, quantumvis doctis non est locus. Habes lector ex Mucketo & Parkero conditiones synodorum Anglicanarum tum nationalium tum provincialium; quis convocat:

Margin notes: P. 454. — L. 3. c. 2[illegible] — P. 453. — P. 455.

convocat, quæ personæ constituant, quis præses, qualis & quorum electio, quæ loquendi & suffragiorum libertas, de quibus vide polemica nostrorum scripta præsertim Iunii & Whitakeri. Nos capite primo secundo & tertio hæc paucis perstrinximus: & jam non vacat novam instituere diatribem. Crevit enim opus præter expectationem. De ordine quo celebratur Concilium provinciale, vide Pontificale Romanum fol. 185. Eundem fere ordinem servare Præsules Anglicanos non dubito, sed in Anglorum scriptis ea de re nihil reperi, & proinde mitto.

CAP. XV.

Tileni convitia & calumniæ, &c.

TIlenum conviciatorem egregium arguent convitia & calumniæ quibus scatet libellus ille famosus Paræneticon illius collyrium. Hæc pauca excerpsi, vt ex ungue leonem percipias. Cap. 1. *Cum in illo Genevensis Disciplinæ valetudinario nimis diu versatus sum. Qui credula simplicitate antea nefas putaram quicquam eorum, quæ ex illis adytis promanassent, ad calculos vocare.* Cap. 4. *adhibitis etiam in consilium doctissimorum virorum, qui in Britannia hoc argumentum tractarunt, scriptis, quæ Genevensis Disciplinæ fascino captis attingere religio est* Cap 5. *Cæterum quod mihi à Genevensibus magistris persuaso visum, id vobis quoque in eodem ludo edoctis & eductis videri, non miror.* Cap. 6. *Ex Genevensis alicuius Phœbi tripode ac cortina promendum est oraculum.* Cap. 7. *Primus Bezа, qui tabernaculi illius, quod vnum suspicitis, Bezaliel merito suo apud vos audit.* Cap. 10. *Indidem refellitur, quod nuperæ & musteæ illius disciplinæ Patroni comminiscuntur.* Cap. 12. *Non movet nos rigidum Gnosticorum supercilium. Non solum indecorus, inquiunt, turbones vestri demagogi, sed maxime periculosus est. Verum enimuero quia nullum auribus vestris jucundum est acroama, nisi quod à Genevensibus magistris pronunciatur. Hic nonnulli supra modum paratragœdiant lymphatico terrore omnia complentes ac reviviscentis in Scotia Papatus hæc quasi signa attolli brevique omnia in antiquum chaos reditura* μάλα παθητικῶς *vociferantes: quorum intemperies si nulla sanabilis est Parænesi vereor ne tandem excita illa quæ* καμψιπήγυνος *a Poeta dicitur Erynnis, obstipas cervices rigidosque poplites non amplius flectere studeat, sed frangere incipiat.* Cap. 15. *Prima mali labes ac* πρῶτον ψεῦδος *Catharorum, est episcoporum* καθαιρέσεις. Cap. 16. *Ac ferendum non est,* * *quod quæ Eusebius de Polycarpi super hac re epistolis infruniti zelotæ mendacii insimulant. Vel ad Genevensis disciplinæ libellam appendantur, nulla nostrorum antistitum idololatria, sed magna quorundam Demagogorum vestrorum sycophantia deprehendetur. Non dissimulandus est hic desultorius zelota-*

* V. supra p. 655.

tus

rum Andabatismus. Cap. 17. *Habetis fratres Scoti mutatæ à me sententiæ rationes, violatique à turbulentis ingeniis ecclesiastici regiminis vindicias. In episcoporum comitatum & (quas piorum principum munificentia contulit) opes ac dignitates, popularibus & tribunitiis concionibus invebuntur, &c. Verum atra, quæ vos agitat bilis, quietem poscit, quæ si vehementiore motu ac discursatione incurset exitium adferet. Excutite tandem insanum hanc zelum quo siderata pectora divina humanaque monita respuunt. Nolite tumultum adversus Regem impuberem & adhuc in cunis vagientem olim à patribus vestris excitatorum, memoriam renovare*. Hi sunt & his similes flosculi, vel hæc potius excrementa paræneseos; quæ inverecundæ frontis nebulonem olent. Hæc acrimonia & mordacitas collyrii illius, quo Scotorum scotomata persanare vult novus & rudis Empiricus. *Sicubi id oculos pupugit*, inquit, *cogitate Tobiam non nisi illitis fellis acrimonia & mordacitate visum recepisse*. Sic solent collyriorum virtutes prædicare impostores & circumforanei. Melle priùs quàm felle secundum regulum Evangelicam tentanda fuit curatio, nec nisi post unam aut duas paræneses, in fratres, in ignotos, in viros pios & doctos, in eos qui nec te nec ullum Silesium vlla unquam ante editam tuam petulantem parœnesim vel specie injuriæ affecerunt, debacchatus fuisses. Sed intellexisti Iacobum regem Britanniæ esse hostem infestissimum omnibus purioris disciplinæ & religionis assertoribus, nihilque illi magis gratum fore, quàm de plurimum adamatis illi papatus reliquiis, quas in Scotia restituendas curat, aliquid blaterare, & viros bonos allatrare: atque hoc pacto nidum pullis Pelagii discipulis Arminii, in Brittannia comparare. Nec ignorare debebas Scotos, quorum cæcitati sanandæ te medicum offers, nec amicam S. ctarii, nec satis tutam Theologastri manum medicam agnituros fuisse. Recens adhuc memoria turbarum, quas excitarant turbones vestri in Hollandia, qui innovare studebant omnia, & tu nostros vocas demagogos, qui populum hortantur, ne facilè circumferantur quovis vento, ne reliquias papatus è scotia penitus profligatas, rursus amplectantur. Imo habetis inter vestros demagogos, ministros sicarios. Cum catharis nihil habemus commune; Illi Episcopos suos habuerunt nos non probamus. Illi secundas nuptias damnabant, & lapsis denegarunt, pœnitentiam. Nos neutrum. Illi vita puriores aliis sese profitebantur. Nos puritatem cultus divini & religionis retinere cupimus, cum Paulo tamen peccatorum primos nosmetipsos agnoscimus. Genevenses magistros Calvinum & Bezam (hos nominas & sugillas sæpius) viros incomparabiles æternaque memoria dignos æstimamus. Nec nova esse, quætu nupera vel mustea vocas, sed vetustissima probavimus, quæ illi non ut primi authores ex cogitarunt, sed ut veritatis indices errantibus monstrarunt. Ede, si potes, opus aliquod

vel cum Calvini institutionibus vel Bezæ annotationibus majoribus comparandum. Extra semitam tritam nihil laude dignum efficere potes. Qui clarissimi viri Francisci Iunii opera diligenter perlegerit, perspiciet Syntagma tuum, etsi trita materia, ex ejus operibus consarcinatum, & desumpta sæpissime ipsa verba & phrases (hæc mea censura cum primum in lucem prodiit) & annotationes tuas in Bellarminum ex ejus animadversionibus. Nec audes, nec potes progredi, quia prævides Iunium & Whitakerum vel alios primæ classis theologos ad finem usque operis te manu non perducturos. In Annotationibus tuis in Canones synodi Dordracenæ nihil dictum, quod non dictum centies, dicunt ipsi Arminiani. In ista controversia nihil dicis, quod non dictum prius &c. vel à tuo Saravia, vel ab Anglis quorum scripta tu te consuluisse fateris, quæ nostris attingere religio non est, ut tu dicis. Attingunt, & legunt diligentiùs, confutarunt etiam quidam melius, quàm unquam potuit Tilenus. Et si libertas permitteretur typographis excudendi bibliopolis vendendi, plura prostarent venalia nostrorum scripta. Vno verbo dicam, Tilene, nihil es, nisi Logodædalus, ceu cymbalum tinniens. Annos insumis & desudas exornando, quæ ab aliis tractata sunt accuratius, verbis ampullosis, & emittis in lucem paucas pagellas verborum sonitu tinnientes, nihil ponderis à te habentes, quæ si reddantur lingua vulgari nec pondus, quantum est a Tileno, nec tinnitum haberent. Has ingentes virtutes hæc quoque vitia comitantur. Mira est Thrasonis jactabundi ostentatio. *Nebulæ*, inquit cap. 11. *in quibus picta vestrorum argumentorum phænomena, vel potius idola quæ falsis vos ludunt imaginibus, nobis sunt difflandæ, ne liquidi Solis adspectum vobis porro intercipiant. Atque ut inveteratam de pulmone vobis revellam opinionem* &c. Magis mira Gnatonis adulatio. *At quæ*, inquit in peroratione, *beata pace fruentes, omnibusque copiis circumfluentes sub religiosi & munifici principis umbra suaviter quiescunt, qualis universæ jam Britanniæ eximio Dei munere concessus Rex. Iacobus omnium quos Sol adspicit, atque à multis retrò sæculis adspexit Regum religiosissimus, sapientissimus, munificentissimus; omnibus denique tum naturæ tum gratiæ consertis inter se atque exaggeratis dotibus ornatus.* Accepsti, puto, mercenarium istud præconium ab Episcopo, aut Decano aliquo, aliave creatura Regia. Non ex animo sed spe commodi has laudes tribuis. In epistola Dedicatoria præfixa notis & animadversionibus in Canones Synodi Dordracenæ habes hæc verba. *Molestias terra marique in aditu Majestatis tuæ ex haustas; injuriam in reditu à littoralibus harpyis publicanorũ titulo vectorum sarcinas non tam explorantibus, quàm expilantibus mihi factam, Cathirorum post reditum sannas ac scommata ob profusos minimeque refusos itineris tuo jussu suscepti sumptus, non minore Majestis tuæ dedecore, quàm nominis mei ludibrio in*

me jacta

me jacta &c. totum denique hoc commodorum & incommodorum quibus generosa veritatis professio mihi redimenda fuit, syrma in lucro deputabitur, si &c. Videmus, quid cauda blandiente prius captabas. Foris & publicè avidus Gnato, domi tamen miserum in modum parcus audis. Domi prophanus conjicis in servos & ancillas maledicta, & impias execrationes: non mirum si conviciator bonos probris publicè proscindas. Ais patres nostros excitasse tumultum contra Regem in cunis vagientem, calumniator impudens. Patres nostri diademate coronarunt vagientem in cunis & tutati sunt, cum inter dextram & sinistram discernere nesciverat, contra adversam factionem quæ à matre stabat, & videt orbis, quid rependit filius.

FINIS.

Illustranda.

P. 13. l. 19. 20. 21. Appellationes ad instantiam alicuius partis interpositæ deferuntur ad principem qui dat judices delegatos per cancellarium. Per commissarios tamen suos princeps de omnibus causis judicare potest etiam ubi non interponuntur appellationes ad partis alicujus instantiam. Pag. 19. l. 15. Quod de tribus digitis dixi, dicunt obsolevisse. Pag. 21. l. 19, & sex sequentibus. Distinguenda sunt ista tria decernere excommunicandum aliquem, ferre sententiam, & denuntiare. Commissarii decernunt & ferunt sententiam, Minister ceu Presbyter aliquis postea denunciat excommunicatum in Ecclesia. Sed qui duo priora possunt possunt & tertium. Si quis Presbyter, dum fertur sententia à commissariis, profert verba, de quo nihil certi habeo, nihil tamen juvat. Vide similia, pag. 403, 404. Pag. 86. Notarios ad causas civiles designare Archiepiscopos non affirmo, nisi eas quæ abusivè dicuntur Ecclesiasticæ ceu Spirituales. Num ad alias, nescio. Pag. 494. l. 35. alta vociferatio, adde, cum modulatione, P. 499. l. 36, à deliberativa ratione procedentes, adde, saltem vel maximè in re religionis.

INDEX RERUM ET Verborum.

Causæ

INDEX.

Episco-

Patres

INDEX.

Suffra-

Errata sic emendanda sunt.

Pag. 8, *nobilium,* 12 *damnamus,* 14 *disceptetur,* 15 *exercere,* 18 *Angarorum,* 21 *cultus,* 27 *conniventiam,* 31 *decreto,* 53 *Filesacus,* 58 *translati,* 59 *centuriæ,* 64 *colluvies,* 71, *Andegavensis,* 73 *nomenclaturæ,* 86 *observatur,* 91 *nullæ,* 93 *opprobriis,* 144 *solliciti,* 165 *redeamus,* 197 *in diœcesani parœciis aut diœcesi,* 205 *qua in re unius,* 210 *potestatis,* 229 *omnino,* 231 *scilicet ordinationis,* 268 *paulatim,* 276 *aereæ,* 282 *indiciis,* 293 *alas,* 303 *Ecclesiæ,* 316 *imposturis,* 317 *hoc opere,* 319 *Lincolniensi,* 321 *Baronum,* 326 *capitulum,* 335 *in priori editione libri ordinationum,* 340 *histrionico,* 346 *Nec,* 400 *in lucus,* 402 *pro Clero,* 404 *parochum,* 408 *publica promulgatione* 413 *scandalum* 420 *intererit,* 433 *in conspectu,* 456 *inquisitio,* 460 *abusuum,* 463 *funguntur,* 468 *Ecoicorum,* 491 *παιδ,* 504 *bibhtaroth,* 506 *sacrificium,* 507 *περιζώννυσι,* 508 *Dei,* 517 *grata,* 527 *sigilli,* 530 *abjecta,* 547 *Mercurium,* 551 *exterminari,* 554 *lata culpa,* 575 *qua praxi aliunde,* 577 *deleatur,* &c. 581 *stata,* 614 *deleatur ut,* 628 *Gregorianum,* 647 *παντὸς οἷς,* 671 *gratiarum actionis,* 703 *cyclopica,* 722 *partim,* 723 *συναγωγὰ,* 734 *διακριθέντα,* 775 *Suarez,* 807 *modò,* 833 *crucis religiosos,* 834 *amplificata,* 932 *παραγγέλλει.*

Hæc leviter percurrenti occurrebant menda, plura deprehendet lector, sed quæ facile emendari possunt.

PRO SVPPLICI EVANGELICORVM MINISTRORVM *IN ANGLIA*

AD

Sereniſſimum Regem contra Larvatam geminæ Academiæ Gorgonem Apologia, ſive Anti-tami-cami-categoria,

Authore A. Melvino.

1604.

INſolens, audax, facinus nefandum,
Scilicet, poſcit ratio vt decori,
Poſcit ex omni officio vt ſibi mens
Conſcia recti,
De ſacri caſta ratione cultus,
De ſacroſancti officii decoro,
Supplicem ritu veteri libellum
Porgere Regi:
Simplici mente atque animo integello,
Spiritu recto, & ſtudiis modeſtis,
Numinis ſancti veniam, & benigni
Regis honorem
Rite præſantem: Scelus expiandum
Scilicet tauro, & ovium ſuumque
Millibus centum, voluiſſe nudo
Tangere verbo
Præſulum faſtus: monuiſſe ritus
Impios, deridiculos, ineptos,
Lege, ceu labes maculaſque, lecta ex
Gente fugandos.
Iuſque-Iurandum ingemuiſſe jura
Exigi contra omnia, tum miſellis
Mentibus triſtem laqueum injici per
Faſque nefaſque.
Turbidi illimi crucis in lavacro
Signa conſignem? Magico rotatu
Verba devolvam? ſacra vox ſacratâ im-
murmuret vnda
Strigis in morem? Rationis vſu ad-
Fabor infantem vacuum? canoras
Ingeram nugas minus audienti
Dicta puello?
Parvulo impoſitis manibus ſacrabo
Gratiæ fœdus? Digitone ſponſæ
Annulus ſponſi impoſitus ſacrabit
Connubiale
Fœdus æternæ bonitatis? Vnda
Num ſalutari mulier ſacerdos
Tinget in vitam, Sephoramque reddet
Luſtrica mater?
Pilei quadrum capiti rotundo
Rite quadrabit? pharium Camillo
Supparũ Chriſti, & decus Antichriſti
Pontificale?
Paſtor examen gregis exigendum
Curet invitus celebrare cœnam
Promptus arcanam, memorando Ieſu
Vulnera dira?
Cantibus certent Berecinthia æra
Muſicum fractis, reboentve rauco
Templa mugitu? Illecebris ſupremi ab
Rector Olympi

Captus


A Meluini Antitamicamicategoria.

Captus humanis; libitumque nobis
Scilicet, Regi id Superûm adlubescet:
Somniumque ægri cerebri profanum est
Dictio sacra.
Haud secus lustri lupa Vaticani
Romuli fæcem bibit & bibendum
Porrigit poc'lo populisque, & ipsis
Regibus aureo.
Non ita æterni Wittakerus acer
Luminis vindex, patriæque lumen
Dixit aut sensit: neque celsa summi
Penna Renoldi,
Certa sublimes aperire calles,
Sueta cælestes iterare cursus,
Læta misceri niveis beatæ
Civibus aulæ.
Nec Tami aut Cami accola saniore
Mente, qui cœlum sapit in frequenti
Hermathenæo, & celebri Lycæo
Culta juventus;
Cuius affulget genio Iovæ lux:
Cui nitens Sol justitiæ renidet:
Quem jubar Christi radiantis alto
Spectat Olympo.
Bucerum laudẽ, an memorabo magnũ
Martyrem? gemmas geminas renati
Aurei secli: duo dura sacri
Fulmina belli.
Alterum Camus liquido recursu,
Alterum Tamus trepidante lympha
Audiit, multum stupuitque magno
Ore sonantem.
Anne mulcentẽ Rhodanũ & Lemannũ
Prælicem Bezam, viridi in senecta?
Octies cuius trepidavit ætas
Claudere denos
Solis anfractus, reditusque, & ultra
Quinque procurrens spatiosa in annos
Longius florem viridantis ævi
Prorogat & ver.
Oris erumpit scatebra perrenni
Amnis exundans, gravidique rores,
Gratia fœcunda animos apertis
Auribus implent.
Maior hic omni invidia, & superstes
Millibus mille & Sadeele & omnium
Maximo Calvino, aliisque veri
Testibus æquis;
Voce olorina liquidas ad undas
Nunc canit laudes Genitoris almi.
Carmen & nato canit eliquante
Numinis aurâ,
Sensa de castu sacra puriore,
Dicta de cultu potiore sancta,
Arma quæ in castris iugulent severi
Tramitis hostes.
Cana cantanti iuga ninguidarum
Alpium applaudunt, resonantq; valles:
IVRA concentu nemorum sonoro,
Et pater Ister
Consonant longè: pater & bicornis
Rhenus assensum ingeminat: Garumna,
Sequana, atq; Arar, Liger, insularum &
Vndipotentum
Magna pars intenta Britannicarum
Voce conspirat liquidâ: solumque
Et salum cœli æmula præcinentis
More modoque,
Concinunt Bezæ numeris modisque
Et polo plaudunt: referuntque leges
Lege quas sanxit pius ardor & Rex
Scotobritannus.
Sicut edictum in tabulis abenis
Servat æternum pia cura Regis
Qui mare & terras variisque mundum
Temperat horis.
Cujus æqualis soboles parenti
Gentis electæ pater atque custos:
Par & ambobus veniens vtrinque
Spiritus almus.
Quippe tres vnus Deus, vnus Actus,
Vna natura: est tribus vna virtus,
Vna maiestas, Deitas & vna,
Gloria & una,
Vna vis immensa, perennis vna,
Vita, lux vna & sapientia vna,
Vna mens, vna & ratio, vna vox &
Vna voluntas

A Meluini Antitamicamicategoria.

Lenis, indulgens, facilis, benigna
Dura & inclemens rigida & severa,
Semper æterna, omnipotens & æqua
Semper & alma.
Lucidum cujus speculum est reflectens,
Aureum vultus jubar & verendum,
Virginis proles sita cœlo, & alti interpres Olympi.
Qui patris mentemque animumque sancti
Filius pandit face noctilucâ
Sive doctrinæ documenta, ceu compendia vitæ,
Publicæ, privæ, sacra scita Regni
Regis ad nutum referens; domusque
Ad voluntatem Domini instituta
Singula librans,
" *Luce quam Phœbus melior refundit,*
" *Lege quam legum tulit ipse lator,*
" *Cujus exacti officii suprema est*
Norma voluntas.
" *Cæca mens humana, hominũ voluntas*
Prava, & affectus rabidi: indigetque
Luce mens, normâ officii voluntas,
Lege libido.
Quisquis hanc surda negat aure, & orba
Mente dat ferri rapidis procellis,
Ter quater caudex, stolidusque & omni ex
Parte misellus.
Quisquis hanc prona bibit aure, quâ se
Fundit ubertim liquidas sub auras
Ille ter prudens, sapiensque & omni
Ex parte beatus
Ergo vos Cami proceres, Tamique,
Quos viâ flexit male suadus error
Denuo rectum duce Rege Regum insistite callem
Vos metus tangit si hominũ nec ullus,
At Deum fandi memorem & nefandi
Vindicem sperate, & amæna solis
Tartara Diris:
Quæ manent sontes animas, trucesque
Præsulum fastus; malè quos perurit
Pervigil zelus vigilum, & gregis custodia pernox,
Veste bis tincta Tyrio superbos
Murice: & pastos dape pinguiore
Regiâ quondam, aut Saliari inunctâ abdomine cœna.
Qualis Vesini Damasique fastus
Turgidus, luxuque ferox, feroque
Ambitu pugnax sacrã & ædẽ & urbẽ
Cæde nefanda
Civium incestavit: & ominosum
Traxit exemplum veniens in ævum
Præsulum quod nobilium indecorus
Provocat ordo.
Quid fames auri sacra? quid Cupido
Ambitus diri fera non propagat
Posteris culpæ? mala damna quanta
Plurima fundit!

DE





DE REGIMINE ECCLESIÆ SCOTICANÆ EPISTOLA.

Fratribus charissimis, Ecclesiarum reformatarum pastoribus fidis Hieronymus Philadelphus *salutem in Domino.*

Honoratissimi & Charissimi,



Vando nobis persuasum est, de vestro sincero in nos amore, & res nostras cognoscendi studio, quæ fuerit, quæ sit nostra de Episcopatu sententia: quamvis multi sunt, qui melius possent; tamen mihi visum est breviter exponere, quàm maligni, & insidiosi de nobis rumores spargantur: quasi sponte cesserimus disciplinâ benè apud nos constitutâ.

Quamvis Ecclesia nostra post primam reformationem quatuor agnoscat Ministrorum genera, Pastorum, Doctorum, Presbyterorum, & Diaconorum: tamen Doctores alios nondum habuit, quàm qui in Scholis. Per reliquos tres ordines, juvantibus ex nobilitate, & plebe, quos Deus ad causam suam addebat, Prælatis aliis repugnantibus, aliis non juvantibus, reformatio religionis hactenus processit.

Eccleſiæ noſtræ ſemper fuit ſententia, omnem rem Eccleſiaſticam ab his miniſtris ſolis pro ſuo cujuſque munere gerendam eſſe; ut quibus ſolis Deus rem hanc demandet, quod patet ex libello de diſciplina noſtra magni in Scotia ſenatus auctoritate edito, anno 1560. & auctiore in actis publicis nationalis Synodi inſerto, anno 1581.

Quod ad Eccleſiarum adminiſtrationem attinet; ſive unius, ſive plurium, ſive omnium, ſemper viſum nobis eſt conventus liberos eſſe neceſſarios: nullius unius arbitrio, ſive auctoritatem ſibi arrogantis, ſive ſupra ſocios ſapientis, rem tantam committendam eſſe.

Vnde Eccleſia noſtra quatuor genera conventuum probavit. Vnum totius de rebus totius: alterum prōvinciale de rebus provincialibus: tertium Presbyteriale vicinarum Eccleſiarum rem ſuam per ſuos Miniſtros ſingulis Hebdomadis curantium; in quo bini per vices divinum verbum interpretabantur: quartum ſingularum parochiarum per paſtorem, & ſuos presbyteros inter ſuos ſubnaſcentia mala caſtigantium: ut ab inferioribus tamen ad ſuperiores libera ſemper eſſet provocatio.

Generalis conventus conſiſtebat ex commiſſionariis (quos vocabant) à Rege, à presbyteriis, à civitatibus, à provinciis, & academiis, prout res poſcebat, miſſis. Provincialis ex paſtoribus, & commiſſionariis provinciarum. Presbyterialis ex paſtoribus & commiſſionariis ſuę ditionis. Parochialis ex ſuo paſtore, & presbyteris; ut patet ex ſecundo de diſciplina libello.

Horum conventuum anima fuit concordia, & ſententiarū fraterna conſpiratio ab omni dominatione & diviſione

divisione abhorrens. Vnde Prælatorum usurpatio, ut ordini & unitati contraria semper damnata est.

Nihilominus à tribus generibus Episcoporum Ecclesia nostra tentata est, quorum tamen nullum, unquam probavit ulla Synodus Nationalis, nec ut à Deo constitutum agnoscebat.

Primum genus paucorum fuit Episcoporum, qui ejerato papismo sed ad causam reformationis adjungebant. His concessum ut fruerentur reditibus, ea lege, ut pastores in suis diœcesibus alerent.

Secundum fuit eorum, qui aulicâ gratiâ in Episcopi nomen, & titulum, & partem fructuum surrogabantur; reliquum tenerent aulici, quorum gratiâ nitebantur.

Tertium fuit quorundam pastorum, quibus datum fuit in publicis regni comitiis Ecclesiæ nomine suffragium, qui nunc desertis gregibus & civilem, & Ecclesiasticam potestatem usurpant.

Primum genus, initio reformationis, hac occasione toleratum fuit. Idoneorum pastorum inopiâ, & commeatuum unde viverent, atque aliis impedimentis, quæ obstabant, factum, ne singulis Ecclesiis singuli darentur pastores. Tam periculosis temporibus, & in tanta literatorum penuria, multæ Ecclesiæ vacabant, multæ à disciplina infirmiores erant. Vnde Ecclesia, ut his malis succurreret, statuit ex selectissimis pastoribus duodecim eligi, quibus daretur in designatis sibi provinciis ad tempus potestas sacra administrandi, auctorandi & exauctorandi pastores. Hos superintendentes appellabant, & in sumptum majori stipendio instruebant.

Superintendentes isti non exercebant singularem potestatem, quamvis magna fuit pastorum penuria: sed ordinarios conventus adhibebant, aut extra ordinem,

nem ſocios aliquot à conventibus deſignatos, quo res eſſet ſanctior: ut in primo de diſciplina libello, & actis ſynodorum cautum. Vbi eccleſiæ erant rectè conſtitutæ, rem ſuam ipſæ curabant. Superintendentes iſti generali Concilio factorum, & decretorum rationem quotannis ſemel, aut ſæpius reddebant.

Quamvis res eccleſiæ, ut illa ferebant tempora, duodecim iſtos poſcebat Superintendentes: tamen adnitente etiam Eccleſia, nunquam potuit ſumptus niſi in quinque ſuppeditari.

Ergo ut negotium, quod ad tempus Superintendentibus dabatur, tamen procederet; poſt in generali Concilio decretum, ut Commiſſionarij, quos vocant, ceu viſitatores provinciarum emitterentur pari cum Superintendentibus poteſtate.

Idoneorum paſtorum, & commeatuum inopiâ item factum, ut paucos, quos dixi, Epiſcopos in Commiſſionariorum numerum adſcribere non renueret Eccleſia. Vnde patet non Epiſcopalem, ſed temporariam, & à ſynodo delegatam poteſtatem primi generis Epiſcopos exercuiſſe.

Horum quidam in Collgium civilium judicum adſcribebantur: quidam læſæ majeſtatis inſimulabantur. Omnes datum ſibi officium negligebant, ut illorum opera plus detrimenti, quam emolumenti attulerit.

Secundum genus Epiſcoporum à Nobilibus, qui reditus Eccleſiaſticos captabant, ſubmittebatur. Hi duabus artibus in bona Eccleſiæ invadebant: Prima, ut quatuor parœciis unus ſufficeret, paucis nummis conductus miſellus Paſtorculus: ſecunda, ut ex miniſtris, quidam Epiſcopi nomen induerent; reditus particulam perciperent; reliquum aulicis, quorum gratia nitebantur,

tur,

tur cederet.

Hæc Lethæ anno 1571. Ianuarii duodecimo in conventu quorundam Ecclesiasticorum, & politicorum ferebantur: Sed in generali synodo anno sequenti Perthæ contrà, communi omnium suffragio protestatio facta est. Deinde decretum anno 1573. in generali Concilio, ne Episcopi isti ab aula subornati alio jure, quàm superintendentes, uterentur. Neque diuturnum fuit; nam in conventu generali Edinburgi anno 1575. disputatum, an Superintendentes, & novum istud genus Episcoporum oneri, an honori essent. Multæ enim erant de licentia, de negligentia, & ignorantia Episcoporum querelæ.

Tandem in conventu ibidem anno 1576. 24, Aprilis, decretum est, nomen Episcopi nihil aliud esse quam pastoris, ejus ministerium unius gregis, quem docere, & regere debeat: itaque Episcopi Titulares seriam gregis sui curam susciperent, vanos fastus deponerent.

Quia adhuc infirma fuit Ecclesiæ conditio, multis adhuc parœcijs vacuis; alijs nondum adversus omnia mala satis munitis, Concilium generale cogebatur legatorum, quos Commissionarios vocant, potestatem retinere. Ideoque quosdam, quos prius Superintendentes, & Episcopos vocabant, adscripsit. Vnde apparet istos Episcopos Ecclesiarum pastoribus æquatos esse, cum eadem utrisque demandata esset auctoritas, utrisque angustiores regiones darentur.

Non licuit istis, jam delegatis, solis suam potestatem, exercere, nisi cum provincialibus conventibus, aut sociis à conventu datis; aut fratribus ad prophetandum aggregatis. Iique synodis provincialibus obnoxii, eraq; eorum potestas in diem, & in arbitrio generalis Synodi-

 Secun-

Secundus de disciplina libellus, post multos doctissimorum virorum privatos, & publicos congressus; post varia & nostrorum & exterorum Theologorum consilia, & disputationes publicas, sæpius in comitijs Ecclesiæ repetitas, tandem anno 1587. unanimi omnium consensu comprobatus est. In eo tota regiminis Ecclesiastici ratio, & Ecclesiasticorum conventuum jura describuntur, Hierarchia Episcoporum & Archiepiscoporum damnatur. In nationali Concilio ad Taodunum anno 1580. 13. Iulij decretum est, Episcoporum potestatem in Presbyteros ex scripturis nullam esse; commentum esse humanum, magno Ecclesiæ malo receptum, ex Ecclesia eliminandum; & mandatum, ut huic decreto se subjiciant Episcopi titulares dicti, sub pœna excommunicationis.

Iterum Glasguæ anno 1581. 24. April. idem libellus actis publicis insertus est: Ibidemq; decreto prioris Synodi Episcoporum usurpationem tam in secularibus, quàm in spiritualibus damnatam fuisse, declaratur.

Ad hanc Synodum Rex exemplar misit, quo Presbyteria parœciarum adunatarum per totum regnum, locis quàm maximè oportunis, constituantur, quod quidem brevi usurpatum fuit. Addita fuit à rege formula ceu confessio fidei, quam Rex, & subditi omnium ordinum, Regis jussu, chirographo consignarunt, sanctè jurantes, se doctrinam, & disciplinam in ecclesia Scoticana tunc temporis receptam, omni ope sua, ad extremum halitum propugnaturos. Hanc fidei formulam, & mandatum regium probavit Synodus. Subscriptionem iterum imperavit Sanctior senatus anno 1589.

Anno

Anno 1587, 20, Iunii, ad Edinburgum decreto Synodi nationalis, prohibiti Rectores Academiarum, vel discipulos admittere ætatis maturioris, vel ad gradus promovere, nisi prius formulæ fidei, toties quoties promoventur, subscripserint.

Anno 1590, 4 Augusti, Commissionariorum, quos dixi designatarum quarundam regionum Visitatores, ceu Inspectores, potestas abrogata est; eorumque munus Presbyteriis, tanquam jus suum concessum est.

Anno 1592. publica auctoritate parliamenti ius Ecclesię ratum est: Conventibus nationalibus, provincialibus, presbyteriis classicis, & parochialibus confirmata auctoritas: & presbyteriis classicis jus conferendi beneficia permissum est. Statutum istud, ut donum verè regium, à Rege ad Synodum generalem anno sequenti missum, & inter archiva Ecclesiæ relatum.

Anno 1595 & 1596. Renovatum est sanctum & solenne fœdus, in quo pacti sunt omnium ordinum homines cum Domino, se à religione, & disciplina staturos, & contraria omnia pro viribus propulsaturos, ut patet ex actis Synodorum, & presbyteriorum. Tum quidem bene currebamus.

Tertium genus Episcoporum, Diabolus hanc felicitatem nobis invidens, nova arte, & hac, quam dicam occasione, supposuit.

Cum Ecclesia jam diu gravi & iniquo animo injurias hominum secularium tulisset, qui usurpatis prælatorum titulis in publicis regni comitiis pro ecclesia, contra ecclesiam suffragii iure utebantur; sæpius pitivit, ut illa potestate privarentur, sæpiusque in aliud tempus remedium reiectum est.

Consilio regis delecti sunt in Synodo ad Taodunum anno 1597, 16, Maij quidam ministri, quibus commissa potestas pastores quibusdam civitatibus præficiendi, & cura excogitandi certam, & immotam stipendiorum rationem. Hi vulgo Commissionarij vel Legati Synodi generalis dicti sunt.

In Parliamento Edinburgi habito anno 1597., hi Commissionarij petiverunt, sine speciali tamen à Synodo data potestate,ut Ecclesiæ,tanquam tertio ordini, in comitijs jus suum redderetur.

Id concessum hac lege est, ut quibus ministris veterum prælatorum beneficia conferrentur, suffragij jure uterentur. Datum Regi,ut de illorum potestate in spiritualibus,cum generali Ecclesiæ conventu ageret:salva tamen recepta Ecclesiæ disciplinâ, actis comitiorum regni,conventibus Ecclesiasticis concessa.

Ad hoc ergo negotium dictus dies nationalis Synodi anticipatus est, conventumque Taoduni 13. Martij Anno 1597. In hæc capita, per contentionem potiùs,quàm concors & unanime suffragium, plurimi convenerunt. Primo, ut ministri iure suffragii tertii ordinis in comitiis regni fungerentur. Secundo, ut tot eorum,quot in Ecclesia papistica Episcoporum, Abbatum, & Priorum erant tituli, ad id munus designarentur. Tertio ut horum delectus à Rege, & Ecclesia fieret.

Hinc anno 1600. ad montem Rosarum à generali Concilio in reliqua conventum. Quarto, ut Ecclesia sex in unumquemque locum nominaret; Rex ex his unum, si nihil offenderet, deligeret: sin offenderet, novus delectus fieret: ex quibus rex unum sine exceptione adsumeret. Quinto, ius nominandi fore

penes

penes nationale Concilium, sed adhibito provincialis Synodi, aut Presbyterii consilio. Sexto, ut salvo scholarum & Ecclesiarum jure, reliquum cujusq; beneficii, ei Rex impetraret.

Additæ sunt cautiones ne quid in hoc munere peccaretur. 1. Ne quid in Comitijs regni, Ecclesiæ nomine sine eius auctoritate ageret, sub poena depositionis. 2 Factorum & dictorum Synodo generali rationem redderet, judicio obtemperaret, censuram æquo animo ferret, sub poena perfidiæ & excommunicationis. 3 Acquiesceret ea parte beneficii, quam Rex assignaret, sine damno Ecclesiarum jam constitutarum, aut vacuarum, idque in ejus donatione expressè caveatur. 4 Ne quid dilapidaret, aut sine conscientia, & consensu Regis, & Ecclesiæ elocaret, aut in eum finem aliis assensum præberet; in quod interdicto cavebit. 5 Ecclesiam suam, cujus pastor erit, sedulò curaret, Presbyterio suo, & conventibus provincialibus, quod ad pastoris munus attinet, non minùs quàm reliqui socii, & fratres obnoxius esset. 6 In beneficiorum collatione, visitatione, & omni jure Ecclesiastico, ne quidquam supra collegas usurparet, nisi à collegis ad id munus deputaretur, idque sub poena depositionis. Si quid fecerit repugnantibus Synodis, aut Presbyterio, ipso facto irritum erit. 7 In conventibus generalibus, provincialibus, & Presbyterialibus se ut collegam gereret, & censuram æquo animo ferret. 8 Vt in hæc omnia capita priùs juraret, quàm admittatur, suoque chirographo rata haberet. 9 Vt depositus à pastoris officio auctoritate Synodi generalis provincialis, aut Presbyterii, simul suffragii jure deprivetur. 10 Liceret Ecclesiæ ex re nata alias, quas liberet, cautiones addere.

De nomine consensum, ut Commissionarius vel legatus cum jure suffragii in Comitijs vocaretur; si Comitia regni, Regis auctoritate adduci, ut admittant, possint: sin minus, generalis Ecclesiæ conventus de alio nomine deliberaret.

Hic Commissionarius, annuatim legatione hac coram conventu Ecclesiæ se exueret; & eorum arbitrio continuaretur, aut mutaretur, consentiente Rege, aut Regis legato, modo intersit.

Istorum legatorum nemo, nisi à presbyterio suo deputetur, suffragii jus in conventibus provincialibus, aut nationalibus usurparet.

Ambitus crimen satis causæ sit, ut deponatur. De jure suffragii inter Regem, & Ecclesiam conventum esse, ministri suis gregibus promulgent; nemo prorsus quidquam obloquatur.

Hoc ideo decretum, quòd sincerior pars Ecclesiæ ab hoc suffragii jure dissentiret: vel quod alienum à pastoris officio judicaret: vel quod viderent ad jam damnatum Episcopatum reditum aperire. At contra, alii spe prædæ, collegas ad consentiendum hortabantur: se vindicaturos Ecclesiam ex inopia, & contemptu: antiquam libertatem recuperaturos præ se ferebant: & eo perpulerunt, ut paucis tantùm suffragiis, etiam Rege adnitente, vincerent.

Concesso hoc jure suffragii, quod omnino civile est: nihilominus Ecclesia nostra plura ministrorum genera, quàm quatuor, de quibus supra, non agnovit.

Qui prædam captabant, spretis conditionibus, quas modo dixi, se in jus suffragii ingesserunt, & simul in Episcoporum veterum reditus irrepserunt.

Non contenti hoc jure civili, potestatem in reliquos sym-

ſymmiſtas cœperunt ambire, quod priús profitebantur ſe non facturos.

In conventu Limnuchi habito 12, decemb. anno 1606, ſpecie extinguendi incendium, quod exoriebatur, muniendi presbyteria & Synodos provinciales, occupandi iſtorum uſurpationem, & conſtituendi papiſtarum delatores ad ſanctiorem ſenatum, commenti ſunt, ut in ſingulis presbyteriis præſideret quiſque rerum peritiſſimus & ad moderandum aptiſſimus, quem ipſi ibi deſignarent: deſignaretur autem in ſuo presbyterio, cui in comitiis regni datum jus ſuffragii. Fuerat vero prius hic præſes ſemeſtris, & delectus ad arbitriū presbyterii. Sed illorū cōmentum poſtea cōpertū eſt, aditū potius ad id quod volebāt, aperuiſſe, quàm uſurpationē occupaſſe.

Vt adducerent fratres ibi convocatos ut hanc ſpeciem probarent, profeſſi ſunt, non fuiſſe conſilium ſuum in fratres ullam poteſtatem aut uſurpare, aut exercere: neque ſeſe in ullam auctoritatē ingerere niſi quam à Preſbyteriis, & Conciliis Provincialibus, & nationalibus acciperent. Quod ſi quis eorum aliud facere deprehenderetur, ſe ſubmitteret cenſuræ Eccleſiæ, non ſecus, ac quivis alius ſymmyſta.

His artibus & aliis inſidiis adductus conventus, ut fidem haberent, & tamen valdè metuens malum aliquod ſubeſſe, his legibus admiſerunt, quos dicimus, præſides. 1 Nihil facturos, niſi de conſilio, & conſenſu collegarū. 2 Servaturos acta generalis Synodi, & cautiones Cōmiſſionariis præſcriptas. 3 Non aliam auctoritatem uſurpaturos, quā qui prius hoc munere fungebantur. 4 Illis abſentibus, licere presbyteriis, & ſynodis eligere, quos velint, præſides. 5 Sede vacante, eligendū præſidē preſbyterii à ſynodo provinciali, & commiſſionariis regis, ſi

forte

forte aderint. 6 Si forte quis istorum inter conventus provinciales moriatur, licere Presbyterio in demortui locum, usque ad sequentem synodum, aliquem substituere. 7 Præsidem Presbyterii obnoxium fore provincialis Synodi censuræ, ut si negligentior deprehendatur, aut in collegas usurpare, officio suo deprivetur. 8 Synodi provincialis præsidem in potestate fore generalis Synodi, ut si quid remittat, aut usurpet, eodem modo deprivetur. 9 Omnes presbyteriorum, & provincialium synodorum præsides, ut membra, generalibus Conciliis adfuturos, & rationem administrationis reddituros. 10 Præter præsidem, & scribam, licere Presbyterio duos, aut tres legatos ad concilium mittere, secundum acta, & consuetudinem Ecclesiæ. 11 Presbyteriales, parochiales, provinciales, & nationales conventus, quod ad cœtera, antiquum jus retenturos. 12 Præsidem generalis synodi more solito communi suffragio eligendum. 13 Si qua in provincia nullus sit cum jure suffragii Commissionarius, aut ibidem præses Presbyterii, ex presidibus Presbyteriorum Præsidem Synodi provincialis electum iri, consentiente Regis Commissionario, si forte adsit.

Hæ cautiones factæ sunt in fraudem antiquæ libertatis, Non licere jam amplius presbyteris aut Synodis provincialibus castigare suos præsides; Electionem prius liberam, iam obnoxiam esse quorundam Commissionariorum consensui; Præsidem, & scribam necessario, ut legatos suos ad nationale Concilium, à presbyterio agnoscendos. Atque hæc omnia contrà quàm cautum est in parliamento Edinburgi habito anno 1597.

Hos

Hos præsides tamen Presbyteria non admiserunt, nisi coacti libellis proscrip..onem minantibus. Neque enim agnoverunt conventum illum pro legitimo: quia contra Ecclesiæ ordinem, & receptam consuetudinem convenerunt. Synodi autem provinciales nulla vi cogi potuerunt, ut impositos sibi præsides agnoscerent. Non solùm quòd conventum illlum pro illegitimo haberent; sed etiam quòd decreti partem illam supposititiam esse arguerent. Idque testati sunt coram Synodis, qui ibi convenerant. Fuerunt & alia ficta; Prçsides provincialium synodorum, & presbyteriorum interesse debere conciliis generalibus, ut membra constituentia: Commissionarium, qui cum jure suffragii, prçsidem designandum Presbyterio; & quç ubique miscentur de præside Synodi Provincialis: Nam de his altum silentium erat. Ego tamen omnia prius retuli, sicut ipsi exhibuerunt, ut etiam ficta in eos retorqueantur, secundum illud, *Ex ore tuo te judico.*

Hac, quantum volebant, non successit, aliâ igitur aggressi sunt viâ. Armati potestate celsioris, quam vocant commissionis, ut ministros officio exuant, excommunicationem decernant, mulctas imponant, pro arbitrio incarcerent: id est, ut faciliùs omnes opprimant.

Curarunt quosdam ministros à conventibus Ecclesiæ arcendos: & acquisita sibi potestate, reliquis terrorem injecerunt. Atque ita in conventu Glasguæ habito anno 1610. terrore, insidiis, aliisque artibus nimis notis, potestatem instituendi & destituendi pastores, excommunicandi, visitandi, præsidendi in synodis suis Diocesanis, similiumque, sibi solis reddiderunt ob-

tamen protinus violarunt. Hic etiam conventus contra ordinem, & receptam consuetudinem convocatus est & nullus habetur.

Paulò post quidam eorum in Angliam profecti, in novam potestatem consecrati sunt, nescio, nedum consentiente, aut mandante illo ipso conventu: reversi alios consecrarunt: consecrati vero omnes, desertis gregibus, novo modo cœperunt imperare: quod promiserunt Presbyteriis, & Synodis obsequium, in tetram dominationem commutarunt: Presbyteria & Synodos potestate exuerunt: Sese ab Ecclesiastica censura exemerunt: percutiunt pastores, & dissipant greges. Atque hæc omnia contra decreta Ecclesiæ, acta Comitiorum regni, Confessionem fidei, fidem datam, cum admissi fuerunt ad ministerium, sanctum & solenne fœdus, de quo supra, ipsorum protestationes, cautiones & leges, quas ipsi ut justas agnoverunt, quas indies, tanquam legibus soluti violant.

Ex his orta non tantum fraternæ unitatis divisio, regiminis Ecclesiastici confusio; sed etiam consilia, & conatus in sacramentorum ministratione multa mutandi, festorum observationem, & similia invehendi. Cum hactenus de rebus Ecclesiæ, gravi in Synodis & maturo consilio deliberaretur; jam temerè sine consilio ad nutum paucorum nova invehuntur, & graviora prorsus negliguntur.

Ex his, quæ diximus facile videre est, nullum istorum Episcoporum genus ab Ecclesia nostra laudatum: contra à nobis non semel damnatum esse: Tertium vero genus dolo magis, quàm consilio surrepsisse: auctoritatem, quam vi usurpant, vi exercere: sinceriorem partem, quæ minima non est, adhuc

occlamare:


occlamare : reliquos invitos , nec sine murmure succumbere.

Date veniam brevitati, quod si forte brevitas obscuritatē peperit, a vobis moniti, prout Deus dederit, obscura in apertam lucem proferemus, & dubia solvemus : si quid libet præterea scire, quærite, & intelligetis, non deerimus vobis. Cavete ab hominibus. Probate spiritus : Deum oramus Opt. Max. ut his temporibus vos ; vos item orate, ut nos corroboret, & contra hæc mala virtute sui spiritus muniat.

(* * *)

V. Observantiss.

Hieronymus Philadelphus.





Spotſuodi Epiſcopi παρονομασία a *Spot* quod Scoticè eſt labes, & *Wood* quod eſt ſylva.

A Labe & ſylva Spotſuodus Epiſcopus ortus,
Præfert ingenii triſtia fata ſui.
Furtum ſylva tegit, labes pulchra omnia fœdat,
Nil furto & fœdo nequius eſſe poteſt.
Ergo pedum fractum periura fraude reſarcis,
Et Chriſti ſponſam perfide labe notas?
Quoſque bibis fumos, avida quod fauce Lyeum,
In ſacros cœtus impius ore vomis?

N. N.



EPI-

EPISTOLÆ PHILADELPHI

Vindiciæ contra calumnias *Iohannis Spotſvodi* Fani Andreæ Pſeudo-archiepiſcopi.

Authore Anonymo.

Candido lectori Salutem in Christo.

CVm legati undique accerſerentur ad Synodum Dordrechti celebratam anno 1618, & à nobis nulli mitterentur, inceſſit ſuſpicio id de conſilio Epiſcoporum fieri; vt per abſentiam noſtram exemplo noſtro ad ſuum ordinē aliis Eccleſiis commendandum vterentur. Huic malo vt occurreret Philadelphus, qua eſt pietatate & prudentia, epiſtolā ſcripſit, ut eos, qui illuc convenirent, doceret, qui fuiſſet ſtatus Eccleſiæ noſtræ, & quibus artibus apud nos oppreſſa libertas Evangelica, ne videremur tanto flagitio teneri, & ſponte diſciplina verè Chriſtiana ceſſiſſe. Ad hæc Miſadelphus, Iohannes Spotſvodus Fani Andreæ Pſeudoarchiepiſcopus in libello quem inſcripſit, Refutationem libelli de Regimine Eccleſiæ Scoticanæ, *ita reſpondet, vt, quod narratur, fugiat, & diverſam inſtituat hiſtoriam, neque ad rem neque verā. Philadelphus ex libris de Diſciplina & Actorum Synodaliū tabulis authenticis ſua fideliter depromit, & pluriū annorū praxi confirmat. Miſadelphus verò cauſam cū cauſa vel teſtimonia cum teſtimoniis nuſquā componit, nec Philadelphi hypotheſibus alias opponit, ſed à ſtatu cōtroverſiæ de miniſtrorū & conventuū generibus, vt ſcopulo divertens, ad convitia & calumnias delabitur, & tumultuū aulicorum originem & culpam in Eccleſiam, conventus Eccleſiaſticos, aut viros pios de Eccleſia optimmerit os transfert. Debacchatur in zelum populi, in fidem & conſtantiam ſervorum Dei, in optimè ſtabilitum, & fæliciter adminiſtratum Eccleſiæ ordinem, & reformatæ religionis venuſtatem & dignitatem atro felle conſpurcat. Nec patribus noſtris, nec patriæ, nec vivis nec mortuis, reformatæ*

religionis assertoribus primis partit. Quæ de coniuratione Ruthueniana refert, de Andrea Melvino, Davide Blackio, Roberto Mongomerio, ecclesia Lucherana, tumultu Edinburgeno, Hispano quodam, & id genus alijs, quàm vera sunt, suis locis videbimus. Sed qualiacunque sunt, contra Philadelphi epistolam nihil faciunt. Ecclesiam nostram probasse episcoporum regimen, aut legitimo ordine fuisse restitutum, aut etiamnum probare non probant. Qui calumnijs nos incessit, is est, qui etiam de gradu deijcit, victu exuit, exilio a gregibus & familijs multat: ad summam crudelitatem nihil reliqui facit, nisi quod miseram vitam, ut miseriam sentiatiamus, relinquit. Neque hanc patitur persecutionem dici, quod tamen genus persecutionis, vt quavis morte miserius Iulianus in Christianos exercuisse dicitur. Quin lenitatem vocat, minaturque ad severitatem descendere, vt malo docti discamus sapere. Si suæ scholæ fieret discipulus, sentiretque, quam laudat, lenitatem, aliud sentiret & diceret. Cum plebs indignitate rei tacta exclamat, flagitium esse innoxios homines ob nullũ facinus ab aqua et igne, desertis liberis et vxoribus excludi, excusant ille et alij coepiscopi se nolle factum: si auderent libenter velle parcere: sed eam Regis esse voluntatem; parendum illi esse necessariò. Nulla hic tamen esset necessitas, si tenui sorte contenti paritate colere cum fratribus vellent. Nihil illis satis est, nisi opibus cum principibus æquentur, honore, non tantùm æqualibus, sed longè melioribus præluceant. Nam, si virtutem respicias, quis Iohannem Spotsuodum cum non paucis, qui tenui sorte contenti nihil altius petunt, vel ingenio, vel doctrina, vel moribus comparet, quæ præcipua ministrorũ laus, quos ille, qua nunc est superbia, pro misellis ministellis præ se cõtemnit. Dedicavit principi Carolo libellum istum de rebus Ecclesiæ Scoticanæ latinum et græcis quasi stellis distinctum, quem omnes scimus græcè nescire, latinè vix scire, nedum posse tam latinè scribere. Sed non est mirum mentitis (medici cuiusdam ut audio) pennis niti mendaciorum consarcinatorem. Ad singula quæ contra nos adfert, respondeo, id est, quod præter causam, pro causa, contra conscientiam dicitur, sive falsum sive alienum sit. Tu vale, lege sedulo, pende serio et iudica sinceerè.



EPISTOLÆ

PHILADELPHI VINDICIAE.



Xordiar, inquit Misadelphus, *ab insigni eius mendacio. Ait enim, Ecclesiam nostram post primam reformationem, quatuor solum ministrorum ordines agnovisse, pastorum videlicet, Doctorum, Presbyterorum (Laicos intelligit) Diaconorum. Quum in ipsa renascentis Ecclesiæ infantia, creati fuerint Superintendentes, quos vocant, cum amplissima potestate, ministros ordinandi, castigandi, exauctorandi varie pro delicti qualitate.* Philadelphus refert initio reformationis selectos fuisse quosdam ministros, quibus data in designatis sibi provinciis ad tempus potestas sacra administrandi, auctorandi & exauctorandi pastores, & hos superintendentes vocatos fuisse. Vides non ignorasse Philadelphũ in ipsa renascentis Ecclesiæ infantia creatos fuisse Superintendentes cum potestate auctorandi exauctorandi, nec præteriisse, sed bona fide retulisse. Cum igitur asserit Ecclesiam nostram post primam reformationem, quatuor ministrorum genera agnovisse de perpetuis & ordinariis functionibus loquitur. Nam cum dicit Superintendentibus *ad tempus* datam potestatem in designatis sibi provinciis auctorandi,&c. satis disertè distinguit inter temporariã Superintendentium & perpetuas functiones Pastorum, Doctorum, Seniorum, & Diaconorum; inter administrationem ab Ecclesia institutam, & functionẽ divina authoritate ordinatam. Nam & Evangelistarum munus temporarium erat, authoritate tamen divina & vocatione extraordinaria munitum. Superintendentes quid aliud quàm ministri ampliori præ aliis potestate aliorum cessione voluntaria instructi: Episcopi functionem suã esse stabilem, & perpetuã jactitant, institutione divina ab Apostolorum temporibus per continuam successionem ad eos derivatam, non voluntaria presbyterorum cessione collatam, & jure divino differre Episcopum à Presbytero potestate ordinationis & jurisdictionis. De Superintendentibus non ita senserunt religionis reformatæ instauratores. Nam in libro de disciplina edito anno 1560 anno primo publicæ & universalis reformationis capite de Superintendentibus habentur hæc verba. *Æquum duximus enarrare rationes, quibus adducti sumus ad constituendum hisce temporibus*

Quatuor solum genera ministrorum agnovit ab initio Ecclesia nostra.

temperi-

temporibus discrimen inter Cócionatores, & quot Superintendentibus opus esse judicamus. Ne forte Nobiles aliique Senatores quorum concilio exhibitus liber ille, suspicarentur, illos in ipso limine reformationis publicæ resiliisse ab ea doctrina, quàm aliquot ante annos in privatis ædibus aut locis, ex eorum ore exceperant, de Superintendentium electione, administratione, sustentatione, depositione dicturi, pauca præfantur, & præsenté rarum statū suadere discrimen aliquod constituendū, & superintendentes instituendos ostendunt. *Si enim*, inquiunt, *ministri eximiis donis à Deo locupletati particularibus quibusdam ecclesiis omnes addicerentur, regni pars maxima concionū beneficio destitueretur quo non solum obmurmurandi materia subministrabitur, sed etiam multorum salus periclitabitur.* Cum messis esset magna, operarii pauci, pauci qui docerent, multi qui docendi, visum est quibusdam ministris negotium dare obeundi regiones ceu provincias illis assignatas, evangelium prædicandi & ecclesias constituendi, quibus non licebat per librum de disciplina ultra diem vicesimum aliquo in loco hærere, nec ad sedem regionis primariam reversis, ibi cōsistere vltra tres aut quatuor menses; sed denuo provinciam suam obire oporrebat, & tribus vicibus singulis septimanis conciones habere. Hæccine satis arguunt Superintendentium munus non fuisse illorū judicio ordinariam vel perpetuam functioné, aut divino jure illis peculiaré, acsi divino jure liceret Superintendentibus quædam facere, quę presbyteris attingere nefas, sicut nunc episcopi sibi vendicant ordinem distinctum ab ordine presbyteri, cumq; jure divino institutum. Nonne Iohannes Cnoxius, qui in numerum illum cooptari constanter renuit, Iacobum Lowsonum, successorem sibi designatum auctoravit. Miladelphus id genus officii pro ministerio, eosque pro ministris habitos colligit ex eo, *quod in ministrorum ordinem antè cooptati ad hoc προσταίως munus solennibus auspiciis destinabantur, destinati eligebantur, electi functionem inibant.* Non sequitur habuisse eos pro ordinariis aut perpetuis ministris, vel à Deo institutis. Nam etiam humanitus institutos & ad tempus, solennibus auspiciis destinare ad hoc opus potuerunt. Cum Paulus & Barnabas Antiochia Syriæ emissi ad opus, ad quod vocati sunt à spiritu sancto, cum precibus & impositione manuum commendati sunt gratiæ Dei, non tamen ad novum aliquod munus aut ministerium vocati sunt. Nihil vi huius impositionis manuum potuerunt efficere, quod non prius potuerunt. Non mirum igitur, si Superintendentes in ministrorum ordinem antè cooptati, ad Superintendentis munus evecti, nonnisi præeunte electione, & publicis precibus inirent functionem suam. Nam ardua, quam suscepturi erant, provincia. Nulla tamen hîc impositio manuum, ut videre est in ordine & forma electionis Superintendentis præfixa psalteriis nostris, ubi Iohannes Cnoxius concionem habuit, preces

concepit,

concepit, & quæstiones proposuit, manus non imposuit, cum auctoraretur in hoc munus Iohannes Spotsuodus minister ecclesiæ Calderanæ pater istius Spotsuodi. Non ibant ad Papam aut Episcopos Anglos, quod novi nostri Episcopi fecerunt, ut dignitatem episcopalem ab Apostolis scilicet derivatam & continuatam induerent. Nec alia forma aliisve ritibus inaugurati sunt quàm Ministri, eademque forma præscripta fuit in Liturgicis præfixis psalteriis nostris. Illud enim caput inscribitur à *forma superintendentis aliûsue cuiuslibet ministri eligendi.* Dic mihi, Misadelphe, num senserint Superintendentem vi huius muneris potuisse quid efficere, quod vi ordinis sui non potuit Presbyter? Num manus imponere ordinandis, quod ut maximè proprium sibi vendicant episcopi, aut, quod idem consecrare precibus seu sacrare Deo & inaugurare ordinandum. At contrarium sensisse jam docuimus. Si nihil proprium ratione alicuius ordinis diversi aut distincti, non diversum ordinem agnoscebant, etsi eminenter præ aliis, quia sic temporis iniuria cogebat, ut illi iudicabant, potestate ea quæ pastoribus communis est, præ aliis instruxerunt. Ipsa institutionis causa ceu occasio, de qua jam dictum, arguit non habuisse eos Superintendentes pro quinto genere aut ordine Ministrorum, quos Deus constituit in Ecclesia.

Episcopos tum sedentes, inquit, *Pontificijs erroribus addictos intutum videbatur ius ecclesiasticum exercere, eatenus tamen honor est habitus, ut licet ab ista muneris sui parte arcerentur (ne quid religio detrimenti caperet) indulti redditus, & sententiæ dictio in Ordinum conventu vita durante permissa.* Nullum jus unquam in ecclesia habuisse istos censuerunt, nedum eatenus honorem illis habendum, ut reditus indulgerēt, & sententiæ dictionem in Ordinum conventu permitterent. Nam ista in Ecclesiæ manu non fuerunt, tantum abest, ut illis indulgeret. Neque civilis illos status libenter tulit. Nam cum anno 1561. legatus Gallus à conventu ordinum petiisset, ut Episcopis sui reditus redderentur: responsum est fures & ventres otiosos, qui non dignarentur pascere, indignos esse pastu. Si Episcopos Pontificiis erroribus addictos jus ecclesiasticum exercere non permiserunt, solùm quia intutum videbatur, & ne quid religio detrimenti caperet, cur Episcopis orthodoxis hanc libertatem denegarunt? *Quotquot autem*, inquit, *à puriori cultu non abhorrebant, eis ius vtendi fruendi Episcopatuum fructibus, & privilegiis omnibus iurisdictio etiam, quam antè vsurpabant, quatenus religionis incolumitas pateretur, continuata.* De fructibus jam dixi non fuisse in manu Ecclesiæ. Iurisdictio autem continuata est, ut dicam. Alexander Gordonius Gallouidianus, & alio nomine Atheniensis episcopus, à nationali Synodo 5 anno 1562 petivit, ut sibi liceret suis Gallouidianis superintendere. Id ille, si continuata prior jurisdictio

Episcoporum primi generis iurisdictio non continuata.

Pag. 3.

Pag 4.

 fuisset

fuisset, frustra petivisset. Sed ne id non sit satis argumenti: repulsam tulit, quod non fuisset ordine, quem Senatus decreverat, electus. Vnde perspicuum est, priorem eius vocationem ecclesiæ nostræ nullam fuisse. Quin & ipse fassus est, petivitque multa ambitione eadem Synodo, ut de eo cum Roberto Pontano ministro Caledoniensi ordine statuto delectus fieret. Sed cum Cnoxius, qui eò cum Pontano profectus est, subsensit eum omnes Nobiles, & eos, quorum intererat, ambivisse, ut ratio sui haberetur: delectum in aliud tempus rejecit, Pontanum apud tutorem Maxwallij reliquit, ut de facultate sua exemplum daret. Cumque ad suffragia ventum est, nulla habita ratione prioris iuris episcopus iterum repulsus est. Certum est ergo hinc, si quid in rebus humanis certi est, horum vocationem priorem, etsi ad nos transirent, nunquam esse habitam pro legitima. Denique si legitimam censuissent episcoporum vocationem aut functionem, alios surrogassent Episcopis erroribus Pontificiis addictis. Sed cum profiteantur se non nisi inuitos & coactos rerum statu præsente discrimen inter pastores constituere, testantur se episcopos pro ordinariis & perpetuò necessariis ministris non habuisse, nec Superintendentes animo surrogandi Episcopis Pontificiis constituisse. Ex his liquidum est, quàm vera sint quæ sequuntur. *Vnde perspicuum cuivis esse potest,* inquit, *vindices fidei præsulum functionem necessariam & vtilem iudicasse, tantum abest, vt calculo suo condemnarint, cum & præsules, qui se orthodoxis adiungebant, tolerarint, & contumacibus, & obstinatis alios cum potestate Episcopali surrogaverint.* Vtrunq; falsum. Nam eo fine Superintendentes non crearunt, ut eos obstinatis & contumacibus Episcopis surrogarent. Verum ideo instituti Superintendentes, ut dispicerent & crearent operarios in messem Domini, & ipsi quia magna erat operariorum inopia, operarentur, non uno in loco, sed passim per provinciam sibi assignatam. Nam cum omnia papisticis tenebris involverentur, populusque ubique mirifico audiendi & discendi studio flagraret, durum videbatur, paucos quos habuit pastores, paucis ecclesiis dare. Itaque conventui visum est (nam etiam tum conventus agebant) aliquot idoneos viros eligere, quibus daretur munus relicta ecclesia, cui præcipuè addicti, aliquot mensibus ad iter oportunis annuatim regiones obeundi, idoneos ad docendum dispiciendi, & quibus res poscebat ecclesijs illos preponendi. Præsules qui se Orthodoxis adiungebant, tolerarunt, sed jurisdictionem episcopalem continuari non permiserunt. Philadelphus ut probet Ecclesiam nostram quatuor solum genuina ministrorum genera agnovisse, testes citat libros de disciplina. Misadelphus dicit manifestè fucum facere Lectori. *Vult enim,* inquit, *vtrunque eundem videri quum dissimillimi sunt, vt ex vtriusque collatione in præcipuis articulis cuivis apparebit.* Enimvero hic Episcopus fucum

Pag. 4. & 5

Pag. 5.

cum sibi facit, ut nec quid dicat, videat, nec ad rem loquatur. Neque enim, quia duos citavit, vult unum videri: neque quod duo aut unus sunt, quidquam facit, ad id quod de ministrorum ordinibus auctor dixerat. Nec fucum fecisset, etiamsi eundem auctiorem dixisset. Nam mutatis mutandis, quæ de Superintendentibus habentur & lectoribus in priore libro, functiones perpetuæ Pastorum, Doctorum, Seniorum Diaconorum, & conventuum ecclesiasticorum ordo & jurisdictio distinctius explicantur in posteriore. Pergit Misadelphus & librum priorem à Senatu rejectum probat. *Quod autem ait libellum primum Senatusconsulto comprobatum, malè ei cum Cnoxio convenit: is enim historiæ suæ lib. 3. fol. 502. auctor est à Senatu rejectum, & nonnullis illius ordinis, Devotæ mentis somnia, cum convitio nuncupatum.* Non dixit Philadelphus librum primum Senatusconsulto comprobatum, sed Senatus auctoritate editum. Ex præfatione liquet Senatus iussu compositum. Et cum exhibitus, licet à nonnullis qui disciplinæ jugum ferre non poterant, vel quod bona ecclesiæ, quæ invaserunt, ut restituerentur ægre ferebant, rejectus sit, tandem tamen 17 Januarii Senatusconsulto, quod extat ad finem libri unà cum nominibus subscribentium numero 27 comprobatus est. Si nulla disciplinæ forma publicum consensum illis temporibus meruit, præter eam quæ unà cum confessione fidei Psalteriis nostris præfigitur, ut vult Misadelphus, cur tantopere satagit, ut Superintendentibus successisse probet episcopos, qui nunc rerum potiuntur. Nam de electionis forma ibi agitur & officio in genere, de potestate ministros ordinandi, castigandi, exauctorandi, in specie nihil dicitur. Pag. 6.

Hinc, inquit Misadelphus, *ad gubernationem ecclesiasticam descendens, quatuor nobis sacrorum cœtuum genera enumerat. Nationale, Provinciale, & Presbyteriale & Parochiale, quæ ecclesiam nostram ab initio celebrasse innuere videtur, licet Presbyteriale, cui præ cæteris mirum quantum addicti sint Puritani, ecclesiæ nostræ prope 26 annos à restituto cultu divino non agnoverunt.* Ad verba auctoris solenni sibi arte addit *ab initio* sine quo auctoris verba nihil habent, quod mendacium videatur innuere, ut ipsius verbis utar. Hic te candide lector appello, à Deone an Diabolo hanc artem didicerit Episcopus. Nam verba auctoris neque priora neque hæc tantam exclamationem merentur. Nam verissimum est, quod auctor dicit nostram ecclesiam totius rei ecclesiasticæ curam conventibus semper tribuisse, neque ulli uni tantam fidem habuisse. In numero conventuum, an semper ab initio quatuor, non versatur tantò quæstionis, ut hæc nihil aliud quam calumnia sit præter scopum. Quod autem dicit mirum esse, quantū Presbyteriis nostris (classica non paræciana intelligit) præ cæteris conventibus addicti sunt, mira fingit. Nam qui statum nostrum compertum habent, sciunt nos primas generali

Quatuor cõventuum genera in ecclesia nostra. Pag. 6. 7.

 rali

rali conventui, secundas provinciali, & tertias tantum presbyteriis tribuere, ut ab his ad illos sit provocatio. Presbyteria tamen, quia erant conventus ordinarii singulis septimanis celebrati, sine quibus canonos Synodales fuissent inutiles, corū conservatio nobis imprimis chara fuit. Sedne mendacia ejus persequar, vides sine eius additionibus auctoris verba esse utrobiq; vera, & cum eius additionibus non esse falsa, ut intelligas, quàm sordide sapiat qui, quod reprehēdat, fingit, & quod fingit caret mendacio. Quod dicit Presbyteria, classes alij vocant, ecclesiam nostrā prope 26 annos à restituto cultu divino non agnouisse, quàm verum sit, suo loco videbitis. Synodos fuisse fatetur, sed *quas superintendentes pro arbitrio regebāt*, quod sine fronte affirmat. Nam Synodus 4 anno 1562. decrevit, illos omnesque alios ecclesiæ ministros Synodo obnoxios fore: jussitque ecclesiis edici, ut si quid accusationis haberent, deferrent act. 3 Item 6 Synodus act. 5. decrevit, ut affecti iniuria ad provincialem synodum & Superintendentem provocarent, & ab illis, si non satisfieret, ad generalem, & in eius sententia acquiescerent. Consistoria itidem in singulis parœciis ex Senioribus, Diaconis, & ecclesiarum Pastoribus consistentia habuisse ab initio agnoscit, *sed qui omnes Superintendentis dicto audientes erant, sine cuius mandato, nihil ullius momenti abiis gerebatur.* Dicto audientes si intelligat monitis & consiliis auscultantes, non negabimus; si pro imperio gessisse omnia vult Superintendentes in consistoriis reformatarum & constitutarum ecclesiarum, & pro arbitrio decrevisse, quid faciendum, ut nunc volunt Episcopi, nunquam probabit. Presbyteria, (nempe classica) non negat ad illam formam primum designata, ut constarent ex Pastoribus & Commissionariis ceu Legatis particularium ecclesiarum suæ ditionis, sed negat unquam fuisse eiusmodi conventus in Scotia nostra, *sed quia periculum erat, ne tot laicorum vocibus Pastorum suffragia obruerentur res primum*, inquit, *hærere, deinde improbari, demum in usu esse omnino desiit.* Quando aut qua occasione Seniorum usus in classibus obsoleverit, non narrat Philadelphus. Non pastorum æmulatione aut metu, ut iste fingit, classibus abstinuisse Seniores à fide dignis audivi, sed sua desidia & negligentia.

Pag. 7. Pag. 8.

Pag. 8. Conuentuum concordia.

Sed nequeo, inquit, *impudentem hominis de horum conventuum concordia jactantiam admirari: quum in frequentissimis eorum comitiis contentiones, dissidia, & ἀταξίαν regnasse nemo non norit, ut in proverbium res abierit.* Hic *Nemo*, qui non novit nostrorum conventuum dissidia, adhuc non est notus. Et proverbium hoc, in quod res abiit, ante hunc Episcopuum suus *Nemo* audivit. Dignus hic *Nemo* qui tam apertè calumniatur, primi calumniatoris & numine & nomine. At testem Hispanum citat, qui in conventu nationali quem fortè vidit, cum nihil quod dicebatur, intellexit, macello patrio com-

comparavit. Dignus sane macello, & Hispanus ille,& hic Episcopus. Ille, qui de re non intellecta tam temere pronunciavit: hic qui tam vano testimonio,quod vanitatis suæ est certius, quàm ejus quod probet,signum,rem tantam putet labefactatum iri. *Quod solenne*, ait, *fuisse tumultuari, clamare, & de loco pugnare* (de verborum pugna loquitur)adeo nunquam visum fuit, ut quod verbo ille asserit, verbo ego negem. Acrius est ad calumniandum odium,quàm ad defendendum studium. De loco quorsum pugnarent, qui nulli erat honori,nulli dedecori. Equidem in conventu nationali vidi sæpius qui ex infimis subsellis, sententiam diceret gravissimam,& totum Senatum secum traxisse. *Quod solenne fuisse tumultuari, & clamare*, dicit, *ut Garganum mugire nemus credidisses, aut mare Tuscum*, falsissimum. Statim ut conventum est,post preces & concionem Præses, quem nos vulgo Moderatorem vocamus, exiens in delectum inituri nomina aliquot proponit. Latis suffragiis electus est novus moderator Hoc munus erat, ut sine ejus venia nemo loqueretur, importunis os obstrueret, cum deliberatur,sententias exploraret, si quis non rogatus haberet quod moneret, ut petenti veniam concederet, si quid in dubium vocaretur, duos per suffragia, qui disputarent, deligeret. Deinde si quisquam haberet, quod amplius objiceret,ut evocaret,& addere juberet: post disputationem,ut,utrum sit satisfactum an ampliandum,rogaret. Ex quibus liquet, quàm minimè licuerit tumultuari & clamare. Quod clamasse ait, forte ex eo calumniandi speciem arripit, quod quandoque consensum suum una quasi voce testati sint. Clamorē vocet, acclamatio tamen vel occlamatio vnanimitatis & concordiæ signum est. Ne vel uno exemplo demonstrare potuit convitiator iste, contentionem animorum. Sed discordiæ hujus luculentum in classe ceu Presbyterio ad Fanum Andreæ exemplum citat. Andreā Meluinum cum paucis, Robertum Valesium, reliquum collegium Patricium Wemium Lucheranæ Ecclesiæ pastorem designasse; Hancque controversiam eò exarsisse,ut fratrum unitatem dissolveret, alteraque pars Cuprum secederet. Quæ fabula ipsa se refutat; cum non pauci sed major pars cum Meluino in Fano hæserunt, Cuprumque summi ejus amici secesserunt. Et revera de hac re per cunctatus comperi Episcopum nihil aliud quàm contumeliam vomere. Presbyterium, cum de delectu istorum non conveniret, utroque præterito communi consensu tertium delegisse. Quod ad controversiam attinet, non raro fit, ut de donis hominum diversæ diversorum sint sententiæ. Illud certum est, nullum munus intercessisse, quod hos aut illos, huc aut illuc impelleret: Episcopos autem nostros, nunc non ita probare spiritus, sed eorum qui gratia aut pecunia primi sunt, primam habere rationem. Quod autem Presbyterium divisum fuerit, duas comperio causas, quarum neutra

Pag. 10.

tra hæc est, quam iste fingit. Prima quod numerus vicibus serò redeuntibus socordiam aluit: secunda, quod propter viarum incommoditatem & longinquitatem nimis justæ sæpe absentiæ excusationes texebantur. Pergit rabula. *Nec meliorem*, inquit, *animorum consensum in reliquis totius regni presbyteriis fuisse testari possunt, qui studia partium, artes, ambitus, jurgia in designandis moderatoribus Synodorum & Presbyteriorum præsentes oculis viderunt.* Hoc munus adeo non erat lucro aut honori, ut vitarent potius quàm captarēt homines. Præsides in synodis gener. erant annui, in provinc. & classib⁹ semestres. Vbi non philarchiæ locus nulla φιλαρχία. Sed, ut hoc caput concludam, verissimum est, quod auctor dicit, horum conventuum animam fuisse concordiam & sententiarum fraternam conspirationem ab omni dominatione & divisione abhorrentem. Quanquam auctor non hanc concordiam dixit animam nostrorum conventuum fuisse, sed unam omnium de doctrina & disciplina sententiam, quæ ante hæc genii ventrisque mancipia ita una fuit, ut nemo unus in tota Ecclesia Scoticana, aliud, quàm publicè decretum fuit sentiret.

Superintendentium operam inutilem esse non dixit Philadelphus. Auctor distinctè dicit inopia commeatuum factum, ut Ecclesia quosdam Episcopos primi generis in Commissariorum, quos vulgo Commissionarios vocamus, numerum fuisse cooptatos: illosque partim læsæ majestatis insimulatos, partim judicum civilium munus suscepisse, omnes officium deseruisse: ut illorum opera Eccclesiæ plus detrimenti, quàm emolumenti attulerit. Hæc verba ita diserta, ut nemo aliò quàm ad Episcopos illos, de quibus disertè loquitur, traheret. Hic suo more corrumpit; & pro *illorum opera*, *omnium opera* supponit, ut ad Superintendentes, de quibus quinta sectione supra auctor loquebatur, extenderet, & in illorum laudes, à quibus suum ordinem derivare nititur, excurreret. *Intra paucissimos annos ab inchoata reformatione adeo omnes papismi fibras evulsisse, ut vix reliquus esset, qui se Romanensem profiteretur.* Provide sanè masculino genere loquitur. Nam constat Reginam ad ultimum spiritum eam professionem tenuisse. Sed quis credat vix reliquum tum in Scotia fuisse, qui Reginæ gratiam captaret, qui hos homines videret in Regis gratiam dicere & facere omnia. *Sed miraculi instar videtur*, inquit, *quàm brevi per totam Scotiam Evangelii lucem diffuderint.* Quibus verbis reliquorum symmistarum laudem Superintendentibus vindicat, ut legentibus spem injiciat suum episcopatuum, quem ad eos refert, fore non minus fœcundum. Sed neque Superintendens istorum Episcopatum tenuit, neque tota hæc laus Superintendentium fuit. Nam in hoc negotio nemo nescit majorem Cnoxii quàm omnium Superintendentium laudem fuisse, qui tamen in Superintendentis munus nomen dare nunquam voluit. Nec hic omnia, quanquam omnium

Pag. 14.

Pag. 15.

Pag. 14.

primus.

primus. Erant alii non pauci quorum opera neque exigua neque inutilis in hac messe apparuit: ut omnes videant, quo hic animo ad quinque viros, neque eos omnes optimos, hanc laudem trahat.

Episcopi primi generis iurisdictionē non exercuerunt privilegio episcopatus.

Constat, inquit, *cum de provinciis perlustrandis orta esset consultatio, Superintendentes & Commissionarios in eas regiones immissos, in quibus Episcopi cultui pontificis Romani mordicus adhærebant. Ditionibus autem suis administrandis, quia præsules orthodoxi sufficere videbantur, nomina in album visitatorum relata.* Duo hîc sine auctore asseruntur. Superintendentes &c. Papisticis tantùm Episcopis submissos esse: & orthodoxos visos ad suas ditiones administrandas sufficere. Quorum neutrum verum est. Actum est, ilicet, Episcope periisti. Sed, ut lector videat, quàm parva fides istis sit, qui de victoria non de vero certant: Cum de provinciis perlustrandis prima orta est consultatio: constat duodecim Superintendentes designatos esse, id est uno pauciores quàm erant olim Episcopi, ut aut omnes tum Episcopos præter unum oporteat in antiquo luto hæsisse: aut provinciis etiam eorum, qui lucem amplexabantur, designatos esse Superintendentes. Orthodoxos autem non visos suis ditionibus administrandis sufficere, probat quod de Alexandro Gordonio dixi, cui negatum est in sua Diœcesi superintendere. Neque is episcoporum illius generis erat ultimus, quippe qui non rarò concionabatur, & non indoctus habebatur. At cum propter inopiam stipendiorum nunquam possent plures quàm quinque Superintendentes expleri, cognitumque esset experientia non necessariam esse eorum operam: inita illa ratio, qua minore sumptu & incommodo idem officium præstaretur. Synodo 5 anno 1562, selecti sunt ex ministris, qui ad eam operam videbantur maximè idonei, qui pari potestate cum Superintendentibus regiones obirent, ecclesias restaurarent, ministros dispicerent, & inaugurarent. Hi Commissarii quibus hæc cura commissa, vulgo Commissionarii vocabantur, singulisque synodis ratione diligentiæ suæ reddita officium deponebant, & aut ipsi rursus nova potestate restituebantur, aut alii instituebantur. In hunc numerum cooptati sunt aliquot episcopi eorum, qui ad causam reformationis accedebant, eisdem legibus. Unde perspicuum est non permissum fuisse illis antiquam iurisdictionem, quod hic sine fronte non semel affirmat, exercere.

Gordonius Episcopus primi generis perduellionis damnatus.

Dixerat Philadelphus paucorum illorum episcoporum primi generis quosdam in collegium civilium iudicum cooptatos, quosdam læsæ majestatis insimulatos, omnes officium neglexisse. Primum non negat, sed ab episcopi officio neutiquam alienum esse asserit. *Ministros etiam plerosque novimus*, inquit, *id munus non sine Ecclesiæ consensu & magno pauperculorum fratrum commodo obivisse*, dicit

Pag. 19.

dicit non probat. Iurisdictionem civilem in ministris Evangelii Ecclesia nostra nunquam probavit: Pater istius Spotsuodi auctor fuit Synodo ut canonem conderent jurisdictionem civilem ministris interdicentem. Quod Christus negat esse officii sui, id isti neutiquam ab officio suo alienum putant. Si salutem animarum, quibus custodes sunt appositi, curarent, si judicium Dei minantis se ab illis peccata civitatis repetiturum non flocci facerent; unius gregis curam putarent esse nimiam: nedum ut, cum omnes greges totius provinciæ demandari sibi volunt, civile judicium, quasi leve sit quod portant onus, superaddant. Sed nihil ab Episcopi officio alienum, modò pingue lucrum inde paretur; non cloacas purgare. Nam isti eò videntur omnia collimare sua studia. Sed *de maiestatis*, inquit, *crimine, quæ affert, non capio, nisi forte Gordonium candidæ casæ Episcopum intelligat, quem preces pro Reginæ matris salute concipere, cum ægrè ferret adversa factio, facilè erat perduellionis insimulatus* (insimulatus scilicet ac si nefas esset damnare) *cuius pietatem in principem boni potius laudassent, nec homini de illa causa litem movendam judicassent.* Vt hîc hominis ingenuitatem & sinceritatem spectetis: fuit gens nostra divisa bello nimis justo. Altera factio regis qui nunc est, pueritiam tuebatur: altera pro matre stabat, à qua illi ob facinus nimis notum defecerant. Bellum erat utrinque satis atrox. Ad Reginæ factionem ex omnibus, quod sciam Ecclesiasticis, solus hic Gordonius se adjunxit: Illis sacra administrabat, & non solum pro Regina matre (quam hic solam facit causam cur majestatis deprehenderetur) preces concepit, sed adversam factionem ad bellum animabat, justum esse, pium esse, & necessarium: eum qui regis avum per summũ nefas captum crudelissimè occidit, pro concione laudavit, & præter aliam vitæ fœditatem multa hostilia contra regiam majestatem designavit. Hoc quod dico lippis & tonsoribus ita notum est, ut ipse hic ejus patronus, quamvis egregiè videas impudentem, non ausit negare: ita iniquè agit, ut scelus, quod in ejus crimine fuit tacitus prætereat; quod excusando mitigari possit, pro scelere damnatum esse asserat: pietatem ejus in Reginam laudandam dicat, impietatem in Regem tum puerum ejusque avum ignoscendam.

Pag. 20.

Ad Superintendentes semper provocatum fuisse falsum. Pag. 21.

Quia videri vult suum ordinem à Superintendentibus derivari, ne perfidiæ reus agatur, quod ad gradum ab Ecclesia nostra damnatum remeerit: illis nititur omnem, quam ipse arrogat potestatem, vindicare. *Pastores ordinare & confirmare, conventus moderari, præfractos sacris arcere, à ministerio ad tempus aut in perpetuum summovere, partes sunt*, inquit, *jurisdictionis Ecclesiasticæ, quas Superintendentes non adscitis ministris exercuisse extra controversiam est.* In quibus verbis falsa veris ita miscet, ut vix distinguas; vera ita ambiguè narrat, ut si quid reprehendas, habeat quod excuset; ita falsa asseverat,

ut

ut m orementientium, credat asseverando se posse fidem facere. Pastores ordinare & confirmare, prefractos sacris prohibere, à ministerio indignos submovere illis à conventu datū fuisse verum est: ex officio ordinario potuisse falsū est: non adhibitis aliis ministris hæc exercuisse, est falsissimum. Synodo 4 ann. 1562 Superintendens jubetur in examine ministri adhibere proximam Ecclesiam reformatam, aliosque quos haberet opportunos viros doctos Act. 2. Item synodo 5 eodem anno Act. 4, permittitur Superintendenti in Synodo provinciali cum consensu synodi ab Ecclesia alia ad aliam ministrum transferre. Synodo 9 anno 1564, Act 1, decernitur, si qua quæstio inciderit, quæ præsentem manum poscat: ut statim in conventu disceptetur. Sin moram patitur, ad Superintendentem, cujus interest, referatur: isque, ut adhibitis ministris opportunis rem disceptet, rationesque hinc inde perscriptas generali synodo sequenti adhibeat, ut cognoscantur. Longum esset singula persequi. Hæc satis demonstrant, qua fide Episcopus asseveret *extra controversiam esse Superintendentem ista officia non adscitis ministris exercuisse*. Quod autem ait, *conventus moderari*, ad eorum munus spectasse, de generalibus conventibus, adeo non est verum, ut nisi delecti suffragiis, nunquam istud munus obierunt, & illis præsentibus ministri sæpius moderarentur. De conventibus provincialibus nihil comperti habeo, an ex officio istud munus ad eos spectarit, quia indicendi facultas illis concessa fuit. Hoc certum non habuisse potestatem suffragii negativi Superintendentem in Synodo provinciali aut judicis unici & singularis, sicut nunc sibi vendicat Episcopus in synodo Diœcesana. Nec propriè dicenda sunt concilia synodi Diœcesanæ, quia ibi Episcopus est unicus & solus judex adversariorum judicio. Presbyteri solùm assistunt ut consiliarii; imo sistunt se ut examinandi; & subiiciunt se inquisitioni Episcopi. In synodis provincialibus quæ Diœcesanis respondent (nam provincialem synodum nos vocamus unius tantùm vicecomitatus aut duorum conventum, non plurium diœcesium unius Archiepiscopi imperio subditarum) omnium sententiæ numerabantur & vim suffragii decisivi habebant, non minùs quàm Superintendentes. Ad vindicandum illis instituendi & transferendi ministros potestatem citat Synodum Edingurgi habitam 8 Calend. Ianuarii 1562 in qua non tantum omittit consensum ministrorum vicinorum, quos decretum illud jubet eos sibi conjungere, ut sententiam suam ratam facerent, sed disertis verbis ait extra controversiam esse Superintendentes non adscitis ministris illud jus exercuisse. Iterum ad vindicandum illis jus provocationis synodum citat Edinb. 7 cal. Iulii anno 1563, quàm juvenio Perthi non Edinburgi habitam, quam statuisse dicit provocationem à ministris & suis Presbyteriis ad Superintendentes, cum non simpliciter ad Superintendentes

provocandum esse statuitur: sed ad Superintendentem & Provincialem synodum: & ab his rursus ad generalem conventum, & in ejus sententia acquiescendum. Ad hoc etiam probandum in actis ait testatum esse Edinburgenam Ecclesiam ad Superintendentem Lothianum provocasse sæpius, cujus nullum testimonium reperio, neque illi sine teste credo, cum constet Cnoxium ejus Ecclesiæ ministrum multo majore fuisse auctoritate quàm illum Superintendentem istius Episcopi patrem aut quemvis alium. Hinc ex alia
Pag. 22, synodo eodem anno 8 cal. Ianuarii ait Superintendentibus datum esse, ut pœnas etiam Ecclesiasticas præscriberent, in qua synodo nihil ea de re reperio. Duo tantum ea habet acta, alterum de visitatione ægrotorum, alterum de sepultura mortuorum. At in ea quam deinde citat Edinburg. 3, cal. Iulii ann. 1562 decretum video ex sententia Superintendentis excommunicandos esse Presbyteros ceu Seniores, qui moniti non ferunt pastori suo in corrigendis populi moribus fidelem operam. At ibidem Act. 3. decretum est, ut omnes Superintendentes, Ministri, Seniores, & Diaconi generalibus Synodi censuris teneantur. In ea quæ in Decemb. anno 1565 habebatur, datum est Superintendenti, ut auctorem cædis ad statum diem & locum citet: sed sequitur continuò, si in oppido reformato cædes facta sit, citandi munus ad Ecclesiæ Senatum pertinere, neque Superintendenti licere sine ejus auctoritate quicquam statuere. Præter has, alias duas pro provocatione ad Superintendentes & Synodos citat, quæ nihilò magis pro illis faciunt. Nam in illis, ut in his, Synodis supra eos sua servatur auctoritas. Et quis credat hos à synodis accipisse potestatem supra Synodos. Cum illud ubique ratum sit, majorem esse eum qui alterum auctoritate donat, quàm eum qui accipit. Superintendentes diligentiæ in visitationibus, & suæ administrationis rationes Synodo Nationali quo-
Pag. 22, 23. tannis reddidisse fatetur. *Sed meminisse oportet*, inquit, *ad hanc synodum nulli ministro accessum tunc permissum, nisi quèm Superintendentes ipsi, rebus ibi disceptandis & dijudicandis idoneum censuissent. Atque ita rationem reddidisse, non vulgo ministrorum, sed Superintendentibus reliquarum ditionum & primoribus pastorum, quos ipsi istiusmodi cœtibus adhibebant.* Quid homini credas, qui quod dicat, nihil pensi facit Paulo ante in margine pro Superintendentis auctoritate citavit Synodum, quæ anno 1568, Edinburg. in Iulio habebatur. Ea, id quod asserit planè refutat. Antea cuicunque licuit conventibus interesse, suffragia rogabantur. Hoc quia visum fuit confusius, huic synodo placuit de jure suffragii statuere. Decrevit ergo, ne cui liceret suffragium ferre, nisi Superintendentibus, Commissionariis, quibus eadem potestas cum illis delegata fuit, & legatis provinciarum, Ecclesiarum, & Academiarum. Et quod hunc refutat, legatorum provincialium delectum à Nobilibus & ministris

ejus

ejus provinciæ in synodo provinciali fore: legatorum Ecclesiarum ab Ecclesiis suis, & civitatibus, à quibus deliguntur, ut mirer qua fronte iste audeat affirmare ex Synodo, id quod Synodus plane negat. Tantum est discrimen inter Superintendentes illos, & qui nunc dominantur Episcopos, quantum inter Gigantes & pumiliones. Differunt primum provinciarũ amplitudine. Vnus Episcopus Andreanus aut Glascuensis duorum Superintendentium provincias occupat, 2 electione; Episcopi imaginaria forma electionis sunt eligendi à decano & capitulo, non secundum canonem ullum Ecclesiæ nostræ, sed statutum nuperum Ordinum in comitiis. Ecclesia primaria provinciæ habuit facultatem delectum faciendi eorum qui in Superintendentis munus auctorandi erant. 3 examine; ministri provinciæ probaturi erant delectos, num ad Superint munus idonei essent, quod renuunt Episcopi. 4 ordinatione; Superintendentibus non opus erat consecratione per Metropolitani & trium Episcoporum χειροθεσίαν ut supra dictum. 5 Potestate ordinationis. Non Superintendentes solùm sed etiam alii ministri ordinem ministerii conferre poterant. Nunc Episcopi hanc potestatem sibi solis vendicant. 6 Potestate Iurisdictionis: Superintendentes singulari potestate ministros ex uno in alium locum transferre aut exauctorare non poterant; Episcopi hanc monarchiam usurpant. Reformatæ Ecclesiæ inconsultis Superintendentibus excommunicationis gladio ferire poterant cõtumaces, ut patet ex tractatu de excommunicatione, qui præfigitur psalteriis nostris. Episcopis inconsultis, vel non assentientibus jam non permissum Presbyterio classico vel sceleratissimum quemvis excommunicationis gladio abscindere. 7 Graduum subordinatione. Non erant Superintendentes alii generales, alii provinciales, Superiores aut inferiores, sed omnes pari consortio præditi honoris & potestatis. Iam habemus duos Archiepiscopos non solum Presbyteris sed etiam Episcopis simpliciter sic dictis superiores. 8 Subjectione; Superintendentes conuentui generali subjecti erant, & secundum normam libri de disciplina, Ecclesiæ primariæ & ministris provinciæ. Iohannes Spotsvodius istius pater, cum inauguraretur, professus est publicè se Ecclesiæ obtemperaturum, etiam hujus Ecclesiæ inquit, à qua ad hoc munus vocatus sum, & admonitiones tam publicas quàm privatas æquo animo accepturum, & nisi pareret, meritò ex Ecclesia expuendum. Episcopi censuris Ecclesiæ suæ Diœcesanæ ejusve ministris in unum convocatis subjici absurdum esse aperta fronte profitentur. Stata concilia Nationalia quibus subjectionem initio simulabant, edictis regiis & illorum consiliis primùm, deinde lege lata in Comitiis ordinum, Rege & Regiis adnitentibus sublata sunt. Itaque conventus generales ordinarios jam nullos habemus, qui in ordinem istos tyrannos cogant. Cum cele-

brant extra ordinem conventum totius Ecclesiæ, Archiepiscopis sibi prostasiam arrogant, & illi unà cum Suffraganeis suis tyrannico more dominantur. 9 Superintendentes cum munere suo Ecclesiastico civile non conjungebant: imo istius Spotsvodi pater pastoribus rerum civilium administrationem non competere palam professus est in conventu generali Iste illius filius & sacra & civilia tractat. 10 Superintendentes singulis septimanis sæpius concionati sunt non uno in loco hærentes, sed provinciam suam obeuntes: Episcopi in aula aut Senatu regio aliis negotiis implicantur, vel domi otiantur. Sunt qui annorum quinque spatio non ter viderint diœcesim suam. 11 Superintendentibus data administratio quædam ad tempus Ecclesia nascente, cum classes in tanta pastorum penuria constitui non poterant, & ad prædicandum potius quàm regendum instituti sunt, quia operarii pauci ut supra dictum. Episcopi Ecclesia ejusque politeia constituta, regimen invaserunt. 12 Superintendentes sæpius corã conventu generali abdicare se volebant eo munere tẽporario, quod certum signum est non judicasse Ecclesiam nostram fuisse ordinem peculiarem ministerii à Deo institutum. Episcopi per consecrationem accipiunt ordinem quendam quo se abdicare non possunt. Denique Superintendentes nonnisi Ecclesiæ consensu inaugurati sunt. Isti invita Ecclesia in Ecclesiam dominationem occuparunt.

Commissariorũ & Superintendentium par potestas.

Cõmissarii provinciarum, quos vulgo Cõmissionarios vocabant, mittebantur quò non erant Superintendentes, cum eadem potestate ordinandi & confirmandi pastores, à sacris arcendi & à ministerio summovendi, si quis indignus suo munere reperiebatur. Quod autẽ ideo negat parem cum Superintendentibus habuisse potestatẽ quia horũ munus fuit temporariũ, illorum autẽ cum vita durabat, differentia illa est tẽporis non potestatis. Sed operę pretiũ hîc est fallendi studium spectare, cũ quod de Cõmissariis affirmat, de Superintendẽtibus non audet negare; ita proponit, ac si de his esset verum de illis non itẽ. Verba libet adscribere, ut quibus liber fortassis non est ad manum (nam nescio qua cõscientia non patitur publicè venire) sinceritatẽ Episcopi videant. *Illorum*, inquit, *munus tẽporarium, nec ultra Synodum proximam durabat, acta etiam non prius confirmabantur, quàm cõventui probassent. Superintendentiũ longe impar ratio, solennia functionis initæ auspicia, potestas perpetua, nec viventibus, nisi gravioris culpæ cõpertis abrogata.* Solennia illa auspicia non alia fuerunt, quàm cujuslibet ministri, idque testatur libellus quẽ ipse citat pag. li. sui 3, cum psalteriis nostris conjunctus. Sed quis hîc audaciã hominis nõ notet, qui hoc ita narret, ac si neget Superint. reddendã fuisse rationẽ conventui, quod tamen superiori pagina concesserat. Superintendentes etiam hoc munere tẽporario sępe se abdicare volebant, quod nõ fecissent, si judicassẽt munus illud fuisse ordinariũ & ã Deo institutũ.

Pag. 23.

Hactenus

Hactenus de Episcopis primi generis, qui numero tres aut quatuor, quibus vetus jurisdictio non continuata, sed commissiariorum permissa potestas, eisdemque legibus definita. In libro de disciplina fundos & redditus Episcoporum, Deconorum, Archidiaconorum, Cathedralium ecclesiarum, & quas collegiatas vocant, in Scholarum & Superintendentium sustentatationem converti petiverunt. Anno 1566. Helveticam confessionem in qua Episcopatus pro humano commento habetur, chirographis suis comprobarunt. Th. Beza, cum intellexisset ex epistola Iohannis Cnoxi profligatum in Scotia pseudoepiscopatum rescripsit his verbis. *Sed & istud mi Cnoxe, te cæterosque fratres meminisse velim, quod jam oculis pene ipsis observatur sicut episcopi papatum pepererunt, ita pseudoepiscopos Papatus reliquias ebicureismum terris invecturos. Hanc pestem caveant qui salvam Ecclesiam cupiunt & quum illam in Scotia in tempore profligaris, ne quæso illam unquam admittas, quantumvis, &c.* Hæc scripsit anno 1571. Inter alia significaverat illi Cnoxus profligatum fuisse pseuepiscopatum. Hoc ipso tamen anno proceres quidam qui Episcopatus aliaq; beneficia minora invaserant, de jure suo dubitātes, episcopos invexerunt qui titulo benificij gauderent & ampliori stipendio, ipsis tamen reliquum intercipiendi jus concederent vel permitterent, quod in minoribus etiam sacerdotiis ut fieret, contendebant. Ergo Mortonus Marrio, qui tum vices Regis puerulí gerebat, auctor fuit, ut per Dunensem Comarchum Augusiæ Superintendentem virum nobilem synodum convocaret Letham. Qui eo convenerant septem viris aut ex illis quatuor quibuslibet ut cum Prorege & nobilibus, quot illi liberet adhibere, de summa rei ecclesiasticæ consultarent, potestatem delegarunt. Hi consenserunt, vt in veteres titulos ministri ex selectissimis surrogarentur. Hac auctoritate Mortonus Iohannem Duglassium capularem senem in Episcopatum Fani Andreæ subvexit. Post duos menses Synodus generalis ad Fanum Reguli habita quibusdam legatis dedit munus examinandi acta illius conventus, an cum sacris literis constarent. Eorum sententia in archivis non exstat: tantùm constat eius fidem etiam tum fuisse suspectam. Ac anno sequenti 8. id. August. Perthi vetera sacerdotiorum nomina ut parum Christiana explosa sunt. Deinde anno 1573. 8. etiam id. Aug. Iacobus Pattonus Caledonius Episcopus accusatus est, & Alexander Gordonius candidæ casæ Episcopus damnatus est. Et paulo post prid. non. Marc. Act. 1. Edinburg. decretum est, ut Episcopus Synodo obnoxius esset, nec ampliori potestate quàm Superintendentis uteretur; & Act. 4. nec sacerdotia nisi de consilio trium ministrorum conferrent. Hinc anno 1574. 7. id. August. decretum est act. 3. episcopos, Superintendentes & Commissionarios, si quid aut in officio aut doctrina aut moribus notaretur, neque admonitionibus corrigerentur, auctoritate nationalis Synodi exauctoratum iri. Deinde eodem anno

Episcoporum secundi generis ortus & occasus.

Ep. 79.

tio Non. Mart. cautum est. 5. Ne quis admitteretur episcopus, nisi prius à conventu probaretur, ne aula quemlibet obtruderet. In sequenti Synodo Edinburg. anno 1575. 8. id. August. de Episcopis, Superintendentibus, & Commissionariis variæ querelæ Cum decretum esset, ut de iis cognosceretur, Iohannes Duræus minister Edinburgenus protestatus est, ne illa cognitio fraudi esset iis quæ ipse multique fratres contra illorum officium haberent objicienda. Vnde datum Ioanni Cragio, Iacobo Lowsono, & Andreæ Melvino ex altera parte: Georgio Haio, Ioanni Rovio, & Davidi Lindesio contrà ut disceptarent & cognoscerent, an ex sacris literis ulla esset Episcopi qualem supra συμπρεσβυτέρους arrogant, auctoritas. Hi re candidè agitata respondent, adversante aula, quæ eo tempore pro Episcopis stetit, non esse tutum hanc Camarinam movere. Verum tamen quamvis ex scripturis non reperirent aliud episcopi officium, quàm ut doceret & cum Senioribus suis ecclesiam suam curaret: illa tempora poscere, ut quibusdam ex eo numero selectis viris detur negotium inspiciendi ecclesias, instituendi ministros, & rebelles castigandi de consilio proximorum fratrum regionis, quantum Synodus illis præscriberet. Hæc sententia pro tempore probata, sed tamen ut Commissarii ceu Commissionarii annuatim regiones mutarent, ne insolescerent, & supra collegas suos saperent. Deinde sequenti Synodo ex hoc decreto statutum, ut singuli episcopi ecclesias deligerent quas curarent. Divisæque sunt provinciæ quas Commissionarii inspicerent, præscriptæque leges inspiciendi. Nihilominus divisa gente in quatuor partes ex singulis electi sunt quinque viri præcipui, qui convenirent, hi Glascuæ, hi Andreapoli, hi Aberdoniæ & de politia cogitarent, deinde in commune sententias prid. cal. August. conferrent, & referrent ad Synodum generalem. Singulis postea Synodis delecti sunt qui disputarent & quærerent. Tandem anno 1578. liber secundus de politia ecclesiæ à Synodo generali comprobatus est. Inter alia inuentum est ex sacris literis pastoris supra pastorem nullam esse auctoritatem nisi solius Christi; eum solum esse *ἀρχιποιμένα*. Hanc usupationem esse Antichristianam: ortam quidem antè, & scalam fuisse per quam monstrum illud hominis in Christi cathedram invasit. Itaque concessa denuo omnibus libera disputatione Taoduni anno 1580, universa Synodus una voce decrevit, *Auctoritatem illam esse illegitimam*. Mandavitque, ut qui tenerent ex antiquo & Antichristiano instituta, iam novo hoc ad scripturæ normam decreto confestim deponerent, neque verbum aut sacramenta attingerent sub pœna excommunicationis, nisi nova a Synodo accepta authoritate. Hæc per singulos conventus prosecutus sum, ut lector videat, qua fide Episcopus noster Philadelphum qui hæc breviter attigit lib. sui pag. 8. per admirationem dubitat

im-

impudentiæ ne an ignorantiæ taxet, qui incomperta pro comperto tanta asseveratione affirmet.

Misadelphus Lethensis colloquij anno 1571. aliam fingit occasionem. *Quia certissima impendebat ruina, nisi concionatoribus de victu & stipendio esset prospectum, in id summo studio incubuerunt,* nempe vindices fidei. *Igitur anno 1578. frequentissimo conventu ad quem præter legatos civitatum maior pars procerum & Baronum convenerat, de tota alimentorum ratione in hanc sententiam itum est. Vt redditus omnes ecclesiæ restituerentur, decimæ imprimis à quibuscunq; præter fas & jus post vindicatam religionem occupatæ. Huic sententiæ quotquot aderant, Proceres, Barones, & Legati Civitatum liberè subscripserunt, sanctè policiti id proximis regni comitiis lege lata sancitum iri. Sed quum negotium lentè procederet & ministri patrimonium ecclesiæ reddi, solidamque stipendiorum rationem inire pertinaciùs postularent, consultum tandem visum est vt ordinis ecclesiastici primores longo rerum vsu & experientia eruditi, rem cum consiliariis regiis communicarent, & de patrimonio ecclesiæ eiusque politia, quod in rem videretur, statuerent.* Annus 1568. duos conventus de more habuit, alterum calend. Iul. præside Ioanne Willotho modò ex Anglia reverso. In eo petitio ad proregem defertur, ut sumptus publicus, ex duabus sacerdotiorum partibus, quæ Papistis possessoribus à regina relinquebatur, demeretur, tertia ministris concessa in eorum usus, pauperumq & scholarum integra cederet. Alterum in 8 cal. Ianuar. indictum, sed propter pestem tum sævientem, paucitatemque eorum qui convenerunt, in 5 cal. Mart. rejectum; in quo petitum etiam à prorege, ut qui plura sacerdotia tenerent, reliqua præter unum dimittere cogerentur; ut Huntilæi vis qui dejectis quæstoribus ecclesiæ suos subm sit, obviam iretur, ut caveretur ne sacerdotia aut venderentur aut minuerentur, ut ecclesiasticū & civile jus dirimeretur; & ut de adultero an ad nuptias admittatur, tandem statuatur. Penes Synodum non erat decernere restituendas decimas, petitiones deferre potuit. Ex auctore fabulæ scire velim, in quo conventu hoc consultum visum est; vt quia non procederet quod anno 1568. decretum dicit, primores ecclesiastici Letham ad Consiliarios regis se aggregarent, & de summa rei ecclesiasticæ statuerent. Nonne in conventu Lethensi delecti sunt, qui cum Consiliariis regis consultarent, Proceres, Barones, Legati Civitatum & Ministri, qui anno 1568 convenerunt, & de vindicandis decimis aliisque reditibus ecclesiæ præter jus & fas occupatis consenserunt, huius Synodi Lethensis auctores non fuerunt. Qui reditus & decimas præter fas & jus ocuparunt cum perspicerent alios Proceres, Barones, & Ministros ægrè ferre, nec se justo titulo ecclesiæ bona possidere, excogitarunt hanc artem, vt ministri episcoporum Abbatum, Priorum, Decanorum, Archidiaconorum, Rectorum, &c. nomina & titulos

Ficta occasio colloquii Lethensis.

Pag. 25.

inducerent

induerent, beneficii particulam perciperent, reliquum ipsis cederet, titularibus illis, ut dictum, jure suo illis cedentibus vel permittentibus; induerentur autem his titulis ministri, clientes gentiles aut propinquis sui. Mortonius inter proceres istos præcipuus, & in aula primarius Marrio Proregi auctor fuit ut per gentilem suum Angusiæ superintendentem curaret conventus speciem quandam celebrari. Missis literis ad alios Superintendentes & commissarios provinciarum, accitisque paucis aliis ministris convenerunt Lethæ 12 Ianuarii anno 1571. Nam factio quæ stabat à Regina occupabat tunc temporis Edinburgum. Hic conventus septem delegavit, qui omnes vel quorum quatuor saltem, cum Consiliariis Regiis communicarent. Cnoxius interim Fani Andreæ morabatur, quia præsidio adversæ factionis tenebatur Edinburgum. Cum de ordine convocandi, & forma celebrandi conventum dubitarent ipsi, decreverunt hunc conventum pro Synodo generali habendum.

Acta colloquii Lethensis. Pag. 27.

Acta colloquii Lethensis anno 1571. ad hæc capita redigit, *Post satis longam disceptationem*, inquit, *ab universis est decretum, ut episcoporum sedes, morte aut quavis alia occasione vacantes Pastores virtute & eruditione præstantes per ordinariam Decanorum & Capitulorum electionem creati occuparent: ut Abbates & Priores à Rege ad ejusmodi beneficia destinati ab Episcopis seu Superintendentibus prius examinarentur, & si negotiis ecclesiasticis in ordinum conventu procurandis idonei invenirentur, ab eis collationes, ut vocant, reciperent: ut ministri, qui Regiam in rebus ecclsiasticis auctoritatem sacramento approbassent post legitimum ab Episcopo Diœceseos examen, minoribus beneficiis pro modo census potirentur, multaque alia in publicum commodum salubriter statuta, de educatione iuventutis, de Præbendis, & Capellaneis conferendis, quæ omnia Rege puero rata haberentur, nec ultra nisi aliter videretur.* Ab universis decretum, inquit. Non ab ipso conventu, sed à Delegatis & Consiliariis in colloquio decreta sunt ista. Hæc attigit Philadelphus, cum dixit: *Hæc Lethæ anno 1571. Ianuarii 12. in conventu quorundam ecclesiasticorum & politicorum serebantrur. Hisce decretis*, inquit, *ad sequentē synodum perlatis morosuli quidam qui Abbatū, Priorū,*
P. 27. *Decanorum, & Archidiaconorum nomina concoquere non poterant, protestati sunt se iis articulis assentiendo papisticos titulos & ordines non agnoscere. Contra ipsos articulos omnibus unum idemque sentientibus nulla facta protestatio.* Morosuli quidam, inquit, nomina concoquere non potuerunt ac si pauci non multi aut omnes his nominibus offenderentur. Delegerunt quosdā qui examinarent, Articulos ipsos & ad synodum, sequentem referrent, quid deprehendissent. Adversante aula non facile erat primo momento rescindere acta illius colloquii. Illud tamen observandum in colloquio Lethensi in hoc conventum fuisse, ut episcopi in causis Ecclesiasticis non haberent.

ampliorem

ampliorem potestatem quàm Superintendentes, & ut illi in iisdem causis subjicerentur synodis generalibus. Synodo 1572, civilem etiam jurisdictionem interdixerunt omnibus munere Ecclesiastico fungentibus. Statuerunt etiam, ne Superintendentes transgrederentur limites definitos in libro de disciplina capitulo de officio Superintendentium. Et quia Episcopi isti titulares ampliorem potestatem arrogabant, denuo decretum anno 1573 ut intra limites potestatis Superintendentium se continerent.

De tertiis sacerdotiorum ministris à Regina concessis aulici qui tum gratia pollebant, reginæ auctores erant, ut eo nomine quia Ecclesia de victu molestiùs appellabat, convocatis Ecclesiasticis eorum voluntate ea specie adimeret. Harum maximam partem Regina in usus suos intervertit. Vnde petitio, de qua paulo ante, ut prorex publicos illos sumptus (nam etiam ejecta regina eadem rapacitas manebat) ex duabus Papistis relictis sumeret. Sed miror qua fronte dicat Mortonium has tertias Ecclesiæ ademisse, quas Ecclesiam constat nondum totas tenuisse. Verisimile est Crichtonio odio ad quod maternum genus refert, in Duglassios æstuare. Quod ad Mortonium attinet, vir fuit inter Scotos imprimis nobilis: prudentia nulli secundus, pietate non infimus. Nam etsi Episcopis semper favebat, & illum ordinem contra Ecclesiam summa ope promovebat (quam ingratus iste operam illi acceptam imprimis debet) tamen ut verum fatear in religione asserenda non ultimam, ad ulciscendam Regis patris cædem, ad tuendam filii infantiam primam operam navavit. Erat enim patris amitinus, filii cognatus, inter studiosos studiosissimus. Is in Regis impubertate præfuit reip. summa cum laude. Omnia mala compescuit, ut cum optimis regibus ejus præfectura comparari potuerit. Tantum (quod moriens fatebatur) potentia sua usus ad disciplinam reprimendam est, & Ecclesiam nostram ad Anglicam conformandam, quod Deum summis precibus rogavit sibi ut ignosceret. *Odiũ Spotswodi in Mortonium.*

Historiam de secunda politia orditur ab Andrea Meluino. Vt lectorem de hoc homine obiter moneam: fuit ille Richardi Meluini à Baldovia in Angusia ex novem filiis minimus. Patre in acie ad Musselburgum cæso scholas secutus est. Postquam rudimenta rure posuit, in collegio Mariano ad Fanum Reguli cursum Philosophicum cum magna laude explevit. Hinc Parisios profectus aliquot annos præceptoribus Turnebo, Mercero P. Ramo usus privatis studiis sese dedit. Pictavii tres annos Philosophiam deinde docuit, & summos juris doctores secutus jurisprudentiam interim captavit. Vnde Genevam profectus quinque illic annis humaniores literas professus, Hebraica Chaldæa Syriaca ex Cornelio Bertramo privato studio didicit. Postea cum summa Theodori Bezæ laude in patriam rediit, non minus literis quàm vera pietate imbutus. Re- *A. Meluinus Episcopis secundi generis primus litem non movit.*

 deunti

deunti prorex (is tunc erat Mortonius) ſpe illius nomine iſti ordini, cui ſupra modum ſtuduit, gratiam conciliandi, Epiſcopatum, cujus Spotſuodus nunc gloria diffluit, obtulit. At ille ſive odio Antichriſtianæ pompæ ſive ſtudio pietatis infimæ, collegium Glaſcuenſe præpoſuit. Sordebat enim præ gloria Dei mundanus iſte, qui inſanas mentes capit, ſplendor. Quo animo ſi Epiſcopi noſtri fuiſſent, nunquam ad hæc tempora ventum eſſet, quibus nec illi ſuam magnificentiam, nec Eccleſia inſolentiam fert. *Is* (inquit) *diſciplinæ*

Pag. 31. *Genevenſis ſtudio inſtitutis imbutus* (in cujus vitam ſi poſſet dicere, alia nota quam literarum laude deſcripſiſſet) *cui diu adſueverat, non animadverſo aliter ſub rege aliter ſub multorum principatu eſſe vivendum, ut ad illius Eccleſiæ ideam noſtra quàm proximè conformaretur* (*tanquam ea demum vera eſſet Eccleſiæ regendæ ratio*) *omnes nervos intendit* &c. Si Melvinus quinque annorum conſuetudine ita Genevenſis diſciplinæ ſtudio captus eſt: an non mirum eſt Iohannem Spotſuodum à diſciplina Scoticana, cui plus quàm decem annos adſueverat, tam leviter defeciſſe. Diſcrimen in ingeniis non in diſciplina fuit. Neq; verum eſt quod Epiſcopus aſſerit, aliter ſub rege, aliter ſub rep. formandam eſſe Eccleſiam. Vbique per orbem terrarum unam & eandem politiæ formam Eccleſiis commendarunt Apoſtoli. Quod dicit ad ideam Genevenſis Eccleſiæ noſtram diſciplinam formatam, imperitiam ſuam prodit. Et illi & nos unum exemplar intuemur monſtratum nobis in monte ſacræ ſcripturæ. Neque in eorum ditiuncula tot poſſunt eſſe conventuum genera, Parœciana, Preſbyteralia, Provincialia & Nationalia, quot nos ſingulis annis celebravimus. Dicit Meluinum *Epiſcopis & Superintendentibus de ſtatu controverſiam feciſſe* ac ſi vel primus vel ſolus Meluinus litem moviſſet, cum Epiſcopis controverſiam feciſſent in ſynodo ante reditum Meluini, & Superintendentium ipſorum poteſtatem intra ſuos cancellos concluſiſſent, ſenſim aggreſſuri alia, data occaſione opportuna. Iacobus Lowſonus Edinburgenus miniſter primus litem mouit de officio ipſo & munere, an ferendum eſſet in

Pag. 32. Eccleſia. *Cumque*, inquit, *miniſtris æqualitatem vindicaret, qui in eam ſententiam pedibus irent duo hominum genera invenit; laicorum unum, qui ad proprietatem & dominium bonorum Eccleſiaſticorum, quæ mala fide poſſidebant, acquirendum, expeditam hanc viam, & tutiſſimum ſacrilegiis ſuis aſylum fore providebant.*

33 *Alterum miniſtrorum qui ambitione præcipites & gloriæ famelici rejecto Seniorum jugo ad effrænem licentiam quidvis pro libidine patrandi totis animis aſpirabant.* Proceres & laici qui mala fide poſſidebant bona Eccleſiæ, & ſub umbra titularium Epiſcoporum, Diaconorum, Rectorum &c. ſecuri latitare volebant, per polititiam reformatam videbant ſublatis illis titulis auferendam quoq; umbram illam poſſeſſionis malæ fidei. Nam ut videre eſt in ſecundo libro de politia, bona Eccleſiæ & titularibus

illis,

illis, & aliis malæ fidei possessoribus adimenda esse docent, & restituenda pastoribus, pauperibus, scholis, & fabricis templorum aliisque piis usibus; & hi præcipuè adversati sunt. Ministros gloriæ famelicos rejecto Seniorum jugo ad effrœnem licentiam quidvis pro libidine patrandi aspirasse calumnia est nequissimi nebulonis. Multæ erant de Episcoporum moribus & negligentia querelæ quæ maturarunt reformationem. De vitiis & moribus Episcoporum corrigendis, eorumque arrogatione coercenda jam non diutius laborandum censuerunt viriboni, securem itaque ad radicem posuerunt & an functio ipsa in Ecclesia ulla lege ferenda disceptari cœptū est.

Mortonii cōniventia vires non collegit disciplina nostra. Pag. 33.

Quod disciplinam nostram vires collegisse dicit Mortonii conniventia qui *initio ministros verbo compescere potuit injecta mentione colloquii Lethensis, quo convenerat, vt in statu receptæ religionis nil immutaretur, dum Rex per ætatem rebus gerendis non sufficeret*, falsissimum est. Certum enim est Mortonium, nec dubito quin frigidā suffundentibus Episc. Angli. disciplinā, quoad potuit, repressisse, & auctoribus ejus crucem minatum esse. Neque Lethensis colloquii ea erat auctoritas, ut reprimeret. Nam Colloquium Lethense aulica auctoritate & consilio Mortonii nitebatur: ut apud Ecclesiam nostram, nisi nationali conventui probaretur, nullius fuisse auctoritatis nemo nesciat.

Mortonium Ecclesiasticorum convitiis laceratum se magistratu abdicasse calumnia.

Dicit Mortoniūm anno 1576 tandem male celatum animum expromere cupientem, cum Archiepiscopis Fani Andreæ & Glasguæ ne synodorum decretis starent, interdixisset, in odium eorum, qui disciplinæ innovationi studebant incidisse, & hos publicè vitia ejus insectando exitiū ei maturavisse, & novis indies nascentibus turbis regni administratione se abdicare coactum. O acerbum Mortonii odium? Debuit hoc extinguere, nisi quod nullis isti officiis vincuntur, Episcoporum studium. Nam certum est illum non tantum, postquam factus est prorex, sed multo ante omnes nervos huc intendisse, & ut conventuum nationalium auctoritatem occulto conatu labefactaret. Rogatus enim sua præsentia synodum cohonestare semper aliquid excusavit; nunquam ea specie honoris dignatus est. Auctor fuit Marrio, cum is præfuit reip. sua auctoritate & gratia per Dunensem Comarchum Augusiæ Superintendentem gentilem suum Letham conventum indicendi, & Episcoporum auctoritatem revocandi. Hic fuit conventus ille, de quo noster gloriatur, & à quo suam usurpationem probat: & tamen Mortonium, qui hoc subsidium submisit, convitiis proscindit. De hac auctoritate Mortonius Iohanem Duglassium Episcopum ad Fanum fecit anno 1571, statim à colloquio Lethensi. Quid istis immoror, nunquam erat, cum non faceret, quo in eorum odium, qui disciplinæ studebant, incurreret: ut mirum sit hunc affirmare ab interdicendo Episcopis, ne decretis synodorum starent, illum

Pag. 34. in eorum odium incurrisse: ut non priùs, vel non cum adhuc privatus esset, *ejus vitia avaritiam & tyrannidem & luxum insectarentur*. Hoc ego ausim affirmare hanc hujus calumniam utrinque esse falsam. Neque illum illa convitia fuisse dignum ut audiret, neque illos ut facerent. Mortonium quod attinet, nemo regum nedum pro regum majore cum laude remp. administravit. Septem annis quibus præfuit, hæc gens tanta pace, tanta omnium rerum copia fruebatur, quanta unquam. Nec domi tantum facinorosos repressit. pacem etiam cum vicinis ita coluit, ut ejus immatura mors illis non minus dolori fuit. Avarum, credo, vocat, si quid veri in convitiis respicit, quod mulctis potius quàm morte facinora repressit: ad luxum quod attinet nemo magis sobrius; ad tyrannidem nemo in ejus imperio, nisi manifesti sceleris convictus capite aut jugulo luit. Si ministrorum convitiis petitum imperio se abdicasse vult innuere, calumniatur. Nam quamvis disciplinæ sciebant eum esse adversarium, tamen quia regis pueritiam contra rebelles fortissimè semper defendit, papismum constantissimè oppugnavit, nemo fuit illis charior, nullius nomen sanctius.

Episcopi gregis unius curam capessere quando jussi. Pag. 34.

Prorege (inquit, is erat Mortonius) *summo Magistratu exuto, ministri altiora iam meditantes, & spei pleni Episcopis tum sedentibus denunciant gregis unius curam capessant, & ditionum curam mittant. Quorum rex gnarus literis per Iohannē Duncansonum ad synodum datis* (*quarum exemplum in actorum libris extat*) *de rep. agi præfatus, monet à rebus innovandis abstineant*, &c. Hoc ita dictum est, ac si ministri de Mortonii casu lætarentur, etiam ac si Episcopi unius gregis curam capessere non jussi, prius quā Mortonius se magistratu abdicasset. Ann. 1575 Episcopi jussi unius unius gregis seu parœciæ curā suscipere, quo anno præter particularis gregis curam commissa est iis, ut aliis ministris, visitatio provinciæ alicujus non amplæ, & iisdem legibus, nempe ut nihil faciant absque synodo provinciali vel 6 aliis ministris à synodo delectis, vel ubi res moram non pateretur, fratribus ad prophetandum aggregatis è locis vicinis ad locū aliquē primarium, qui classes etiam tum constituebant, sed rudius, nondum tanta instructas authoritate qua brevi post instructæ sunt. Synodo 3 generali anno 1577 Sess. 13, omnia capita politiæ comprobata sunt excepto capite de Diaconatu, in quo tamen maxima pars conventus consenserat, & in dissentientium gratiam plenior de eo capite statuta disceptatio. Mortonius post synodum illam magistratu se abdicavit exeunte anno 1577 Si Rex de rep. agi in synodo ratus monuerit, ut iste dicit, tamen verum edoctus aliud sensit. Anno 1578 legatis Ecclesiæ, qui capita disciplinæ, in quæ convenerat, post celebratum jejunium à synodo indictum exhibuerunt, benignè respondit, pollicitusq; est se consiliis Ecclesiæ ad gloriā Dei spectantibus non tantū adfuturum, sed etiam præfuturum

vel, ut ipsius verbis utar, procuratorē fore, effecitque, ut instituere-tur colloquium inter consiliarios & ministros delegatos Ecclesiæ de capitibus politiæ, cujus colloquii acta inserta in libro Actorum synodalium. Sed anno 1584, hora tenebrarum, duo folia dilacerata & in ignem conjecta ne extarent capita consensus. Ann. 1579, literas ad synodum mense Iulio dedit per Iohannem Duncansonum, hortatusque est, ut de capitibus disciplinæ in quæ nondum conventum esset inter consiliarios & delegatos Ecclesiæ, amplius consultaretur, & erga parliamentum quod brevi futurum erat, uno animo consentiretur, ut illa auctoritate confirmaretur. Neque litem ullam cum Ecclesia contestatus est, priusquam Levinius Robertum Mongomerium in Episcopatum Glascuensem invitis obtrusit, anno tertio postquam Rex has ad conventum literas dedit. *Quibus hortatibus* (inquit) *eorum impetus adeo non elanguit, ut bilem in aulam eiusque præfectos evomerent, Aubignium præcipuè, qui postea Dux Levinia declaratus est.* Hortatus quos dicit ex literis regis ad synodū Edinb. non Iulii ann. 1579 intelligi vult, Aubignius non appulit ante Sept. sequentē: ut si credas huic, Ecclesiā credas in Aubignium bilē expulisse, priusquā Scotiā attigerat. Proceres verū præsertim aulici obnixi sunt omni studio & consiliis, quibus poterāt, ne politia publica Parliamēti authoritate sanciretur. Ex epistola An. Melujni ad Th. Bez. scripta ad id. Novembr. 1579, quis esset tunc rerum Ecclesiæ nostræ status colligere potest lector. *Annos jam quinque bellum acre cum pseudoepiscopatu, reluctantibus nobilium plerisque gerere, & disciplinæ severitatem urgere non desistimus: Regiæ maiestati & tribus regni Ordinibus, & antea sæpe & nunc in his comitiis disciplinæ formam in acta referendā & publica authoritate confirmandam obtulimus. Regis animū in nos propensum, proceres plerosq; iniquos habemus. Sublato enim pseudoepiscopatu regni statum convelli, constitutis presbyteriis regiam maiestatem imminui, bonis Ecclesiasticis in usum legitimum restitutis Regis ærarium exhauriri causantur: quod Episcopi cū Abbatibus & Prioribus tertium in Comitiis ordinē constituant: quod omnis iurisdictio tam Ecclesiastica quàm civilis ad unum Regem Regisque Senatum pertineat, quod res Ecclesiasticæ ex eorum sententia fisco adiudicari debeant. Quod sic loquantur aut sentiant in causa multis ignorantia est: aliis flagitiosa vita & scelerati mores: plerisque Ecclesiastica bona quæ adhuc supersunt rapiendi cupiditas, quæ iam rapuerunt amittendi metus. Quid quod excōmunicationis sententiam non prius legitimā fore dicunt, quàm à Senatu Regio causa cognita approbetur. Sibi enim malè conscii r formidant Presbyterii sententiam, nō tam metu iudicii divini, quàm terrore civilium pœnarū, quæ legibus nostris & moribus sententiā comitantur. Deniq; dum φρόνημα τῆς σαρκὸς in consiliū potius quàm patefactam Dei voluntatē adhibent, unius Episcopi vel inspectoris Ecclesiarum perpetui & nutu & nomine res omnes geri cupiunt, de cōmuni συμπρεσβυτέρων sententia nihil volunt administrari. Utinam dominus Ecclesiæ suæ misertus averruncet hæc mala.* Pag. 35.

Dicit

Levinii consilia.

Dicit Aubignium propter virtutes non vulgares bonis omnibus charū & in flagrantissima apud Regē gratia fuisse. *Quod æmuli acerbe ferentes, pessimis vulgo sparsis rumoribus eum perniciem rectæ religioni machinari, apud ministros invidia onerarunt: Qui è cathedris declamando Regis ab eo fidem sollicitari, ecclesiam cuniculis subrui, Papanæ superstitionis cultum promoveri, plebi infestum reddiderunt. Rex vt iis satisfaceret sollicitus, advocatis in consilium ministrorum principibus, statuit, vt ex eorum numero sel. &i Levinium in fide syncera erudirent: simul in integritatis suæ testimonium confessionem fidei fieri curavit, cui ipse cum familia & subditi honesto loco nati subscripserunt. Hæc est celebris illa confessio, cuius Sectarius non semel meminit, quamq; Cathari nostri identidem obijciunt, quo Regem, Regnique Ordines, periurii & perfidiæ reos peragant.* Amatus Stuartus Aubignius regis propinquus è Gallia in Scotiam missus Guisianorum consiliis probè instructus regni administrationem regi gratulaturus, & in religionis qua fieri posset immutationem, quod biennio post adventum experti sumus, simulabat primum se iam in syncera fide eruditum, & ex nostris esse, & confessionem fidei sacramento & chirographo suo obsignavit. Sed perniciem Mortonii interim moliebatur, quem quia charus ecclesiæ ob merita, quæ supra commemoravimus, opprimere se non posse perspexit, nisi simulata professione religionis & officiorum in ecclesiam. Extincto autem Mortonio & expulso Angusio illius exuviis, huius spoliis ornatus & duplici prælatura Glascuensi pleno jure & Aberbrothensi donatus, Leviniæque primùm comes, deinde dux factus, magnus tandem Scotiæ Camerarius creatus, turbas ecclesiæ dedit & viris bonis, quem iste bonis omnibus charum fuisse dicit.

P. 35. 36.

Confessione fidei regimen episcopale cieratur.

Confessionem fidei neminem alligasse Presbyteriorum regimini sic probat. Confessionem illam Ioannes Cragius regius Concionator scripsit & edidit anno 1580. Cui omnes concepta sacramenti formula, se doctrinam, & instituta ecclesiæ Scoticanæ servaturos, & contraria pro virili oppugnaturos subscriberent. Sed in ea confessione non alia inquit disciplina intelligenda venit, quàm tum publicè recepta, Episcoporum nimirum & Superintendentium gubernatio: *Cum eorum munus, nullis ecclesiæ sanctionibus damnatum fuerit ante annum 1581. nec Presbyteria ante annum 1586 stabilita: vt in eam confessionem jurasse neminem Presbyteriorum regimini allegit.* Superintendentium & Episcoporum apud ecclesiam nostram nunquam fuit eadem ratio. Superintendentes ecclesia initio sua sponte delegit, & rebus curandis substituit, Episcopos illos tres aut quatuor, qui ad causam religionis accedebant, quod in bonis essent, cum sumptus non suppeterent Superintendentibus in eorum diœceses designandis & ipsi se obtruserunt, in Commissariorum album, ut supra dictum, conscripti sunt. Episcopi titulares, quos aula post

P. 37.

colloquium

colloquium Lethense subornavit episcopi nomine re Superintendentes in annum 1576, deinde multiplicatis provinciis præter curam peculiaris gregis commissa iis visitatio non totiùs diœceseos sed assignatæ sibi provinciæ sicut aliis ministris, iisdemque legibus, id est primum Superintendentes ex conniventia, deinde visitatores erant ex delegata à synodo potestate, sed Pastores unius gregis. Nam nondum plene constitutis Presbyteriis classicis visum est necessarium hoc visitatorum genus constituere. Nec solùm ante designatã politiam, canone deinde ipso libro politiæ damnata fuit eorum jurisdictio & functio, sed etiam post comprobatam à conventu generali politiam, anno 1578 denuo decretum vt unius ecclesiæ particularis curam suscipiant, civilem jurisdictionem ne exerceant, in comitiis ordinum ecclesiæ nomine suffragia ne ferant, Dominorum temporalium titulis abstineant, in Presbyteria imperium ne arrogent, episcopatuum redditus soli ne percipiant luxui & pompæ suæ indulgentes, scholis ecclesiis & pastoribus neglectis, ne ampliorem provinciam visitandam vendicent, quàm eorum curæ committenda erit à Synodo. Tandem eodem anno 1580. quando in illam confessionem fidei juratum, conventus Nationalis ad Taodunum 4. id. Iul. Episcopi auctoritatem, quo sensu Episcopus vulgo accipitur, ex scripturis nullam esse decrevit. Itaque plenis suffragiis nemine contradicente jussit eos, qui hoc officium tenerent, continuò deponere, neque rem ecclesiasticam, nisi de novo ad id munus restituti dignarentur attingere; idque sub pœna excommunicationis. Confessio fidei sacramento & chirographis obsignata fuit post synodum istam eodem anno mense Martio. Nam initium anni apud nos tunc cœpit die 25 Martij. Recepta ergo erat disciplina nostra. Presbyteria ceu classes etsi nondum per universum regnum constituta & stabilita; tamen de ecclesijs in unam classem consociandis & classium regionibus definiendis & dividendis consultabatur ante obsignatam juramento confessionem fidei, & anno 1579. statutum, vt cœtus fratrum ad prophetandum aggregatus ex locis vicinis presbyteriorum constituendorum vices suppleret. Secunda ratio sequitur qua probat Confessionem illam non alligare Presbyteriorum regimini. *Iam vt illis largiar* (inquit) *quod nunquam tamen evincent, disciplinam postea receptam tum stabilitam fuisse, cum hæc confessio primùm prodiit, quotusquisque non novit disciplinam omnem rem esse mutationi obnoxiam.* Pag. 37. Equidem non novi, neque credam Christum qui Dei sapientia fuit, remp. suam, quæ omnium est perfectissima arbitrio stultorum hominum reliquisse agitandam, vt hodie & heri prout illis libet, sit alia atque alia, quod ne Solon quidem aut Lycurgus, aliusve quisquam Legislator pateretur. *Quisquis igitur*, inquis, *in disciplinam ecclesiæ jurat, id non aliter facere intelligendus est, quàm si nihil in ea ab ecclesia innovetur* P. 38.

Pag. 38. *novetur.* At, inquam, ideo iuratur, ne quid innovetur. Rem illustras exemplo à Senatusconsultis, & plebiscitis, in quæ non datur fides, si forte mutentur. Atqui, inquam, ratio non est eadem. Quæ populus cum suo capite sciscit, potest eadem auctoritate rescindere. At nostrum caput absolutam habet potestatem. Quod ille scivit, non licet nobis rescindere. Duplex est disciplina, altera universalis & perpetua, altera particularis & mutabilis. Vniversalis est quæ ubique est una, utpote quam ipse Christus iussit. Hanc non magis licet Ecclesiæ mutare, quam mutare licet ipsam scripturam. Disciplinam tunc receptam verè Christianam & Apostolicam agnoverunt, Episcoporum Antichristianam, & ideo istam ejurarunt, & in illam jurarunt, non quia merum institutum ecclesiæ, sed quia institutum Christi, ut conventibus regeretur ecclesia, non singulari, Papæ, episcopi aut Archiepiscopi alicuius authoritate. Particularis est, quæ pro loco & tempore & re nata potest esse alia atque alia, vt quo die celebranda cœna, quibus horis conveniendum ad sacra celebranda, &c. Hæc & huius generis similia sunt in arbitrio ecclesiæ, & pro re nata mutari possunt. *Si his* (inquit) *responsionibus nondum Sectariis nostris* (ita eos vocat, qui antiquum obtinent, & horum sectam abominantur) *satisfactum est: addo Episcopos nunc sedentes & magnam partem ministrorum subscriptiones illas inficiari.* Quinam isti? Nam Iohannem Spotswodum, & Iacobum Laium nostros Archiepiscopos ipse vidi Trenenti subscribere anno 1604, & audivi jurare se, quod fecerunt ecclesiæ causa facere (nam tum nova hæc consilia agitabantur) & si quando voti forent compotes, ecclesiæ quicquid impetrarunt, restituturos. Sed quis hoc huic, qui pro ludo facit peierare, vel jurato credat, fuisse tum in Scotia Ministros, quod ipse rex & totus populus juravit non jurarunt, quis credat, quenquam, qui rem sacram administrabat, id quod Synodus 43 anno 1581 unanimi suffragio pro rato habuit, ausum fuisse calculo suo non probare. Sed nimis velim scire, vbi isti fuerunt anno 1590. prid. non. August. quando moderante Patricio Gallovidio qui nunc defecit ad Episcopos act. 2. decretum fuit, ut per Presbyteria singula omnes qui rem sacram tractabant, in omnia capita disciplinæ ante sequentem synodum subscriberent. Decretum fuit Edinb. anno 1587. ne Rectores gymnasiorum discipulos maturioris ætatis in disciplinam reciperent, aut quenquam in gradus literarios admitterent, nisi in formulam fidei juratos. *Sed si in Gymnasijs religiosè observatum & discipulos in juramentum adactos probasset, aliquid,* inquit, *certe pro causa diceret.* Vbi ex illo libenter scire primum velim, vtrum sit Christianum de fide gymnasiarcharum dubitare. Si quis dubitat, testimonium perhibebunt chirographa eorum qui laurea Magisterij donati sunt anno ab 1587 ad annum 1606. Quære ab ipsis ministris, qui gradum illum consecuti

Pag. 39.

Pag. 40.

secuti sunt, num negare audeant. Aliud igitur effugium quærit. *Quid*, inquit, *quoties ea confessio alicui obtruditur, sub formula fidei id fieri assolet, nec illi quicquam aliud sub eo nomine intelligunt, disciplinam porro dogma fidei ad salutem necessarium, non opinor, vocabunt.* Fidei vocabulum, cum ita loquimur, quis nescit religionem significare: & politiam ac disciplinam religionis partem esse. In confessione illa ceu formula fidei disciplina distinguitur à doctrina, & in obedientia utriq; debita se perduraturos sanctè jurant. Quia nodum istum soluere non potest, ut Alexander quidam gladio secat. *Sed*, inquiunt, *se à sacramento semel nuncupato sine perfidiæ macula recedere non posse: quibus responsum volumus, si aliter scrupulus ille eximi non potest, in Ecclesias bonis avibus facessant, ubi illis ita vivere liberum sit, cum in unius privati gratiam, Ecclesiæ ritè constitutæ unitatem dissolui, & pacem turbari non sit ferendum.* Lupus queritur deturbato fonte & agnũ ut reum dilaniat. Sic piratæ occupata nave vectores, tyrani occupato regno fidos subditos tum proceres cum plebeios facessere jubent. Nos in politiã Ecclesiæ nostræ rectè constitutæ jurati unitatem servavimus. Isti unitatẽ dissoluerunt. Ad gubernaculum sedent invita Ecclesia, obluctantes jam pro privatis haberi, & quia ipsi perfidiæ rei, totam Ecclesiam, eodem reatu teneri cupiunt. Pag. 40. Pag. 41.

Quia ministri cum rege egerunt, ut disciplinam decreto publico sanciret, inde colligit eversam fuisse ab ea quæ fidei confessione continebatur. *Etsi*, inquit, *Rex, ejusque familia omnis, confessionem illam appositis chirographis consignassent, justa tamen adhuc dubitandi causa ministris videbatur. Igitur cum rege sedulo agunt, ut libellus de disciplina, quam novam ad ideam Platonicæ reipub. affinxerant, auctoritate publica sanciretur, quæ si eadem fuisset cum illa, quæ confessione fidei continebatur, quid opus fuisset nova sanctione? aut qua fronte id Rex facere recusasset, quod haud ita pridem fide data approbasset? Nam in omnibus Synodis quæ Glascuensem exceperunt, legere est, Regem cum Ministris egisse, ut ab ejusmodi inceptis desisterent, & quos ipse daret Episcopos, eligerent. Nec prætereundum de anno aut circiter, quo illa confessio primum evulgata est, Regem per internuncium testificatum, quæ ab illis jactarentur, sibi displicere, & remedium in tempore adhibiturum.* Non dubitarunt de disciplina, quin in eam juratum sit, quæ erat tum recepta, non autem in eam quæ explosa erat & ante consignatam illam confessionem ab anno 1575, sed de constantia cum jurantium tum posterorum dubitare licebat, consultum propterea illis visum politiã publico decreto sanciri. Quod ad Presbyteria ceu classes in specie attinet, constat hanc partem fuisse politiæ designatæ, consultatumq; quomodo regnum totum in regiones & classes distribuendum etiã ante obsignatã confessionẽ fidei. Certũ est regem 1581 & statim post obsignatã sacramento & chirographis confessionẽ fidei dedisse Guil Cuningamio Capringtono mandata

A rege comprobata Presbyteriorum constitutio. Page 41.

ad Concilium Glascuense in hæc verba. *Vobis iis meas ad eos literas, faciesque ut intelligant, me fecisse quosdã ex Senatu meo cum legatis illorum, quos Taodano miserant, sæpius de capitibus propositis deliberare. Videri illis tertiarum rationes de quibus in primo articulo petunt, non esse ad ministros alendos tutissimas. Ita enim esse his 20 annis ultimis attritas, ut neque illis neque mihi quicquam certi possit confici. Videri itaque necessarium, ut alia ineatur ratio, quæ & in præsens certior, & in futurum constantior sit. Quod ut commodius fiat, auctoritate, & consilio eorum Senatorum, quos ego dedi, & ministrorum quos synodus legaverat, perscriptam esse formulam Presbyteriorum, ex vicinis Ecclesiis, in qua latiores Ecclesiæ dividuntur, & minores cum aliis conjunguntur, ut pastores facilius ali, populus facilius convenire possit. Præterea me statuisse literas ad nobiles, & percipuos in singulis Presbyteris dare, quibus jubeam convenire & consultare de præsenti negotio, & me certiorem facere quid habeant consilii:* & cum his & aliis mandatis formulam Presbyteriorum misisse, quam dixit Consiliarios & ministros scripsisse; synodumque delegasse qui de tota re cognoscerent. Si in Episcoporum aut Superintendentium regimen juratus esset, cur, statim post consignatam confessionem fidei, formulam 50 classium ceu Presbyteriorum locis totius regni maximè opportunis constituendorum misisset. Quod in synodis quæ Glascuensem anno 1581 exceperunt, ais Regem cum ministris egisse ut ab ejusmodi inceptis desisterent, & quos ipse daret Episcopos eligerent. Mutatum simpliciter non negamus. Sed cur mutatus tu videris? & quando nos infra docebimus. Memineris etiam postea ad se rediisse anno 1586, & denuo anno 1589 confessionem fidei chirographo consignasse.

Episcopis abrogata auctoritas unanimi ministrorum consensu. Pag. 42.

His omnibus (inquit) *Sectarius, quia causæ jugulum petere videbantur, omissis, refert post publicas disputationes, privata colloquia, consultationes cum transmarinis Theologis habitas nemine è ministris repugnante secundum de disciplina libellum omnium sententiis comprobatum.* Et tu ista negare non audes, deliberationem & disputationem de politia aliquot annos tenuisse, tum in conventu publico tum in colloquiis conventus anthoritate constitutis, & rem sæpius incudi redditam: consultos etiam fuisse Theologos transmarinos, testatur viri Venerabilis Th. Bezæ tractatus de triplici Episcopatu, quem scripsit, cum Dominus Glamisius regni Cancellarius hac de re eum consuluisset an. 1576, Si auctor epistolæ omiserit quæ jugulum causæ petunt, judicet lector. Aulam adversantem & proceres qui loculis suis ex bonis Ecclesiæ aliquid corradere volebant uno verbo perstrinxit. Nec brevi epistola plenã historiam complecti potuit. Sententiam Ecclesiæ nostræ de Episcopatu fideliter retulit. Libro secundo de disciplina (inquit) contradixerunt Ecclesiæ nostræ Antesignani, Dunensis Comarchus

chus Angusiæ Superintendens, Iohannes Spotiswodus Lothianæ, & Merciæ Superintend. (is erat ipsius pater) Iohannes Winramus Fifæ Superinten. Georgius Hajus plagæ Septentrionalis Cōmissionarius, Alex. Arbuthnotus præfectus Gymnasii Abredonensis, Rob. Pontanus Synodi Glascuensis, quo habita sunt contra Episcopus præses, David Lindesius, Andreas Poluardus, Tho. Smetonus. Hos viros pro egregiis agnoscimus sed quibus Ecclesia nostra, sive prudendentiam, sive eruditionem, sive vitam spectes, multos habuit pares, non paucos, qui signum anteferrent. Quod autem asserat hos disciplinæ adversatos, equidem nescio quid habuerint animi. Certò scio ex actis Ecclesiæ maximam istorum partem huic negotio maximam navasseoperam. In prima opera inter eos qui synodo 33 anno 1576 ad formam politiæ designandum delecti sunt, invenio ex his novem, quos iste vir bonus dicit adversatos, quinque ex præcipuis Comarchum Dunensem, Iohannem Wintanum, Alexandrum Arbuthnotum, Robertum Pontanum, & Davidem Lindesium: ut mireris datam fuisse instituendi curam adversatus ejus quod curabatur. Quod ad ipsius patrem attinet, nescio quid illi credam, qui de aliis tam manifestè mentitur. Hoc tamen scio ab Ecclesia, non abepiscopo superintendendi accepisse officium, Ecclesiæ jurasse obsequium, peccati si quid admisisset, Ecclesiæ permisisse judicium, legemque ipso auctore latam synod. 27, anno 1572, Act. 4, ne qui sacra tractant, civilia attingant. Quam filius, ut auctoritatem filii cognoscas, verbo uno refutat, libelli sui pag. 19, sub finem. *Civilium judicum munus* (inquit) *ab Episcopi officio neutiquam alienum est.* Quod autem narrat, se à viris fide dignis accepisse Dunensem gravibus minis increpuisse Meluinum, equidem neque illi neque viris illis fidem habeo. Vanæ etiam sine viribus minæ fuissent. De Smetono testimonium perhibuit Meluinus epistola ad Iohannem Rowum Ecclesiasten Perthensem anno 1578, *Hains noster veteranus ut nosti & strenuus Christi miles, & Smetonus acerrimus bonæ causæ propugnator.* Quid multis opus est, cum ipsius canonis verba testentur unanimi consensu omnium explosum fuisse Episcopatum, quod cum diffiteri nequeat, fingit invitos cessisse in aliorum sententiam: *licet tandem,* inquit, *ne frustra contraniti viderentur, in imperitæ multitudinis sententiam concesserint.* Quo quid turpius dici potuit in viros, ut ipse ait, pios, doctos, & Ecclesiæ nostræ antesignanos ab impio nebulone & asino indocto. *Pag. 45.*

Mala ex Ecclesiæ consiliis sequuta demonstraturus orditur à tumultu ob Archiepiscopatum Glascuensem. Robertū Montgomerium Ministrum Sterlinensem Dux Leviniæ regi commendatum ad Archiepiscopatum evexerat, pactus ut titulo & pensione annua millelibrarū contentus reliquis Episcopatus emolumentis cederet. *Ministri* (inquit) *hac ut rebantur injuria commoti diem ei ad Fanum* *Tumultus Montgomeriano rigo & exitus.*

 Reguli

Reguli dicunt, ibi Sacerdotio mulctandum, & pœnis Ecclesiasticis non le-viter puniendum. Rex qui sciret duntaxat crimini dari, quod contra acta conuentuum Episcopi titulum suscepisset (neque enim de dilapidatis beneficii redditibus agi) Ioanni Gramo (qui postea in Collegium iudicum ascriptus est) in mandatis dat, litem inhibeat, ni pareat, conventum dirimat. Ita quæstione dilata verius quàm omissa ministri cum diutius iram supprimere non possent, nullo ordine, nulla iuris formula observata, ei sacris interdicunt, qua contumelia rex accensus excommunicationem irritam pronunciat & hominem in Diœcesin, (impedientibus quamvis non paucis Æeræ & Glasguæ) cum imperio mittit. Hæc ille. Hunc egregium virum Robertum Montgomerium hominem prope dixerim fungum Levinius regis gratia Episcopum Glascuensem facit. Ecclesia honorem & hominem juxta damnat. Duræus & Balcanquellius ministri Edinburgenses ob libertatem in Levinium accusantur, & purgantur ab Ecclesia. Montgomerius, ut se ad conventum sistat, citatur. Rex pro eo intercedit. Ignoscitur modo ab Episcopatu discedatur, & ad suam Ecclesiam se recipiat. Reprehenditur quindecim errorum. De ejus erroribus Rex consulitur. Permittit, ut qua minister est, accusetur. Levinius rursus eius causam suscipit. Presbyterium Glascuense sub proscriptionis pœna jubetur illum Episcopum recipere. Templum cum armatorum multitudine ingreditur Cal. Mart. 8 & Davidem Wemium ex suggesto per tumultum rapit. Synodus Lothiana hominem citat. A feciali jubentur desistere. A ministratione sacra suspenditur. In conventu generali ad Fanum Reguli Presbyterium Glasguense petit, ut suspensio pro rata habeatur. Montgomerius intimatum sibi fuisse negat. Conventus tamen re cognita juvenit intimatum, & decernit legitimo ordine suspensum. Interea supplicum libellorum Magister verbis Regis vetat quicquam contra Episcopum decernere. Conventus civilia respondet nihil ad se attinere; alioqui nihil nisi ex conscientia acturos. Dum ergo pergunt, & de re tota cognoscunt, Burnus quidam fecialis pro sua auctoritate vetat. Hic conventus re iterum cognita per Thomam Macgillum monet decretum esse, se posse salvo Regis imperio de causa tota cognoscere: Itaque die crastino se in judicium sistat. Ipse se subduxit. Guilielmum Mongerium procuratorem supposuit. Damnant vitæ impuræ, doctrinæ corruptæ, suspensionis contemptæ, fidei violatæ, mendacii manifesti, disciplinæ infractæ, convitiorum in collegas pro concione, proscriptionis conventui interminatæ. Hic supplicum libellorum Magister orat, ne decernatur, priusquam rex fiat certior. Vnde conventus literas supplices ad regem dat. Mittuntur, qui regem de re tota doceant, deinde post meridiem decernunt, & jure Ecclesiastico privant, statutumq; ut excõmunicetur; sed sententiam in tertium diẽ differunt.

Eo die Londæus Comarchus & Lindesii hæres gravibus argumentis eo impellunt, ut conventui se submittat Hic crimen fatetur, pœnitentiam profitetur, obtestationibus totum conventum, Thomam Smetonum gravissimè, qui gravissimè oppugnaverat, commovit, ut amplecterentur, & præterita condonarent. Nihilominus gnari inconstantiæ hominis Presbyterium Glascuense monent, ut sedulò servarent, ne quod jus Episcopi usurpet. Si faxit, jubent contemptus & perfidiæ damnare; Edinburgense Presbyterium docere. Eique dant potestatem excommunicandi. Deinde decernuntur ad Regem Legati cum gravi querela, de violato jure Ecclesiastico. Non multo post Montgomerius ad vomitum redit. Levinium sectatur. Presbyterium Glascuense ex decreto Synodi de flagitio cognoscit. Præfectus urbis cum multitudine civium Moderatorem Presbyterij corripit, carcere publico claudit. Scholares summa vi defendunt, non sine sanguine. Nihilominus Presbyterium pergit. fit decretum. Edinburgense Presbyterium excommunicat. Per suggesta publicè denunciatur excommunicatus. Regius Senatus sententiam irritam pronunciat. Ministri Edinburgeni factum reprehendunt. Iubentur se in Senatu regio sistere primo Edinburgi, deinde Dalkethi, vbi non sine periculo Duræus famulorum Levinii manus evasit. Iubentur Edinburgo decedere, & nisi faxit, præfectus jubetur expellere. Presbyterium Glascuense præfectum & prætores de vi accusant. Rex eos ad judicium suum Andreapolin citat Conuentus eo quosdam, qui pro iis orent, legat. Rex pridie Non. Iul. securitatem promittit, modo conventus lite contra præfectum & prætores velit cedere. Illi in diem dictum sententiam suspendunt, data tamen facultate quibusdam delectis fratribus, si opus fuerit, ferendi sententiam. Deinde supplicationem ad Regem decernunt. Officii sui monent: cum esse caput reip. ecclesiæ non caput sed membrum, & ut primum eius filium debere primam eius curam gerere. Nunc contra decreta eius rescindere, servos vim illi inferre, ministros de suggesto detrahere. Denique jam Papam agere, & utrunque gladium invadere. Qui ad hanc supplicationem exponendam missi erant, Perthum veniunt: proponunt. Iacobus Stuartus Araniæ comiti primum tutor datus deinde Comes ipse factus, tum Cancellarius Regni horum malorum fomes, surgit, minatur, clamat, an quis audeat huic supplicationi subscribere. Andreas Melvinus respondit: nos audemus; & simul pennam è manu scribæ corripit, collegas hortatur: sequitur Dunensis Comarchus, quem hic rabula dixit Melvinum odio prosequi, Thomas Smetonus, Robertus Pontanus, David Lindesius, quos hic dixit adversatos esse; Andreas Haius, Petrus Blackburnus, Thomas Buchananus, & Patricius Gallouidius. Anglici perspecta hominum audacia rati habere

 bere

bere occultum subsidium, sine responso tamen dimittunt. Habes rei summam, quàm brevissimè possum: jam judica de ecclesiæ consiliis & de tumultus Montgomeriani origine.

Post paucos dies aulica factione Levinius & Aranius opprimuntur. Huius etiam mali, si malum, originem in ecclesiæ consilia transfert. *Sequutum est & aliud, inquit, malum. Nobilitate enim in factiones divisa & rebellibus, vt fieri solet, obtentu ecclesiæ consilia velantibus, è ministris quidam imminutæ maiestatis rei in liberas custodias deputantur. Id illis persecutionem interpretari placuit. Interea suggesta non aliud sonabant, quàm vexari ecclesiam, aulam à fide deficere, veteres ceremonias restitui: tandem circa mensem Augusti conjuratione nobilitatis, Rex Ruthueni detentus est, Duci Leviniæ aula interdictum, Iacobus Stuartus Araniæ Comes in carcerem conjectus, & è regiis plurimi capti, non pauci graviter vulnerati. Coniurationem hanc nobilitatis, ministri libellis editis, & coacta ad Septembrem Synodo concordes approbarunt, vetueruntque sub anathematis pœna, ne aliter quàm ecclesiæ & publicæ libertatis assertores appellarentur.* Deus bone in quàm paucis verbis quot peccata. Ministri rei majestatis, quod rebelles suis consiliis Ecclesiam prætenderent. Videri vult à ministrorum consiliis conjurationem Ruthuenianam ortam fuisse. Delegati ab ecclesiæ Comitiis aliquot ministri cum supplici libello querelarum pleno, ut supra dictum, Pertham, item ad Regem, cum Glasguensi & collegio & Presbyterio fere vniverso vicesimanona vice vocato ob causam Mongomerianam convenerunt. Nihil æqui impetratum. Post illorum discessum inter Gourium & Levinium exorta est de dignitate sive iurgium sive contentio. Gourius adhibitis in consilium amicis Marrio, Glamisio, Oliphanto, Lochlevino, Clesio, Bodio, Bannatino & aliis 23 Augusti in Strathernensi præfectura fit regi Edinburgum profiscenti obvius in armis, eumque secum domum suam non reluctantem deducit, summotoque satellitio regio custodiam regis sibi suisque vendicat. Iacobus Stuartus Aranius ad eius rei famam accurrens, fratre Guilielmo vulnerato cum aliis nonnullis, ipse in Duplini arcem custodiendus includitur. Levinius in exilium relegatus non multo post Lutetiæ Parisiorum sive ægritudine animi sive morbi violentia contabuit & fatis concessit. Factionis principes Abbatem Pasletensem ad conventum Edinburgum mittunt, ut suo calculo factum probent. Illi quod magno malo ecclesia & resp. liberatæ esset, Deo gratias habent. Cœterum de auctoribus nihil posse statuere, Deum tantùm rogare, ut boni causa bene egerint. Tamen ad Regem delegant, qui eius sententiam sciscitarentur. Ille respondet se Dei beneficium agnoscere, magno se & remp. malo liberatos esse. Vnde conventus etiam factum probavit. Fuerat illa factio pars sanior, quæ non in regem, sed pro rege adhuc incauto & imprudente, & pro patriæ libertate

Conjuratio Ruthueniana non orta ab ecclesiæ consiliis.

P. 43.

bertate contra factionem adversam, vel potius duos Aulicos remp. & ecclesiam opprimentes conspiravit. Qualescunque fuerint plerique eorum non multum laborabo, sed respondebo verbis Ioannis Duræi tunc ministri Edinburgensis. Quemadmodum cœcus ille cujus oculos aperuit Christus Ioh. 9. Pharisæis ita ratiocinantibus, *Nos hunc hominem scimus peccatorem*, respondit, An peccator sit nescio, vnum scio, me quum fuerim cœcus, nunc videre; sic qualis quisque eorum fuerit nescio, sed miserè vexatam & tantum non penitus oppressam ecclesiam eorum ope liberatam & ereptam scio. *At ministri*, inquit, *reliqua prosperè cessura rati nobiliorum opera, quorum causam enexissime juverant, disciplinam suam comprobatum iri sperabant: sed illi causæ iniquitatem secum reputantes, ministrorum desideriis Regis gratiam præferre satius duxerunt.* Modo dixit nobiles illos fuisse factiosos & rebelles. Si factiosi & rebelles non nocet nobis, si causam nostram iniquam judicassent. Sed nos de æquitate causæ nostræ tam iniquos fuisse judices non judicamus. *Vere proximo*, inquit, *Rex per occasionem libertate recuperata conjuratorum nonnullos in partes regni Septentrionales, alios in Hiberniam, circumjectasque insulas, & pleraque continentis loca relegavit. Reliquo hoc anno res in ecclesia satis tranquillæ fuere.* Subduxit se rex clam à factione ista nobilium ad factionem adversam, & venit Andreapolin mense Iunio 1583. Revocatur Aranius, excitantur novæ turbæ. P. 51. Pag. 51.

Anno, inquit, 1584 *Andreas Melvinus habita concione ad Fanum Reguli multum in præsentem rerum statum invectus addidit, Nobilium esse & reliquorum regni Ordinum vitia & abusus Aulæ corrigere, productis in medium superiorum temporum exemplis, & in his Iacobi tertii Regis abavi, quamobrem à Concilio in jus ad causam dicendam vocatus, & quod Iudicum auctoritatem defugeret, & immodestius se gereret, in custodiam Bluknessum proficisci jussus, noctu itinere commutato Beruicum profugit.* De Melvino audeo affirmare nulla assentatione (nam audio paulo ante fatis cessisse) melius Regi ab infantia voluisse, quàm assentatores istos, qui quicquid ait, aiunt, & si rursus negat, negant id quoque. De Ordinum potestate, quæ quidem amplissima est, nihil jam dicam, nec de ea disserebat Melvinus in concione cujus verba detulit adversarius Sed ut videat lector, quanta invidia hi Episcopi æstuent: ita res habuit. Melvinus inter jejunium ad fanum Reguli pro concione dixerat, *Danielem exemplū avi Nabuchadnezeris nepoti Beltazari proposuisse. Indeq; nunciorum Dei esse principi & populo ætatis suæ, maiorum exempla, sicubi res poscit, ob oculos ponere. At nostra ætate rem eo devenisse, vt si quis velit proponere aulæ, quid mali ad Iacobum tertium ex assentatorum consuetudine devenerit, vt Rex sibi ab hoc genere pecudum caveat: dictum iri illum monitorem à textu aberrare, & fortasse Maiestatis accusatum iri.* Hæc inimicus quidam, ad regem detulit. Vnde ex improviso citatur, in judicio se sistit, acriter; *Melvini accusatio, apologia et fuga Pag. 51*

ter; constanter, non ut adversarius fingit, immodestè se defendit. Index 22 testes adhibet, qui auditi non multū Melvino nocebant. Ergo postquā jurasset adversarius,& capita accusationis exhibuisset, conscientia tactus obnixè regem rogavit,ut unum verbum narrationis mutare liceret. Id erat in quo caput accusationis vertebatur. Pro Melvino testimonium dixit Academia & civitas. Hîc cum non satis causæ aula reperisset, de provocatione à rege accusat. Provocaverat enim Melvinus ad ecclesiam, ut si ea damnasset, nullam causam diceret, quin omnes corporis cruciatus subiret. Ecclesia & Academia utraque pro jure suo per legatos postularunt,ut causæ ad jus suum spectantis esset dictio. Neutra audita est. Melvinus sub octavam vespertinam ad arcem damnatur. Cras ante septimam ab Aranio mutatus carcer. A feciali jubetur intra 24. horas Blacknessum, qui fuit in Aranii potestate, se recipere. Ille monitus ab amicis caput suum peti,mutata veste duabus horis post per mediam plateam medio die Beruicum proficiscitur,non de nocte,quod Episcopus inter alia fingit. Hoc verum esse ipsa Episcopi narratio probat. Nam si verum fuisset, illum nobiles in regem armasse,cur tantum carcere damnatus fuit? cur aliud crimen quæsitum, quod judicum auctoritatem defugerat. Et quod jugulum causæ petit, cur si tanto scelere teneretur, iubetur solus sine custode in carcerem proficisci. Oportet insignem hunc esse Oratorem,qui quod verbo dixit, verbo refutat: aut egregium eius esse odium , qui criminibus more rixantium mulierum studet potius adversarium onerare, quàm quid veri sit prodere.

Pastorum Edinburgensium fuga.

Pag. 52.

Non adeo multo post, inquit, *arx Sterlinensis à Ruthuenianæ conjurationis socijs capta est: incertum quo consilio, cæterum quicquid fuit, fortuna discessit. Gourius enim comprehensus, & conjurationis conscii in Angliam fugere sunt coacti,quo etiam paulo post Pastores Edinburgeni se receperunt,conscripta discessus apologia,& fugam suam in aulæ rabiem & tyrannidem conferentes.* Hæc sic dicta videri vult, ac si Pastores Edinburgeni cum Ruthuenianis consilia versassent de occupanda arce Sterlinensi. Post captam arcem propter aulæ rabiem, solum vertere coacti sunt, & apologiam conscripserunt, qua rationes gregi suo reddunt cur ad tempus se subduxissent, ne omnino eos deseruisse viderentur. Pro capta arce Sterlinensi aut communicatis consiliis cum Ruthuenianis nulla illis opus erat Apologia,nec illius culpæ insimulati erant.

Comitiis anni 1584. Episcopis collata iurisdictio sed successu irrito.

Pag. 53.

Æstate proxima regem dicit (quod verum) publico ordinum decreto Præsulibus potestatem in inferiores ministros restituisse,cœtus & conventus ecclesiasticos edictis inhibuisse, sed successu ut in rebus perturbatis irrito. *Nobilibus enim ab exilio ad Cal. Novembris anni 1585 revocatis & post humillimas preces in pristinum gratiæ locum receptis: Ministri ex fuga in Angliam superstites, situs factorum condenatione*

donatione non contenti, suam disciplinam in lucto priori Decreto, stabiliri vehementer urgebant Quod cum à nobilibus destituti impetrare non possent, ad veros mores reversi, in aulam plenis velis invehuntur. Cum nobilium alii extincti, alii relegati aut proscripti essent, celebrarunt Comitia statim post reditum, P. Adamsonii ex Anglia, sine publica indictione, & dimissa prius quàm fere intellexerint, quorum intererat, qui & in quem finem convenissent. Hoc illud Parliamentum, cujus decreto dicit præsulibus restitutam potestatem in ministros, & conventus Ecclesiasticos edictis inhibitos. Addam, ampliorem potestatem in his Comitiis collatam Episcopis quàm vel in colloquio Lethensi concessa, vel ipsi unquam arrogare ausi sunt, & quidem non consulta nedum consentiente Ecclesia. Cum edicta Parliamenti illius evulgarentur Robertus Pontanus & Gualterus Balcanquellus purioris Evangelii ministri intercesserunt publicè, idque fratrum omnium & Ecclesiæ nomine. Quam ob rem & liberam reprehensionem tyrannicus aulæ se clam subduxerint Lowsonus & Balcalquelius, & in Angliam se receperunt. Ex actis Parliamenti sequutæ sunt graviores turbæ. Adamsonum & Mongomerium pro Episcopis legitimè vocatis habere, iis obedientiam polliceri & præstare, ea chirographis suis obsignare vel duriora pati oportebat. Mongomerius quis & quantas nobis turbas dedit, supra diximus, majores tamen Patricius Adamsonus. Patricius Adamsonus aut rectius Constanus (Patricii Constani filius) qui quandoq; Cõstantii nomen assumpsit, postquam scholis egressus est, incipiente ecclesia Ecclesiæ nomen dedit, deinde cum avido animo fructus ille non satisfaceret, ad jurisprudentiam se contulit. In hunc finem proficiscitur in Galliam: Reversus, cum ex causis forensibus, quod voraginem animi expleret, non percepisset, relicto foro ad suggestum rediit. Opera Andreæ Haii, quem hominis miserebat, Pasletensis minister creatur. Cum neque hac offa gulam expleret, ad aulam provocavit, ut Episcopatum aliquem (nam tum aulici quærebant quos minimo ad illud nomen conducerent) interciperet: plus enim ex illo cadavere quàm ex tenui sacerdotio corradi posse percipiebat. Hic mortuo Ioanne Douglassio factus quod multo ante spe captavit, Fani Episcopus, id est titulo beneficii & particula redituum donatus anno 1575. Nam de officio, an ullis legibus diutius ferendum in Ecclesia cœptum est tunc acrius disceptari. Ille simulabat, sicut decrevisset Ecclesia de Episcopatu, se obtemperaturum, clam tamen Ecclesiæ consilia & conatus, quoad potuit, subruebat. Anno 1582 correptus morbo à veneficis salutem petiit. Nondum plenè recuperata valetudine, post unius fere annis latebras & languorem in publicum prodiit, con-

cionemque habuit coram Rege, & novorum consiliorum authoribus Andreapoli anno sequenti, (cum eo se recepisset Rex, postquam subduxisset se à factione altera Nobilium) in qua graviter invectus est in ordinem Ecclesiasticum & synodorum constitutiones. Sibi malè conscius multorum criminum, Ecclesiam, ut hostem illi infestissimum vel clam vel apertè oppugnabat. Simulat se profecturum ad aquas Spadanas valetudinis causa, in Anglia tamen substitit, & pro legato se gessit, ubi cum Episcopis Anglicanis & Bancrofto præcipuè consilia contra Ecclesiam nostram contulit. Ad Theologos exteros literis datis affinxit nobis theses odiosas, ut Ecclesiæ nostræ odium crearet. Ante reditum Nobiles quidam in Angliam se recipere coacti, ut nemine obloquente resp. & Ecclesia facilius opprimerentur. Nam statim à reditu celebrantur Comitia. Episcopi in odium ministrorum & Ecclesiæ constituti, Synodorum & Presbyteriorum jus abrogatum. Post comitia, jurisdictionis quæ Presbyterorum erat jure Episcopis Parliamentariis collato, Academici præsertim Glasguenses Andreapolin traducti, ut apud Adamsonum captivi in arce custodirentur, ministri regia authoritate compulsi, aut subscribere Episcopali tyrannidi, aut in carceres aut exilia abire. Multorum ministrorum tunc se prodidit imbecilitas, instauratæ Ecclesiasticæ tyrannidi homonymôs subscribentium, adjecta limitatione ambigua vel potius futili; nempe *secundum verbum Dei*, quæ tamen multis errandi occasionem præbuit, ac si edicto regio salva conscientia, cum hac exceptione parere potuissent. Cum subjicere se spirituali jurisdictioni Episcoporum secundum verbum Dei nihil aliud sit, quàm agnoscere Episcopos habuisse jurisdictionem spiritulem, sed non parendum esse iis si quid imperaverint, quod cum Dei verbo non est consentaneum. Sic Synodis & conventibus Ecclesiasticis, Principibus aliisque inferioris ordinis magistratibus obedientiam, & non alia lege polliceri, & præstare debemus. Quis his temporibus rerum nostrarum status fuerit ex A. Meluini literis ad Theologos exteros discat lector. *Ita visum fuit domino*, inquit, *servorum suorum laboribus ex præscripto verbi sui susceptis benedicere, & tanta tamque incredibili fœlicitate Scoticanas Ecclesias pro singulari sua beneficentia hactenus cumulare. Verum interea, proh dolor, dum tantæ & tam raræ Dei erga nos gratiæ & benignitati, non ea qua par est animorum gratitudine & officiorum sedulitate respondemus; ecce stupendo quidem sed justo Dei judicio Satan quendam non ex nobis licet inter nos verbi ministerio fungentem ita excæcat ambitione & avaritia, ut oblitus, ut ait ille Decorisque sui sociûmque salutis cœlum terræ misceret, & omnia turbare pergat nec intermittat. Nam cum deserto grege & clam Ecclesia in aulam irrepsisset, cum pseudoepiscopatum quem antea semper oppugnabat, non solum rursus ab inferis emergentem pessimis artibus invasisset, sed etiam dominatum*

natum à se postea pro concione & in magna synodi frequentia serius abjuratum & variis syngraphis & subscriptionibus resignatum sibi resumpsisset, cum se juratis Ecclesiæ & religionis hostibus in vilissimam servitutem mancipatum in turpissima causa conjunxisset, cum in rebus dubiis & desperata valetudine non sagas modo de re summa consuluisset, sed etiam contra vim morbi veneficarum opem & auxilium supplex implorasset; cum alia multa, quæ nec tempus sinit, nec pudor vetat scribere (vna etiam atque altera post anni fere integri pertinax silentium habita concione turbulenta) perpetrasset: necnon cum Maciavellis aulicis & papæ emissariis domi in optimi cujusq; & fortissimi viri caput truculenta consilia versisset, quorum omnium causa interdicto jam illi munere docendi, dum censuras metuit Ecclesiasticas, liberam legationem in exteras regiones specie quidem valetudinis curandæ, vt res ipsi docet, Ecclesiæ vexandæ causa, à regia maiestate impetrat. Dabitis (vt speramus) Reverendi patres & fratres in domino nobis hanc veniam vt in Dei & Ecclesiæ causa &c. Londini igitur pro legato se gerens cum Legatis Regum Galliæ & Hispaniæ clandestina frequens consilia tractavit; cum vicinis Episcopis (nam in vicinia substitit, nec vlterius progredi secum proposuerat) eos sermones habuit, quibus optimos quosque cives vt seditiosos & perduelles traduceret, iis consiliis se totum dedit, quorum vi nunc coguntur doctissimi quique & fidelissimi in vtroque regno pastores aut silere prorsus aut abire ministerio, aut fuga & exilio vitæ suæ consulere, aut squalorem carceris & pedorem experiri, aut denique quod vnum superest, Episcopatus ambitiosæ tyrannidi & rituum plurimorum impietati contra officium & conscientiam subscribere. Hinc illæ ad vos & fratres Tigurinos Archiepiscopales literæ, quibus mirus ille quidvis simulandi & dissimulandi artifex, & nos fictis criminibus onerat & Ecclesiarum nostrarum politiam variis gravatam calumniis in quæstionem vocat. Quamvis & ille minimè omnium ignoret, & nos nobis probè conscii sumus nos in id vnum sedulo incubuisse, vt nostra disciplina ex Dei verbo quoad eius fieri potuit, à nobis peteretur. Hoc vobis persuasum volumus ἐυταξίαν Ecclesiasticam quam Adamsonus est ausus primùm ex insidiis petere, deinde palam oppugnare, tandem etiam vt pontificiam tyrannidem, vt confusionis matrem, vt facem seditionis improbè calumniari, perfidè execrari, & malitiosè exhorrescere, jam inde à profligato papismo in nostras Ecclesias ex Dei verbo petitam & mox cunctis omnium (nempe in conventu generali) *suffragiis comprobatam, & ad nonnullam paulatim pro nostro captu & modulo perfectionis mediocritatem Dei beneficio tandem perductam, & tertio ab hinc anno regis ipsius & singulorum ex quoq; ordine civiũ singillatim & oris professione & manus subscriptione & iurisiurandi religione approbatam, obsignatam, sancitam fuisse.* Et paulopost. *Auctor est regiæ maiestati & quibus nunc obsessus tenetur* (sed volens) *Papanis & Epicureis Guisiorum & Reginæ matris clientibus, vt habito ordinum regni conventu, Presbyteria funditus evertant, tyrannidem pseudoepiscopa-*

lem restituant, regi merum in res divinas imperium, & absolutam, vt voleant potestatem decernant, excommunicationis sententiam legitimè à Presbyteris latam sua authoritate irritam pronuncient. Denique omnem Ecclesiasticam jurisdictionem & secundum regem Ecclesiæ regendæ potestatem pseudoepiscopis aut iure excommunicatis aut palam flagitiosis permittant. Inter quos facile principatum obtinet ac dominatur horum omnium consiliorum & scelerum Architectus & administer P. A Fani Andreæ Pseudoarchiepiscopus, qui perpetua hac & Pontificali dictatura fretus, mirum quàm impotenter in pastores grassetur & pios omnes. Nam & articulos abs se conferruminatos, vel potius decori Ecclesiastici labes ex fæcibus doli Pontificii in viciniæ fundo nimis tenaciter adhuc hærentib⁹ nuper haustas propinat, bibendas Ecclesiarum ministris & regia authoritate subscribendas obtrudit. Non diu duravit tempestas ista; & irrito successu restitutã episcopis potestatem fatetur Misadelphus. Dicit Nobiles revocatos. Quis hos Nobiles ab exilio revocavit? Araniusne, qui illis advenientibus, fuga sibi salutem quæsivit? An Rex, qui totus ab Aranii cõsilio pendebat? Humillimis precibus pristinum locum gratiæ recuperasse sagitta est ex eadem pharetra. Nobiles isti vi & armis inimicis à rege partim reiectis, partim captis, professi se ut regis salutem tuerentur, dignitatem restituerent, venisse, à rege recipiuntur. Ad ministros quod attinet, nihil in se admiserant, quod condonari sibi postularent: neque illis quicquam condonatum. Ob libertatem ecclesiæ exulabant, reversi eandem libertatem propugnabant. Qui nihil peccat, nihil opus habet venia. Non eos gerebant animos, quos qui gratiam captant, gerunt, ut quodvis in se potius admittant flagitium: quàm, ut gratia quam venantur, excidant.

Ministri Edinburgenses quo sensu renuerunt Reginam Deo precibus cõmendare. P. 54 & 55

Quæcunque speciem habent convitii, undique corradit ingratus filius in matrem ecclesiam ut evomat. *Ministri Edinburgenses* (inquit) *pro regis matre, de cuius vita consilia in Anglia agitabantur, noluerunt preces ad Deum concipere plus quàm barbara inhumanitate, quod ne pagano quidem negari debuit.* In quibus verbis invidia, quæ nusquam non apparet, se totam prodit. Quid enim dici aut fingi potuit narrando improbius, quàm quod boni est supprimere, quod mali, ad invidiam proclamare. Erat enim illa mulier bonis omnibus formidini. Papistæ ut eam ad gubernaculum admoverent, Reginæ Anglorum lectissimæ fœminæ nullas non tendebant insidias. Neque ipsa habebatur ab his consiliis aliena. De salute huius in vitam illius consilia in Anglia agitabantur. Hîc imperatum est Ministris Edinburgenis, ut pro salute eius pro concione Deum publicè appellarent. Responsum est se pro salute animæ precaturos, sed mortem, si rea, non posse deprecari. Eam enim potius debere Deo gratiam, quòd intelligerent se, ecclesiam, ipsumque regem ea morte magno periculo liberatum iri.

ri. Neminem enim, ne si pater quidem suus in publica peccet, debere privatam gratiam publico studio præponere. Iam spectate hoc horum ministrorum inhumanum factum; quamque ingenuè episcopus agat, qui si quid esset culpæ, quorundam factum in publicam conscientiam vertit.

Hoc anno (nempe 1586) *tabula* (inquit) *Presbyteriorum* (*cuius Sectarius pag.* 11. *meminit*) *ab Alexandro Haio Scriniorum Magistro, qui situm regionum & ecclesias, quæ commodè vniri poterant, pernorat, confecta est, & in conventu ecclesiastico exhibita. Qua de re disserens Adversarius, bis in eadem linea impegit. Primum enim ait anno* 1581 *confectum, vt Presbyteriis suis majorem antiquitatem, annorum nimirum sex conciliet. Deinde cum vult à Rege ad conventum missam, cum in actis sit, Patronos, perferendæ pro conventu legationis electos, inter alia flagitasse, vt designationem illam Presbyteriorum ratam haberet. Sed id à Rege aliter obtineri non potuisse, quàm vt illos conventus Præsules in suis ditionibus moderarentur, tandemque post longam disceptationem convenisse, vt episcopi Presbyteriis vbique præessent, ita tamen vt in Fano Reguli Robertus Willichius episcopi vice fungeretur, aliter Melvino satisfieri non potuit.* Dixi supra, ante Mongomeriana tempora Regem per virum nobilem Guilielmum Cuningamium Dominum Caprintonium, de consilio Senatus sui & quorundam ministrorum ad id selectorum formulam misisse Presbyteriorum instituendorum. Id iste negat, & ait à Philadelpho confictum, ut maiorem antiquitatem Presbyteriis (nempe classicis) conciliet. Sex annorum antiquitas non est tanti, ut quisquam turpe facinus tam exigui momenti causa in se suscipiat. Scire debuit anno 1580 conventum generalem Taoduni celebratam petitionem ad Alexandrum Haium decrevisse; vt dignaretur cum Dunensi Comarcho, Roberto Pontano, Davide Lindesio, Iacobo Lowsono, Ioanne Cragio, Ioanne Duncansono de formula Presbyteriorum, consultare. Vbi vides, tres eorum, quos hic negat, huic rei favisse, iterum suam operam hic impendisse, & de Presbyteriis constituendis ut parte politiæ præcipua ante editam confessionem fidei conventum fuisse, & de ipsa formula consultasse. Viri nobiles Lundæus, & Prior Pettinwemiæ delegati erant à rege, ut Synodũ istam præsentia sua ipsius nomine cohonestarẽt, & in omnibus consilio juvarẽt. Hæc illa Synodus in qua particulari canone profligatus Episcopatus. Diagramma Presbyteriorum per totum regnum constituendorum misit rex anno 1581. per Dominum Caprintonium ad conventum generalem. Glascuæ agitatum, quod in tabulis ecclesiæ authenticis insertum est, & delegati quidam sunt qui gratias agerent Regi. Per eundem Caprintonium & ministros aulæ ad eundem conventum misit confessionem fidei, vnàque petiit, ut curarent per ministros in singulis parochiis chirographis civium cuiusvis ordinis obsignandam.

Tabula Presbyteriorum exhibita conventui] ante annum 1586

Pag. 58.

Non

Non in Episcoporum igitur sed Presbyteriorum jurisdictionem juratum se profitetur, cum simul confessionem fidei & Diagramma Presbyteriorum miserit. Æstate sequente literas misit ad Nobiles per universum regnum, quibus mandabat ut suo nomine Ministris assisterent Presbyteria singulis locis constituendo secundum Diagramma descriptum à consiliario suo, qui ei tum erat à Commentariis, quod absque ulla cunctatione optata alacritate & magna cum celeritate effectum est. Quin & ante petitionem Synodi anno 1580 ad Alexandrum Haium decretam, cœtus fratrum prophetantium jubetur interim Presbyterii partes agere, dum universalis fieret definitio limitum, & parœciarum cujusque classis seu Presbyterii. Presbyterio Glascuensi quàm molestus Mongomerius anno 1582. Andreapolitano Adamsonus anno 1583 & anno 1584, Presbyteria jure suo exuta sunt in Comitiis sed anno sequenti restituta. Qua igitur fronte audet assere Presbyteriis nostris antiquitate majorem nos conciliare, quam sinit verum. Negabit iste solem meridie lucere, qui negat quod non solum testantur tabulæ authenticæ ecclesiæ nostræ, sed etiam subditi omnes, qui adhuc superstites. Cur non patitur libellum tot mendaciis & calumniis à capite ad calcem scatentem publicè venalem apud nos prostare, judicet lector. Anno 1586. 12. Cal. Febr. ad Sanctæ Crucis in colloquio inter regios & Ministros quosdam, quatenus nomen & officium Episcopi tolerari possit, deliberatum est. Conventum est hujusmodi in scripturis haberi officium, sed ut unius gregis curam gerat; Itaque dandum esse illi unum gregem: addendum esse delectorum fratrum Senatum, de eorum consilio quæ facit rata habenda, Si quid secus audeat exauctorandum esse; examen de doctrina & vita penes conventum fore. Si deprehenditur, à rege deligendum, à conventu probandum esse, qui succedat. Potestatem ejus fore ordinis non jurisdictionis; licere dare huic præter suum gregem inspectionem ecclesiarum. Si major ditio quàm pro viribus, addendos esse commissionarios cum pari potestate. Non fore Commissionariis in ejus ditione, aut illi in eorum jus: probanda esse his presbyteria, presbyteriis singulis ecclesias. Si deligendus in aliquo presbyterio minister, eò proficiscendum Episcopo cum suo Senatu, ut communi consensu delectus fieret. Hæc cum ad Synodum generalem Edinb. 6. id. Maii. deferrentur: de probatione Episcopi dissensum est. Probandum enim fore, ut alii ministri probantur à presbyterio. Regis legati nihil audiunt, nisi omnia probentur. Rex consulitur. Tandem conventum est, ut Episcoporum & Commissionariorum probatio à generali conventu fieret. His Episcopis & Commissionariis datum fuit, ut in presbyteriis, in quibus suus grex esset, ad tempus, donec de reliquo statueretur, præsiderent. Qui subscripserunt ministri sui nominis infamiam veriti

zelum in causa Dei remittere cœperunt, prætendentes regis pertinaciam, de summo rigore aliquid remittendum contenderunt, quibus cessit pars ea quæ se tam turpi macula non inquinaverat. Sed anno sequente redintegrata animorum concordia ad communem causam promovendam conventum est. Sed nec iste Episcopus quem his legibus Synodus ista admisit, erat re & officio, sed nomine & titulo Episcopus, cum prostasia quadam Ordinis, quæ non diu duravit. Hæc ille sic narrat, acsi Episcopi isti cum plena potestate forent, qualem ipse nunc usurpat. Næ ille, si his sepibus clauderetur, brevi caula excluderetur. Quod de Willichio ad Fanum additur, id regia voluntate factum est: quia Episcopus vixdum excommunicatione, liberatus esset multaq; lis illi cum presbyterio fuisset. Quod dicit id de voluntate Melvini factum: nihil potuit in regiam dignitatem fingi turpius. Nam ut Regi decoro est, rectis consiliis duci, turpe est voluntati cuiusquam nisi cum ratione obtemperare. Cæterum ut quod reliquis Episcopis concessum fuit, huic negaretur, nulla prorsus suberat ratio. Multa huiusmodi homo sapiens in regem cui assentatur, peccat, si esset consilii mei ejus ineptias extra oleas persequi.

Adamsonus non excommunicatus absens & inauditus. P. 57. 58.

Hic Rex (inquit) *primum ad ministrorum studia suam voluntatem accommodavit, ratus mansuetudine & lenitate provocatos officio im posterum non defuturos. Sed scitum est nimia lenitate improborum audaciam crescere, & peccantium impunitate sceleribus novis aditum patefieri, nec inquieta ingenia cedendo sed domando flecti. Illi enim statim Archiepiscopo Fani Andreæ, ut se presbyteriorum iudicio subjiceret, denunciat, gravi indicto ni pareat, quam comminationem cum ille pro solita constantia sprevisset, absentem & inauditum diris sunt prosequuti, licet sequenti conventu* (nationalem intelligit) *in ecclesiæ gremium receptus & prior sententia velut vana omnium sententiis damnata sit.* Quid in regiam dignitatem dici potuit fœdius aut indignius ad subditorum suorum improba studia voluntatem suam accommodasse: & improborum audaciæ & peccantium sceleribus frœnos nimia lenitate & impunitate laxasse. Sed hæc est assentatorum divinitus imprudentia, ut cum maximè captant, maximè offendant. De improbitate nebulonis, qui ecclesiam sanctissimam in qua natus, educatus, & honestatus ministerii dignitate fuit, cuius aliquando pars fuit, cui fidem dedit, cui fidem & animam debet, tam indignis conviciis lacerat, quid dicam? De episcopo P. Adamsono quod addit, malè temporibus illi est divisum. Nam Episcopus ille in conventu prouinciali prid. id. Aprilis de multis fœdissimis flagitiis excommunicatus fuit. Synodus qua in ista conventum 6. id. Mart. post Edinb. habebatur, vt nulla ratione post intendi illi periculum possit: neque a Regis lenitate principium capere, quod antea factum fuit. Excommunicatus fuit Episcopus Synodo quam iam

dixi,

dixi, provinciali ad Fanum Reguli. In Synodo nationali ad 6. id Mai. Edinburgi, Rex usus est summa ope, ut sententiam revocarent. Remoti, qui sententiam tulerant, protestantur, nisi capita litis ritè examinentur, se pro nihilo decretum habituros: tamen decernunt non esse consultissimum litem examinare, pro non lata statuere, modo in sequentes articulos juret, se nunquam appetivisse prioritatem in collegas ministros, eamque à sacris literis esse dissentaneam: se non arrogasse in ultima synodo ut moderaretur, vel si fecerit, agnoscat errorem suum: se in posterum nihil arrogaturum supra id de quo in ultimo colloquio convenerat: probationem vitæ & doctrinæ permittere synodo generali sine ulla aut fraude aut tergiversatione. In hæc ille juravit, quàm verè paulo post apparuit. Itaq; fit decretum ob varietatem sententiarum, ne quis cuiquam quidquam exprobraret. Hinc judicet lector quàm verè Episcopus scribat illum in gremium Ecclesiæ receptum esse, & priorem sententiam ut vanam omnium suffragiis damnatam fuisse. Quod ait absentem & inauditum fuisse excommunicatum, calumnia est. Cum congregata synodus Fifensis, ille inter alios interfuit: neque tantum interfuit, sed contendit suum esse præesse. Verum cum vidit se non tantum de ea spe dejici; sed litem sibi intendi: graviter commotus egressus est: sua quam arrogabat auctoritate, quosdam ex numero diris devovit. Ad regem appellavit, & per nuntios, quanta potuit celeritate, de periculo suo certiorem fecit. Rex intercessit apud synodum generalem, ut dictum. Quis nisi Episcopus dicat, absentem & inauditum damnatum esse, qui præsens neque adesse, neque causam dicere voluit.

Fundi ecclesiastici patrimonio regio annectuntur.

Hoc ipso anno 1587 consultatum inter aulicos dicit de fundis Ecclesiasticis patrimonio regio (quod superiorum temporum injuria vehementer imminutum prætexebatur) annectendis, & dicit rem causa deserta summa Ecclesiasticorum perfidia in Comitiis transactam, & decreto ordinum, actis intervenientibus insinuatam. *Nam Episcopi,* inquit, *durissima quæque à fratribus passi non aliud perfugium habebebant, quam ut aulicorum libidini se dederent, & ministri præsulum exitio inhiantes, vindictæ cupidi, & in futurum improvidi passi sunt sibi ab illis impostoribus os obliniri, qui iactare non dubitarunt se Episcopis* [illegible] *infixisse. Patrimonio omni ecclesiæ abjudicato, via ad decimas patebat, isq; haud ita multo ablatis, subditi prope omnes hæreditaria transactione rei, quæ ante quodammodo erat temporaria, oppressi, nunc miserrima servitute conflictantur. Ad regem autem ex illa ostentata spe non adeo multũ rei perveniebat. Nam statim a transactione, omnia aulicis qui gratia florebant donata, nitentibus pro se invicẽ singulis, quo malum communius, remedium difficilius foret.* Dolet Episcopus fundos ecclesiasticos patrimonio regio annexos, quia redimendi erant Episcopatus magno pretio à Nobilibus quibus conati sunt. Si

Pag. 92.

ulla

ulla hic perfidia ecclesiasticorum episcopis suis qui titulo beneficii gaudebant, ascribenda est. Penes ministros non erat aulicorum rapacitatem cohibere, nec si potuissent, fundos ecclesiasticos episcopis assignassent, sed ministris, pauperibus, scholis. Non hic prætereunda est insignis istorum nebulonum perfidia. Cum in conventu ecclesiæ dolo obtinuissent, ut tot ministri in Comitiis haberent jus suffragii, quot sub papatu ecclesiastici, Abbates, Priores, Episcopi, id est numero quinquaginta, deinde etiam ut veterum beneficiorum titulo gauderent, & titulos assumerent, quia non alia lege assenserunt Ordines; in comitiis anno 1606, de 16 aut 17 Prælaturis in Dominia, ut vocant, temporalia mutandis in gratiam quorundam nobilium assenserunt, ne illis episcopatus invadentibus, & jus suffragii ambientibus obsisterent, sed ut ad tertium Ordinem regni admitterent. Sic fœda pactione inter eos, & Nobiles facta admissi ad ius suffaragii in comitiis & dignitates, prærogativas & privilegia episcoporum veterum, spretis legibus quas præscripserat ecclesia, & proinde duplicis perfidiæ rei sunt. *Verum à quibusdam*, inquit, *quasi non satis turbassent, in proximis Synodis agitatum, ut personatuum, Vicariatuum, & aliorum Beneficiorum proventus in commune collatos, ministri ex æquo partirentur, & ut titulis Curionum, Vicariorum, Canonicorum, Præbendariorum, & cæteris id genus velut papanam superstitionem redolentibus, nec inter purioris fidei cultores tolerandis, omnes deinceps abstinerent.* Quid hic reprehensione dignum, Episcope. Bona Ecclesiæ non dividenda tanta inæqualitate ut apud Romanenses, & secundum leges decretales juris Canonici, sed prout judicaverit ecclesia varia officiorum onera poscere. Quod si æquum sit, quid ministris evangelii cum Rectorum Vicariorum Præbendariorum, &c. nomenclaturis, quas ministri à beneficiorum varia natura sortiuntur. Pag. 61.

Inter hæc, inquit, *Patricius Adamsonus Fani Andreæ Archiepiscopus nullum non contumeliarum genus, à discipulis gymnasii novi perpessus in securitatem posteri temporis, amicos & clientes donis & largitionibus obligando (à quibus tamen postea destitutus est) ad eas rei familiaris angustias decidit, ut opem ab inimicis implorare cogeretur: qui occasione lecti palinodiam ei per vim expressam, sed innumeris à se locis interpolatam typis publicarunt. Ita egestate & miseria confectus decessit vir doctrina & virtute nemine sui temporis inferior.* De doctrina illi nihil detrahimus, fuit enim non indoctus, neque exiguo ingenio præditus: verum de virtute, non eadem facilitate concessero, nisi neque in rebus verum, neque in verbis fidem, neque in vita modum servare virtutem dicas. Quis virtutem eius laudet, quem ipse fateris non virtute niti, sed donis & largitione amicos in securitatem posteri temporis parare? Quem nemo in Scotia nescit in conventu generali, ubi ructare turpe esset, gremium suum, totaque sub-

P. Adamsoni Palinodia & obitus. P. 61. 62.

 sellia

sellia frustis esculentis vinum redolentibus implevisse? Qui cum Bancrofto Anglo Episcopo contra sanctissimam ecclesiam consilia contulit? Qui regi suasit suum esse ex antiquo more ecclesiæ leges dare, & ideo Episcopos daret, qui in sua potestate forent? Hæc ego de mortuo libentius tacerem nisi istius importuna laus cogeret verum vindicare. In morbum relapsus, cum de salute desperaret, ad Synodum Fifensem, quæ olim excommunicavit, ad Fanum congregatam petitionem tulit, ut se ecclesiæ restitueret; torqueri se conscientia factorum: nec quidquam in votis magis habere, quàm ut in gremio ecclesiæ supremum diem clauderet. Vides quàm vana fuit sententia excommunicationis quam ratam habuit ipsius conscientia. Hanc illi confessionem bonus noster Episcopus, contra plures testes, quorum quidam ministri, quidam nobiles, quidam jurisperiti, quidam cives, omnes spectatæ fidei, expressam esse contendit. Si nihil in toto hoc libello falsi asseruit, facile patior, ut eius fidei potior ratio habeatur. *Reliquis etiam* (inquit) *episcopis è medio discedere & domi metu & ignominia, aut quod operam suam inutilem ecclesiæ cernerent* (quæ nunquam utilis fuit) *latitare coactis Presbyteriani quatuor circiter annos omnia uni & ad arbitrium gerebant.* Hoc ita dictum est, ac si ante hoc quadrennium Episcopi omnia soli possent. At nostri eorum operam nunquam probabant. Qui ad causam reformationis principio se adjunxerunt, volebant illi quidem antiquo jure uti in sua quisque diœcesi, sed quid responsi tulerint, dictum est. Post hos ministri quidam rei suæ quàm Christi studiosiores mortuorum exuvias aulica fraude induerunt, & ecclesiæ negotium facesserunt. Si certamina cum Mongomerio & Adamsono persequerer, nihil aliud quàm mentitis promissis & periurio nequissimorum hominum lectorem fatigarem.

Pag. 62.

Cōfirmantur conventus ecclesiæ Ordinum decreto anno 1592 P. 62.

Anno, inquit, 1592, *cum magna pars Nobilitatis secus de religione sentire & cum Hispano conspirasse diceretur, & Bothuelius è custodia elapsus tragœdias passim excitaret, Rex ut sibi interim ecclesiam obnoxiam haberet, Ministrorum placitis acquiescere in animum induxit. Itaque hoc anno Presbyteria & Synodos Ordinum edicto confirmavit.* Cum diceretur, inquit, *magna pars* nobilitatis cum Hispano conspirasse, ac si dictum non factum fuisset. Vides ut Nobilium in remp. & ecclesiam conjuratorum crimen tegere conatur, quod ut sit manifestius, rem ut gesta erat, breviter narrabo. Georgius Kerus viri Nobilis Neubotelli huius nefariæ conjurationis non conscii frater ad littus Occidentale aliquot dies navem præstolabatur. Ex eius verbis conjectum est negotium papisticum agere. Cum navis jam solveret cum idoneo commeatu, minister Pasletensis conscendit. Scrinia illius aperit; literas offendit partim latinas, partim gallicas, omnes nominibus & sigillis Comitum Angusii, Huntilæi, & Arralij, aliorumque minoris gentis communitas. Itaque Edinburgum

gum tractus, & in quæstionem à sanctiore Senatu vocatus, nihil voluit profiteri. Angusius, qui tum forte in urbe fuit, in custodiam datus, non multo post evasit. Rex literis alteris à Senatu, alteris à Ministris Edinburgum repente accersitur. Eo multi mortales undique confluxerunt. Petunt ut de captis cognitio fieret, & eorum bona publicarentur. Rex Barones graviter incessit quod ad ministrorum monitus sine sua auctoritate convenissent. Illi respondent se monitos a Senatu illo absente venisse. Cæterùm in tanto periculo religionis & reip. non esse expectandam authoritatem. Rex periculum fassus promisit de eorum consilio daturum operam, ne quid ad salutem publicam omitteretur. In quæstione ex Georgio Kero & Fentrio, qui tum etiam captus fuerat, compertum est inter Guiliel. Crichtonium, qui in Hispania fuit, & Iacobum Gordonium Huntilæi patruum in Scotia pactum fuisse, ut syngrapha ad fidem negotiationis suæ quàm plurima posset, ad se mitteret: ille ab Hispano classem triginta millium impetraret, ad Fanum Cuthberti aut ostium Glottæ sub finem veris anni 1592 appulsuram. Horum quinque millia cum Scoticis copiis conjuncti Scotiam reformarent: reliqui cum equitatu Scotico Angliam invaderent. Adnitentibus viris bonis vix tamen impetrare potuerunt, ut pro tanto scelere luerent. Proscripti tandem sunt, & eorum patrimonia fisco regio adjudicata sed non candidè hæc fiunt. Nam eorum propinquis & affinibus reddita, qui erant conjuratorum quasi Oeconomi. Vbi ait Regem acquievisse ministrorum placitis ut ecclesiam sibi obnoxiam haberet, cum parsq; Nobilitatis cum Hispano conspiravisse diceretur, & Bothuelius tragœdias excitaret, imprudens indicat Regem ministris fidisse nec ullos magis fidos sensisse, aut amantiores, si eorum animos sua culpa non alienasset. *Hoc* (nempe edictum Ordinum de Synodis & Presbyteriis) inquit, *est illud Palladium in quo fatum Presbyteriorum continebatur, quod Sectarius* θεόκλητον δῶρον *appellat, & de quo nonnullos tam insulsè gloriantes vidimus ut exosculari, & in sinu gestare, & secundum Canonicas scripturas summam ei authoritatem deferre non vererentur.* Scilicet edictis ordinum secundum sacras scripturas summam authoritatem detulerunt ministri. Spotswode, nos concilii generilis canonibus majorem authoritatem tribuimus quàm ordinum decretis. Si ecclesia in suo conventu conventus hos probaverit ut consentaneos canonicis scripturis, majoris est apud nos ponderis, quàm si Ordines regni probaverint. Beneficium tamen agnoscimus, si Ordines publica sanctione confirmaverint judicium & decreta ecclesiæ. P. 63.

Hoc successu ministrorum (inquit) *eo crevit insolentia, ut non contenti sua functione, lites & reos omnes ad suum tribunal revocare niterentur, concilij publici placita rescindere, Ordinum decretis, quæ ad stomachum* *Ecclesiam lites omnes ad suum tribuna revocasse calumnia. Pag. 63.*

 non

non facerent, intercedere, populum omnem contra hostem in armis paratum esse jubere: nihil denique erat quod istos tam severos censores effugeret. In peccatis hominum in Deum, quæ politicis suppliciis afficiuntur: si magistratus pro suo jure pœnam remittit: quis neget Ecclesiam tamen posse jure suo ad pœnitentiam flectere. Quis dicet eos, qui ista faciunt, lites, & reos omnes ad tribunal suum vocare præter episcopum, qui quid dicat, nihil per si facit. Exempli causa Huntilæus Comitem Moravium noctu incensis ædibus per summam immanitatem occidit. Hujus facinoris supplicium Rex per aulicam gratiam Huntilæo conjurationis etiam, ut dictum, reo condonavit. Ecclesia Huntilæum tamen sub pœna dirorum jussit Ecclesiæ satisfacere. Hoccine erat litem ipsam ad suum tribunal vocare? Aliud tribunal est, quod de cœde & supplio cœdis cognoscit; aliud quod de pœnitentia & scandalo statuit. Quod ait jussisse populum, ut in armis essent contra communem hostem, intelligit opinor, Comites qui cum Hispano conspirarunt. Hortati sunt (nam jubere aut imperare non poterant) quod, cum in tanto periculo constitutæ essent & resp. & ecclesia, illis vitio vertendum non est, nec nisi prius regem hortati alios adhortati sunt.

Rex favet Comitibus conjuratis in remp. & ecclesiam.

Pag. 64.

Atque tunc primum, inquit, *creati sunt Ecclesiæ Consules, qui in omnes occasiones Edinburgi residentes Synodos indicerent, & ministros pro re nata convocarent. Hi regem de Papanorũ Comitum (ita tum eos vocabant) causa cogniturum, partim minacibus libellis, nomine Nationalis Synodi quam ideo promulgarant, exhibiti; partim fidelibus omnibus & quotquot religionem salvam esse vellnt, ad diem comitibus Limnuchi dictum, & causam disceptandam adesse jussis, eo perpulerunt, ut tumultum veritus judicium differret, ac postea quod unicum rebus pacandis remedium videbatur, exilium remitteret.* Rem, ut gesta erat, narrabo. Iejunium instituitur. Papani Comites excommunicantur. Non multo post se Regi Iedburgum proficiscenti ad Falam (is vicus decem millibus distat Edinburgo) objiciunt. Postea amicos & clientes Taodunum convenire jubent: futuram de se Perthi quæstionem. Missi sunt quidam Iedburgum, qui Regem monerent, ut daret illis diem quæstionis, parare enim vim, ut judicium in suas leges ferant. Barones monent Perthianos, ne portis suis conjuratos recipiant. Illi consilio parent, usque dum Regiis literis jubentur admittere. Hinc omnes quicunque religionem salvam vellent, ad vim propulsandam se comparant. Rex conjuratos jubet cum paucis se in judicio sistere. Sinceri idem faciunt. Edinburgo Limnuchum mittunt Legatos cum mandatis & Petitione ad Regem. Metellanus Cancellarius, priusquam eo ventum est, rem composuerat. Datum conjuratis edicto Regis, ut liberè per civitates negotientur, usque dum de iis cognoscatur. Duodecimo Novembris Edinburgi convenitur.

Ex petionibus quæ Limnuchum mittebantur, ad conventum refertur. Conjurati per suos advocatos leges & cōditiones proponunt. Rex Orationem habet, quantum reip. intersit, comites restitui, aliter posse aliunde accersere auxiliū, non sine summæ rei summo periculo. Decernitur ἀμνηστία non sine bonorum maxima offensione. Nam qui ad suffragium vocabantur, plerique omnes præjudicio erant occupati. Erat ea tempestate in Scotia ab Angla legatus Bollius vir non minore pietate quàm prudentia. Is suam Dominam certiorem facit. Illa dominum Souchium mittit, ut regem de severiore sententia appellet. Neque enim æquum esse, ut perfidi in Deum & patriam tanti sceleris impunitatem ferant. Hujus opera prior sententia, quod conjurati non essent usi ulla venia, edicto publico revocatur. Facillimè potuit paucos conjuratos opprimere, omnibus qui patriam vel Ecclesiam salvam cupiebant adhortantibus, & opem pollicentibus. Quid ergo perpulisset ut exilium aut graviores pœnas remitteret.

Nec hic furor stetit (inquit) *sed Regem & serenissimam Angliæ reginam, cum qua Rex arctissimam amicitiam colebat, convitiis proscindunt. E quorum numero David Blackius concionator ad Fanum Reguli, maiestatis postulatus scripto sua & Consulum quos dixi manu obsignato ad Synodum provocavit, cui soli ius esset, quæ pro concione dicerentur, examinare, quæsitis hinc inde argumentis contendebat. Rex pro eo ac debuit rem indignè ferens, cœtus & conventus omnes lege non sancitos, publica præconis voce inhibuit, consulibus Ecclesiæ Edinburgo excedere imperavit, qui tergiversando & moras subinde nectendo faces plebis animis ira tumentibus subdiderunt, ut concursu ad prætorium facto facinus illud tandem ad 16 Calend. Ianua. (nunquam sine Catharorum infamia nominandum) designatum sit.* Hoc illi solenne est affictο uni crimine omnes alios onerare. Ait enim, è quorum numero erat David Blackius. Erat hic Blackius & vitæ & sinceri animi laude omni memoria dignus. Delectus ad Fanum Andreæ minister ita Ecclesiam illam administravit, ut in tanto populo (sunt enim plures quam 3000 qui sacram cœnam percipiunt) nemo mendicus conspiceretur, nemo sabbatum auderet violare. Nunc autem Episcopo & pluribus ministris inspicientibus ego, qui hæc scribo ante duos annos plures vidi tēpore concionis ipso dominico die in glacie ludere quàm in utroque templo sacris operam dabant. Ipse Episcopus, hoc die ludit, nec matutinæ concionis tempore si in itinere, transiens per oppidum aliquod, dignatur è curru descendere, ut audiat concionem; Festinandum illi ad diversorium aliquod. De mendicis nescio, nisi quod sciam hospitium quod ille exercendis & docendis pauperibus struxit, nunc vacuum stare. Huic messi Diabolus invidens lætissimam segetem in herba decussit. Dixerat Blackius pro concione nescio quid, nec quando, sed multò antè, quod

Dav. Blackii accusatio.

Pag. 65.

quod ejus inimicus Retorfortis etiam minister, qui præter Blackii odium, quo plurimis illi officiis obstrictus tamen flagrabat, quæsivit causam, qua aulam captaret, homo impuri & inquieti ingenii in contumeliam regum rapuit. Blackius adeo eius criminis reus erat, ut non recusaret se coram in Senatu sistere. At reliqui collegæ, qui tum forte Edinburgi vigilabant, ne Ecclesiæ auctoritas imminueretur, suaserunt ad suos judices provocare; Nam eo tempore summa fuit Ecclesiæ concordia & auctoritas: ut aulici ab ea tametsi regia gratia niterentur, timerent. Nam qui omnia sua libidine metiebantur, ab hac vigilantia metuentes, nihil libentius quàm Ecclesiæ calumnias audiebant, ut ejus auctoritatem minuerent. Itaque Retorforti sedulam operam navant. Blackium ad invidiam agitant. Clamant indignum esse istos obscuros homunciones Regis judicium declinare. Tandem in suam auctoritatem intentum regem eo perpulerunt, ut litem contestaretur. Deputati à conventu generali Ecclesiæ (quos hic consules Ecclesiæ vocat) ad prospiciendum ne quid Ecclesia detrementi caperet in perniciem Ecclesiæ mala adhuc machinantibus conjuratis, quorum quidam clam remearunt in patriam, quod Davidi Blackio assisterent, & ne conjurati postliminio restituerentur obsisterent, Edinburgo excedere jussi. Et ne alii obloquerentur, in Davide Blackio exemplum severitatis edere statuerunt.

Tumultus 16 Cal. Ianuar. 1596.

Quod consules Ecelesiæ ait jussos urbe excedere tergiversando & moras nectendo faces plebis animis subdidisse, ut concursu ad prætorium facto facinus illud 16 cal. Ian. anno 1596, designatum sit, falsum est. Deputatorum nemo aderat, nisi qui pastores urbani ex illo numero fuerint Cum Deputati generalis synodi Edinburgo excedere jussi essent, conjurati comites rediissent in patriam, ministrorum monita & consilia eluderentur, & versa rabies in eos ac optimos cives, quæ in conjuratos ferri debuit: eo die quo cives quodam edicto regio jussi indicta causa Edinburgo excedere, Gualterus Balcanquellus urbanorum pastorum unus vir summa integritate & constantia eo die concionem habuit. Explicata Ecclesiæ injuria nobiles qui forte aderant & cives ad consilium invitat: convenitur, consultatur: legati ad regem decernuntur. Interea rex in prætorium urbis ascendit: legati eunt, redeunt, durum referunt responsum. Ad constantiam professionis invicem se hortantur, & levatis manibus promittunt. Interim pro foribus templi ubi conveniebatur, nescio quis, sed subornatus ab aulicis, ut creditur, qui in Octoviros odio flagrabant, tumultum excitat Populus ratus pontificios ex insidiis adorturos, saltem aliquid contra pastores suos agi (nam is metus aliquot dies ante tenuerat) ad arma temere convolat. Deprehenso errore domum quisque suam repetivit. Qui si quid in

animo

animo habuissent mali, dici non potest quanta mali faciendi fuit copia. Nam cives intra civitatem quid non potuerunt efficere. Deductus Rex ad palatium per magistratus post sedatum tumultum. Quin Rex postea diligenti habita quæstione per ejusdem periculi socios, quos metus monuit nihil non rimari, nihil deprehendit sceleris, nihil affine sceleri. Civitas etiam 6 id. Mai. de læsa majestate citata, cum se Perthi, quo citabantur, stitissent Prætorum duo tribunus plebis, quæstor, ex Senatoribus quatuor, & ex collegiorum præfectis totidem, cum scriba publico ejusque vicario; quia prætorum unus abfuit, quem Iohannes Lindesius inter octoviros primarius huius fabulæ choragus, clam subornaverat, non læsæ majestatis, quæ nulla fuit, sed judicii non obiti damnata est. Habes lector horrendum illud scelus sine infamia Catharorum nunquam nominandum, quod si cui fuit infame Iohanni Spotsvodo fuit maxime, qui arma clamavit, armatus prodiit, & ut audio, ad arma Dominum Tarfichium evocavit. Si scelus, non Ecclesiæ, sed unius civitatis fuisset. Sed nullum fuit.

Vidimus (inquit) *nihil non à Catharis tentatum, ut vetere regimine subverso ad rerum gubernaculum turba incondita, & multorum capitum bellua admoveretur, vidimus nefariorum conatuum condignos exitus, dissipatos Ecclesiæ census, quos multorum sæculorum pietas Deo consecrarat, seditiones, factiones, tumultus, & apertam in principem rebellionem.* Oportet Lynceos habere oculos hunc Episcopum qui non ita pridem minus quovis bubone medio die vidit. Nunc autem per montes videt, quod nunquam factum est. Dic sodes nostrarum factionum, tumultuum, & rebellionum qui nam autores? ubi, quando, contra quem inita? An non pudet Episcopum, quem, quamvis Romanensis esset, deceret gravitatis salutem umbra, fingere more rixantis anus, quod omnes sciunt esse falsum? Nam exempla quæ hactenus attuli totidem calumniæ & nebulonis nebulæ sunt, quas diflavimus. Census Ecclesiasticos dissipasse ministros quorum nunquam erant compotes, quis affirmet, nisi qui fidem in propatulo habet? Ipsi dissipatores perfidi, qui in conventu ordinum fundis & decimis tot prelaturarum, ut modo dixi, Nobilibus quibusdam fœda pactione cesserunt, quo solo nomine excommunicationis censura ejecti fuissent ex Ecclesia, si non libertas conventuum nostrorum, præsertim synodi generalis, authoritate regia, sed vi erepta nobis fuisset. *Nec dubium* (inquit) *nisi tempestivè obviam itum esset, quin ad regem regno exuendum, magistratus omnes tollendos, & meram ἀναρχίαν res spectasset. Eò enim dementiæ phanatici venerant, ut insitum esse regibus omnibus in Christum odium, eosque Deo creatori, non Christo redemptori imperium acceptum debere, non obscurè prædicarent.* Quis præter te autumet esse verum quod tu sine dubio asseris. Annon erubuisses cum hæc scriberes? Annon timuisti, ne omnes, qui legerent

Fructus disciplinæ nostræ non seditiones & rebellio. Pag. 67.

Pag. 67.

rent

rent, plus odii quàm veri in verbis tuis olfacerent? An vel de rege regno exuendo, vel de magistratibus tollendis unquam consilia versarunt? Vagientem in cunis regem deserere, certis periculis & exitio exponere potuissent, adultum etiam, meo judicio, opprimere, si eò eorū spectassent consilia. Iis quos Catharos vocas, si ullis mortalium, devinctus beneficio Iacobus rex Brittanniæ. *Hæc* (inquit in margine) *erat discipulorum collegii novi theologia, qui tum diligentius libellum Buchanani de jure regni quàm Calvini institutiones lectitabant.* Neminem novi theologi elogio apud nos dignum, qui non diligentius legerit Calvini institutiones quàm Spotsuodus, quem puto vix intelligere, si legeret. An consenescere debet theologus apud Calvini institutiones, & non plura sapere. Quidni legerent theologi Scoti dialogum Scoti eruditi de jure regni apud Scotos. Si quis non obscurè prædicaverit insitum esse omnibus regibus in Christum odium, non longè aberravit. Nam hoc odium omnibus hominibus natura insitum est, regibus maximè, qui regem regum lubentes non sinunt in regnis suis dominari. Sed ille dominatur in medio inimicorum. Habet etiam suos inter reges dominus, sed valde paucos, unum forte ex centenis, si ex effectis judicare liceat.

Pag. 67.

Dicit Philadelphum dissimulare veram causam institutionis tertii generis Episcoporum. *Haud invitus*, inquit, *illi largiar diabolum in hoc negotio operam suam contulisse, sed ut ab illorum partibus steterit. Neque enim tumultus ille ad 16 cal. Ian. alterius quàm diaboli opus esse potuit.* Si haud invitus concedis, quod sanè verum, diabolum in dissidio Ecclesiæ nostræ non ignavas contulisse operas, non est satis firma ratio, ut convincas à partibus nostris stetisse. Non enim ille inanem mali navat operam. Tumultus ille sine noxa fuit; cujus summa facultas fuit, si periculum illis, quos tu videri vis, populus ille intentasset. At vobis sedulam navavit operam, & Ecclesiam optimè constitutam, per fraudem & fallaciam, & mendacia consilia, quæ diaboli artes propriæ, destruxit. Quis enim audebat in principio profiteri vos ad eam, quam nunc usurpastis, ἡ γεμονίαν niti? Ecquid oblitus es, quibus protestationibus tu & collega tuus Laws alter Archiepiscopus conventu ad Trenentum fidem vestram venditastis. Vos nihil aliud studuisse, quàm ut Ecclesiæ suos census restitueretis. Quos simul ac voti compotes essetis, cœlum testati estis, vos ad conventus arbitrium Ecclesiæ reddituros. Cujus dic sodes artis fuit aliud verbis proloqui, aliud mente agitare. Sed tunc fortasse sincerè jurastis. Sit, quandoquidem id fieri potest. An alius artis fuit fidem mutare? Si fraudis & mendacii magister à vestris partibus fuit, agnosce haud invitus diabolum à vestris partibus stetisse, quod nemo non agnoscet, qui artes quibus ad hunc papatum connixi estis, inspexerit. *Diabolus*

Episcoprum tertii generis origo.

inquis

inquis, non nostræ fœlicitati invidens, sed effrænem superbiam palmario facinore coronare, & indelebilem ignominiæ notam frontibus inurere cupiens, homines ad exitium præcipitantes in nefandam proditionem impulit. Si quem illo die diabolus in proditionem impulit, Iohannem Spotsuodum impulit, qui causam per perfidiam deseruit, quam illo die armatus asseruit. Dic, si vel micam habes sani judicii reliquam, utrum veri similius effrœni superbia ferri, qui paritatem cum vicinis colit, an cui nihil satis est, nisi clero domini dominetur. Sed ut videas quàm manifestè invideas; nulla in his verbis vox est, quæ invidiam non spiret, ut lippis & tonsoribus suboleat. Nam quis non videt cujus spiritus sint effrenis superbia, palmarium facinus, indelebilis ignominia, exitium hominis, nefanda proditio; cum in eo cui objicis, neque superbiam, neque facinus, neque ignominiam, neque proditionem, neque exitium offendas: nisi sit exitium vestræ tyrannidis mala ferre. *Verum Deus,* inquit, *reip. & Ecclesiæ misertus, regi per illud flagitium* (sic vocat panicum quem diximus populi terrorem) *occasionem suggessit ordinem, ubi confusio regnabat, stabiliendi.* Non data occasio sed arrepta promovendi negotium quod moliebantur. Aulicæ & aulæ mancipia nos inquietos esse & superbos dictitabant, regi præcipere, & absolutam ejus auctoritatem in ordinem cogere; domandam esse hanc insolentiam. Non est consilium historiam prosequi, quod sine aulicorum Gnatonum summa infamia non possum. Tantum, quia tu falsis criminibus eò provocas, dicam, quod si per te liceret, libentius tacerem, quodnam fuerit ministrorum scelus, quo aulam offenderunt. Comites Papani clam exilio redeuntes per suos amicos & venales aulicos cum rege, qui favore nimio in eos etiam non incitatus propendebat, de postliminio agunt. Re intellecta covenerunt ad Cuprum legati Ecclesiæ cum non paucis nobilibus, qui religionem salvam esse volebant. Hi ex suo numero ad regem Falcolandiam quosdam delegant. Iacobum Meluinum jubent verba facere. Ille exordiens dixerat in hoc imminente periculo legatos Ecclesiæ ad Cuprum convenisse; quam vocem excipiens rex, qua, inquit, fiducia id ausi estis. Hîc Andreas Meluinus summa cum auctoritate respondit. Publicè, inquit, rex nos parcimus tibi; ac nunc nacti solum (solo enim in conclavi regis res agebatur) ne causam Christi nostri nos prodamus, fac, memineris duos esse in Scotia reges, alterum Ecclesiæ, alterum reip. imperium jure tuo tibi cedimus, & quatenus nos ejus membra sumus, omne tibi obsequium debemus. Ecclesiæ caput nones. Tu nobis vitam æternam, quàm in hac vita etiam captamus, neque dare neque eripere potes. Dabis ergo nobis veniam, ut Christi nomine conveniamus, & ecclesiæ ejus, cujus tu primus filius es, prospiciamus. Quando tu infans in cunis vagiebas, hæc tibi prospexit,

Pag. 69.

Pag. 70.

nunc tu inimicis ejus, qui tum erant etiam tibi inimici, veniam das, ut nobis omnibus perniciem moliantur. Quibus verbis rex mitigatus negavit se de eorum reditu intellixisse: Ordines concessisse illis Senatum, ut quid vellent, proponerent: nihil tamen remissum iri, priusquam Ecclesiæ & reip. quas læserant, satisfaciant. Solum iterum vertent, & inde si quid velint, petant. Nihilominus domi subsistunt. Per conjuges & amicos Ecclesiam sollicitant. Henrica Huntilæi uxor Synodo provinciali Moraviæ nomine mariti obtulit, facturum periculum judicii: Iesuitas & Papistas à se segregaturum: cum quibuslibet, quos synodus designaret, de controversis capitibus consulturum: ministrum in suam familiam ordinarium sumpturum; disciplinæ opem laturum; & Ecclesiis vacuis ministros suo sumptu daturum. Tamen veriti, ne lateret anguis in herba, (nam rex sanctè negavit se de eorum reditu quicquam comperti habuisse) ne aut suis opibus furtivam lanienam molirentur, aut cum externo milite constituissent. Deputati, quos consules vocat Ecclesiæ, qui jussi erant videre, quid consilii hostes caperent: singulos pastores monent, ne dies aut noctes Deum interpellare cessent, suos ad idem officium hortentur, communeque periculum, ut stimulos addant, proponant. Deinde conventus Lothianiæ de numero suo quatuor ad Regem delegat, qui querantur, de gratia conjuratis Falcolandiæ & Fermeloduni data. 2 Huntilæi conjugem cum rege & regina tam esse familiarem; ut ad baptismum filiæ accersatur. 3 Decretum esse Livinstoniæ excommunicationi ob Papismum vicinæ instituendam dari 4 Regem vulgo in ministros & eorum dogmata inter sermones invehere. Quibus Rex respondit inter se & ministros non conventurum, priusquam de finibus regnorum statuatur. Videri enim sibi non esse ministrorum pro concione de se aut consiliis suis dicere, nisi prius doceatur, quid sunt dicturi, non debere conventum nationalem nisi sua auctoritate convocari: nullum ejus decretum debere esse ratum, priusquam suo calculo confirmetur, non licere Ecclesiæ judicare, nisi de quibus rebus nulla lex est civitatis. Hæc dum hinc inde irritatis utrinque animis disputantur, de Davide Blackio intervenit quæstio. Ecclesia, ne rex ad suum tribunal judicium de doctrina traher & jussit eum judiciũ illud declinare. Hinc acerbissima lis, quæ dum agitatur, 24 cives edicto regio erant è civitate exigendi, indicta causa, quorum quibusdam eo ipso die quo tumultus obortus, edictum, ut urbe excederent. Conveniunt ad templum, mittunt legatos ad regem, concursus civium ex panico quodam terrore, ut dixi, oritur. Quam occasionem nacti aulici & aulæ mancipia, flagitium esse regem à suis subditis sic pro ludo haberi: meruisse civitatem, ut ruina sua incendium extingueret, ministrorum contumaciam libero regi non esse ferendam. Horum conviciorum habes

bes hac ipsa pagina, cui respondeo, exemplum luculentissimum. Sic non hoc principium, sed progressus miserrimæ hujus calamitatis fuit.

Disciplinam (inquis) *antiquam, & ab Apostolorum usque temporibus in Ecclesia receptam gubernationem reducere statuit. Idque non minando, sed monendo, non jubendo pro imperio, sed rationibus suadendo, nec confestim & momento, sed pedetentim & per intervalla, ne res agi videretur.* Hoc ultimum est verissimum. Si suboluissent omnes quod agebatur, tam facilè Pelion Ossæ imposuissetis: adeo apud nos odiosa fuit antiqua illa tua disciplina, dominatio in pastores & greges, bis ejurata, non ab Apostolis sed ab orco repetita. Imperio aut minis non opus, si pedetentim reducere antiquam tuam disciplinam statuit & ita ut ne res agi videretur. Sed falsum est minitatum non fuisse. Fundamentum jecistis in jure suffragii in comitiis quod ministris oblatum à rege fuit. At quibus quæso rationibus fratribus persuasistis? simulando vos illorum inopiam sublevaturos, Iesuitas prohibituros, papistas quibus tamen eodem tempore manus dedistis, domituros, præstare, quando de stipendio litigarent, fratres habere judices, quàm alienos, quos non magis ipsorum misereret, quàm jumentorum, quibus ad agri culturam utuntur. Hæ erant vestræ rationes, quibus homines incautos ad vestram rem agendam adduxistis. Sed altius repetam exordium consiliorum vestrorum. Rex comitibus exulibus, qui cum Hispano conspirauerant, studebat veniam dare, Ecclesia excommunicationis censura perculit, & regem sui quoque officii monet, & contra studet, ne veniam daret tanti facinoris reis, nec tutum esse vel Ecclesiæ vel reip. Lis indies gliscebat. Regem aulici, qui vel propinquitate ad comites spectabant, vel pretio conducebantur, assiduè stimulabant. Indignum esse Regem à suis subditis, infimi ordinis præcipuè duci. Illos contra communis metus agitabat; clam rediisse, occultam spem alere, aut à suis per insidias, aut ab alienis per vim. Hîc rex gravissimam iram concepit, non licere sibi in suo regno, quod libuit. Octoviris mortuo Metellano exeunte anno 1595, Rex eo tempore summam auctoritatem detulerat, quorum præcipui Comitibus favebant, & de remittenda pœna laborabant. Vt ministrorum litem à Comitibus amolirentur, consulunt Regi ut litem aliquam moveat ministris. Citatur Blackius ut dictum. De illorum etiam consilio problemata 55 formantur, quibus universa disciplina in dubium vocanda. De Episcopis tamen restituendis nullum verbum. Scriptæ sunt literæ initio decembris, quibus Ordines convocandi ad politicum conventum & ministri ad Ecclesiasticum, utrunque habendum mense Februario Perthæ. Intervenit tumultus Edinburgi 17 Decemb. Non igitur tumultus ille occasio, aut principium reducendi antiquam

Quibus Artibus & qua occasione introductus Episcopatus. Pag. 71.

Spotswodi disciplinā, Episcopalem dominationem; sed Regis, pontificiorum, & politicorum quorundam favor propensus in comites Papanos, quos, nisi turbas darent Ecclesiæ, videbant se vix potuisse pristinæ dignitati restituere. Nec facile se id effecturos, quandiu tanta animorum conspiratio inter ministros. Ex Octoviris quidam consuluit dividendam esse vim: sumptibus ne parceret, mercede opportunissimos conduceret, non posse, qua erant apud populum gratia, nisi suis viribus superari. Itaque laudis aut pretio avaros dispiceret, qui gratia & auctoritate inter eos pollerent, & factionem traherent. De hoc consilio Rex Patricium Gallouidium & Iacobum Nicolsonum primùm adoritur, qui Blackio primi erant authores regis judicium declinandi: alter etiam formulam concepit. Erat hic Gallovidius regius minister, homo tumidus, maioris ostentationis quàm eruditionis. Is propter locum quem tenebat, & gloriam quam jactabat, non paucos secum traxit. Nicolsonus propter opinionem prudentiæ (erat enim vir magni ingenii, & literis non incultus) multos flexit. Neuter fratribus episcopatum reducendum tamen suadebat, nam sic paucis persuasissent, sed alia, quæ speciem commodi & utilitatis videbantur habere. Synodus, ut dixi, indicta, & quæstiones ceu problemata in Synodo examinanda antè typis evulgantur. Conveniunt ministri undique, ex borealibus maximè rerum nostrarum imperiti, utpote ab aula & rebus agendis remotissimi. Hos Patricius Moravius inter Gnathones aulicos facilè primus, ut Regi gratum faceret, acciverat. Illos videre erat pridie conventus ad regem eius opera gregatim ingredi & egredi. Hi ad osculum manus admissi. Viri discreti & mansueti ingenii, non morosi & rigidi ut Australes. Hæ laudes. Spolia quoq; ampla referent, stipendia opima. Cras convenitur. Prima quæstio an legitimus esset conventus. Ea biduo agitata est, tamen die tertio, cum Nicolsonus ad Regem accitus vespera præcedente, & cum eo Rex sermones habuisset ad mediam usque noctem, ille unà cum Borealibus approbarunt conventum ut legitimum; sequuti sunt alii. Ex quæstionibus, quas dixi, paucas selegerat Rex, quæ in colloquio primum quorundā à conventu illo delectorum agitatæ, in publico deinde conventu eorum conclusiones probatæ, sed die tertio, aut quarto, ut diximus, cum de conventu illo disceptatum esset, an esset pro generali ecclesiæ conventu habendus, obnitentibus sanioribus & prudentioribus, decernunt esse Synodum generalem licet extraordinariam, mutant conclusiones prius probatas, addunt, demunt, obluctantibus & contra protestantibus viris bonis, aliis rege interminante perterritis aut pertractis ad assensum verbis blandioribus. Cum prius responsum fuisset ad 2 quæstionem leges & statuta non perstringenda, modo leges hactenus latæ contra jura & libertates ecclesiæ antiquatæ declarentur, & in posterum leges

ges ad ecclesiam & religionem spectantes non ferantur inconsulta, & non assentiente ecclesia; jam decernunt, non perstringenda, nisi prius consultis Presbyterio aut Synodis res delata fuerit ad Regiam maiestatem. Atque ita assenserunt, ut nec leges hactenus latæ antiquatæ declarentur, nec ut opus sit consilio aut consensu ecclesiæ ante legem de rebus ecclesiasticis latam; sed post latam legem volunt regem consuli. Decretum etiam, ne pro concione quemquam pastores nominatim aut obliquè perstringant. Sed quod narrat Spotsuodus, est falsum. *Synodo coacta*, inquit, *primum omnium convenit licere cuivis dubia de externo regimine proponere, modo id modestis studiis, suis locis & temporibus fieret, & animo ædificandi non tentandi, quod eò moneo, quia erant è Catharis, qui dicerent disciplinam extra omnem judiciorum aleam positam eiusdem esse cum articulis fidei naturæ. In præjudicium igitur causæ, ut successus postea comprobavit, dilucide argumentis demonstratum est, disciplinam rem non esse ἀκίνητον, sed temporum mutationibus obnoxiam.* Num quis dixerit disciplinam esse, eiusdem cum articulis fidei naturæ, non alium habemus testem quàm Spotsuodum, cui hoc crederem, si toto hoc libello nihil illi non crederem. Fidei & politiæ diversa est natura, ut credendorum & agendorum. Vtriusque tamen authoritas nititur verbo Dei, & in hoc conveniunt, suntque eiusdem naturæ. Nam verbum Dei non solum credenda, sed etiam agenda proponit, non cuivis privato duntaxat, sed etiam ecclesiæ. Decem præcepta Decalogi non sunt eiusdem naturæ cum articulis fidei, & tamen ἀκίνητα sunt non minus quàm articuli fidei. Ecclesiæ politiam à prudentissimo legislatore præscriptam ecclesiæ Christianæ mutare nefas esse ipsi Pontificii profitentur, licet in hypothesi errent. At episcopi aliique apud nos formalistæ, ut perfidiam suam velamine aliquo honesto obtegant, disciplinam mutabilem esse asserunt, & tamen sui obliti rursus clamitant, Episcoporum ordinem divino jure institutum, & ecclesiæ commendatum esse ad finem usque sæculi servandum. In hac Synodo non quærebatur de disciplinæ mutabilitate, ut vult Spotsuodus. Nam quæstio hæc erat. Liceatne principi aut cuivis Pastori dubia movere, ut edoceantur de quovis externæ disciplinæ articulo, qui non sit essentialis, & de quo nihil expressè habetur in sacra scriptura vel affirmative vel negativè (hæc erat ipsa verba) modo decenter id fiat, loco & tempore debito, animo ædificandi & non tentandi. Vides essentialia à circumstantiis, & accidentariis distingui in ipsa quæstione. Responsum in colloquio & probatum in conventu. Non expedit ea de re decretum aliquod condere, ne curiosis & turbulenti ingenii hominibus litigandi occasio præbeatur; modò huic periculo occurratur, fas esse Regi per se aut legatos suos proponere in Synodo generali, de quo dubitat, vel quod reformandum censuerit *in specie externi ordinis, quandoquidem*

dem substantia externæ administrationis ecclesiasticæ (hæc erant ipsa verba) *est planissimè tradita in scripturis*, & jus sit pariter Synodo generali in iis quæ ipsius celsitudo constituenda curaret in conventu aut concilio quovis posthac ab ipso convocando. Cum artibus aulicis corrupta esset pars magna, & cœpissent deflectere, tum mutata sunt in hanc formam verba, Licet maiestati sui per se aut legatos suos aut pastoribus in Synodo generali proponere, quæ edoceri cupiunt, aut reformari in rebus regiminis externi mutabilibus pro circumstantiarum ratione, modo id fiat debito loco & tempore, animo ædificandi & non tentandi. Non regimen externum mutabile esse concessit etiam corrupta Synodus, nec ipsa quæstio de ea re dubium movit, sed res quasdam in externo regimine mutabiles esse pro circumstantiarum ratione, de quibus dubia movere Regi & pastoribus licere definiunt, sed reiectis limitationibus, quæ prius adjectæ erant. Per hanc rimam ad essentialia ipsa externi regiminis impetendum, & extruendum episcopatum aditum sibi patefecerunt. Pergit convitiator impudens. *In eo conventu cautum* (inquit)
P. 73. *ut neminem nisi post maturam deliberationem diris devoverent, quo telo temere vulgo abutebantur*. Non nescit homo maledicus se nihil aliud quàm turpiter fingere. Novit in tractatu de excommunicatione cum Psalteriis nostris conjuncto statutum esse, ut primo privatim, deinde publicè reus ter moneatur, & preces ter pro eo publicè concipiantur. Si de excommunicatione, quam summariam vocabant, dicit, non potest nescius esse, nostram ecclesiam eam sententiam non habuisse ratam, nisi in horrendis exemplis publici flagitii, cuiusmodi erat immanis illa cœdes ad Dunibrissellam ab Huntilæo perpetrata, idque factum esse ad terrorem impiorum, à quorum mentibus nullum scelus, à quorum manibus nullum facinus abhorrebat. Ab hac Synodo datum Presbyteriis Abredoniæ & Moraviæ secundum articulos à Synodo datos explorare Huntilæi submissionem & pœnitentiam, & ad proximè sequentem synodum referre. In una eademque Synodo & conjuratis reconciliatio & Episcopatui restitutio præstruuntur. Non adfuit præses præcedentis Synodi, qui verbo & precibus auspicaretur secundum morem. Non electus præses novus, sed David Lindesius ab aula subornatus officium istud arrogat, nec ea re multum laborabant viri boni, cum non existimarent conventum illum pro Synodo generali habitum iri, quod tamen tertio aut quarto die jam corruptis plerisq; decretum erat. Nullæ hic in conventu publico disceptationes de ijs quæ decreta erant, sed statim ad suffragia ventum est, simul ac recitata ea forma quam in clandestinis suis consiliis conceperant rex & ministri aulæ mancipia qui Episcopatus spem alebant. Aliis minis territis, aliis blandioribus verbis, & prolixis pollicitis attractis, quo
Pag. 72. volunt circumagunt omnia. *Hac Synodo*, inquit, *Cathari experiendo didicerunt*

didicarunt, quàm iniquum sit cum regibus certamen & verissimum esse illud Taciti Rebellionem in principes conatu irrito imperia semper promovere. Oportet sine modo esse odium quod sine modo erumpit in cõvitia. Quibus armis, viribus, consiliis, unquam tentarunt rebellionem ministri ecclesiæ Scoticanæ, aut professores disciplinæ nostræ addictissimi. Dic sodes. Edinburgenos, qui omnium addictissimi, testatus est Rex esse sibi fidissimos etiam post tumultum illum, quem supra modum & veritatem toties exaggeras, quia aliunde non habes, ex quo occasionis calumniandi speciem arripias. Ante illum etiam tumultum agitabantur consilia in aula tum de restituendis postliminio conjuratis, tum de disciplina ecclesiæ mutanda, eiusque authoritate minuenda, vel potius per Episcopalem tyrannidem opprimenda. Hac synodo experiendo didicimus in ecclesiæ etiam optimè constitutæ gremio latitare posse sordidè avaros, vel ambitione tumidos pastores, qui oblata lucri aut dignitatum opportunitate exorientur lupi graves ex insidijs, qui ut prædam nanciscantur nec gregi nec conservis parcent. *Malum tamen*, inquit, *quod ipsi solus, si volet, sinire non poterat, subodorati rem omnibus modis impedire non cessarunt. Legatis enim Presbyteriorum in mandatis dederunt, ne ullam partem disciplinæ innovari aut in quæstionem vocari paterentur, quos Synodus, protestantibus rejectis, qui suffragia rogarentur, indignos existimavit.* Dixisset, à quo factio illa mancipiorum aulæ, se jam separaverat, & per fas & nefas consilia sua clandestina ad finem, quem sibi proposuerant, perducere animum suum obstinaverant. Si subodorati essent vestram perfidiam, initiis malorum diligentius occurrissent. Sed ante hunc conventum magna semper annorum concordia; nec de fide vestra dubitarunt nostri Quid eos censes qui tanto malo obviam ire volebant? Si malos? quis tibi credat malos, qui pro viribus malo resistebant. Si bonos quid te & collegas tuos putabimus, qui invitis bonis tam atrox & insanabile malum Ecclesiæ optimè constitutæ intulistis. Oportet egregios vos esse mali artifices, qui tantam in vobis vim mali habetis, ut malum quod intulistis, non poterit sanari. Sed rectè habet, tam malam vestram operam in evertenda disciplina tam bene constituta agnoscitis, nisi quod vereor inconstantiam vestram, qui quod verbo asseritis, verbo negatis; quod juratis, nil piget pejerare. Hæc illa synodus, quæ vobis ad tyrannidem viam stravit. Pag 73.

Hac spe incisi, inquit, *subsidia omnia in conventum proximum qui Taodunum in Cal. Maiis indictus erat, comparant. Quo die appetente justi, pene agminibus convolarunt, ut multitudinis specie inimicos territarent, & suffragiorum numero, si res in disceptationem veniret, omnia ad nutum circumagerent.* Quis hoc illis vitio vertat? Quis non laudi? Cum viderent disciplinam optimè stabilitam, partim occultis Synodus ad Taodunum 1597.

cultis

cultis artibus, partim aperta vi peti; indigni essent Christo, qui non summis viribus conniterentur. Sed egregium te esse Oratorem oportet, qui causæ quam agis imprudens prævaricaris. Negas enim passim fuisse multos vobis adversos; hic fateris justis pene agminibus convolasse, ut multitudinis specie inimicos territarent.

Pag. 74. Verum est Catonis illud, *Conveniet nulli qui secum dissidet ipsi. Venerant enim, inquis, à plerisq; Presbyteriis supra duodenos, cum ab adversa parte bini, aut ut plurimum terni venissent.* Duodenos Legatos, vel unum Presbyterium ex nostris misisse tibi toties mentienti non credam. Plures quàm more solito misisse, non invitus concedam: sed plures quàm 4 aut 5 nullum, quod sciam Presbyterium, Legatos misit.

Pag. 75. *Fraude detecta*, inquit, *Synodus de trium Legatorum numero cavit, quo ne majorē cuiquam Presbyterio mittere liceret.* Ut fraudi vestræ occurrerent, si possent, cum vidissent vos locum constituisse commodum & opportunum Borealibus, quorum numero frequentiore, ut in Perthensi conventu, partem saniorem obruere statuistis. A metu vestro profectum, quod cautum sit de trium legatorum suffragiis, quod tamen ipsi post violastis, cum factio vestra crevisset.

Acta Synodi Taodunensis. *Acta etiam*, inquit, *prioris conventus, addita explicatione, quo scrupulosis satisfieret, confirmata, simul ad tranquillitatem publicam & Regis animum, quem ecclesiasticarum intempestiva dicendi libertas non rarò offendebat, placandum, viri prudentia & ætate graves nominati, qui concionatores de statu publico, & regni administratione temere ac liberiùs, quàm oporteret, locutos, suspensionis aut exauctorationis pœna coercerent, Pastores Edinburgenæ ecclesiæ præficerent, stipendiorum solidam & immotam rationem excogitarent, & negotia ecclesiastica in regni Comitiis procurarent.*

Pag. 75. Verùm est, eam fuisse ministrorum nostrorum libertatem, ut si monendo nihil proficerent, nullius ordinis peccatis parcerent. Verum regem impetivisse intempestiva oratione falsissimum est. Cum ille eò propendebat, ut Comitibus Papanis postliminium concederet, cum privatis consiliis non possent de periculo religionis persuadere, verum est omnes qui saluam religionem vellent, præsentis mali monuisse. Quod si Rex in malam partem accepit, videat ex Ezechiele, cujus culpa factum sit. Nemo nisi aulicus Gnatho, qui, si diris lacessentem cœlum audiret, non audet reprehendere, hanc operam servorum Dei dicit esse intempestivam. Clamabat sanguis Comitis Moravii ab Huntilæo & conjurato in Ecclesiam & remp. hoste fusus, & poscebat vindictam & obmutescerent vigiles. In hoc conventu duo erant aulicis agenda: unum ut Comites conjurati diris solverentur. Alterum ut conventus Perthensis pro legitimo haberetur, & ejus acta rata habeantur. Pro conjuratis dictum est, omnia facturos, subscripturos, juraturos, diruta templa restauraturos, ministros admissuros, qui se & familiam suam doceant & instituant, quæ omnia adhuc

eadem

eadem fide sunt facturi. Pro Perthensi conventu dictum Regem esse syncerissimum, summam esse ejus in Ecclesiam voluntatem. Et hæc dicta, ne res agi videatur, ut utar ipsius Spotswodi verbis. Cum ante hac pro re nata deputati essent quidam à synodis, qui gravamina & petitiones Ecclesiæ Regi, Senatui regio, aut ordinibus in Comitiis offerrent, aut prospicerent, nequid detrimenti Ecclesia caperet; à pontificiis, in hac synodo Taodunensi mense Maio 1597 delecti sunt 14 Commissionarii synodi generalis dicti, qui omnes vel ex numero integro septē cum Rege cōsilia conferrēt, & certā stipendiorum rationem excogitarent, ne ministri à munere suo abstraherentur, ut quibusdam Ecclesiis Edinburg. Taodunanæ, & Andreapolitanæ ministros præficerent, ut gravamina Ecclesiæ aut alicujus membri particularis Regiæ Majestati exhiberent. Hæc videbantur habere speciē utilitatis, nec adhuc perspicere poterant, omnes boni, quo tenderent eorum consilia: & qui cum tenuioribus stipendiis conflictabantur ministri, proniores erant ad fidē iis adhibendum, illos nihil moliri in libertates & jura Ecclesiæ. Sed quod ministrorum civitatibus quibusdam præficere erat penes Regē & 7 aut paulo plures Commissarios, viderunt sagaciores huc tendere, ut à civitatibus præcipuis viros bonos arcerēt, ne, qua futuri essent apud civitates authoritate & gratia, ipsorū conatibus obsisterent. Isti cōmissarii cum viderent se ad aulam sæpius vocatos, cū rege consilia de summis Ecclesiæ negotiis agitare, & hoc honore præ aliis ornatos, alios despicere cœperunt, quæ in mandatis data erant, excedere, & Presbyteriis inconsultis & invitis quædam agere. Rex regebat paucos illos comissarios, illi illius authoritate freti sensim invadebant jura synodorum & Presbyteriorum.

Cōmissarii ceu deputati synodi generalis præcedentis in conventu Ordinum 1597 mense Decemb. petunt jus suffragii restitui Ecclesiæ velut tertio Ordini. Cum Ecclesia jam diu & iniquo animo injurias hominū sæcularium tulisset, ut ait Philadelphus, qui usurpatis prælatorum titulis in publicis regni comitiis pro Ecclesia contra ecclesiā jure suffragii uterentur, sæpius petiverunt ministri ut potestate illa privarentur, sed remediū in aliud tēpus rejectū est, non postularunt, ut ministri sederent in Comitiis cum jure suffragii in Comitiis, sed ut illi qui possidebant prælaturas & beneficia maiora, eoque nomine arrogarunt sibi veterū prælatorū jus in Comitiis, eoq; in Ecclesiæ incōmodum utebantur, amoverentur, ut possint alios substituere, qui eorum curā & patrociniū in Comitiis suscipiant, saltē ne illi ecclesiæ nomine abutantur, & pro ecclesia jus suffragii ferrent, quibus ab ecclesia nunquā fuit vel delegata, vel permissa potestas, & ecclesiā ludibrio haberent eius patrimonium injustitia detinentes. Commissarii præcedentis synodi, qui episcopatus captabant, communicatis cum rege consiliis, hoc vetus gravanē, quod diu sopitū iacuit, Ordinibus in futuris Comitiis exhibere statuunt, & petere ut non solū & illi amove-

Quibus legibus ex cōsensu Ordinum Ecclesiastici ad ius suffragii in Comitiis regni admittuntur.

amoverentur, qui id juris occuparunt, aut in genere ut ecclesiæ jus suum restitueretur, quo possit, quos vellet deligere legatos ad comitia, sed ut ecclesiasticis velut tertio ordini jus restitueretur. Nulla alia, si non hac seta filum Episcopalis jurisdictionis introduci posse vident. Largiamur ante hæc petiisse ut ipsi ministri haberent jus huius suffragii, non tamen datum illis in mandatis vt peterent, nec inconsulta Synodo de re tanti momēti cum ordinib᷾ egissēt. Petunt tamen, & adnitente rege in comitiis impetratum est, & statutum, ut ministri quos maiestas regia titulo & beneficiis veterum Prælatorum ornaturus esset, ad jus suffragij in Comitiis admitterentur, quod ad eorum officium in spirituali politia & regimine Ecclesiæ, permittendum judicio Regis & Synodi generalis, salvo tamen iure jurisdictionis & disciplinæ hactenus stabilitæ per statuta parliamentaria, & per eadem permissæ Synodis generalibus, provincialibus, presbyteriis, & ecclesiarum consistoriis. Annuerunt eò faciliùs petitioni Commissariorum, quòd desperarent unquam ministros veterum Prælatorum titulos, episcoporum, Abbatum, Priorum ob beneficia vel suffragii jus resumpturos.

Synodus Taodunensis secunda.

In Synodo Taodunensi quæ Comitia Ordinum sequuta, mense Martio, multùm sudarunt Rex & Ministri Episcopatus captantes, suadendo ministris, ut amplectantur beneficium oblatū. Biduum transactum est à matutino tempore ad noctem intempestam accersendo & deducendo unum aut alium ministrum ad Regem. Andr. Melvinum, & Iohannem Ihonstonum professores Theologiæ urbe excedere sub pœna proscriptionis cogit, priusquam actionem ullam inchoarent. Concionem habuit Patricius Gallovidius planè Gnatonicam. In hoc conventu maxima altercatio, & major animorum contentio quàm unquam antehac in ulla Synodo, adnitentibus rege, Episcopaturientibus ministris, & quos in suam sententiam pertraxerant, ut Commissariorum factum probaretur. Miserandum præbuit spectatoribus rex noster spectaculum, bonis omnibus deflendum, qui Synodos nostros ante viderant, cujus rationem uno die redditurus. Interminabatur, ubi blandis verbis allicere non potuit. Multi spe amplioris stipendii lactati, qui cum magna rerum penuria conflictabantur, sponte cesserant in eorum sententiam. Obnixi sunt viri boni, & sagaciores, quoad poterant. Vincunt tamen regii numero 10 suffragiorum, sed annumeratis quibusdam privatis, qui nullo fungebantur ministerio, nec delegati erant ab ulla ecclesia. Probatur Commissariorum factum in eo quod postulassent jus suffragii ecclesiasticis in regni Comitiis restituendum. Obtestatus erat Rex se non statuere Episcopos vel Papanos vel Anglicanos introducere, sed solummodo studere ut prudentiores ex ministris à Synodo generali delecti in Senatu & Comitiis suffragii ius habeant, quo negotiis suis præessent, non autē

ad

ad fores starent cum libellis supplicibus. Sagaciores tamen subodorati sunt, quid moliebantur, & obluctati sunt, ut dixi, quamvis sæpius Rex eis inter sermones interminatus fuerit. Cum ad rem ipsam ventum est, & de jure juris suffragii in Comitiis suffragia ferenda essent, renuit Iohannes Davidsonus vir pius & veteranus Christi miles suffragium ferre, sed protestatus & suo & aliorum omnium Ministrorum ecclesiæ Scoticanæ, qui protestationem eius obsignaturi erant, nomine, se non agnoscere synodum illam nec duas præcedentes Perthensem & Taodunensem priorem esse liberas, & proinde decreta synodorum illarum nullius authoritatis esse & libertatem ministerii sui se conservare velle: Discedentem sequuti plures alii qui eandem protestationē chirographis suis obsignarunt. Pergunt tamen: & decreta sunt ista tria, 1 jus, fas esse, ministri habeant habeant jus suffragii in comitiis, 2 ex eorum numero tot haberent suffragia, quot erant olim Episcopi, Abbates, Priores, h. e. circiter quinquaginta, 3. vt electio sit mixta, partim regis partim synodi. De cæteris consultandum primum in Synodis provincialibus, quæ omnes uno die celebrandæ erant (hoc factum ne rescisscerent quid in aliis Synodis actum) vt deligerent singulæ tres, ut tres ex singulis Synodis delecti convenirent, quando à rege moniti, & decernerent, si conventum inter eos non fuerit, determinationem totius quæstionis de jure suffragii, eiusque circumstantiis referendam ad Synodum generalem. Delecti à Synodis convenerunt Falcolandiæ exeunte Iulio anno 1598, ubi rege assentiente positæ leges ministris Parliamentariis, quæ intra limites contineant, ne imperium aut jurisdictionem in fratres arrogarent. Dicit, Episcopus, *cum in hoc conventu magnis animorum contentionibus certatum esset, num jus, fas esset Pastores suffragium in publico Ordinum conventu ferre, & de causis civilibus in foro cognoscere, nec satis liqueret; ampliatum esse, remque in proximum conventum, qui ad montem Rosarum indictus erat, reiectam.* Pag. 77.
Quod de animorum contentionibus dicit, nimis verum. Sed animi eorum contendebant ad Episcopatus, beneficia aut ampliora stipendia, dominationem in fratres, aut licentiam & effrœnem libertatem sub dominantibus in viros pios Episcopis. Contendebant animi bonorum pro ecclesiæ libertate, politiæ optimè stabilitæ, & purioris Evangelii conservatione. Nam licet hæc non moliri strenuè protestati sunt illi, fidem tamen non habuerunt qui erant prudentiores, tot indiciis consilia sua prodiderunt. Num pastores de causis civilibus in foro cognoscere jus, fas esset, non ibi disceptatum, nec unquam in ulla Synodo in hunc usque diem fas esse decretum est, licet Episcopus iste unum pedem fixit in foro civili, alterum in Ecclesiastico. De jure suffragii in comitiis in hoc ipso conventu de-

cretum, sed animorum contentione quam diximus, nec reiecta res in conventum proximum, sed solum quæ supererant disceptanda; In hoc conventu Taodunensi delecti 20 Commissarii ceu Deputati Synodi generalis, qui omnes saltem novem ex numero cum rege porro consultarent de constituenda certa stipendiorum ratione, in civitatibus ministros ecclesijs, si quando vacarent præficerent, de ministris Regem offendentibus cognoscerent, & iudicarent. Rex autem facilè causas fingere potuit eorum consiliis adiutus. Atque ita optimum quemque vel gradu submovere, vel civitate extrudere, & ad rusticanam ecclesiam transferre, ut pessimi quique celebriores ecclesias occuparent. Delecti sunt autem fere iidem qui in priori Synodo, Iacobus Nicolsonus, Georgius Gladstonus, David Lindesius, Alex. Lindesius, Andreas Cnoxius, Galbinus Hammiltonus, Alexander Douglassius, qui omnes Episcopatus beneficio & titulo postea ornati sunt. Hos & huiusmodi voluit Rex deligi, inquiens, alioqui curate vosmetipsi res vestras, & prospicite vobis stipendia, nam hic prætextus præcipuus huius delectus. Regii interim suggerebant aliis; nihil certi unquam de stipendiis statuetur, nisi delegeritis regi dilectos & gratiosos. Erant quidã boni malis permixti, sed non vocati nisi quando illis utile videbatur. Nam ex delectis Rex novè seligere, & ad consilia vocare solebat præteritis aliis vel non præmonitis.

Colloquium ad S. crucis mense Novembri 1599

Post conventum ad Falclandiam, vbi delecti à Synodis de legib⁹ & conditionibus iuris suffragii consultarunt, de consilio Commissariorum Synodi generalis, quos episcopaturisse dixi, ad ædem sanctæ crucis undiq; rex convocaverat, qui doctrina & ingenio pollebant, ut de iure suffragii disputarent. Indictum colloquium specie occupandi tumultus in Synodo generali, revera ut tentarent quid haberent argumenti, ne in conventu publico argumentorum vi à persequendis consiliis suis depellerentur. Qui contra censebant, negabant se esse paratos aut sibi esse integrum auctoritatẽ conventus post paucos dies futuri occupare. Rex contra instabat se pro nebulone habiturum, qui ut factionẽ traheret, argumenta in conuentum taceret. Hîc illi necessariò coguntur experiri. Prius potestati hanc velitationem libertati conventus non præjudicaturam. De decreto Taodunensi & ipso iure suffragii disceptatum. Argumenta fuere prope eadem, quibus postea in Synodo nitebantur. Arguunt viam ad fastum Episcopalem sterni, quem nostra ecclesia ut nulla auctoritate scripturæ fundatum damnavit. Responsum est, per sacras execrationes, se nihil minus conari, quàm aut papistici aut Anglicani episcopatus jugum eorum cervicib⁹ imponere. Quod quàm verum sit hæc tempora demonstrant. 2 Non esse eorum, qui nomen dederunt sacræ militiæ, vitæ huius negotiis implicari. Hoc munus sacros milites huius vitę negotiis implicaturum. Responsum, locum

Apostoli

Apoſtoli non prohibere neceſſaria munia huius vitæ, vt rem familiarem non curent ſacri milites. Replicatum eſt, aliam eſſe rationé, eorum quæ nobis incumbunt neceſſariò: aliam eorum, quibus nos non neceſſario implicamur. Oeconomica, ſi non infideli deterior miniſter, neceſſaria & licita, non item politica, 3. quod miniſtros à ſua vocatione avocat, verbo Dei miniſtris eſſe vetitum. hoc eſt huiuſmodi. Reſponſum, non a ſuo munere auocatum iri: quin illis temporibus potius prædicaturos, quod reſponſum neque illis erat in animo, neque ad rem. Replicatum, non deeſſe quo in loco parliamentum habebitur, qui prædicarent, neque hoc erat munus ad quod Rex eos vocauit, & ſi forte unus aut duo habituri eſſent concionem tempore comitiorum, non tamen erit opportuna occaſio quinquaginta concionatoribus. Nam tot ſuffragia initio miniſtris conceſſa illi venditabant. 4. quibus mandatum eſt tempeſtivè & intempeſtivè officium ſuum facere: iis non vacare ad aliud munus. Reſponſum in ſuo munere occupatum iri. Replicatum, ſuffragium in Parliamento ferre ad paſtoris munus non pertinere, 5. quod munus eſt gravius, quàm ut quiſquam ei ſit par, non pati aliud munus adjungi. At paſtoris munus eſt ejuſmodi. Reſponſum, non adjungi aliud munus. Replicatum, ut prius. 6. Comiſtionem munerum, quæ Deus vult diſtingui, eſſe illicitam. Reſponſum, non commiſceri, ſed conjungi hæc munera. Replicatum. Commiſceri, ſi conjungantur in eodem ſubjecto. Chriſtum conjungenda interdixiſſe, Vos autem non ſic. 7. vetitum eſſe miniſtris eccleſiæ ἀλλοτριοεπισκοπεῖν. At præter ſuum munus dare operam rebus civilibus eſſe ἀλλοτριοεπισκοπεῖν. Reſponſum ſpiritualem & civilem rem non differre ſubſecto, ſed modo & ratione. Replicatū, & quia differunt ratione & modo differre etiam debere ſubiecto; & in alieno obiecto occupari, eſſe ἀλλοτριοεπισκοπεῖν. Ité, exemplū Chriſti qui neque familiam inter fratres herciſcere voluit, neque adulteram damnare. Longum eſſet ſingula argumenta ex ſacris ſcripturis prompta, & teſtimonia veterum allata repetere. Deinde diſceptatum de legibus & conditionibus in quas ad Falcolandiam conventum inter delegatos Synodorum provincialium. Multa dicta ſunt contra perpetuitatem huius muneris. Nam ſi perpetuum, omnes alias leges & cancellos quibus concludentur, facile perrupturos, eccleſiæ authoritatem diſpecturos, & principi, à quo redditus & honores habent, quàm eccleſiæ addictiores fore, & ſi litem contra eos intentaverit eccleſia, regia authoritate fretos nihilominus beneficia illa maiora Epiſcopatuum & Abbatiarum retenturos, & vindictam in Eccleſiam exercituros generalem conventum fore ſervile episcoporum capitulum, non liberũ concilium; alios etiam ordines excepto nobilium, Barones, & civitates, eligere legatos ſuos ad ſingula comitia, non eſſe perpetuos,

non deteriorem esse debere Ecclesiæ quàm Baronum aut civitatum conditionem; Senio, valetudine, aut deficientibus donis posse fieri ineptos ad procuranda Ecclesiæ negotia &c. De nomine cum quæsitum, respondit, A. M. ἀλλοτριοεπισκόπους dicendum, nam si Episcopos dixerimus, officium etiam & potestatem ambituros aut invasuros. Alii Dominorum titulo non ornandos, tum quia Christus interdixit, tum quia titulis tumescentes ægrè ferent æqualitatem colere cum fratribus. Hæc & multa alia nostri contra jus suffragii, vel hoc concesso, contra conditiones perpetuitatis, & titulos dicta sunt. Cum fundamentum ipsum revellere non possent, nempe ipsum jus suffragii, quod positum in synodo Taodunensi, dant operam, ut cancellis concludantur, qui cum jure suffragii sederent in Comitiis, ne jurisdictionem in Ecclesiam arrogant. In hoc colloquio maior permissa libertas, quàm in synodis, quia nulla erant ferenda suffragia, aut condenda decreta. Cum nihil promovisse se vidissent, dimittitur conventus

Βασιλικὸν δῶρον exaratum an. 1597 1598.

Non multo ante hæc Rex exaraverat opusculum illud quod inscripsit Βασιλικὸν δῶρον ubi hæc habet verba. *Vna est contra hanc pestem cautio, si è ministerio viros doctos & pios * quorum in hoc regno Deo sit gratia magnus est numerus, ad Episcopatus aliosque in Ecclesia honores selegeris, pudenda illa Annexationis lege, nisi mea opera antiquatam inveneris, abrogata, ita sublatis fundamentis, non modo imaginariam illam paritatem evertes, quæ cum legitima administratione Ecclesiæ aut Reip. pace, aut Monarchiæ bene institutæ legibus nunquam conveniat: sed etiam in regni comitiis antiquum illum trium Ordinum honorem restitues, id quod aliter fieri non potest. Ego tibi hac in re, si Deus dederit, viam præmuniam, tu quod reliquum erit, iisdem vestigiis persequere.* Hæc scribebat anno 1597, 1598, & dum ista scriberet egregie dissimulabant ullum Episcopatum sive Romanensem sive Anglicanum introductum iri.

* *Tales sunt Iohannes Spotswodus, Andreas Lambius, Patricius Lindesius, Alexander Douglasius, Cnoxius Insulanus & alii.*

Synodus ad montem Rosarum anno 1900. mense Martio. Pag. 78.

Cunctis, inquit, *ad locum & tempus condictum, cum amanuensium turba, qui dicenda exciperent, coeuntibus, causa inter pastores, qui judicii acumine maximè pollebant, multum exagitata, argumentisque hinc inde deductis, & æqua judicii lance pensitatis, concordibus omnium suffragiis, pronunciatum est, licere Pastoribus in Ordinum congressu sententiam de republ. dicere; nec Pastoris & Iudicis civilis munus esse ἀσύστατα, quamvis non negaverim nonnullos prævisa disciplinæ, quam improbissimo labore ædificarant, ruina, huic sententiæ identidem occlamasse. Sed jure an injuria ipsi viderint.* Ita verba inter se pugnant, ut nescias, quid primò refutes. Dicit concordibus omnium suffragiis pronunciatum esse, & statim fatetur nonnullos occlamasse. Deinde numerum minuens ait nonnullos occlamasse, ac si pauci occlamassent. Tertio fatetur occlamantes prævidisse ruinam disciplinæ nostræ. At sæpius obtestati sunt

se

se nihil moliri in detrimentum nedum ruinam disciplinæ, sed ministros ab inopia & contemptu vindicatos cupere. Si præviderunt nonnulli, ut ais, ruinam disciplinæ, fateris quoque vos etiam tum egregiè dissimulasse, nequiter imposuisse credulis & simplicioribus, & ad disciplinæ nostræ subversionem consilia & actiones vestras collimasse. Egregium oportet te esse Oratorem qui tuo te ipse jugulas gladio. Si ego dixissem vos his artibus usos, fortè negares. Nunc quid contra tuum ipsius testimonium dicas, quæro. Supra dixisti Regem ad disciplinam ordinandam totum conversum, antiquam gubernationem reducere statuisse, *nec confestim & momento, sed pedetentim & per intervalla, ne res agi videretur*, nunc fateris nonnullos prævidisse, quod vos non agi, sæpius asseveravistis. Dicis pronunciatum esse licere pastoribus in ordinum congressu sententiam de rep. dicere, nec pastoris & judicis civilis munus esse ἀσυςατα. De priori decretum post magnam animorum contentionem in Taodunensi conventu, ubi annumerata suffragia eorum quibus nullum jus, cum numero alioquin vincere non potuissetis. Posterius more tuo addis: Neque enim hoc in quæstionem venerat. Sed quia ipse eò nuper, ut audio, adspirabas, ut Cancellarius esses, quod munus hominem jurisperitum totum occuparet, & quia nunc sedes in foro civilium causarum, hoc etiam vis in eo conventu concessum esse. De Comitiis ordinum solùm non quovis foro causarum civilium disceptatum fuit, etsi fortiori ratione contra forensium causarum cognitionem & jurisdictionem ordinariam militabant nostra argumenta. Iisdem fere argumentis, responsionibus & replicationibus, quibus in colloquio ad S crucis, certatum est. Argumentis invictis ita concussa res fuit: ut adversa factio ad suam gratiam, & regis auctoritatem fugeret: singulos ambirent, (neque enim quod debuit fieri à disputatione ad suffragia descensum est) prensarent, monerent, quantam rem isti importuni homines perderent: Regem decrevisse Ecclesiam antiquo splendori restituere; istos ejus voluntatem alienare. Interea aulici singulos ad Regem adducebant summo mane, & noctu. Ille voluntatem suam in Ecclesiam prædicare, quid invitis Proceribus in Parliamento effecerit; quàm studeat Ecclesiam antiquæ dignitati, quam à majoribus suis acceperat, restituere; nunc licere illis beatis fieri, ne semper more mendicantium à senatu foris petant, nunc licere habere intus, qui causam suam agant; postea sero ac nequicquam velle, cum neque illis neque sibi foret integrum. His machinis, non quod iste asserit *argumentis hinc inde deductis, & æqua iudicii lance pensitatis* expugnatum est. Nam adversa factio nullis argumentis ex sacris literis nitebatur. Tantum in decreto Taodunensi acquiescebant, quod dicebant hoc fundamento insistere, quod Evangelium politiam non destruat.

Pag. 71.

destruat. Responsum est verum esse, si politia cum Evangelio non pugnat. Constare cum Evangelio vel Ethnicam vel Turcicam politiam posse, modo non sit illi contraria; hanc autem cum Evangelio ex diametro pugnare, ut nullo modo in rep. Christiana tolerari debeat: fullonem prudenter renuisse cum Carbonario sub uno tecto in uno eodemque domicilio habitare; heterogenea esse objecta civilis & Ecclesiastici muneris. Cum ventum esset ad suffragia, recitatæ primum conditiones, de quibus convenerat inter delegatos ad Falcolandiam. Conditiones autem erant istæ, 1 ne is qui ad jus suffragii emitteretur, quid proponat aut probet, quod ad Ecclesiam spectat, nisi de consilio Ecclesiæ, 2 ut synodo generali actorum suorum rationem reddat, seque censuræ ejus submittat, 3 ut vivat contentus ea parte sacerdotii, quam Rex ei assignabit, sine Ecclesiarum aut scholarum damno, 4 ut nullam partem redituum in quos surrogetur, aut dilapidet, aut minuat, 5 ut gregem suum cujus pastor designatur, sedulo curet, seque Presbyteri sui censuræ submittat. 6 Ne sacerdotia conferat, aut jurisdictionem usurpet in fratres sub pœna exauctorationis, 7 ut in Presbyteriis & aliis conventibus nihil supra reliquos collegas arroget, 8 ut cum initiatur, juret se fideliter omnes præscriptas leges servaturum, eisque subscribat. 9 ut si aut à Presbyterio suo aut à synodo exauctoretur; simul etiam jus suffragii amittat. 10 His legibus alias addere liberum sit synodo generali 11 de nomine conventum, ut diceretur legatus hujus aut illius loci, si ordinibus persuaderi poterit, ut in ea nomenclatura acquiescant, alioquin definiatur à synodo generali. Quod ad tempus, utrum ad vitam ceu culpam, an ad tempus eo munere fungeretur, de eo non convenisse, sed reservatum synodi generalis determinationi. Conditiones hæ omnes à synodo concordibus omnium suffragiis in generali hoc conventu probatæ sunt, quas in Philadelphi epistola habes lector, eadem verborum forma qua conceptæ sunt. Additum præterea, judicatum apprimè utile esse, ut & hæ conditiones & aliæ in quas conventum erit in synodo, inserantur in decretum ordinū, quo ratum habitura erant ius suffragii Ecclesiæ concessum, ut pars illius necessaria & ad ejus substantiā pertinentes. In quaslibet leges & regulas assentiunt, modo ipsum jus suffragii non denuo convellatur, & sit perpetuum. Nam freti perpetuitate iuris suffragii apud sese statuerunt omnium legum & conditionum repagula perrumpere. Cum ergo ventum est ad suffragia de duratione, hic adnituntur summis viribus ut sit perpetuum, ad vitam vel culpam. Decretum, ut singulis annis reddat rationem obitæ legationis, & submittat synodo continuandam aut in alium transferendam pro arbitrio Regis & synodi, ut synodus assentiente Regia Majestate e re Ecclesiæ fore iudicaverit. Vicerunt illi parte n sanio-

saniorem numero duorum aut trium suffragiorum. Nec mirum: locus enim,ubi celebrata synodus,de industria ulterius quàm prius, ad Borealem regionem indictus,ubi Borealium ministrorum quos in suas partes maxima ex parte antè pertraxerant, & quibus maximè fidebant, vim magnam haberent. Artibus etiam, quas supra dixi, & sollicitationibus usi sunt. A. Meluinus in diversorio suo se continere à rege jussus. Sunt qui etiam in ferendis suffragiis pro *annuatim*, responderunt lingua nostra vernacula *Away with him*, hoc est *apage sit*, quod illi acceperunt, & numerarunt, ac si dictum *annuatim*. Multi qui assenserant, nimia simplicitate & credulitate fidem illis adhibentes, obtestationibus decepti, & conditionibus supra dictis satis cautum esse putantes, nihilque metuendum, cesserunt, qui nunquam alioqui cessissent, si prævidissent, quæ sagaciores subodorati sunt. Decretum etiam ne qui jus haberet suffragii in comitiis, habeat jus suffragii in conventu generali Ecclesiæ, nisi delectus fuerit legatus à Presbyterio suo. Item, ut crimen ambitus saos causæ sit ut deprivetur. *Non dicent opinor*, inquit, *in his congressibus, quibus Rex præsedit, se minis & terroribus inductos contra animi sententiam pronunciasse. Nemini enim libertas aut sua modeste proponendi, aut ad ea quæ objicerentur respondendendi negata, nihil ab invitis expressum, nihil præcipitatum*,&c. Quis, qui micam habet cerebri reliquam, affirmaret in conventibus, quibus Rex alteri parti studens, alteram oppugnans,præsedit, nihil minis aut terroribus esse effectum. Nemo nescit, si nihil aliud, quam adsit Rex ita affectus, multos non audere liberè sententiam dicere. Constat ejusmodi fuisse in synodis complures,qui quidem incusandi,quod majestatis reverentia, quam tu nos sine ulla verecundia violasse nusquam non clamas, lentius Christi causam susceperunt, dum πλαγγην κακιζει, ut utar tuis verbis, accepisset. Nemo nescit eos qui Regem sequebantur, habitos esse homines bonos, æquos, sapientes, & doctos etiam,quamvis magnam partem erant totius Ecclesiæ indoctissimi: qui contra senserunt, cerebrosis, factiosis, futilibus damnatos esse, quamvis revera erant multi optimi, plurimi doctissimi,omnes constantissimi,quos neque gloriæ spes,neque opum cupido, neque regis gratia, neque aulicorum contemptus poterat flectere. Pag. 72.

Conditiones quod attinet, inquit, quas fœdè violatas clamitat, in nonnullas utpote æquas & justas facile assensum: aliæ pro tempore magis, quo contentiosis omnis vexandi ansa præciperetur, quàm animo in perpetuum observandi acceptæ. Imprudens fatetur homo in ale sanus, cujus prudentem in æternum puderet. Neque enim fœdius quidquam in vita contingere potest, quàm quod ethnici damnarunt, *lingua juravi, mentem injuratam gero.* Quid inter homines sincerum, quid sanctum esse potest sublata fide, quæ sola humanæ societatis

Conditiones sententiam dictam in regni Comitiis impositæ ab Episcopis violatæ.

etatis vinculum est? Quomodo autem fides constet, cum in fide concipienda aliud dicas, aliud sentias? Quid credas, lector, clam homini palam perfidiam profitenti? Hæc ipsius verba sunt, nos non affingimus. Per conventus legitimos Ecclesia nostra regebatur. His adeo odiosum fuit Episcopi nomen, ut id nemo auderet profiteri. Hi homines, ut jus suffragii in comitiis publicis à synodo impetrarent, non sibi ipsis, sed eligendis ad hoc munus, in leges quasdam ne ad Episcopatum niterentur, fidem dederunt. Nam sanctè negarunt se ullum Episcopatum sive Romanensem sive Anglicanum invehere, aut disciplinam stabilitam cuniculis subruere. Nunc non pudet profiteri pro tempore magis quo contentiosis rixandi ansa præriperetur, quàm animo perpetuò observandi esse acceptas. Pagina præcedente dixit. *Quod si adversarius ipse*

Pag. 79. *affuit, meminisse potest, postquam de jure potestatis constituit, & de ea legibus arctanda, & numero eorum qui Ecclesiam in regni Comitiis referrent ageretur, quantus fuerit animorum consensus & conspiratio?* Iam profitetur sese nonnullas accepisse non ex animo, sed ut contentiosis omnis rixandi occasio præriperetur. Vbi conspiratio animorum, si aliud lingua dicitur, aliud animo statuitur. Quod ad numerum suffragiorum, & jus ipsum, de eo disceptatum in synodo Taodunensi, nec in hoc conventu ad Montem Rosarum ullam rationem ullius momenti afferre potuistis, nisi decretum Taodunense. Nonullas conditiones acceptas ait magis quò contentiosis omnis rixandi ansa præriperetur, quàm animo in perpetuum observandi, *præsertim*, inquit, *quum & illud certum esset, Synodum quæ dedisset posse pro arbitrio remittere.*

Pag. 80. Spes quam certam de futuris synodis concepit perfidiam hominis prodit. Nam ne libera synodo non poterat hoc sperare. Oportuit itaque, quod postea factum est, aut de fallendo, aut reprimendo synodorum libertatem etiam tum cogitasse. Vides lector, quales fuerint istæ synodi, quas hic speravit suos pro arbitrio posse versare: quasque pro arbitrio post adventum regis in Angliam ad hunc diem versant: ut agnoscas ejus vanam jactantiam, p. 87 *Acta conventuum*, inquit *Comitiorum decreta, nunc nostro ordini suffragantur, quæque olim contra nos faciebant (vt est omnium rerum vicissitudo) nunc à nobis stant.* Contrà statuerunt post longam deliberationem argumentis ex sacris literis promptis, homines nulla spe hujus vitæ ducti, illorum decreta abrogarunt per tumultum & animorum contentionem veriùs quàm consilium & deliberationem quod ipse fatetur Pag. 77 v. 15, homines ad gloriam & opes, per ambitionem sine scripturis, sive Deo, sine fide connitentes. Sed conditiones fœdè violatas infra demonstrabimus prius quàm ulla Synodo remissæ fuerint. Primùm violastis conditiones, deinde synodos curastis interdicendas, donec potentia & dignitatibus aucti in synodos ipsas dominari possetis.

Nec

Nec in synodis etiam vestris adhuc de conditionibus ceu legibus illis remittendis expresse unquam disceptatum est. *Nec dubitabatur*, inquit, *viros ad eum honorem provectos morum integritate & vitæ sanctimonia malevolis os obstructuros, & ita se gesturos, ut boni laudare, improbi magis indignari, quàm queri possint.* Vides lector qua spe isti Ecclesiasticam rem immutarunt, ut ad honores proveherentur. Qua autem morum & vitæ sanctimonia os hominibus obstruunt? In luxum & libidinem antiquos Ecclesiæ reditus (nam integros nunc tenent) consumunt. Agros, ut filios militari honore ornent, mercantur: neque scholas neque Ecclesias alunt: ministros de Ecclesia optimè meritos, & vitæ laude & doctrinæ sinceritate probos per summam bonorum offensionem à ministerio vi & authoritate regia submovent, vel ad extremas oras cum familiis relegant, ad ritus Romanenses apud nos à prima luce Evangelii explosos redire cogunt: perfidiam pro ludo habent; & gravi infamia ob mores & vitia apud omnes etiam prophanos laborant. Hac vitæ sanctimonia, hac morum integritate bonorum laudem captant, improborum querelas compescunt, os invidis obstruunt. Pag. 80.

Rem nihilominus pendentem (inquit) *& diu agitatam & prolatam, nilefernatorum temeritas commodam, ante diem impulit. Nam post fœlicem Regis in Angliam adventum, quin synodum Abredoniæ celebrarent, inhiberi non potuerunt.* Spectate quæso hominis ingenuitatem. Dicam rem, ut gesta erat bona fide vos cognoscite. Concessum erat conventui Ecclesiæ Nationali in publicis regni Comitiis anno 1592, ut liceret ei sequenti conventui locum & tempus designare. Vnde de hac authoritate conventus ad Edinburgum anno 1602, rege consentiente sequentem ad Abredoniam indixit anno 1604 mense Iulio celebrandum. Hunc in alium post illum diem Rex distulit, spe, ut conjectum, frustrandi diem, ne liceret nisi de ejus auctoritate convenire. Hoc metu, ne libertatem conveniendi amitterent, sincerior pars ministrorum decrevit ultimo indictum diem 2 aut 5 Iulii 1605 obire, quia jam Rex prorogaverat in diem incertum; ex quo foret, ut nefas esset per leges conventum celebrare, si non Rex indixerit. Nam per leges non licebat convenire, nisi ad diem indictum à synodo generali, vel, pro re nata, à Rege. Si irrita igitur fieret indictio synodi præcedentis per prorogationem in diem incertum, amitterent jus suum & libertatem indicendi, eamque potestatem sibi soli Rex vendicabit. Rex autem nunquam indicturus, nisi de consilio eorum, quos jam ab anno 1600 Episcopatibus donaverat vel qui captabant. Qui cum jus suffragii in Comitiis anno, 1600, 1602, & 1604, arrogassent, & malè obiissent munus illud, non servatis legibus quas iustas agnoverant in conventu ad montem Rosarum ne conventui generali rationem redderent violatarum legum & conditionum, dant operam ne ulla Synodus Abredonensis ann. 1605.

celebretur ſynodus, cui rationem reddant, niſi quando Rex & ip-
ſi ſibi opportunum cenſuerint. De hoc conſilio Rex diſtulit diem
dictum in alium, & tandem in nullum. Quandiu diſtulit diem
indictum à ſynodo in alium, æquo animo ferebant. Si
iam ultimo indictum non obierint, vident ſinceriores actum
eſſe de libertate indicendi ſynodos, & proinde de politia Eccleſiæ,
& reprimenda Epiſcoporum uſurpatione. Convenerunt itaque
2 Iulii 1605, ad Abredoniam, octodecim legati Preſbyteriorum,
à regionibus circumvicinis. Erant in itinere alii, ſed diem quin-
tum obituri non ſecundum. Nam Laureſtonus Regis in his cauſis
vicarius, & Commiſſarii ſynodi generalis literis ad Preſbyteria
datis non eundem dixerunt diem: ſed Borealibus 2 Iulii, Auſtrali-
bus quintum, procul dubio, ut qui convenirent 2 die deſiſterent à
ſynodo celebranda, cum nemo ex auſtralibus adventurus videretur.
Sed ſcribæ errore & vitio non ſuo conſilio & de induſtria hoc fa-
ctum obtendebant illi, quod non eſt veriſimile. Iis qui convenerunt
die 2 Iulii, Laureſtonus exhibuit literas à Senatu Regis datas,
quibus poſtular, reſpondeant. Illi præſidem primo eligendum,
reſpondent. Sponte ſeceſſit Laureſtonus, ne videretur probaſſe
electionem, ſi forte poſt inter eos & ipſum non conveniret.
Eligunt eum quem Laureſtonus ante egreſſum volebat cœtus
illius proloquutorem Iohannem Forbeſium, & ſcribam Iohan-
nem Sharpium. Legunt literas à Senatu datas. Duo poſtulant his
literis, ut dimittatur conventus & ne alium indicerent diem, dum
res Regi innoteſceret. Quod ad primum reſpondent, paratos di-
mittere conventum; quod ad ſecundum, modo Laureſtonus Re-
gis Commiſſarius ceu procurator in alium diem indicendum con-
ſentiret, ſibi ſatis fieri, ſi renuerit, conſervandam eſſe libertatem in-
dicendi. Accerſitur Lauriſtonus, rogatur, num vellet alium dicere
diem. Ille renuit; Denuo ſeceſſit. Illi cum viderent liberam in-
dictonem conventuum generalium ſancitam Ordinum decreto in
Parliamento fruſtrandam, diem dicunt futuro conventui ad Ab-
redoniam feriam ſecundam ultimæ ſeptimanæ Septembris, & lite-
ras ad Preſbyteria mittendas decernunt, quæ de loco & tempore
condictis moneant. Cum dimiſſuri erant conventum, nulla alia
decreta condere meditantes, quod fruſtra facerent, cum tanta eſſet
raritas legatorum, etſi nihil aliud impediviſſet, ingreditur Lau-
reſtonus, proteſtatur ſe non agnoſcere conventum illum eſſe le-
gitimam ſynodum generalem. Illi rationes refutant, & contra
proteſtati ſunt. Laureſtonus per apparitorem regium ſub pœna
perduellionis edici curavit, ut conventum dimiterent, derelinque-
rent. Dimittunt. Hæc eſt illa malè feriatorum temeritas, quam rem
pendentem & diu agitatam & prolatam ante diem commodum
impuliſſe dicit. Hæc illa Synodus quam edicto inhiberi non po-
tuiſſe

fuisse dicit. Sed vides lector, quid egerunt ante edictum, & quantum peccarint. Non minùs Regi & Episcopis exosum erat liberum generale Concilium, quàm Pontifici Romano Oecumenicum. Supplicibus & iteratis votis Rex superiobus annis interpellatus fuit, ut conventum generalem permitteret celebrari secundum morem & leges regni: sed nihilominus prorogatur, tandem post varias ludificationes prorogatur in incertum diem, ut jure devoluto sit in unius Regis potestate. Si jam dies dictus frustraretur, & alius non indiceretur, vident amitti libertatem indicendi, hanc salvam ut tueantur, alium diem dicunt, & præterea nihil sperantes temporis tractu deum meliora daturum. *Quæ licet*, inquit, *ob summam infrequentiam, ministris non plus decem coeuntibus, nullo operæ pretio facto soluta sit, dum tamen in eo obstinatè persistunt, nihil à se nisi jure & ordine in conventu legitimo actum, in crimen majestatis sponte inciderunt, ac non multo post Limnuchi damnatis aqua & igni interdictum.* Pag. 81. Convenerant 18, qui advenerant die quinto rata etiam habuerunt quæ illi egerant: venissent ad diem secundum nisi fraude vestra factum fuisset, ne id fieret. Aeris & cœli & soli fluminumque injuria prohibitos plures alios fuisse videtur. Quod nihil operæpretii factum, prudenter ab illis factum, cum tanta esset legatorum infrequentia: Diem ab illis dictum tamen, si permissum fuisset obire, aliquid aliquo operæpretio dignum effecissent, libertatē indictionis conservassent, quam vos sublatā summa vi curastis. Laurestonus, inspirante Spiritu mendaci, refert se publico præconio inter horas vespertinas 7 & 8 edictum promulgandum curasse die conventum præcedente, quod etsi verum, tamen non debito tempore factum secundum leges Regni. Citati ad diem 24 octob. ut coram Senatu regio seditiosi conventus damnentur, audiant conventum esse illegitimum, & plectantur pro conventu eiusque approbatione. Comparent, libello supplici petunt, ut judicium permittatur sequenti Synodo generali. Ostentata erat paulo ante mense septembri spes Synodi. Nam indicta erat publico præconio Synodus habenda Taoduni sequenti Iulio. Sed eventus docuit, non ingenuè factum, verùm ad gravioris criminis speciē ministros citatos gravandum. Petunt, inquam, vt permittatur judicio Synodi: Synodos enim de Synodis suis judicare debere, haberent ratas necne, quod prius factum in Synodo Taodunensi, quæ ratam habuit Perthensem, idque eo magis, quod in indictione Synodi majestas regia indicat se expectare reformationem quarundam enormitatum in conventu illo: sed laterem lavant. Cum vident, si Senatus judicio permiserint, adnitente Rege & Regiis certò damnatum iri conventum suum, & hoc fine ut frustretur dies ab iis dictus, & libertas indicendi legibus regni concessa Synodo generali, declinant judicium Senatus regii. Senatores tamen judicium sibi

 bi

bi vendicant, urgent ut respondeant libello accusationis. Illi prius protestati se non recedere a declinatorio, respondent, & obiecta diluunt; ecclesiam habere ex instituto Christi potestatem celebrandi conventus suos, statutum Parliamenti esse solum quid accessorum, & civilem approbationem esse tantum Christiani principis officium subjectionem suam Christo & Ecclesiæ debitam testantis. Ordinum decreto conveniendi semel singulis annis sancitam facultatem: locum & tempus fuisse circumstantias ipsius actionis conveniendi, non ipsam actionem: nec eo decreto simpliciter alligatam loci & temporis indictionem consensui Regis aut Legati ceu Vicarii Regii, sed ne iis inconsultis, si adfuerint, indicerent: Regem non potuisse, Legatum ceu Vicarium interesse renuisse; clausulam provisionis, ut loquuntur, non privativam aut derogatoriam, hac aut simili verborum formula adjecta *alioquin pro nulla aut irrita habeatur Synodus*, sed cumulativam potius esse, ac ea innui Regem per se aut Legatum suum Synodo assistere debere; non autem hunc esse sensum, si Rex nollet assentire loci & temporis indictioni non habendam pro Synodo legitima: venisse Laurestonum non ad assistendum & regia authoritate muniendum, sed ad impugnandũ omnem legitimum ecclesiæ conventum quamvis frequentissimum; noluisse ullum diem statuere; nec se quid prȩter indictionem Synodi futuræ decreuisse, idque ob gravissimas causas. Hæc & alia multa à sex ministris qui citati, dicta erant. Et quamvis nullius momenti essent ista omnia, non tamen rebellionis aut cõtemptus reos esse ob violatũ edictum regium publico præconio promulgatum die synodum præcedente. Nam factum non fuisse contendunt, nec convincere potuit Laurestonus. Addo ego, qui hæc scribo, qua authoritate Rex suo edicto privato potuit prohibere quod publica Regis ipsius & Ordinum authoritate & consensu stabilitum & sancitum, præsertim cum eo res tenderet, ut potestas indicendi ecclesiæ eriperetur. Quod ad infrequentiam legatorum, respondent, quod alia presbyteria non miserint legatos sua vel negligentia aut culpa vel cœli injuria factum; addo ego credulitate vel abiecta omnis remedii spe, quorundam etiam perfidia, ubi majorem numerum ad causam suam pertraxerant episcopaturientes: item conventum ad Fanam Andreæ anno 1596 quamvis rariorem congregatum die indicto à Synodo præcedenti diem dictum prorogasse, ad conservandum libertatem indictionis & ob infrequentiam nulla alia decreta condidisse, non tamen accusatos seditionis, aut violatæ legis: ipsa regni comitia simili ratione prorogata quandoque fuisse. Cum de facto ipso primario & originali abunde respondissent nec viderent regii, qui Senatum circum agebant, quomodo opprimerent libertatem nostram, ex secundario & orto quodam facto, nempe declinatorio libello ansam arripiunt, accusandi

majestatis

maiestatis, quod declinavissent judicium Senatus regij. Dant operam regii, ante diem dictum accusationi, per consiliarios quosdam, ut suadeant eis submissionem causæ & recedere à declinatorio. Rogant illi ut dies judicii differatur, donec consuluerint Synodos quæ jam brevi erant celebrandæ, presbyteria sua à quibus missi erant legati ad conventum. Negatur. Illi igitur in his summis angustiis positi, perspicientes ab una parte intentatum crimen maiestatis, ab alia parte perditam & amissam summam Ecclesiæ libertatem, jus indicendi synodos generales, tandem de consilio aliorum ministrorum, qui Limnuchum ad examen illud venerant, statuunt judicio experiri. Defenduntur per advocatos suos Thomam Hopum qui nunc in foro regnat, & Thomam Graium pium senem, qui nuper fatis cessit. Advocatus regius hunc formavit syllogismum. Quisquis in quavis causa declinaverit regis & Senatus judicium, reus est maiestatis. At rei, &c. Respondent maiorem non esse absolutè veram. Fas esse in civilibus & criminalibus declinare iudices incompetentes, & litem traducere ad forum competens, nec novi quid jam tentatum. Nam prius anno 1596 ministros declinasse; nulla lege definitum, esse crimen læsæ maiestatis declinare iudicem incompetentem. Non idem Rex & privatum eius concilium, nec eadem concilii privati & regis authoritatas? Num quicquid potest Rex id privatum eius concilium potest. Quoties vel ipso rege præsente à privato concilio ad suos judices fit advocatio, qui judices non minus regia authoritate sedent & judicant, & per eos Rex ipse judicia sua exercet, idque in caussis tam pecuniariis quàm capitalibus. Cum ab uno legitimo tribunali ad aliud in hoc regno legitimè sit transitus, authoritas regia non imminuitur, sed confirmatur, quæ authoritas in omnibus valet & dominatur, ex legum præscripto, judiciis. Nisi quis velit privatum sive secretum concilium posse jure suo contra leges causas ipsius cognitioni legibus non permissas, sed aliis judicibus tributas, sibi vendicare, & de iis pro arbitratu suo statuere. Circumscripta sunt in hoc regno judicia suis finibus & causis definita atque distincta, imo personis etiam disclusa. Doctrinam, sacramenta, disciplinam excipi decreto Ordinum anno 1592; paratos esse Regis & synodi judicio se submittere. Hæc & alia plura pro reis dicta sunt. Refertur causa ad quindecim de more patriæ iuratos, qui secundum allegata & probata definiant; plurium suffragiis damnantur. Plerique qui damnaverant erant gentiles & propinqui Comitis Dumbarensis, qui ab aula missus ad procurandum istud negotium. Eo procliviores erant ad damnandū, quod clam illis suggestum morte non plectendos ministros. Damnati maiestatis ad terrorem, ne qui auderent in posterum pertinacius libertates ecclesiæ asserere, & vindicare, aut

Episco-

Episcopaturientium cõsiliis & conatib⁹ remoram aut impedimentum objicere. Atque ita erepta est ecclesiæ libertas indicendi Synodos generales, quam ab anno 1560 habuerant, & quæ 1592 anno decreto Ordinum sancita erat. Nulla posthæc synodus expectanda nisi quàm Rex de consilio episcoporum indixerit. Ille non indicturus, nisi prius viderint factionem suam crevisse ad maiorem numerum, aut se dignitatibus & honoribus auctos, temporis tractu corroboratos etiam bonis terrori esse & formidini. Damnati ostentatione misericordiæ exilio plectuntur.

Pag. 81. *Octo ministri in aulam evocati.*

Neque hic (inquit) *vecordiæ finis. Extorres à suæ partis popularibus, velut martyres pro concione laudati, & Deo publicè precibus commendati.* Vecordia fuerit istis Episcopis ecclesiam suum jus tueri. Nam his laudibus suos adversarios adornabant. Stulti, vecordes, insani, temerarii, imprudentes passim audiebant; quòd non eadem lance qua isti honores & opes oblatas pendebant. Non sunt ista piorum nova convitia. Sed quis credat, qui nostram Ecclesiam novit, homines vivos pro martyribus laudasse, quæ ne mortuos quidem laudari passa est. De precibus quod queritur, mirarer hominis stuporem, nisi scirem istos præ studio insanire. Qui de ministrorum Edinburgensium inhumanitate & impietate exclamat pag. 54. sui libelli, quod pro Regis matre preces ad Deum concipere recusarunt, nunc oblitus sui, pro vecordibus damnat, qui extorres sine spe sine re Deo precibus commendarent. Quod impiis & Paganis negandum non censuit, hic omnibus Christianis pro libertate Evangelii patria extorribus non patitur dari. *Id vero Rex*, inquit, *nequaquam tolerandum existimans, factionis capita in aulam evocavit, ibique per aliquot dies auditos, & capite minutorum causam defendendo, sibiipsi crimen imputantes, partim in Anglia detinuit, partim domum remissos, parœciæ suæ finibus egredi vetuit. Qui si stultitiæ debitas pœnas luissent, & reliqui hodie modestiùs viverent, & nos calumniarum fugissemus molestias: nec ad hæc tempora perventum esset, quibus nec ecclesia ministrorum turbas, nec ministri remedia pati possent.* Sed longe errat mea sententia. Quandiu supererit vllus in Scotia, non deerit qui istorum nefarias artes prædicet: si omnes tollent, diræ infernales manes nostros expiabunt. Mense Maio anno 1606 literis regiis ad aulam evocantur Andræas Melvinus, Iacobus Melvinus, Iacobus Balfurius, Iohannes Carmichael, Robertus Walesius, Guilielmus Watsonus, qui omnes jam fatis cesserunt, Guilielmus Scotus, & Adamus Coltus, qui adhuc superstites magna cum laude munere suo funguntur. Hos dicit iste factionis capita in aulam evocatos, capite minutorum causam defendisse, sibiipsis crimen imputasse. Præstantiores viros non habuit ecclesia nostra. Evocantur ad aulam. Dies dictus 15 Septemb. literis à Rege datis causa exprimitur, ut cum iis consilia conferret de iis quæ essent

Pag. 82.

è re

è re Ecclesiæ & ad pacem spectarent. De extorribus Deo precibus commendatis nulla mentio. Incessit tamen suspicio aliquid monstri Regem & Regios alere. Egerunt cum Comite Dumbarensi, ut liceret domi manere, sed frustra. Imo, inquit, nunquam fœlicius iter suscepistis. Episcopi ægrè ferunt, invidentm etiuum, ne inter regē & vos conveniat, nec nisi nuper intellexerunt vos evocandos, de consilio quorundam qui bono Ecclesiæ consulunt, regem vos evocasse &c. Sed ficta omnia. Vident necessariò proficiscendum. Veniunt ad aulam 20 Septemb. Die 22 in duo capita contraxit Rex omnia, de quibus cum iis acturus erat, de conventu Abredonensi & ministrorum illius conventus causa, & de mediis quibus synodus generalis celebrari possit absque animorum contentione. Petunt spatium temporis ad meditandum responsum, quia in literis de capitibus illis non præmoniti. Deinde quæsivit, de legatis à Presbyteriis missis ad synodum Abredonensem post acceptas à Commissariis literas, de commendatis Deo precibus ministris Majestatis damnatis, quibus respondit Iacobus Meluinus. Redit deinde Rex ad duo capita, & concessum illis tempus meditandi responsum. Die dicto respondent, non suum esse judicare de Abredonensi conventu. Rem non esse integram. Senatum vendicasse sibi judicium; si ministrorum etiam judicium desiderat, indictam esse authoritate majestatis suæ synodum Taodunensem; non suum esse præjudicio suo synodum prævertere, nec sibi salvum fore jus suffragii in synodo, si sententiam suam ibi tulerint, neque indicta causa vel probare vel damnare absentes posse. Iacobus Meluinus præterea respondit, si vult majestas vestra me dicere, quid judicem in foro conscientiæ, nisi de injuriis iis illatis, de quibus expostularunt, & quas Ordinibus in Comitiis proximis exhibendas dederant, cognoscatur, non adducar ego ad damnandum. Tandem A. Meluinus, etsi renuisset prius judicis partes, priusquam dimitteretur, profitetur, non peccasse celebrando conventum, & injurias illis illatas ad Limmuchum eo explicante, secessit Rex. Cum illi ab aula egressi, edictum eis ne reverterentur in Scotiam absque Regis venia; denuo 29 Septembr. ad aulam vocati sistunt se coram consiliariis Scoticanis, qui ibi tum aderant. Rogantur sigillatim. Et primus Iacobus Meluinus, num ministros in carcere detentos Deo precibus commendasset, 2 num probasset conventum Abredonensem, & declinatorium libellum ministrorum, 3 ubi epistola ejus missa ad synodum Fifensem. Respondit se liberum esse subditum, nullo legitimo libello citatum, nulla lege teneri ad sese accusandum; jam esse extra patriam, domi de eo judicium instituant, ibi responsurum: præsertum cum de reb. domi gestis contra illum agerent. Andreas respondit ignorasse quid agerent, à majoribus suis degenerantes, qui san-

 guine

guine & patrimonio suo Evangelium charius ducebant, nescire quàm iniquæ causæ patrocinentur. Secundo octobris proponuntur à consiliariis Scoticanis qui in aula erant 3 Articuli quibus respondendum iis erat. 1 num peccarint commendando ministros Deo in precibus, 2 num agnoscant Regem vi prærogativæ regiæ posse convocare, prorogare, aut interdicere synodos, 3 num fas sit Regi aut Senatui regio judicare de cujusvis subditi culpa. Respondent scriptis 4 Novemb quæ dantur Nicolsono qui tum in aula & Episcopatu Caledonio donatus erat, ut per eum Regi exhibeantur. Ad 1 se nullam videre culpam, si quis rectio docuerit, se culpam agnituros. Ad 2 de ea re definitum per leges regni, & constitutiones Ecclesiæ, si quid dubii sit reliquum, definiatur in synodo generali. Ad 3 ex parte civile esse. Quod ad res spirituales & causas merè Ecclesiasticas, jurisdictionem Ecclesiæ, quatenus & quantum differat à civili, de iis omnibus definitum per leges regni, constitutiones & praxim Ecclesiæ, declarationem Regis ad Limnuchum anno 1585 &c. His responsionibus amoliri prudenter studebant laqueos quos nectebant adversarii, cum viderent se è patria evocatos, & vexatos quæstionibus, cum significasse Rex accersitos ad conferenda consilia de pace Ecclesiæ. Tandem gravamina sua offerunt Regi, quibus sopitis censent sedatum iri dissidium & turbas in Ecclesia, 1 quod jam 4 annos nullam datum fuit illis celebrare synodum, etsi res Ecclesiæ maximè id poscerent. Cum omnes omnium ordinum homines de libertatibus suis & privilegiis conservandis solliciti essent, non debere sese esse negligentiores: 2 Ministros in carcere asservatos (erant tunc temporis 14,) à gregibus & familiis prohibitos præsertim grassante peste. 3 Qui vendicant sibi jus suffragii nomine Ecclesiæ, nec ineundo nec obeundo eo munere servasse leges præscriptas in conventu ad Montem rosarum: nec insertas decreto Ordinum, cum ad Pertham exhibitæ in eum finem essent, sed rejectas, 4 quod Commissarii synodi generalis non tempestivè præmonuerant Presbyteria de ipsius mandato de proroganda synodo Abredonensi. 5 Laurestonum nequiter egisse cum conventu illo, qua occasione ad contestationem pro libertate Ecclesiæ tuenda adducti sunt, 5 quod injuriæ illis variis modis illatæ: 6 quod tam diu detineantur ipsi extra patriam à gregibus & familiis abstracti Sed surdis canitur. Dum hæc ad aulam geruntur, 6 ministris majestatis damnatis patria excedere mense Novemb. edictum. Mense Decembri indictus Conventus ad Limnuchum, ubi damnati erant ministri, proculdubio ad refricandam memoriam facti, & incutiendum terrorem iis qui conventuri erant Qui ad aulam evocati, detinentur in Anglia, dum conventum istum celebrassent: nec cunctis postea permissum redire in patriam A. Meluinus turri Londi-

Londinensi commissus. Iacobus Meluinus, primum Novum castrum, deinde Beruicum relegatus ubi obiit. Aliis permissus reditus, sed relegati vel ad suas parœcias, vel ad alia loca. Vnde videas quibus artibus Episcopi ad damnatum tyrannidis fastum redierint.

Rex, inquit, *vbi nullum perturbationum finem videt, sed vna sopita, instar Hydræ capitum, novas jugiter pullulare, vt molesto & diuturno operi tandem aliquando coronidem imponeret, Episcopis imperat, provincias suscipiant, & suæ ditionis Ministros in officio contineant. Quibus se submissè excusantibus, quòd Decretis Ordinum à Præsulatuum fructibus percipiendis excluderentur, & de causæ æquitate velut re controversi juris, adhuc multi ambigerent, quibus, modis omnibus satisfactum saltem ex parte cupiebant, Rex in Comitiis regni anno 1606, decreta quæ obstabant, lege lata abrogavit.* In spiritualem jurisdictionem à ministris assensum anno 1610 in Synodo Glasguensi. Miscet & confundit narrationem Episcopus, ut tenebras offundat. Comitia regni anno 1606. prius celebrata quàm ad aulam venissent, quos dicis capita factionum. Si Rex Episcopis imperaverit Provincias suscipere, & suæ ditionis ministros in officio continere, ante Comitia anni 1606, sequitur arrogasse sibi absolutam potestatem constituendi Episcopos in Ecclesia. Ante Comitia illa ubi designata illis provincia aut ditio, aut in ministros jurisdictio? Nam quos ornaverat titulo & beneficio Episcopatus, & propterea vulgo dicti Episcopi habentes jus suffragii in Comitiis regni, nulla iis data in ministros Diœceseos, à qua denominatus erat titulus, potestas, aut jurisdictio. Ais submissè vosmetipsos excusasse quod à fructibus præsulatuum excluderemini & de causæ æquitate multi velut re controversi iuris adhuc ambigerent. Quid si fructus percepissetis Præsulatus, an propterea ministri ditionis fuissent sub vestro imperio. Num omnes qui præsulatuum fructus percipiunt, habent iurisdictionem spiritualem in Diœcesin. Nobiles & alii qui antehæc fructus Episcopatuum percipiebant, non tamen habebant potestatem iurisdictionis Ecclesiasticæ in Diœcesin. In Comitiis regni ann. 1606, verum ratas habuisse ordines Regis, quas dicunt, præsentationes ad Episcopatus, & restitutam ministris, quos Episcopatibus rex ornaverat, dignitates, libertates, præeminentias omnes, quibus à reformata religione ante eos ulli gaudebant Episcopi, ad ius suffragii in Comitiis admissos. A reformatione autem Episcopi amplissima potestate instructi nec minori quàm sub papatu, ut anno 1584. Sed non sine fœda pactione & summa perfidia hæc acta sunt. Nam Nobiles quidam, qui Abbatias & Prioratus possidebant, consenserunt admittendis Episcopis ad ius suffragii & dignitatem tertii Ordinis, hac lege, quod hi consentirent in ipsorum gratiam quas possidebant prælaturas in perpetuum feudum

Comitia ann. 1606.

dum eis addicendis. Assenserunt qui Episcopatibus donati erant; & hoc nomine duplicis perfidiæ rei. Primum quod abiudicaverint bona Ecclesiæ inconsulta Ecclesia, 2 quod Ecclesiam tot suffragiis in Comitiis regni privaverint, quot erant prælaturæ in feuda ceu dominia temporalia eorum consensu mutatæ, nempe 16 aut 17. Cum initio illi ostentassent, quàm utile foret Ecclesiam habere ius suffragii in Comitiis, & à conventu Ecclesiæ non sine summa contentione id extorsissent, & de numero definitum esset, quod quinquaginta ministri cum iure suffragii in Comitiis sederent, illi totidem suffragiis Ecclesiam frustrarunt, cum ius suffragii in comitiis nulla alia lege ministris ab ordinibus concessum, nisi veterum Prælaturarum titulis & beneficiis ornati essent. Ministri synodorum Legati petierunt à Dominis, quos vocant Articulorum, qui articulos in acta referendos discutiunt, ut conditiones in quas conventum erat in generali Ecclesiæ conventu ad Montem Rosarum, inserantur decreto Ordinum de iure suffragii. Responsum, nolle, sic eis imperatum fuisse, nec velle aliis conditionibus aut legibus admittere, quàm quibus centesimo abhinc anno. Episcopi ipsi spretis conditionibus, quas in conventu iustas agnoverunt, & ministrorum, qui aderant, consilio, ius suffragii invaserunt. Et sic tertiò perfidiæ damnandi sunt. Ministri, cum non aliud restaret remedium, protestati sunt scriptis, & prolixè, contra ius suffragii ministris concessum in Comitiis, & violatas leges à conventu generali præscriptas. Sed reiecta protestatio. Tanta iniquitate omnia gerebantur. Hanc protestationem chirographis suis obsignarunt multi, & inter alios tres qui post paucos annos Episcopatus induerunt, Adamus Bannatinus, Gulielmus Cowperus, Iohonnes Abrenethius. Gulielmus Cowperus olim bonæ causæ propugnator acerrimus, in his ipsis Comitiis concionem habuit coram Ordinibus (nam erat minister civitatis, ubi cum celebrabantur Comitia) omnibus bonis probatam. In Ministros prælaturam & tertii ordinis dignitatem ambientes liberè invectus est. Cum equos conscenderent, ut in processione Ordinum inter nobiles, Dominos & Comites, cum pompa equitarent, dixit adstantibus, Spectate superbiam istorum arrogantium prælatorum. Ille tamen non minùs superbus inter arrogantes. Prælatos postea in simili pompa suam arrogantiam prodidit, vir ingenii mobilis, & facundior quàm doctus.

Conventus ad Limnuchũ anno 1606. Dum relegantur alii, alii exilio aut carcere plectuntur, aut ad aulã evocati in Anglia detinentur, & præsentationes ad beneficia ordines ratas habuissent, ad Presbyteria mittuntur à Rege literæ, quibus Limnuchum de consilio episcoporum evocantur, quorum nomina erant literis expressa, homines quos facillimo momento ad quidlibet impelli posse judicabant. Causa evocandi prætexebatur, ut de

papistis

papistis providerent (nam hic finis, ut alia occultaret, semper prætendebatur) & tumultus in ecclesia sopirentur. Cœterum de conventu generali in literis tacebatur, ne eo confluerent legati à Presbyteriis, quorum præsentiam amoliebantur. Id adeo in occulto fuit, ut Galloui dius prioris conventus moderator recusaret, (quod ex officio debuisset, si conventum generalem indictum agnovissent Presbyteria) à concione auspicari: quia cum de conventu non esset monitus, se ad hoc munus non parasset. Itaque Iacobus Laws beneficio & titulotenus Episcopus hac vice functus est. Finita concionē Gallouidius de Regis voluntate in delectum moderatoris quatuor proposuit. Eligitur Nicolsonus tum titulo & beneficio tenus Episcopus Caledonius. Cum rogarentur ministri suffragia, responderunt se à Presbyteriis suis non habere authoritatem. Itaque iubentur suam quisque ut privati sententiam dicere. Cum quidam animo protestandi non esse legitimam, rogarent, ecquid vellent Synodum esse nationalem? Responsum, nihil esse aliud quàm privatum concilium ministrorum à rege indictum, ut de quibusdam capitibus consultaretur. Nihilominus cum Adamus Bannatinus nunc & ipse Episcopus Dumblanensis, cum aliis de protestatione consultarent, citantur ab Episcopis in Senatum sanctiorem, quorum non pauci aderant. Monentur desistere: nihil ipsos moliri contra ecclesiæ libertates, aiunt episcopi, si quid tentatum fuerit, se omnium primos protestaturos. Deinde inquiritur primùm, quid contra Papistas ex decreto superioris synodi sit actum. Nam id sedulo prætexebatur, ut reliqua viderentur sinceriora. Cumque responderetur propter immunitatem Huntilæo concessam rem ad huc esse integram. Huntilæus anno 1597 reluctantibus viris bonis reconciliatus ecclesiæ, jam redierat ad vomitum, vel potius, prodidit nihil sincerè in reconciliatione priori gestum. Fit decretum (prætextu reprimendi Pontificios quorum numerus jam crescere cœperat post conjuratorum reconciliationem, & jacta Episcopatus fundamenta) ut singula Presbyteria quendam ex suis ad sanctius Concilium delegarent, eique Quæstor publicus centum libras in sumptus annuatim solveret. Hinc de perpetuis Presbyteriorum seu classium moderatoribus proponitur. In causa enim hoc esse, quod negotium de Papistis negligeretur, quod moderatores exeuntes non putarent esse officii sui; ineuntes rem integram nollent attingere. Cum responsum hoc non esse Moderatoris, sed Presbyterii officium: nihilominus res urgetur, & tandem decernitur, ut qui paulo ante nominati erant legati ad sanctiorem Senatum contra Pontificios, moderatores sint, centumque illis libris in sumptum fruerentur. Atque ita classium moderatores perpetuos constituunt, & sibi duplici beneficio devinciunt, perpetuitatis officii quæ ambitiosis valde arridebat, & annuo centum librarum. Con-

 stituunt

stituunt autem plerosque moderatores Presbyteriorum, ministros qui erant in eo ipso conventu, & in Presbyteriis suis episcopos. Hic primus gradus potestatis in ecclesia supra collegas, perpetua prostasia in Presbyteriis quorum ipsi erant membra, quam etiam in Synodis provincialibus hujus canonis verbis adulteratis arrogare statim cœperunt. Iam vide lector, an spuriam rectè dicat Philadelphus hanc Synodum, ad quam non mittebantur legati à Presbyteriis delecti, sed evocabantur à rege nominati; in qua, qui suffragia ferebant, se cum jure suffragii missos esse negabant, quam, qui præerant, conventum generalem ecclesiæ Scoticanæ repræsentativum dum agitaretur, profiteri non audebant, cum rogati, ecquid vellent Synodum esse nationalem: contra quam, cum quidam protestaturi, ad senatum citantur. Cujus decretum de moderatoribus Presbyteria non prius admiserint, quàm literis pœnam perduellionis minantibus coacti essent. Quod autem adulterina & supposititia quædam fuisse queritur, Philadelphus, tu judica. Concessum in eo fuit de perpetuis seu constantibus, quos vocabant Presbyteriorum moderatoribus, non tamen synodorum provincialium. Cum post ad Dalkethum conveniret provincia Lothiana: cœptumque esset moderatorem eligere: Legati regis mandata sua cum decreto Limnuchensi de perpetuo præside proponunt. Hîc omnes qui adfuerant in conventu illo, negabant esse rogatum, nedum concessum, vt præses synodi vel provincialis vel nationalis esset perpetuus. Item cum Fifenses ad Disertum (id nomen est oppidi) convenissent, regii idem decretum urgent, ut Georgius Gladstonus titulo & beneficio Fani Andreæ ornatus moderaretur. At illi cum suffragia rogarentur, regio apparitore adstante, & sub pœna perduellionis edicente, constanter omnes, exceptis tribus, clamabant esse fictum, seseque proscriptionis mala toleraturos potius quàm concessuros. Hîc cum legati regii instarent, episcopus ipse perspecta eorum constantia, metu excommunicationis hortatus est eos ne pergerent; se regi satisfacturum. Vnde videas, an sine causa de fide istorum queramur: an illi satis defendant arguendo nobis esse solenne incusare, criminari, & quæ contra se faciunt, fastuosè rejicere. *Licet*, inquit, *præses fato functus innocentiam tueri nequeat, at qui acta in publicas tabulas redegit, cujusque vita omnis non minus disjuncta à vanitate & perfidia, quàm illorum cum fide & officio conjuncta, crimen falsi adhuc in vivis facile diluet*. Quod præsidis fidem appellet equidem nescio. Tantum scio, sicillum pœnituisse eorum quæ fecerat, ut frustra amici solarentur. Audivi dicere iisdem argumentis niti papam & Episcopum. Non multos post annos factus beneficio tenus Episcopus, & paulo ante conventum illum. Tandem nec multo post conventum illum morbo correptum sera incessit pœnitentia. Exclamat se in matris ecclesiæ lanienam

Pag. 84

con-

consensisse: cumque juberetur ab amicis medicos accersere: respondit, solum regem posse vulneri suo mederi: demeret mitram quam capiti imposuit. Vnde David Lindesius, qui sororem uxoris habebat conjugem, tum pastor Taodunensis, nunc episcopus & ipse Brechinensis, auritus (quod audio) testis cecinit.

Solatur frustra coniux, solantur amici,
Et medicum accersi sedulò quisque jubet.
Sed dare solamen nemo, dare nemo salutem,
Te præter poterit Rex Iacobe mihi.
Quæ corpus gravat atque animam tantum exime mitræ
Huic caput: huius onus me premit & perimit.

Atque hæc obiter de illo, ut alii exemplum inspiciant, Lindesius maximè qui hæc scripsit. Miræ sunt hujus vitæ illecebræ, facileque fallunt, nisi pectora Deus penitus obtineat. Quod ad scribam Henricum Philippum, si ille conscius fuit, non est eius vita ita à vanitate & perfidia disiuncta, ut potior habeatur quàm totius Synodi & legatorum, qui adfuerant. Ille erat Nicolsoni hyperaspites in Synodo Angusiana multis retro annis, eumque delegit scribam. Quisquis huius criminis reus sit, hoc certum, cum obtruderentur Synodis & Presbyteriis præsides isti perpetui statim à conventu Limnuchen, si& quidem sub pœna perduellionis, non concessam decreti inspectionem aut apographum ante medium annum, cum ab aula remissum. Tu videris ubi auctũ, mutatum aut interlitum. *Non dicam*, inquit, *quod tamen si dicam, nunquam infirmabunt pleraque ab iis synodorum acta mutata, aucta, deleta, interlita, pleraque ad causam fulciendam supposita.* Vulgo solent, qui crimine aliquo tenentur, accusatorem suum eiusdem criminis accusare. Hic bonus Orator ipse nos non posse convitia sua refutare joggannit, quod nemo qui vel micam habet cerebri reliquã, credat. Quando aut quis nostrum tale facinus ausus est? Nihil opus erat fingere, cum tota ecclesia, nemine dissentiente, quod decretum erat, comprobaret, & fateris omnia fuisse vobis adversa. Cum separaveritis vosmetipsos à fratribus, & scribas & acta in vestra potestate habeatis, nos non affirmabimus, quod non modo testibus sed etiam aliis indiciis probare possumus? Sed quid ego facio? homini quidlibet effutienti negationem facti probo? quam omnes fatentur esse infinitam. Conditio, quam nobis proponit, est, ac si quis Andreæ cuidam his verbis objiciat. *Non dicam quod tamen si dicam, nunquam ille infirmabit; Andream inter vias Londinum conduxisse scortum eique annulum dedisse: Georgium post paucos dies secutum, eundem annulum ab eadem meretrice, nescio quo pretio redemisse, & in aula non sine Andreæ infamia in eius ludibrium ostendisse.* Hic ipsum Spotsuodum, quanquam iniquissimum judicem appello, an æquum sit, Andream cogi, ut infirmet quod Georgius sine teste, sine argumento

Pag. 15.

mento affirmat. Si non censet acutum, probat eadem lance, qualem nobis conditionem offert. Nam nos hoc factu ita negamus, ut si omnium Episcoporum cerebra in omniscientis Papæ crania coquant, nunquam idoneis argumentis efficient, ut nos huic sceleri affines esse videamur. Post conventum Limnuchensem quædam Classes perduellionis pœnæ metu coactæ admiserunt præsides Limnuchenses, certis legibus, nempe usque ad conventum generalem, vel usque dum ipsis visum fuerit mutare, & ad hanc legem chirographo & iuramento obstrinxerunt; aliæ simpliciter renuunt. Ex decreto Limnuchensi de Præsidibus orta denuo alia persequutio. Quidam perduellionis damnati, alii relegati, alii carceri demandati. Conventum, quem dum celebraretur non audebant profiteri synodum generalem, statim ac dimissus, celebrem fuisse synodum venditant, eiusque authoritate ementita, regiaq; authoritate munita & sese Præsides Synodis & Presbyteriis obtrudunt episcoparturientes, & aliis Presbyteriis alios præsides quos mercede conduxerant, & spe amplioris beneficii lactabant, vt à suis partibus starent. Delegerant quos judicabant facillimè aut lucri aut honoris esca capi posse. Delecti erant etiam quidam ex optimis, ad fucum, sed pauci qui non interfuerunt conventui.

Synodus Glasguensis ann. 1610. mense Iunio. P. 83.

In Synodo Glasguæ habita, inquit, *anno* 1610 *in spiritualem iurisdictionem ab omnibus Ministris assensum, tribus solum ex centum circiter quadraginta, qui illuc convenerant, refragantibus.* Ex omnibus Synodis quas Scotia vidit, nulla corruptior hac Glasguensi. Eò accersebantur ex Presbyteriis moderatores, quos in conventu ad Limnuchum selegerant, & centum libris in annum conduxerant, cum binis ministris quos ipsi literis tanquam à Rege evocabant. Non mittebantur à Presbyteriis, quod integra ecclesia fieri solebat, viri ad cognoscendas causas aptissimi. Concilio cum regia authoritate præfuit Georgius Humæus Comes Dumbarensis. Is eò traxit regios satellites, qui post regis in Anglia discessum, vt rebelles ad limites comprehenderent, & carcere clauderent, conscribebantur. Hi coronam ultimam claudebant, vt si quis liberam vocem emitteret, ad nutum Dumbarensis in custodiam clauderent. Horum terrore ex occidente aliquot ministri, qui provocationem meditabantur, à consilio discedere cogebantur. Ferebat idem Dumbarensis, argenti quod satis videbatur ad suffragiorum majorem partem conducendam, ne quid subesset non provisi periculi. Re audita post finem Synodi Iohannes Lauderus ad saltum Cokburni minister ad Dumbarensem venit, ut est homo ad rem, quàm famam avidior: questusque suum iter fuisse inter longissima, victum tenuissimum, & suffragium ad summam rei non minus commodum: audire aliorum habitam esse rationem, petere ne solus negligatur. Comes respondit serò venisse, se putare nihil esse reliqui: vocatoque eo qui distribue-

distribuebat, rogavit, num quid esset reliquum. Cumque is respondit non restare supra 17 asses Anglicos. Hei mihi, inquit Comes, hoc nihil est. Imo, inquit Lauderus, erit aliquid in sumptum. Atque ita fidem quam non potuit, quanti voluit, quanti potuit, vendidit. Qui suffragiis ferendis responderant, Non liquet, nihil acceperant, quia, qui non est mecum est contra me, dixerat uni Laus tum Orcadum Episcopus: alijs promissum annuum, aut auctius stipendium, alijs prim[illegible]s qui vacaret Episcopatus: Hîc causam prodidit Couperus, & [illegible]aricati sunt plures alij. Si in hoc conventu tres tantum in[illegible]ua fide manebant, mirum est potius tot fuisse in illo grege honestos viros, quàm tam paucos corruptioni obviam ivisse. Quamquam nec id credo. Sciendum præterea viam sibi antea stravisse Episcopos ad occupanda suffragia Synodi. Sedebant cum jure suffragij in Comitijs regni Domini Parliamentarij, & Regi à Consilijs in Senatu regio; erant beneficiorum complurium patroni ratione beneficij majoris ceu Episcopatus quo ornati erant à rege, constituti etiam stipendiorum moderatores, ut ministros alios auctiore stipendio ad sese pertaraherent, alios minutiore, si flectere non possent, frangant. Tandem hoc ipso anno 1610 mense Februario publico præconio promulgatur delegata illis à rege potestas & jurisdictio in omnibus offendiculis sive in doctrina sive in moribus in omnes subditos cujuscunque Ordinis sive ministros sive nobiles, sive ex plebe infimos. Constituuntur Regio Diplomate absque ullo vel Ordinum vel ecclesiæ consensu Regis Commissarij in jurisdictione Ecclesiastica. Armantur virtute hujus diplomatis potestate exauctorandi ministros, suspensionis censuram irrogandi, excommunicationem decernendi, & ad ferendam sententiam aut latam denunciandam quemvis ministrum cogendi; item potestate mulctandi, in carcerem conjiciendi, & persequendi contumaces pœna perduellionis. Quam ab ecclesia nec vi nec fraude hactenus surripere potuerunt jurisdictionem ecclesiasticam, à rege primum accipiunt, ut statim in conventu aliquo extorqueant, si dolos versando surripere non possint. Cum isti terribiles Domini duplicis gladij vindicta armati, & alijs etiam rationibus beneficio vel injuria potentes essent, quis in hac turba ab ipsis tota fere delecta, satellitio regio obsessa prætextu officij alicujus honesti, obstrepere audebat. Certus enim erat quisq; fraudi sibi fore libertatem sententiæ. Dictum ac factum, causam aliquam inveniet Episcopus Commissarius regius & stipendiorum moderator, quamobrem aut stipendium vel minuat vel auferat, vel carceri demãdet, aut ministerio exuat. Sed cum fere omnes munere vel à manu vel a lingua corrupti essent, quis obloqueretur. Verũ largitionib⁹ obtendisse sumptus itineris, sed notum est Presbyteriorum sumptibus instructos fuisse antehæc legatos, nec itineris rationem hîc habitam in ijs

 qui

qui non pro ijs sententias dixissent, nec servatam proportionem inter iter & sumptus, & disertis verbis exprobratum nonnullis indignos fuisse mercede, qui nullum præstiterunt officium. In hoc conventu vel potius conciliabulo episcopis potestas ordinationis & jurisdictionis obnoxia reddita est. Nulla ordinatio in posterum rata nisi actum Ordinationis consummaverit episcopus; nullus minister exauctorandus, nullus vel sceleratissimus, excommunicandus, non probante aut vetante Episcopo: omnium Presbyteriorum episcopi præsides essent, si adfuerint, iis absentibus, quos ipsi perse... os constituent. Synodorum etiam provincialium ipsi præsides, ... diœceses visitarent. Cum dico episcopis hæc concessa, non intelligo episcopos officio. Nam nulli erant tunc officio episcopi, sed vulgo sic vocabantur, qui titulo beneficii & jure suffragii in comitijs gaudebant. Sensus ergo, Qui titulo beneficij & jure suffragij gauderent, iis inconsultis vel non probantibus, &c. nec quæ hic conceduntur, iis qui Episcopatus beneficio gaudebant, faciunt eos ordine à Presbyteris differre. Non enim negarunt, qui illuc convenerant, Synodos & Presbyteria conventus Presbyterorum, hæc omnia potuisse obire munia, quamvis obnoxiam eis reddiderunt potestatem tum ordinationis tum jurisdictionis non absque æterna perjurii infamia: sed negatiuam tantum quandam potestatem eis sese tribuisse censuerunt & conjunctam cum conventu ministrorum, id est, Presbyterio ceu classe, vt ipsi intellexerant, Nam Presbyterii vocem ne nominari quidem fas erat, ne regem scilicet offenderent, quem dicebant non posse vocem illam patienter & æquo animo audire. Sed quid hic monstri alebant, ut promiscuè quemvis cœtum ministrorum loci, ubi quis ordines suscepturus aut exauctorandus, & quantumvis exiguo munero deligerent, qui Presbyteris reliqua quæ permissa sunt munia obirent, quem tamen ordinem non observant. De consecrandis episcopis, ac si jam agnita in conciliabulo illo fuisset potestas ordinis & jurisdictionis propria episcopi, & quæ non competit Presbytero, altum erat silentium. Iohannes Sporsuodus tamen & Andreas Lambius alter titulo tenus tum Glasguensis, alter Brechinensis episcopus, ex grege episcopaturientium omnium vitiosissimi, statim à Synodo profecti in Angliam, & non multo post sequutus Galbinus Hamiltonus Gallovidianus. Hi tres consecrati mense Novembri anno 1610 ab Abboto, inconsulta & nesciente ecclesia nostra Reversi alios episcopos consecrarant, consecrati se pro episcopis officio gerunt, non ut procuratores Conciliabuli Glasguensis ex voluntaria sed perfida illius cessione, sed ut ordine sacro ministerii à Presbyterorum distincto gaudentes, & per successionem ad eos derivato. Ex his nova persequutio orta. Bancroftus qui inter Anglicanos præsules maximam huic operi navavit operam miserè & maximis cum cruciatibus sta-

tum

tim mortuus est, Dumbarensis qui Regis vicarius ceu Procurator erat in conciliabulo Glasguensi, non multo post etiam fatis cessit, cujus hæredes hodie in Scotia non possident vestigium pedis.

Conventus generales ab anno 1610 celebrarunt tres, quorum duo priores sternebant viam ad tertium, nempe Perthensem celebratum anno 1518 in quo quinq; ritus Anglicanos amplectuntur, geniculationem in percipienda eucharistia, observationem quorundam dierum festorum, confirmationem puerorum episcopalem, privatam baptismi, & privatam cœnæ administrationem. Io. Spotsuodius tunc Fani Andreæ pseudoarchiepiscopus Præsidis officium sibi arrogat, nec cedere voluit, etsi quidam petiissent ut secundum morem eligeretur Præses. Nam primis quindecim annis à reformatione, cum Superintendentes & Episcopos primi & secundi generis haberet ecclesia nostra, rarò nec nisi præeunte electione moderati sunt conventum generalem. Non præcessit legitima præmonitio, sed cum sererentur sermones Regem adeo excanduisse in synodum præcedentem, ut nulla jam posthæc expectanda sit synodus nationalis, ex improviso tamen indicitur ut incautos & securos opprimerent nostros. Ob defectum legitimæ præmonitionis non aderant omnes quorum intereat. De ministris qui cum jure suffragii in Comitiis regni sederent cautum ad Montem Rosarum, ne in conventu generali jus suffragii haberent, nisi à classibus ceu Presbyteriis suis legatione instructi essent. Omnes tamen Episcopi spreta hac lege non modo suffragia tulerunt, sed etiam circumagebant pro arbitratu suo totum conventum. Ministri purioris cultus & veritatis assertores concionibus, oratiunculis, conviciis, & minis oppugnati sunt. In fraudem suffragiorum in publico conventu, in privato colloquio dixerunt sententias, reluctantibus nostris qui prejudicium non ferendum esse testabantur. Non temperabimus nobis à viginti prejudiciis, ut morem Regi geramus, respondit Spotsuodus. Petierunt nostri, ut à scribis exciperentur scriptis argumenta. Renuunt. Offerunt articulos quosdam expendendos, prius quàm se ad suffragia ferenda præcipitarent. Non permittit perlegi Spotsuodus. Ferunt suffragia Barones, literis regiis evocati, Episcopi, cives, & ministri vel legitima legatione non instructi vel supra justum legatorum numerum emissi. Multorum suffragia vel emendicata vel interminationibus publicis aut privatis expressa. Vel annuis opimis corrupti vel spe stipendii lautioris lactati, vel deficiente plena & libera disputatione hallucinabantur, vel Episcoporum promissis circumducti. Si solum vultis, inquiunt, in decretũ consentire ut Regis animũ demulceatis, remittet executionem: de praxi non laborabit. Habes lector plenius descriptas nullitates hujus cõventus in parasynagmate Perthensi. Ex hujus pseudosynodi decreto orta alia, quę adhuc durat, persecutio.

Conventus Perthensis anno 1618.

Concilia priora & posteriora conferantur.

Eat nunc Episcopus, & quærat, quid in synodis illorum reprehendimus, non quod à Rege indictæ, non infrequentiam, sed liberam electiorem legatorum præteritam aut repressam, libertatem suffragii ereptam, jus suffragii concessum iis qui nulla legatione instructi erant, sententias emendicatas, aut emptas largitionibus aut spe annui vel alius præmii, perfidas protestationes ad fallendum, decreta mutata, aucta, interpolata, optimorum quorum in synodis amoliebantur præsentiam, persecutionem, & quæ alia suprà numeravimus, scelera. Denique nulli historias hujus aut superiorum temporum historias replicanti occurrent nequiora conciliabula. *Conciliabula & congressus suos, seditionum, tumultuum, factionum fomites, incentiva rebellionum, licet in cœlum laudibus efferant, contra tamen auctoritatem principis coactos, quod unicum causæ satis est ad improbandum, ipsi non diffitentur.*

Pag. 85.

Dicit coacta contra auctoritatem principis, cum ne vel unum sic coactum ostendere possit, non synodum Abredonensem, quæ auctoritate principis legitima, ceu lege nitebatur, nec contra privatum edictum, quod iniquum, coacta est: sed antevertebat. Conciliabula vocat conventus in quibus præter ministros ipse Rex aut ejus legati, & proceres aliquot gentis non rarò interfuerant. Hæc tumultuum, seditionum, & factionum fomites dicit, quæ à rege semper steterant, cujus acta & decreta omnia si excutiantur, nihil quis reperiet, quod tumultum, aut seditionem sapiat. Nec dubium quin calumniator iste, si quæ ejusmodi extarent in archivis Ecclesiæ nostræ, in apertum protulisset. Tumultus, & factiones in conventus nostros ipsi opes & honores captantes, & Regis consiliis studentes primi excitarunt, & aluerunt donec pro arbitratu suo indicere, membra constituere, circumagere & versare pro arbitratu suo synodos possent. Hinc illa vana, quam dixi, jactitatio. *At vestra mihi dixisse liceat,* inquit, *acta conventuum, comitiorum decreta, nunc nostro ordini suffragantur, quæque olim contra nos faciebant nunc à nobis stant.* Conciliabula vestra neque libera neque legitimo ordine vel coacta vel celebrata, non agnoscimus. Si adhuc permitteretur liberum & legitimum concilium, nihil certius quàm dejectum iri Episcopatum vestrum, & vos excommunicationis censura ejiciendos ex Ecclesia; nec audetis subjicere, quam vi & dolo occupastis jurisdictionem & potestatem ceu potius tyrannicè judicio synodi, quod ob pacem Ecclesiæ facere debetis, si ullus pietatis aut charitatis sensus vobis reliquus esset. Sed quum in Synodis vos præsidere, judicare jubere, vetare, pro arbitratu vestro potestis, non mirum conventuum decreta ordini vestro suffragari. Regia authoritate freti & potestate qua vos instruxit, invita & renitente Ecclesia, Ecclesiam opprimitis.

Sed, ut hæc Sectariis nostris condonemus, inquit, *quantam illam putabimus*

pabimus vel mentiendi licentiam vel maledicendi libidinem, quæ in nostrum ordinem, qui hodie ad clavum Ecclesiæ sedemus, liberè grassantur & quos contra decreta Ecclesiæ, acta Comitiorum regni, confessionem fidei, fidem datam, cum ministerium iniremus, solenne fœdus renovatum, protestationes, cautiones, & leges à nobis approbatas omnia in Ecclesia administrari aiunt. Nos hæc revera dicimus, neq; vestra facta nos sinunt mentiri. Hæc omnia vos violasse probavimus, & perfidos, quamvis vobis perfidia honori & lucro sit, asserimus & affirmamus. Conciliabula vestra non agnoscimus, nec fœtas in Comitiis pactiones. Conditiones & leges de jure suffragii in Comitiis ipse fateris vos violasse, sed non ingenuè in eas assensisse. Protestati sæpius nullum Episcoparum vos invehere, aut quid in disciplinæ detrimentum moliri. *Nec aliud, inquit, in ministerii solennibus spopondimus, quàm obedientiam, vitæ sanctimoniam, verbi prædicationem, sacramentorum administrationem & disciplinæ curam: à quibus, Deo gratias, nondum discessimus, nisi hoc est discedere, rejectis turbulentorum consiliis sese ad Christianæ Ecclesiæ politiam accommodasse.* Hæc ab eo ita dicta sunt, ac si cuicunque obediat, ubicunque prædicet, & sacramenta administret, quamcunque disciplinam curet, fidem soluat. Sed quis hoc illi credat, Ecclesiam, quæ omnes Antichristi fibras evulsit, Iohanni Spotsuodo ita fidem condonasse, ut liceret vel papæ esse. Dicat Iohannes Spotsuodus in quam disciplinam fidem dederit, cui obedientiam spoponderit. Sed jam Episcopus est liberatus fide, & quod libet, licet. De turbulentis consiliis iam sæpius tibi respondimus. Si verum liberet loqui, tu nosti omnia Ecclesiæ nostræ consilia ad pacem publicam & Ecclesiæ spectasse. Non est opus, quoties tibi libet oggannire, idem convitium refellere. Cæterum de Christiana politia, ad quam dicis te accomodasse, tantum dicis, non probas. In aliam iuratus, invita etiam & reluctante Ecclesia, eam non vel vi vel dolo cum sodalibus tuis evertisses. *Fœdus illud renovatum, inquit, quo tantopere sibi placent, iniquum, temerarium, ab hominibus cerebrosis in reip. & Regis perniciem, & Dei ludibrium excogitatum semper existimavimus, quod illis Dominus ignominia & infelici conatuum omnium exitu compensavit.* Insignior perfidia an impudentia in Spotsuodi nescio. Renovatum sanctum & solenne fœdus initio anni 1596, quod pacti sunt cum Domino, omnes qui aderant in conventu generali. Non negat factum, tantum clamat iniquum, temerarium &c. in quo se periurum allegat. Nam & ipse cum reliquis in fœdus iuravit. Quidam qui erant ex Presbyterio Hadingtonensi commonefaciunt in more fuisse populo Dei, cum metus alicunde ingrueret (nam tum metuebatur à Comitum papanorum consiliis & auxiliis) ad Deum confugere, se probare & agnitis peccatis per preces & ieiunium, iram Dei placare. Itaque suum esse consilium, ut ab hoc conventu pii huius moris imitatio inciperet.

Episcopi multiplicis perfidiæ rei.

Pag. 86.

peret.

peret. Assensum est ab omnibus. Leguntur publicè, quæ in ministros præcipuè, tum etiam in populum subrepserant mala. Constituitur unus, qui pro concione proponeret, & populum ad confessionem peccatorum provocaret. Post jejunium & sedulam confessionem indicitur fœderis cum deo renovatio, ut incipiant omnes de integro ad Deum cum animi sinceritate redire, ut hoc per conventus provinciales ad Presbyteria, à Presbyteriis ad singulas Ecclesias, ab Ecclesiis ad singula illarum membra perveniret. Hoc fuit fœdus, quod Episcopus in perniciem regis & reip. & ludibrium Dei excogitatum esse à cerebrosis hominibus clamitat. Quod autem tam interpidè affirmat se semper ita existimasse, aut nunc horrendum mentitur, aut tunc horrendum perjuravit. Quod ait dominum ignominia & infœlici conatuum omnium exitu compensavisse, intelligit, turbas quæ hyeme sequente ab aula excitatæ sunt, & tumultum Edinburg 16 cal. Ianuarii. Sed nihil ista ad fœdus; quod renovatum in conventu generali anno ineunte, nec de his rebus consultatum in renovando fœdere. Cœpit dominus probare Ecclesiam, & explorare eo ipso anno, quo renovatum fœdus, num forent constantes. Hoccine est compensare ignominia & infœlici exitu sanctum fœdus, an potius detegere istorum hypocrisim, & perfidiam ad perpetuam ipsorum ignominiam.

Episcoporum tyrannis. Pag. 88.

A dominatione & tyrannide, inquit, *tantũ absumus, ut nescio an non nimiæ lenitatis simus accusandi qui homines omni honore indignos aliquo in numero habemus.* O tempora, ô mores! Iohannes Spotsuodus, qui vix latinè novit, qui reliquas literas vix à limine salutavit, qui fidẽ cum aula mutavit, qui infamia gravi multorum vitiorum laborat, qui nunquam in pretio apud nos fuit, doctos, qui pro fide quam dederunt, dura omnia constanter ferunt, nullo honore dignos nullo numero habendos censet! Sed vah lenitatem hominum, qui imperio premunt, minis terrent, bonis exuunt, ad oras extremas relegunt, aut patria extrudunt, qui viros in quorum neq; vita neque moribus, neque ingenio quicquam desideres, nihil præter miseram vitam, ut miserias sentiant & lugeant, relinquunt, se lenitatis incusant, quod vitæ credo, parcunt. *Asperius nihil est homili cum surgit in altum.* Imo beneficia prædicare non pudet. Beneficia nos nulla agnoscimus, nisi beneficia latronum dicat, qui beneficium censent, maleficio abstinuisse, quod si facerent, quamquam non est, nos pro beneficio non exiguo acciperemus.

Greges deseruerunt episcopi. Pag. 89.

Nec greges, inquit, *deserere aut animus hactenus aut studium fuit.* Proh impudentiam, qui greges quibus dati sunt pastores & ministri, hos multos retro annos non respexerant, & Diœcesanos greges ad quos non legitimè vocati invaserunt, credas non deseruisse greges. *Sed quod adversarios*, inquit, *malè urit, præfecturæ nostræ limites non angustiis unius parœciæ continentur. Hinc illæ lacbrymæ.*

Quis

Quis qui Christum amat, lachrymas non effunderet, cum videat qui in messem Christi nomen dederunt, parœciam in qua mille duo aut tria millia animarum, angustam putare, Diœcesinque in qua multæ sunt parœciæ, quas vix de nomine novit, ambire. *Opellam*, inquit, *nostram magis utilem & necessariam experiretur Ecclesia, nisi qui inutilem criminantur, nos aliò avocarent.* Opellam rectè vocat, nam si operam dixisset, multi in Diœcesi Andreana dicerent se Iohannem Spotsuodum nunquam vidisse in opere. Quidam eos qui forte aderant, si quod agebant non succederet, semper accusabat. Talis Iohannes Spotsuodus, qui quod non facit bene, eos accusat, qui ejus malè facta non probant.

Non aliud, inquit, *Episcoporum genus sumus, quàm qui ab incunabilis Christianæ religionis Ecclesiæ Scoticanæ præfuerunt.* Si versasset historiam nostram, illinc vidisset à Cœlestino pontifice missum in Scotiam Palladium & tempore Dongardi Regis 452 annis post Christum Episcopos instituisse. Ecclesiam autem nostram ante per monachos majore cum fructu, & minore fastu stetisse. *Nec potestatem*, inquit, *vendicamus ullam quàm ab initio Superintendentes, si per adversarios licuisset, non vendicassent.* Si verum dicit, longe fefellerunt Ecclesiam superintendentes; perjurus fuit ipsius pater, qui in auspicio illius muneris fidem dedit se Ecclesiæ optemperaturum, ei ipsi Ecclesiæ à qua se illud munus agnovit accepisse. Discrimen inter Superintendentes & Episcopos nostros supra ostendimus. Qualiscunque erat Superintendentium potestas, eam non nisi consentiente & vocante Ecclesia acceperunt, & simul cum Episcopatu eliminari cœpit anno 1575, atque in hoc opere operam non minimam navarunt ipsi Superintendentes.

Superintendentes & episcopi differunt.

Pag. 90.

Murmura, inquit, *& susurros Catharorum, de quibus sub epilogo, non moramur, minas flocci facimus.* Non nescimus vos querelas nostras flocci facere. Atque hæc est fortitudinis vestræ prima laus, miserias hominum, quorum opera in messe domini fuit multò quàm vestra ipsorum utilior, non pili æstimare. Quod ad minas attinet, divinas non metuitis, humanas scitis penes nos non esse. Itaque facile est contemnere, à quo securi, quod libet agatis.

Episcopi murmura nostra flocci faciunt.

Pars sunt, inquit, *maxima an minima parum ad summam interesse arbitror, sincerior & incorruptior neutiquam, erunt, nisi forte omnes totius orbis Ecclesiæ ante horum natalem exorbitaverint.* En invictum Papistarum argumentum quo libellum suum famosum claudit. Ubi hæc vestra jam olim sapientia? ubi ante Lutherum hoc vestrum Evangelium? Nonne sincerior pars illa quæ verbo Dei quàm Ecclesiæ consuetudini aut decretis nititur.

Quæ pars sincerior.

Pag. 90.

Omnes

Omnes totius orbis ecclesias ante ætatem nostram exorbitavisse, & Papatum in ecclesia grassatum esse, neminem cui affulsit lux Evangelij, puto negaturum: Et Episcopatus vester Papano viribus par, si non multo superior, est.

In Epilogo profitetur se eis qui per ætatem non poterant, rem ut gesta est, scire, hanc historiam scripsisse. Id credes illi quisquis es, candide lector? Nam qui ea ætate sunt, ut scire possent, nemo quisquam, ne eorum quidem qui ei favent, credit.

FINIS.

C 4353 SL
28381

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION

dum, secundò excommunicandum, tertio fugiendum ut pudeat. De Ecclesijs Asiaticis supra diximus ubi de Angelis 7 Ecclesiarum egimus.

5. Apostoli ipsi non exercuerunt singularem potestatem ordinationis & jurisdictionis. Non imposuerunt manus soli ut patet 1. Tim. 4. ubi Paulus vna cum Presbyterio imposuit manus Timotheo. Nec Apostoli plures convocati in Concilio Hierosolymitano definierunt controversias, sed vnà cum Presbyteris. Neque solus Paulus excommunicavit incestuosum. At opponunt illud Apostoli. *Quid vultis cum virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis, 1. Cor. 4. & 2. Cor.* 13. 10. hæc absens scribo, ne præsens præcisa severitate vtar ex auctoritate, quam dedit mihi dominus, &c. Virga & potestas sunt idem, & potestatem sibi datam affirmat Paulus, inquit Bellarminus. Præterea, inquit, Paulus solus tradidit Satanæ, id est, excommunicavit & vexandum Diabolo permisit Alexandrum & Hymenæum ut ipse dicit, 1. Tim. 1. Respondet Iunius virgam esse aut ministerio Ecclesiastico communem atque ordinariam, aut singularem Apostolorum extraque ordinem. Communem atque ordinariam fuisse vnius hominis, quâ Apostolus Christi, singulari auctoritate & testimonio & virtute Spiritus instructus: sed hanc in exemplum ab ullo trahi meritò non posse. Alibi etiam potestatem illam extraordinariam ad tempus nascenti Ecclesiæ Evangelicæ datam, quam habuerunt, quà Apostoli supra Ecclesiam totam ab illa quam communem cum Presbyteris habuerunt distinguendā dicit. *Secundum illam communē Petrus fuit* συμπρεσβύτερος *sympresbyter*, 1. *Pet.* 5. 1. *Secundum hanc singularem Ananiam & Saphiram perdidit, Act.* 5. *Illa communi Paulus dicit*, 1. *Cor.* 5. 4. *vobis & spiritu meo in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis : hac vero singulari dicit Quid vultis cum virga veniam ad vos, &c.* 1. *Cor.* 4. 20. Hanc duplicem Ecclesiastici ministerij virgam transcripsit in notam 62. Tilenus. Alij per virgam intelligunt etiam objurgationes, reprehensiones, comminationes severas, quia opponitur lenitati & mansuetudini. Hymenæus & Alexander non certo constat an ullius Ecclesiæ plenè constitutæ membra fuerint. In Ecclesijs imperfectis vel nondum constitutis non mirum Apostolos solos singulari potestate usos. Si tradere Satanæ sit Diabolo vexandum tradere, adhuc minus mirum est solum Paulum eos Satanæ tradidisse quia hæc potestas singularis erat & extraordinaria. Si nihil extraordinarium aut corporale significat illa phrasis, non tamen sequitur Paulum solum excommunicasse Hymenæum & Alexandrum, magis quam solum manus imposuisse Timotheo quia dicit 2. Tim. 1. 16. Per impositionem manuum mearum. Nam alibi dicit per impositionem manuum Presbyterij, 1. Tim. 4. 14. Si fuerunt membra Ecclesiæ Ephesinæ post constitutum

Contr. 3. lib. 4. cap. 16.

Not. 63.

De Conc l. 2. cap. 16. not. 6

de pont. lib. 4 c. 16. not. 62.

tum ibi Presbyterium, non est verisimile eum præsentem fecisse quod absens à Corinthiaca Ecclesia facere noluit. Curabat excommunicandos, dirigebat judicium Ecclesiasticum cui præerat, & sententiam publicè promulgavit in publico Ecclesiæ cœtu & propterea dicitur tradisse eos Satanæ. Duobus igitur casibus Apostoli singulari sunt usi potestate, vel cum necesse erat infligere supplicia corporalia vi virtutis illius miraculosæ quam communicavit eis Dominus, ut cum Petrus Ananiam & Saphiram verbo occidit, & Paulus solus Elymam excommunicavit vel in Ecclesijs nondum plene constitutis. Saravia agnoscit discrimen Ecclesiarum constitutarum à non constitutis. *Apostolos & Evangelistas rebus & Ecclesijs jam constitutis & in parochias Episcopis distributis nihil quod ad communem Ecclesiæ statum pertinuisset, fuisse facturos, inconsultis & invitis locorum pastoribus & Episcopis me firmiter credere.* Addit & tertium casum cum dicit cum pastoribus & Presbyteris Ecclesiarum communicarunt consilia, de rebus de quibus à Domino nullum habebant præceptum, sed in eorum positæ erant dispositione Si Apostoli in constitutis Ecclesijs omnia quæ erant ordinaria & ad communem Ecclesiæ statum spectabant communi consensu & consilio Presbyterorum & Pastorum administrarunt, proprio arbitratu & pro imperio nihil gesserunt quamvis extraordinarijs donis & summa præfectuara in Ecclesia præditi quanto magis Prælati ex communi Presbyterorum sententia res Ecclesiasticas tractare debent.

Def. cap. 20. sect. 4.

Def. cap. 20. sect. 2.

6 Nullum est discrimen jure divino inter Episcopum & Presbyterum. Non ergo institutus est vnus, qui singulari potestate ordinationis & jurisdictionis in alios Presbyteros ceu Pastores instructus erat. Superioribus argumentis tollitur singularis Episcopi principis potestas, sed non differentia graduum. Nam Apostoli erant Presbyteris gradu superiores, licet communi Presbyterorum consilio & consensu res Ecclesiæ tractarent. Et in Consistorijs nostris omnia communi consilio geruntur licet pastor Senioribus gradu superior sit. Sed sublata etiam graduum inter ministros verbi differentia, quod jam conamur, per se corruit etiam Episcopi principis potestas. Probatur Episcopi & Presbyteri nullam esse differentiam his argumentis.

1 Nullibi in Scripturis reperitur ista graduum differentia. Ergo non est de jure divino. Pastorem ordinarium alijs Evangelij ordinarijs ministris gradu superiorem, sicut minister verbi Presbytero gubernante, aut Diacono superior est, licet non exerceat singularem potestatem jurisdictionis, ostendant si possunt.

2 In alijs functionibus Ecclesiasticis nulla fuit instituta graduum imparitas. Non igitur credibile est inter Pastores istam imparitatem graduum institutam. Nullus Apostolus coapostolis gradu

du superior, nec Evangelista Evangelistis. In ordinarijs functionibus similiter, nullus Senior cæteris Senioribus, nullus Diaconus Diaconis gradu superior erat ex instituto divino. Si nec in extraordinarijs nec ordinarijs nec superioribus nec inferioribus functionibus ulla graduum imparitas reperiri potest, in hac unica graduum inæqualitatem institutam fuisse.quis credet.

3 In Scripturis nulla propria & peculiari appellatione designatur iste Episcopus gradu Presbyteris superior, sed semper confunduntur nomina. A communione nominum Episcopus & Presbyter eosdem fuisse Episcopos & Presbyteros colligit Hieronymus in Epistola ad Evagrium. *Legimus in Esaia,* inquit, *Fatuus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat eosdem esse presbyteros quos Episcopos quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat ad quorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur. Quæris authoritatem. Audi testimonium Paulus & Timotheus servi Christi Iesu omnibus sanctis qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis. Vis & aliud? In actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur, Act.20. Attendite vobis, & cuncto gregi in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos vt regeretis ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in vna ecclesia plures episcopos fuisse contendat audi & aliud testimonium in quo manifestissime comprobatur eundem esse episcopū atq; presbyterum. Propter hoc reliqui te in Creta vt quæ deerant corrigeres, & constitueres presbyteros per civitates sicut & ego tibi mandavi. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum, Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij. Sed & Petrus in prima epistola, Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ quæ revelanda est particeps, regere gregem Christi & inspicere non ex necessitate sed voluntariè juxta Deum, quod quidem græcè significantiùs dicitur* ἐπισκοποῦντες *id est, superintendentes, vnde & nomen Episcopi tractum est.* Respondet Downamus Hieronymum solummodo probare nomina fuisse communia & confusa eosdemque dictos presbyteros & episcopos, donec vnus è presbyteris eligeretur qui cęteris pręponeretur, quod obtigisse ibidem asserit Hieronymus Alexandriæ à Marco Evangelista & proinde Apostolorum temporibus, antea qui nunc Episcopi dicuntur Apostolos nominatos, quia non erant è presbyteris electi, sed Apostolorum comites & viri Apostolici. De Theodoreti commento quòd episcopi dicti sunt Apostoli Apostolorum temporibus supra diximus. Non arridet ipsi Bellarmino, qui faciliorem censet Chrysostomi & aliorum multorum commentarium in Philip.1. nempe Apostolo-

Defens.l.4. c.5.sect.6.

rum

sum tempore nomina illa, episcopus & presbyter, communia fuisse omnibus sacerdotibus tam majoribus, quos nunc episcopos dicimus, quàm minoribus, quos presbyteros appellamus, licet res ipsæ & potestates distinctæ essent. Et quamvis nunc nomen episcopi tantum principali analogato, id est, summo sacerdoti tribui soleat, tamen convenit suo modo nomen Episcopi minoribus etiam Sacerdotibus nam & illi superintendunt & regunt populum saltem in foro conscientiæ, & ex delegatione Episcopi. *De istis majoribus minoribusque sacerdotibus nihil sacra scriptura tradit. Chrysostomus maiores minoresque secundum rationem suo tempore observatam pronunciat. Præstitisset autem eos priores & posteriores dici*, inquit Iunius. Theodoreti figmentum tamen meritò rejicit Bellarminus. Nam *hoc tantum novi Theodoretus affert, quod primum episcopum sive presbyterum tradit Apostolum ἀποστόλους dictum fuisse quia re unius & alterius scripturæ loci falsa interpretatione deceptus est*. Hieronymum nomina solum communia fuisse non probare vel ex eo liquet quod conatur tueri presbyterorum dignitatem adversus arrogantiam & vsurpationem Diaconorum, quam ostendit eandem fuisse tum Episcopali. Si nomina tantum erant olim communia nullius ponderis fuisset Hieronymi argumentum. De conjectura Hieronymini quod Alexandriæ primum à Marco Evangelista episcopus coeperat ἀποστόλων dici primus presbyter supra diximus. Hieronymum idem sensisse cum Aerio infra ostendemus. Nunc satis est monstrasse ex communione nominum rerum communionem collegisse. Epiphanius ad locum illum Philip. 1. 1. aliter respondet. Dicit Paulum ita scribere solitum, quod eo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non essent presbyteri vlli sed episcopi soli cum Diaconis: possunt enim episcopi etiam presbyterorum officio fungi. At hæc Epiphanij explicatio tum haberet locum, inquit ipse Bellarminus, si Paulus diceret, cum episcopo & Diaconis, aut si non ad vnam civitatem sed ad multas simul scriberet. Sed cum ipse ad vnam vrbem Philippensem scribat, & dicat se scribere ad Episcopos & Diaconos, quomodo quæso illa explicatio locum habere potest? Si enim in vna vrbe multi episcopi esse poterant, quanto *facilius unus episcopus & aliquot presbyteri?* Theodoretus fatetur per episcopos, Philip. 1. 1. intelligi presbyteros. *Nec fieri quidem poterat*, inquit, *vt multi episcopi essent vnius civitatis pastores, quo fit vt essent scilicet presbyteri quos nominavit episcopos*. Oecumenius in Philip. 1. *Non quod in vna civitate multi essent episcopi, sed episcopos vocat presbyteros; tunc enim nominibus adhuc communicabant*. Chrysost. Homil. 1. ad Philip. *Quid hoc? an vnius civitatis multi erant episcopi? Nequaquam, sed presbyteros isto nomine appellavit. Tum enim nomina adhuc erant communia atque etiam ipse episcopus vocabatur Diaconus.. Procedente vero tempore pro-*

De clericis, cap. 15. not. 2.

Nota 31.

Hæres. 75.

De cleric. cap. 15.

priam

prium cuique distributum est nomen, vt hi quidem episcopus ille vero presbyter appellaretur. Presbyteri igitur erant qui dicti sunt episcopi Philip. 1. 1. sic act. 20. Tit. 1. 1 Pet. 5. vt ex ipsis locis patet. Fatentur nomina fuisse communia sed non sequi fuisse communionem rerum. Petrus se sympresbyterum vocat, 1. Pet. 5. Nunquid igitur Apostolorum & presbyterorum idem officium: Apostolatus item διακονία an propterea Diaconi Apostoli. Comites non nonnulli vt Flandriæ & Palatinus Rheni Domini sunt aliorum Comitum. Gandavi qui Consulis personam inter Scabinos sustinet nullo discreto à Collegis vocabulo discernitur, sed tantùm primus Scabinus nuncupatur. Respondeo, Apostolus, Presbyter, & Diaconus, non sunt vocabula ἀδιάφορα. Apostoli presbyteri aut Diaconi dici potuerunt, propter vocis etymō & latiorem significationē, sed Diaconi & presbyteri nunquam dicti sunt Apostoli. *At sunt ex Dei verbo ἀδιάφορα episcopus & presbyter,* inquit Iunius. In dignitatibus & functionibus distinguendis vel proprijs appellationibus vel addito adjuncto aliquo aut descriptione vtimur. Comes Palatinus ab inferioribus eo ipso discernitur, quod Comes Palatinus & Consul inter Scabinos Gandavenses quod, licet ordine tantū pręsit in Senatu, Primus Scabinus dicitur. At Episcopus Hierarchicus nullibi aut propria appellatione, aut addito adjuncto, aut descriptione discernitur à presbytero in scripturis. *Communio nominum in scripturis vsurpata & ab adversarijs quoque agnita etiam rerum communionem designat. Neque enim presbyter vere dici potest episcopus, nisi vere sit episcopus præsertim cum à nomine adrei, id est, officij descriptionem transeat, Act. 20. 28. Tit. 1. 7. 1. Pet. 5. 1. 2.* inquit Tilenus. *Nos verò contra sic argumentamur,* ait Iunius, *cum nomina eo tempore fuerint communia, nominum autem communio quum vere dicitur, communionem rerum importet, quæ nomine communi sunt designatæ, ex eo probari necessaria consequentia, ergo vt nomina sic res communes esse nominibus designatas: episcopos & presbyteros id esse communiter, quod communiter dicuntur esse. Eorum autem quæ sunt idem, profecto quà idem sunt, eadem est operatio.* Syrus interpres adeo confundit episcopi & presbyteri nomina, vt retineat etiam presbyteri nomen ubi in gręco est episcopi, vt 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 7. Subjiciam Lorini observationem de communione nominum. *Sidonius Appollinaris nominat Antistitem ordine in secundo Claudianum, qui tamen Episcopalem gradum non habebat Epist. 25. Profert quoque Sidonij Scholiastes Iohannes Savaro exempla episcopalis appellationis, alijs quam sacratis episcopis attributæ, ita vt rite ordinati ad Episcopale munus dicerentur cum additione summi episcopi vel Sacerdotes: alij inferiores ministri nonnunquam vocarentur episcopi, lib. 3. cap. 14.* In Act. 20. 21. *Id quoque notatu dignum aliquando nomen episcopi dici de non episcopo, sed simplici sacerdote, qui munia quædam potiora Ecclesiastica*

[Margin notes: *De Conc. et Eccles. l. 4. cap. 8. not. 13* — *De Minist. ord. disput. 8* — *De cleric. ca. 15. not. 4.* — *In Act. 20. 17. 28.*]

ostica obeat. Docet exemplis Ecclesiae Viennensis & Aruernicae Iohannes Savaro Scholiastes Sidonii Apollinaris Vides post invectam graduum inæqualitatem, ubi commune erat episcopi nomen, additione tamen distinguebantur,& potiora eis munia permittebantur. Argumentum igitur a communione nominũ & descriptionum sic se habet. Quibus nulla propria appellatio sive simpliciter, sive cum adjuncto, nulla peculiaris descriptio convenit, sed tantum communis quæ omnibus ex æquo competit, ij habent rerum communionem, & proinde sunt inter se pares. At nulli pastori ordinario tribuitur propria appellatio aut descriptio sed ea quæ communis est omnibus Pastoribus. Ergo. Sic argumentamur non solum a communione nominum episcopus & Presbyter sed etiam aliorum omnium.

5 Ab inductione rerum ipsarum argumentum sic ducimus. Quibus res omnes communes, munia & potestates, ij sunt inter se gradu potestatis æquales. At Episcopo Paulino & Presbytero res omnes sunt communes. Ergo Communionem rerum complectimur potestate ordinis & jurisdictionis, secundum vulgatam Scholasticorum distinctionem.

Ad potestatem ordinis refert Downamus potestatem prædicandi, sacramenta ministrandi, peccata remittendi & retinendi,ordinandi ministros. Presbyteros habere potestatem prædicandi, sacramenta ministrandi,peccata remittendi & retinendi in foro conscientiæ, non negant. *Quia tamen hanc potestatem vario modo participant Presbyteri & episcopi*, inquit Bellarminus, *inde duæ sunt species sacerdotum. Presbyteri in consecranda Eucharistia saltem quoad usum pendent ab episcopis, qui possunt eis interdicere ne consecrent vel suspendere ad tempus, vel præcipere ut tali loco, tali modo,tali tempore celebrent, & præterea Presbyteri non ita habent hanc potestatem ut eam aliis communicare possint.* Et alibi, *Est tamen observandum hæc omnia & præcipuè officiũ prædicandi propria episcoporum esse, ita ut ne presbyteris quidem prædicare liceat nisi ex Episcopi mandato aut consensu.* Idem docent Hierarchici Episcopos nempe esse maiores Presbyteris exercitio potestatis ordinis, potestate ordinationis & jurisdictionis. Dounamus duplici distinctione suam sententiam explicat. *Quamvis*, inquit, *quivis minister quatenus est presbyter habet potestatem ordinis, non tamen sequitur posse eum pro suo arbitrio eam potestatem exercere. Quisque minister habet potestatem ordinis quatenus simpliciter est Presbyter, sed potestatem jurisdictionis quatenus est Prælatus aut Pastor. Quarum priorem habet ipsi traditam in ordinatione sua, posteriorem in institutione. Per priorem authoritate instruitur ad prædicandum & sacramenta ministrandum, & alias actiones spirituales ordinis sui peragere quas alius, qui non est ejusdem ordinis, non potest ne quidem concessa licentia exequi. Non potest tamen ea munia quæ ad ipsius ordinem spectant, administrare in ulla congregatione ut pastor illius, nisi grex ille assignatus & commendatus fuerit,*

Defens. l.3. cap. 4. sect. 24.25.

De sacram. ordinis ca.5.

De clericis cap.13.

Defens. l.3. ca.2. s.11.

fuerit ab episcopo, cui incumbit cura totius diœceseos. Presbyter igitur licet habeat potestatem ordinis, non potest Pastoris munijs fungi in ulla congregatione, quæ pars est episcopi sibi provinciæ, nisi authoritate ab ipso episcopo in hunc usum muniatur a quo accipit potestatem jurisdictionis curamque animarum & regimen ecclesiæ parochialis in institutione. Distinguere etiam oportet inter potestatem ipsam & ipsius exercitium. Nam licet quilibet minister eandem habet potestatem ordinis, quæ ei communis est cum episcopis ratione prædicandi verbum & sacramentum baptismi & Cœnæ Dominicæ administrandi, exercitium tamen potestatis est & semper fuit obnoxium authoritati episcopi, qui illud permittebat, dirigebat, aut suspendebat. Idem alibi Episcopum in diœcesi sua propriè pastorem esse vult, Presbyteros & paræcos solummodo coadjutores & subsidiarios operarios. Eadem habet Fildus de potestate ordinis & jurisdictionis & episcopo propriè pastore paræciarum suæ diœceseos. *Episcopus*, inquit Saravia, *in Paræcia quæ ad ipsius curam pertinet, instituere pastorem non valet, quod tamen in sua diœcesi potest, nimirum qui verus omnium paræciarum suæ diœceseos sit pastor, & communicet alteri quod ipse habet.* Spalatensis etiam ait ab hoc uno ita pendere universam suæ diœceseos curam animarum, ut ipse sit proprius & ordinarius pastor, qui tamen possit & debeat ad curam alios presbyteros assumere? & potest parochi officia ipse plene, quoties voluerit, exercere ab ipsius directione, institutione, destitutione, parochos pendere: usum potestatis presbyteralis quam in ordinatione acceperunt, permitti, dum fiunt parochi, potestatem ipsam non concedi, quæ tota integra & perfecta presbyteralis in ordinatione eis tribuitur: Ecclesiastica tamen prohibitione ligatur. Dum verò ad curam mittuntur animarum tunc ligamentum prohibitionis solvitur, ut jam possit in actum producere suam sacri ordinis presbyteralis potestatem. Somnia sua ut referunt, hierarchici vidimus, sed nulla testimonia ex sacris Scripturis proferunt. Presbyteros potestatem ordinis non legimus accepisse, nisi quando eam in actum producturi essent in particulari aliqua ecclesia. Nam cum ordinatio duplex sit communis qua quis absolutè mancipatur & dicatur ministerio ecclesiæ citra certi gregis, aut particularis Ecclesiæ assignationem, & singularis, qua particularibus & certis Ecclesiis ἰδίαις obstringuntur, priori modo extraordinarii illi pastores emittebantur, nempe Evangelistæ, posteriore Presbyteri ceu pastores ordinarii. Qui ordinati erant ἀπολελυμένως, potestatem quam habebant statim exercere poterant, ubicunque locorum subsisterent, qui etsi non certum gregem curabant, gregem tamen aliquem indefinitè semper curabant. Sic non otiosa & iners erat potestas ipsis collata. Presbyteros autem ordinatos fuisse, communi & absoluta ordinatione, qui per diœcesin aut provinciam errarent otiosi ut individua vaga, ligati vinculo prohibitionis apostolicæ nedum episcopi

Defens. li. 2. c. 4. pa. 67.

Fild. de eccles. l. 5. c. 27.

Sarav. de div. grad. p. 87.

Spalat. l. 2. c. 9. num. 15.

copi

copi ne potestatem in ordinatione collatam exercerent, ne vel vnico exemplo demonstrare possunt. Apposite Baynesius, Non creat Dominus ministros, vt Academici Doctores Medicinæ, quibus nullos assignant valetudinarios curandos, aut Magistros artium absque discipulis. Quos ad ministerium vocat, ad exercitium ejusdem eadem opera mittit, dicens, Ite prędicate, & semper cum relatione ad gregem, vel indefinitum, vt Apostolos & Evangelistas, aut definitum, vt Pastores ordinarios. Mandat Paulus Tito, vt constituat oppidatim presbyteros, non vt ordinet vagabundos, vel inertes; prętereà presbyteri & episcopi nomina ipsi fatentur fuisse confusa in primitiva ecclesia. At presbyter dictus Episcopus respectu gregis, quasi alijs superintendens. *Sed forte in primitiva Ecclesia,* inquit Durandus, *non faciebant tantam vim in differentia nominum sicut modo, propter quod omnem habentem curam vocabant episcopum.* Si igitur presbyter idem sit nomine tenus, qui Episcopus, & Episcopus omnis habebat curam animarum, sequitur non fuisse alios presbyteros ordinatos ad ministerium verbi & sacramentorum absque cura animarum, qui simpliciter dicerenter presbyteri, non episcopi, & alios cum cura animarum, qui simpliciter dicerentur episcopi, sed omnes presbyteri ad ministerium vocati, indifferenter episcopi dicti sunt, quia omnes ad curam animarum vocati sunt. Non solet Paterfamilias oeconomos constituere, nisi cum ejus opera opus sit in familia: sic fit in Ecclesia. Non vocat dominus, nisi ad locum vacuum, vt sint actu, non potentia tantùm pastores. Sed de absoluta ista ordinatione damnata à Concilio Chalcedonensi infra suo loco plura dicemus. Dicunt non solum vt presbyterum, sed etiam vt pastorem & pręlatum cum cura animarum pendere, quoad exercitium potestatis ab episcopo, episcopum esse propriè pastorem, parœcos esse solum coadjutores, & parastatas ceu assistentes. *Quia primæ ecclesiæ ab Apostolis institutæ adeo latè erant fusæ, vt plures postularent verbi & sacramentorum ministros, & tamen vnius ecclesiæ vnus tantum pastor esse debuit, ideo statum Ecclesiarum ita composuerunt,* inquit Fildus, *vt plures in eadem presbyteros instituerent, sic tamen, vt vnum tantum constituerent, qui esset loci illius Pastor præcipuus, reliqui autem assisterent.* Quod in quaque ecclesia vnicus tantùm esse debeat pastor propriè dictus, non solum absque scriptura, sed etiam ratione asseritur. Imo non desunt exempla quibus monstrare possumus duos fuisse episcopos, & ex consequenti duos pastores propriè dictos in vna ecclesia. Sic ab vno pastore argumentum ducunt pontificij pro vniversali episcopatu Romani pontificis. Ille est pastor ovilis Domini, Rector domus Dei, Custos vineæ, Sponsus ecclesiæ, episcopus vniversalis. Sic episcopus est Pastor, Rector, Custos, sponsus ecclesiæ Diœcesanæ. Nam non pudet eos asserere episcopi matrimonium cum ec-

L. 4 dist. 24. quæst. 5.

De eccles. l. 5. c. 27.

Bell. de pont. l. 2. c. 31.

clesia in electione inchoatum in consecratione consummatum esse. De Presbyteris Saravia ait, *Qui tantum in partem solicitudinis pastoralis adsumpti sunt ab Episcopi, ulterius quam ipsis mandatum est progredi non possunt.* Ex dicto Leonis epist. 88. ad Episcopum Thessalonicensem decantato in scholis Scholasticorum & Canonistarum (*Vices nostras ita tuæ concedimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*) *orta est*, ait Spalatensis, *illa immensa plenitudo potestatis ac fere omnipotentia, ut illi soli*, nempe Pontifices Romani, *Ecclesiasticam habeant plenissimam jurisdictionem in tota ecclesia universali, episcopi vero non nisi in partem sollicitudinis sint vocati, hoc est meri adjutores Papæ, & consequenter non nisi ejus vicarij & administri. Sollicitudinem omnium ecclesiarum ad se vult Papa noster pertinere. Huius vero sollicitudinis ipsius partem se ait Episcopis commendare, ut ubi ipse non potest, illi pro eo suppleant. Quod est profecto episcopos facere solius Papæ coadjutores, qui non proprium sed Papæ officium & munus, ipsius Papæ nomine exerceant. Siquidem sollicitudinem Episcopalem faciunt partem sollicitudinis Papalis, quæ sit tota in Papa, tanquam in proprio & adæquato subjecto.* Si episcopus ex Hierarchicorum sententia est pastor totius ecclesiæ diœcesanæ, ceu ovilis dominici particularis per totam diœcesin, presbyteri sunt tantum in partem sollicitudinis vocati, hoc est meri adjutores episcopi & consequenter non nisi ejus vicarij & administri, ut ubi ipse non potest, partem sollicitudinis ipsius illi pro eo suppleant, quod est profecto presbyteros solos episcopi adjutores facere, qui non proprium sed episcopi munus & officium ipsius episcopi nomine exerceant. At istud est absurdum & contra scripturam. Nam Presbyteri sunt Legati Christi & ipsius nomine legatione funguntur, sunt pastores constituti à spiritu Sancto super gregem ποιμνίου, ad pascendum ecclesiam Dei, act. 20. 28 Sunt oeconomi ceu dispensatores mysteriorum Dei, oeconomi autem à patrefamilias constituuntur super familiam; Dominus messis extrudit operarios in messem suam. Ille sponsus, pastores sunt à sponso constituti ut ministrent sponsæ. Non derivant presbyteri ab Episcopo potestatem ordinis magis quum Episcopi à Papa Romano, sed à Christo. Ordinatio & institutio non magis evincunt presbyteri potestatem ab Episcopo derivatam esse, quàm Episcopi ab Archiepiscopo consecrante. Nam licet in ordinaria vocatione ad ministerium interveniat ministerium humanum, Christus tamen confert potestatem, quod apta similitudine illustrat Baynesius. Ut in Collegijs, inquit, Socij aliquem admittunt, quem fundatoris statuta describunt, sic Ecclesia hunc vel illum eligit & admittit ad ministerium, quem Leges Christi à Spiritu sancto perscriptæ in sacris tabulis, quasi intento digito monstrant. Si non ab Episcopo, sed à Christo derivant suam potestatem, non sunt legati, ministri, vicarij

Sar. def. cap. 2 p. 33.

L. 2. cap. 5. num. 27.

vicarij Episcopi, nec pendet exercitium ministerij ab Episcopo, sed à Christo, cui rationem reddituri sunt pro grege, quem ijsis commendavit Dominus. Imo etiamsi daretur subordinatio graduum, non tamen sequeretur presbyteros esse vicarios & legatos episcopi, magis quam Evangelistas Apostolorum, sacerdotes & Levitas inferiores superiorum. Designata erant ab ipso Domino sacerdotium inferiorũ munia & ministeria, quæ obirent, æque ac superiorũ. Sic & Evangelistæ ita erant inferiores Apostolis, vt tamẽ à Christo suam derivarẽt potestatẽ, qui alios dedit Apostolos, alios Evangelistas, non ab Apostolis. Non poterãt Apostoli eos postquam vocati fuerant, cohibere ab exercitio muneris, aut partis eiusdẽ, sicut Episcopus parœcos suos, quos libet, à munere prædicationis Evangelij reprimet. Evangelistæ ita serviebant in ministerio vt non Apostolis eorumq; personis, sed Domino eiusq; operi operam navabant. *Operatur opus Domini*, vt & ego, dicit Paulus de Timotheo. *Eorum servitus*, inquit Baynesius, *non erat personalis sed realis*. Christus cum emisit 70 discipulos, non subjecit ipsorum ministerium potestati Apostolorum. *Christus autem omnes Apostolos atque Discipulos qui Episcopalem & Presbyteralem ordinem referebant, immediatè, individuè, & collectivè misit, sicut à patre suo, id est, cum iusta & spirituali authoritate ad Ecclesiam regendam necessaria missus fuerat, consurgit totum ordinem hierarchicum, episcopali & sacerdotali ordine constantem immediatè, proportionatè tamen atque subordinatè, suam potestatem & iurisdictionem hoc est facultatem regendi Ecclesiam à Christo derivare quemadmodum in Gallijs inferiores iudices ac magistratus, quamquam subditi Parlamentis, æque tamen immediate auctoritatem suam à rege Christianissimo mutuantur, quàm ipsa Parlamenta.* Sic Parisienses. Si igitur daretur presbyteros esse Episcopis inferiores, non tamen sequitur à Christo æque immediate non derivatam esse ipsorum ac Episcoporum potestatem. Sed dicent se agnoscere ordinariam in presbyteris potestatem non delegatam. Dicit enim Spalatensis. *Cum itaque iure divino & ipsi suam habeant potestatem, errant quicunque presbyteros parochos meros faciunt ministros Episcoporum, qui tamen propriam ac ordinariam, & non delegatam, vt constat, habent potestatem.* Hic videtur damnare Hierarchicos, qui Presbyteros Episcoporum merè ministros faciunt, cum tamen subjicit (*Ita tamen ordinariam, vt in actum eam reducere non possunt, iure Ecclesiastico humano, nisi vbi ab Episcopo applicentur sive fixè sive vagè, prout Episcopo placuerit in tota sua Diœcesi*) reipsa idem dicit. Quod statim dicit, *vbi tamen applicantur ibi propriam & ordinariam non vicariam aut delegatam exercent potestatem, vt immediati Christi ministri*, nihil est. Nam potestas illa applicativa est tota in potestate Episcopi, nec potest se in actum exerere potestas presbyteri, nisi pro ejus arbitrio. Papalini Episcopos verbo tenus principes absolutos & non Papæ ministros

de Eccles. & politica potestate p. 9.

L. 2. cap 9. num. 9.

aut vicarios faciunt ait Spalatensis. *Assumuntur inquit Bellarminus de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 25. Episcopi à Pontifice ad suum ipsius onus sustentandum. Onus ergo Episcoporum non est onus ipsorum proprium, sed est onus Papæ: & Episcopi illud non vt proprium, sed vt Papale tanquam meri coadjutores & administri sustentant.* Alij non habent jurisdictionem nisi ex sola communicatione & participatione cum Papa, quantum ipse concesserit. *Nam vocat ipse Episcopos in partem suæ sollicitudinis. Vbicunque ergo Papa vult suam sollicitudinem ipsemet exercere, coadjutor non potest impedire, quia coadjutor non proprium, sed Papæ onus, in parte illa sollicitudinis papalis sustentat.* Sic presbyteros verbo tenus ordinariam non delegatam potestatem habere dicunt, & non esse Episcopi ministros & vicarios, Cum tamen Episcopus assumere presbyteros dicitur ad partem oneris sustentandam, quod solus in Ecclesia diœcesana, quam dicunt esse Episcopi Ecclesiam, sustinere non potest, onus presbyterorum non est ipsorum onus proprium, sed onus Episcopi, & presbyteri illud non vt proprium, sed vt Episcopale tanquam meri coadjutores & administri sustentant: & vbicunque Episcopus vult suam sollicitudinem ipsemet exercere, Presbyter coadjutor non potest impedire, quia coadjutor non proprium sed Episcopi onus in parte illa sollicitudinis Episcopalis sustentat, & sic si plures annos in aliqua Parœcia manserit Episcopus, & suam sollicitudinem exercere voluerit, bene valeat Parœcus. Sed commentum istud de plenitudine potestatis & parte sollicitudinis merum figmentum est. Deus nulli ampliorem & pleniorem potestatem contulit, quàm per se quis exercere poterit, sicut hoc argumento demonstrat Baynesius, Deus nemini mandare potest vt majorem provinciam suscipiat, quàm cui viribus proprijs par sit, nisi simul etiam concesserit facultatem assumendi alios, quibus partem sollicitudinis & oneris communicet. Nam qui vult finem, vult etiam media ad finem. Si voluisset constituere pastorem oecumenicum & vniversalem omnium Ecclesiarum, necessario etiam oportebat ipsi concedere facultatem substituendi alios, & derivandi ad eos potestatem docendi & regendi particulares Ecclesias. Si quis vni committeret oves suas, quæ in pluribus pascuis pascerent, nonne etiam concedit popotestatem assumendi alios opiliones inferiores, qui subserviant. Sic, si Episcopo commisit totam Ecclesiam diœcesanam & particulares in ea parœcias cum plenitudine curæ & regiminis pastoralis, oportet etiam constituisse illum caput à quo manaret potestas docendi & regendi, ad alios, quos necesse erat assumere ad partem oneris & sollicitudinis sustentandam, & sic ex officio Episcopi redderent rationem malè vel benè gestæ rei Domino, non Presbyteri: vt inferiores illi opiliones ei, cui commissæ sunt oves, non Domino & possessori.

Lib. 2 cap. 5. num. 27. 28.

Si

Si dixerint Dominum constituisse Episcopum Pastorem ea lege, ut alios habeat in paroeciis inferiores ministros & coadjutores, si tamen episcopo permisit quos vellet assumere, eodem res recidet, nempe episcopi non Domini ministros esse. Si tales voluit eum assumere quales ipse suis legibus designavit, tunc sequitur non ampliorem episcopo potestatem contulisse, quam per se exercere potest, aliis non minus authoritate a Christo instructis, quàm episcopis, ut proportionatè suo fungantur munere. Cum Christus dixit Petro, *pasce oves meas*, idem est, inquit Bellarminus, ac si dixisset *pasce omnes oves meas*, quod cum per se non poterat præstare, ex plenitudine potestatis necessaria potuit per alios pascere. Respondet Whitakerus Christum non commendasse Petro, has aut illas aut simul omnes oves, sed indefinitè, & una cum aliis. Dixit, Ite & docete omnes gentes. Petrus pascebat per se non per alios, quia hoc demum illud est, quod amorem nostrum erga Christum testatur. Apostoli in pascendis ovibus nulli præterquàm Christo operam suam impenderunt. *Vicaria pascendi ratio numquam fuit a Christo instituta, Non plus Christus in pascendo requirit a quoquam, quàm quantùm præstare ipse possit, & quantum quisque possit, tantùm ipse requirit.* Whit. cont. 4. q. 2. c. 8. § 8. Si a Petro non requirit certe nec ab episcopo, nec episcopum unquam constituit pastorem totius dioeceseos, quam per se pascere non potest, atque ita, quem illi volunt propriè & præcipuum ac universalem dioeceseos pastorem, non erit propriè pastor, sed parochi qui per se pascunt greges sibi commendatos. Cum in Concilio Tridentino dimicarent Patres & Theologi de episcoporum potestate sitne jure divino necne, dixit Lainezius Iesuitarum Generalis, Petrum solum & unicum pastorem fuisse Ecclesiæ, quod in uno Pastore collocata sit potestas indivisa, qui eam comministris suis, prout res postulat, impertit & communicat, in sola sede Apostolica essentialiter esse jurisdictionem, in aliis per derivationem & participationem: papam tollere non posse ordinem universalem episcopos in ecclesia constituendi quoniam à Deo est, quemlibet tamen particularem, cũ sit de jure Canonico, pontificia authoritate tolli posse. Petri Suavis histor. Concil. Trid. l. 7. p. 687. 688. edit. francof. Oratio Lainezii quamvis a papalinis laudata, ab adversa parte adulatoria, a quibusdam hæretica existimabatur. Episcopus Parisiensis valetudinarius apud omnes profitebatur, se quamprimum haberetur Congregatio, libere sententiam dicturum contra eam doctrinam prioribus sæculis inauditam, ante annos quinquaginta a Cajetano primum excogitatam, ut pileum Cardinalitium mereret: eam a Theologis Sorbonensibus eo ipso tempore ignominiose notatam, quæ ecclesiam spoliet titulo sponsæ Christi & eam veluti servam unius hominis libidini prostituat. pa. 694. *Vult*, Lainezius, *scilicet unum tantum episcopum a Christo institutum, cæteris nullam esse potestatem nisi ab illo pendentem, quod perinde est ac si diceres,*

unum solum esse episcopum, ceteros ejus vicarios ad nutum amovendos.
Pag. 673. Simon Florentinus dixit successorem Petri esse de jure divino episcopum *de cætero Episcopatum esse de jure divino, ita ut ne in ipsius Papæ potestate sit efficere, ut non sint Episcopi in Ecclesia: at singulos quosque episcopos esse de jure Pontificio, unde fit, ut ipse eos possit creare, transferre, ipsorumque Diœceses restringere, aut extendere, majorem aut minorem ipsis authoritatem conferre, suspendere etiam aut deprivare, quam potestatem in eo quod est de jure divino, non habet. Siquidem non potest a Sacerdote auferre authoritatem consecrandi propterea quod eam habet a Christo, at ab episcopo omnem jurisdictionem potest auferre, haud aliam ob causam quam quia eam ab ipsomet habet.* Quæ pro episcopis falso allata sunt, Presbyteris recte accomodari possunt contra episcopum papam minorem, nempe si pendeat ipsorum potestas ab episcopis perinde esse ac si ille solus esset Pastor ipsi vicarii tantũ ad ejus nutum amovendi, & si possit ipsorum authoritatem eorumque paræcias restringere aut extendere, suspendere aut auferre, sequetur non esse presbyteros de jure divino. Antonius de Grosseto Dominicanus ex verbis Pauli ad Ephesios cum essent Mileti hortantis *ut*
Pa. 671. 672 *attenderent gregi cujus regimini a sancto Spiritu præpositi essent* observavit, episcopos officii sui functionem ab hominibus non habere, nam si ita res esset mercenarios fore, quorum oves non sunt propriæ, cum ubi ei, à quo hæc cura demandata, satisfactum fuerit, nihil ipsis ultra cogitandum: Paulum demonstrare obligationem regendi populum Christianum esse divinam, & a spiritu Sancto impositam, ut constare possit eos inde vi nullus humanæ dispensationis excusari posse: nullam fieri mentionem ordinatoris, sed totum spiritui sancto tribui, qui non solum authoritatem dederit regendi, verum etiam partem gregis diviserit, ipsisque pascendam attribuerit: dicendumque cum S. Paulo Spiritum sanctum gregi pascendo præponere: nunquam opus ascribi instrumento, aut ministro, sed semper agenti principali & ex Ephes. 4. Christum post ascensum in cælos pastores dare. Quæ ex his locis observavit pro episcoporum independenti potestate presbyteris accomodanda sunt non episcopis. Nam Presbyteros Ephesinos, qui dicti sunt episcopi, alloquitur Paulus, non episcopos anto monastice sic dictos. & de loco Eph. 4. supra diximus. Adeo strenuè certarunt pro dignitate sua & authoritate Papæ minores ceu episcopi contra Papam majorem pontificem maximum ut conquesti sunt *Sacerdotes episcoporum*
Pag. 384. *authoritatem nimiopere auctam Clerum vero in servitudinem graviorem*
Pag. 563. *adductum. Id unum spectabant patres, ut tot essent papæ, quot episcopi. Episcoporum unicus erat scopus administrationem habere liberiorem, hoc*
Pag. 850. *se consecuturos sperabant tribus provisionibus factis primo si parochi ab ipsis pendeant.* Dum non alio respicerent, nisi ad authoritatis suæ incrementum, imprudentes argumenta fabricati sunt, quæ pro pa-

rochis

rochis fortiùs militabant quam episcopis, licet parochos servum pecus negligebant. Quod cum observaret Paulus Iovius totus papalinus, dum urgerent residentiam cleri esse de jure divino, *iis hoc instillatum cupere quicquid in eo genere operantur id Parochis usui futurum, ad ipsos episcoporum imperio eximendos. Nam si articulus obtineat, confestim dicturos, episcopum nec posse ipsos Ecclesia dimovere nec potestatem ipsorum reservationibus restringere, & tanquam pastores immediatè à Deo datos plus juris in gregē quàm ipsis episcopis concedant, vindicaturos: neque esse quod iis respondeatur.* Atque hæc de derivatione, dependentia, & exercitio potestatis prædicandi, & sacramenta ministrandi. Interim vides lector cujus Ecclesiæ membrū sit episcopus, nempe quod non alicujus parœcianæ Ecclesiæ, sed Diœcesanæ tantum ex pluribus parœcianis conflatæ, cujus ex æquo, & non alicujus parœcianæ in parte, venditat se pastorem. Nam etsi resideat in una parte diutius, quam in alia, tamen est æque pastor illius parœciæ, quam nunquam vidit, atque illius in qua residet. Verum est quod idem Iovius dixit (licet in alium finem & animo iniquo in præsulum residentiam) *omnino regnī cujusque metropolin, in quibus fere præsules Sedes suas figunt, esse præ aliis deformitate notabilem: & contra miseras aliquot urbes, quæ a centum annis episcopum suum non aspexerunt, vitiorum sordibus minus esse corruptas, in ipsis montibus, ubi nunquam visus episcopus, ecclesias reperiri, quæ civitatibus episcopalibus exemplo præire possunt.* O infœlicem pastorem quo absente grex est fœlicior Sed ab ista digressiuncula redeamus.

Pa. 549.

Pag. 548.

Ordinationem ad Ordinis potestatem referunt adversarii: & hunc actum potestatis ordinis episcopalis maxime proprium & peculiarem esse contendunt; cum alia pleraque reservata sunt episcopis potius ad honorem sacerdotii, quàm ad legis necessitatem, ut Ecclesiarum dedicatio, pænitentium reconciliatio, & similia. Volunt autem ordinatoriam manuum impositionem esse sacramentum, & proinde a proprio Ministro administrandum, proprium autem ejus ministrum esse episcopum, non Presbyterum. Dounamus definiendo potestatem ordinis Episcopalis, dicit, *Potestas ordinis episcopalis est præter illam, quæ ipsi cum Presbyteris communis est, potestas per impositionem manuum gratiam conferendi, ut ordinarium spiritus sancti instrumentum, vel baptizatis ad eorum confirmationem, vel pænitentibus ad eorum reconciliationem, vel designatis ad ministerium ad eorum ordinationem* 1. *Tim*. 4. 14. 2. *Tim*. 1. 6. Ex qua definitione sequitur non modo impositionem manuum ordinatoriam, sed etiam reconciliatoriam, & confirmatoriam esse sacramenta. Sunt enim istæ impositiones manuum actiones sacræ spiritualis efficaciæ ipsius judicio, & gratiam conferunt baptizatis, & pænitentibus: & sic habemus tria sacramena addita baptismo & Cœnæ Dominicæ: Impositionem manuum ordinatoriam in specie sic definit. *Est*

Lib. 3. ca. 4. pag. 105.

actio

Pag. 106. *actio sacra spiritualis efficaciæ, hominem cultus Divini ministerio consecrans, in eum conferens potestatem ordinis illius, in quo constitutus est, quæ id operatur ut ordinatus possit facere actus sacros spiritualis & supernaturalis efficaciæ.* Scholastici & pontificii duplicem tribuunt effectum impositioni manuum ordinatoriæ, gratiam gratum facientem, & potestatem illam spiritualem ministrandi, quam characterem vocant. Dounamus dicit conferri gratiam & potestatem. Bilsonus apertius. *Impositis manibus Ministros creare non hoc solum continet, ut potestas illis fiat verbum & sacramenta dispensandi, sed etiam ut impertiatur Spiritus sancti gratia, quæ utramque partem muneris sanctam faciat & fructuosam.* Primum largiemur esse sacramentum, non tamen sequetur ejus ministrum proprium esse episcopum. Fatetur Fildus Scholasticorum eruditissimos in hac fuisse sententia, episcopos potestate consecrationis vel ordinis majores Presbyteris non fuisse, sed solum ejus exercitio. In scripturis non legimus distinctum fuisse ministrum baptismi & Cœnæ ab aliorum sacramentorum ministro: nec verisimile est ullam consecrationem majorem fuisse ex ordinatione divina consecratione Eucharistiæ. *Distinguendum est de potestate*, inquit Durandus, *quia quædam est jurisdictionis, & quædam consecrationis. Potestas iurisdictionis est ad regendum populum, potestas autem consecrationis est ad consecrationem, & administrationem sacramentorum. Harum duarum potestatum, si quælibet præcise comparetur, & conferatur una alteri, dignior est secunda quam prima: ordinatur enim prima ad secundam.* Hac ratione & consecratio eucharistiæ est dignior consecratione ordinatoria: ordinatur enim ista ad illam. Cui igitur consecratio dignior & nobilior convenit, eum ab inferiore excludere iniquum est. Hinc inter veteres sic argumentati sunt: Baptizare potest, corpus dominicum conficere; ergo & manus imponere, & sacramenta omnia adimplere. Audiamus Hieronymum, vel quisquis fuerit author epistolæ ad Rusticum Narbonensem, quæ inserta est Gratiani Decreto. *Sed quia scriptum est, presbyteri duplici honore honorentur, maxime, qui laborant in verbo Domini, prædicare eos decet, utile est benedicere, congruum confirmare, convenit reddere communionem, necesse est visitare infirmos, orare pro invalidis, atque omnia Dei sacramenta complere.* Ita pungit Bilsonum epistola ista, ut temperare sibi nequeat a conviciis in authorem istum, quem personatum Hieronymum vocat. Bellarminus tamen in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hanc epistolam ex genuinarum numero non expunxit. Sed esto, non sit Hieronymi, est tamen criticorum judicio authoris eruditi Epistola. Objiciunt etiam illud Hieronymi. *Quid facit, excepta ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter.* Ergo, inquiunt, saltem ordinatio erat peculiare Episcopi. Hieronymus ea Epistola contendit pluribus argumentis eundem esse Episcopum & Presbyterum jure divino, cujus

Margin notes: De guberna. eccl. cap. 9. pag. 156. — De eccles. l. 5 c. 27. — In 4. sent. di. 24. quest. 5. — Dist. 95. ca. Ecce. — Epist ad Evag.

cujus vestigia etiam sua ætate mansisse asserit nempe quod ipsius sæculo nihil faceret Episcopus, quod non faceret Presbyter, excepta ordinatione. Nam jurisdictio erat communis Episcopo, & Senatui Presbyterorum: sed ordinatio, vel potius ordinationis ritus, nempe χειροθεσία erat solius Episcopi propria, licet actus ipse ordinationis erat etiam communis: nec erat administratio ritus semper & ubique reservata soli episcopo, ut postea docebimus. *De consuetudine loquitur temporum illorum: ne tum quidem, cum consuetudine ecclesiæ major presbytero episcopus esset, ulla tamen in re præterquam in ordinatione plus episcopum quam Presbyterum potuisse. Imò alibi & ipsam ordinationem presbyteris Hieronymus tribuit,* inquit Whitakerus. Whit. de pontif. quest. 1. c. 3. f. 29. Et Iunius, *nempe, quo tempore hæc scribebat Hieronymus ex posteriori instituto: sed tempora confundit Bellarminus, ut imperitiores fallat elenchi ignoratione.* De Cleric. ca. 15. not. 7. Et alibi. *Actum ordinationis communem habet episcopus cum toto Presbyterio 1. Tim. 4. sed ritus ordinandi per impositionem manuum ad episcopum solum pertinebat, id est, ad eum qui præerat presbyterio, sive perpetua institutione præesset (ut post factum est episcopis) sive temporaria, annua, menstrua, hebdomadaria &c. De hoc ritu agebat Hieronymus, quem συνεκδοχικῶς ordinationem vocat.* ca. 3. not. 22. Hieronymus postquam testimoniis ex scriptura depromptis probasset eundem fuisse episcopum & Presbyterum, subjicit. *Quod autem postea unus electus est,* qui cæteris præponeretur, &c. deinde subjungit. *Quid enim facit excepta ordinatione episcopus quod non facit Presbyter.* Ex qua serie verborum patet Hieronymum intelligendum de suo sæculo: & post sæculum illud quo postea unus electus, postea, nempe post omnia testimonia allata e scriptura: adducit autem & ex epistolis Iohannis, qui ad Trajani tempora vixit. Sed si de Hieronymi, *postea* plura dicemus. Objicitur Chrysostomus etiam ad eundem sensum in commentario suo cap. 3. priores ad Timotheum. *Inter Episcopum atque presbyterum interest ferme nihil, quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione illi superiores sunt, atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur.* Comm. in c. 3. prioris ad Tim. hom. 11 Sic cum interprete latino Bellarminus. Billsonus Dounamus & alii. Sed verba postrema τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους doctiores interpretes sic vertunt. *Sola enim suffragatione horum ascenderunt atque hoc solo videntur Presbyteris injuriam facere.* Sic Iunius. De Cleric. cap. 7. no. 61 χειροτονία (hîc) *Presbyterorum non Episcoporum dicitur; quod si χειροτονία est ordinatio, ergo Presbyterorum est ordinatio. Tum quis ita verbum πλεονεκτεῖν interpretatur cum accusandi casu. Suidam appello dicentem* πλεονεκτῶ, τὸ πλέον ἔχω, γενικῇ: καὶ

τῶν οὐκ ὑδίδε λόγων πλεονεκτεῖ. πλεονεκτῶ δὲ, τὸ ἀδικῶ, ἀπατικη: ὡς τὸ πλεονεκτεῖ ἡμας ὁ Δ ἀβολ@. *Differentiam igitur non statuit Chrysostomus, in eo, quod jus ordinandi habent episcopi ac non Presbyteri: sed in eo, quod ascendunt supra presbyteros in* gradum Ἐπισκοπῆς, *etsi, quia ascendunt Presbyterii suffragiis, injuriam Presbyteris videntur facere, quum potestatem ullam assumunt sibi qui ordinis causa non potestatis præfecti sunt de suffragiis illorum.* ibidem. *Medium*, inquit Chrysostomus, *inter episcopos & diaconos, si quod est, perparuum est, cum episcopi & presbyteri æquales sint munere, officio, unum denique re & ratione sunt: sola vero ordinatione humana differant, quatenus à collegarum suffragiis habent Episcopi, quod præsunt Presbyterio ordine, quo solo præeuntes, injuriam Presbyteris videntur facere, quum potestate præsunt, minuuntque potestatem presbyterii.* χειροτονία etiam apud Scriptores Ecclesiasticos non sumitur semper pro ordinatione, sed quandoque pro electione per suffragia ut observarunt Balsamo & Zonaras in Apost. can. 1. Theophylactus etiam sic interpretatur Chrysostomum. *Is in hunc locum*, fatente Saravia, *idem quod Chrysostomus paulum mutatis verbis, habet. Est enim Theophylactus Epitomus Chrysostomi. Ipsius hæc verba sunt. Quæ de Episcopis dixit, ea Presbyteris etiam conveniunt. Nam & ipsis docendi munus, & præfectura Ecclesiæ commissa est, sola electione inferiores.* Sed concedatur Chrysostomum per χειροτονίαν ordinationem activè sumptam intellexisse, & barbarè nec non solæcisantem loquutum fuisse, non sequitur tamen actum ordinationis fuisse proprium episcopo. *Veruntamen esto activè accipiatur nomen ordinationis,* Inquit Junius, *ut Bellarminus accipit, adhuc tamen manet æquivocatio, quod solus quidē Episcopus ordinabat signo & sermone sacram institutionem ejus qui ordinabatur enuncians, ac non solus tamen ordinatione veritatis, quam repræsentabat signum.* Sed addo, si ordinationem activè sumpsisse dixerint Chrysostomum, non rectè commentatum esse in locum Pauli. Dicit Apostolum transiliisse ab Episcopis ad Diaconos omisso Presbyterorum ordine, quia medium quod intervenit inter Episcopum & Presbyterum perparuum est. Sed nihil ibi Apostolus de Episcopis qui postea antonomasticè dicti sunt, sed de Presbyteris qui etiam Episcopi dicti sunt ut patet ex collatione loci prorsus similis Tit. 1. 5. 6. 7. 8. Chrysostomus igitur si ita intellexit Apostolum, ut ipsi volunt, ob inveteratam & receptam inter Episcopum & Presbyterum differentiam tanquam nebulam interpositam, perspicere verum non potuit & res duas vice unius concepit. Erant ὁμόζυγοι Episcopus & Presbyter, nec opus est fingere Apostolum transilientē; & Presbyterorum τάγμα ceu ordinem prætereuntē. Redeamus ad Hieronymum. Hieroy. sensisse nullam potestatem ordinis vel consecrationis sacerdotali majorem esse, ex ejus

De triplici episc. pag. 37.

De cleric. ca. 15. not. 29.

ejus dictis colligit Durandus. *Hieronymus*, inquit, *videtur consensisse quod summa potestas consecrationis sive ordinis, erat potestas sacerdotalis, ita quod omnis sacerdos, quantum est de potestate sacerdotali, potest omnia sacramenta ministrare confirmationem, omnes ordines, omnes benedictiones, & omnes consecrationes facere, sed propter periculum schismatis fuit ordinatum, ut sacerdotes unum ex se ipsis eligerent, qui diceretur Episcopus, qui si super illos intendens cui obedirent, & cui reservatum est ordines facere: & hoc non faciunt nisi soli Episcopi. Episcopus ergo maior est sacerdote, quantum ad potestatem iurisdictionis, sed non quoad potestatem ordinis vel consecrationis, sed sunt pares quamvis ex ordinatione Ecclesiæ aliqua sunt reservata Episcopis, & prohibita presbyteris. Et quod ita sit probatur ex dictis Hieronymi, multipliciter ostendendo quod scriptura &c.* Et infra. *Sic ergo dicit Hieronymus, quod Episcopus & Presbyter olim fuerant nomina synonyma, & etiam administrationes, quia communi consilio Sacerdotum regebantur Ecclesiæ: sed in remedium schismatis, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam rumperet eam, ordinatum est ut unus præesset, & quoad nomen, ut ille solus Episcopus diceretur, & quo ad administrationem aliquorum sacramentorum & sacramentalium ipsi reservarentur de consuetudine Ecclesiæ.* Et infra: *Consuetudo autem & institutio ecclesiæ potest dare jurisdictionem, sed non potestatem ordinis vel consecrationis.* Non dicit Durandus Hieronymum sensisse hanc mutationem ab Apostolis schismatis vitandi causa introductam, ut illi affingit Fildus. Sensit igitur Hieronymus, ut ibidem dicit Durandus, potestatem ordinis vel consecrationis majorem fuisse in Episcopo, quàm simplici sacerdote ex ordinatione Ecclesiæ, non ex natura ordinis & consecrationis secundum divinam institutionem. Dicit quidem Panormitanus Apostolos limitasse exercitium hujus potestates in Presbyteris. *Immediatè*, inquit, *post mortem Christi omnes Presbyteri in communi regebant Ecclesiam, nec sic erant inter eos episcopi, sed idem presbyter, quod Episcopus, & pariter conferebant omnia sacramenta, ut in c. olim 95 Dist. & c. legimus 93 dist. postmodum ad schismata sedanda fecerunt, seu ordinaverunt Apostoli, ut crearentur Episcopi, & certa sacramenta eis reservarunt illa interdicendo simplicibus presbyteris.* Quod dat accipimus, in initio Presbyteros omnia contulisse sacramenta, quod addit de reservatione ab Apostolis instituta negamus, & nullo id firmat Scripturæ testimonio. Durandus loco supra dicto refert non modo sententiam Hieronymi, sed etiam aliorum Doctorum. *Dicunt etiam aliqui*, inquit, *quod tunc omnibus qui præferebantur plebibus, conferebatur utraque potestas, ut plebes in promptu haberent Principem Ecclesiasticum, qui posset omnia sacramenta ministrare, & ministros instituere.* Hæc autem ratio est æquitatis perpetuæ, nempe ut plebes in promptu semper habeant, qui sacramenta omnia ministrare possint. Quod de sublato potestatis exercitio per Apostolorum institutum

De Eccles. li. 5. cap. 27.

In Decret. l. 1. titul. de Consuetud. cap Quanto.

tutum fabulantur, duobus modis intelligendum est. Vel ita sublatum volunt potestatis exercitium, ut illicita tantùm sit omnis Presbyteri per Presbyterum ordinatio: vel ut non modo sit illicita, sed etiam irrita & nulla. Id est, ut non modo peccet ordinando Presbyterum, sed etiam, quod nihil efficiat, & factum non sit validum. Illustremus exemplo. Persbyter dum baptizat, aut Cœnam celebrat in aliena parochia absque venia, peccat, licet quad genus facti vera sint, quæ ministravit, sacramenta, quia hi sunt, inquiunt, actus potestatis ordinis Presbyteralis. Exercitium potestatis consecrationis ita sublatum volunt ab Apostolis, ut si quid in ordinatione per se Presbyteri tentaverint, nihil efficere sentiunt: Sic dicit loco dicto Panormitanus. *Item nota, quod ritus Apostolorum circa sacramenta habent impedire characteris impressionem.* Item, *Et vides hic, quod talis ordinatio* (id est institutum Apostolorum de quo Paulo ante) *habet impedire etiam impressionem characteris, quia, si Presbyteri illa de facto conferunt, nihil conferunt.* Adversarii etiam nullam per Presbyteros ordinationem validam nisi in casu necessitatis, id est, quando desunt omnino Episcopi, aut deficiunt a fide, sentiunt, utcunq; verbis aliud simulant. Nam ut refert Iohannesonus in priore tractatu de ministerio Ecclesiç Anglicanç, Sacerdotibus Pontificiis ordinatis regnãte Maria sive in Anglia, sive Romę, sive Rhemis, aut alibi non opus erat nova ordinatione: sed Mariani sacerdotes retenti in hunc usque diem, Tirellus, Titherus, Nicolaus, & alii qui Romæ, vel Rhemis creati sacerdotes, absque ulla ordinatione nova per Prælatos in beneficia inducti: Contra, qui erant legitimi in Ecclesiis transmarinis ministri, non sunt capaces beneficiorum, donec prius creati fuerint Diaconi & Presbyteri per Prçlatos, ut ostendit exemplis Whitingami, Traversi, & Wrighti, qui cum ante minister fuerat in Belgio, non tamen prius institutus & inductus in beneficium, quàm à Scamlero Norwicensi creatus esset Presbyter. Videtur mihi non modò absurdum, sed etiam impium asserere Apostolos irritum & nullum statuisse actum potestatis consecrationis, quam habent Presbyteri vi ordinis ex institutione Christi: & idem esse, ac si quis diceret Apostolos potuisse statuere, ut cœna à Presbytero celebrata, non esset verum sacramentũ.

*pag. 96.

Preterea absurdum est dicere potestatem consecrationis manere, & actum potestatis tamen non modo esse irregularem & peccare contra Canonem Apostolicum, sed etiam nullum esse: hoc enim esset non modo exercitium, sed ipsam potestatem tollere. Quod si ab Apostolis sublatum sit exercitium eatenus tantum, ut peccent Presbyteri Presbyteros ordinantes, manet tamen potestas ipsa & actus potestatis illius sunt validi. Sed & istud absurdum Apostolis non temere affingendum est. Nam quod de sacramento Confirmationis affirmat Swarezius, de sacramento ordinationis similiter

militer affirmari potest. Sic ille. *Si Presbyteri ex vi suæ ordinationis habirent sufficientem potestatem ordinis ad hoc sacramentum ministrandum sive causa in universum prohiberentur illud conferre, dicerenturque, si hoc sacramentum dare tentent, excedere modum suum & quæ Episcopalis fastigij sunt propria vsurpare, vt loquitur Gelasius.* Sic si Presbyteri ex vi suæ ordinationis habent sufficientem potestatem ordinis ad hoc ordinationis sacramentum ministrandum, sine causa in vniversum prohiberentur illud conferre, dicerenturque si hoc sacramentum ordinis dare tentent, excedere modum suum, & quæ Episcopis sunt propria, vsurpare. In vniversum prohibentur, cum non sunt ministri ordinarij, vel si nulla & omnino irrita sit ipsorum ordinatio: sic phrasin illam, *in vniversum prohibentur*, in sacramento Confirmationis intelligit Swarezius. Apostolos igitur in vniversum prohibuisse presbyteris exercitium potestatis ordinis sui, quam habebant ex vi ordinationis suæ, non est verisimile. Sive igitur priori, sive posteriori modo sublatum dixerint exercitium potestatis ordinandi ab Apostolis, canonem monstrasse oportuit. *Quæst. 72. disp. 36. sect. 1. n. 3. Tom.*

Presbyterum esse jure divino ordinarium huius sacramenti ministrum probatur. Qui sunt vnius & ejusdem ordinis, eadem possunt ministrare sacramenta. Presbyter & Episcopus sunt vnius & ejusdem ordinis. Ergo, eadem possunt ministrare sacramenta. Lombardus. *Cumque omnes*, nempe ordines, *sunt spirituales & sacri, excellenter tamen Canones duos tantum sacros ordines appellari censent Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus.* Scholastici cum septem tantum numerent ordines, episcopatum & Presbyteratum pro vno habent. Petrus Soto in Concilio Tridentino dixit, *Canonistas extra terminos suæ professionis egressos duos alios adjunxisse primam tonsuram & Episcopatum, quorum opinio multos alios errores capitaliores posset inducere.* Sed Saravia dicit parum referre sint vnius ordinis, necne. *Vnde sunt qui non tantū gradu superiorem Episcopum Presbyteris esse contendunt, sed etiam ordine, Quod parum referre arbitror, modo cum antiquitate hæc actio propria concedatur esse Episcopo.* Downamus dicit Scholasticos statuisse Episcopum & Presbyterum vnius esse ordinis ex relatione ad Eucharistiam, & idolum missæ, quia quilibet sacerdos tantùm potest in consecratione Eucharistiæ, quantùm ipse Papa. Sed veteres, inquit, constituunt tres gradus, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, & consequenter ordinum ministerij. Nam *quid est ordo*, inquit, *nisi gradus ille, quem quis vel quid inter personas aut res subordinatas alias alijs, alijs superioribus, alijs inferioribus, existentib. obtinuit.* Sed cum ordo tripliciter accipitur, vt dicit Durandus, *vno modo pro relatione vel habitudine ordinatorum & sic loquitur de ipso Augustinus, quòd ordo est parium, dis-*

Lib 4. dist. 24.

Petri Suavis historia conc. Trid. l. 7. p. 659. edit. Francof.

Sar. defens. de grad. cap. 24. in appen. p. 288.

Def. l. 3. cap. 4. sect. 13.

In 4. sent. distinct. 24. quæst. 1.

pariumq́ʒ sua loca cuique tribuens dispositio. Alio modo accipitur pro gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit. Tertio modo accipitur ordo, pro eo, quod exterius sensibiliter geritur circa aliquem, vt in gradu aliquo constituatur: & hoc magis proprie vocari deberet ordinatio, quàm ordo. Secundo modo acceptus est spiritualis potestas vel deputatio ad dispensationem sacramentorem. Ab ordine tertio modo accepto, id est ordinatione probo Episcopum & Presbyterum esse vnius & eiusdem ordinis secundo modo accepti, id est, vnius & ejusdem gradus, vt ipsi loquuntur, nempe respectu potestatis dispensandi sacramenta. Ordo ille & gradus potestatis quem habet Episcopus ad confirmandum & conferendum ordines habet per ordinationem & modum sacramentalem, vt illi dicunt: *At Presbyteri & Episcopi vna est & eadem ordinatio,* ait Ambrosius. Presbyteri & Episcopi cum sit vna & eadem ordinatio, Ergo vna eademque potestas collata Episcopo & Presbytero ad dispensanda sacramenta. Vbi vna eademque confertur potestas, vnus idemque erit gradus potestatis dispensandi sacramenta. Imo ordinationem episcopalem esse verè sacramentum negatur à veterib. Scholasticis fatente Bellarmino, quod de Presbyterali tamen concedunt. Bonaventura dicit in Episcopatu non imprimi novum characterem, nec novam potestatem. Signum & res sensibilis vtriusque ordinationis, Episcopalis & Presbyteralis est impositio manum. Quòd ad baculi collationem non est signum ceu res sensibilis huius sacramenti, sicut nec inunctio. *Vnde sicut collatio pallij non dat novum ordinem Archiepiscopo vltra Episcopum; sic nec collatio baculi, aut annuli, aut mitræ, aut alicuius consimilis vltra sacerdotem, talia enim potius sunt sacramentalia, quam sacramenta,* inquit Bonaventura. Et ibidem *Vnde sicut non accipit alias claves, ita nec alium ordinem.* Inungitur Episcopus non ad necessitatem, sed ad solennitatem. *Sicut ampliatur vocabulum & significatio ordinis, ita & verbum, cum dicitur iste ordinatur in episcopum. Vnde non ita propriè dicitur aliquis ordinari, cum promovetur in Episcopum, sicut cum promovetur in sacerdotem, sed magis propriè dicitur consecrari.* Si ordinatio Episcopalis non sit sacramentum, sequetur Episcopos non habere potestatem ordinandi sibi collatam per ordinationem Episcopalem, sed per Presbyteralem, & proinde quà Presbyteros non quà Episcopos consecrare. Nam sacramentalia, vt collatio baculi, annuli, inunctio, non possunt conferre Episcopo, vel gratiam gratum facientem, vel characterem novum, aut characterem Presbyteralem ampliare aut extendere. Non novum characterem, vt illi scholastici fatentur, nec Presbyteralem extendere, *Nam eadem,* inquit Bellarminus, *efficacia requiritur ad characterem reipsa extendendum, & ad imprimendum novum.* Durandus dicit quidem Episcopatum ceu ordinationem Episcopalem esse verè sacramentum, non tamen præcise distinctum à sacerdotio simplici, sed *est vnum*

In 1.Tim.3.

De sacr.ord. cap.5.

In 4. sent. distinct.25. quæst.P.

De sacr.ord. cap.6.

In 4. sent. distinct.24. quæst.5.

vnum sacramentum cum ipso, inquit, *sicut perfectum & imperfectum: cum perfectum sit, quod potest facere sibi simile, ideo illud sacerdotium non est completum, per quod sacerdos non recipit potestatem ordinandi alium sacerdotem, & tale est sacerdotium simplex. Sacerdotium autem summum, id est, Episcopatus est perfectum sacerdotium, quia per ipsum recipitur potestas ordinandi alium in sacerdotem summum vel simplicem, & sic ordinatio simplicis sacerdotis & ordinatio episcopalis constituunt vnum sacramentum.* Ridicula sunt ista. Instituitne Christus sacramenta imperfecta & incompleta, quæ conferrent potestatem imperfectam & incompletam. Opera Christi omnia opera perfecta. Bellarminus dicit ordinationem Episcopalem esse novum sacramentum à Presbyteratu distinctum, & imprimere novum characterem, quia Episcopus potest duo sacramenta conferre; nempe Confirmationem & ordines sacros, quæ non possunt vlli alij inferiores ordines: & si tentent id facere, nihil prorsus efficiunt. At idem Bellarminus in sacramento Confirmationis dicit. *Confirmare esse actum ordinis, & cum ordinem esse etiam in Presbytero, saltem inchoatum & imperfectum*. Et *characterem episcopalem, sive sit alius à Presbyterali, sive idem extensior & maior*, dicit, *esse potestatem absolutam & perfectam & independentem conferendi sacramenta confirmationis & Ordinis: Characterem autem presbyteralem esse quidem potestatem absolutam, perfectam*, & independentem quoad sacramentum baptismi & eucharistæ, esse autem potestatem inchoatam, imperfectam, & dependentem à voluntate Superioris, *quoad sacramentum confirmationis*, addidisset & ordinationis vt cohæreant subsequentia cum antecedentib. Annon hîc idem sentire videtur cum Durando, & in eadem commenta de sacramentis incompletis & imperfectis incidit. Et quod ordinatio Episcopalis non sit sacramentum distinctum à Presbyteratu, vt in hîc in sacramento ordinis probare conatur, patet primum ex eo, quòd nemo potest in Episcopum consecrari, qui vel ante non esset Presbyter, vel non tunc simul accipiat vtramque ordinationem. Si esset distinctum & novum sacramentum, potest etiam dividi à Presbyteratu & sic Episcopus posset ordinare, qui tamen non posset consecrare eucharistiam, quod absurdum. Potest quis ordinari Presbyter qui antea non fuit Diaconus. Respondent Presbyteratus non includit Diaconatum essentialiter, sicut Episcopatus Presbyteratum. At hæc ipsa ratio probat Episcopatum & Presbyteratum non esse duo sacramenta, sed ordinationem Episcopalem includere Presbyteralem vt intellectivum includit sensitivum, vel simul conferendo vtramque potestatem nempe ordinis Presbyteralis & Episcopalis, & sic erit vnum proprie sacramentum, vel supponendo ordinationem Presbyteralem & potestatē inchoatam, & sic etiam erit vnum sicut perfectum & imperfectum, inchoatum & completum, quo tamen modo vnum

De sacram. ordinis.

Cap. 12.

num dicere absurdum est. Preterea eadem est res sensibilis vtriusq; Presbyteralis ordinationis & Episcopalis consecrationis. Imo Iohannes Parisiensis Doctor Sorbonicus, in libro de potestate Regia & Papali à facultate Theologica probato, probat Episcopos esse Presbyteris æquales quantum ad dignitatem essentialem ministerij, *quod eorum ordinatio constat iisdem verbis, quibus & Episcoporum & Apostolorum, nempe accipite Spiritum sanctum, & quodcunque ligaveritis in terra, erit ligatum in cœlo.* Vide Plesseum de Eccles. & Eucharistia. Si sit idem ritus necessarius & essentialis, nempe impositio manuum (nam baculos annulos, mitras, & inunctiones non moramur) & eadem verba, cur non idem etiam sacramentum. Causa quæ movet Bellarminum, vt tueatur esse duo distincta sacramenta, est, quòd aliter tueri non potest Episcopos esse Presbyteris majores ordinatione & jurisdictione. *Secundo*, inquit, *quia si Episcopatus sit sacramentum à Presbyteratu distinctum facile erit defendere Episcopum jure divino maiorem esse Presbytero tam ordine quàm iurisdictione, quod hoc tempore omnes hæretici negant: alioqui ægre id defendi poterit.* At Episcopalem ordinationem scholasticorum alij ne sacramentum quidem esse volunt, alij à Presbyteratu non præcise distinctum, sed idem cum Presbyteratu sacramentum, nos prorsus idem esse ex alijs probavimus, ergo sequitur defendi non posse episcopum maiorem esse Presbytero ordine & jurisdictione ex jure divino. *Inextricabiles & insolubiles emergunt difficultates, si & ordo ponatur verum sacramentum* (quod faciunt Hierarchici, Romanenses & Anglicani) *& Episcopatus ac Presbyteratus duo diversi ordines asserantur, alter superior, alter inferior. Canonistæ fere omnes in cap. Cleros distinct. 21. & in cap. Perlectis dist. 25. ac cum ipsis non pauci ex antiquioribus Scholasticis, atq; vltimo loco Bellarminus, novum & distinctum à Presbyteratu faciunt Episcopatum. Ac certe posito, quòd ordo sit propriè sacramentu, cum sacramentalis operatio consistat in indivisibili, ad hoc omnino coguntur, siquidem ipsi quoque constanter asserunt jure divino Episcopos esse Presbyteris superiores: alioquin si ordinatio etiam distincta non sit, defendere illud, nulla ratione possunt, quod expresse fatetur Bellarminus.* Cum veteres numerant tres gradus, nempe Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, numerant gradus suis sæculis obtinentes in Ecclesia. Nec sæculis omnibus post Apostolorum tempora, eadem erat distantia inter duos priores. Episcoporum gradus primò erat tantum prioritatis & honoris. Deinde erat gradus potestatis quo ad jurisdictionẽ externam qui pro temporum latitudine minor aut major erat. Sed quod ad gradum potestatis dispensandi omnia sacramenta Episcopus & Presbyter semper erant, etiam corruptioribus sæculis, ejusdem gradus. Et hic gradus potestatis & ordo idem sunt. Nam ordo in secundo significato, ut sumitur pro gradu potestatis, dicitur a Durando, esse spiritualis potestas.

de Eccl. c. 11. de euch. l. 2. c. 8.

de sacram. ord. cap. 5.

Spalat l. 2. c. 4. num. 24.

testas vel deputatio ad dispensationem sacramentorum. Non dicit ad consecrationem Eucharistiæ, sed in universum, administrationem sacramentorum. Cum autem hic gradus potestatis sit potestatis ordinis ceu dispensandi sacramenta: & potestas ordinis confertur per ordinationem sacramentalem: & Episcopi & Presbyteri sit una eademque ordinatio, idemque sacramentum, necessario sequitur esse unius ejusdemque ordinis ceu gradus, prout gradus sumitur pro gradu potestatis dispensandi sacramenta, nam de potestate jurisdictionis postea agemus. Nos ex iisdem locis ex quibus ipsi colligunt impositionem manuum ordinatoriam esse sacramentum, ex iisdem colligimus ejus ministros ordinarios fuisse Presbyteros, 1.Tim.4.14. Dicit enim Apostolus Presbyterium id est Senatum Presbyterorum imposuisse manus Timotheo. Si cum Paulo ministro extraordinario in promovenda functione extraordinaria simul imposuit manus Presbyterorum Senatus, sublatis ministris & functionibus extraordinariis & temporariis, ordinarias ministrorum ordinariorum ordinationes Presbyteris, ut ordinariis ministris, ab Apostolis demandatas fuisse, haud dubium est. Per *Presbyterii* vocem Senatum Presbyterorum intelligi supra probavimus. In hunc locum respexisse videntur consarcinatores commentitii illius Concilij 4. Carthag. cum statuerent in hunc modum. *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sint, manus suas iuxta manus Episcopi super caput illius teneant.* Vtcunque de authoritate illius concilij sentiamus, tamen morem illum vetustum fuisse satis liquet ex Pontificali Romano, & ordine Romano. Bonaventura hunc morem jus vocat. *At illud*, inquit, *quod dicitur de impositione manuum Presbyteri, dicendum quod Presbyter ibi vocatur Senior, & Apostolus intelligebat seipsum per impositionem manus Presbyteri: glossa Presbyterum vocat Episcopum: vel Presbyteri, id est, Presbyterorum, quia sicut dicit jus, saltem tres sacerdotes debent manus imponere.* Vides, vt impositionem manuum Presbyterorum jus vocat, & præterea in loco Pauli interpretatur *Presbyteri* synecdochice cœtum Presbyterorum; quid si legisset *Presbyterij*, vnica simplici interpretatione dixisset, *Presbyterij*, id est, cœtus vel Senatus Presbyterorum. Addit tamen ibidem Bonaventura, *Sed tamen ipsi non imponunt, vt dantes potestatem vel ordinem, qui ab vno solo dari potest & debet. Vnde ipsi non benedicunt sed solus Episcopus, sed hoc est in signum consecrationis suæ.* Idem alibi, *Dicendum quod illa manus impositio non est ad ordinationis collationem, sed ad significationem. Significatur enim gratia communionis, quæ in ordine sacerdotali confertur, & per sacerdotem debet administrari. Ideo non imponunt sacerdotes manus Diacono, sed solus Episcopus, in cujus impositione manuum non tantum est significatio, sed etiam potestatis collatio.* Falsa & ficta distinctio excogitata, post restitutum

Can. 3.

In 4. senten. distinct. 25. quæst. A.

Distinct. 24. quæst. M.

 ilium

illum morem de quo diximus, à posteris ad palliandam Episcoporum vsurpationem, qui suis sæculis vt jus peculiare hanc potestatem sibi vendicarunt, quam distinctionem arripuerunt etiam Hierarchici nostri. *Hanc manuum impositionem ad consensum potius quàm ad consecrationem referre oportebit*, inquit Bilsonus. Item, *tum verò presbyteri qui præsentes sunt veluti ordinationi consentientes manus suas juxta manum Episcopi tenent*. Saravia similiter: *Nullum Concilium facit potestatem Presbyteris presbyterum creandi, sed tantum manus suas consecrantis Episcopi manibus apponere jubentur, consensus & voluntatis testificandæ gratia, vt simul bene precarentur ei, qui in ipsorum adsumebatur ordinem*. Idem alibi. *Presbyteri imponunt manus tantum consensus gratia. In Presbyteris impositio manuum est bene precantium signum, quod est in Episcopo ordinantis*. At dicit Fildus, quòd, *vbi in ordinatione Diaconi secundum 4. Concil. Carthag. sufficeret Episcopum solum imposuisse manus capiti ordinandi, eò quòd non sanctificatus erat ad dignitatem sacerdotalem, sed ad ministerium ecclesiæ: ad ordinationem tamen ministrorum verbi, & sacramentorum, alij concurrere debeant ministri, æque ac Episcopus, vt qui sint illi æquales potestate ordinis & ministerij*. Hæc igitur impositio manuum manat à potestate ordinis, & vi ordinis sui habent potestatem imponendi manus. Si tantum significandi gratia nempe presbyterum electum & cooptatum esse in ordinem & numerum Presbyterorum imposuissent manus, nihil impediebat quin & Diaconi vnà cum Episcopo manus etiam ordinandis Diaconis imponere potuissent ad significandum consensum, & cooptationem in eundem ordinem, & quid opus erat impositione manuum cum manus associationis suffecisset ad significandum consensum vt fit in Ecclesijs Gallicanis post impositionem manuum. Quod Presbyteri non vnà cum Episcopo manus imposuerunt Diacono ordinando sicut Presbytero, vide quid sentiat Amalarius libro secundo de Ecclesiasticis officijs; sic scribit. *Est libellus quidam apud nos de sacris ordinibus, nescio cuius auctoris, qui dicit solum Episcopum debere manus imponere super Diaconum, quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Nunquid scriptor libelli doctior, atque sanctior Apostolis, qui posuerunt plures manus super Diaconos, quando consecrabantur, & propterea solus Episcopus ponat manum super Diaconum, ac si solus possit precari virtutem gratiarum, quam plures Apostoli precabantur? An forte ideo non imponit sacerdos manum super eum qui ad Diaconatus officium consecratur, vt non fiat quod ipse est, id est sacerdos? Si ita est, nec episcopum oportet ei manum imponere, vt non fiat Episcopus. Quod si propterea oportet ei Episcopum manum imponere, quia ipse orat pro eo, non solus ille orat, sed omnes qui piè intendunt verbis Episcopi, ac mente retinent*. Rectè carpit Amalarius ridiculam illam differentiam in ordinandis Presbyteris & Diaconis, cum alioqui sive plures imponant manus, sive vnus, idem est

de guber. eccles. cap. 13. p. 297.
de grad. defens, cap. 24. in Appendice. p. 289.
de tripl. Episc. p. 30.
de Eccles l. 5. cap. 56.
Cap. 12.

five in ordinatione Diaconi five Presbyteri, dummodo ille vnus plurium presbyterorum nomine imponat, & sibi soli hunc ritum non vendicent, ac sic ipsum actum, id est ordinationem, vt sibi proprium invadat. Non poterant quidem plures enunciare benedictionem absque confusione & indecoro, sicut poterant plures imponere manus. Dum obtinebat Episcopatus, presente Episcopo, ipse solus protulit benedictionis & consecrationis verba, non tamen penes Episcopum solum erat ipsa potestas ordinandi. *Solus quidem Episcopus ordinabat signo & sermone* (inquit Iunius) *sacram institutionem eius qui ordinabatur enuncians, at non solus tamen ordinatione veritatis, quam representabat signum. Quin & sacerdotes alij cum Episcopo manus initiando imponebant, vt cautum legimus apud Gratianum Dist. 23. c. Presbyter.* Signum igitur impositionis manuum erat commune Episcopo & presbyteris, & in eundem finem nempe vt dicit Amalarius, *ad precandum gratiarum virtutem*, & vt ait Saravia, *erat Presbyterorum bene precantium signum*, & vt Bilsonus. *Vt sacram hanc atque publicam actionem communibus votis precibusq; promoverent.* Sed an etiam ad ordinandum. Imo ad ordinandum, & inducendum in possessionem muneris ad quod ante ab eligentibus designatus erat, vt infra docebimus. Verba consecrationis erant ad vitandam, vt dixi, ataxiam, ab vno prolata, sive ab Episcopo, sive à presbytero, Episcopo vel absente vel aliàs impedito. Nec tunc erant nullius valoris verba consecrationis ex ore Presbyteri prolata. Gratianus hæc habet in prima parte Decreti ex Concilio Toletano. *Quorũdam Clericorum, dum vnus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Ep s opus oculorum dolore detentus fertur manum su m super eos imposuisse tantum & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Sed quia jam ille examini divino relictus humano iudicio accusari non potest, ij qui supersunt, gradum sacerdotij vel Levitici ordinis, quem perverse adepti sunt, amittant.* Privatio præsupponit habitum Non poterant moveri gradu, quem omnino non consecuti sunt; proferente igitur presbytero verba cõsecrationis, adepti sunt illi gradum suum, licet egerit contra ordinẽ illum, qui in Ecclesia tunc temporis invalescebat. Declarasset Concilium potius irritam, & nullam fuisse ordinationem illam, in qua Presbyter protulit verba consecrationis, quam ordinatos gradu deturbasset, si nullius pretij erant verba consecrationis enunciata per presbyterum. Sed quo modo hunc nodum solvit Spalatensis. Missionem potestativam distinguens à precibus, dicit. *Propterea igitur idem Concilium supponit illos accepisse gradum ordinum, quibus Episcopus lippus manus imposuerat, Presbyter vero preces recitarat. Deponendos enim censuit, quia videlicet Episcopus etiam sine verbis, sola illa manuum impositione, illos sufficienter ordinaverat: preces vero illæ ad externam Ceremoniam decorumq; pertinebant, & ad eas fundendas lege* Eccle-

de Cleric. cap. 15. num. 29.

Dist. 23. cap. Quorundam.

De rep. eccle. l. 2 cap. 3. num. 54.

Ecclesiastica Episcopi tenentur, sed ordini sacro omni ex parte, & absolutè loquendo essentiales non sunt. Viden, ut à verbis consecrationis rursus relabuntur ad impositionem manuum, quam missionis potestativæ signum facit Spalatensis. At signum istud est commune omnibus presbyteris de Iure, licet ipsius administratio sit quandoque de facto vnius. Sed quando de facto est vnius ritus impositionis manuum, actus tamen ordinationis, & vt loquitur Spalatensis, missionis potestativæ non est vnius. sed totius presbyterij. Nec erat ritus iste ita peculiaris Episcopo, quin & alij, etiam absente Episcopo, administrare poterant. *Quod si hoc divini esset juris vt solus Episcopus ordinet, quo tandem iure Presbyteri in Ægypto ordinassent; hoc enim Ambrosius & Augustinus sua adhuc memoria narrant factum.* Idem alibi, *Consignare dicit Ambrosius non confirmare: & Augustinus interpres idoneus exponit consecrare, id est ordinare; vel quisquis auctor quæstionum est ex vtroque testamento quæst. 101. dicens, vbi de ordinatione agitur. Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Imò criticorum judicio idem auctor, quisquis est, est sui interpres. *Postremo accedit, quòd idem videtur esse auctor horum commentariorum,* (nempe qui circumferuntur nomine Ambrosij in Epistolas) *& quæstionum veteris & novi Testamenti, quæ extant inter libros S. Augustini: doctrina enim horum commentariorum, & illarum Quæstionum simillima est, vt notaverunt Censores Lovanienses in notis ad Augustinum. Stilus videtur etiam esse idem, & ætas mirificè consentit.* Hoc idem de Lovaniensium censura observavit Reynoldus in collatione cum Harto, & colligit ex quæst. 44. editas fuisse quæstiones illas 300 à Christo annis. De consecratione Eucharistiæ absente Episcopo per presbyterum non modo in Alexandria & per totam Egyptum, sed etiam per totum orbem Christianum nemo dubitabat, de alia igitur consecratione loqui intelligendus est auctor ille. Sed ad alia exempla magis perspicua veniamus. In concilio Aucyrano decretum est in hunc modum: *Chorepiscopis non licet Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopi vel literis, in vnaquaque Parochia.* Licet Fildus dicat chorepiscopos fuisse presbyteros, non tamen inde argumentum aucupabimur. Nam Chorepiscopos fuisse primum veros Episcopos docebimus. Ex hoc tamen Canone duo elicimus. Primò, presbyteros civitatis ordinasse presbyteros & Diaconos in eundem modum ac faciebant Chorepiscopi, idque absque vlla permissione aut literis Episcopi, & valida erat eorum ordinatio, licet ordinaverant in aliena parœcia, multò magis igitur valida erat ordinatio, si celebrata in propria parœcia. Respondet Spalatensis, *Non esse insolitum in natura corrupta, vt aliqui, qui iam gradum aliquem in Ecclesiastico ministerio obtinent, non modo ambiant superiorem, sed interdum etiam officia aliqua gradus superioris de facto invadant. Hic ergo*

De Cleric. cap. 15. not. 29.

Cep. 17. not. 5.

Bell. de script. p. 145.

Cap. 8. divis. 6. p. 567. in edit. Anglic.

Can. 13.

de rep. eccl. l. 2. c. 3. num. 53.

go Canon ante omnia cavet, ne quis ad tales perveniat vsurpationes. Sed cur dicto canone in posterum cohibendi presbyteri civitatis, & non in vniversum omnes presbyteri Diœceseos, nisi quod presbyteri civitatis idem fecerant, quod Chorepiscopi. Chorepiscopos autem ordinasse presbyteros & Diaconos ante conditum contra Canonem satis notum est. Si gradus presbyteri erat incitamentum ad vsurpationem ordinationis, omnes omnino presbyteri erant reprimendi, & non civitatis solummodo presbyteri, qui etiam hoc canone id tentare in aliena tantummodo parœcia prohibentur. Secundo ex hoc Canone patet, permissione & venia Episcopi posse etiam in aliena parœcia presbyteros civitatis ordinare presbyteros & Diaconos, & proinde non necessariam esse impositionem manuum Episcopi, sed sufficere impositionem manuum presbyterorum, cuius potestatem habent vi ordinis sui. Respondet Spalatensis. *Quod autem ex delegatione & commissione Episcopi, videtur concedere Episcopis, vt possint ordinare Presbyteros & Diaconos, non est facile admittendum. Illa enim Gentiani versio videtur mutila & imperfecta. Alia clarius sic habet. Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi, vel literis in vnaquaque parochia aliquid imperare: nec sine authoritate literarum ejus in vnaquaque parochia aliquid agere.* Clara ista versio omnino lutulenta & fœda est. Conferat Lector cum Canone Græco. Num. 53.

χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ. Ita habetur apud Balsamonem. Bilsonus sic reddit. *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, nisi permittantur ab Episcopo, idque cum literis, in alterius parœcia.* Hæc longe diversa sunt ab *imperare, aut aliquid agere in vnaquaque parochia.* Downamus similiter intelligit prohibitum Presbyteris civitatis hoc canone ordinare Presbyteros & Diaconos. Patet igitur etiam post conditum hunc Canonem potuisse Presbyteros in aliena parœcia ordinare Presbyteros & Diaconos permittente Episcopo. Nondum ergo obtinuit axioma illud jam diu vsurpatum apud Hierarchichos. *Episcopus potest delegare ea quæ sunt jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt ordinis.* Downamus dicit, *non posse Episcopum communicare istam potestatem aliis, vt potest jurisdictionem.* Saravia in appendice capitis 24 ait, *Episcopus verò, quæ sunt jurisdictionis Ecclesiasticæ in censura morum, & cæteris quæ sunt hujus generis potestatem facere potest Presbyteris, ut quæ sunt Episcopi judicio reservata, decidant; sed actiones conjunctas cum Episcopali gradu non potest, ut est impositio manuum Presbyterii & ordinatio.* Vera essent ista omnia, si Episcopus esset unicus & proprius minister hujus sacramenti

de gub. cap. 14. p. 356.

Def. l. 1. cap. 8. p. 189.

Def. l. 3. ca. 4. p. 106.

Def. cap. 24. p. 288.

menti. Nam Minister proprius alicujus sacramenti non potest permittere, aut delegare alium qui non est minister illius sacramenti, ad ministrandum. Si potest permittere Presbyterum ordinare, indubitatum signum est Presbyterum vi ordinis sui eandem habere potestatem, & cohibitum fuisse ipsius exercitium solummodo canone Ecclesiastico, non sublatum jure divino. Dounamus oblitus fortè triti illius axiomatis, vel potius vi veritatis victus alibi fatetur Episcopos in primitiva Ecclesia hanc potestatem ordinationis communicasse aliis, idque satis luculentè ex dicto Canone Concilii Ancyram evicimus. ubi etiam observavimus ante conditum Canonem subindicari Presbyteros civitatis ordinasse Presbyteros absque literis & permissione Episcopi, & non prohiberi ordinare Presbyteros in sua parœcia absque literarum Episcopalium authoritate etiam condito jam Canone. Quæ de ministro Confirmationis asserit Durandus de ordinationis etiam ministro multò magis affirmari possunt. *Supposito, quòd confirmatio* vel ordinatio, *sit sacramentum verum à Christo institutum, & ex institutione Christi Episcopus solus sit minister Confirmationis vel Ordinationis nullo modo simplex sacerdos ex commissione Papæ potest* (multò minus inferioris Episcopi) *conferre hoc sacramentum.* 1 *ratio, de materia cujuslibet sacramenti sunt materia, forma, & minister. Sed Papa*, vel Episcopus, *nihil potest mutare circa formam sacramentorum, vel circa materiam; ergo nec circa ministrum. Igitur aut simplex sacerdos ex divina institutione est minister confirmationis* (ordinationis) *& tunc absque commissione Papæ*, vel Episcopi, *potest eam conferre, aut non est minister sed solus Episcopus, & tunc ex quacunque commissione nihil potest. Quod minister se habet extrinsecè ad sacramentum, materia & forma intrinsece, nihil impedit, quia sicut minister conferens se habet extrinsecè ad sacramentum, ita & suscipiens ipsum, sed ubi suscipiens aliquod sacramenmentum est determinatus, ut in ordine masculus, per Papam* aut Episcopum *non potest mutari, & si fiat, nullum est sacramentum, ut si mulier ordinetur. Ergo circa ministrum nihil omnino mutari potest absque evacuatione sacramenti, quamvis extrinsece se habeat ad sacramentum.* 2 *Dispensare sacramenta, quorum actus respiciunt corpus mysticum aut convenit Papæ & Episcopis ratione jurisdictionis, aut ratione consecrationis. Non ratione jurisdictionis, quia cum Papa electus & Episcopus confirmatus habeant plenam jurisdictionem, antequam sint consecrati, possent tunc hoc sacramentum, dispensare, seu conferre, quod falsum est. Ergo non convenit eis ratione jurisdictionis, sed consecrationis. Sed ea quæ consecrationem recipiunt, non consecrato committi non possunt. Ergo papa vel Episcopus non possunt committere non Episcopo, quod possit talia sacramenta conferre. Quando competit alicui sacramenta ministrare vel etiam sacramentalia ratione ordinis, nullus potest dispensare quod alius non sic ordinatus possit ea ministrare, nisi institutor prædictorum sacramentorum*

Def. li. 3. ca. 4. pag. 90.

In 4 sentent. dist. 7. qu. 4.

rum vel sacramentalium. Et quia solus Christus instituit sacramenta, Ecclesia autem instituit multa sacramentalia, ideo etiam in ministro instituto per Christum pro administratione talis vel talis sacramenti, Ecclesia, vel Papa non potest variare aliquid, vel in aliquo dispensare, quin totum frustretur. In sacramentalibus per Ecclesiam institutis Papa potest dispensare circa ministrum, sed minor Papa, puta quicunque alius Episcopus, non potest, nisi sibi specialiter esset per Papam indultum. 3 Papa non habet maiorem potestatem in collatione confirmationis vel ordinis, quã quicunq; Episcopus, licet habeat majorem potestatẽ in foro causarum. Si ergo ex cõmissione Papæ simplex sacerdos potest cõfirmationẽ vel minores ordines cõferre, idem poterit quilibet sacerdos ex cõmissione proprii Episcopi, quod à nullo conceditur: nẽpe sęculo Durandi cũ jam obtineret axioma illud de quo paulò ante diximus. Nam antiquitus aliter se res habebat, ut probavimus ex Concilio Ancyrano, & Dounamus etiam fassus est. Præterea in casu necessitatis potuisse Presbyteros ordinare concedebatur etiam corruptissimis sæculis. Valet tamen argumentum Durandi ex suppositione, quod Episcopus sit ex institutione Christi proprius minister sacramenti confirmationis vel ordinationis Papa non potest dispensare, vel committere Presbytero ministerium confirmationis, aut ordinationis. 4 *Sicut in baptismo confertur potestas suscipiendi sacramenta, sic in ordine confertur potestas dispensandi ea: sed Papa* vel Episcopus minor Papa *non potest facere, quòd nõ baptizatus suscipiat verum sacramentum. Ergo non potest facere, quòd non ordinatus illa ordinatione, qua quis accipit potestatem dispensativam confirmationis vel ordinis, possit hoc sacramentum conferre. Mirum enim esset, si aliquis posset in actum, respectu cujus non habet potentiam. Characterem autem ordinis vel baptismi nullus habere potest ex commissione Papæ,* vel Episcopi, *sed requiritur susceptio sacramentorum. Ergo non habenti characterem ordinis per susceptionem sacramenti; non potest per quemcunque committi actus illius ordinis. Ex his ergo videtur quòd ex commissione cujuscunque nullus posset conferre sacramentum, quod non posset conferre ex se.* Cum igitur permissione vel commissione Episcoporum Presbyteri olim ordinem Presbyteratus conferre potuerunt, & Papæ commissione adhuc possint, patet veram esse alteram suppositionem Durandi, nempe *quod minister sacramenti confirmationis*, ordinationis, *sit omnis sacerdos, quantum est ex institutione Christi, licet ex prohibitione Ecclesiæ reservata sit ejus,* sic ordinationis, *collatio solùm Episcopis, nec necessaria est commissio, nisi forte propter prohibitionem Ecclesiæ ad vitandum culpam inobedientiæ. Tunc facile est dicere quod ex commissione Papa simplex sacerdos possit confirmare.* vel etiam ordinare. Testis Alexander de Hales referens quorundam Doctorum sententiam, *qui dicunt, quòd ex demandatione Papæ ordinatus potest conferre ordinem, quem habet.* Ergo ex demandatione Papæ Presbyter Presbyterum ordinare potest. Ad istam objectionem:

Panorm. in 1 de cretal. tit. De Consuet. cap. Quanto.

nem: *Non potest papa committere non Presbytero ut conficiat corpus Christi, quia Christus hoc commisit solis Presbyteris, ut ibi, ita videtur dicendum in proposito,* nempe collatione ordinum, *ut sicut in confectione Eucharistiæ non disponit contra institutionem Christi, ita nec in ordinatione ministrorum ipsius sacramenti:* Respondet Panormitanus. *Ego potius putarem, ut sacerdoti hoc possit delegare indistinctè,* id est sive in majorum sive in minorum ordinum collatione, *quia licet de sacramento Eucharistiæ sit dispositum institutione dominica, qui habeant illud administrare, hoc tamen non est dispositum in collatione ordinum. Nam olim Presbyteri in communi regebant Ecclesiam, & ordinabant sacerdotes. Unde quemadmodum olim poterant, ita videtur quòd papa possit hoc concedere sacerdoti, maxime delegando.* Si ex demandatione vel concessione Papæ concessum fuerat pessimis sæculis Presbyterum posse ordinare Presbyterum, patet Presbyterum quemvis institutione Dominica esse ministrum hujus sacramenti ordinationis, & tantū Ecclesiastico Canone iis inhiberi. Idē Leo 1 Papa Presbyterorum consecrationes numerat inter ea, quę Canonibus & regulis Ecclesiasticis, non autem jure divino sunt reservata Episcopis.

Epist. 86. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ.

Quamvis Chorepiscopis & Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispositio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint sicut est Presbyterorum & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio vel unctio. Extant verba in Decreto Gratiani. Et paulò infra. *Quæ omnia solis deberi summis pontificibus authoritate Canonum præcipitur, ut per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur,* id est, ut loquitur Hieronymus, Ad honorem potius sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Seclusa igitur prohibitione Ecclesiæ & Canonum, potuerunt Presbyteri ordinare Presbyteros. Quod autem irrita erat ordinatio per Presbyteros, non evenit inde quod vi ordinis, & jure divino non erat valida Presbyterorum per Presbyteros ordinatio, sed ex rigore Canonum, ut & multæ aliæ ordinationes. *Quod obiicitur,* inquit Fildus, *ex patribus ordinationes per Presbyteros administratas fuisse irritas, intelligendum est secundum rigorem canonum, qui ipsorum ætate in usu erant, non absolutè, ex natura rei ipsius, quod patet ex eo, quod similiter ordinationes sine titulo erant irritæ Conc. Chalced. Can. 6. Ordinationes Episcoporum per pauciores tribus Episcopis & metropolitano, ordinationes presbyterorum per Episcopos extra suas Ecclesias absque venia, cum certò sciam tamen Romanenses nolle ullam earum irritam pronunciare, licet qui faciant ista omni culpa non vacent. Deinde ipsorum dicta sunt intelligenda regulariter, non absque omni exceptione casuum particularium, qui emergere possunt.* Ut igitur ordinationes Presbyterorum sine titulo etiam per Episcopos Chalcedonensium Patrum ævo irritæ declaratæ sunt, cum tamen posterioribus hisce

Dist. 86. ca. Quamvis.

De Eccl. l. 3. cap. 39. pag. 259.

sæculis nihil usitatius, tum in Romanensi tum in Anglicana Ecclesia: ita contrà, ordinationes per Presbyteros olim validæ erant, ut supra documus; licet novellis & Ecclesiasticis regulis ut Leo loquitur præciperetur, ut irritę essent. Quod quidē sęculis corruptioribus non sine summa injuria introductū est. In casu tamē necessitatis concesserunt Saniores Scholastici Presbyteros posse conferre etiam majores ordines. *Videtur*, inquit Armachanus, *quòd si omnes Episcopi essent defuncti sacerdotes minores possent Episcopos ordinare.* Si possint ordinare Episcopos multò magis Presbyteros. Istud testimonium Armachani citat Fildus. Apud Saraviam habetur tale testimonium ex summa Guilielmi Altisiodorensis. *Si essent in mundo tantum tres simplices sacerdotes, oportet quòd aliquis illorum consecraret alium in Episcopum, alium in Archiepiscopum. Presbyteri, sicut & Episcopi, in sua ordinatione, claves regni cœlorum accipiunt, sunt enim etiam Apostolorum successores.* Perpende rationem. Presbyteri possunt consecrare Episcopum, quia in sua ordinatione acceperunt claves regni cœlorum, & sunt successores Apostolorum. Ipse Saravia. *Quamvis ordinationes ministrorum Ecclesiæ propriè ad Episcopos pertinere judicem: necessitas tamen facit, ut ubi illi desunt, nec haberi possunt, orthodoxi Presbyteri possunt in necessitate ordinare Presbyterum; quæ res, tametsi præter ordinem fiat receptum ab ipsis Apostolorum temporibus, necessitate tamen excusatur: quæ facit, ut in tali rerum statu Presbyter sit Episcopus. Proinde quamvis factum sit extraordinarium, vocatio extraordinaria non est censenda.* Ibidem, *Atque hoc etiam verum est, quòd in tali Ecclesiæ perturbatione, quando omnes Episcopi à vero Dei cultu deficiunt ad idololatriam, sine ulla gubernationis Ecclesiæ violatione, ad pios Presbyteros & Orthodoxos tota Episcopalis gubernationis Ecclesiasticæ authoritas devolvitur ut Presbyter liquidò ordinare possit Presbyteros.* Et paulò infra dicit, amotis quolibet modo superioribus ordinibus tota clavium Ecclesiæ potestas residet apud eos, qui ex infimo ordine remanent. Item, *ubi Episcopi omnes facti sunt impii hæretici, ab illorum jurisdictione orthodoxi Presbyteri liberantur: & potestatem clavium, quam in sua ordinatione acceperunt, sibi vendicare debent.* Dounamus similiter. *Ubi nego, vel Episcopos usos aut potuisse Presbyterorum parastasia, in utrarumque,* (nempe ordinations & jurisdictionis) *alterutra, vel Episcoporum defectu utrumque posse peragi per Presbyteros;* Quod ad prius, cum dicunt Presbyteros imponere manus non ad consecrationem vel ordinationem, sed tantùm significandi consensus gratia, non dicunt impositionem manuum ordinatoriam esse solius Episcopi, licet 100 Presbyteri apponerent manus suas juxta manus Episcopi. Sed redeamus. Concedit Dounamus in Episcoporum defectu Presbyteros posse ordinare. Cùm ex Pontificiorum scriptis, Summa Angelica, voce Ordo, docuisset eos sentire Papam posse Presbyteris concedere potestatem ordinandi, sic infert.

L. 11 quæst. Armen. c. 7.

De Ecclesf. l. 3. ca. 39. pa. 159.

De gradib. defen. cap. 2. pag. 32.

De gradib. defens. cap. 2 pag. 32.

Pag. 33.

Def. l. 3 cap. 1. sect. 13.

Def. li. 3. ca. 4. sect. ult.

infert. *Si pontificis permissu Presbyter potest ordinare Presbyteros, multò magis Senatus Presbyterorum, ad quem in defectu Episcopi cura Ecclesiæ devoluitur, instrui potest ea authoritate cogente necessitate, quæ nullam habet legem.* Videmus igitur Hierarchicorum sententia Presbyteros in casu necessitatis posse ordinare Presbyteros. Sed quem dicunt illi esse casum necessitatis. *Extrema necessitas,* inquit Saravia, *dat Episcopalem potestatem Presbytero.* Extremam voco, *quandò aut Episcopus nullus est, aut eorum qui sunt, impius est usus. Noti iuris est vacante sede, ad Presbyterium Episcopi, hoc est ad Presbyteros devolui, quod erat ante solius Episcopi. Et quæ ratio, quod Dei verbum ordinationem ministrorum excipit, quando Episcopum habere non datur.* Si vacante sede ad Presbyterium Episcopi devoluitur, quod ante erat solius Episcopi, tunc sequitur quòd superstitibus alibi etiam orthodoxis Episcopis, capitulum jure devoluto possit ordinare Presbyteros, alioquin non devolueretur ad Presbyterium Episcopi, sed ad alios Episcopos, jus, quod ante solius Episcopi. Videant igitur quomodo cohæreant extrema necessitas, & devolutio juris Episcopi vacante sede ad capitulum. Nam eadem etiam habet Dounamus in testimonio paulò supra citato. Imò apertius adhuc Dounamus.

De tripl. Episc. p. 88.

Eadē videtur ratio impositionis manuum in confirmatione baptizatorum, reconciliatione publicè pænitentium, quæ in ordinatione ministrorum. Sed licet duæ priores reservatæ sunt Episcopis æquè at tertia, extra odinem tamen, in casu necessitatis, & in defectu vel absentia Episcopi, vetus Ecclesia sensit licitum fuisse ministris imponere manus, vel ad baptizatorum confirmationem, vel pænitentium reconciliationem. Prius testantur Ambrosius in Ephes. 4. & August. quæst. ex vet. & novo test. mixtim q. 101. posterius Cyprianus l. 3. ep. 17. & Concilia, Carthag. græc. c. 43. Carth. 2. c. 4. Conc. Arausic. c. 2. Infero. Ergò non modò defectu Episcopi vel sede vacante, sed etiam Episcopo absente, possunt Presbyteri Presbyteros ordinare. Nam non modo vacante sede, sed etiam Episcopo solummodò absente, dixit Dounamus Presbyteros potuisse imponere manus in confirmatione, & reconciliatione pœnitentium. Ex quo sequitur Episcopum non esse proprium & unicum Sacramenti ordinationis ministrum, sed etiam Presbyterum posse ordinare, idque vi potestatis ordinis sui & consecrationis, quam æqualem habet ex institutione Divina cum Episcopo. Nam ut vacante sede vel absente Episcopo, in Egypto, Presbyteri consignabant, id est confirmabant ut interpretatur Ambrosium Dounamus (licet Iunius & alii interpretentur vi ordinis sui *ordinabant* ut supra ostendimus) & in Africa reconciliabant, sic vacante sedes vel absente Episcopo ordinare possunt Presbyteri vi ordinis. *Quod igitur Patres officia Episcopi, si præsens non esset, Presbyteris permiserunt, ideò factum, quod ea quæ humanitus propter ordinem, & dissidiorum excludendorum causâ excogitata essent, in Ecclesiæ detrimentum*

Def. l. 3. c. 4. sect. ult.

[illegible]ssert. de [illegible]b. eccl. p. [illegible]9.

detrimentum

detrimentum verti nollent, ac proinde in necessitatis casu Presbyteris jus suum remitti maluerint, quàm nimis stricta humani instituti observatione Ecclesiam fraudari, ut observatum est a Gersomo Bucero. Et aliud ab eodem viro clarissimo alibi notatu dignum observatur. *Quare absentia Episcopi, quando vel ipse tandem, vel alius hujus loco obtineri potest, non est immutabilis necessitas. Quod nihilominus presbyteris in eo potestas ordinandi facta fuit, quis non hinc prodiisse videat, quod patribus certò constaret distinctionem illam Episcoporum & Presbyterorum tantum humanæ institutionis esse? Alioqui talis necessitatis casus, quem declinare potuerunt, nullam purgandi facti sui rationem ipsis reliquam fecisset* Cur devoluta fuit ista potestas ad Presbyteros magis quàm Diaconos, nisi quòd Presbyteri hanc haberent potestatem vi ordinis, non autem Diaconi. Sive casus necessitatis sit ineluctabilis sive non, non possunt Presbyteri ordinare, si non essent divina institutione instituti hujus sacramenti ministri. Nam cum ordinatoria manuum impositio, ut ipsi definiunt, sit actio spiritualis efficaciæ conferens ordinando potestatem ordinis, in quo constitutus est, quomodo potest non Episcopus qui hanc potestatem ordinandi non accipit in ordinatione sua, aliis conferre gratiam & potestatem ordinis. Nam ipsa potestas ordinandi non confertur nisi per modum sacramentalem, ut ipsi dicunt, & nos adhuc ponimus. Oportet igitur in ordinatione sua Presbyterum accepisse potestatem ordinandi, alioquin nulla necessitas eum hac potestate indueret. Nam minister est de integritate sacramenti, ut supra audivimus ex Durando. Quod de baptismo objicit Dounamus, in casu necessitatis, ubi Ministri obtineri non possunt, posse Laicos baptizare, omnino negamus. Non est tanta necessitas baptismi, ut propter eam oporteat Laicum baptizare, ubi vel quando Presbyteri obtineri non possunt. Nam in ordinatione Presbyteri confertur potestas vel deputatio, per quam ordinatus potest aliquid facere quod non poterat prius, inquit Durandus: v. g. potest ordinatus in sacerdotem conficere corpus Domini quod prius non poterat. Potest quis non ordinatus celebrare actionem exteriorem pronunciando verba institutionis, & ritus administrando, nihil tamen efficit. Sic dico ego, potest quis non ordinatus celebrare baptismum quoad genus facti exterioris, nihil tamen efficit nisi sit ordinatus. Quod baptismum exceperint Scholastici & Pontificii, ex alio errore, nempe summæ necessitatis hujus sacramenti, ortum est. Idem dico de ordinatione, quod si desint & deficiant cum Episcopi tum Presbyteri non posse Laicum ordinare, si ordinatio sit sacramentum, ut adhuc ponimus. Proinde falsum est, quod dicit Dounamus, *potestatem ordinationis & jurisdictionis devolvi etiam ad corpus Ecclesiæ in casu necessitatis, id est, sui cleri successione, & aliorum auxilio deficiente*. Falsum dico, hoc posito quod tuentur Hierarchici,

Pag. 363.

Distinct. 24. *quæst.* 2.

Def. li. 4. *ca.* 4. *sect.* 13. *pag.* 99.

nempe Ordinationem esse sacramentum: non enim potest corpus Ecclesiæ conferre per modum sacramentalem, gratiam sacramenti aut potestatem ordinis. Quod dicit Dounamus verissimum tamen est hoc posito quod ordinatio non sit sacramentum, ex eoque non esse sacramentum ostendemus. Dominus enim sic prospexit Ecclesiæ suæ, quod si nullibi reperirentur sacramentorum ministri Ecclesiæ tamen contulit potestatem eos absque sacramentali consecratione instituendi ministros & collapsum ordinem restaurandi. Denique, ut in pauca superiorem dissertationem contraham, concesso etiam quòd sit sacramentum impositio manuum ordinatoria, ejus potestatem esse penes quemvis Presbyterorum ex ordinatione divina patet ex scripturis, fatentibus etiam adversariis: ejusque exercitium ab Apostolis nunquam sublatum: nec ab Ecclesia statim post Apostolos, sed validas fuisse ordinationes etiam per Presbyteros celebratas: Nec quando irritæ sunt habitæ, id provenisse absolutè ex natura rei, sed ex rigore canonum, ut factum in aliis ordinationibus, quæ sæculis hisce novissimis in Ecclesia Romanênsi & Anglicana non modo validæ sunt, sed etiam usitatæ: & ut patet etiam ex concessa potestate pontifici hanc potestatem delegandi Presbyteris etiam sæculis corruptissimis: & ex jure devoluto ad Presbyteros in casu necessitatis cum eluctabilis, tùm ineluctabilis, consecrandi non modo presbyteros, sed etiam Episcopos. Abbates extra casum necessitatis ineluctabilis etiam Episcopos consecrasse supra ex Bedæ historia ostendimus, & quod in casu necessitatis ineluctabilis possint, testantur Altisiodorensis & doctores illi de quibus supra Alexander de Hales. Non tamen dissimulandum est summam fuisse injuriam in divinam institutionem quæ illata est presbyteris, sæculis corruptioribus, irritas statuendo ordinationes per presbyteros. Nam quod dicit Durandus *Ecclesia potest artare ministrum suo statuto: sed non potest irritare sacramentum, concurrentibus his quæ sunt de necessitate sacramenti*, priore parte partim verum est, potest potestas regulari & dirigi, dummodo non tollatur ordinarium ejus exercitium: ut omnia fiant ordine & decenter ad Ecclesiæ ædificationem. Ex posteriore parte verum est, non potest Ecclesia irritum & nullum decernere sacramentum Eucharistiæ celebratum à legitimo & vero presbytero, qui hanc potestatem habet ex institutione divina. Et sic de aliis sacramentis, & consequenter de Ordinatione si sit sacràmentum, quod adhuc concessimus. Sequitur jam probandum ordinationem non esse sacramentum, & proinde multo magis Presbyteros posse imponere manus, & consecrare ordinandos. Nam nulla consecratio major est sacramentali; Si ergo potest Presbyter consecrare in sacramento potest etiam extra sacramentum. Ordinationem non esse sacramentum probatur. Si ordinatio sit sacramentum conferens gratiam gratum facientem

L. 4. dist. 7. qu. 4. prope finem.

entem

cientem, & potestatem ministrandi sacramenta, tunc sequitur a Christo institutam fuisse, & de materia, & forma constare. *Si quid piam tale fuit a Christo institutum, adeone obscure & latenter id fecisset, ut adhuc post mille & sexcentos annos in Ecclesia nostra incertum sit, quae sit propria hujus sacramenti materia, sive res sensibilis, quae in Scholis appellatur elementum: num ipsa manum impositio? num traditio calicis & patenae? de quibus certant Scholastici: sicut & circa formam ac verba, quibus prolatis impleatur sacramentum. Nam in Presbytero ordinando formam aliqui volunt esse, Accipe potestatem remittendi peccata &c. alii vero, Accipe potestatem offerendi sacrificium. Itane facimus unum Sacramentum a Christo institutum, de cujus tota substantia adhuc sumus incerti? An Christus ludit & illudit suam Ecclesiam? Et ubinam quaeso in verbo Dei mandatum habemus datum Episcopis, ut ordinantes dicant, Accipe hanc vel illam potestatem.* Gratiam gratum facientem probant ex 1. Tim. 4. 14. at respondet Salmeron, tomo quarto ubi de sacramento Ordinis, ibi esse non χάρις sed χάρισμα quòd gratiam gratis facientem ceu donum significat, non gratiam sanctificantem. Apostoli conferebant dona ordinatis per impositionem manum ut supra diximus, quod non erat ordinarium & perpetuò duraturum. Imò nunc dona supponuntur ante impositionem manuum, non conferuntur simul ac imponuntur manus, nedum per impositionem manuum. Quomodo igitur potest impositio manuum esse sacramentum, cum sacramentum sit signum visibile invisibilis gratiae, ut ipsi definiunt, & quidem gratiae sanctificantis personam, ut rite & dignè possit tanto fungi ministerio. Nam ut recte Spalatensis, nu. 43. *Ordo non est eo institutus ut digne quis possit ministrare, sed absolutè ut possit ministrare*, nec a dignitate morali ministri pendet virtus & efficacia Sacramentorum. Quod ad officium & potestatem ipsam ministrandi valde abusive dicitur gratia ordinis vel officii. Dona autem officio annexa propriè sunt χαρίσματα praesertim si extra ordinario modo collata. Sed sacramenta non sunt instituta ad conferendas gratias gratis datas ut loquutur, ceu dona, nec officia vel potestatem ministrandi in officio, quibus dona sunt annexa. Conferre potestatem ministrandi in cultu divino per modum sacramentalem, est commentum Scholasticorum qui de charactere ordinis variè nugantur, & inter se dimicant.

Spalatens. de rep. Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 25.

Praeterea si impositio manum ordinatoria esset sacramentum, non poterit quis ordinari absque impositione manuum. Nam signum sacramentale debet esse ceremonia religionis stata & perpetua. At vt dixit supra Spalatensis controvertitur an impositio manuum sit materia, ceu res sensibilis hujus sacramenti *Et multi Theologi eam non habent pro necessaria, quicquid alij aliter sentiunt. Etiam celebres Canonistas, Hostiensem, Iohannem Andream, Abbatem & alios*

Pet. Suavis. hist. Conc. Trid. l. 7. p. 667. edit. Francofurt.

alios affirmare Papam solo verbo presbyterum ordinare posse, dicendo, Esto sacerdos, quodq́ pluris est, Innocentium omnium Canonistarum parentem, universè asserere, nisi formulæ illæ recens adinventæ obstarent, abunde futurum, si ita diceret Ordinator, Esto sacerdos, aut verbis tantundem valentibus vteretur; nam formulas quæ observantur ab Ecclesia pòst constitutas. Sic Melchior Cornelius Lusitanus in Concilio Tridentino. Vide Petri Suavis Historiam. Spalatensis simile affert, *Mirandum verò*, inquit, *quòd Ecclesia Romana Canonistarum quoddam dictum adeo approbat, vt ne mutire quidam contra ipsum quisquam ex catholicis audeat, nimirum Gygas cum DD. ab eo citatis, q. 8. de Præs. n. 3. & Rebuffus de benif. imit. Summum Pontificem solo verbo posse facere & sacerdotem & Episcopum, si dicat alicui duntaxat, Esto sacerdos: vel Esto Episcopus.* Subjicit, *Pugnantia sunt ista Ordinem esse verum & proprium sacramentum, quod sine certa, & constanti ceremonia esse non potest: & solo verbo Papæ posse hominem sacris initari. Cum tamen satis appareat, & melius sim ad huc mox rem cōfirmaturus, ordinationē in sola, legitima tamen & potestativa deputatione consistere, facile etiam ipse Canonistis consenserim posse non modò Papam, sed quemcunq; Episcopū solo verbo Presbyterum & Episcopum facere, nimirum vt factum teneat. Quamvis contra præceptū Ecclesiasticum, si omittantur ceremoniæ, sit, qui hoc fecerit, peccaturus.* Quid Til. noster? *Ritus impositionis manuum*, inquit, *qui in ordinatione Ministrorū adhibetur, etsi non possit improbari: tamē cum exemplo potius, & veteris ecclesiæ praxi, quàm Christi institutione & præcepto nitatur, neque sacramentalis strictè & propriè dici potest; cum non eadem quæ sacramenta propriè dicta, beneficia vel præbeat, vel obsignet; neque ad ordinationem ministrorum simpliciter est necessarius.* Præterea singula quæque sacramenta sua peculiaria propria & analoga cum re sua significata signa habent. At impositio manuum est ceremonia communis, vt ipsi fatentur, pluribus alijs religionis actibus. Inde dicunt impositionem manuum aliam fuisse curatoriam, aliam consecratoriam, aliam confirmatoriam, aliam reconciliatoriam. Et in veteri testamento, vnde hic ritus desumptus est, non modo in sacris, sed etiam civilibus hanc ceremoniā vsurparunt. Iacob benedicens filijs Iosephi imposuit manus, Gen. 48. Moses Iosuæ successori, Num. 27. 23. in dedicandis Levitis nitebantur filij Israelis manibus suis super Levitas ipsos, Num. 8. 10. & quisque filiorum Israelis super caput holocausti sui, Levit. 1. 4. Impositæ manus ijs qui electi erant in numerum Senatorum Synedrij Magni. Ei qui promovebatur ad Magisterium imponebantur manus à Rabbino aliquo. Manus impositio vocata est *semicah*: qui manum imponebat *somech*, qui gradu Magisterij auctus & cui impositæ manus, *samuch*. Verborum formula vetustissima huic ritui adjuncta erat. *Ego tibi impono manū, & manus imposita tibi esto*, hoc est, *& Magister esto*, vel sic, *Eni somecb otheca: thibieb samutb*, id est, *ego tibi manū impono*,

[Margin notes: *De rep. eccl. l. 2. cap. 4. num. 19.* — *2. Part. Synt. disp. 58.* — *Scalig. elench trihæresij. c. 5*]

pono, tu esto is cui manus imposita sit, aut *Ego te Magistrum creo; tu creatus esto*, aut *te magistrum facio, esto Magister*. Vide Scaligerum in elencho trihæresij, & Nicolaum Serrarium in Rabbinis. Cum igitur fuerat ceremonia adhibita in tot heterogeneis actionibus, & inaugurandis etiam doctoribus, ducibus, & Senatoribus, in pastoribus inaugurandis sacramenti signum, ceu rem sensibilem esse non censendum est. Si ordinatio esset Sacramentum, non potest irrita reddi ordinatio per Episcopum celebrata, licet suscipiens sit simoniacus aut alijs vitijs contaminatus modo donis ad exercendum officium sit instructus. Nam si Eucharistiam aut baptismum idem acceperit non impediunt vitia in suscipiente, quin vera sacramenta susceperit, At multæ ordinationes etiam per Episcopos irritæ habebantur à Patribus ob vitia & indignitatem suscipientium, vt probat Spalatensis ex Cypriano, Hieronymo, Augustino & alijs. Denique, si ordinatio Presbyteri per impositionem manuum sit sacramentum, cur non etiam Diaconi. nam & ijs imponuntur manus. In Diaconatu *Nulla potestas vel Deputatio confertur ordinato per quam possit aliquid facere interius vel exterius, quod non poterat prius, sed solum quod non licebat prius, quicquid enim potest facere Diaconus ordinatus, puta legere evangelium, ministrare sacerdoti, id totum poterat prius facere, sed non licebat ei*, sic Durandus. Diaconus est tantum mensarum & viduarum minister. Sed *demus quodcunque volumus officium & ministerium Diaconis, sive temporale, sive etiam spirituale, cum ipsorum institutio sit ab Apostolis, quis jam audeat ordinationem Diaconi inter sacramenta Christi Domini numerare?* dicit Spalatensis. Diaconi ordinatio igitur est tantum mera officij injunctio, & libera deputatio, vt idem dicit. Presbyteri ordinatio ergo non ideo est sacramentum, quia ibi est externus ritus impositionis manuum. *Impositio manuum non potest dici esse ceremonia à Christo instituta, vt in ea consistat ordinis sacramentum: quia de tali institutione nihil habemus: & in tanta re non est divinandum: neque ex humanis solis conjecturis, quæ vix probabilitatem contineant, sunt sacramenta stabilienda*, inquit Spalatensis. Quid ergo? *Constat verò manuum impositionem ab Apostolis adhiberi solitam, tanquam partem efficacis orationis, vbi preces pro particulari aliqua persona funderentur, vt factum est in nova Apostolica Diaconorum institutione Act. 6. quam non fuisse sacramentalem paulò post probabo: & in Pauli ac Barnabæ segregatione Act.* 13. *quam similiter sacramentalem non fuisse est à me demonstratum. Quia igitur ministri Christi plurimum indigent divina gratia ad ritè sua munera obeunda, in ipsorum deputatione preces efficaces adhibendas esse duxerunt Apostoli, per manuum impositionem. Quod se fecisse cum Timoth. 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1. affirmat Paulus. Ita etiam cum nuper Baptizatis faciebant Apostoli, vt per manuum impositionem invocarent super eos spiritum sanctum, Act.* 8. *Hujusmodi vero manuum impositiones*

Serrarij Rabbin. lib. 1. c. 11.

l. 2. c. 4. num. 3. 4 5. 6. 7.

In 4. dist. 24. q. 2.

Spal. de rep. eccl. l. 2 c. 4. num. 45.

Spal. de rep. eccl. l. 2. c. 4. num. 30.

ones non fuisse sacramentales satis explicat Augustinus, dum de ipsis in universum illud proferat. De bapt. con. Donatist. lib. 3. cap. 16. Manus autem impositio non sicut baptismus, repeti non potest: quid enim est aliud, nisi oratio super hominem. Impositio manum rectiùs dicitur gestus orantis, quàm pars orationis vt à Spalatense, aut oratio ipsa, vt ab Augustino, & gestus iste ac ritus est quidem signum, sed non sacramentale significans aut exhibens gratiam, sed indicans & demonstrans personam quæ deputatur ad officium ecclesiasticum, & commendatur gratiæ Dei per orationem. Si igitur sit gestus orantis, benedicentis, & dedicantis Deo personam certam & particularem, quid impedit Presbyterum imponere manus, cum orare possit, & benedicere, æque ac Episcopus. *Etenim abnuenti mihi ista, sic dicam: qui non vult Presbyteros facere, quæ iubentur à Deo, dicat quis major est Christo? aut quid corpori ejus & sanguini poterit anteponi? Si Presbyter Christum consecrat, cum in Altario Dei sacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Christum etiam meruit consecrare?* Benedicit in altari, ergo potest benedicere populo, ergo & ordinare.

Epist de 7. gradib. eccles. ad Rusticum Narbonens.

Concesso jam quod ordinatio non sit sacramentum, quàm bellè congruunt omnia, quæ alioqui videntur asystata. Cur fuerunt irritæ ordinationes per Episcopos & Presbyteros pluribus de causis vt ostendit Spalatensis? quia ordinatio non est sacramentum. Cur potuit Papa demandare potestatem Presbytero ordinandi? quia non est sacramentum. Cur potest Papa solo verbo presbyterum ordinare? quia non est sacramentum. Cur deficientibus Episcopis & Presbyteris devolvitur ordinatio ad Ecclesiam? quia non est sacramentum. Cur in casu necessitatis devolvitur ad Presbyteros? quia non est sacramentum institutum à Christo cum proprio ministro. Cur non est ritus necessarius impositio manuum, quia non est sacramentum. Vtrum vnus an plures imponant manus ordinando adiaphoron est, modo ille vnus sibi soli actum & potestatem non vendicet, vt supra diximus. Baronius ex Rabbi Nathane dicit quum quis ad docendos alios promovetur collecto Seniorum concilio, eo prius examinato, idoneoque reperto, omnes qui aderant, manus imposuisse. Esto quod vnus, vt de vno videntur loqui Scaliger & Serrarius, qui dictus *somech* ὁ χειροθέτης qui vnà cum manuum impositione vtebatur concepta verborum formula: vel vnus signo & sermone sed nomine aliorum. Sic in Ecclesia. *Distinguenda sunt tempora,* inquit Iunius, *Primo enim tempore dicebantur Episcopi, quicunque ministrabant Ecclesiæ salutis verbum, Act. 20, & hujus Presbyterij erat impositio manuum, 1. Tim. 4. Postea quum Episcopi humano ordine Presbyterijs præfuerunt, ordinationis institutum fuit penes totum Presbyterium; signum vero fuit penes Episcopum, id est, impositio manuum fiebat ab Episcopo, solum nomine totius Presbyterij, vt in corporibus & collegiis partes ejusmodi solent iis qui primi sunt ordine, demandari.*

ann. 44. num. 35.

De cleric. ca. 3. not. 10.

Idem

Idem alibi. *Atque hi omnes instituto Dei erant Episcopi sive Presbyteri: ordini verò communi ex instituto Ecclesiæ unus de numero ipsorum præerat, qui Episcopus ἐξαιρέτως dicebatur. Ex quo profectum est, ut aliis in Ecclesiis ut Episcopus solus consignaret ordinaretque manuum impositione, velut totius presbyterii nomine: in aliis verò Presbyteri aut cum Episcopo, aut etiam absente Episcopo ordinarent, ut suo tempore Ambrosius & Augustinus Alexandriæ testantur observatum.* Fildus tamen licet Hierarchicus verba illa Concilii Hispalensis, *Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest*, dicit non capiendi, *ac si Episcopus solus absque Presbyteris possit ordinare Presbyteros, sed quòd absque aliorum Episcoporum concursu, ordinem Presbyteralem potest conferre, quem absque eisdem auferre non potest. Nam alioqui cavet Concil. Carth. 4. can. 3. quòd in ordinatione presbyteri Episcopo manum super caput ejus tenente, & benedicente Presbyteri qui præsentes sunt. &c.* Et alibi, *requirebatur consensus 6 Episcoporum ad deprivationem Presbyteri.* Bilsonus etiam ex Concil. Hispal. 2. can. 6. & Africano can. 20. probat Episcopum Presbyteros sacro ordine privare non potuisse absque aliorum Episcoporum adminiculo. Ergo cùm patres Hispalenses dixerunt, *Solus honorem dare potest*, non intelligunt, seclusis Presbyteris, sed Episcopis. Nam ita intelligunt vocem, *Solus* in altero membro. *Solus*, nempe seclusis Episcopis, *auferre non potest.* Sed perinde est sive solus sive unà cum aliis imposuerit manus, siquidem nomine Presbyterii imposuerit, & ille solus honorem non dedit, licet solus administravit ritum & signum impositionis manuum. Actus erat communis totius Presbyterii. Imo non solum nomine presbyterii, sed etiam Ecclesiæ inducebat ordinandum in possessionem muneris. *Fuit ergo Ecclesiæ, fuit Presbyterii ordinare: sed postea fuit Episcopi initiare ordinationis ritu, quum Presbyterium ei partes illas, ut Ecclesia Presbyterio suas contulisset ex institutione Ecclesiastica, non autem divina, ut Tertullianus & Hieronymus, & Ambrosius docent.* Quod dicitur à Beza De tripl. Episc. p. 28. 29. Episcopũ imposuisse manus nomine Presbyterii, miratur Saravia, multo magis quod nomine Ecclesiæ. *Quamvis enim omnes cujuscunque gradus pastores sunt Ecclesiarum ministri: omnia tamen quæ ab ipsis in Ecclesia fiunt nomine & authoritate Domini nostri Iesu Christi, non Ecclesiæ neque Presbyterii faciunt.* Ut cum docent, sacramenta ministrant solvunt & ligant addit tamen *quomodo autem Ordinatio manuumque impositio authoritate fiat Presbyterii, opus habet maiore disquisitione.* Spalatensis similiter dicit, *Plebem nullam partem habere in traditione potestatis Ecclesiasticæ.* Item *potestas ordinandi, inquit, ministros non est in communitate Ecclesiæ, quæ constat ex Clericis & Laicis, sed est in Episcopis, qui soli in hac mittendi & ordinandi authoritate Apostolis successerunt.* Sic Episcopos Sponsæ, non ministros sed dominos faciunt. Cum dicimus Episcopum initiationis ritus administrasse

De Conc. & Eccles. l. 4. ca. 8. not. 23.

De Eccles. l. 5. c. 56.

Cap. 30. pa. 2118. 219.

Iunius de Cler. cap. 3. not. 10.

De rep. eccl. l. 2. cap. 2. num. 52.

Lib. 5. c. 12. num. 3.

nistrasse, & manus imposuisse nomine Presbyterii & Ecclesiæ, non excludimus Dei authoritatem, sed opponimus authoritatem presbyterii & Ecclesiæ singulari potestati Episcoporum, ceu illius qui imponit manus. *Id enim ponendum est authoritate utraque Dei & Ecclesiæ pastores à pastoribus ordinari: Dei quidem & Christi, ut Mediatoris, Domini, & Sponsi: Ecclesiæ verò, ut Sponsæ illius. Hic communis est Sponsi Sponsæque authoritas, cujus sunt communes administri à Christo & Ecclesia instituti, quos Episcopos, Presbyteros, sive pastores appellamus. Sic totam in solidum ordinationis potestatem habet Christus, quam cum Ecclesia sua communicat, uterque vero pro suo jure. Sponsus inquam & Sponsa Presbyterio tradit divino jure. Postmodum vero humano jure Presbyterium contulit eam potestatem in Episcopos speciatim dictos, unde sequuta est usurpatio, pervetus illa quidem, at non propterea justior, in qua tyrannis sese obfirmavit jam diu.* Cum nemo debeat ordinari ad ministerium ἀπολελυμένως, sed singulariter ad hujus aut illius Ecclesiæ ministerium, æquum est ut in ministerio ἰδικῷ particularis Ecclesiæ per ipsam ordinetur communi Ecclesiæ illius nomine. In ordinatione sunt varii actus & ritus, benedictiones & preces, dedicatio & mancipatio ad ministerium, missio potestativa, ut vocat Spalatensis, seu potius inductio in possessionem muneris, & confirmatio electionis præcedentis, item impositio manuum sive ut gestus orantis & benedicentis, sive etiam ordinantis & inducentis in possessionem muneris, ut in promonendis ad Magisterium in scholis Rabbinorum. Hæc omnia fiunt authoritate Dei & Ecclesiæ. Et dum unus orat & imponit manus, id facit nomine Ecclesiæ & Presbyterii. *Sic ordinat Deus per Ecclesiam, ordinat Ecclesia per Presbyterium; ordinat Presbyterium per Episcopos & Pastores suos: singuli conferunt quæ sua sunt.* Deficientibus Episcopis & Presbyteris docentibus posse Seniores imponere manus, eorumque unũ, orare benedicere & quasi repræsentare ordinandũ Deo Ecclesiæ nomine fatentur ipsi Hierarchici. Addo & deficientibus Senioribus, posse Ecclesiam constituere ex suorum numero qui imponat manus & inducat in possessionem muneris ad quod per electionem designatus est, nomine Ecclesiæ. Nam non est impositio manuum, ut diximus, sacramentum, quod requirat proprium suum ministrum ex institutione divina. Et si Dounamus hoc jus ordinandi concessit corpori Ecclesiæ, etiam hoc posito, quòd sit sacramentum ordinatio, ut supra ex Dounamo ostendimus, quantò magis id concedendum, si non sit sacramentum. Et sic nunquam peritura est Ecclesia, quia in casu necessitatis pii & fideles congregati in nomine Christi possunt eligere & electum inducere in ministerium. *Nullus fidelium cœtus adeo parvus, in vera fide consociatus, qui in illa extrema necessitate si constituatur, non habeat tantum potestatis in rebus Ecclesiasticis, quantum theologi disputant à Domino universali*

Iunius de clericis cap. 3 not. 16.

Junius de cleric. cap. 3. not. 5.

Ecclesiæ,

Eccleſiæ, ad ſui ædificationem, tam in doctrina fidei, quàm diſciplina morum eſſe datum & relictum. Theologorum communis ſententia eſt, clavium nomine omnem ſignificari poteſtatem Eccleſiaſticam, & eas datas non tantum perſonis, ſed etiam univerſæ Eccleſiæ, inquit Saravia. Nonne idem dicit quod aliis verbis Bucerus. *Deus non ſimpliciter ſingularibus perſonis, ſed Eccleſiæ ordinandi poteſtatem tradidit, & ordinariè per illam miniſtros ſibi conſecrat.* Radicaliter igitur & originaliter eſt poteſtas ordinandi in Eccleſia & ſemper, etiam extra caſum neceſſitatis; ordinarium inſtrumentum Eccleſiæ ad adminiſtrandum ritus initiationis eſt Paſtor, qui pro hominibus conſtituitur in iis quæ apud Deũ agenda ſunt; extra ordinẽ & in Eccleſia conſtituenda aũt penitus collapſa reſtauranda, inſtrumentũ eſt ſi deſit paſtor quem piorum cœtus elegerit ad actum illum ordinationis ipſius nomine celebrandum. Ex dictis patet Preſbyterium non minus quam Epiſcopum nomine Eccleſiæ initiare poſſe ordinationis ritibus, quippe qui jure divino ſit conſtitutus pro hominibus in iis quę apud Deum agenda ſunt: & cum Epiſcopus, qui jure humano tantum præeſt & Preſbyterio & Eccleſiæ, & ipſum ordinationis actum ſibi ſoli totum vendicet, debere Preſbyteros poſſeſſionem ordinariam ſui juris repetere & recuperare. Nam jura poſitiva cum primum incipiunt corrumpere viam ſuam, ut loquitur Panormitanus, antiquanda ſunt, Atque hæc de poteſtetate ordinationis quam referunt ad poteſtatem ordinis, quia putabant ordinationem eſſe ſacramentum: ſed cum non ſit ſacramentum, & præter benedictiones & preces quas Spalatenſis dicit non eſſe abſolutè eſſentiales ordini ſacro, ſit miſſio poteſtativa ut loquitur ille vel inductio in poſſeſſionem muneris ad quod ante per electionem deſignatus erat ordinandus, referenda eſt potius ea ratione ad poteſtatem juriſdictionis. Nam promovere ordinandum ad officium aut munus aliquod, electionemque ante greſſam confirmare eſt juriſdictionis, ut & ipſa electio quæ confirmatur: Diſtinguenda igitur conſecratio & ſanctificatio hominis ad miniſterium à traditione poteſtatis vel confirmatione electionis, etſi ſimul tempore peragantur.

Sara. de trip. Epiſc. p. 90.

De gubern. eccleſ. p. 360.

De rep. Eccl. l. 2. c. 3. nu. 54.

Sequitur poteſtas altera nempe juriſdictionis. Iuriſdictionem divìdit Dounamus in internam & externam. Iuriſdictionis internæ ceu ſpiritualis poteſtatem concedit preſbyteris parochis & illam dicit eſſe poteſtatem *gubernandi modo privato & quaſi in foro conſcientiæ.* Hac poteſtate regunt non ſolum in publico miniſterio, ſed etiam privata cura. Quod ad publicum miniſterium ſunt duces inquit & directores populi in cultu publico, prædicant verbum admonentes, increpantes, conſolantes, & ſacramenta adminiſtrant. Preſbyterum etiam non parochum poteſtate ordinis ſui poſſe non modo baptizare, liturgiam celebrare & concionari, quæ ſunt communia Preſbyteris cum Diaconis (authoritate ab Epiſcopo inſtructis)

Defenſ. li. 1. cap 2. ſ. 10. p. 42.

Defenſ. li. 3. ca. 4. ſect. 24 pag. 105.

ctis) sed etiam ministrare sacram cœnam, & remittere & retinere peccata. *Hæc potestas*, inquit, *remittendi & retinendi peccata appellatur clavis ordinis, & secundum doctrinam pontificiorum refertur ad collationem sacramenti pœnitentiæ.* Vides hîc Dounamum constituere duos tantum actus ordinis Presbyteralis nempe celebrationem Eucharistiæ, & potestatem remittendi & retinendi peccata seorsim à prædicatione verbi & ministratione sacramentorum, idque in foro interiori, de quo statim dicemus. Et sic pontificii duas in Presbytero dicunt esse potestates unam consecrandi corpus & sanguinē Christi alteram remittendi peccata. Baptismum ministrandi jus, & prædicandi, ut ille tribuunt etiam Diaconis. Hanc potestatem remittendi peccata refert ad potestatem ordinis presbyteralis quia, inquit, eam in ordinatione accipit presbyter, eique cōpetit simpliciter quatenus est Presbyter absque jurisdictione ceu relatione ad gregē aut curam animarum. Potestas Iurisdictionis externæ est non modo in ligandis & solvendis peccatis sed etiam in ministris vocandis, controversiis doctrinæ discutiendis & dijudicandis, tum legibus de politia externa ferendis. De vocatione ministrorum, electione puta, ordinatione & missione supra diximus. Supersunt potestas δογματικὴ quæ versatur in dijudicandis controversiis, διατακτικὴ quæ versatur in constituenda politia externa per Canones & regulas in rebus externis & adiaphoris ad conservandum τὸ πρέπον & εὐταξίαν, & potestas κριτικὴ ceu Iudiciaria, quæ versatur in offendiculorum coercitione. Quod potestas δογματικὴ Presbyteris competat patet ex Act. 15. *Congregati sunt igitur Apostoli & Presbyteri ut dispicerent super hac re* vers. 6. nempe observatione legis & cap. 16. 4. ubi decreta ejus Concilii vocantur δόγματα instituta vel placita Apostolorum & Presbyterorum, τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων. Si placita sunt decreta ab Apostolis & Presbyteris talium est quod di-

De Concil. lib. 1. cap. 16

cit Bellarminus *in isto Concilio interfuisse Apostolos tanquam judices ad definiendum Presbyteros autem ad consultandum.* Nec mirum Presbyteros unà cum Apostolis habuisse suffragium decisivum. Nam licet singulari ratione fuerant supra Ecclesiam reliquam Apostoli, ordinaria tamen & communi, cum aliis ordinariis communicabant. *Ordinaria verò usi sunt, ubi jam Ecclesiæ erant constitutæ, nisi res ejusmodi esset, quæ divina extra ordinem revelatione dici deberet, aut motu divino geri. Communicatio*, inquit Iunius, *in revelatione extraordinaria non habet locum. Hic autem Apostoli dicuntur usi communicatione.* Et quamvis Apostoli satis instructi ut per se possent decernere, noluerunt tamen absque Presbyteris placitum edere, ut sic ostenderent Presbyteris primum esse locum in Conciliis ut, qui ex-

Iunius de concil. lib. 1. ca. 16. not 1.

tra

tra ordinem tunc primi erant, successoribus. Si in Synodis & conventibus extraordinariis tulerunt suffragia in dijudicandis controversiis etiam præsentibus Apostolis multò magis id possunt in presbyterio. Paulus hortatur Presbyteros Ephesinos, ut attendant animum in gregem & observent eos qui loquuntur perversa, ut post se discipulos abstrahant, Act. 20. 28. 29. Et idem Apostolus dicit 1. Cor. 14. 32. *Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur.* Presbyteros tales vult constitui Paulus Tit. 1. 9. qui possunt τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Si contradicentes argumentis convincere debeat presbyter, in dijudicandis controversiis suffragium decisivum ferre quid prohibet. Potestas διαταχτικὴ Presbyteris etiam competit ut patet ex dicto capite Act. 15. ubi decretum ab Apostolis & Presbyteris ut gentes conversæ *abstinerent ab iis quæ immolata sunt simulachris & sanguine & suffocato.* Act. 15. 29. Et Act. 21. 25. *Nos* (Iacobus & Presbyteri qui aderant, aderant autem omnes ver. 18.) *scripsimus & decrevimus nequid hujusmodi observent, nisi ut caveant ab iis quæ sunt immolata simulachris & à sanguine & rebus suffocatis, ac scortatione.* Consulit etiam Presbyterium Hierosolymitanum Paulo, ut assumeret sibi socios viros quatuor qui voto obstricti erant, & cum eis sanctificarentur, ut fratribus infirmis & paci Ecclesiæ consuleret, Act. 20. 21. 22. 24. Cum paulus mandat Corinthiis ut omnia decenter & κατὰ τάξιν fiant 1 Cor. 14. 40. nonne agnoscit potestatem constituendi eutaxiam in sua particulari Ecclesia Potestas κριτικὴ communis cui subsunt omnia Ecclesiæ membra, nempe ligandi in foro exteriori ut & solvendi competit Presbyteris. *Censura duplex est,* inquit Episcopus Cicestriensis, *publicani & ethnici, minor & maior. Minor à sacramentis excludit modo. De majore vero altera, quæ arcet Ecclesia ipsa, quæ perinde reddit ut ethnicos; quibus nec fas templum ingredi quod tamen licuit publicanis: de illa vix quisquam est quin fateatur institutam eam à Christo Mat. 18. per verba Dic Ecclesiæ &c. De exteriore foro ibi agitur: exterioris fori iurisdictio illo nec alio loco fundata est.* Bellarminus fatetur hic tractari de foro exteriori, *Et quamvis hic tractari videatur præcipuè de potestate jurisdictionis qua peccatores excommunicantur tamen Patres jam nominati locum hunc de utraque potestate ordinis videlicet & jurisdictionis exponunt.* Dicit Apostolis non datas sed promissas fuisse claves ordinis & jurisdictionis datas autem fuisse Iohannis 20. 21. Clavem ordinis cum dixit, *accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata:* jurisdictionis cum dixit, *Sicut misit me pater & ego mitto vos.* At in his posterioribus verbis nulla mentio clavium sed in prioribus ubi actus clavium remittere & retinere peccata id est ligare & solvere ut dixit Mat. 18 exprimuntur. His ergo verbis eædem traduntur claves quæ promittuntur, Mat. 16. & 18 & consequenter claves jurisdictionis externæ cujus actus nobilissimus est major illa excommunicatio de

Tortura torti pag. 70. edition. Hanoviæ in 8.

De pontif. l. 1. cap. 12.

qua supra. Cui conceduntur actus clavium datur & potestas ipsa à qua tales actus dependent. At Presbyteris conceduntur actus clavium nempe remittere & retinere id est loquendo proprie, aperire & claudere cœlum. Nam in ordinatione Presbyteri dicit Episcopus. Accipe spiritum sanctum: quorum remiseris peccata &c. Dicunt pontificii his verbis significari tantùm claves ordinis, id est actus ligandi & solvendi in privato foro pœnitentiæ. Dounamus, ut supra vidimus, licet videatur repudiare sacramentum pœnitentiæ videtur tamen amplecti forum pœnitentiale secretum & privatum confitentis & Confessarii. Nam concedit Presbytero potestatem remittendi & retinendi peccata extra prædicationem verbi & sacramentorum celebrationem: & concedit tantum in foro privato. Sed cum eædem sunt claves quæ promittuntur Mat. 16. & 18. & traduntur his verbis, claves jurisdictionis externæ in foro publico traduntur: & proinde cum Presbyteris traditur potestas remittendi & retinendi peccata traditur potestas excommunicandi. Futile est commentum dari potestatem ordinis ad remittenda & retinenda peccata in foro pœnitentiæ, & tantum dari Presbytero jurisdictionem in foro interno. Nam sic confunduntur potestas ordinis & jurisdictionis. Imo nullum erat forum pœnitentiale privatum sæculis purioribus. *Externa Ecclesiastica pœnitentia initio fuit semper publica, non modo ubi quis ad pœnitentiam redigebatur accusatus & convictus pro crimine publico & famoso; sed etiam ubi sponte quis pro occultis quoque delictis vellet habere Ecclesiasticam solutionem. Publici enim sua crimina particularia fatebatur & sic ligabatur ac excommunicabatur excommunicatione pœnitentiali & inter pœnitentes publicos reponebatur deinde peracta pœnitentia reconciliabatur*, ait Spalatensis. Quando peccata gravia sunt manifesta & scandalum pariunt, merito ligatur peccator per claves donec resipuerit, & in publico profiteatur resipiscentiam. Sed cum injungeret satisfactiones & opera pœnalia peccantibus, tunc superstitiosi putabant interna resipiscentia se non satis tutos, nec dignè posse Eucharistiam percipere, nisi priùs sponte confessi essent occulta crimina, ut sic primum ligarentur deinde soluerentur: & scrupulum illum auxerunt Patres hortando ad externam pœnitentiam pro gravioribus criminibus etiam occultis. *Et quia similiter certa & infallibilis est eadem Christi promissio, ut data per Ecclesiam solutione vinculi Ecclesiastici, clave non errante, statim certò, & infallibiliter in cœlis quoque vinculum, quo se peccator coram Deo ligavit, & cui Ecclesia suum excommunicationis addiderat vinculum, per certam & infallibilem peccati illius remissionem dissolvatur, hinc sicut Patres vehementer semper hortati sunt fideles peccatores post lavacrum baptismi criminibus contaminatos, ut tutioris cautelæ ergo non contenti sibi remedium ex interna pœnitentia sola, licet de se sufficienti, adhibuisse, voluntariè per propriam peccati gravis etiamsi occulti,*

Lib. 5. ca. 7. num. 37.

Li. 5. cap. 7. num. 26.

corum

coram ministro saltem Ecclesiae confessionem, ligari se Ecclesiastica illa poenitentiali excommunicatione curent, ut inde obtenta ab hoc ligamine per reconciliationem solutione, omnino certi fiant in coelis quoque sibi peccatum illud esse remissum, sic Spalatensis. Poenitentia igitur externa erat primùm publica pro manifestis criminibus, deinde publica etiam pro occultis, ubi publica erat peccati manifestatio, & peccator beneficio clavium frui volebat, *postea vero ita quidem publicè poenitentia haec & assumebatur & peragebatur, ut tamen peccatum grave quod de se non esset publicum & notorium secretò in Ecclesia Episcopo vel sacerdoti poenitentiario aperiretur, & pro qualitate delicti poenitens quantitatem subibat poenitentiae, quam tamen publicè perageret & à sacris abstineret, & cum publicè poenitentibus peculiari loco ad hoc in Ecclesia destinato maneret & actus humilitatis exerceret ac tandem reconciliationem & consequenter solutionem in terra & in coelo obtineret*. Et Num.37.
ex Sozomeno rationem mutationis indicat. *Odiosum, ut credibile est, sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in theatro audiente Ecclesiae multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitae integritate quam maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem ac sapientem huic officio praefecerunt, eum accedentes, qui peccarant, acta vitae suae confitebantur. Ille verò pro cuiusque delicto quid aut facere singulos aut luere oporteb at interminatus, absoluebat, ut à se ipsi commissorum poenas exigerent*. Exautorato sacerdote poenitentiario temporibus Theodosii Senioris sublatum dicit publicam poenitentiam. *Postea factum est ut publica poenitentia tota ad secretam reduceretur, non modo quò ad peccati manifestationem, sed etiam quoad ipsius poenitentiae peractionem, ut peccator seipsum ministro Ecclesiae ad hoc deputato accusans, secreto de secretis ab eo ligaretur, & excommunicatione poenitentiali à sola nimirum Eucharistiae participatione plecteretur, & ad externam sibi iniunctam Ecclesiasticam poenitentiam secreto peragendam obligaretur, ea vero rite peracta reconciliaretur, & ad sacrae Coenae communionem admitteretur. Haec itaque*, inquit Spalatensis, *est tota introductio secretae poenitentiae occultorum, quae illa est ipsissima, & non alia, publica poenitentia, ad secretum duntaxat reducta modo explicato, ut videlicet qui criminibus secretis, & non publicis ac notoriis gravarentur, cuperentque clavium beneficio remissionem obtinere, secretum peccatum propria confessione ministro Ecclesiae secreto aperirent, & ita poenitentiae Ecclesiasticae, sed secreto peragendae subiicerentur & ligarentur, ac demum per ministrum virtute clavium reconciliarentur & solverentur*. Et alibi, *Initio quidem ut diximus, etiam publice omnibus audientibus confitebantur, postea secreta fiebat confessio, sed poenitentia etiam publicè: ac demum & confessio & poenitentia secreta fuerunt. Et profecto poenitentia ipsa Ecclesiastica semper una & eadem est poenitus in se, in sua virtute & efficacia & in peragenda tota poenitentia à principio ad finem: solum variata fuit penes publicum & secretum*. Sed in se etiam secre-

Lib. 7. c. 16.

Spalat. lib. 5. c. 7. nu. 40.

Num. 41.

Num. 48.

tissima ;